428

Medicina Catholica

should be 5 to complete
but each complete
in itself
vide Gardner Rosicru

numbers
172-18



Liber rarissimus.

Included in the [illegible] in part 2 is a long [illegible] on [illegible]
The 3rd part is a curious work on [illegible].

1.2l/.

INTEGRVM MORBORVM MYSTERIVM:

SIVE

MEDICINÆ CATHOLICÆ TOMI PRIMI TRACTATVS SEcundus, in Sectiones distributus duas;

QVORVM


PRIOR *generalem Morborum Naturam, siue variam Munimenti Salutis hostiliter inuadendi atq; oppugnandi rationem, more nouo & minimè anteà audito, siue intellecto describit.*

VLTIMA, *vniuersale Medicorum siue Ægrotorum depingit Catoptron: in quo Meteororum morbosorum signa tam Demonstratiua, quam Prognostica, lucidè speculantur, & modo haud vulgari atque alieno planè designantur.*

AVTHORE

ROBERTO FLVDD, aliâs DE FLVCTIBVS,

Armigero, & in Medicina Doctore Oxoniensi.



FRANCOFVRTI,

Typis excusus Wolfgangi Hofmanni, Prostat in Officina GVILIELMI FITZERI, Anno M. DC. XXXI.



IN EFFIGIEM D. AVTHORIS.

POEONA commendent laudentque Machaona prisci,
    Iactes Phœbigenam tuque Epidaure tuum.
Nos te ROBERTVM nostris celebrabimus annis,
    Nomina qui gelidis FLVCTIBVS orsa geris.
Scilicet infando subnixus robore mentis
    Describis quicquid cosmus vterque tenet.
Suauis es ore, grauis, FLVDDI, simul arte medendi
    Dicendus patriæ verus Apollo tuæ.
Sit licet Argolicâ præcinctus Daphnide Pœon,
    Quæ datur à Phœbo Laurea, tota tua est.

I. E. Christanus.

TRACTATVS SECVNDI SECTIO PRIMA:

IN QVA

INTEGRVM MORBORVM, SEV METEORORVM INSALVBRIVM MYSTERIVM:

Hoc Est:

HOSTILIS MVNIMENTI SALVTIS INVASIO, SEV TREmenda & truculenta Morborum Cardinalium circa sanitatis arcem castrametatio, violenta Meteororum insalubrium à quatuor mundi angulis, in propugnacula eiusdem eruptio, strictumq; vitæ & salutis humanæ obsidium explicatur:

Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, quibus datum est nocere terræ & mari, &c. Apocalyps. 7.



SECTIONIS ISTIVS PRIMÆ SVBIECTVM.

Tractatus istius Secundi Sectio prima diuiditur in partes quinque: quarum

PRIMA, Meteororum præternaturalium in ſpiſſitudine & raritate rationem, idque demonſtratione oculari exprimit: Diuiditurque in Libros tres.


SECVNDA, Meteororum morboſorum eſſentiam, ſiue definitionem deſcribit. Atque iſta Libro vnico comprehenditur.

TERTIA,
- Morborum differentias ratione myſtica & haud vulgari, Tam Hippocratis & Galeni authoritate Quam Textus ſacri teſtimonio, Explicat in libris tribus: videlicet, 1.2.& 4.
- Medicorum Ethnicorum, & præcipuè Galeni, A diuina omnipotentia derogationem, Aduerſus Chriſtum & Moyſem impudentiam, In veris Medicinę fundamentis ignorantiam Deſcribit, in libro huius partis tertię.

QVARTA, Morborum, ſiue meteororum morboſorum cauſas tam accidentales, quam eſſentiales pertractat: Atque iſta in Libros quatuor diſtribuitur:

QVINTA, religioſam, Chriſtianorum ſectæ tam Ariſtotelicæ & Peripateticorum quam Hippocratis & Galeni ad Palęſtram ſeu certamen Sophicum prouocationem continet, quæ circa propoſitiones iſtas ſeptem verſatur, quarum eſt

- Prima, quod DEVS ſit ſolus & vnicus in mundo actor & operator. Quo ab Europæis conceſſo, omnes cauſæ efficientes ſubalternæ tollantur, neceſſe habemus credere.
- Secunda, quod emanatio Dei ſancta ſit eſſentialis ſpiritus Angelici actus & virtus, mediante qua ipſe viuit, mouetur & animatur.
- Tertia, quod variformi Angelorum actu, ſeu afflatu, venti tam cardinales, quam collaterales, aſſiduè de nouo, creantur, mouentur, & multifariè informantur, atque animantur.
- Quarta, quod non ſit niſi vnicum in mundo ſublunari elementum, quadrupliciter à quatuor ventorum actibus ſeu afflatib⁹ Angelicis informatum, animatum, atque quotidie de ſpecie in ſpeciem alteratum.
- Quinta, quod calor & frigus non ſint qualitates accidentales, ſed eſſenſificè ventorum Angelicorum, & à Deo animatorum actus.
- Sexta, quod calidum, ſiue ſit Solis & ſtellarum, ſiue ignis; vapores & exhalationes ad ſe minimè attrahant, ſed rarefaciendo diſcutiat potius.
- Septima & Vltima, quod ſi Propoſitiones hæ ab Europeis concedantur, vt præcipua tam Philoſophiæ Ariſtotelis meteorologicæ quam Medicinæ Hippocraticæ & Galenicæ fundamēta radicitus tollantur, illa verum è regione Patriarcharum, Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum confirmantur, neceſſe erit: Denique propoſitiones ſex prædictas cum rationibus è veræ Philoſophiæ pharetra depromptis tum authoritatibus à Fonte Sacroſancto exhauſtis, ac denique (ſi iſta non ſufficient) demonſtratione oculari, etiam ſenſui rudi atque impolitæ familiari expreſſas atque confirmatas inuenietis.



REVERENDISSIMO AC PLVRIMVM COLENdo Patri, atq; Mecœnati suo prudentissimo, piissimoq;

GEORGIO ABBATIO, CANTVARIENSI EPISCOPO,

TOTIVS ANGLIÆ PRIMATI AC METROPOLITANO, NEC NON IN NVMERO SANCTIORVM SERENISSIMÆ MAIEstatis Regiæ Consiliariorum conscripto; Constantem per Iesum Christum in vita præsenti tranquillitatem & salutem, sanctamq; in futura beatitudine requiem exopto.

VENERANDE & plurimum colende in Christo Pater, qui summum in Theologico totius Angliæ magistratu gradum tenes & dignitatis & imperii, cùm nihil in rerum natura ingratitudine turpius, nihil beneficiorum receptorũ obliuione mortalibus grauius esse possit (qui enim ingratum dixerit, omnia dixerit) meum fore imprimis officium (vtpote qui à viro religionis tam stabilitæ, dignitatis tam excelsæ, prudentiæ tam manifestæ, doctrinæ tam insignis, gratiæ tam expertæ, fauores plurimos hactenus accepi) omnem ingratitudinis maculam summa ope atque diligentia abluere existimaui. Vt ergo integram meam vtriusque cosmi historiam primùm Deo Opt. Max. tanquam soli tam interni quàm externi mei actori, motori & custodi; deinde Illustrissimo & felicissimo Regi Iacobo, primario ipsius apud Britannos organo, summo dedicaui iure: ita quidem reuerentiæ atq; paternitati tuæ (quippe qui non modò superiorem in Ecclesia Anglicana sedem occupas, sed etiam erga omnes literatos humanitatis tuæ serenæ radios effundere paratus es) præstantissimum illius membrum offerre atque vouere continua me suadet vrgetque tua erga me suauitas & mansuetudo. Sit igitur, Pater reuerende, tua mihi gratia fausta & propitia, & quod corde sincero tibi hîc consecraui, fronte serena, vultuq; hilari atque placido accipere ne dedigneris obtestor. Sic perenne bonitatis tuæ in hisce meis scriptis monumentũ non lapidibus mortuis & immotis, inq; templo artificiali mechanicè cõstructum, sed literis spiritu humano viuificatis, & per omnes Europæ regiones alis quasi spiritualibus volantibus, atq; in infinitorum cordium templis impressum seu depictum, mentisque oculis dies noctesq; contemplandum percipies. Sic Volumen hoc meum sibi patronum seu Mæcenatem dignitate eminentẽ, iudicio profundum, gratia, fauore & clementia abundantem, ac deniq; errores (si qui in ipsius lectione occurrant) faciliùs cum lenitate emendantem ac contemperantem, quàm in seueritate aut corrigentem, aut condemnantem inuenies. Sit ergo reuerentia tua, precor, pietate fausta, corporis sanitate diuturna, mentis lumine, radiisq; diuinis illustrata, ac tandem eum perpetuò amet qui perpetuò manebit

Reuerentiæ tuæ seruus & cultor humillimus
R. F.

MEDICAMENTOSVM APOLLINIS ORACVLVM:

IN QVO IPSE


CATHOLICVM MEDICANDI MYSTERIVM, SEV ARCANVM MEDICINÆ TAM COELESTIS, QVAM TERRESTRIS SACRArium, siue myrothecium, filio suo Æschylapio fideliter & paterna quasi erga infirmos pietate commotus, aperire atque detegere videtur:

SIVE

BENEDICTA MVNIMENTI SALVTIS, MISERE OPPVGNATI ET CONQVASSATI, IN PRISTINVM suæ perfectionis & pulchritudinis statum restauratio, fidaq; & exacta propugnaculorum eiusdem labefactatorum reparatio;

HOC EST,

MEDICINÆ CATHOLICÆ, SEV MYSTICÆ MEDICANDI ARTIS, TOMVS SECVNDVS:



Contenta cuius sunt ista;

- Ad meteora morbosa profliganda atq; propulsanda, duo veniunt notatu atque obseruatu digna, videlicet
  - Curator, siue Medicus
    - Principalis, seu essentialis, centralissimus, æternus atque increatus estque Devs, creator, qui dicit: *Percutiam, & ego sanabo. Deut.32.* Seu Verbvm. Nam: *Verbum suum misit, & sanauit eos. Psal.107.20.* Et *Sermo Domini sanat omnia. Sap.16.* Seu Sapientia, quippe *quæ est lignum vitæ. Prou.3.* Nam *per Sapientiam multiplicantur dies: & adiiciuntur anni vitæ. Prouerb.9.12.* Atque de isto tractat *Liber vnicus.*
    - Minus principalis & organicus, qui est
      - Metaphysicus, estque Angelus Raphael, atque omnis bonus Angelus, qui eius dominio subiicitur. De quo agit itidem *Liber vnicus.*
      - Physicus: Atq; iste est
        - Cœlestis, qui ab organis Metaphysicis, siue Angelicis, animatur. Estq; stella vitæ humanæ propitia, vt Sol, Iupiter, Venus, &c. Atque huiusmodi Medici historiam comprehendit itidem *Lib. vnic.*
        - Terrestris; qui centraliter à Medico principali, per organum Angelicum in illo stellari, vel Numine fausto, vel infausto gubernatur: Estque Homo ad imaginem Dei factus, qui à Deo (teste Scriptura sacra) docetur omnia.
        - Atque huius { Officium. Dignitas. Proprietas. } *Integro* exprimitur *libello.*
  - Modus Cvrandi, qui fit vel per
    - Obseruationem
      - Supercœlestem tū ex parte
        - Ægroti, quippe cuius est
          - Se tam Deo, quam Hominibus humiliare.
          - Orare Deum fideliter pro suæ sanitatis restitutione.
          - Pœnitentiam agere pro peccatis, malitiamque à corde deponere.
        - Medici terrestris: Est enim eius, Deum, siue Medicum medicorum in eius centro habitantem, pro successu sui operis prospero suppliciter deprecari, & vt in viam rectam ipsum dirigat humiliter supplicare.
        - Amicorum
          - Astantium, siue præsentium, quorum est
            - Consolationem ægroto ferre, eumque vt patienter se ipsum in afflictione, seu tribulatione sua se gerat, persuadere. Atque admonere imprimis vt confidat Deo (nam vt ipse est solus percussor, ita quidem est ipse sanator radicalis) ac tum postea, vt Medico sit obediens.
            - Orare Deum cordate, & mente syncera, vt infirmi misereatur, Medicique spiritum in viam veritatis conducat.
          - Absentium: Nam horum est precibus fidis pro salutis infirmi recuperatione inuocare.
      - Cœlestem, nimirum temporum in quibus cœlestiū configurationes accidunt, aut
        - Fœliciores, quippe quarum dominio siue præsentia propitior & salubrior est expectandus in crisi effectus, necnon medicamenta meliori cum successu administrari queant.
        - Infœliciores, vt cognitis iis, infirmi vita aduersus periculosos & lethiferos earum influxus, in futurum expectandos præmuniatur melius. Atque de istis Iatromathematica medica tractat in *Libello vnico*: Atque ars Characteristica.
      - Elementarem, nimirum
        - Ventorum siue beneuolorum, siue maleuolorum, in Elemento communi dominantium. Nam vnius venti afflatus, contrarios contrarii, siue oppositi venti effectus curare assolet. Sic enim Boreæ spiraculum pestiferas venti Australis tollit afflictiones.
        - Meteororum tam salubrium, quam insalubrium ex ventis ortorum, cum contraria contrariis curantur. At vnum imperfectè mixtum est alteri natura & proprietate aduersum: sic fulgur & coruscatio Meridionalis destruit niuosos, glacialesque Septentrionis effectus. De hac autem obseruatione Elementali discurrit integer *Liber vnicus.*
    - Applicationem
      - Externā siue topicam, quæ operatur vel
        - Cum cōtinui solutione, videlicet aut
          - Cuticulæ solius { Excoriatione. Vesicoratione. } De quibus *Liber vnicus.*
          - Cutis
            - Penetratione, atq; perforatione incisione vel
              - Solius, vt in vlceris siue Apostematis lancinatione.
              - Cum
                - Vena, de qua tractat Phlebotomia. In *Lib.3.*
                - Arteria: atque de ista agit Arteriotomia. In *Libro vnico.*
                - Carne & venis simul. Atque huius speciei sunt { Scarificatio. Incisio facta pro humoris putridi, aut præternaturalis in loco aliquo inclusi euacuatione, vt in Hydrope, &c. } In *Libro vnico.*
            - Ruptione, siue adustione cum carne simul. Ac ista fit vel Cauterio
              - Potentiali, quæ fit cum Medicamento Cavstico. Atque de ista specie *Liber vnicus.*
              - Actuali. Atque ista fit mediante ferro ignito, seu candenti. De qua rumpendi, siue comburendi specie agit *Liber* itidem *vnicus.*
        - Sine continui solutione, hoc est, absque cuticulæ, aut cutis, aut carnis apertione: Fitque talis Applicatio, vel cum
          - Ventosis.
          - Frictionibvs.
          - Svffvmigiis.
          - Fomentationibvs.
          - Balneis.
          - Emplastris.
          - Vngventis.
          - Sacculis.
          - Colli Svspensionibvs.
          - Amvletis.
      - Internam quæ fit Medicamentis. Atque in hac duo sunt consideranda: Nimirum
        - Meatus, seu foramina, per quæ talis fieri debet Applicatio; Nempe per
          - Aures.
          - Nares.
          - Os.
          - Anum.
          - Vuluam, siue Vterum.
          - Virgam virilem.
        - Svbiectvm rei applicandæ: Fit enim Medicamentis, siue Pharmacis; In quibus duo sunt respicienda; videlicet varia eorum
          - Formula præparandi: cum alia fit
            - Galenica: Atque in hac consideramus Medicorum atque Pharmacopolarum tam veterum, quàm recentium
              - Errores in suis { Decoctionum. Syruporum. Conseruorum. Electuariorum. Oleorum. } Confectionibus, in *Libro vnico.*
              - Errorum correctionem in *Libello* itidem *vnico.*
            - Hermetica, siue Chymica, quæ fit separando { Purum ab Impuro. Superflua ab essentiali. Venenosum à bono & naturali. } Quam proponit *Liber vnus.*
          - Genera, quippe quorum alia sunt
            - Simplicia, in speciem diuisa.
              - Supercœlestem: De qua *Liber vnus.*
              - Cœlestem: Et de ista itidem *Liber vnicus*, tractans De Quinta essentia: & Arte Characteristica.
              - Elementarem; atque hanc etiam comprehendit *Libellus vnicus.*
            - Mixta ex simplicibus, suntq; Imperii
              - Animalis, quę distinguitur in Regna bina, videlicet in
                - Microcosmicum, quod cōprehendit Medicamenta
                  - Spiritualia, quæ perficiuntur vel { Verborum prolatione. Magico cantamine. Somniorum indicatione. } De quibus *Liber vnus.*
                  - Corporalia, quæ operantur vel
                    - Occultè, suntq; vel
                      - Magnetica, siue Symphoniaca.
                      - A proprietate magis abdita. Atque de his *Liber vnicus.*
                    - Manifestè, iuxta quatuor ventorum proprietates. Suntq; vel
                      - Frigida: { Septentrionaliter. Occidentaliter. }
                      - Calida: { Orientaliter. Meridionaliter. } De istis *Liber vnus.*
                - Macrocosmicum: ac istud, iuxta quaternas ipsius prouincias comprehendit Medicamenta;
                  - Septentrionaliter, Occidentaliter } Frigida: De quibus *Lib.1.*
                  - Orientaliter, Meridionaliter } Calida: Et de his *Lib.1.*
              - Vegetabilis, illaque Regni vel
                - Septentrionalis: De quibus *Liber vnus.*
                - Occidentalis: Et de istiusmodi *Liber* etiam *vnicus.*
                - Orientalis: quæ *Liber* itidem *vnicus* comprehendit.
                - Meridionalis: Atque de istis denique tractat *Liber alius.*
              - Mineralis: atque ista sunt Regni seu Plagæ, vel { Septentrionis. Occidentis. Orientis. Meridiei. } Quorum quælibet in sua specie *Libro vnico* peculiari comprehenditur.
            - Composita ex mixtis: nimirum aut
              - Animale cum
                - Animali, Vegetabili, Minerali } tantum.
                - Omnibus vel duobus simul. De quibus cum infradictis in quolibet prædicto regno.
              - Vegetabile cum vegetabili, Animali vel Minerali, tantum, aut cum his omnibus vel aliquibus simul: vt in communi prædictorum regnorum praxi liquet.
              - Minerale cum minerali, Animali vel Vegetabili simul vel istorum aliquibus tantum, vt in communi etiam prædictorum praxi latius.

Denique huius Voluminis calci, siue fini integræ Morborvm 4: Cardinalivm Historia, siue descriptio annectitur: In quarum qualibet ipsorum expressimus

- Essentiam.
- Causam.
- Signa { Demonstratiua. Prognostica. }
  - } More { Tam Sacrosancto & Christiano, hoc est, iuxta Sapientiæ diuinæ leges. Quam Ethnico, & secundùm Sapientiæ humanæ rudimenta. }
- Curationem, ratione { Christiana & pia. Hermetica, siue Chymica. Galenica. }

HOSTILIS MUNIMENTI SALUTIS INUADENDI TYPUS.

DEUS A Meridie loquens.

Quia non custodiuisti mandata mea, percutiam te aestu et ardore
adiungam tibi pestilentiam quae persequentur te donec
... Ego mittam vobis serpentes
et regulos quibus non est incantatio

Meridies

Occidens

Oriens.

Septentrio

DEUS Ab Oriente loquens

Quia non obseruasti praecepta mea, percutiam te
tabe calida et aestuanti et urente febre et siccitate et
morbo regio quae persequentur te ec. Deut: 28.20.

DEUS Ab Occidente Loquens.

Sagittae omnipotentis in me graviores sunt, earum
calorem ebibit spiritum meum et conturbationes Dei
quae acie instructae sunt oppugnant me. Iob. 6. 4.

Ita emittam spiritus meos Apostaticos ut corporis tui terram ...
Iob. 12. Percutiam te hydrope. Luc: 14. Lunaticum te efficiam ...
affectum. Math: 17. Paralyse te dissoluam ... functiones tuae erunt impeditae
atque os tuum occludam ut non possis loqui. 1 Marc. 9. 17.

FIGVRÆ ISTIVS HIEROGLYPHICÆ EXPLICATIO.


OLVMINI *præcedenti (quod circa ſanitatis myſterium verſatur) hieroglyphicam myſterii ſalutis propugnaculi deſcriptionem præfiximus, in qua quatuor vitæ Angelos propugnaculis arcis, ſeu munimenti ſalutis præſides, atq; vitæ, virtutis aduerſus malorũ dæmonum à quatuor mundi quartis ſeu plagis emiſſorum inſultus defenſores & cuſtodes expreſſos inuenietis: nam vt (iuxta Hebræorum doctrinã) in exercitu Satanæ latiſſima gerũt quatuor Signiferi vltores vela, videlicet* Samael, Azazel, Azael, Mahazael, *qui* mali *ſunt Angeli; ita etiam in exercitu Dei quatuor numerantur anteſignani, videlicet* Michael, Gabriel, Vriel, Raphael, *qui* boni *dicuntur Angeli, quorum* Michael *reſpicit Orientem, & imperat malo Angelo ſeu* Samaeli, *qui vento Euro præponitur atque Cæciæ;* Gabriel *dominatur Septentrioni, maliq; illius plagæ Angeli, videlicet* Mahazaelis *inſultus repellere aut ſupprimere paratus eſt.* Vriel *quartæ Meridionalis cacodæmonem, videlicet* Azaelem *ſibi pro placito ſubiicit: deniq;* Raphael *imperium habet in mali Angeli* Azazelis *effectus. Horum autem omnium dominus eſt* Michael, *quippe qui cùm ſit principalis exercitus Dei aduerſus draconem ſeu Satanã dux, & conductor, deuicto dracone eius quatuor ſigniferos ſibi & ſuæ voluntati ſubiicit; vnde certum eſt, quod iſte fuerit* Archangelus ille magnus *à Reuelatore allegatus, qui* ab ortu Solis aſcendens imperauit quatuor illis ventis ſupra quatuor angulos terræ ſtantibus, quibus datum eſt nocere terræ & mari, vt nõ noceret terræ, mari, arboribusve, quouſque ſignaſſet ſeruos Dei in frontibus eorum. *Hos ergo Angelos quatuor principales, qui ſub eorum ditione infinitas legiones ſibi proprietate ſimiles habent, ordinauit Deus vt eſſent vitæ cuſtodes, hoc eſt, vt curam haberent, ne electi à prauis & immundis ſpiritibus coinquinarentur. Hinc dicit Deus electo:* Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, quoniam Angelis meis præcepi de te, qui conſeruabunt te in omnibus viis tuis.

Apoc.7.

Pſal.91.

Verùm, vbi vel morbo vel morte afficere intendit Iehoua quempiam, Angelos ſuos bonos vacare ſinit, dæmonibusq; malis in corpus atq; ſpiritum humanum dominium & poteſtatem concedit ipſe. Vnde Pſalmiſta regius: Immiſit in eos iram indignationis ſuæ, iram & tribulationem per malos Angelos. *At* Angelos ſuos *tam malos quàm bonos* fecit ventos, & miniſtros ſuos ignem vrẽtem: *&* quatuor Angeli quibus datum eſt nocere, cuſtodiam habent quatuor ventorum cœli; *vt teſtatur Ioannes.*

Pſal.78.47.

Pſal.103.2.

Apoc.7.1.

Hîc ergo in hieroglyphica iſta propugnaculi ſalutis obſidione expreſſimus quatuor illos dæmones nocentes, cum cæteris ſuis infinitis vndique in aëre ſcaturientibus, dum ſpiritus ventorum eorum laxat habenas: nam vt peſtis, contagio & putredo ortum ſuũ ducit à Meridie, ita quidem dæmonem huic quartæ dominium tenentem ſuper beſtiam omnium maximè contagioſam, videlicet Baſiliſcum, *equitantem, atq; infinitis ſcorpionibus, aliisq; animalculis venenoſis ſtipatam, haud iniuria finximus: nam ait textus:* Deo à Meridie veniẽte anteiuit pedes eius peſtis & lues vaſtans in Meridie, & egreſſus eſt diabolus ante ipſum. *Et alibi:* Ne timeto à peſte in caligine peruadente, à lue vaſtante in Meridie; *vel, vt Hieronymus habet,* ab occurſu & dæmonio Meridiano. *De infinitis hiſce ſpiritibus occultè furentibus hæc Sapiens alibi:* Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo cõfirma-

Abakuc.3.3

Pſal.91.

firmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit eos. Ignis, grando, bestiarum dentes, videlicet Scorpii & serpentes, & in mandatis suis epulabuntur, & super terram in necessitate sua præparabuntur, & in temporibus suis non præteribunt verbum. Eccles.39.14

Quòd etiam sunt serpentes & scorpii spirituales, & inuisibiliter à diaboli abysso scaturientes, testatur Ioannes: Et apertus est puteus abyssi, & egressæ sunt locustæ habentes potestatem scorpii terrestris, quibus est data lædendi potestas, & cruciatus eorum vt cruciatus scorpii cùm percusserit hominem. *De seminariis autem istis maledictis & venenatis intendit hic textus:* Panis impii in vtero illius vertetur in fel Aspidum intrinsecus, caput Aspidum suget & occidet eum lingua viperæ, cùm satiatus fuerit arctabitur & æstuabit, & omnis dolor irruet super eum, obstetricante eo eductus est coluber vitiosus, *&c. Quo sermone arguit, quòd maledicta dæmonum seminaria contagione plena, & quasi Aspides, viperæ & colubri spirituales, se cum cibis immiscent atque aëre, & sic contaminant venenosis suis halitibus spiritum hominis, vnde grauiter æstuare cogitur. At Rex Dauid ista meliùs sic:* Non pauebis à pauore nocturno, à sagitta volante in die, ab occursu & dæmonio Meridiano, quoniam Angelis suis mandauit de te, super Aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, *&c.* Apocal.9. Iob.20. Psal.91.

Quo sermone clarissimè arguit, quòd spirituales aspides, & basilisci, & feroces leones, & dracones truculenti, hoc est, spiritus dæmonium Meridianum comitantes, sint sagittæ illæ Dei, à Meridie emissæ, quæ contaminant, & suo halitu corrupto intoxicant spiritus hominum. Et Ieremias: Ecce mittam vobis serpentes, regulos, siue basiliscos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. *Sed Salomon hæc expressius sic:* Non impossibilis erat omnipotens manus tua quæ creauit orbem ex materia inuisa, immittere illis vrsos, & audaces leones, aut bestias de nouo creatas, ira plenas, vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem præferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorē occidere, *&c. Quo sermonis filo Sapiens arguit, quòd Deus ex inuisa materia possit serpentes, & regulos, seu basiliscos procreare, hoc est, ab inuisibili eorum natura in formam visibilem producere, & consequenter, quòd tam inuisibiliter, quàm visibiliter permanere queant, & soleāt in aëre, in quo, sic volente & agente DEO, vtroque modo vulnerant & lædunt.* Ierem.8.17. Sap.11.18.

Hinc ergo hominem impium, seu peccatorem sic alloquitur Deus à Meridie veniens: Quia non custodiuisti mandata mea, percutiam te æstu & aëre corrupto, & adiungam tibi pestilentiam, quæ persequetur te donec pereas, *&c. Verbo igitur Dei sic facto confestim sequebatur effectus: nam relinquit eum in instanti bonus Angelus* Vriel, *& malus Angelus* Azazel *cum suis turmis venenosis statim propugnaculum munimenti salutiferi Meridionale oppugnat, deruit, & ipsum munimentum (vt videtis) inuadit, hominemque languoribus contagiosis & putridis percutit, ita vt cogatur cum Iobo dicere:* Sagittæ Omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me. Deut.28. Iob.6.4.

In proprietate Dei Orientali quandoque hominem affligit, morbisque igneis percutit: nam vt Dei Angelus quandoque formam columnæ igneæ induens, populo Dei in deserto erat salutaris, ita è contrario per nuntios suos igneos emittens formam proprietatis suæ igneæ (qua ignis est dictus consumens) in ipsos Israëlitas seueritatem suam exercuit; nam ait textus: Ignis exiens à conspectu Iehouæ exanimauit filios Aaronis, & quasi ira eius accensus exardescens in Israëlitas peccantes consumebat Leuit.10.2. Num.11.1.

sumebat eos qui fuerunt in extremitate castrorum; ideo nomen loci Taphera, quia exarserunt ipsi igne Iehouæ. *Porro* ignis egressus à Iehoua *in hac sua proprietate* consumpsit 250. illos viros qui admouerant thus. *Hinc ergo Salomon super hos locos.* Creatura tua ignis, tibi, qui fecisti omnia inseruiens, ad punitionem contra iniustos intenditur; & remittitur ad beneficentiam pro iis qui confidunt in te. *Per nuncios (dixi) suos; nam vt fecit Angelos suos ventos inuisibiles, ita quidem fecit ministros suos ignem vrentem, seu ventos visibiles: sunt enim fulgura nihil aliud, quam ministri Dei inuisibiles, in vnam formam visibilem congregati: vnde textus,* fecit ministros suos ignem vrentem. *Hinc ergo alibi.* Fulgura nunquid mittes & ibunt, & reuertentia tibi dicent adsumus? *Et iterum Iob.* Turbo, frigus, glacies, nubes, pluuiæ, fulgura, quodcunque præcipit Deus istis faciendum in superficie orbis terrarum, siue ad flagellum, siue ad faciendam beneficentiam efficit vt præsto sint, &c. *At præceptum Dei in illis est verbum Dei, quod iuxta voluntatem eius qui loquutus est agitat & animat organa ista Angelica ad velle suum perficiendum. Quare euidens est, quod non Angeli, sed Deus per Angelos hæc operatur. Vnde Dauid,* Ira tua absumimur; & æstu tuo conturbamur. *Et Iob.* De furore Omnipotentis bibit impius, & dolores impertitur Deus ira sua. *Hinc alibi dicitur* Deus ignis consumens; *videlicet cum in proprietate sua Orientali igneis suis cateruis stipatur: in quo statu dicitur.* Depluit super improbos prunas, ignem & sulphur; ventusque vario præstere coniunctus portio poculi eorum erit. Iehoua ira sua absorbet eos; quasi consumat eos ignis.

Num. 16. 35. · Iob. · Iob. 37. 8. · Psal. 88. 17. · Iob. 21. 17. & 20. · Deut. 4. 24. · Iob. 41. 18. · Psal. 21. 10.

Quibus intendit rex tam de meteoris occultis in spiritu humano igneo Dei afflatu accensis, quam in aere mundano. Ob istam rationem ait Iob. Sagittæ Omnipotentis graues in me sunt, virus earum ebibit spiritum meum; &c. Imponis me & efficis vt defluam substantia, viscera mea efferuefacta sunt adeo vt pulsus mei non requiescant, &c. *Atque totum hoc agnoscit factum ob spirituum ardentium in spiritibus suis vitalibus insultus, qui spiritus ignei insalubres, sagittæ Dei graues, quæ acie quasi instructæ sunt, oppugnant spiritum eius, & efficiunt vt spiritus vitales seu humidum radicale non aliter absorbeatur, quam aqua ignis violentia. Nonne videmus pestes, & morbos Epidemicos, post Cometæ vel meteori alicuius igniti infeliciter apparentis dissolutionem prouenire, videlicet ob seminaria eorum inuisibiliter, post ipsorum disparitionem; atque per aeris expansum disseminata? At velim vt vndequaque angulos mundanos respiciatis, & quæras ex qua mundi plaga venti Dei Angelici principaliter emittunt igneos istiusmodi afflatus, atque tunc percipietis plagam illam Orientalem proprietati Dei æstuanti assignari, vtpote quæ est elementi ignis fons & scaturigo, sine cuius afflatu Angelico elementum mundi catholicum non redditur igneum.*

Iob. 6. 4. · Iob. 30.

Sic cum Deus æstuantem suam iram in prophetam Ionam effundere voluit, non vsus est aliquo ex aliis ventis pro organo in ministerio suo ad illud opus obeundum: sed ait textus. Præcepit Dominus vento calido & vrenti, *vel, iuxta Tremellij interpretationem,* parauit Eurum silentem vt percuteret Sol caput Ionæ, adeo vt ita æstuaret, vt peteret animæ suæ vt moreretur. *Hoc est ardor vehemens istius venti coniunctus cum radiis solaribus hoc negotium à Deo constitutum præstitit. Sic Genesis,* Ventus vrens, seu Eurus adurebat spicas & gramina. *Et Ezechiel.* Ipsa pessundabitur in ira, Ventus vrens, vel Eurus desiccabit eius fructus, & rami eius erunt rupti & marcore contracti. *Et Amos.* Percussi vos in vento vrente & in aurigine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearũ vestrarum: misi in vos pestem pro ratione Ægypti. *Hozea.* Postquam veniente Euro, vento Iehouæ è deserto ascendente exaruit scaturigo eius, & siccatus fuerit fons eius, &c. *Et Haga.* Percussi vos vento vrente, &c. *Sic etiam & Dauid.*

Ion. 4. 8. · Genes. 41. 6. · Ezek. 19. 12. · Amos. 4. 9. · Hoz. 13. 15. · Hag. 2. 18.

Ossa

Oſſa mea vt focus exardeſcunt, percuſſum tanquam herba exareſcit cor meum, &c. *Pſ.102.9. Et Iob.27. de febrili diſpoſitione intendens iſta:* Tollet eum ventus vrens, & aufferet, &c. *Quibus euidens redditur, quod Iehoua vtitur Angelico organo ventoſo in proprietate ſua Orientali in macrocoſmo. Vnde etiam ſapientem latere haud exiſtimo, Deum in Orientali ſua diſpoſitione haud aliter in macrocoſmo agere, idque per Angelum ſuum æſtuoſum Samaelem, qui eſt planetæ Martialis præſes, cuius eſt conſumere ſpiritum & flammis eum incendere: vnde à Propheta rectè appellatur Conſumptor.* Effunde *(ait Scriptura)* æſtus tuos in alias gentes quæ non co- *Pſal.75 9.*
gnoſcunt te, nam conſumptor conſumpſit Iacobum: *ac ſi dixiſſet, Angelus tuus æſtuoſus tuo verbo agitante conſumpſit plaga æſtuoſa populum: Nam vidit Dauid* Angelum Domini inter cœlum & terram gladio ſtricto percutientem popu- *2.Sam.24.6*
lum: *atque iſte Angelus vocatur in textu* Angelus vaſtans, *mediante quo etiam percuſſit Iehoua in caſtris Aſſyriorum* 185000. *Sic deſtructor, ſeu vaſtator iſte Iehouæ* *2. Reg.19.*
percuſſit omne primogenitum Ægypti.

Hæc ergo eſt ratio, quod ex plaga Orientali, ſeu in proprietate ſua Orientali conceperimus Iehouam in iracundia ſua hominem iniuſtum ſeu inobedientem ſic iuxta textum Moſaicum eſſe alloquutum. Quia non obſeruaſti præcepta mea, percutiam te tabe calida & æſtuante ac vrente febre & ſiccitate & morbo regio, *Eccleſ.39.33*
quæ perſequentur te donec pereas. *Deut. 28. 20. At vero magnum Orientis Conſumptorem ſeu vaſtatorem igneum* Samaelem *ſuper* Dypſam *equitantem finximus, quippe quod ſerpentis genus vbicunque momorderit, percuſſum, ſeu vulneratum æſtu & ſiti intolerabili emori facit: eſt enim iſtud animalculum ex viſibilibus plagæ Orientalis ſpeciebus, quibus vtitur Deus in proprietate ſua Orientali ad plagam iniuſtis infligendam: de quibus Syracides hæc.* Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmant tormenta ſua, vt ignis, grando, beſtiarum dentes, videlicet ſcorpii & ſerpentum. Hi in mandatis Dei epulabuntur & in temporibus ſuis non præteribunt verbum, &c. *At vt omne viſibile creditur fuiſſe prius ex inuiſibili, ita quidem ſunt ſpiritus tales viſibiles, quales inuiſibiles, qui inuiſibiliter percutiunt, vt antea eſt dictum. Deniq; hic igneus conſumptor ſpirituum ignitorum cohortib. flammis igneis ſimilibus vndique ſtipatur, qui parati ſunt ad voluntatem domini ſui obeundam; hoc eſt, ad affligendum ſpiritum humanum, vbi locum & veniam concedit Michael qui eſt illius propugnaculi cuſtos & protector.*

In proprietate Dei Septentrionali auertente eo faciem ſuam à creatura, hoc eſt, à circumferentia, ſeu vitæ actu contrahente, punit & affligit ipſe mortales; vnde Moyſes, Deus malos relinquit, & abſcondit faciem ſuam ab iis, vt obueniant iis *Deut. 31.*
multa mala & anguſtiæ: *hoc eſt, contrahendo ſe in ſe, reſtant tenebræ & deformatio; ac tunc ſpiritus tenebrarum potentiam & dominationem habent in eo corpore, vbi antea emicaret facies Dei lucida, vitam, motum atque ſanitatem per Angelos lucidos procreans, iuxta hoc Dauid.* Deo abſcondente faciē à creatura conturbantur *Pſ.104.29.*
(id eſt ægrotant) emittentis: ſpiritū ſuum recreantur, *id eſt, ad priſtinam ſanitatē reſtituuntur.) Et Cabaliſtæ vocant Deum in iſta proprietate* Elohim, *cuius influxus imprimis in ſphæram Saturni, atque de ipſa in organum venti Angelici plagæ Septentrionalis effunduntur: dicuntque quod hoc nomen* Elohim *ideo arguit ſeueritatem Dei ab origine frigida, quæ contractionis Borealis eſt author, atque ob eam cauſam iudicio Dei attribuitur: dicuntque quod Angeli tenebroſi ei inſeruientes ideo* Ben Elohim *dicantur; volunt enim Elohim terrorem ſignificare ac pauorem; vnde ei cum ſuis ſpiritibus* Ben Elohim, *quorum Angelus princeps eſt* Mahazael, *cui datum eſt nocere terræ & mari ab Aquilone, iuxta ipſorum doctrinam; locus Aquilonaris à quo omne malum à frigore. Hinc ait Pſaltes, & Iob.* Flante Deo concreſcit gelu. Coram frigore eius quis conſiſtat?

Ob iſtam igitur rationem concepimus in figura præcedente hieroglyphica Deum peccato-

peccatorem & transgressorem legis secundum proprietatem suam Septentrionalem
Deut. 28. *fuisse alloquutum.* Quoniam noluisti audire vocem meam, percutiam te egestate & frigore, & dabo tibi cor trepidum & mœrorem animi, donec pereas. *Deut. 28. Nam ista omnia sunt meteora morbosa de natura Septentrionali, quæ Moyses ait, Iehouam legis transgressoribus allaturum: Et immediate post istam iudicij sententiæ prolationem finximus, haud sine ratione sufficienti* Angelum *maleuolum septentrionis super* Salamandram *equitantem, vtpote serpentem frigori familiarem, cum omnibus suis cateruis gelidis liberam à primo motore accepisse munimentum sanitatis illius viri, videlicet propugnaculum ipsius ad Septentrionalem spectans, & curæ* Gabrielis *assignatum, etiam minime renitente bono illo vitæ Angelo, obsidendi & inuadendi potestatem.*

Denique in loco vltimo, in proprietate Dei irascentis Occidentali, (quæ versatur circa spiritus aqueos, quorum est non modo humore aqueo implere spiritum macrocosmicum, verum etiam illum microcosmi siue hominis) agitatur in primo loco Angelus Occidentalis, videlicet Mahazael, *cui datum est nocere terræ & mari à parte Occidentali, ad suum officium erga munimentum salutis, illud nimirum propugnaculum quod spectat ad Occidentem, etiam quiescente, vel veniam concedente, aut se abscondente bono illo Angelo* Raphaele. *Hinc ait textus.* Ita emittit aquas vt submergat & confundat terram, &c. *quod quidem non modo de terra macrocosmica, verum etiam de corpore microcosmico, (vtpote quod est eius terra) est intelligendum.*

Ob istum igitur respectum imaginati sumus Deum in proprietate sua Occiden-
Iob. 12. *tali & à plaga Occidentali istiusmodi verba aduersus peccatorem protulisse.* Ita emittam spiritus meos aquaticos, vt corporis tui terram subuertam. *Iob.* 12. Percutiam te hydrope. *Luc.* 14. Lunaticum te efficiam, & muto spiritu affectum *Matth.* 17. 15. *Luc.* 9. 17. Paralysi dissoluam te, ita vt functiones tuæ sint impeditæ, atque os tuum occludam vt non possis loqui. 1. *Macch.* 9. 15. *&c. Quo à primo motore prolato, subito datur Angelo* Azaeli *super* cætum *equitanti cum suis spirituum aquaticorum turmis, contra munimentum salutis mouendi atque oppugnandi potestas, in illudque irrumpendi vigor & potentia.*

Denique quoniam cum libro nostro tertio de morborum seu meteororum morbosorum differentiis, *tum in causis eorum efficientibus de hisce omnibus vbertim & copiose sermonem fecimus, de ipsis plura isto in loco minime disceptabimus, sed in subiecti istius nostri medullam calamum meum aliquantulum profundius immergere progrediar.*



ELEN-



ELENCHVS CAPITVM OMNIVM HOC OPERE COMPREHENSORVM.

)(rum

Libri II. Particvla I.

De morborum, seu meteororum morbidorum tenebrosorum, in plaga aeris septentrionalis procreatorum differentiis. 84

Lib. II. Partic. II.

De morbis, seu meteoris occidentalibus.

Lib. II. Partic. III.

De meteoris morbidis, ex parte Orientali, procedentibus.

Lib. II. Partic. IV.

De morbis meridionalibus in genere.

Sect. I. Part. I. Lib. III.

In quo Medicorum omnium Ethnicorum, in virtute diuina ignorãtia, erga Dei maiestatem, ignoratam temeraria impudentia, ac deniq; in mysteriis medicinæ radicalibus insufficientia, atque inopia declarantur.

Liber

LIBER IV.

PARTICVLA III.

Siue Regnum Occidentis corporale.

CONCLVSIO, siue LIBRI IV.

SECTIO. I. PARS IV.

De Meteororum morbosorum causis.

SECT. I. PART. IV. LIB. I.

SECT. I. PART. IV. Liber II.

De causa morborum materiali.

SECTIO. I. PART. IV. LIB. III.

De causa morborum formali.

MEMBRI I.

MEMBRVM II.

In quo meteora occidentalia formaliter describuntur.

MEMBRVM III.

In quo meteora meridionalia formaliter cum suo toto describuntur.

MEM-

MEMBRVM IV.

In quo meteora Orientalia formaliter cum suo totò definiuntur, seu describuntur.

TOM. I. TRACTAT. II. SECTIO. I. Part. IV. Lib. IV.

De causa meteororum morbosorum efficiente.

LIB. IV. MEMBR. I.

LIB. IV. MEMBR. II.

De causa morborum efficiente organica primi ordinis.

LIB. IV. MEMBR. III.

De causa morborum efficienti stellari.

LIBRI IV. MEMBR. IV.

De causis morborum in mundo elementari efficientibus.

DE CAVSA FINALI

LIBER VNVS

RELIGIOSA ET VTILIS

Philosophorum Peripateticorum, & Medicorum Hippocraticorum, seu Galenistarum, ad Sophiæ palæstram prouocatio.

In qua propositiones quædam radicales exponuntur, quas Author, aduersus Aristotelis & Galeni assectarum insultus defendere, & sustinere parat.

CATHO-

CATHOLICON MEDICORVM CATOPTRON:

SEV

PROGNOSTICON SVPER-Cœleste.

SIVE

PORTIONIS PRIMÆ PARS PRIMA.

De signis prognosticis ex supercœlestium speculatione collectis.

LIBER VNICVS.

SPECVLVM CRITICVM.

Seu

PORTIONIS I. PARTIS II. Membrum Primum.

De Crisium scientia.

LIBER PRIMVS.

De Crisis mysterio.

LIBER II.

De Crisis essentia, & differentia.

LIBER III.

De dierum criticorum, siue decretoriorum inquisitione.

LIBER IV.

In quo meatus, seu viæ explicantur, quibus morbi mediantibus crisibus assolent fugari.

)(4 LIBRI

LIBRI V. MEMBR. I.

De radicali crisis causa.

LIB. V. MEMBR. II.

De speculi ægrotorum critici compositione.

LIB. V. MEMBR. III.

In quo speculi ægrotorum vsus, atq; praxis explicatur.

PROGNOSTICON ARITHmeticum,

PORTION. I. PART. I. Membr. II.

De signis prognosticis superstitiosa Pythagoreorum traditione magis, quam ratione solida stabilitis, atq; innitentibus discurrens.

LIBER PRIMVS.

De Arithmetica diuinatrice.

MEMBR. II. LIB. II.

De Nomandia, siue Onomantia.

PROGNOSTICON METEOrologicum: siue

PORTION. I. PARS III.

Quæ ex obseruatione elementali, prognostica haurit.

CATOPTRI ÆGROTORVM PORTION. I. PARS IV.

Liber Primus.

De morborum cardinalium præsagiis.

PORTION. I. PART. VLTIMÆ

Liber II.

In quo prognostica futuræ ægroti salutis & mortis. 104

CATOPTRI MEDICORVM PORTIO II.

LIBRI I. MEMBRVM I.

De signis complexionum simplicium, tam naturalium, quam præternaturalium demonstratiuis. 111

LIB. I. MEMBR. II.

De signis complexionum compositarum, tam naturalium, quam prætenaturalium demonstratiuis.

PORTION. II. PARS II.

De signis quatuor morborum cardinalium demonstratiuis.

PORTION. II. PARS VLTIM.

Lib. I. Membr. I.

De signis plenitudinis demonstratiuis.

LIBRI I. MEMBRVM II.

In quo de signis obstructionum, & temporum morborum agitur.

CATOPTRI ÆGROTORVM Generalis

PORTION. III. PARS PRIMA. Membri I. Lib. I.

De Iatromathematicæ elementis, siue principiis.

MEMBR. I. LIB. I.

De iis, quæ ad praxin iudiciariam præparant, & immediate conducunt.

MEMBR. I. LIB. III.

De praxi, seu iudicio Iatromathematicæ.

PORTION. III. PART. I. Membr. II.

De Geomantica diuinandi specie, libro vnico comprehensum.

PORTION. III. PARS II. Liber Primus.

De signis morborum tam demonstratiuis, quam prognosticis, & physiognomia tractat.

V. Tra-

PORTION. III. PART. II.
Liber II.

De signis, siue præsagiis Chiromanticis.

PORTION. III. PARS III.

De obseruatione Excrementorum ægroti.
Siue
De Ouromantia, hoc est, diuinatione per vrinam.

OVROMANTIA PHYSIOLOGICA.
Siue
Diuinatio per vrinam introspectam.

LIBER II.

In quo vrinarum essentia describitur.

LIBER III.

In quo vrinarum species, siue differentiæ ostenduntur.

LIBER IV.

De naturalibus vrinarum causis, in membra duo diuisus.

MEMBRI I.

Emble-

LIB. IV. MEMBRVM II.

De vrinarum quantitate.

LIBER V.

Ouromantiæ, siue Diuinationis per vrinam.

MEMBRI I.

LIB. V. MEMBR. II.

LIB. V. MEMBR. III.

In quo Authoris in vrinarum iudicio, methodus explicatur, per quam ipse non modo de morbis, verum etiam de eorum radicibus supercœlestibus, & elementaribus, per vrinæ inspectionem, solet coniecturam facere.

PORTION. III. PART. III. Membr. II.

PORTION. III. PARS IV.

De signis demonstratiuis & prognosticis simul à respirationis actu depromptis.

DE PVLSIBVS.

PORTION. III. PARS III.

DE PVLSVVM SCIENTIA.

LIBER PRIMVS.

De Pulsus mysterio.

LIBER II.

De Pulsus definitione.

LIBER III.

De pulsuum differentiis, tam in genere, quam in specie.

LIBER IV.

In quo tum veræ pulsuum causæ, inprimis, & tum postea differētiæ, quæ in iisdem causis insurgunt, non more Galenico, sed secundum testimonii sacri ritus, vbertim enucleantur, & discutiuntur.

LIBER V.

De morborum per pulsum obseruationem cognitione, seu scientia.

BIBLIOPOLA LECTORI.

SI quid, humanissime Lector, in exscribendis hisce D. Roberti Fludd, Medici præstantissimi, lucubrationibus: vt & Medicinæ Catholicæ opere, vitij irrepserit, tuum erit, non ipsi D. Authori, qui prælo Typographico ob nimiam loci distantiam adesse non potuit, sed amanuensis potius incuriæ, attribuere. Nos sane operam enixe dedimus, ne quantum in opere hoc transmarino, fieri potuit, in effigiandis, adornandis, & collocandis Figuris (vt vocant) æneis, tum ipsa D. Authoris mente consequenda, & typis nostris exprimenda, quicquam in nobis desiderare quis iure posset. Nostrum tu studium beneuole consule, hisque Fluddi nostri lucubrationibus nobiscum vtere, fruere.

PRÆFA-



PRÆFATIO AD LECTORES.

NE noua cuiquam veſtrûm videretur hæc noſtra, de profundiſſimo morborum myſterio diſcurrendi methodus, inprimis ipſum minimè latere, imò verò ſedulò & ſeriò conſiderare velim, quod non ſit iſta de rebus homini præter naturæ leges accidentibus diſceptandi ratio, ideo aut ficta aut imaginaria, quoniam à veteribus non ita radicaliter intellecta, & à recentioribus fortaſſe non ante hunc diem audita aut percepta. Verum enim vero ſi rem iſtam à nobis ingenuè & ad amuſſim hoc in tractatu explicatam intuitu paulò accuratiori introſpiciatis, percipietis quidem, idque oculis (ni fallor) apertis, rem aliter (ac à me in hoc diſcurſu eſt demonſtrata) ſe ſe habere non poſſe: quare non nouam eſſe iſtam de infirmitatibus dicendi atque docendi formulam, ſed omnium antiquiſſimam, non fictam, ſed ipſius veritatis afflatu mihi inſpiratam, vobis & mundo à quatuor mundi cardinibus afflatam; à quatuor (inquam) vaſtæ machinæ mundanæ angulis (tametſi veritatem angulos haud quærere agnoſcamus.) Vtrique mundo tam ſalubres & fauſtos, quàm infirmos atque infœlices ſpiritus ſui ſiue benigni, ſiue irati, ventos afflare ſolet creator. Nam quid, obſecro, à ſpiritu æterno, increato, atque omnium radicali amplius expectare poſſumus quàm ſpiritus & afflatus, qui omnia poſſunt, omnia à potentia in actum, atq; iterum more retrogrado ab actu in potentiam, & quaſi in nihilum deducunt, & iuxta placitum ſuum; tàm in cœlis, quàm in terra, imò quidem & extra mundi iſtius typici limites cuncta gubernare atq; præſtare queunt? Anne rerum omnium radicis paternæ expectatis naturam? Certè ſpiritus eſt hic æternus, omnia afflatu ſuo perficiens. De eſſentiali ipſius Verbi conditione dubitatis? Eſt ſi quidem & hoc ſpiritus lucidus cum patre coæternus, quem ſua radix (quaſi Filium à Patre vnigenitum) afflatu ſuo triuno in mundum hunc typicum emiſit. Si Tertiæ perſonæ ſpeciem inhiatis? Nonne Spiritus erat hic ille qui ferebatur ſupra aquas, igneum illis vigorem & virtutem impertiens? Nonne more venti fortiſſimi Apoſtolis apparebat? Nonne hic cuiuſque vitæ, virtutis atq; exiſtentiæ in hoc mundo author, cùm vt cœli verbo Domini ſpirituali firmati *dicuntur, ita quidem* ſpiritu ab ore eius omnes virtutes eorum? *Quid tum poſtea? Nonne Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnus & idem* Elohim Ruach? *vnus & idem ventus increatus, ſeu ſpiritus radicalis omnia ſpiritu ſuo viuificans, omnia afflatu ſuo lucido animans & creans? Si primum creationis opus reſpiciamus, illud certè nihil aliud quàm ſpiritum à ſpiritu animatum eſſe percipiemus, creatum videlicet ab increato: ſic enim ortus eſt ſpiritus ſeu ventus ille Empyreus, ſiue igneus, cuius forma eſt afflatus, ſeu ventus Dei lucidus, materia verò chaos ſubtile in formam ſpiritus redactum: Sic ergo dictus eſt mundus typicus eſſe illius Archetypici exemplar. Porrò etiamſi Angelorum in hoc cœlo creationem ſedulo reſpexerimus, ipſos quidem eſſe ventos ſimplices ſeu primæ compoſitionis ſpiritus inueniemus: quod etiam videtur Propheta regius in hiſce verbis conſiteri:* Qui facis Angelos tuos ventos, & miniſtros tuos ignes vrentes. *Si ad cœli ætherei myſterium deſcendamus, ipſum quidem nihil præter ventum, ſeu ſpiritũ mediocriter igneum reperiemus, cuius vita eſt ſpiritus angelicus ei à cœlo Empyreo*

Pſalm. *Pſalm.*

aspiratus, siue infusus, mediante quo ignes cœli istius rutilantes huc atq; illuc, ab oriente scilicet in occidentem, fortiter & violenter flante atq; impellente spiritu primi mobili catholico, & ab occidente in orientem afflatu & spiratione spirituum peculiarium, cuilibet orbi in creatione assignatorum vehuntur atq; agitantur: hisce (inquam) spiritibus motu seu cursu naturali huc atq; illuc ducuntur atque moderantur cœli, qualibet nempe sphæra distincto atq; destinato suo tempore & situ. Nec quidem otiosus & quietus remansit in orbe spiritus ille diuinus à fonte lucido in mundi cauitatem perflatus, quin ipse seipsum ad solarem ætheris orbem contrahens, limpidissimum & dignissimum sibi in eo tabernaculum destinauit, mundiq; in ipso animæ vices agendo, lucida sua vitæ spiracula vndiq; per mundi artus, & in quamlibet cùm cœlorum tùm terrarum creaturam liberaliter diffundere atq; disseminare haud desistit. Nec tamen aut Angeli, aut stellæ, aut Sol, aut venti sublunares hæc omnia creaturis afflare bona propriè dicuntur, sed vnicus Deus & indiuiduus spiritus Elohim Ruach, *qui hisce omnibus tanquam organis variis vtens, hæc omnia tàm in cœlo Empyreo & æthereo, quàm elementari, atq; in ipsa terra præstare ac perficere animaduertitur. Variis (inquam) organis vtitur, per quæ ipse qui in se est vnicus & idem diuersa tàm in cœlis quàm in terra operari assolet. Ob istam igitur rationem hic Sapientiæ æternæ spiritus* in se simplex, *& tamē*

Sap. 7. *ob variam & multiplicem in suis organis diuersis operationem* multiplex *à Sapiente dicitur, non aliter quàm in eodem sole variformes effectus producuntur, iuxta variā organi dispositionem, in quo, & per quod agit & operatur, vnde factum est vt quandoq; vrat, quemadmodum in speculo ardente, & in subiecto magis duro, interim alibi calefacit leniter; in subiecto liquido attenuat & euaporat, in illo verò combustibili consumit & inflammat: hîc ergo reficit, illic lædit, atq; in hoc destruit, penitusq; deuorat, & sic in cæteris. Pari etiam respectu Deus agit in vno Angelico organo ad hoc, in alio ad illud: atq; iterum Deus in Angelico organo & per angelicum organon agit in hanc vel illam stellam intelligentiis spiritibusve plenam: tunc stella hæc vel illa cum exercitu suo per copiosos proprietatis istius diuinæ afflatus dominium suum in cœlo habens, excitat in sublunaribus spiritus seu ventos angelicos suæ naturæ aëri dominantes, videlicet Saturnini saturninos qui spirant à septentrione, Iouiales Marte infesto sibi à meridie similes: Martiales ab oriente calidos & igneos: Lunares ab occidēte aqueos, & sic in cæteris: Qui nihilominus angeli seu venti omnes varias suas proprietates, à variis diuini Numinis virtutibus sortiuntur, ita vt ipsi nihil præstare queant, nisi à spiritu seu afflatu diuino (quasi anima interna centraliter agente) qui singulis ipsorum inesse dignoscitur, ad hoc vel ad illud officium obeundum incitentur & exagitentur: hinc ergo est, quod cuilibet Angelorum, nomine ipsis à proprietate ascripto, nomen Dei* El *adiungi soleat. Exempli gratia,* Vri-El, *id est,* ignis Dei. Gabri-El, fortitudo Dei. Rapha-El, medicina Dei, *&c. vtpote quibus essentia diuina inest, & ab intimo eorum meditullio agit, videlicet in igneo spiritu, vnde* Vriel *in robusto tonitruorum spiritu, hinc* Gabriel, *& in spiritu medicandi, quare &* Raphaël. *Ob hanc rationem ait Ie-*

Exod. *houa Israëlitis:* Noli exacerbare Angelum meum, quem mittam ante vos in viis vestris, non enim feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo. *Emittit ergo Deus suum afflatum immediatè in Angelos, quem Angeli recipiunt, & in stellas eum infundunt, stellæ in ventos, venti in aëra aperta, seu commune ventorum medium, quod in huius vel illius meteori speciem siue sit salubris, siue insalubris, iuxta omnipotentem spiritus radicaliter spirantis voluntatem reducitur.*

Quibus ritè consideratis, certum est, quòd licet varia sint subiecta organica, mediantibus quibus voluntas vnius diuina completur, tamen non est nisi vnicus agens, siue operator, qui vnicè ad suam voluntatem perficiendam, vbique, & in quolibet subiecto centraliter spirat, & suo afflatu perficit & operatur omnia in omnibus. Hinc ergo liquet, quod vt Angeli in quatuor angulis terræ constituti, quibus (vt testatur reuelator) ventorum sublunarium dominium est datum, spiritus suos ventosos ad volun-

tatem

tatem diuinam, siue propter creaturarum beneficentiam, siue ipsarum flagellum & pœnam exequendam varieformiter emittunt, in ipsorum tamen quolibet eadem diuinitas indiuidua, & à fonte lucido minimè diuisa inest & operatur, afflatu cuius ipsi sursum & deorsum, antè & pòst, ad dextram & ad sinistram in aëre aperto volant, atque in infinito quasi exercitu siue turma, more inuisibili, idque atomorum instar vbique disseminantur, aërem perturbant strepitumq; in eo faciunt, meteora in qualibet ipsius regione spiritum sublunarem inspissando tam morbosa quàm salubria, idq; in genere & specie diuersa procreare obseruantur, quemadmodum ex pluribus contextus sacri locis colligere fas est. Eadem (dico) inest in huiusmodi ventis angelicis diuinitas indiuidua, quæ à suo fonte lucido & spirituali in spiritus empyreos, & ab empyreis in æthereos, & ab æthereis in illos elementares (quorum radices sunt quatuor venti) descendit, sese dilatat, influitq; liberaliter, non aliter quàm eandem lucem solarem indiuisibilem ab vno in aliud speculum reflexione dirigi, & iterum in tertium à secundo, seu potiùs à medio æthereo in illud aëreum, atque iterum ab illo aëreo in istud aqueum, & sic in cæteris. Quare certum est, ipsum spiritum diuinum omnium principem & summum esse fontem spirituum, seu ventorum cunctorum centralem & quasi rotam, maximè internam, ad cuius motum, seu afflatum, rota secunda mouetur, vt & à secunda tertia, à tertia quarta, & cætera: cùm tamen re vera vis omnium ipsarum in prima & centrali consistit, vtpote qua quiescente, quiescunt & reliquæ magis exteriores, mouente autem ipsa, mouentur & cæteræ.

Hic ergo videre liceat, quomodo Deus, *iuxta Apostoli sententiam,* operetur omnia in omnibus, *& quomodo sit in toto & qualibet parte totius vniuersi, & qua consequenter ratione dicatur omnia implere, iugiterq; conseruare: sic etiam dictum est quod spiritus seu ventus hic centralissimus sedeat super Cherubim, quasi in curru, seu tabernaculo, seu spiritu angelico & empyreo, organóve proximo, in quo centraliter, essentialiter, & radicaliter mouere solet, & per quod in ventos aëreos immediatè agit, eos mouendo, & stimulando, quo, quando, & vbi vult; nam spiritus radicalis vbi vult spirat, ipso nihilominus in se, quasi centro, & per se fixè & firmiter permanente.* Ascēdit (*inquit textus*) Iehoua super Cherubim, & lapsus est super alas venti, & posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas densas de nubibus cœlorum, tonabat ipse de cœlo, excelsus dedit vocem suam, prę fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, misit sagittas suas, & disparuit eos fulgur, &c. *Quibus arguere videtur ipse, quod nec Cherubin Angelicus, nec venti aërei, nec nubes densæ, nec aquæ, nec fulgur, nec ipsæ tenebræ hæc fecerint, hoc est, nec pluuias ex nubibus cœlorum cribrauerint, aut de cœlo tonauerint, aut vocem ediderint ab alto, aut in vllo prædictorum conspectu succensæ fuerint nubes: sed ipse Iehoua permanenter sedens super Cherubim, & volans super pennas venti per Cherubim, & Cherubim mediantibus ventis hæc omnia perfecisse traditur. Quod cùm ita sit, quid, obsecro, de Philosophia Aristotelica est cogitandum, qui hæc omnia contingentia esse, & non ab aliquo interno principio prouenire fingit? Ventos videlicet ab exhalatione calida & sicca, vi solari sursum attracta atque eleuata, & frigore mediæ aëris regionis deorsum pulsa, & lateraliter tum postea per resistentiam factam contra ascendentes exhalationes dissipata esse procreatos opinatur. Nubes à vaporibus calore solis & astrorum sursum attractis atque sublimatis, & frigore mediæ aëris regionis in nubes condensatis: tonitrua ex fractionibus & fissuris nubium: fulgura à calidis & siccis atque vnctuosis exhalationibus nubium cauitatibus inclusis, partimq; per antiperistasin, partim per nubium inter se actionem atque collisionem accensis, & sic in cæteris. Cùm è regione hæc omnia ab afflatu Domini dominorum procedere, idque immediatè sacrosanctus attestetur textus, vtpote qui quamlibet creaturam, sua virtute ineffabili ad voluntatem suam in re qualibet obeundam animare atque exagitare solet.*

2. Reg. 22.

Sic dictum est, Iehouam plaga & morte affecisse omne primogenitum

Ægyptiorũ,*& tamen re vera erat Iehoua in percussore: sic* Iehoua *dictus est* præcessisse Israëlitas in via sua, *& tamen erat Angelus eius, in quo impressum est nomen Iehouæ lucidum: sic Iehoua dictus est propter Dauidis peccatum plaga affecisse Iudæos, & tamen Angelum Iehouæ vidit ipse Dauid eos percutientem in aëre. Denique*
Psal. 104. *spiritus iste omnium spirituum radicalis & princeps,* Elohim Ruach *dictus,* cuncta tàm in cœlis quàm in terris fecisse, *traditur, & tamen sunt eius Angeli validissimi robore, qui verbum eius efficiunt,* Ministri(*inquam*) eius, quorum est facere placitum ipsius: *Angeli(dico) tàm occulti quàm manifesti,* quorum illos fecit(*teste Dauide*) ventos inuisibiles, hos *verò* spiritus igneos vrentes, *tàm perceptibiles quàm inuisibiles, quorum est nihil per se agere, sed ad nutum actus diuini indiuidui, & catholici(qui ipsis inhabitat, & organis quasi primariis vtitur) vbique mouere, o-*
Iob. 38. *perari, atq; agitari,* Volente enim eo fulgura angelica *à throno* emittuntur, &
Baruch. 6. reuertentia dicunt, adsumus. Nubes permeare iussæ mandatui ipsius obe-
Psal. 135. 7. diunt. In voluntate eius spirat notus. Ipse est qui mittit ventum magnum in
Ion. 1. mare, mediante quo tempestatem horrendam in eo excitat: qui naues O-
Psal 48. 8. ceani perfringit Euro: qui vento mare in aridum conuertit, qui dicit, & fla-
Psal. 65. 8. re facit spiritum turbinis; qui efficit vt gelu concrescat, & latitudo aquarũ
Psal. 107. 33 coarctetur; qui pro irrigatione fatigat densam nubem; qui vento suo flauit, fecitq; suo flatu, vt mare Ægyptios operuerit: *Imò verò & infinita alia mirãda & stupenda ad exitum afflatu suo produxit, æternus ille* Deus *noster* Elohim Ruach *ventorum & spirituum princeps, per ventos(inquã) creatos mirabilia & stupenda in naturæ gremio, cùm secundùm, tùm præter naturæ leges, ad exitum produxit, quorum satis superq; meminerunt literæ sacræ, atq; etiam frequens & quotidiana tàm in macro, quàm in microcosmo ea nobis declarat atque confirmat experientia, immensam spiritus diuini in creaturis suis potestatem arguentia. Quibus in maius nobis hominibus innotescit, quòd omnia in isto mundo sint aut venti (quorum vnus princeps est & increatus, alij verò à principe creati atq; animati) aut ex ventis mediatione & actu illius increati producta, compacta, seu composita. Nam quid(obsecro) est subtile nisi spiritus seu ventus, quid spissum nisi subtile inspissatũ? quid inferius nisi illud quod est superius, quid denique superius præterquàm quod est inferius? spissum ratione suæ densitatis raro est grauius, quare ratione naturali deorsùm tendit, at verò spissum illud dissolutione rarefactum ascendit naturaliter & tendit sursùm, estq; nihil aliud quàm spiritus. Iterum aër seu ventus inspissatus fit aqua non mutata eius denominatione, est enim aër densus nihil aliud quàm aqua: nec quidem aqua densa seu contracta atque indurata quicquam aliud, quã terra dici potest: quare vt terra rarefactione fit aqua, quæ est densus aër, sic aqua rarefactione fit aër, qui est densus ignis, vtpote qui rarefactione in igneam migrat naturam. Quibus liquet, quod omne materiale non minus est aër seu ventus tenebrosus, suum à tenebris seu potentia diuina ortum ducens, quàm formale quid totum est ventus igneus seu lucidus, qui suam à fonte lucido* Elohim Ruach *ducit originem: vnde constat, quòd vt omne rarum nihil sit aliud, quàm ventus, aut spiritus, sic quidem omne spissum, cuiusmodi sunt omnes humores, & corpora quæcunq; solida, vtpote ex humoribus conflata, nihil sunt, nisi quid ex ventis seu spiritibus compactum seu compositum, non aliter quàm aqua fluida & pluuialis fit ex aëre, & terra dura ac solida, ex aqua compacta & inspissata, & consequenter tàm aqua quàm terra nihil aliud sunt, quàm aër, qui est ventus seu spiritus variformiter animatus, quippe qui more Mercurij cœlestis aptus est naturã venti cuiuslibet tàm à mundi cardinibus, quàm à suis collateralibus spirantis induere: sed & hoc experientia habemus comprobatum euidente, quoniam in praxi chymiæ solida in humores, & humores in spiritus seu ventos vaporosos dilatatione mutari cernimus: vt quidem è regione venti in humores, ac tum postea humores in solidum corpus contractione coalescunt: sic quidem dilatatione corporalia fiunt spiritualia seu ventosa, cùm hac ratione terra in aquã,*

aqua

aqua in aerem,& aer in ignem transformentur: sic etiam è regione ignis contractione fit aer, vt & aer aqua, ac denique ipsa aqua terra. Hæc ergo est elementorum rotatio seu circulus, mediante quâ factus erat mundus, ipseque cum suis creaturis respectu retrogrado finem suum habebit: vtpote quorum initium erat à ventis simplicibus, medium est meteoron ex illis ventis conflatum, quasi quid imperfectè mixtum, finis autem est creatura completa seu perfectè mixtum: vnde liquet, quòd tàm creatio, quàm generatio fit contrahendo rem dilatatam seu spiritualem mediante meteoro in substantiam solidam, corruptio verò & destructio facta est dilatando rem contractam, seu solidam, mediante meteoro in substantiam spiritualem seu ventosam. Tale ergo est cuiuslibet rei initium, & talis erit ipsius finis: actor verò & author vtriusque est spiritus vnicus diuinus, qui spirat quando & vbi vult, cui spiritus cæteri creati obedire coguntur, vtpote in quo viuunt, quare aspirante, & sic volente ipso cæteri spiritus obedientes ad placitum suum perficiendum aderunt: hæc enim dixit Iehoua quatuor ventis, veni spiritus & insuffla super interfectos istos, seu ossa ista vt reuiuiscant, & *Ezechiel 37* egressus est spiritus in ea; & virtute spiritus istius quodlibet os ad os succrescebat, vnumquodque ad iuncturam suam, & dati sunt super ossa nerui, & succrescebant super eos carnes, & superextensa est in carne cutis, & dictata sunt hæc omnia spiritu à quatuor ventis aduocato; & reuiuebant. *Quo quidem miraculo liquet, quòd spiritus, qui in verbo mouebat (qui spiritus vita est cuiuslibet rei) spiritus seu ventos creatos excitat, tàm ad corpus organicum conueniens, ex spiritu aereo fabricandum, quàm ad ipsum iam fabricatum vitæ beneficio adornandum: nam ventus septentrionalis facit neruos, cartilagines, & cæteras eiusdem speciei partes, quæ frigidæ & siccæ sunt, occidens humores pituitosos, tanquam materia siue subiectum præbet, meridies miscet dissoluendo, & præparando, oriens concoquit & calefacit, denique septentrio ligat hæc omnia cute frigida & sicca: tandem spiritus vitæ ex parte orientis, à qua præcipua vitæ virtus datur, introducitur: quibus euidens est, quòd totum hoc miraculum quatuor ventorum coagmentatione, vno tantummodo spiritu operante est effectum. Præbet ergo materiam aqueam aer ex parte accidentis quatuor ventis aspirantibus, agglutinat & adhærere facit septentrio, miscet atque assimilat meridies, viuificat subsolanus, omnia facit & præstat spiritus vnicus: vnde Iob,* *Iob. 33. 4.* spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificauit me, me fecit sicut te de eodem luto, &c. *Inde arguens (vt ex superioribus colligere fas est) quòd hoc tam inspissando subtile, seu spiritum aereũ in aquam spermaticam, quasi meteoron medium, & illud meteoron spermaticum in corpus terreum seu luteum mutando fuisse completum atque peractum: hinc ergo ait Iob:* Sicut lac fudisti me, & tanquam *Iob. 11. 12.* caseum coagulasti me, neruis texisti me, &c. *Quibus intendere videtur, quod materia consistentiæ humanæ erat in principio subtilis & quasi aerea, cui etiam Galenus medicorũ infidelium post Hippocratem facilè princeps, quodammodo adstipulari videtur, in eo, quod affirmat,* sperma esse quid igneum & aereum: *nam vt oriens & meridies sunt venti lucidi, ita quidem dominium habent in vitam quæ ea luce consistit. Concludimus ergo ex his, quòd compositio sit subtile aereum in densum terrestre, seu domum luteam contrahendo & constringendo, dissolutio verò è regione fit compositum densum & corporeum in naturam spiritualem, seu subtilem dilatando & rarefaciendo. Atque hæ quidem duæ in materia creata conditiones, suum à duplici vnius diuini numinis proprietate initium ducunt, nam vt Deus per potentiam suam seipsum (sic in se contrahendo) abscondit, & se abscondendo creaturam spiritualem contrahit, eamque tenebrosam & spissam efficit (vnde dictum est quòd* densis nubibus *Psal. 147. 6.* obtegit Deus cælos, *& alibi,* expandit Iehoua nubem pro tabernaculo, *& alibi,* densæ nubes vehiculum Dei, seu currus qui itat super alas venti, *& alibi,* coarctat Deus nubes afflatu suo, &c.) *ita quidem in actu suo diuino se manifestando, & dilatando, illud spissum & durum prorsus dissoluit, & liquidum seu aqueum*

[Margin notes: *De tuend. sanit. l. 1. c. 1.*; *Psal. 105.*; *Psal. 104.*]

imprimis, & tum postea spirituale & aereum facit. Quod quidem ex hisce Psalmistæ
Psal. 147. 6. *regij verbis luculentius indicatur.* Deus edit niuẽ sicut lanã, pruina sicut cinerem dispergit, deiicit gelu tanq̃ frusta, coram frigore eius quis cōsistat? *In quib. verbis arguit, quod Deus in cōtractiua sua natura inspissat subtilia, eaq́; indurat, & quod actus talis suæ proprietatis sit frigidissimus, & à mortalib. vix tolerabilis: at vero eius in natura sua dilatante actus est proprietati suæ contractiuæ contrarius, vt pote cuius est ea subtiliare, dissoluere, & planè destruere, seu diuidere, quæ cōtractiua sua*
Psal. 147. 17 *conditione composuit: vnde sequitur in versu sequente,* Emittens verbũ suum dissoluit ista: simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, &c. *In quo ipsius sermone videtur asserere, quòd quicquid ventus septentrionalis perfecit (aspirante Iehoua in proprietate sua contractiua) illud ventus eius oppositus dissoluendo (aspirando verbo eius lucido, cuius est suo calore omnia calefacere & calefaciendo subtiliare & dissoluere) destruit. Hic ergo videtis patefactam binam diuinæ naturæ proprietatem, videlicet illa occulta & abdita, in qua naturam suam lucidam olim emissam iterum mediante suo frigore contrahit, & ad spirituum pellucidorum in corpora opaca & solida, cuiusmodi sunt nubes, nix, pruina, glacies, contractionem agit, at vero in manifesta, lucida, seu calida sua natura, hoc est emissione vultus sui lucidi, more fulguris ex nube exilientis, idque vel in forma visibili vel inuisibili, ea dissoluit, & liquida tum postea dilatando facit, quæ antea erant contracta & solida, atq́; ea pellucida reddit, quæ prius fuerunt opaca, vnde ait,* emittens verbum suum *liquefacit ista: verbum (inquam) suum,*
Psal. 148. *quòd efficitur per ventum angelicum à meridie flantem.* Ventus *(inquit Dauid*
Psal. 103. *alibi)* efficiens verbum Dei, *& alibi,* Angeli Dei (quos *alibi ait* ipsum ventos fecisse) validissimi robore facientes verbum Dei, &c. *His ergo rite consideratis, facillimum erit discernere, quòd omnia non sint nisi vnum & vnum omnia, quæ nihilominus secundum varietatem proprietatis vnius essentiæ diuinæ (quæ pro bona sua voluntate multiformiter mutari solet) variari videtur, eaque varietas integra, in conditione vel contractiua, negatiua, priuatiua, tenebrosa, frigida, & quiescente consistit, quàm priuatio, mors, morbi stupidi, melancholici, aliiq́; tàm terrestres quàm aquei sequuntur: atque ad huiusmodi suæ naturæ absconditæ & occultatæ effectus exercendos, ordinauit in mundo ventos suos tenebrosos & frigidos, septentrionales videlicet & occidentales, vel in conditione dilatatiua, positiua, affirmatiua, lucida, calida, & motu admodum agili, quàm (si sit beneuola) sequitur positio, vita & sanitas, at (si iracunda) parit morbos putridos, æstuosos, atq́; ad istiusmodi suæ naturæ apparentis & dilatantis effectus exequendos, suos in mundo ventos lucidos & calidos, orientales videlicet & meridionales destinauit. Per priores ergo ventos spirando, abscondit virtutis suæ lucidæ efficaciam, omnia reddens gelida, opaca, quasi mortua, & motu plus minusue destituta. Hinc ergo voluntas diuina naturæ viuificæ, priuatio, tenebrarum & desolationis origo, frigoris intolerabilis initium, corã quo (teste propheta nemo consistere potest) quietis & nihili regnum. Per posteriores flando, siue spirando omnia calida, viua & animata efficit. Hinc etiam certum est, quod effectus boni beneuolam numinis diuini voluntatem concomitantur, videlicet positio, & forma in natura, lucis & vitarum principium, caloris naturalis fons, motus & entitatis origo: cùm verò è regione pessimi iram & seueritatẽ ipsius sequuntur effectus, morbi scilicet putridi & calidi multifarij, &c.*

Denique de actionis Dei benedictæ, ad creaturarum salutem & beneficentiam conducentis ratione, & de mystico meteororum salubrium ortu, copiose satis in tractatu præcedenti *disceptauimus:* hoc verò in tractatu *nobis restat, vt de arcano meteororum insalubrium ortu, ac in* primo *loco de generali morborum natura, siue essentia, ipsorum differentiis, ac* tum postea *de causis materiali scilicet, formali, efficiente, ac finali:* in quarto & vltimo *loco de varia ipsis prognosticandi ratione verba satis copiosa, diuino numine assistente, efficiam.*

SECTIO.

SECTIONIS PRIMÆ, PARS PRIMA;

In qua vniuersale raritatis & densitatis mysterium luculenter demonstratur.

Pars prima, Machinæ seu speculi instrumentalis fabricam & vsum designans, in ***Libros tres*** diuiditur: quorum

- ***Prior*** Machinæ experimentalis
  - Fabricam, *Capite secundo*
  - Dispositionem in frigore & calore. *cap. 3. 4. 5.*
  - explicat.
- ***Medio*** per speculum experimentale
  - Causa Efficiens in mundo radicalis detegitur *cap. 2.*
  - Meteororum
    - Opacorum
    - Lucidorum
    - Generatio enucleatur *cap. 3. & 4.*
  - Erronea Philosophiæ Aristotelicæ fundamenta luce clarius reuelantur.
- ***Vltimus***; mediante isto speculo:
  - Comparationem idoneam inter Spiritum Macrocosmicum & Microcosmicum facit: *capite eius 1:*
  - Complexionem & temperiem humanam indicat *cap. 2.*
  - Duplicia Morborum genera videlicet tenebrosa & lucida seu frigida & calida describit. *c. 3.*
  - Animi passionum præternaturalium rationem declarat *cap. 4.*
  - Colorum vrinæ rationem designat *cap. 5.*
  - Morborum curandorum tempora docet: *cap. 6.*
  - Medicamentorum Complexiones explicat: *c. 7.*

PARTIS I. LIB. I.

De machinæ, seu instrumenti nostri experimentalis structura & virtutibus.


PROLOGVS.

T*Ritum est hoc inter Doctores atq; Philosophos digniores axioma*, qui benè distinguit, benè docet: *at nos dicimus, & cum omnium procul dubio consensu asseuerare haud dubitamus, quod qui imprimis ocularitèr demonstrat, & ad amussim tùm postea distinguit, ipse discipulos suos exactè instruat; & sine omni dubitationis alea in viam docendi atq; intelligendi rectam introducat. Ob istam igitur rationem, cùm de morborum, siue rerum præternaturalium subiecto* hoc in tractatu *discurrere mihi proposui, operæpretium fore existimaui, duplicem diuini istius numinis proprietatem, natura inter se oppositam, & consequenter ipsius macrocosmicæ in rarefactione & condensatione conditionis mysterium in* voluminis mei præcedentis initio *solis rationibus & authoritatibus, cùm philosophorum antiquorum, tùm literarum sacrarum explicatũ, etiam in primo huius loco & ordine oculis vestris luculenter indicare, atque viua quasi experientia demonstrare, quo indicio meliori meam, vbi de morbis à contractione & dilatatione mentionẽ fecero, intelligatis atq; percipiatis mentẽ. Verborum ergo circuitione, aut sermonũ multiplicatione vti nolo, sed ad ipsam rem me breuiter sic accingam.*

CAP. I:

CAPVT I.

In quo integra machinæ istius experimentalis dispositio describitur.



Voniam experimentorum multitudo facile in lectoris animo confusionem parere queat, atque etiam iuxta Philosophi sententiam, *frustra fit per plura, quod per pauciora perficitur*: ideo doctrinam istam meam, ad diligentem atque accuratã instrumenti vnius, sæpius à me in voluminibus meis precedentibus, ocularirer demonstrandi causa, expressi, speculationẽ atq; obseruationẽ constringam, quippe in quo & per quod vniuersum naturæ in contractione & dilatatione, hoc est, condensatione & rarefactione arcanum comprehenditur, & digito quasi explicatur. Speculum ergo, seu organon hoc sub eadem forma, & in iusta illa effigie qua iam nunc apud me inuenitur, hoc in loco depictum inuenietis: tametsi hoc ab operatione illius *in fine historiæ meæ meteorologicæ* descripti, atq; etiam *voluminis præcedentis* expressi, minime discrepare, sed in effectu vnum & idem esse agnoscamus. *Speculi nostri calendarij Imago.*

Hoc etiam experimentum in effectu consonans est cum illo in *Principio Physicæ nostræ Macrocosmi Historiæ* expresso, videlicet *in fine cap. 6. lib. 1. eiusdem*: quamuis alii super illam ipsam basim, naturæque rationem, hoc præsens, mutata solummodo machinæ effigie, construxerint, illud suæ propriæ inventioni ascribendo, tamen illud antiquitati ingenue attribuo, quoniam ego illud nostrum in vetustissimo manuscripto annis ab hinc ad minus septingentis conscriptum inueni, quod quidem (si in portiones æquales diuidatur eius tubus) idem omnino in effectu & quasi figura seu effigie apparebit, quod istud iam per mundum in prædicta forma siue fabrica publicatum. Exempli gratia.



Organon istud ideo speculum vocamus *Calendarium*, quoniam tam præsentes, quam futuras aeris mutationes accurate intuentibus, idque per sensibilem aeris in eo inclusi vel rarefactionem vel condensationem, ostendit.

CAPVT II.

De vitri, siue matraciј oblongi colli A. E. præparatione præparatique dispositione.

COlli vasis extremitate B. in manu retenta, extendatur ipsius caput, siue extremitas altera A. ad ignem, quousque illud ita incalescat, vt ipsum manu tua vix præ calore tractare queas: quo facto orificium eius B. in vas aqua plenum immergas, sitque vasis positio talis, vt eius caput A. admodum sic calefactum perpendiculariter (vti vides) emineat: Vas autem istud in tali sua positione ab instrumento quodam ligneo C. D. E. F. quatuor columnis statuminato firmiter sustineatur, videlicet tota ipsius concauitas A. per foramen in machinæ ligneæ diaphragmatis D. g. h. meditullio situm ex parte superiori & eius orificium B. in ea rupis artificialis aquam occulte comprehendentis parte fixatur, quam litera designat I.

Collum autem vaſis vitrei ſiue matracii ex rupis artificioſæ ſummitate emergens in puncto I. vſque ad vaſis ſummitatem K. exurgens in partes 13. 15. vel 17. æquales deorſum à litera I. incipiendo partiri debet, vti in exemplari præcedenti clariùs demonſtratur. At vero vos latere nollem, me hoc in loco aliter graduum figuras in iſto inſtrumento collocaſſe atq; diſpoſuiſſe, quam in *illo voluminis aut penultimi*, aut *vltimi*, idq; conſulte ſatis, & propter rationē quam *infrà* luculenter deſcribemus. Et quamuis in gradus 17. vel 18. collum vaſis ſecare poſſumus, eo quod obſeruamus ipſam aquam ad 17. vel 18. vſq; gradum aſcendere, quando gelu ſit tamen vehemens, vt flumen Tameſin quis ſuper glaciem tuto tranſire queat, tamen in hac noſtra demonſtratione ſufficit, vt diametrum in partes tātummodo 13. diſtinguamus, videlicet iuxta menſuram vnius diametri à tropico ad tropicum deſignatæ, quoniam ſol polis propinquius, quam ad tropicorum eleuationem non aſcendit. Ratio autem exceſſus frigoris hic in Anglia quo progreditur vis frigoris conſtrictiua vltra 13. vſque ad 17. vel 18. gradus, eſt, quoniam eleuatio poli Londinenſis eſt ad gradus 51. mi 40. vnde fit quod loci frigus in ſua extremitate excedat effectum ſolarem in ſua ſtatione æſtiuali. Nos igitur diuidimus diametrum iſtam vitream in duo hemiſpheria, quorū vnum facimus hyemale, alterum æſtiuale. Horum ergo vtriuſque ſemidiametros melioris methodi gratia in gradus 7. diſtinguimus, quorum initium facimus interſectionem illam quam æquator facit in colli medio, ita vt progreſſio fit à colli medio verſus extrema hoc modo. 1.2.3.4.5.6.7. quare tota diameter in partes 13. diſtribuetur, quod quidem ſufficiet, cum in aſcenſu aquæ ad 7. hemiſpherii hyemalis flumen Thameſis incipit congelari: ſed pro integro huius rei intellectu vos ad ſequentia videlicet *cap. huius 5. &* 6. referam.

Aqua occulte ſub rupe ſeu ſcopulo E.F.I. continetur, quam vt mirabilior & iucundior intuenti appareat, ære viridi, vel aliquo alio colore in aquæ marinæ colorē tingere ſolemus.

Plura vero de huius ſpeculi compoſitione hoc in loco proferre nolo, quoniam alibi in voluminibus meis, *vltimo* ſcilicet & *penultimo* verba fecimus ſatis ampla atque perſpicua.

CAPVT III.

De huius ſpeculi virtute & proprietate, & de certa aeris in ipſo incluſi condenſationis ac rarefactionis ratione.

INprimis hæc de iſto ſpeculo, quæ ſequuntur experimenta obſeruatu digna, & non modo à me, verum etiam à pluribus iſtius ciuitatis Londinenſis vſu comprobata diligenti intuitu obſeruetis velim.

1. Si huius ſpeculi aqua ſubito per gradus aliquos in canalis fiſtula, ſeu collo matracii oblongo ſignatos deſcendat, indubitatum eſt pluuiæ immediate venturæ indicium: Exempli gratia, ſi eueniat, vt per gradus 2. vel 3. hemiſpherii ſiue æſtiualis ſiue hyemalis caderet intra 4. vel 5. horarum ſpatium, tunc pro certo intra 12. vel 13. horas pluuiam emittet cælum.

2. Si aqua in vna nocte deſcendat, eſt pluuiæ futuræ ſignum. Neceſſe eſt ergo reſpicere ſpeculum tuum nocte eundo cubitum, atq; iterum matutino tempore, vt variam aquæ diſtantiam diligenter queas obſeruare, nam ſi ceciderit aqua, pluuia intra 12. vel 14. horas vel circiter erit expectanda.

Hic ergo obiter notandum erit, quod quamuis dixerimus ſpiritum ſeu aerem ſpeculo iſti incluſum in rarefactione & condenſatione ſua ſequi anni quartarum diſpoſitionem, tamen aliquando accidit, quod aer ſic incluſus non aliter in raro & denſo varietur, quam aer macrocoſmicus, qui ad cuiuſlibet venti ſpiraculum elementarem ſuam naturam mutare animaduertitur, de cuius quidem mutandi, hoc eſt ſe dilatandi & contrahendi ratione *hoc in tractatu noſtro* præcipue agemus, vtpote quæ tam ſanitatis quam morborum abſtruſa detegit: Cæterum notandum eſt

Quod ſi aqua attigerit gradum in vaſis collo ſemidiametri	Æſtiualis	7.	Denotabit extremam æſtatis caliditatem.
		6. 5.	Aëris temperiem admodum calidam.
		4. 3.	Aërem aliquantulum temperatiorem.
		2.	Quod calidum frigido per vnicum tantum gradum dominabitur.
		1.	Temperiem inter caliditatem & frigiditatē arguit.
	Hyemalis	2.	Quod frigidum ſuperabit caliditatem per vnum gradum.
		3.	Pruinam certam denotabit.
		4. 5.	Pruinam indicat ſtrictiorem atque ſolidiorem.
		6. 7.	Glaciem ſuper flumen Thameſin præſagiet.

At

At vero si propter propinquitatem ciuitatis Londinensis ad polum graduum excessus addamus, hoc quidem conuenienter fieri potest, videlicet 8. 9. 10. 11. quoniam aqua ascendens ad gradum 8. glacies super Thamesin erit validior, si vero ad illum 9. & 10. pertigerit, ita abundabit glacies super Thamesin vt cymbæ illud transire nequeant: si ad gradum 11. & 12. fluminis Thamesis tanta erit glacies & tam solida, vt tam homines quam bestiæ pedibus siccis secure possint illud transmeare. Nobis autem sufficiet demonstrandi causa spatiis solummodo 13. in ista machina nostra instrumentali vti. Hic etiam obiter vos considerare velim, quod tota prædicta in vasis canale alteratio, consistit in ventorum calidorum, vel frigidorum dominio: Nam obseruaui quod tempore præsentis niuis, subito flante Austro, vel Austro Affrico, aqua descendebat à gradu 8. Hemisphærii septentrionalis, seu hyemalis ad gradum fere 3. hemisphærii oppositi, atq; etiam flante Affrico, ad gradum 1. à gradu 5. hyemalis. His igitur intuitu paulo accuratiori consideratis ad physicam huius rei rationem transeundum, atque in serie priori internam descensionis aquæ, ac tum postea ipsius ascensionis causam expiscari aggrediar.

Quam erronea sit eorum, qui credunt aquæ ascensum esse à caloris in capite matracii inclusi attractione, opinio, verbo, & breuiter iam aperiam: nam communis atque vulgaris est sententia (doctrina Aristotelica false seducta) quod vasis calefactio sit in causa attractionis atque eleuationis dictæ aquæ. At re sedulo considerata veritatem longe aliter se habere percipietis, imo vero omnimodo illi Aristotelicæ opinioni contrariam: quippe effectus qualis à frigoris & non caloris natura & proprietate prouenire certum est, atque manifestum: namque caput matracii igni appositum gradatim incalescit, & calefactione aer in ipso comprehensus rarescit & subtilior redditur; atque res quælibet rarefacta locum ampliorem requirit pro sua existentia. Exempli gratia, Aqua vi caloris in vaporem dilatata, pro maiori vel minori suæ dilatationis gradu latiorem & ampliorem requirit locum; quod quidem istiusmodi experimento oculari confirmamus.



Si in bulliendo aquam in isto vase contentam ambo dicti vasis foramina, videlicet ipsius orificii A. & spiraculi B. firme obturentur, eueniet quidem quod obturaculum orificii A. vi vaporis ascendentis, locumque magis spaciosum naturæ & consistentiæ suæ requisitum appetentis, sursum non sine ingenti, instar tormenti bellici, strepitu emittetur atque detrudetur. Porro etiam hoc chymiæ vulgariter versatis, qui vel aquam fortem, vel oleum vitrioli conflare, atque extrahere solent, est optime, idque viua, & quandoque periculosa

 riculosa

riculosa experientia comprobatum, cum in distillatione vnius vel alterius materiæ mineralis libræ, non modo integra recipientis vasti & prægrandis cauitas fumis seu spiritibus rubris impleri cernitur, verum etiam ipsum receptaculum ad recipiendos illos spiritus caloris dilatatione factos non sufficiens, cum fragore quandoque stupendo disrumpi videmus. Pari ergo ratione aër loco aliquo inclusus, & caloris actione simul dilatatus, regionem magis latam atque spatiosam naturaliter sibi vendicat, quam cum in vase, quo continetur inuenire nequeat, & exitum aliquem in ipso inueniat, per quem minori violentia, quam per vasis fractionem penetrare potest, subito aut magis minusue euolat in apertum aerem, pro maiori vel minori suæ rarefactionis ratione, aut materiam libertatem suam in vase impediente pedetentim pro dilatationis suæ gradu ac proportione expellit. Hinc ergo erat, quod in actu calefactionis vasis istius nostri maior aeris inclusi portio ex ipsius orificio B. euolaret, & in aerem apertum euanesceret, in quo aeris inclusi statu, videlicet dum ignis externi ministerio in igneam conuertatur naturam, si vasis orificium B. oppido in aquam frigidam imponatur, frigus externū paulatim in aerem subtilem inclusum irrepens, igneamque eius atque vasis caliditatem gradatim extirpans, in tantum aerem dilatatum & rarefactum sensim contrahere, condensare, eumque dispersum congregare nititur, in quantum caliditas ipsum reddidit subtilem, partesque illius subtiliando dissipauit, est enim frigoris natura ea congregare atque contrahere quæ calidum dissipauit atque dilatauit. Quibus rite intellectis, quam sunt erronea & infirma Aristotelis & reliquorum Peripateticorum fundamenta, quæ male docent, quod virtute caloris & præcipue solaris vaporum & exhalationum à deorsum ad sursum fiat attractio, & consequenter quam à veritate remota sunt eius de meteororum ortu rudimenta, quorum bases statuit esse vel exhalationes vel vapores ex terra & aqua vi caloris solaris atque cæterorum astrorum sursum attractos, neminem mentis compotem latere posse existimamus. Sed de hisce statim plura.

Capvt IV.

In quo frigoris & caloris origo, natura, & operatio, atque etiam tantæ inter ipsos contrarietatis ratio ad amussim explicatur.

SI frigoris originem desideretis, vos sciatis velim, tam ex Philosophorum atque Sapientum, quam Cabalistarum & Theosophorum consensu, *Tenebras esse immediatum noluntatis diuinæ*, seu *Dei latentis*, hoc est *potentiæ diuinæ effectum*, & per consequens priuationis, mortis, peccati, & morborum omnium, imo vero vacui, inanitatis, sterilitatis, ac paupertatis parentes. Quo rectè ponderato iste Sapientis sermo elucebit, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas sunt à Deo: nam sicut diem bonum, ita quidem & malum fecit ipse, &c.* Naturalis harum tenebrarum proprietas est per se quiescere, ratio est, quoniam actus & motus omnis oritur à luce, quæ est *Dei patentis* atque se *reuelantis* filia, seu splendoris diuinæ, hoc est æternæ sapientiæ à fonte lucido emanantis effectus: quæ reuelatio in tenebris nondum erat adhuc expressa, ergo Tenebrę quietem pro naturali sua proprietate sibi vendicant. Quietis vero propago est frigiditas, vnde factum est, quod omnes frigoris actus naturaliter ad quietem tendunt; nam vt lux suo calore spiritum mundanum viuificat, illumque rarefaciendo efficit vt naturaliter sursum tendat & moueatur, versusque circuli peripheriam viuendo, perpetuum à calido interno agente eleuetur, ibique huc & illuc agitetur: ita quidem è regione frigus, sicut fortissimus sui parentis athleta, lucis agonistæ, seu lictoris, motus videlicet actus & effectus destruere atque exanimare aggreditur. Hinc ergo frigus spiritum à calore mobilem & rarefactum, lucisque radiis animatum, frigidis suis amplexibus apprehendit, incrassat, contrahit, & densum reddit, quem (inquam) calor leuem effecit vt sursum in sphæram actiuitatis & agilitatis veheretur, hunc frigus, vt deorsum centrum & locum quietis versus tenderet, ibiq; quasi mortuus acquiesceret, grauem & ponderosum redegit. Ab isto igitur fundamēto oritur perpetua illa inter corpus, seu carnem opacam & spiritum contentio & certamen: hinc peccati origo, hinc tanta & tam immanis inter virtutem & vitium contentio, atque oppositio, hinc certus & indubitatus vitæ atque interitus, sanitatis & morbi, litis & amicitiæ, erroris seu ignorantiæ, atque veritatis & scientiæ, principis tenebrarum & lucis, mali & boni, ac denique cuiuslibet huius mundi contrarietatis ortus & initium; quo subiecto non tantum philosophorum scripta, verum etiam diuinum literarum sanctarum Sacrarium, seu Myrothecium suauissimum plena atque affluentia reperiuntur. In regione ergo contraria, *Lux* est *immediatus voluntatis diuinæ*, seu *Dei patentis, & actus ipsius*

Eccle.11.14. *Eccles.7.14.*

sapien-

sapientiæ effectus, quæ lux est alma positionis, vitæ, iustitiæ, & prosperæ sanitatis, plenitudinis, omnisque copiæ atque abundantiæ genitrix: in hac enim proprietate Deus dat de sua gratia & plenitudine creaturis, & mediante ea res omnes de potentia in actum produxit. Quo bene cognito iste Psalmistæ Regii sermo clarissime elucebit. *Deo dante creaturis colligunt, aperiente manum suam satiantur bono abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, & in puluerem suum reuertuntur, &c.* Vbi per puluerem eorum nihilum siue existentiam potentialem, siue terram inanem & vacuam intelligit. Hinc etiam Iob. *Si Deus spiritum seu flatum*, seu *animam eius ad se reciperet vel traheret, deficeret & expiraret omnis caro simul & in cinerem conuerteretur:* Fons ergo lucis erat ipse Deus se patefaciens, lux autem actum & actiuitate sua motum perpetuum producit, cuius proles immediata est ipsa caliditas, estque hæc validissimus ille suæ genitricis pugil & propugnator, qui contra tenebrarum athleram siue agonistam, frigiditatem videlicet, bellum gerit assiduum: nam vt omnis frigiditatis intentio ad quietem tendit, ita quidem totus caliditatis conatus est motum & actiuitatem multiplicare, & summa ope niti, vt res mortuæ viuant, lucisque animentur spiritu, eæ videlicet quæ quiescunt, & in potestate mortis sunt, & consequenter tenebrosæ, crassæ & compactæ, subtiliando, atque per minima dissipando, vt à centro immobili ad circumferentiam ascendant, hoc est à natura graui & ponderosa in leuem & subtilem, ex rebus mortuis viuæ efficiantur, ac denique à priuationis mortisque dominio ad illud vitæ & positionis exaltentur. Hæc est, inquam, contentio illa quam ordinauit Deus vnus & idem in mole hac macrocosmica inter motum & quietem, materiam & formam (vt pote quæ ambæ à fonte seu proprietate vnius Dei diuersa ortum suum ducunt, videlicet hæc à luce, illa à tenebris) inter lucem & tenebras, leue & graue, amicitiam & litem, generationem & priuationem, seu vitam & mortem, manifestationem & occultationẽ, dilatationem & contractionem, rarum & densum, velocitatem & tarditatem, cœlum & terram, spiritum & corpus, inuisibile & visibile, diem & noctem, realem substantiam & vmbram, verum & falsum, scientiam & ignorantiam, gaudium & dolorem, pacem & bellum, ignem & aquam, sanitatem & morbum, ac denique inter bonum & malum.

Psal. 104. 29.

Iob. 34. 13

Quibus videre liceat, quod omnes creaturæ sint in manu vnius creatoris, qui cum illis faciet prout bonum ei videbitur, videlicet vel secundum eius misericordiam, hoc est in lucida & positiua sua proprietate, qua lucis filios gratia sua lucida beneuole & clementer beare assolet; vel secundum iracundiam & seueritatem suam maleuole & in dispositione sua tenebrosa, in qua faciem suam à creatura auertit. Nam vt ab omni æternitate erat Deus vnus, vel voluntatis positiuæ vel priuatiuæ, quæ nihilominus voluntas in essentia est res vnica, ita quidem ipse ad exemplar sui ipsius mundum vnicum proprietatis diuersæ ordinauit, vtpote qui consistit ex tenebris & luce, & nocte & die, ex materia & forma, ex aqua & igne, ex terra & cœlo, ex grauitate & leuitate, ex quiete & motu, ex deorsum & sursum, ex centro & circumferentia, ex frigore & calore, ex generatione & corruptione, &c. Porro etiam vt Deus comprehendit in se omne quod est, & tamen nihil est eorum quæ sunt & dicuntur, non aliter quam numerus omnis in vnitate, ita etiam in vno mundo hoc typico ad archetypi imaginem condito omnia comprehenduntur, & tamen mundus est nihil eorum, quæ comprehendit & continet: nec dici potest quod eorum quæ in idea diuina sunt creata quicquam sit malum, quoniam totus Deus, & consequenter in ipso quicquid est, bonũ & non malũ reuera est existimandum, cum teste regio Psalte, *tenebræ sunt ei tanquam lux*, vnde nihil ipsi malum, quippe in quo omnia bona, qui est summa & extrema bonitas: quod ergo malum illud respectiue sic dicitur luculenter in eo apparet, quoniam opera tenebrarum omnimodo illis lucis sunt opposita, & per consequens lucis filiis mala, imo pessima videntur, habentur & dicuntur, quare ab ipso Christo vitæ fonte, lucisque filiorum duce & conductore admonemur *nos lucis filii vt ab operibus tenebrarum præcaueamus:* non quod vnitati radicali illa sint mala, quippe quæ est tam tenebrarum quam lucis numen, sed quoniam eius opera vitæ qua viuimus, & illæ futuræ sunt non minus auersa quam tenebræ luci: necesse est ergo vt nos qui de regno lucis sumus in legis lucidæ semitis ambulemus, sin minus non lucis & Dei patentis, sed tenebrarum & huius mundi facti erimus filii, principique tenebrarum, id est priuatiuæ Dei proprietati subiecti, hoc est creationis beneficio priuabimur.

At replicabit (scio) aliquis, siue ex secta Manichæorum, siue alterius scholæ, Quid hoc? *Anne igitur Deus author mali*, qui bonitatis vniuersæ est fons & scaturigo? Cui ego, Idem profecto est tenebrarum qui lucis Deus, nec quicquam ipsi Deo dignoscitur esse coæternum, vtpote qui est sola vnitas à qua omnia, per quam omnia, & in qua omnia, &

quæ fecit omnia, & operatur omnia in omnibus, non aliter quam vnitas Arithmetica, à qua per quam, & in qua consistit numerus qualiscunq;. Quare certum est Deum esse tam tenebrarum quam lucis conditorem & dominum, vtpote cui lux vt tenebræ se habent, nam eius tenebræ reuera sunt pura & extrema lux, in qua non sunt tenebræ vllæ, præterquam in lucis suæ à creaturis occultatione, in qua omnia quoad nos dicuntur & videntur tenebræ, atque ista sua proprietate Deus respectu nostrum dictitatur *latens*, & à Cabalistis *Aleph tenebrosum*, cum nihilominus in se sit simplex, mera & purissima lux, cuius *habitatio est in luce inaccessibili:* sic igitur dicitur Deus agere in tenebris, nempe dum abscondit se, vel auertit faciem suam, & operatur via & virtute luci contraria & iterum in luce operatur ratione tenebris aduersa, videlicet seipsum reuelando & manifestando creaturis: quibus sat liquido apparebit ipsum Deum esse actorem & operatorem immediatum tam in his quam amicitia mundana, & per consequens non esse nisi vnicum rerum omnium principium; quod Manichæorum alteritatem, siue numerum in principio binarium radicitus auffert & in exilium sempiternum relegat; vnde certum est, quod qui tenebras & lucem sua noluntate vel voluntate creauerit in seipso, easque in seipso, hoc est in sua potestate conseruat; ipse omnia operetur tam in tenebris quam in luce.

Anne adhuc incredulitate, ô lector, es detentus? crassi & cæci adhuc sunt tui oculi, vt non videas? visne adhuc obstinato corde respuere quæ tibi vere à nobis perhibentur? Christum à mortuis resurrexisse minime crederet D. Thomas, nisi ipsum digito tetigisset. At sensus visus illo contactus est longe præstantior. Sis ergo (si placet) huius rei testis ocularis.

Nullus actus alienus contra virtutem Dei stare aut durare potest, at actus tenebrarum in pondere, numero & mensura agit contra lucis insultus. Demonstratur hoc ex speculi huiusce obseruatione: nam frigiditas quæ est quietis & tenebrarum proles, condensat aërem, seu mundi spiritum, quem calor, qui est lucis operator, rarefecit, etiam sursum eleuat aquam in machina illa quam calor sua præsentia depressit: nam si manum tuam supra matracii caput imposueris, vel tantillo naturalis in manu caloris aquam in collo vitrei vasis contentam deorsum tendere atque festinare percipies, at vero ablata manu, iterumque paulatim irrepente frigore aquam depressam sursum eleuari, & ad sedem pristinam surgere & ascendere pedetentim inuenies: frigus verum vt supra exprimitur est ipsarum tenebrarum proles, vt & calidum lucis propago. Quicquid ergo tenebræ operantur in mundo, illud sine respectu habito ad quietem, & quietis effectum, qui est frigiditas, operari, & ad exitum proferre nequit, nam cœlum clarum frigoris condensatione fit caliginosum, spiritus mundi subtilis & diaphanus frigore fit crassus & opacus, vti in pruina, niue, nubibus & similibus videre licet: frigore res vita lucida imbutæ congelantur, & calidum innatum extinguendo destruuntur. Denique vita, quæ in calido innato, & humido radicali consistit, deteriorem quam tenebras, seu terræ frigus non habet inimicum. Quid tum postea? Anne hanc ob causam frigora intensa, quatenus vitæ inimicissima absolute mala sunt dicenda? atque ideo à Diabolo, quippe à tenebrarum radice emergentia? nonne ipsa à Deo procedere & emanare credis? Deus nobis melius quam vt in tantam incidamus absurditatem, vt vtramque istius machinæ, & consequenter totius mundi siue maioris siue minoris proprietatem tam in condensatione & incrassatione à frigore, quam rarefactione & subtiliatione à calore, ab alio quam ab ipso Deo prouenire atque oriri credamus.

Sed ne ista etiam tibi dictu rudia, & imaginari ardua adhuc viderentur, textus sacri sensum huic nostræ opinioni astipulantem proferemus, vt ipsius testimonio probemus Deum vnicum tam frigoris intensissimi, quã caloris frigori auertissimi solum esse authorem atque productorem. *Iehoua* (inquid Dauid) *emittit niues sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat, &c.* Quo quidem sermonis filo arguit, non modo frigus, sed ipsius effectus esse à Deo & non Diabolo, à Deo (inquam) in proprietate sua contractiua, quoniam rem in proprietate sua dilatatiua, seu rarefactiua productam, in ista sua proprietate contrahit, constringit, coarctat, & congregat, aerem nempe subtilem, siue aquam rarefactam in existentiam primo aqueam, vt in nubium & pluuiarum procreatione videmus, deinde aqueam ex aere compactam in terream, vt ab effectu in textu prædicto expresso videre licet. *Emittit* (inquit vates) *niues sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, &c.* Quibus euidens est, quod actu contractiuo opus istud fit & non rarefactiuo, quoniam aërem (qui res est inuisibiliter dilatata) primum in nubem visibilem contrahit, illamque tum postea in aquam seu pluuiam, & aquam denique in grandinem, niuem, gelu, pruinam, quasi in existentiam terream. Quod autem hanc suam proprieta-

*Psal.*147. 16.

tem

tem exerceat Deus in latente sua dispositione, hoc est quatenus in tenebris delitescit, & quiescit, ab effectu concluditur: nam quod facit tale, in ista sua actione est magis tale, at Deus ex re, admodum mobili, fecit rem immobilem & fixam, videlicet ex aëre & aqua niues, pruinas & gelu, hoc est, de re diaphana & pellucida in rem opacā & caliginosam, de re subrili in rem grossam & densam, de re leui in rem grauem & ponderosam, de re calida & aerea rem frigidam & terream, de re lucida & cœlesti in rem tenebrosam & terrestrem mutauit. Denique hæc omnia fecit virtute contractiua, quæ si extendatur, naturæ & vitæ infestissima atque intolerabilis facta est, nam *coram frigore eius* (ait Psaltes) *quis consistat?* Quare euidens est, quod nobis valde mala, quippe naturæ oppositissima videtur hæc frigida diuini numinis dispositio, cum vero Deo (qui eum pro placido creare solet, vt istiusmodi producat effectus) admodum videtur esse bonum, & ad verbum tuum perficiendum ordinatum atque accommodatum.

Nam *ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum* (teste Psalmista) *faciunt verbum Dei:* *Psal.* 148. 8. *& vir patiens agnoscit quod frigus, glacies, pruina, nubes, fulgur, quicquid præcepit Deus ipsis facien-* *Iob.* 37. *dum in superficie orbis terrarum,* siue ad flagellum, siue ad beneficentiam id protinus *perficiunt, &c.* Nonne ergo Iehouam in ista sua proprietate contractiua, Deum latentem, dominum & principem tenebrarum nuncupabimus, quatenus in omnibus cum natura tenebrosa in isto suo actu conuenire videtur? Ecce virtute & spiritu suo frigido imprimis vtitur in hoc suo progressu: *coram frigore eius* (ait textus) *quis consistat?* Et Iob. *Deus fortis flatu suo edit glaciem, & latitudinem aquarum coarctat, &c.* At frigiditas est quietis propago, quies *Iob.* 37. vero tenebrarum filia, vt tenebræ numinis & radicis diuinæ. Quare Deus hoc suo afflatu infrigidat, incrassat, obtenebrat, quiescere facit, & in summa omnimodo lucis actionibus mediante eo se opponit. Quidni ergo in ista sua proprietate tenebrarum Deus est dicendus in latente contractiua & frigida sua conditione, vt in illa huic opposita Deus lucis, in qua ea omnia rarefactione destruit, dissoluit, & dissipat quæ in contractiua illa congregauit atque coagulauit? quod etiam videtur propheta in textus antea citati consequentia optime confirmare. Textus: *Iehoua emittit niues sicut lanam, pruinas sicut cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore suo quis consistat? emittens verbum suum* *Psal.* 147. *liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ.* Quibus verbis denotat, quod idem 16. Deus, seu eadem in essentia diuinitas, duplici proprietate prædita, quarum vna est alteri opposita, mundum istum totum, ex dictis contrariis quasi luce & tenebris constitutum multiformiter in subtilitate & densitate gubernet: atque hinc in vnico medio communi spiritu videlicet mundano facta est vnius elementi in aliud mutatio, quam philosophi sapienter raturarum notationem dictitarunt. Vt autem hæ duæ proprietates sunt natura & conditione sibi inuicem contrariæ, ita quidem oppositos in vtroque cosmo locos & situs sibi vendicare obseruantur: nam vt vnius proprietatis afflatus è regione Boreali à luce mundi visibili, sole nempe, remotissima effectus rigidos mundanis aspirare gestis, bellumque perpetuum contra ventum sibi oppositum facit; ita ille alterius è meridionali, seu potius æquinoctiali regione, vbi sol domini æterni tabernaculum, præcipuum gerit dominium, suos calidos emittit flatus, & igneo suo spiramine frigiditatis borealis opera contractu dissoluit in madorem, atque ita à mutua extremorum duorum elementorum, ignis videlicet & terræ, oppositione elementa producuntur intermedia, videlicet aquas, si afflatus ignei in gelidos terræ seu septentrionis effectus fuerint debiles, & Aër, vbi fortior euadit, & profundius penetrat virtus ignea. Hinc ait textus antea allegatus, *Emittit verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aquæ.*

Ex his ergo considerare debemus, quod quamuis variæ spiritus sapientiæ æternæ actiones, in mundo iuxta naturam terræ & cœli opaci & pellucidi, densi & rari, grauis seu ponderosi, & leuis, quæ iterum in gradus tum postea distinguuntur quatuor, quos elementa vocant, quæ à ventis oriuntur & distinguuntur, tamen ille spiritus est in sua essentia tantum vnicus & vniformis. Atque hæc est ratio quod à Salomone hic *Spiritus* dictus est *simplex & vnicus,* & tamen *multiplex*, vnicus videlicet in essentia sua di- *Sap.* 7. uina, multiplex vero ratione proprietatum suarum, quæ multiformi ventorum cardinalium afflatu quatuor elementa primordialiter constituente, & ipsa assidue renouante & sustentante discernuntur.

Hinc, inquit Propheta, *à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, &* *Ezech.* 37. *reuiuiscent, &c.* Non dicit venite spiritus, sed veni. Quibus arguit, quod vnicus spi- 9. ritus vim & proprietatem quatuor ventorum natura & positione oppositorum comprehendat in se, cum tamen eorum nullus existat iste spiritus; sic omne quod est in Deo

Deo, vt numerus in vnitate vel pars in toto continetur, cum tamen certum sit ipsum nihil esse eorum quæ in ipso comprehenduntur, non minus quam numerus aliquis sit dicendus vnitas. Vt ergo spiritus iste sit vnicus & simplicissimus in sua essentia, ita quidem gratia proprietatis suæ multiformis est, & vt Orpheus & Pythagorici asseuerare haud erubescebant *omnia esse diis plena*, quos *omnes vnico Ioui*, quasi omnes radii solares vnico soli, *referebant*, ita omnes radii istius spiritus diuini secundum diuersitatem effectus, vnius voluntatis æternæ dicunt proprietates, quæ quatenus emittuntur à sede æterna ad maiestatis sempiternæ mentem & mandata obeunda & præstanda, ita nuncii & angeli haud iniuria dicitantur, qui iuxta officii & functionis suæ proprietatem varia sortiuntur nomina: hinc à Theosophicis Cabalisticis, *Vriel* quasi ignis Dei dicitur dominium in plaga Australi habere, vtpote in cuius officina cuduntur, & ab ea tū postea emittuntur flatus Dei calidi, qui vim habent flatus *Gabrielis*, siue plagæ septentrionalis præsidis dissoluendi & destruendi: simili plane actione vicissim inter se operantur *Michael* à plaga orientali, & *Raphael* ab occidentali, & tamen reuera non sunt nisi vnicus spiritus, vtpote vnius essentiæ, tametsi proprietate multifarius. Hinc dictus est Christus (qui *implet omnia* vt testatur Apostolus) hoc est *æternæ sapientiæ spiritus*, quem Cabalistæ *Metattron*, & Platonici *mundi animam* vocant, *angelorum omnium caput & princeps*, quippe in quo omnes angeli, tanquam rami multi in trunco vnico, aut radii infiniti in sole vno dependent. Hinc tritum illud dictum, *Iesus nobis omnia.*

Ex dictis ergo sat liquido discerni potest, quod à Deo radicali, seu vnitate simplicissima immobili orta est sapientia æterna, seu emanatio claritatis Dei patentis, omni re (vt testatur Sapiens) mobilior & agilior, tanquam arboris truncus à sua radice, vel flamma à natura occulta in ligno, atque tum postea à fonte dictæ sapientiæ cæteri procedunt nuntii angelici, qui omnes primo creationis die boni immediate post æternæ sapientiæ emissionem sunt creati, nec non & eorum actiones omnes sunt bonæ, quatenus per ipsas faciunt placitum sui creatoris, at vero respectu passionum bonarum vel malarum quas in creaturis hisce inferioribus infligunt, mali vel boni sunt à nobis æstimati: Cū aliqui naturis humanis maleuole, alii vero iis beneuole afflare, atq; spirare in mundo dignoscuntur. Hinc venti meridionales contagiosi à medicis tam antiquis quam modernis esse obseruantur, septentrionalis phthisicis & doloribus lateris infestissimus, Eurus calore igneo adurens & nocentissimus, quatenus fructus & aera admodum desiccat: at septentrionalis ex altera parte fugat & tollit pestes, & corruptioni meridionali aduersatur, orientalis seu subsolanus vitæ est propitius, idque præcipue si eius caliditas & siccitas ab afflatu occidentali temperetur & sic in cæt. Hinc ergo perspicuum est, quod Deus omnes suas proprietates mediantibus organis suis angelicis exercere assolet, tametsi earum impressiones quandoque male à creaturis quibusdam recipiantur.

Concludimus igitur ex obseruatione & testimonio proprietatis duplicis in hac machina experimentali expressæ, videlicet frigoris & caloris, mysteria tenebrarum & lucis optime enucleari, & probatur, quod vnicus spiritus & eadem diuinitas, sed in proprietate multiformis, sit tam tenebrarum quam lucis, tam terræ quam cœli, tam ponderosi quam leuis, tam grossi quam subtilis, tam priuationis quam positionis, tam mali quoad nos quam boni, tam mortis quam vitæ, tam morborum quam sanitatis fons, origo & author: quæ omnia ad exitum producit vel per effectum frigidum vel calidum mediantibus suis organis angelicis emissis, iuxta illud Apostoli, *Deus operatur omnia in omnibus, quippe à quo, per quem, & in quo omnia.* Quare certum est Deum tam ad sanitatem quam ad infirmitatem proprietate sua duplici, videlicet frigida boreali seu contrahente, vel calida Meridionali, seu potius æquinoctiali dilatante agere atque operari, quas eius in macro & microcosmo ad meteora tam salubria quam morbida procreanda actiones exactissime in isto instrumento experimentali quasi oculari veritatis penicillo in parte delineauimus, & adhuc infra planius & perspicuius depingemus.

CAPVT

CAPVT V.

Quod per instrumenti istius in raritatis & densitatis obseruatione adminiculum, totius machinæ macrocosmicæ, seu mundi spiritus, in orbes, regiones, elementa diuidendi ordo, numerus, pondus & mensura succincte enucleantur, ventorum actiones & proprietates reuelantur, meteororum generandorum mysterium retegitur, quartarum denique annuarum in temperie vel intemperie accidentia, & ipsorum caussæ demonstrantur.

PRiusquam machinam hanc nostram experimentalem, spiritumque in ipsa contentum, simul atque agentium & patientium in ea proprietates cum illis machinæ macrocosmicæ comparem, dubio cuidam imprimis respondere necessarium fore existimo, quod nisi clarissime resoluatur & auferatur, relatio seu comparatio talis ignorantibus impossibilis fortasse aut valde impropria videbitur. Obiicient ergo (scio) haud pauci, inter machinam istam nostram & illam mundi maioris nullam conuenientem fieri posse comparationem, quoniam spiritus aereus vndiquaque in vase nostro arcte includitur, & secundum regularem vasis figuram moueri cogitur, qui tamen aliter longè sese in vasta mundi cauitate habere solet, quippe in qua aer vel spiritus facillimè omni impulsu huc atque illuc libere moueri potest, vt in quotidiana ventorum spiratione apparet. Quibus ego, quod eadem sit motionis & rotationis à denso in rarum, & è regione à raro in densum ratio in subiecto paruulo quæ in maiori modo si æquali pondere, & proportionali mensura, pares respectus in calore & frigore habeantur. Imo quidem audacter asseueramus, quod vniuersus mundus; seu ouum mundanum spiritu seu aere eodem modo repletur & in respectu haud dissimili, quo vas seu vitrum hoc artificiale; nam aliter vacuum sequeretur in rerum natura, quod quidem esset absurdissimum credere, quippe impossibile. Est igitur spiritus in pari quantitate, pondere & proportione in concaua huius instrumenti superficie ac in illa tam macrocosmi quam microcosmi. At vero experientia docet, quod eadem natura siue sit calida; siue frigida, quæ qualibet anni quarta in spiritu cosmico regnare ac dominari solet, eosdem in rarefaciendo & condensando aerem vase nostro conclusum producit effectus, quos in vasto mundi spiritu seu aëre macrocosmico procreare dignoscitur, vt *supra* declarauimus; nam quo magis temporis status temperie vel intemperie calida abundat & viget, eo etiam ob aeris inclusi subtilitatem depressior erit aqua in collo vasis, quo verò magis frigoris inclementia aërem vrget & premit, eo altius exaltabitur ipsa. Atque hæc est ratio quod per speculi istius calendarij obseruationem aëris in mundo & per mundum expansi mutationes nobis intuentibus innotescant. Hoc igitur dubium veritatis quasi latice sic abstersum atque expurgatum ad propositum nostrum gradu festino properabimus.

Vt Deum radicaliter vnicam, solam, atque simplicem in se & per se fuisse essentiam *in præcedentibus* explicauimus, ita quidem ad imaginem sui rem vnicam gloria sua ornatam, & lucido sapientiæ suæ æternæ vultu & aspectu efformatam creauit, quam ob suam ipsius pulchritudinem & munditiem mundum appellari ordinauit. At vero vt diuinam istam naturam numero vnicam & indiuisibilem, in proprietatem binam, nolentem videlicet & volentem distingui placuerit, quarum vnione tertia tum (personas quidem sacrosanctas tres in diuinitate vnica & indiuisibili hac diuisione producendo) parturitur: nam radix rerum omnium primaria & vnica se in potentiam diuinam distinxit in qua delitescit, dictaque est Deus latens, atque actum diuinum quo se patefacit, & nuncupata est Deus patens siue emanatio sancta, sapientia æterna atque verbum lucidum: ita quidem macrocosmus hic noster numero vnicus, ad simplicitatem vnitatis sui creatoris factus geminam in se naturam videlicet vnam tenebrosam, & quasi nolentem & priuatiuam, quæ quieti & dispositioni informi est deditissima, in cuius ventre vniuersi mundi materia delitescit & occultatur, quæ semel ex tenebrosi chaos ventre deducta, atque virtute actus diuini edita aquarum nomen sortita est. Atque hæc quidem mundi materia aquea mundi cauitas, à centro ad circumferentiam vsque tam exacte repletur, vt nullum omnino in ea vacuum sit reperiendum. Altera autem natura est lucida, voluntaria & positiua, quæ motui, actiuitati, & creationi est aptissima, cuius essentia & actus est ipse *candor maiestatis diuinæ, seu emanatio claritatis omnipo-*

tentis, cuncta creans omnia coram sua radice componens (vt testatur Salomon) harum autem duarum vnione mundus vnus typicus & quasi principiatus ad imaginem archetypi seu principij radicalis est factus, ita vt ad imitationem progressionis personarum in Trinitate sacrosanctarum, ex vna radice egressa duo, natura scilicet potentialis ex parte materiæ, quæ est propago tenebrarum, & natura actiua ex parte formæ quæ est proles lucis; quarum vnione mundus vnicus in materia & forma completur & in creaturam vnicam redigitur: nam vt materia mundi aquea in se est vnica & indiuisibilis, tamen lucis diuinæ actiuitate, seu spagyrica verbi Dei separatione in regiones varias natura differentes distingui videtur: nisi enim Deus ex naturis oppositis mundum constituisset, nullus quidem foret in mundo differens aut distinctus ordo, sed omne quod in eo erat vnum & idem foret. Atque hæc est ratio, quod vnus Deus indiuisibilis se in proprietatem primùm geminam dilatauerit, & tandem eas in vnum iterum reduxerit; inde arguens quod vt omnia ab vno progressa sunt, ita quidem ipsa & consequenter omnis oppositio & contrarietas per vnum erit in vnum & idem iterum redacta, quoniam ab vno omnia duo sunt facta, inuiolata tamen manente vnitatis integritate, & à duobus iterum in vnum iterum reuertentur, non aliter quam à puncto circuli fit progressio, in qua fit terminus à quo ad quem, quousque iterum in punctum eundem reuertatur punctus, nec inuenitur principium neque finis, nec diuiditur, nec numeratur, quare in se est quasi æternum: at si ab eo fuerit ad circuli compositionem emanatio; seu à centro ad peripheriam statuendam motus, tunc quidem dyadem inuenimus in monade effluentem, velut hic in A. & B. A *Radix.* B *Emanatio.* At vero si peripheria circini rotatione perficiatur, tunc iterum dyas in monadis naturam reuertetur ☉ & erunt omnes puncti qui ab vno illo puncto ad figurandum mundum sphæricum effluxerunt, non nisi punctus vnicus; indiuisibilis, ingenitus, sine principio & fine, quare non aliter in fine permanebit ipse vnus & idem sicut erat in principio more isto: quare vt ab vno omnia, sic necesse est vt omnia ad vnum puncti in circulum dilatati contractione in se reuertantur: quo bene considerato facillimum erit colligere quomodo in principio omnia idealiter essent in Deo, & quomodo à principio, hoc est creatione facta Deus sit omne quod est, iuxta illud poetæ, *Iupiter est quodcunque vides, quocunque moueris*; & quomodo Deus sit cuiuslibet rei centrum, cuius circumferentia est nullibi; quomodo iuxta Apostoli sensum *Deus operetur omnia in o-*
1. Cor. 11. Act. 17. Rom. 11. *mnibus, quomodo in Deo ipso viuamus, in Deo mouemur & in Deo sumus.* Denique quomodo à Deo, per Deum, & in Deo omnia hoc est omnia primordialiter à Deo, qui est *Ensoph*, id est, infinitudinis fons deriuantur; omnia per Deum formata, ordinata, sustentata, & ad principium à quo introducta: Omnia denique in Deo suum actum, vitam & motum, imo vero & existentiam integram habent. Vnde Apostolus (antea citatus) *In Deo viuimus, in Deo moue-*
Act. 17. Psal. *mur & sumus:* Sed & hoc quàm paucissimis propheta regius: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum, &c.* Vbi Dominus est radix à qua verbum, vt à verbo omnia, verbum est aquarum ordinator, in regiones & sphæras, quarum diuersitate res in mundo diuersæ & conditione variæ fabricantur: spiritus à radice & verbo emanans est cuiuslibet creaturæ, virtutis, vitæ, vegetationis & sustentationis author, cuius mundificatione spagyrica creatura tandem à suo nihilo separabitur, & inuiolabili amoris nexu cum suo primo puncto seu origine vnietur: Sic, inquam, aqua vniuersalis vnitis homogeneæ naturæ & tenebrarum filia in constitutionem multiformem operante luce & igne diuino redigitur, cuius rei ratio est huiusmodi. Tenebræ, quæ sunt potentiæ diuinæ, seu Dei latentis effigies compactæ sunt ex materia inuisa seu potentiali, quæ adhuc nec frigida, nec calida, nec humida, nec sicca est appellanda, quoniam frigiditas non habuit suam denominationem, nisi, respectu caliditatis cui opponitur; at caliditas adhuc non apparebat; quoniam nondum effulsit lux: imo vero nec tenebræ suam adeptæ sunt appellationem, nisi comparatione habita ad lucem, quæ adhuc in sinu æternæ suæ radicis latebat: quare ante creationem nihil sibi nomen vendicare potuit. Materia igitur in Chaos tenebrosi visceribus abscondita, apparitione lucis protinus parta est, atque vt hæc erat pansophica quidem tenebrarum filia, ita quidem ad quietem naturali sua dispositione est inclinata atque disposita; vtpote motu omnino, quippe luce, destituta. Hinc ergo istius primogenita essentia, videlicet frigiditas, viuo lucis contactu ex tenebris exurgit, & se patefacit, materiamque Chaos filiam associare non desistit, ipsamque pro viribus suis aduersus caloris insultus defendere nititur: hinc ergo frigida ista tenebrarum natura & proprietas imprimis sese reuelauit, & frigiditas dicebatur. Anne hæc in re hæsitare videris incredule? contractiuam respicias velim instrumenti nostri conditionem, quæ circa materiam & densam & tenebrosam præcipue versatur. At si huic obstinato seductus corde fidem adhibere nescis, respicias, oro terram hanc mun-

mundanam, opacam, densam, materiæ multitudine compactam, aquarum fæcem, tenebrarum sedem, quæ talis est facta ob ipsius à cœlesti calore longinquitatem. Quod autem ista opulenta tenebrarum & materiæ massa sphærica sit pars totius mundi frigidissima, probare non est opus, stultorum enim & insipientium sensibus perspicuum est: similiter mundi polum à sole remotissimum (arcticum scilicet) effectus producere caliginosos, terrestres, quietos, atque in intenso gradu frigidos, etiam brutos, & ratione plane destitutos haud latet. His igitur sat liquido constat materiam tenebrarum esse in sua natura vnicam, æqualem, quieti naturaliter addictam, & in essentia sua frigidissimam, quæ post partum suum obstetricante sapientia, seu verbo dicta est aqua. Vnde Genesis, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hinc ergo vniuersam habetis mundi materiam, ex diuinæ potentiæ sinu spagyrica & ignea Verbi virtute à potentia in lucem & actum editam, quem quidem partum poëta Pronapis in eius protocosmo more mystico in hunc sensum describit. *Demogorgonem* æternitate, & chaos circumseptum fingit, qui in æternitate illa fœlicissime quiescens tumultum ingentem in ventre ipsius Chaos excitatum sensit: quaprotcr ei opem ferebat, manuque admota chaos ventrem aperiens, *litigium* prodire effecit, quod turpi & deformi ore seu vultu præditum, dum maximas turbas excitaret, & sursum euolare contenderet, à Demogorgone in imum fuit detrusum: verum cum sudoribus & suspiriis ardentibus puerpera miserabiliter adhuc grauaretur atq; opprimeretur, Demogorgon è ventre ipsius partu secundo *Pana* eduxit, cuius maxima pulchritudine, & egregia forma impulsus eum curæ familiari præfecit, &c. Hic erat fabulæ ipsius sensus. Vbi per litigium tenebrosum, chaos fæces à puriori ipsius substantia diuisas seu separatas arguit, per Pana vniuersalem naturam humidam & aqueam ex chaos genitam ac in lucem editam: per Demogorgonem in æternitate quiescentem arguit Deum patrem per Verbum suum seu æternam Sapientiam (quæ & æternitas nuncupatur) partum ipsius chaos obstetricantem, & grossum à subtili separantem. Hac ergo ratione materiam aqueam, seu naturam humidam & passiuam ex vna parte è ventre chaos editam habemus, euius proprietates superius luculenter expressimus. Iam vero ad prolem illam è ventre seu sinu æternæ lucis editam & emissam, quæ est interna & essentialissima omnium materialium forma & actus, paucis discurram.

Deus ille optimus maximus qui est omnium radix & origo, vtpote in quo omnia ante omnem creationem erant in potentia hoc est complicite & idealiter quamuis non explicite & typice descripta, non aliter quam ingens arbor occulto more & potentialiter in semine vel nucleo comprehendi obseruatur: hic (inquam) Deus omnipotens, hoc numen immensum, vt occultum fieret manifestum, hoc est, vt icones in ipso ideales typice tanquam penicillo igneo seu lucido depingerentur, seu in materia mundi crystallina insculperentur, ineffabilem suam in se reflexam, atque absconditam formam lucidam iam reuelauit in tenebris, & *omnia* (vt testatur Mercurius Trismegistus) *subito in lumen conuersa sunt iucundissimum:* atque ita Deus latens, seu *Aleph* (vt Cabalistæ volunt) *tenebrosum* in *Aleph lucidum* est conuersum. Hanc emanationem paginæ sacræ *Verbum* & *Sapientiam* nuncuparunt, cuius actus & acumen est tam penetrans, & in operatione sua validum, vt nihil possit ei resistere, vnde Apostolus, *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus.* Et Salomon ait, *Spiritus sapientiæ* (qui est emanatio & fluxus quidã claritatis omnipotentis Dei) *est omnib. mobilib. mobilior, & attingit vbiq; propter suam munditiam, & cum sit vnus omnia potest, & permanens in se omnia innouat, omnemque habet virtutem.* Vt ergo materia aquea è visceribus chaos extracta appetit naturaliter quietem, & frigiditatem atque etiam densitatem proportionalem suæ genitrici caliginosæ, & ob istam rationem naturaliter tendit deorsum, vti per terrarum positionem optime declaratur; ita quidem è regione forma microcosmi ignea, è fonte lucido scaturiens atque emanans naturaliter ad motum & actiuitatem inclinat, mediante qua caliditatem, fortissimum aduersus frigiditatem propugnatorem gignit, nam vt frigiditas est quietis pugil, ita quidem strenuus motus athleta est caliditas: sapientia quidem emissa, suo motu (est enim omni re mobilior) procreat calorem qui sua agilitate tenebrosam chaos massam penetrando, bellum acerbum contra frigiditatem gerit: sic quidem proprietas Dei lucida contendit cum illa tenebrosa, lucis motus perturbat tenebrarum quietem, quies exponit suum agonistam frigiditatem ad resistendos propugnatoris motus insultus: atque hæc erat primordiale litis mundanæ & dyadis seu vnitatis confusionis initium, ac tandem victoriam sibi comparans, inuictissimum Dei verbum lucidum, fæcesque aquarum tenebrosas ab ipsius puritate separando, amicitia & ordo in mundo magis magisq; vigebat, nam in primo loco opifex iste magnus & Dedalius vniuersas has aquas ita perturbatas in duo diuisit, quæ vocauit *cœlum* & terram, cum (teste Apostolo) *cœli erant prius & terra de aquis, & per aquas, consistentes verbo Dei.* Et Iehoua ait, *Manus mea fundauit terram, dextra mea mensa est cœlos, &c.*

Pim. 1.
Heb. 4.
Sap. 7. 22.
2. Pet. 3.
Isai. 48.


Ratio autem istius operis, hoc est reductionis aquarum homogenearum, atque æ-
quilibrium in orbes & sphæras spissitudine & tenuitate differentes; est, quoniam vbi in
hoc mundo diuina sapientia est magis præsens; ibi potentius agit eius lucida virtus in aqua-
rum massa, quoniam cum ipsa sit omni creatura lucidior, sequitur quod sit omni re mobi-
lior, at si mobilior, ergo & omni re agilior, & consequenter omni re in suo actu calidior
& efficacior. At quo magis caliditatem suo motu in aquarum mole generat, eo magis
repellit, propulsat & deprimit hostiles frigiditatis insultus, aquasque rarefaciendo sibi
subiicere, & in suam naturam reducere nititur: vnde manifeste liquet, quod vbi magis est
spiritus sapientiæ, seu verbi Dei lucidi præsentia, ibi subtiliores & rariores sunt aquæ, vbi
Psal. 97. minus ibi densiores & grossiores, imo quidem *ad ipsius præsentiam montes dicuntur vt cera li-
quescere.* Atque hinc imprimis factum est, quod prima & generalis aquarum *partitio erat*
Gen. 1. *in cœlum & terram:* vnde Moyses, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & Isaias, ore Dei;
Isai. 44. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum, &c.*
Prou. 8. 27. Salomon; *In cœlorum structura aderat sapientia; & cum Deus stabiliret fundamenta terræ, erat
sapientia apud eum cuncta componens.*

Deinde facta est generalis ipsorum cœlorum, seu aquarum mundi rarefactarum di-
uisio in tres portiones, vnde cœlum Empyreum, vtpote Dei & angelorum sedes est por-
tio omnis aquarum massæ subtilior, quippe cuius substantia propter lucis suæ exuperan-
tiam est tota quasi ignea & lucida, & pro luce prima creationis die facta habetur: vnde eius
substantia gratia suæ subtilitatis est omni re penetrantior: atque hæc est ratio, quod substan-
tia angelica, atque anima humana more fulminis res omnes sine resistentia penetrare so-
leant. De tertio hoc cœlo mentionem facit D. Paulus, quippe *in quod* fatetur *se fuisse ra-*
Psal. 68. 3. 4. *ptum in spiritu*; Et Psaltes, *Deus insedit cœlum cœlorum antiquorum, elustrans mirabiliter è*
Psal. 75. 4. *montibus æternis.* Et Iob; *Deus excelsior cœlo est, & super stellarum verticem sublimatur.* Tum postea
Iob. 22. 12. regio æthærea succedit, in cuius substantia quamuis sapientiæ æternæ virtus non adeo abun-
dat ac in priori, in ea tamen æquiparare videtur materiæ consistentiam, & frigiditatis
oppositiones superat: vnde factum est vt ab ista regione vitæ vis in creaturas inferiores
liberaliter & abunde impluitur. In regionis huius centro videlicet in pulcherrimo & ni-
tido vase solari posuit spiritus æternus suum tabernaculum, à quo quotannis, imo vero
omni momento, tot in aëre atque in terra, ratione sui spiraculi lucidi, motionis & effe-
ctus calidi, producit alterationes, atque etiam virtute istius spiritus planetæ & stellæ a-
nimantur, & tota regio hæc in orbes seu sphæras nouem distribuitur.

Denique aquea infimæ mundi regionis substantia, ob minimam spiritus istius lu-
cidi præsentiam, quo magis deorsum tendit est in sua consistentia crassior & densior,
& pro strenuiori in ea lucis diuinæ dominio in elementa digniora distinguitur: at ve-
ro quoniam materia in ista regione validior est quam actio formalis, vt demonstratio-
ne mea pyramidali lucide demonstratur, ideo ratione dominij frigiditatis, tot in ista
regione alterationes, & à statu in statum mutationes, tot priuationes & corruptio-
nes, totque earum vice generationes & creationes de nouo quotidie accidere digno-
scuntur atque obseruantur; quarum omnium ratio est, quoniam appetitus materiæ ad
genetricis suæ tenebrosæ dispositionem naturali sua inclinatione pronus virtute caloris
satis validi affluente corrigi non potest: nam propter frigoris in ista regione domi-
nium lucis descendentis radii propulsantur & reuerberantur.


Atq; ista naturæ huius mundi aqueæ in hosce gradus raritatis & densitatis distributio
Ierem. 51. facillime colligitur ex hoc sapientis sermone: *Omnia numero, pondere, & mensura dispo-*
Iob. *suisti siue temperasti*: hinc etiam alibi. *Opera Dei mirabilia & ampla, quæ fecit in sapientia,*
nam spiritu hoc suo cœlos ornauit, aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ
Psal. 147. *statuta, & viam fulgetro tonitruum, efficit nubes superiores vt stillent rorem, fecit terram in*
fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos, appendit su-
Exod. *per Aquilonem inane, & suspendit terram super nihilum, ligat aquas in densis nubibus suis, adeò vt non*
Hebr. 7. *findantur, edit niues sicut lanam, & pruinas sicut cineres dispergit, & deiicit gelu tanquam frusta, co-*
ram frigore eius quis consistit: At verbum suum emittens liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum
effluunt aquæ: imò quidem *verbum* quandoque suum *flammam facit igneam, res omnes consu-*
mentem vt ignis, vti ex Moyse & Apostolo colligimus. Sed hoc omne, videlicet exactam sub-
tilitatis & densitatis aquarum mundanarum rationem, luculenter à nobis explicatam ha-
betis in debita pyramidum nostrarum, videlicet formalis cum materiali, adaptatione, in
quibus proportiones & gradus dominii formæ lucidæ descendentis in materiam ascendē-
tem, atq; iterum materiæ ascendentis in formam descendentem explicatur: vbi verò inter-
sectio-

ſectionem videtis in meditullio ambarum pyramidum, ibi adeſt materia & forma in ſtatu æquilibri: atq; illa eſt perfectionis & pulchritudinis ſolaris ratio, qui propter æqualitatem ſuam in calido formali & humido materiali, vitarum inferiorum ex calido innato & humido radicali conſiſtentium, eſt præſes & princeps, nam creaturæ vita in mediocritate conſiſtit, vti etiam corpus ſolare in cœli centro, & cor animalis in pectoris medio diſponitur: figuram, ſeu demonſtrationem illam noſtram pyramidalem hic expreſſimus:



Sed vt ad magis radicalem huius rei demonstrationem perueniamus, oculos vestros ad descriptionem illam hieroglyphicam *principio voluminis præeuntis* annexam conuertatis suadeo, cuius significationem ibi loci apertè exposuimus: quare eius figuram seu imaginem hoc in loco exprimere necessarium putaui, quò perspicua pyramidum nostrarum ratio vobis reddatur, ad quarum in mutuo nexu & applicatione proportiones, canalem vitri oblongum (quem demonstrationis nostræ diametrum fecimus) in gradus tam contractionis quàm dilatationis distinximus, qui gradus hyemem vel noctem mundi annuàm respectu nostrûm Septentrionalium constituunt (propter rationes à nobis *capite huius proxime sequenti* allegatas,) initiumq; suum ducit nox illa à puncto ♎ quasi Solis occasu, in quo ipse relinquendo hemisphærium boreale, illud meridionale perlustrare incipit; cuius diei, quam gradus dilatationis diem mundi annuam nobis efficiunt, crepusculum, seu aurora, seu ortus, nobis borealibus fieri autumamus, dum Sol punctum ♈ seu æquatoris sedem vernalem, hemisphæriumque Australe relinquendo, illud boreale visitare progreditur, atque hanc eius visitationem vocamus diem, vti in *capite sequenti* clariùs & vberiùs.

In hac



go occidam & vivere faciam, percutiam et ego sanabo & non est qui de manu mea possit eruere. Deut: 23.

Deus est qui Vulnerat & medetur, percutit et sanat. Iob: 5.

Vitæ et mortis habet Dominus potestatem qui deducit ad portas mortis & reducit: Sap: 16. 13.

In hac ergo figura videtis, quomodo ex radice vnica, & omniū prima seu principali monade, hoc est, principio absoluto in se, vel volente, vel nolente, duo sint egressa contraria, ex quibus in æquali numero, mensura & pondere vnum typicum, ad imaginem vnius archetypici est constitutum, quod mundus dictitatur, qui consequenter ex duobus contrariis, videlicet ex luce & tenebris, amicitia & lite, per se mobili & per se quiescente, naturaliter calido, & simpliciter frigido, raro & denso, anima seu spiritu, & corpore, cœlo & terra, ex proprietate dilatatiua & contractiua; ex positione & priuatione, actione & passione, vita & morte,

morte, ſanitate & infirmitate, ac denique ex lucis filiorum bono quod habent, & malo quod à tenebris accipiunt, ortum, originem & compoſitionem ſuam ducit. Hinc ergo mũdum iſtum vnicum ex luce & tenebris partiti ſumus, iuxta bonam illam ſuam proprietatem, in portionem opacam, quam noctem nuncupamus, & portionem lucidam, atque hanc diem appellamus: quarum huic (vt dictum eſt) prædominatur Apollo, qui eſt almus generationis pater, & diei præſes, illius verò dominus eſt Dionyſius, qui priuationis & corruptionis eſt author. Et vt ambo illa contraria, videlicet lux & tenebræ, ſunt vnum & idem in ſua radice, ſic Apollo & Dionyſius in originali eſſentia conueniunt, tametſi proprietate ſunt oppoſitiſſimi: nam tametſi ſpirante Deo ab Aquilone ſpiritus hemiſphærii Arctici cõcreſcat in gelu, tamen verbo ipſius lucido ab Auſtro emiſſo, hoc eſt ſimul ac ipſe efflat ventum ſuum, aërem in gelu coarctatum reſoluit, ita vt effluant aquæ. In qua quidem opera-
Iob. 37.9. tione contrariam Dei virtutem percipimus, videlicet contractiuam & frigidam; nam (in-
Pſal. 147.16 *Abakuck.* 1. quit Pſaltes) *coram frigore eius quis conſiſtat?* & dilatatiuam ac calidam à lucido Iehouæ verbo, de quo Propheta ſic, *Deo à meridie veniente operuit cœlum decor eius, & laude eius plena fuit terra.* Quo docemur, quod licet contraria ſit ventorum oppoſitorum proprietas, tamen vnus eſt Deus, vnus ſpiritus increatus, qui eos variformiter ſecundùm multiformem ſuam voluntatem animat & agitat. Quibus ſat liquidò declarari exiſtimamus, quòd vt lucis & diei ſit mediante actu diuino dilatare, ita quidem tenebrarum & noctis eſt contrahere & condenſare, nam certum eſt, quòd tenebroſior mundi portio ob quietam & frigidam ſuam proprietatem, contractiuam & congelantem ſibi vendicat proprietatem: è contrario lucidior eius portio ob mobilem & calidam ſuam diſpoſitionem, dilatantem & liquefactiuam facultatem ſibi comparauit: quare ob meliorem iſtius rei demonſtrationem, polum duplicem cum ſuis parallelis ſtatuimus, quorum vnus eſt frigidus, hyemalis, tenebroſus ſeu nocturnus, & contractiuus; alter eſt calidus, æſtiualis, lucidus, diurnus & rarefactiuus. Et vt poli duo mundi ſunt inuicem tam ſitu, quàm quoad nos qualitate oppoſitiſſimi, ita quidem vtriuſque eorum circulus parallelus exterior eſt alteri in interſectione æquinoctialis, idque in æquali portione contiguus, & mixtione æquali vnitus, imò verò in amicitia quaſi fraternali ſe in 2.i.& 2.amplecti obſeruantur; ita vt eorum proprietas nulla ſuper alterum habeat dominium. Hîc ergo concordia, pax & amicitia inuenitur, vnde & vitæ & ſphæræ æqualitatis ſedes. Atque hæc eſt ratio, quod Ver & Autumnus ſint adeò vitæ & naturæ æqualitatis amici, quippe in quibus aër agnoſcitur eſſe temperatiſſimus; hoc eſt ex æquali humidi radicalis & calidi innati temperie compoſitus, præter quam quòd complexio Autumnalis eſt admodum in caliditate & frigiditate inconſtans, atque hac de cauſa magis inſalubris, vnde nec ſuum gradum in caliditate excedit ventus æſtuoſus à lucido ſeu æſtiuali polo diuinitus & radicaliter efflatus, nec in frigiditate ab illo tenebroſo ſiue hyemali expiratus ſuperat Boreas: quare conſtat quòd quò plus minuſve à qualibet harum peripheriarum meta verſus centrum polarem recedat aqua (vel potiùs ſi mundi polos reſpiciamus) eleuatur ſupra æquinoctialem polos verſus, eò magis vel minus, iuxta poli naturam (verſus cuius altitudinem eleuatur) augetur vel contractiua frigoris in ſpiritu mundano virtus, vel illa caloris dilatans, iuxta numerum graduum in quo inuenitur in ſuo hemiſphærio, ſiue ſit hyemale & brumale, ſiue æſtiuale.

Demonſtratio naturæ ſeu proprietatis oppoſitæ duplicis hemiſphærii in vnico mundo, quorum vni æſtas, alteri hyems prædominari ſolet (nam cùm ſit hyems in vno, neceſſe eſt quòd æſtas ſit in altero) eſt huiuſmodi:


Hieroglyphici iſtius infrà depicti deſcriptio:

A.B. locum habent vnius tropici, & eſt vnius pyramidis baſis, cuius conus eſt K. deſinens in centro diametri A.B. hemiſphærii oppoſiti; & quando hemiſphærium A.B.C.C. ſit hyemale, tunc frigoris centrum, quòd eſt in loco 8. contrahit aërem vaſe incluſum ſurſum à puncto æquatoris. 1. magis minuſve per gradus, fitque contractio eius moderata in 2. eiuſdem hemiſphærii, fortior in 3. vehementior in 4. ad pruinam vſque in 5. cum niue & gelu grandi in 6. cum glacie valida, & frigore rigido in 7. cum extremo in 8.9.10.11.

Et tunc hemiſphærium oppoſitum E.F.C.C. erit hemiſphærium æſtiuale, cuius diameter E.F. erit baſis trianguli æſtiualis, eiuſque conus in centro 8. diametri hemiſphærii oppoſiti deſinit. Huius ergo temperies temperata eſt, vbi circulus ſui paralleli externi ſe iungit & contemperat cum illo alterius in loco interſectionis pyramidum quam facit linea æquinoctialis D.C.C.D. critque ſpatium eorum amplexus inter 2. vnius, & 2. alterius, ita vt 1. quaſi interualli illius eſt centrum, in quo vt aër in ſua conſtitutione eſt temperatus ad pondus, ita quidem in 2. & 2. temperatus ad iuſtitiam: nam in 2. hemiſphærii hyemalis frigiditas aliquantulum

quantulum præualet super caliditatem, & in 2. hemisphærii oppositi caliditas super frigiditatis proportionem exaltatur.


Denique circuli paralleli vtriusque hemisphærii designant gradus, seu spatia distinguunt, non aliter quàm illi Geographici, qui duo terræ hemisphæria in portiunculas diuidunt atque describunt: & vt Geographi ab æquatore polos versus gradus numerare solent, sic nos super lineam intersectionis primum gradum 1. ponimus, sicque ordine & per gradus versus polos, seu potius tropicos ascendimus in progressione Arithmetica vsque ad numerum senarium.



Atque ita rationem inuentionis istius radicalem explicauimus, cuius quidem regulam & ordinem in instrumenti nostri experimentalis diuisione sequemur: nam vt radium cuiusque trianguli integrum mundi vniuersi diametrum fecimus: centrum est 1. quod in æquatore est positum, ita vt vnica semidiameter contractionis & frigoris regnum commetitur; altera illud dilatationis & caliditatis: ita quidem collum in hoc nostro ne-

gotio matracii seu vitri fecimus & finximus mundi diametrum; in cuius medium quia aqua in æquali aëris temperie insistit, ideo illud lineam intersectionis finximus, in qua posuimus 1. quasi locus vnicus & solus; in quo ambo extrema litigantia conueniunt.

Sic ergo vitrum machinæ nostræ disposuimus, collumque eiusdem iuxta rationem & doctrinam antea relatam ita diuisum pyramide duplici sic inclusimus:



In qua demonstratione à figura centrali 7. hemisphærii æstiualis ad eius circumferentiam: 1. dominatur calor in aëre incluso; eumque gradatim eò magis attenuat quò aqua à figura 1. in collo vasis versus eius centrum 7. deprimitur, ita vt aqua depressa in 7. denotat aërem inclusum admodum esse attenuatum, & in naturam igneam redactum: è regione verò à figura 7. hemisphærii hyemalis ad eius circumferentiam 1. se extendit regnum frigoris, vtpote per cuius totam semidiametrum frigus prædominatur calori, idque gradatim eò magis inualescit, quò aqua ab 1. circumferentia versus eius centrum 7. contrahit, & consequenter eò magis incrassat & condensat aërem inclusum quò aqua per gradus in collo vasis à circumferentia 1. versus 7. centrum exaltatur & sublimatur: ita vt aqua ad figuram 7. eleuata denotat aërem inclusum esse valde condensatum, & in naturam terream seu glacialem redactum. At verò arguitur, quòd in medietate diametri seu loci 1. in quo æquator transit per intersectiones pyramidum sit temperamentum vitæ seu æqualitatis. Atque hinc erat, quòd circulus in quo Sol microcosmicum mouere solet, à Platonicis haud ineptè *sphæra æqualitatis*, & *sphæra animæ* nuncupatur.

Habitis

Habetis hîc ergo demonstrata duo in natura mundana extrema, iuxta prædictam nostram doctrinam cum eorum puncto medio in temperie mediocri consistente; idque (vt opinor) tam apertè & lucidè ac est possibile. Sic ergo in hoc meo discursu demonstratiuò progredior.

Anni stationum seu quartarum temperamenta hoc instrumento sic indicantur.

Vt igitur in tribus spiritualibus creationis diebus, hoc est in regno seu spatio æuiali Verbum diuinum, seu æterna Sapientia à fonte lucido seu *Ensoph* emanans, vices creaturæ solaris in vasto spiritu mundano seu aquis catholicis agebat: ita quidem ipsa electum sibi vas admirabili puritate, & ad tantam dominam recipiendam satis dignum loco tabernaculi sui die creationis quarta quàm faberrimè condidit (*posuit* enim, teste Dauide, *tabernaculum suum in Sole*) in quo tabernaculo sæcula mundi temporalia per varias sui circuli rotationes commetitur, ipsa annos; anni quartas iuxta ipsius motum per tropicos & sectiones binas lineæ æquinoctialis, menses iuxta ipsius per 12. signa Zodiaci transitus; denique in septimanas, dies, & horas sui luminis vicissitudinibus distingnens: atque etiam aëris seu spiritus mundani mutationes, inque variam Elementorum dispositionem, iuxta multifariam ipsius in cœli latitudine positionem alterationes, meteororumq; varieformium generationes, & viuas vegetabilium, eius absentia quasi mortuorum, vernali eius præsentia renouationes, & regenerationes mirabiliter perficiens. Ob istam igitur causam statuimus ipsum calorem solarem esse præcipuum in spiritu seu aëre machinæ nostræ incluso agens & motorem; & quoniam iuxta illud Sapientis, Sol sua præsentia & motu circumferre solet aërem seu spiritum, (textus enim est huiusmodi: *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascitur, & gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans vniuersa; in circuitu pergit spiritus seu aër, & in circulos suos reuertitur.*) Ideo necesse est credere, quod si vniuersum aërem moueat suo motu, eumque rarefaciat suo calore, & radiis, quod etiam in qualibet ipsius parte vtcunque organo alicui inclusa vim suam pariter exerceat ac in toto: similiter quemadmodum in aëre aperto post Solis occasum ipsum aërem die præcedente rarefactum iam Solis absentia condensari, & contractui frigoris (noctis & tenebrarum filiæ) cedere & locum dare animaduertimus; ita quidem absentia vel præsentia solari, hoc est, longinquitate vel propinquitate ipsius ab eleuatione aliqua certa, reddit loci aërem vel densiorem & magis contractum, vel rariorem & magis dilatatum: quod quidem euidenter appatet atque demonstratur in obseruatione aëris speculo isti inclusi intensiore vel remissiore in aëre existente frigore, quæ cuilibet anni quartæ pro varia solis positione, & cœlestium influxuum ratione contingere solet. Non igitur immeritò nec absque iusta consideratione instrumentum hoc nostrum demonstratiuum in hunc ordinem iuxta ipsius cum mundi fabrica dispositionem per pyramidum proportionem, & circulorum mundanorum limitationem & diuisionem, ac denique per suos gradus æquidistantes quàm potui faberrimè adaptaui.

Eccles. 1.

Demonſtratio luculenta, in qua & per quam inſtrumentum noſtrum experimentale cum macrocoſmi natura ad amuſſim comparatur.

Hic vnionem illam, ſeu potiùs exactam atque neceſſariam relationem, quæ eſt inter macrocoſmum & inſtrumentum iſtud, habetis depictam. In quo ſchemate inuenietis proportiones illas quæ ſunt in temperie frigida & calida, reſpectu climatis noſtri, quas per gradus ſeu figuras in iſtiuſmodi colli ſeu tubi matracii extenſione, more noſtro pyramidali iuxta normam prædictam expreſſimus, in quarum pyramidum, formalis videlicet & materialis, interſectionis loco (in meditullio enim ſeſe inuicem interſecant) linea, vt videtis, æquinoctialis tranſit: inde euidenter arguens, quòd vt in loco interſectionis pyramidum taliter ſe habet in proportione materiali pyramis materialis qualiter pyramis formalis in propor-

proportione formali (nam ibi loci mixtio materiæ seu spiritus mundani, & formæ seu lucis mundanæ est æqualis: vnde sapientes antiqui, & in mysteriis naturæ versatissimi (vt antea diximus) eam æqualitatis sphæram, & viam animæ nuncupauerunt) ita quidem in tempore, siue sit vernale siue autumnale, quo sol currit per intersectiones illas binas quas linea ecliptica facit in æquatore videlicet in ♈. & ♎. temperies aeris siue cœli iuxta naturalem anni cursum videtur esse æqualis & proportionata in caliditate & frigiditate; & consequenter in densitate & tenuitate, vt dictum est, (nam radij solares, eiusque spiramen igneum in medio zonæ temperatæ cum spiritu Boreali conueniunt) tunc etiam dies atque noctes sunt eiusdem dimensionis seu longitudinis.

Quare istud in materia & forma, seu spiritu & luce mundana, temperamentum optime conuenit cum natura vitæ, quæ in humidi & calidi mediocritate delectatur: & nisi Autumnus in suo statu mediocri esset admodum inconstans, propter rationes quas infra proferemus, æque esset ipse mortalium vitæ amicus ac tempus illud vernum. Non ergo immerito locum suum in ista nostra intersectione pyramidali meretur æquator, vtpote qui denominationem suam ab ista proprietate æqualitatis & æquilibrio sortitus est.

His igitur cognitis sic progredior. Sol quidem est æque tam in spiritu istius instrumenti; quam illius mundi vniuersi actor & motor: hic, inquam, aut sua præsentia solus est spiritus seu aëris vtriusque dilatator, aut sua absentia illius iterum condensationis & contractionis author, non quod illius sit rem aliquam contrahere, sed quod sua absentia locum cedere, videtur suo aduersario, videlicet tenebris & frigori, seu priuatiuæ Dei proprietati, cuius est, sub Dionysij appellatione, ea destruere, quæ perfecit & procreauit sub nomine Apollinis: sic Deus idem in duplici sua proprietate partum quidem geminum quotannis è chaos ventre producit, videlicet litigium, quod in Autumno, & hyeme seu nocte annua dominium, in quo actu à veteribus *Dionysius* (vt antea recitauimus) est appellatus, videlicet ea nocte destruens quæ ex 7. partibus, hoc est, materia & forma diurno tempore sub nomine *Apollinis* conflauit, vt & iterum diurno tempore eum dictitarunt Apollinem, 7. partes destructas iterum constituentem & viuificantem. Iam quidem vt cœlum est masculinum, & terra fœminina, vt, inquam, ignis est mas & aqua fœmina, & vt elementa ignis & aër agentia dicuntur, aqua & terra patientia (nam ignis agit in aquam, & aër in terram, non aliter quam mas in fœminam: ita quidem Dies est mas ipsi nocti, vt & ver & æstas sunt masculi ad Autumnum & hyemem. Nam certum est, & ab ipso Hippocrate & Galeno & aliis philosophis concessum, quod quicquid ver (quod aëri comparatur) suis seminariis in aëre occulte dispersis in mundo concepit, illud vt plurimum Autumnus parere atque in lucem edere solet, vti in aëris mutatione & morborum Autumnalium prouentu obseruare licet: sic etiam quod æstas, seu stella canicularis seueritate contagiosa plena, igneo suo in aërem profuso halitu prætendit, illud tempore hyemali produci, & lucem videre animaduertitur.

Porro etiam ver & æstatem masculo & diei assimilamus merito; ver scilicet tempori eius matutino comparamus, quod in humiditate & caliditate solet esse temperatum, & æstatem calori eius, à meridie ad eius fere occasum numerando. At vice versa Autumnus & hyems naturæ fœmininæ referuntur, quorum ille ad aëris, in solis & post solis occasum, hæc ad illius in noctis profunditate temperiem se habet. Quare vniuersus anni circulus in effectu non nisi in vnum quasi diem ac vnam noctem æquales distingui videtur, quorum ille Septentrionalibus incipit, qua parte intersectio in æquatore facta. ♈. Arietem designat, & pergit (illuminante Sole) ad suum meridiem, seu exaltationem quæ est in tropico cancri, à quo puncto pergit Sol in occasum suum, qui fit in illa æquatoris sectione quam Zodiaci ecliptica in puncti ♎. facit, & tunc quidem vera borealium nox, quæ ab occasu solis in ♎. incipit, eorumque nadir, seu media nox, seu nocturnus meridies est cum Sol ad punctum tropici capricorni pertingit, vtpote qui positione illi ipsius cancri; quatenus est septentrionalium Zenith, opponitur: Sol denique à puncto capricorni iterum gradatim versus sectionem in æquatore; quam occupat ♈. æquinoctium scilicet vernale, ascendit, ibique noui anni diurni crepusculum facit, & tum postea auroram annuam præbere gestit.

Quo bene obseruato, vnicam veram diem anni, & noctem, solari transitu designatas percipere potestis, reliqui vero seu vulgares, sunt artificiales potius, & quoad nos, & non quoad naturam rei. Sol ergo; siue Deus in sole; in Apollinea sua natura delineat diem istum magnum; in quo res omnes nocte præcedente, videlicet Autumno & hyeme, quasi mortuas viuificat, renouat, vestimentis quasi byssinis, colore multiformibus, adornat, crescere & multiplicare efficit, ac tandem ad completam maturationis perfectionem

nem producit, fitque circa tempora Autumnalia messis. Hæc ergo est Apollinis, siue Dei viuifici, in patente & dilatata sua proprietate conditio, videlicet res omnes nocte Autumnali & hyemali putridas aperire & dilatare, vt spiritus in ipsis captiui facilius exeant, quo melius natura adiungatur naturæ, vt ambæ in coniunctione tali coeundo lætentur & exultent, & species mortua in natura multiplicata reuiuiscat, resurgat, & renouetur.

Hic ergo est viuificus Apollinis actus, qui solet res omnes diurno tempore ex 7. partibus condere & renouare, quemadmodum in voluminis nostri vltimi primordio lucide reperietis.

At vero ob oppositam suam in nocte macrocosmica proprietatem (quam æquator quasi limbus diuidit à die) deficit viua ista diuinitas, quippe in occulta & priuatiua sua proprietate agens & operans: & hac de causa corrumpit res omnes, nam in autumnali tempore, hoc est, noctis annuæ principio obseruamus res omnes decrescentes, & in deterius vergere, folia in arboribus marcescere, & ab ipsis decidere, gramina & herbas marcescere & flaccescere magnam fructuum quantitatem putrescere, imò vero & animalia morbis variis à corruptione ortis tabescere & languescere. In noctis autem profunditate res omnes frigore extremo torpescere, congelari, & quasi poli septentrionalis inclementia mortificari, terraque, niue, glacie, atque pruina inhumari, aquam arcto; stricto & gelido glaciei amplexu colligari atque incarcerari, motuque aliquando priuari; denique omnia elementa, vestimenta lugubria (priuationis trophæum arguentia) misere in hac noctis annuæ valle, & vere mundanæ profunditate induere videntur, arbores suo ornatu destitutæ, paupertate iam mulctæ extrema, soli apparenti gelidum & miserum suum statum lachrymis, quasi sudore frigido & madore perfusæ exprimunt, gratiosam ipsius pro eorum de captiuitate tanta redemptione, & in pristinum statum renouatione, opem & præsidium implorare videntur.

Quibus notare debemus, quod vnus Deus radicalis, monas (inquam) vnica Diuina sit tam corruptionis quam generationis, tam mortis quam vitæ, tam noctis quam diei, tam Autumni & hyemis quam veris & æstatis, tam caloris quam frigoris, tam motus quam quietis actor & author, respectu vero diuerso & differente, cum in prioribus, videlicet Autumno & hyeme seu nocte macrocosmica magis adest potentia quam actu constringendo se in se (quam suam proprietatem perficere gestit aufferendo & pro parte maiori occultando lucem suam in astris, & præcipue corpore solari centraliter suo tabernaculo electo inhabitantem: sic in solis vltra æquinoctialem circulum transitu, potentia diuina eo magis solet proprietatem suam frigidam exercere, quo remotior & profundior est sol in suo motu
Psal.147. australi à plaga boreali; hinc psalmista, *Coram frigore eius quis consistat?* At verò in posterioribus, vere scilicet & æstate, præsens est in suo motu & calore actus diuinus quo alterius suæ proprietatis operationes, videlicet gelu, niues, pruinas, &c. idque virtute sua rarefactiua dilatando, destruit, dissoluit, & in res suæ naturæ conuenientes mutat, videlicet in subtiles, mobiles & viuas, quod quidem ad macrocosmi naturam quotannis renouandam, è tabernaculo præcipue solari, ordine quodam consueto, & anni circuitui perpetuum accommodato, & præcipue tempore vernali & æstiuali, proprietate sua dilatante, in climatibus borealibus præstare obseruatur. Hinc Psaltes regius loco antea citato, vbi de
Psal.147. niue, pruina & gelu mentionem fecit, textum illum sic concludit, *At verbum suum emittens liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ, &c.* Vbi per verbum intelligit textus lucem suam igneam & calidam, quippe quod in multis scripturæ locis quandoque lux, quandoque ignis, & flamma nonnunquam consumens nuncupatur.

Concludimus igitur quod si sol vltra æquinoctialem lineam discesserit, quo magis ipse ab æquinoctiali polum antarcticum versus aberrauerit, eo magis frigiditas in parte boreali vincere & dominari assolet, & pro quolibet gradu excessus frigiditatis supra dispositionem caloris, aqua gradatim à loco intersectionis ab æquatore factæ, videlicet vbi ambæ pyramides sese intersecant in medio, figura I. vel literis C. C. notato sursum versus matracij caput, seu figuram 7. ascendit: nam quo frigidior est aër in cauitate A. inclusus, eo magis sensim coarctatur ipse, & contrahitur in se, & in quolibet suæ contractionis puncto aquam altius per gradum videlicet ab 1. in 2. à 2. in 3. à 3. in 4. à 4. in 5. & sic vsque ad 7. attrahere percipitur, ad quem punctum si aqua exaltetur, extremam & glacialem denotabit frigiditatem, vti experientia superius expressa habemus comprobatum.

E regione vero quo magis gradatim sol relinquendo Arietem, siue punctum æquinoctij vernalis, versus cancrum siue solstitium æstiuale properat, eo magis gradatim per puncta notata descendet aqua polum meridionalem seu hemisphærii æstiualis versus, quo-

nique

usque in suo casu ad figuram 7. quæ est infima; pertigerit: qui aquæ locus, seu positio, eandem caloris in extremo æstatis proportionem, quam rigoris & frigoris intensi in extremo hyemis denotat: ita vt in ascensu aquæ ad extremum 7. eiusdem hemisphærij seu ad basim pyramidis E. F. quæ est in septentrione & conus in meridie in K. materialis quippe in spirituum subtilium contractione, incorporatione, atque coagulatione consistens; atque ob hanc causam pyramidem ex aqua constantem materialem hyeme fecimus, & eius oppositam G. H. I. formalem, quoniam solis virtus & præsentia operatiua ibi adest, vbi eius basis est, videlicet in parte australi in tropico capricorni, vel prope illum. At vero quando sol per tropicum æstiualem migrat, vel vltra circulum æquinoctialem prope tropicum vagatur, ita vt aqua descendat ad extremum; vel circa extremitatem 7. hemisphærij meridionalis, tunc pyramis cuius basis est in septentrione & conus in meridie, erit formalis, in quam quippe mundi portionem dominatur forma, calor, & lux solaris: & per consequens pyramis ei opposita, cuius nempe basis est in meridie videlicet G. H. conus in 7. septentrionis erit materialis. Ratio est, quoniam vt omnis æqualitas substantialis, siue agentis cum patiente, in æquali materiæ & formæ mixtione consistit, ita quidem vbi talis æqualitas adest, necesse etiam vt æquale temperamentum in frigiditate & caliditate adsit: nam vt materiæ humidæ dispositio sit originaliter inclinata ad frigiditatis rigorem & per se gubernetur, ita etiam forma lucida naturali sua conditione, hoc est per se est calida: vnde certum est vt si materia & forma in iusta mensura substantiali conueniant, necesse est (vt antea) quod etiam in simili caloris & frigoris proportione, & consequenter raritatis & densitatis (quæ semper dictarum duarum proprietatum sunt asseclæ) concurrant.

Hinc ergo est, quod si æqualis sit in loco intersectionis pyramidis materialis & illius formalis respectus, tunc sequi debet quod talis etiam sit ibi in frigore & calore proportio & mensura: at si in frigore & calore, tunc etiam in raritate & densitate, quod quidem de pyramidum inter tropicos proportione est intelligendum. Eadem est igitur dispositionis mundani ratio quoad nos (sole æquatorem secante) qui in zona temperata viuimus, & quoad ipsos qui sub tropicis viuunt; nam cum sol mediam suam versus Austrum compleuerit viam, hoc est, æquinoctium Autumnale perlustrans, ita polorum frigiditatem cum mediocritate contemperat, vt nec sensibiliter frigidum, nec calidum per exuperantiam dici possit tempus illud: at mouente, seu pergente eo paulatim versus solstitium brumale, quod in tropico capricorni fit, sensim irrepit in spiritum borealem frigus, & de die in diem fortificatur, sensimque magis ac magis incrassatur, & contrahitur aër, sensim augentur humores frigidi condensando; sensim exurgunt fontes æstate præterita fere exhausti, sensimque ad quietem vergunt & inclinant mobiles illæ aquæ, mobilior aër, & gelido atque fixo frigoris inclementis amplexu coarctari, vinculis rigidis colligari, & in glacies, pruinas, niues & grandines, tanquam lapides immobiles magico quasi Medusæ aspectu & spiramine cohiberi atque fixari videntur. Cum vero in hemisphærio opposito, videlicet illo meridionali seu æstiuali res longe aliter, & omni ratione contraria sese habere dignoscitur, vtpote in quo propter immediatam solis præsentiam, aër subtiliatur, frigora propulsantur, humiditatis vigor diminuitur, fontes & flumina sensim decrescunt, arbores, herbæ & gramina renouantur, & res quælibet ad generationem & multiplicationem procliues sunt. Quod quidem fieri solet concedendo & afferendo libertatem & agilitatem dando spiritibus congelatis, & in corporibus gelidis & densis inclusis.

Totum ergo hoc istius instrumenti nostri inspectione ad viuum depingitur: nam in puncto seu colli medietate C. vel I. idem æqualitatis aëreæ in temperie calida & frigida status, nobis Londinensibus, & consequenter cæteris zonæ temperatæ pollicetur; quem sol ex puncto æquinoctiali igneo suo spiraculo mundanis ponderare solet; & quo magis à puncto æquinoctiali gradatim descendit sol, & solstitio brumali sit propinquior, eo magis gradatim ascendere obseruatur aqua versus cauitatem A. vel figuram seu gradum hemisphærij hyemalis: nam frigiditas pedetentim quotidiano solari recessu aërem orbe A. inclusum magis magisque occupans, eum paulatim condensando contrahit, ipseque contractus in vacuum vllum (quod natura abhorret) in vase relinqueretur, aquam, quæ est contigua aëri, naturali quodam contactu eleuat sursum, quousque ipsa ad extremam frigiditatis metam (quæ est 7. dicti hemisphærij) pertingat; quod vt plurimum accidere solet, dum Sol polo boreali sit remotior, videlicet tropico canceri sit tam oppositus, vt Nadir ad Zenith: imò verò & vt plurimum intenditur frigus in Solis reuersione à ♑. videlicet ipso per ♒. & ♓. currente; quoniam quò diutius manserit Sol in hemisphærio seu regione meridionali, eò

magis

magis prævalet frigus in plaga seu hemisphærio opposito, septentrionali nempe: vt è regióne extrema in æstate nostra caliditas, sole ambulante per cancrum & leonem, accidere solet.

His igitur ad amussim à lectore consideratis, ad praxim in primis macrocosmicam procedam: in qua & per quam errores absurdos, mendaciaque in philosophia immania Peripateticorum non modo ethnicorum, quorum caput est Aristoteles (magnus ille & spurius philosophiæ huius sæculi spuriæ Deus) sed etiam ipsorum Christianorum, dolis & figmentis infidelium deceptorum, mundo propalare atque detegere conabor. Ac in vltimo loco naturam microcosmicam, tam cum illa macrocosmi, quam cum spiritus instrumento isto inclusi dilatationis & contractionis proprietate conferam.



PAR-

PARTIS PRIMÆ, LIBER SECVNDVS.

In quo vniuerſalis ſpiritus macrocoſmici natura, quotidiana elementorum mutatio, atque meteororum varieformium generatio, ex debita ſpeculi noſtri experimentalis inſpectione ac obſeruatione oculariter demonſtrantur.

Capvt I.

De ſpiritus macrocoſmici ſublunaris natura, & quomodo ſpeculi iſtius noſtri obſeruatione probatur, quod ipſe ſit cuiuslibet inprimis elementi, & tum poſtea meteori ex elementis origo.



VM certum ſit, & ſine vlteriori controuerſia comprobatum, quod materialis totius machinæ mundanæ ſubſtantia non ſit niſi res vnica ad imaginem Dei, ſeu radicis vnius conflata, ex cuius potentia, videlicet ex profunda tenebroſi chaos abyſſo ſpagytica verbi diuini ſcientia & virtute eſt primordialiter extracta, quæ tum poſtea ab antiſtite Moyſe *aqua* nuncupatur, ex qua & per quam tum poſtea *cœli erant prius & terra*, & conſequenter *omnia* mediante & operante *Verbo*, vt teſtatur D. Petrus. Nemo quidem mentis ſanæ ipſa etiam macrocoſmi elementa ab eodem fonte vnico profluxiſſe, numine prædicto diuino centraliter & radicaliter igneo ſuo afflatu mouente, diſtinguente, & eorum quodlibet in ſitu & ſede ſua propria ordinante, negabit. Vnde euidens & manifeſtum eſt, quod ex duobus, videlicet lucis formalis virtute, & tenebrarum deformium materia aquea clarificata fit vnum typicum & quaſi triunum, ad triplicis vnius archetypi proprietatis exemplar, quod tum poſtea diuino actu in naturas quatuor diſtinctas ordinatur: quare clarum eſt macrocoſmum in numero ſeptenario fuiſſe conflatū, videlicet ex tribus, formæ diuinæ relatis, quippe qui numerus eſt perfectiſſimus, & conſequenter actiuus, & quatuor qui eſt numerus materialis & paſſiuus. Neminem ergo ſapientem latere poteſt omnia ex vno, videlicet aqua ſeu natura vnica, per vnum, videlicet verbum lucidum, in vno videlicet mundo, ad ſimilitudinem perſonarum diuinarum; quæ denique omnia cum mundo & in mundo ſunt idealiter in Deo vnico radicali, vtpote qui eſt omne quod eſt, & tamen eorum nihil quæ ſunt exiſtit, in omnibus manet & operatur, & tamen extra omnia regnat & dominatur: eius ſubſtantia potentialis, ex qua mundum conflauit, eſt aqua ſeu natura humida & ſpiritualis, eius ſubſtantia actiua per quam ipſum faberrime condidit eſt ſpiritus lucidus & igneus qui ferebatur ſuper aquas, igneum iis vigorem impertiens; vnde certū & indubitatum eſt ſolum in mundi ſpiritu actorem eſſe afflatum Dei lucidum, ſolamque materiam patientem in quam agit eſſe ſpiritum generaliter vnicum, & potentia in actū reductum, id eſt creatum, qui ſpiritus creantis intenſione, vel remiſſione, hoc eſt, vel maiori vel minori naturæ ſuæ viuificæ contractione aut dilatatione, in ſphæras ſeu regiones natura & conditione diſtinctas partiri videtur, cum tamen reuera ſpiritus in ſua natura non minus ſit vnus & idem ſpiritus, quam ille *ſpiritus increatus*, ſapientiæ nempe, qui (teſte Salomone) eſt *in ſe ſimplex & vnicus*, & tam reſpectu proprietatum ſuarum diuerſarum dicitur *multiplex*. Materialem ergo iſtum mundi ſpiritum in regione mundi ſublunari, Aërem cum ſacra pagina vocamus, in cœlo ſtellato ætherem ſeu æthera quaſi igneum aërem, in ſupremo cœlo ſpiritum empyreum. Quo quidem eluceſcit, quod omnia elementa non ſint in Sap. 7.

ſubſtantia niſi ſpiritus vnicus, vnus aër, ſed multipliciter in tenuitate & ſpiſſitudine diſpoſitus. Hic ergo ſpiritus in mediocri ſua natura aër dictitatur; in qua denominatione actus ſpiritus ſapientiæ lucidus & natura ſpiritus paſſiui ſunt in æquilibrio & æquali pondere proportionati: at ſi præualet actus diuinus, & conſequenter calidus ipſius effectus in dicto ſpiritu, tunc ipſe magis ratus & ſubtilis redditur, & in igneam migrare videtur naturam, locumque propter ſuam ſubtilitatem ſupra aëris regionem tenet: at ſi ſpiritus iſte vniuerſalis, in ſua denominatione ſeu proprietate aërea minorem habet in ſe lucis portionem, quam ſuæ ſubſtantiæ materialis, tunc contractiua frigoris natura per gradum vnicum prædominantis condenſatur in vaporem nebuloſum primum, deinde in aquam currentem: at ſi magis adhuc præualeat frigoris terreſtris, ſeu tenebrarum effectus, tunc aqua illa concreſcit in grandines, niues, gelu & pruinas. Quare patet, quod ſpiritus iſte vnicus non ſit alius reuera quam aër, quippe qui in omnibus hiſce mutationibus propriam ſuam non amittit denominationem, cum aër ſit ſpiritus iſte in ſimplici & mediocri ſua conſiſtentia, aër vero ſubtilis eum in igneo ſuo ſtatu denotat, aer vero ſpiſſus eum arguit in nebuloſa & aquea ſua corpulentia, imo vero & aquam ſeu rorem,
Iob. 28. 25. & pluuiam, in terrea ſua ſubſtantia quatenus videlicet in niues, grandines, pruinas & ge-
Prouerb. 3. lu contrahitur & fixatur: Sed & hoc totum ſic confirmare videtur pagina ſacra, *Deus ſapientia ſua aptat pondus aeri & appendit aquas in menſura, facit pluuiæ ſtatuta, & viam fulgetro to-*
Pſalm. 147. 15. *nitruum: mediante ea nubes ſuperiores diſtillant rorem, editque Deus niuem ſicut lanam, & pruinam*
Iob. 26. 13. *ſicut cinerem diſpergit, deiicit gelu ſicut fruſta: iterumque emittens eam, ſiue verbum ſuum liquefacit i-*
Ierem. 51. 15. *ſta, ſimul ac efflat ventum ſuum effluunt aquæ.* Denique *ſapientia ſua extendit cœlos & ornauit eos, fecit terram & præparauit orbem; multiplicat aquas, nubes componit, fulgura & pluuias facit & producit ventos è theſauris ſuis.* Quibus veridicorum Bibliorum teſtimoniis confirmatum habemus imprimis quod aër ſit ſubiectum illud quod varieformiter à ſapientia lucida ſeu emanatione ignea, ſeu candore maieſtatis diuinæ ponderatur, & numero, pondere & menſura diſponitur in leue & graue, hoc eſt, in fulgurum & ignis naturam, rarefactione, &
Iob. 26. 9. ignis æterni radiis dilatatione & diuiſione reducitur, & in nubem contrahendo, nã *ligat aquas in denſis nubibus, easque expandit ad ſolium ſuum, nubeſque leues in pluuias, pluuioſam mate-*
Sap. 11. 21. *riam in grandines & niues conuertit, & roſidas guttas in pruinas & gelu:* denique omnia facit in cœlo & in terra, ſpiritumque vniformem varieformiter, iuxta diuerſas arcani archetypi proprietates, *menſura, numero & pondere* in hunc vſque diem, atque etiam iam nunc diſponit atque temperat: nam ſpiritus hic lucidus & omnipotens, ſole aut aſtris ſua claritate longe ſuperans, thronum, ſiue ſolium & tabernaculum ſuum quarto creationis die con-
Ficinus. ſtituit in ſole, in quo tanquam rex & imperator mundi, ſceptrum & gubernaculum tenens, ignibuſque cœli rutilantibus virtutem præbens, efficit vt ad ſolis aſpectum, omnes omnium cœleſtium vires in vnum congregentur atque colligantur: quas tandem in hunc mundum inferiorem, per eius ignea ſpiracula credimus diſſeminari: nam ſole ad nos vergente terram herbeſcere, renouari & quaſi pubeſcere, abeunte vero deflorere & languere animaduertimus.

Huius rei demonſtratio ex ſpeculi noſtri inſpectione eſt huiuſmodi.

Aer in concauitate A. concluſus eſt portio illius ſpiritus mundi, qui ſi ſol ſuis radiis æqualiter & in gradu temperato calefaciat, exactamque naturæ mediæ, ſeu ſpiritus æqualitatis conſtitutionem in luce & madore inuiſibilibus habebit, eritque ſpiritui animalium vitali ſimillimus, nec etiam erit hic ſpiritus nimis rarus & igneus, vt deſcendat ad gradum ſeu numerum 7. vel 8. in quo extrema æſtas regnare ſolet, nec ita denſus & aquaticus, vt deſcendat ad gradum 4. hemiſphærii hyemalis, in quo loco media hyemis temperies (vel pluuias, vel rores vt plurimum producens) dominatur: nec ita extrema hyemis & frigoris inclementia conſtrictus, compreſſus, & in ſe contractus, atque in terream naturam, denſam, opacam & immobilem redactus, vt ſurſum ad gradum vſque 7. vel extra illum hemiſphærii eiuſdem pertingat: ſed ſphæram in tali caſu mediocritatis, videlicet locum illum interſectionis pyramidum quem æquator (ob eius ad vtrumque polum poſitionem æqualem) in ſuis qualitatibus temperatus ſecare ſolet.

Ratio a. aeris temperiei, nobis qui in zona temperata viuimus, verno tempore, atque Autumnali, dum ſol tranſeat per iſtam interſectionem quam linea ecliptica facit cum æquinoctiali, eſt quoniam ſol radios ſuos à medio terræ puncto æquali menſura tam verſus polum arcticum quam antarcticum eiaculans, in media via inter polum & æquinoctialem occurrit actui frigoris à polis emiſſi, eique reſiſtendo obtundit, atque ita in

aere

aëre temperiem efficit, quæ si fuerit exacta & ad pondus, aqua in gradu 1. designabit; si vero ad iustitiam in qua vnus gradus vel alter aut frigiditatis superat, tum aquæ summitas inuenietur in 2. hemisphærii hyemalis, aut caliditatis excellit frigiditatem, tunc inuenietur aquæ digitus vel summitas in 2. hemisphærii inferioris siue æstualis. Hoc ergo modo spiritum inclusum in naturam elementi aeris mediam mutatum vides: at si sol in sua declinatione versus meridiem dominium paulatim concedat frigori boreali, tunc aer borealis magis magisque contrahitur, & proportionali solis spiramine & frequenti ventorum meridionalium afflatu in pluuias redigitur, & fit medium hyemis temperamentum, in quo dominatur elementum aquæ, hoc est, spiritus hic macrocosmicus in elementum aqueum contractione mutatur.

Hoc etiam manifesto aquæ in gradum 4. & 5. hemisphærii hyemalis ascensu indicatur: at si sol solstitium brumale attigerit, aut metam illam præteriuerit, tunc spiritus ille contractione frigoris extrema in naturam & complexionem niuis, pruinæ & gelu alteratur, atque ita elementum terræ ex spiritus mundani coagulatione & fixatione vltima procreari solet. Denique si solis in solstitio æstuali vel in leone præsentia, spiritus in summo subtiliatur gradu, ita vt in vase ad gradum vsque 7. hemisphærii æstiualis descendat, tunc migrat ille in naturam elementi ignis.

Hisce igitur videre & obseruare potestis, quod spiritus licet sit res vnica & eadem, tamen admodum est ipse, more mercurii cœlestis, mutabilis, & de natura in naturam versatilis, ita vt cum flatu mundi terrestri seu septentrionali fit terra, occidentali aqua, meridionali aer, orientali ignis: similiter cum solari motu per æquinoctia aer, per solstitium æstiuale ignis, per illud hyemale terra, & per spacia inter ♎ & ♑. ac ♑ & ♈. aqua vel fluida vel congelata. Sic ergo spiritus hic vnus & idem est, commune veris & æstatis, autumni & hyemis subiectum; integra aeris, ignis, aquæ & terræ materia, commune venti septentrionalis, occidentalis, meridionalis & orientalis mare, medium, atque subiectum mercuriale, generalis meteororum omnium atque seminariorum eorundem matrix suaue vitæ & sanitatis myrothecium, mœstum mortis & morborum sepulchrum, ditissima Dei, angelorum, atque stellarum influxuum arca thesauraria, ex qua, quoad materialem substantiam, per creationem aut generationem, omnia, & in quam iterum per corruptionem & priuationem omnia: hæc est perpetua naturarum & mutationum in vno eodemque subiecto rotatio. Atque hic spiritus erat prius inuisibilis, quam aliqua res visibilis esset ab eo condensatione compacta, iuxta illud Apostoli, *Per fidem credendum est quod ea quæ sunt visibilia fuerint prius ex inuisibilibus*: Sic mercurialem spiritus mundi vniuersalis naturam, eiusque ab vno in aliud elementum alterationem, optime ex speculi istius obseruatione notatam & descriptam habetis.

CAPVT II.

Quomodo spiritus Sapientiæ æternus sit radicalis ille author & agens, mediante quo spiritus prædictus catholicus mouetur & alteratur, & quomodo per organa sua Angelica varia multiformiter à 4. mundi cardinibus ad voluntatem creatoris obeundam spirare assolet. Illudque totum inspectione huius speculi confirmatum inuenietis.

SPiritus *Sapientiæ* sacrosanctus (sine quo Iehoua nec cœlum nec terram nec quicquam aliud in iis ex aqua creare voluit) erat fons actuum, formarum & essentiarum rerũ omnium tam in cœlis quam in terris, mediatione cuius, quippe omni re mobilior, *omnia viuunt mouentur & agunt*: hinc in consideratione actus sui generalis & catholici dictus est ipse *incubasse aquis* (& Augustinus ait) *igneum iis vigorem impertiens*: in respectu magis particulari, ait Apostolus, *cœli erant prius & terra ex aqua & per aquam consistentes verbo*: vbi notare videtur, quod actor in aquis vnicus ad constitutionem cum cœlorum tum terrarum, atque etiam ad continuationem & præseruationem eorum, sit verbum Dei, quod est sapientia eius æterna: vnde etiam rex Dauid, *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*: quibus expresse narrat, quod vnicus & solus in hoc mundo agens & operator, tam in ipsius fabricandi ratione, quam in vitæ, actus, atque virtutis, tam ei quam omnibus in eo creatis contributione, sit catholicum istud vitarum spiraculum, quod quatenus est vniuersus vitarum fons & origo,

Sap. 7. *Gen. 1.* *In Genes. ad literam.* *2. Pet. 3.*

ita quidem potestatem & dominium habet in omnes ventos mundi, quorum est ad vitam diuersis suis afflatibus conducere. Atque hæc erat ratio quod Propheta secundum Dei instructionem dixit, *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla istos interfectos vt viuant.* Quo sermone intendit vnicum esse spiritũ & simplicẽ, in quo consistit omnium ventorum virtus & potestas, qui est sola vitarũ scaturigo, nõ modo agẽs in animalibus, vegetabilibus & mineralibus, vt mediante eo sensim viuunt, eo crescunt, & multiplicantur, sed etiam in ipsis ventis, elementis, meteoris, stellis, imo quidem atque Angelis, cum per ipsum vita & actione sua fruuntur, & suo more viuere & respitare videntur. Vnde certum est, quod spiritus iste lucidus, (quem ob istam rationem D. Johannes vocat *mundi lucem, à qua omnia, & sine qua nihil*) sit mens illa diuina vastum mundi spatium animans, Christus ille spiritualis, *omnia* (iuxta Pauli doctrinam) *implens*, termaximus spirituum princeps, & catholica illa Platonicorum mundi anima: qui, quoniam à psalte regio dictus est *posuisse tabernaculum suum in sole*, crediderunt sphæram illius fuisse orbem & sedẽ animæ. Hinc ergo erat, quod Cabalistæ eum *Angelum* illum *magnum Metattron* (quasi donũ Dei) nuncupauerunt, hoc est, vniuersalitati præfectum, & intellectum agentem, à quo formæ omnes & virtutes & singulares in homine tam animales, vitales, naturales, atque etiam rationales (quas pariter & angelos vocant) oriuntur, influunt, ac gubernantur: quibus etiam verba hæc Dauidis ante citata astipulari videntur, *verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnes virtutes eorum*: & consequenter creaturarum omnium quæ ex iis componuntur, cuiusmodi sunt vitæ, formæ, animæ, & facultates earum, quæ in motu & actione diuina consistunt, & successione continuantur. Hanc igitur ob causam in mysteriis Dei atque naturæ versatissimi, *Michaelem* magnum, potentem, & imperatorium illum Archangelum, sic dictus quasi (quis sicut Deus) ipsius solis visibilis præfectum fecerunt, quem poëtæ ob insignem eius vitarum custodiam & curam, & annua mortuorum quasi, & à re putrida ad vitam restaurationem, Apollinem appellarunt: quamobrem etiam à Cabalistis dicitur ex officio suo curam animarum habere. Hinc ergo tam vehemens eius contra draconem veterem (nefarium animarum hostem) bellum, contentio & pugna, in quo quidem conflictu victoriæ suæ trophæum sibi perpetuum fixit: atque iste videtur esse Angelus ille magnus & potens in omnes angelos principatũ tenens, de quo sic loquitur, *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque vllam arborem: & vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quovsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum, &c.* Ex quo orationis filo imprimis colligimus, istum fuisse angelum illum qui est solis præses, vtpote cui oriens, quod est solis fortitudo, assignatur, iuxta illud textus, vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis: deinde quod sit angelus Salutaris, & animarum præseruator, quoniam est magnus ille sigilli seu signi Dei viui custos, mediante cuius impressione, vitæ & salutis securitas creaturis per literas quasi parentes confirmatur. Textus est, *vidi Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei, qui angelis nocentibus clamauit, nolite nocere terræ, quousque signemus, &c.* De sigilli huius dispositione, & de magni istius custodis, seu cancellarii cœlestis natura *in volumine præcedente*, vbi de vitæ & sanitatis ratione plenius egimus, plura loquuti sumus. Tum postea exploratum habemus ex prædicti textus medulla, quod iste Angelus dominiũ habeat super omnes alios Angelos, qui vt sint spiritus, ita necesse est vt ex vnica proprietate cardinali, videlicet vel plagæ Orientalis, vel Occidentalis, vel meridionalis, vel septentrionalis dependeant: at iste angelus magnus vim atq; potestatem, & imperium habet in omnes Angelos, qui sunt ventorum præsides; ergo in omnes. Hinc dictus est Christus Angelorum summus & princeps, quippe à quo dependent non minus quam radii solares omnes à sole vnico; erat enim *sapientia æterna ante omnia primogenita, & creaturarum cunctarum prima*: estque in sua essentia *emanatio seu fluxus claritatis omnipotentis, & candor seu splendor lucis æternæ*, quæ cum sit vna omnia potest, & permanens in se omnia innouat, virtute & præsentia cuius *mundus ex materia inuisa & tenebris deformi prius detecta & clarificata creabatur, in cœlos & elementa in principio ordinabatur & ornabatur, aqua in densis nubibus quotidie ligantur, & in mensura appenduntur, adeo vt non findantur nubes sub iis, pondus aeri aptatur, pluuiæ statuta fiunt, & via fulgetro tonitruũ, ventosque depromat è thesauris.* Hic (inq̃) spiritus ille omniũ spirituũ potentissimus, per quẽ spiritus cæteri existunt, & à quo angeli tã cælorũ quã terrarũ virtutẽ, motũ & vitam hauriunt, non aliter quam sydera in cœlo omnia à sole suam, nam Phæbo aurea coma fulgenti tanquam regi & imperatori, mundi sceptrum & gubernaculum tenenti, omnes cœlestium inesse virtutes percipimus, vtpote ad cuius aspectũ (vti diximus) omnes omniũ cœlestiũ vires notãtur in vnũ quasi

Ezech.

4. Ephes. 8.

Reuchl. lib. 3. de art. Cab.

Apocal. 7. 1.

In cap. 2. lib. 3. de super-cœl. vitæ & sanitatis ortu.

Ecclesi. 1.

Sap. 7.

Iob. 26. 9.
Iob. 28.

Ierem. 51. 15.

quasi congregari atque colligi, quæ tunc postea in hunc mundum inferiorem per ignea eius spiracula disseminantur, vti experientia in annuis aeris mundani & creaturarum mutationibus luculenter demonstrauit: imo vero angeli cæteri sunt solummodo organa spiritualia per quæ spiritus iste catholicus solummodo agere, & *omnia in omnibus* operari testatur Apostolus: quod etiam luculentius in eo confirmatur, quoniam tametsi angeli, seu spiritus illi inferiores in cælo & in terra Dii nuncupentur, nobis tamen *vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos*, imo vero & angeli *per ipsum*. Denique textus antea ex reuelatore allegatus, omnibus mentis sanæ innotescere videtur, quod spiritus iste reuera *Elohim Ruach* sit ventorum & spirituum omnium caput, vita & anima, & nisi diuinæ istius emanationis radius inesset angelis (quos teste Psalmista *ventos fecit*) ipsi nihil præstare potuissent; quare iuxta voluntatem suam ab hac vel illa mundi plaga spirare ad mandata sua perficienda animantur atque exagitantur: est enim ipse Deus, seu hic Dei spiritus, qui per instrumenta illa angelica spirat quando & vbi vult. Hoc etiam à Cabalistarum, & in mysteriis latentibus expertorum sententia comprobatum habemus, quippe qui nolunt, vt quis vana superstitione ductus putet omnia humanæ mortalitati cælitus ab angelis conferri, sed potius per angelos ab ipsa Dei maiestate omnia fieri, etiam in angelis, iuxta illud Danielis, *secundum voluntatem suam facit in exercitu cæli & habitatoribus terræ*: vnde angelum haud inepte definierunt *esse inter Deum & naturam virtutem mediam, à qua fiunt operationes in rebus quas natura earum vel non faceret, vel sic faceret*, quas alii prouenire dicunt à proprietate occulta, alii quia tale. Hinc angeli dicuntur à pagina sacra *Dei ministri facientes placitum eius, in quibus est nomen Dei*: quare dixit Iehoua ad Israelitas, *Noli exacerbare angelum meum quem mitto ante vos, quia non feret defectionem vestram, quoniam nomen meum est in eo*: vbi per nomen intelligit, verbum eius; cuius sunt organa: vnde Dauid, *Angeli Dei validissimi robore efficientes verbum eius*; hoc est instrumenta eius, facientes effectum suæ voluntatis, quatenus à verbo Dei ad illud munus obeundum animantur, & toto conatu rapiuntur. Propter hoc igitur à Dionysio angeli *Agalmata* appellantur, hoc est specula politissima, quæ radios diuinitatis immediate recipiunt, ad imitationem istius eorum fontis, qui à Salomone dicitur *candor* seu *splendor lucis æternæ, & speculum* sine *macula maiestatis omnipotentis*. Hic ergo spirituum spiritus, qui à proprietate sua soli ascripta *Michaelis* nomen sibi assumit, vt est angelorum summus & solus in spiritu mundano motor, ita quidem per solem in sole habitans, spiritum mundi catholicum ad motum sui tabernaculi circumgyrare efficit, nam (teste Sapiente) *sol lustrans vniuersa, in circuitu pergit spiritus & in circulos suos reuertitur*: vel iuxta Tremellii interpretationem, *sol properat ad meridiem, & circumit ad Aquilonem, & conuersatione sua circumiens properat aer, & secundum circuitus suos reuertitur aer*: vel vt Pagninus habet, *Sol vadit ad meridiem, & circuit ad Aquilonem, subinde circumeũdo pergit ventus, & ad circuitus suos reuertitur ventus*. Quo quidem in textu vim arguit & agnoscit vniuersalem ventorum & aeris in ipso sole, & eius Deigenita anima, videlicet *verbo Dei*, in quo (teste D. Iohanne) *est rerum vita*, consistere. Qua etiam ratione Orpheus, & Theosophi Platonici mundi animam sub Iouis nomine comprehendunt, affirmantq; ventos esse Titanis, Astreæ & Auroræ filios, quatenus ipsi generantur à calore solari, qui aerem reddit subtilem & rarũ, & præcipue tempore matutino. Hoc etiam & ethnicus ille Aristoteles (experientia doctus) est fassus, videlicet ventos ex calore solari (non dicit actu diuino in sole dominante) procreari.

1. Cor. 12.

1. Cor. 8.

Psal. 104.

Reuchl. lib. 3. de art. Cab.

Psal. 194.

Exod. 23. 2

Psal. 103.

Sap. 7.

Eccl. 1. 6.

Concludimus igitur, quod vt diuina & radicalis essentia mundum ex materia aquea (potentiali, tenebrarum filia) & forma (lucis & actus diuini sobole) produxerit, ita quidem actu suo manifesto vndiq; per mundi spiritum, magis minusue, tam visibiliter per effectus quam inuisibiliter in sua natura expanso, subtilia & rara fiunt in mundo, in qua sua proprietate ventis calidis, seu suo afflatu calido, liquefactiuo & dissolutiuo agit & operatur in spiritu mundano, atque istam suam proprietatem à solari suo tabernaculo in spiritum mundanum præcipue impluit, tametsi vbique mundo adsit, licet inuisibiliter, tam in nolente, priuatiua, & contractiua sua proprietate, quam in illa volente, positiua & dilatatiua. Hinc ergo liquet, quod quo longius distat immediata solis præsentia à climate aliquo, eo etiam fortius prædominatur potentia diuina, cuius agonista est frigiditas, qua proprietate vtitur catholicus iste spiritus, vbi in vase alterius suæ proprietatis longius distat: & tamen est vnus & idem spiritus in essentia, quamuis multiplex in proprietate; idem (inquam) spiritus flat ab Aquilone qui à Meridie, & idem flatum suum, mediantibus suis Angelis ab oriente qui ab Occidente: Vnde Propheta, *Veni spiritus à quatuor ventis*, non dicit venite, sed veni. Denique hoc ipsum expressis verbis, & sermone perspicuo sic detexit Dauid, *Deo emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrit verbum eius, qui edit niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?*

Psal. 147. a. 15.

consistat? Emittens verbum suum liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ. Per priorem huius loci clausulam, contractiuam venti septentrionalis conditionem, quæ
Iob 37. 9. à verbo Dei in contractiua sua proprietate editur, denotare gestit propheta; vnde Iob, *Ab interioribus egreditur tempestas, & ab Arcturo frigus; flatu suo Deus fortis edit glaciem, & latitudinem aquarum coarctat, & rursum lucis suæ præsentia latissime funduntur aquæ.* At per secundam textus clausulam agnoscere videtur actionem verbi in proprietate opposita, videlicet in lucida sua natura, quatenus inest vel lumini solari & stellari, vel fulguri cæli: mediantibus quibus in virtute sua rarefactiua siue attenuante, humores vel condensatos, vel frigore contractos dissoluit, & in præcedentem naturam subtilem redigit: sic quidem Sol sui luminis præsentia maiori vel minori, plus minusue subtiliat aerem, eumque paulatim rarefaciendo conuertit in naturam igneam: at quia omne rarefactum ampliorem post suam dilatationem requirit locum in quo comprehendatur (vti dictum est) ita quidem in sua dilatatione mouetur, & in suo motu iuxta proprietatem quartæ aqua flat ventum excitat: quare venti ob istam causam Titani seu Phœbi dicuntur filij.

Sed & hoc ventorum mysterium à spiritu catholico deriuatum accurata instrumenti nostri ocularis animaduersione sic demonstratur.

Diligenti speculi nostri calendarij intuitu atque obseruatione percipies quod quo calidior & intensior in ardore fuerit aer macrocosmicus, eo etiam magis alteretur natura seu existentia aeris in instrumenti testudine A. comprehensi, à denso in rarum: quod quidem ad oculum sic probatur, quia nempe ipse aquam in syphone seu collo eleuatam per aliquos gradus deprimit & deorsum pellit, quod est signum indubitatum quod aer inclusus dilatetur & in rarum progrediatur: nam (vt dictum est) quemadmodum corpus aquæ rarefactum in vaporem seu aerem nebulosum, ampliorem pro suo extenso & dilatato corpore requirit locum, ita etiam aer densus rarefactione expansus & dilatatus, margines quærit magis aut minus spatiosas, iuxta maiorem vel minorẽ suæ dilatationis gradum, sine quibus existere nequit. Hinc est quod si vel manum tuam calidam super conuexum testudinis vitreæ A. imposueris, etiam tantillo calore aerem internum dilatatum paulatim descendere senties: multo magis operabuntur viui solis propinqui radii. His ergo patet quod aer sic à calore externo dilatatus conuertitur actinitate illius in ventum, qui vt ab occulto & inuisibili igne in summitate instrumenti animatur, ita quidem tendit ad partem oppositam B. versus, & partim calore, quo animatur, superat frigoris aquæ resistentiam, eamque pedetentim domat, partimque suæ substantiæ dilatatione substantiam aquæ deorsum repellit.

Eiusdem ad macrocosmum pro ventorum generatione relatio.

Pari etiam ratione res sese habet in spiritu macrocosmico; nam dum Sol sua præsentia viuaciter agit in brumali seu meridionali orbis terrarum spatio, hoc est currente eo per sagittarium, capricornum, aquarium & pisces, subtiliat & rarefacit aerem illius hemisphærii, aerque ille sic attenuatus fugit à radiis solaribus, & locum seu hemisphærium oppositum, videlicet septentrionale, quærit, in quo successiua frigoris coarctatione facile recipitur atque retinetur, vel in pluuias, aut rores copiosos, si ventus septentrionalis non præualeat, vel in niues, grandines, pruinas aut gelu, si validior sit ventus septentrionalis, transmutatur, condensatur & coagulatur. Sic ergo orti sunt, idque infallibiliter venti Australes, sic genitæ ab eis nubes, sic procreatæ pluuiæ: nec quidem quispiam cæcus, ex instrumenti istius obseruatione aliter de re ista iudicare potest: nam cum sit certum, & citra omnem controuersiam manifestum, quod mundi integri spiritus, seu materia substantialis, nec augetur, nec diminuitur, quemadmodum videmus experientia docti, quod pro tota illa pluuia quæ hic vel ilic in mundo cadit, & pro continuo fluminum & fontium in mare fluxu, mare nihilominus non augetur in sua quantitate, ita quidem res se habet in aere mundi catholico; nam quod in vno loco caloris dilatatione in suo pondere & mensura perdit, illud in alio constrictiua frigoris proprietate acquirit condensando. Aer ergo in hyeme Meridionali condensatus, & in naturam vaporosam & pluuiosam, absentia solis, redactus, iam paulatim præsentia solari attenuatur, & rarefactus ad hemisphærium boreale, quod

quod iam fit hyemale, pellitur, qui à partibus Australibus sic pulsus & mouens, à nobis nuncupatur ventus meridionalis. Atque hæc est ratio quod toties ventis huiusmodi Australibus infestamur nos boreales tempore hyemali. Ratio autem cur hic aer rarefactus post eius in hemisphærium nostrum exilium in nubes subito conglomeratur, est quoniam à poli frigore condensatur: nec quidem aliquod assignari potest tempus apud nos boreales, in quo venti boreales vel magis intense vel minus non spirant, licet ventus alius oppositus propter eius dominium habeat denominationem. Istius frigoris condensationis ratio demonstratur per machinæ nostræ obseruationem, vtpote quæ inspissat aerem, idque in eo declaratur quoniam aqua frigoris maiori vel minori in aere testudinis A. dominio, vel plus minusue exaltatur. Causa vero quod aera nebulosa huiusmodi à meridie ad nos euolantia in pluuias tam copiosas & tam subitaneas cadant, est quoniam aer subtilis à meridie euolans calore solari animatur, quippe sine quo neque subtilitatis suæ gradum nec mobilitatis tantæ actum retinere potuit, imo quidem & in causa est calor ille inclusus quod nubes in altum sustinentur, iuxta illud, ***Sapientia aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, ligat aquas in densis nubibus vt non findantur:*** *Iob.26.9.* *Iob.28.25.* est enim hic spiritus diuini actus in organo solari, atque etiam vniuerso mundo occulte operans.

Calor ergo aeri fugienti vnitus (nam vapor est calidus & humidus) sentiens dominium extremi frigoris, paulatim relinquit nubem, eamque relinquendo dissoluit, nubesque iam grauior & tardior facta propter caloris absentiam & frigoris præsentiam (cuius est illud constrictione graue reddere, quod calor rarefactione effecit leue) magis apta est deorsum tendere; vnde factum est quod substantia eiusdem maiori appetitu deorsum tendat, seque in guttulas resoluat. Quod autem sit aer calore solari Australibus præsente rarefactus, & quod ille sic rarefactus ab hemisphærio Australi expellitur, & calore in suo motu agitatur, in eo sat liquido constat, quoniam pluuias meridionales calor & tepor vt plurimum comitantur; nisi sit quando ventus septentrionalis in gradu aliquantulum protensiori spirans obtundit temperiem eius calidam.

Ventum autem frigidum & septentrionalem fieri dicimus quando venti meridionales in nadir ad zenith nostrum fortiter spirantes, aerem polari frigore admodum coarctatum & quasi consopitum exagitant & resuscitant, & violento suo insultu pellunt ipsum violenter à septentrione, qui spiritus frigore loci seu poli non aliter concomitatur, quam ille à meridie mediante calore emissus calidos suos in horizonte nostro producit effectus. Demonstratur hoc, quia calidus aer contra caput instrumenti, A. feriens, subito aerem in A. inclusum deorsum à polo quasi versus aquam subito deorsum mouere facit, frigusque se in aquam immergit. Porro ventus subsolanus vt plurimum temperatus ideo existimatur; quoniam ambo poli suo frigore æqualiter in puncto æquatoris concurrunt cum calore solis; præterea tanta est inter ipsum & zephyrum seu fauonium relatio, vt ventus vnus contemperare solet extremitatem naturæ alterius; vnde hi venti sunt vt plurimum beneuoli, suaues, salutares, & ad generationem dicati: diciturque subsolanus calidus & siccus, quia Sol ascendens perseuerat in rarefactione aeris gradatim diurna sua præsentia: at aliter se res habet in fauonio, quia sole occidente temperies nocturna frigida & humida in eo dominatur. Hoc indicatur per locum sectionis pyramidum qui æqualitatem denotat: quare subsolani natura participat de hemisphærio caloris A. C. & fauonius de illo frigoris C. B. Ventorum autem collateralium ferocitas, aut lenitas, aut à mixtionibus ipsorum vel cum oppositis, vel transuersalibus facta est; vti in historia mea meteorologica satis superque est explicatum.

At dicit aliquis, quando ergo fit quod hic vel ille ventus magis hoc tempore quam illo, imo vero inconstanter, atque incerto modo, & anni quarta, mense, die, aut hora, spirare percipitur, cum certum sit solem constanter omni hora & momento iter suum tam boreale quam australe facere, suosque vt plurimum inexpectatos euentus parere solere. Porrò si solis cursu hoc fiat, quid hoc ad sapientiam Dei aut organa angelica? Cui ego sic. Si ea quæ à me sunt antea recitata, sapienter ille capiat aut rectè intelligat, percipiet quidem, idque ex verbis Ezechielis aperte, quod *vnicus* sit tantum *spiritus qui venit à quatuor ventis terræ*, hoc est angelus vnicus imperatorius (vt cum Reuelatore conueniam) dominium & imperium habet in quatuor illos angelos siue spiritus, quibus ventorum à quatuor terræ angulis spirantium fræna & regimina sunt commissa; videlicet spiritus ille sapientiæ, qui licet in se sit *vnicus*, tamen respectu varietatis, & multiformitatis suæ proprietatis à Salomone dicitur *multiplex*: quæ quidem variæ eius proprieta- *Ezech.* *Apoc. 7.* *Sap. 7.*

tes,

tes, emanationes, seu numerationes variæ à Cabalistis dicuntur quasi varii riuuli ab vno fonte, vel diuersi rami mobiles ab vno trunco fixo: sic eundem in essentia ignem, vel multiformes solis proprietates in se habere videmus, quæ respectu varietatis organorum ab inuicem differunt: nam ignis in furno panem coquit, flamma sua ad distans suauiter calefacit, propinquius inflammat, corpora contigua vrit & consumit, cum pinguedine flammam dat, cum ligno viridi fumum, cum puluere bombardali strepitum & sonum ingentem edit, grauiaque eleuat in altum, & tormento bellico globum ferreum seu plumbeum lateraliter emittit. Similiter Sol salubriter calefacit, quandoque gramina suo aspectu multiplicat, nonnunquam herbas marcescere facit, per speculum vrens consumit & ardet, &c. Vnde liquet, quod eadem in essentia virtus, respectu varietatis vel medij vel organi varieformiter tamen agere queat.

Hinc ergo erat, quod Cabalistæ suam *arborem* (vt diximus) *Sephiroticam* inuenerint, in qua finxerunt vnicum truncum nomini Dei essentiali, Iehouæ scilicet communem, ex quo decem rami proprietate diuersi exurgunt, cuius radicem fecerunt *Ehieh*, quasi Ensoph, seu infinitudinem. Nam quando per diligentem literarum sacrarum inspectionem atque inquisitionem nomina Dei vnius decem pro effectu vario fuisse prolata obseruauerunt, perceperunt quidem, quod nomina hæc varia, iuxta variorum effectuum naturam seu proprietatem, qui sequebantur, fuissent à Spiritu sancto ibi expressa: verbi gratia *El* arguebat clementiam & salutem, *Elohim* seueritatem, *Adonai* dominationem, *Sadai* redemptionem; *Eloah* pulchritudinem, &c. quare ipsi sapientes portas seu numerationes suas, per quas hi proprietatum seu voluntatis Dei multiformis radii lucidi aut emanationes à fonte *Ensoph* descendebant secundum naturas nominum diuinorum, à proprietate & non essentia Deo attributorum, nominauerunt. Hinc ex decem illis nomini *Ehieh* patris proprietatem arguenti, porta *Chetar*, hoc est corona attribuitur, illi *Iah hochma*, seu sapientia, tertio *Elohim Binah* seu prudentia, quarto *El*, *Chesel* seu clementia, quinto *Elohim Gibor Geburah* seu punitio, sexto *Eloah Tiphereth* seu gratia, septimo *Iehoua Sabaoth Netzeth* seu triumphus, octauo *Elohim Sabaoth hod* seu laus, nono *Sadai Iesod* seu redemptio, decimo denique *Adonai Malchut* seu regnum & dominatio. Quibus manifestum est, quod omnia hæc nomina paginæ sacræ authoritate vnicæ essentiæ attributa, varias & differentes important in eadem monade proprietates & actus. At quoniam quælibet lucis, seu voluntatis diuinæ emissio siue emanatio, est quasi nuntius siue angelus, ideo ad decem angelos proprietate diuersos referuntur decem hi influxus diuini, qui angeli non minus ab vnico sapientiæ spiritu seu angelo summo ante omnia creato dependent, quam omnes eiusdem fontis riuuli, ab vno eodemque fonte, vel omnes hæ decem emanationes ab vno Ensoph, seu infinita Dei essentia. Hinc ergo portæ *Cheter Metattron* summus & catholicus ille angelus, qui est cæterorum caput, dicatur, vt à paterna bonitate mundus, omnes creationis dotes & influxus per eam recipiat, ducente & dirigente eo: vnde hoc Psaltæ axioma, *verbo Dei firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnes virtutes eorum.* Hic enim erat primus in mundo motor, vimque suam habet in primum mobile. At portæ *hochma* inseruit Angelus *Iophiel*, qui influxus istiusmodi Dei proprietatis recipit & effundit in cælum stellatum: illi vero *Binah* subest angelus *Zaphkiel*, qui illius portæ influxus impluit in sphæram Saturni, vt & Angelus *Zadkiel* illos portæ *Chesed* commendat & transfert in sphæram Iouis, & *Samael* illos *Geburah* ad sphæram Martis, & *Michael* illos *Tiphereth* per virtutes ad globum Solis, & *Hanael* illos portæ *Netzech* per principatus ad orbem Veneris, & *Raphael* illos portæ *Hod* per Archangelos in sphæram Mercurii, & *Gabriel* illos portæ *Iesod* ad mundum Lunæ, & anima Messiæ (vt quidem volunt) in elementa.

Hic ergo incipiunt Astrologi suum de aeris in ventis & meteoris mutatione initium, videlicet à stellis vel syderibus, vnde neglectis angelorum (qui sunt verarum emanationum diuinarum organa) operationibus occultis, ac organis sensibilib. suam deriuare notitiam gestiunt. At nos cum occultis Theosophis agnoscimus ventos & aeris mutationes in elementa & meteora per elementa ortum suum immediatum habere, & procedere ab angelis primariis qui organis stellaribus vtuntur, vt per ea effundunt portarum prædictarum influentias ad angelos inferiores & in aere ad voluntatem diuinam exequendam dispositos atq; ordinatos. Hinc ergo agnouit Iohannes quod quatuor *sint angeli qui stant in quatuor angulis terræ*, in quorum potestate erat aut ventos emittere, aut retinere, & quod hi angeli nihil sine mandato magni angeli solaris Michaelis ab oriente ascendentis quasi mundi animæ, præstare potuissent. Et Rabbi Tedacus agnouit bonos angelos dominium

minium habere super illos quatuor ventorum spiritus, quibus datum est nocere terræ, attribuendo orienti *Michaelem*, occidenti *Raphaelem*, septentrioni *Gabrielem*, & meridiei *Vrielem*, quorum est; reprimere maleuolos malorum spirituum effectus: sed omnium potentissimus est princeps ille magnus & pro animabus contra draconem pugnator & bellator: hic est, ipse qui principem illum maleuolum, potestatem in aëre habentem, suæ voluntati subiecit: atque hic est igitur ille, qui à solari tabernaculo annum ordine suo consueto dirigit, & in temperie à Deo prima creatione ordinata præseruat: hic est, ille qui cum sit angelorum omnium dux & princeps, spirat & flat suo spiritu, quem immediate à fonte lucido habet, quo & quando vult, & *nemo* (teste D. Iohanne) *scit quo venit, aut vnde vadat.* A septentrione hodie & crastina die à meridie, ab ortu solis fortasse nunc, & immediate post ab occidente, vnus & idem spiritus à plagis oppositis ratione opposita spirat Iehoua à septentrione, eiusque verbum & flatus à meridie; quippe cuius est operari omnia in omnibus, quoniam ab illo, per illum, & in illo omnia, cui sit laus & honor in æternum.

Denique Deus mihi melius quam vt quispiam putaret me, Iehouam esse Angelum Michaelem (qui respectu suæ naturæ Angelicæ pro creatura habetur) asseuerasse; verum propalare haud erubesco, quod emanatio illa immediate à diuino fonte in spiritualem huius creaturæ substantiam sit nomen & verbum Dei, qui mediante isto organo angelico Michael; à Iehouæ in eo proprietate dicto, vbique in cœlis & in terra agit: nam in cœlo empyræo rapit iuxta voluntatem suam & agitat angelos cuiusque ordinis, qui iterum in illos ætheris effundunt virtutes ipsis à Deo per Michaelem, siue Metattron commissas; atque iterum hi à stellis virtutes à Deo transfusas ad spiritus cœli elementaris & præcipue ijs qui vim habent in quatuor mundi cardines copiose infundunt à qualibet ætheris sphæra pro ratione dominij suæ stellæ in cœlo.

Atque hæc est mea intentio, quod Pater per Filium mediante Spiritu sancto agit in spiritum empyreum, spiritus empyreus per trinitatem in æthereum, & æthereus per spiritum empyreum in elementarem, quasi tertium in typo & exemplari progressionis personarum in diuinitate trium à radice vnica æterna ortarum.

CAPVT III.

Qua ratione nubium, pluuiarum, rorum, niuis, pruinæ & gelu origo & causa expiscetur & enucleetur.

NVBES in cœlo multiformis proculdubio à multiformi aëris subtilis condensatione & coagulatione fit, internus ad aëris in huiusmodi meteori productionem agens & motor est verbum Dei seu *sapientia æterna, quæ aptat pondus aëri & appendit aquas in mensura, & ligat nubes pro tempore, adeo vt non findantur*, vt testatur Iob textu antea citato. *Iob.38.*
A Deo enim omnia creantur, per Deum omnia mouentur & viuunt; in Deo præseruantur & sustentantur: cuncta hæc præstare solet *Elohim Ruach*, mediante sua sapientia *Sap. 7.*
seu spiraculo sancto, vti nos docent literæ sacræ: nam ipsa sapientia, quatenus est lucis, motus, & actus fons, ita quidem traditur à Salomone *esse omni re mobilior*, videlicet in patente & lucida sua natura: at vero in natura sua latente & tenebrosa dicitur se in densa nube (quam ipse in ista sua proprietate contraxit) occultare: nam locus est; *Nu-* *Ps.105.39.*
bem expandit Deus pro tabernaculo, Nubibus obtegit cœlos, Densæ nubes vehiculum Dei, seu cur- *Psal.147.8.*
rus qui itat super alas venti, Ipse volans super Cherubin, & lapsus super pennas venti, Posuit te- *Psal.104.*
nebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum. Denique dixit Iehoua, *2.Reg.22.* *1.Chron.6.1*
se habitare sub caligine. Quo euidens est; quod idem Elohim Ruach, mediantibus suis ventis, hoc est, afflatu suo varieformi contrahendo aërem seu cœlum producit nubes, tum dilatando eas in aërem, vel in pluuias dissipando eas iterum resoluit, iuxta illud prophetæ supra citatum; *Emittens verbum suum liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ.* Est ergo spiritus mundi inuisibilis arca Dei thesauraria, ex qua depromit ista visibilia. Hinc Apostolus; *Per fidem agnoscimus quod semper ita actum sit cum mundo per verbum, vt ex ijs quæ videri non poterant fierent ea quæ possunt videri:* & Sapiens, *Manus omnipotentis mundani visibile ex materia inuisa creauit.* *Heb.1.* *Sap.11.18.*

Quare liquet quod nubes & cætera meteora visibilia non fiunt ex subtili aquæ vel

terræ quæ sunt visibilia, vt inepte & more phantastico Aristoteles & eius asseclæ Christiani volunt, sed ex spiritu mundi inuisibili, qui pro voluntate diuina se in speciem quamcunque visibilem contrahere potest & solet, atque etiam dilatatione inuisibiliter disparere, & nihilominus sensibiliter huc & illuc moueri dignoscitur.

Hoc autem lucide nos docet pagina totius veritatis in verbis istis, *Aperiet tibi Iehoua*
Deut.28.12. *thesaurum suum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo*, hoc est, producet Iehoua nu-
Psal.135.7. bes ad irrigandas terras ex aëre inuisibili. Sic alibi, *Qui ascendere facit nubes; qui educit ventũ è thesauris suis*: hinc etiam & alibi, *Peruenisti ne in thesauros niuis, aut in thesauris grandinis inspectio-*
Iob.38.22. *nem habes?* Quibus manifestum est, quod arca Dei thesauraria inuisibilis, sit sacrarium illud occultum ex quo Deus depromit ista; & consequenter quod per organa sua spiritualia agat tam in proprietate sua contractiua in occultorum manifestatione, quam dilatatiua in eorundem occultatione.

Demonstratio per speculum istud.

Hoc totum per machinam nostram experimentalem indicare possumus, vtpote in qua aër inclusus vtcunque in sua substantia inuisibilis, à proprietate tamen spiritus septentrionalis oculariter contrahi percipitur, aquamque versus caput eiusdem sublimari. At nemo (credo) rationis compos negabit, ipsum aërem in aquam conuerti posse, cum vulgaris nos doceat experientia quod marmora sudore aëreo madescant, & halitus humanus (qui est nihil præter aërem) primum in nebulam, deinde in guttas resolui soleat. Præterea spirante Deo à meridie dilatantur aquæ, nam calore aëris meridionalis aqua in canali gradatim deorsum tendere percipitur. Nubes ergo assidue vento meridionali congregantur, & in pluuias iterum dissoluuntur, ratione à nobis capite præcedenti explicata, vbi de ventorum ratione verba fecimus ampla: quam rationem ex instrumenti nostri obseruatione collegimus, vt ibi planius. Roris autem generatio fit vbi adest temperiei aëris cum calore cœlesti æqualitas, vnde in globosam & sphæricam substantiam cadere obseruatur, etiam in sereno & puro cœlo. Sic res sese habet in loco sectionis pyramidalis, seu æquatoris.

Niues denique & grandines; atque pruinæ & gelu, maiori vel minori, secundum suorum graduum dispositionem operatione frigoris polaris in condensatione aëris nascuntur: quod quidem lucide indicatur per successiuum aëris per gradus in vitro ascensum: Atque iste aquæ ascensus denotat quod aër inclusus sit ad talem naturam redactus ad qualem frigus borealis redegit aërem externum, videlicet vel in consistentiam pruinæ, vel niuium, vel grandinis vel gelu. Inspiciatis ergo velim speculum, & huius rei rationem experientia docebit: pruina enim est materiæ rosidæ in dispositionẽ spongiosam contractio; nix est aëris tenuis in lanuginosam consistentiam concretio leuis: grando est aquearum pluuiæ guttularum in globulos solidos redactio: glacies est aëris madore aquæ in eius superficie collecti coarctatio & congelatio. Infinitum foret omnia meteororum humidorum mysteria hoc in loco enucleare, sed quoniam de iis alibi egimus abunde; ea nunc omittemus: concludendo nos testimonio oculari doceri quod quando aqua ascendit ad 3. hemisphærii hyemalis, fit pruina; si ad 4.5. pruina indicatur stricta cum glacie, si ad 6. & 7. pertingat; arguit tantum fore glaciei dominium, vt etiam Thamesim parte glacie percipiemus obtectum: in gradu 8. & 9. abundabit in Thamesi glacies: denique in 10. 11. 12. ita præualebit gelu in fluminis superficie, vt super ipsum homines & pecora transire queant. Ecce ergo gradus dominii frigoris septentrionalis, & successiuos ipsius effectus.

CAPVT IV.

De meteororum lucidorum seu ignitorum ortu, & quomodo ipsorum ratio in isto speculo veraciter demonstretur.

QVOD Deus sit actus & lucis fons, similiter quod ipse lucem inhabitet inaccessibilem, & quod ignis etiam consumens in proprietate sua æstuante dictitatur, neminem in scriptis sacris bene versatum latere existimo: nam vt est lux primaria & radicalis, ita creatura prima lucida ab eius fonte emanans est cuiuslibet naturæ lucis, siue ignis

actus

actus & vita centralis, ſine quo nihil lucere, nihil agere aut illuſtrari cognoſcitur: nam vt
æterno ſuo motu calorem in mundo catholicum excitauit, ſic quidem mediante eo mouet
& animat, atque circumuertit aërem ſeu ſpiritum vniuerſum, eumque faciei ſuæ reuelatæ
fulgore illuminat, quandò & vbi; ſiue in quo elemento ei placuerit: hinc prophera; *Aſcendit* *Pſal.* 17.9.
fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit: præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, & car-
bones ignis: ſic etiam *Iehoua è medio ignis vocem ſuam edidit Iſraëlitis*; & alibi; *In rotâ illuxerunt* *Deut.* 4.11.
coruſcationes tuæ orbi terræ, & alibi; *Amictus lumine quaſi veſtimento; qui facit miniſtros ſuos i-* *Pſal.* 76.18
gnem vrentem. Porro & alibi, *De throno procedunt fulgura*, & iterum, *Claritas Dei cir-* *Pſ* 103.*a.* 2
cumfulſit illos, præcedebat Iſraëlitas per totam noctem in columna ignis: nam ſapientia erat illis lux *Apoc.* 4.3. *Luc.* 2.9.
ſtellaris nocte. Sic etiam ignis exiens à conſpectu Iehouæ exanimauit filiòs Aharonis: & i- *Pſal* 78 15.
gnis à Iehoua emiſſus conſumebat 250. illos viros qui admouebant thus, cum infinitis a- *Sap.* 10.17.
lijs. Quibus arguitur, quod extrema aëris dilatatione ipſe eo magis in naturam igneam con- *Leuit.* 10 2
uertatur quo magis in ipſo intenditur calor. *Num.* 16.35.

Demonſtratur ſic.

Videmus quod aër in teſtudine A. & ſyphone concluſus eo magis deorſum tendit, quo magis incaleſcit teſtudo A. in qua eſt; vnde certum eſt quod aër ille eo magis inflammatur, & in igneam conuertitur diſpoſitionem quo magis dilatatur: at teſtatum eſt per ſpeculi inſpectionem quod aër calore minimo dilatatur, etiam ad contactum manus: ergo certum eſt ipſum intenſiſſimo calore in ignem ardentiſſimum poſſe reduci, quoniam quò magis gradatim deorſum deſcendit in hemiſphærio æſtiuali (quod per aquæ deſcenſum dignoſcitur,) eo rareſcit magis, at quo magis caleſcit, eo magis etiam eſt igneus, ita vt in fine ad extremam fulguris naturam quandoque exaltatur, vti in mundi maioris coruſcationum generatione colligere poſſumus. Concludimus igitur, quod cum eadem ſit contrariorum ratio, ſi vnum extremum; videlicet 7. hyemale declarat extremam frigiditatem, & conuerſionem aëris in naturam gelidam & intenſe frigidam, neceſſe eſt quod aliud 7. videlicet illud in centro pyramidis meridionalis vel æſtiualis, ſit intenſe calidum, hoc eſt, in naturam fulguris conuertatur, quando aqua deſcendat ad illud. Atque hoc modo habetis vera & generalia naturæ macrocoſmicæ, ſeu ſinceræ atq; ſacerrimæ philoſophiæ naturalis fundamenta, illis Ariſtotelicis, vtpote veritati repugnantibus, contraria, vti capite ſequenti perſpicuius apparebit.

CAPVT V.

In quò erronea & falſa philoſophiæ Ariſtotelicæ; & conſequenter illius peripateticorum Chriſtianorum fundamenta & baſes digito quaſi tanguntur; & oculari experientia deteguntur.

NON eſt ſi quidem mirum quod D. Paulus mundum à vana philoſophia (vtpote illi diuinæ & ſacræ oppoſitiſſima) diſſuadere atque diſtrahere aggrediebatur, cum ipſe quantum illa mundo afferret nocumentum ſpiritu prophetico præſagiebat. Nam quid obſecro mortalibus ratione præditis infeſtius haberi poteſt, quam vt ipſi inſtar cæcorum igne neſcio quo fatuò duce in erroris labyrinthum ſeducti, tenaci & lethifero tenebrarum lethalium luto & limo miſere hæreant quaſi; atque immergantur? Cum autem certum ſit omnibus veris Chriſtianis, & citra omnem hæſitationem comprobatum, quod vnica ſit veritas, eaque benedicto literarum ſacrarum ſanctuario clauſa atque reſerata, cur adeo ſumus nos Chriſtiani mentis inopes; rationeque deſtituti, vt relicto iſto veritatis fonte, eam in ſterquilinijs ethnicis quæramus; in quibus nullam veræ ſapientiæ & ſcientiæ rationem expiſcari queamus; præter illam quæ opinioni magis, & ſubtilitatibus diabolicis quam certitudini & veritati innititur: videntur (inquam) fundamenta Ariſtotelica eſſe vera, & tamen non ſunt; & per conſequens præſtigioſa ſunt, & falſa ſimulachra. Atque hinc erat quod tanta eſt inter veræ philoſophiæ leges & illas ethnicorum oppoſitio: vnde ſequitur, quod aut phyſica illa textus ſacri doctrina ſit mendax (quod quidem profanum atque impium foret aſſeuerare) aut illa Ariſtotelica eſt omnino falſa & erronea, cum non ſit niſi vna veritas.

Quis autem è schola Christiana Aristotelem, aut ex ipsius discipulis quempiam Moysi, Iobo, Dauidi, Prophetis, imo vero ipsi Christo aut Apostolis, in naturæ vtriusque cognitione & scientia præferre ausus est? solus profecto ille qui est filius diaboli, qui reuera mendax est, quippe in quo nulla veritas. Non ergo inest Christianis Aristotelis asseclis extrema dementia furorque nescio quis vesanus, qui Aristotelem philosophorum Deum statuunt, ipsiusque præceptis tanta cum constantia adhærent, ac si essent emanationes quædam diuinæ ab ore omnipotentis nobis infusæ atque inspiratæ? & tamen considerare nolunt, quod istius physices structura est spuria, fabulosa, & omni vento subiecta atque obnoxia, Proh! dolor, quod etiam Theologi ipsi Christiani in scholis Aristotelicis enutriti, & infidelium quasi lacte pingues facti in hunc vsque diem istam tam manifestam & palpabilem erroris semitam detegere & detectam in exilium à Christianis perpetuum relegare non potuerint: hinc ergo tot in Theologiam irrepserint errata, tot, dico, errores, contentionis atque conraminis tantæ soboles: hinc tot hæreses, tot religionis sectæ, tantumque inter mortales odium, liuor, bellum, cauillationesque in mundo tam assiduæ, cum reuera veritas vna, religio vna, via vnica & sincera, & regimen in adoratione vnicum & simplex esse debet, nam talis est essentia illa æterna, quæ simplex est per se & in se vnitas, quæ amore vniformi creaturis, & operibus suis se patefacit, in quibus ille dignoscitur ab effectu, non aliter quam in corpore anima; atque corpus itidem in sua forma, dispositione & temperie animæ virtutes exprimat: hinc ergo Apostolus, *Christus omnia est & in omnibus*; & alibi, *A patre omnia, & per Iesum Christum omnia:* atque iterum *Deus pater omnium, qui super omnia, & per omnia, & in omnibus*: & alibi, *Deus omnia implet, ipse operatur omnia in omnibus*; nam *in Deo viuimus, in Deo mouemur & sumus. Ipse misit spiritum suum, & omnia per eum creata sunt.* Denique *ex ipso per ipsum & in ipso sunt omnia*: & consequenter *creaturæ omnes enarrant gloriam Dei, qui eas decore ornauit, & splendore atque actu suo illustrauit.* Cum igitur *de Deo sunt omnia*, Deus autem vnicus sit, cur non potius ad vnitatis metam & homogeneam simplicitatem se potius accingunt Christiani, quàm vt in diabolicum illum confusionis numerum, dyadem, videlicet erumpant, atque ita vnionem diuinam corrumpendo ab vnione diuina recedant: cum hac quidem ratione desinat manere dies primus cum Deo, sed facti sunt dies ille secundus, in quo Angeli peccantes sunt deorsum pulsi, & per firmamentum ab aquis superioribus bonorum angelorum sede diuisi; vnde quidem hic dies in textu Mosaico non commendatur pro bono; sic, inquam, hi qui relinquentes scripturarum veritatem vt mendaciis adhæreant ab vnitate sunt disiuncti, atque ita heterogenea simul colligentes, bonum cum malo in tanto confusionis chaos accumulant, & consequenter peccato, infidelitate, & dubiis (formidolosis barathri & confusionis retibus) capti & submersi sunt. Hinc ergo euenit vt cum contra philosophiæ Aristotelicæ fundamenta aut regulas sacrorum Bibliorum ipsis proferamus contextum, respondere haud erubescunt, quod illud verum sit in philosophia, sed non in Theologia, & quod ab arte in artem non debemus facere progressionem, ac si philosophia vera à sacra Theologia, distingui queat: nam philosophia naturalis est sapientiæ in natura creata amor, & ista sapientia siue emanatio sancta non est mortalibus reuelata nisi quatenus in naturam creatam à conditore sit emissa, vt eius præsentia, & per eam omnia essent creata, vita inspirata, motu prædita, & in existentia sua præseruata. At (mi boni Aristotelici) si philosophia naturalis à textu sacro tanta diligentia & cautela sit separanda, cur obsecro sunt scripturæ, & præcipue libri Moysis, Iobi, psalmi Dauidici, sapientia, ecclesiasticus, prouerbiorumq; Salomonis, imo quidem & prophetarum & euangelistarum; tam philosophia naturali repleta, cum ibi locorum vbiq; de meteororum omnium generationis ratione agitur, quorum animam lucem diuinam seu verbum, seu sapientiam sacrosanctam, corpus vero siue materiam spiritum mundanum esse fassi sunt illi viri sancti, quos ideo veritatem scripsisse clarissimum est, & pro certo scimus, quoniam nihil nisi quod ab ipso spiritu sancto iis dictatum est memoriæ prodiderunt: at eorum omnium doctrina est illi Aristotelis contraria: cur ergo falsitatem cum veritate contaminare pergitis? Reuertimini, reuertimini iam tandem ô Christiani in semitam rectam, viam ve veritatis, quos Iesus Christus vera mundi lux suo sanguine à peccati originalis toxico & contagione tanto cum labore & sudore redemit: relinquite falsa paganorum istorum fundamenta, quæ vos tam diu seduxerunt, & in viam ad perditionem latam traduxerunt. Sed ne replicetis & dicatis, quomodo persuadeamus quod fundamenta illa ethnica, & præcipue illa Aristotelica sunt tam vana & falsa ac tu ea mundo publicare aggrederis? ea quidem omnino erronea & falsa, via duplici, quarum prima erit demonstratione oculari, & secunda comparatione eorum cum fontis totius veritatis textu, expresse comprobabo.

Col. 3.
1.*Cor.* 8.
Ephes. 4.6.
Ib.
1.*Cor.* 12.
Act. 17.7.
Iudit. 16.
Rom. 11.
2.*Cor.* 3.

Cum

Cùm vniuersale fabricæ mundanæ mysterium consistit in raro & denso, hoc est vnius rei aqueæ diuisione in cœlum & terram, *operante verbo*, (vt D. Petrus testatur) quasi spagyrica subtilis à spisso separatione substantiæ lucidæ ab illa, hoc est, tenebrosa, seu spiritualis à corporeo; quàm sit absurdum, & duræ ceruicis argumentum proprietatem vnius pro illa alterius accipere, actumve lucis & caloris loco illius tenebrarum & frigoris, aut proprietatem attractiuam seu inspissantem & coagulantem vice ipsius propulsiuæ, & dilatatione discutientis, &, vt verbo dicam, tenebras pro luce, & falsitatem pro veritate, omnibus etiam minima capacitate, & ratione prædictis luculenter apparebit. Et quomodo, obsecro, possibile erit istiusmodi à veritatis meta vagabundulo & erranti stabilia veritatis naturalis fundamēta ponere, qui tam immaniter cum ratione insanire videtur? Hinc talibus qualis est Aristoteles & eius asseclæ sic loqui videtur Propheta: *Væ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Hæc quidem Philosophiæ species est illa mundi sapientia, quam Apostolus *stultam* vocat, vtpote quæ longissimè ab illa mystica & diuina distat, quæ (teste eo) *abscondita est & prædestinata erat ante secula in gloriam electorum; cuius ne iota quidem peribit*; dum illa sapientum mundi perdetur, illa, dico, *sapientia carnis, quæ Deo & eius filiis est inimica.* Sed ad rem.

1. Pet. 3. *Isai. 5. 20.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 1.* *Isai. 29.* *Rom. 8.*

Aristoteles ait Solem, stellas, & ignem calore suo ad se attrahere; atque hanc suam positionem fecit fortissimum suæ historiæ meteorologicæ fundamentum, vtpote quorum origines facere videtur aut vapores aut fumos & exhalationes sursum vi solari & calore cœli attractos: quare concludit hæc omnia ab actu attractiuo ipsius Solis, cœlestium & ignis fieri: quod quidem est omnino veritati oppositum; nam cuius est in sua natura pellere & propulsare à se dissipando, ipsius quidem est nullo modo sibi attrahere: At lucis natura est imprimis motum parere, vt & motus calorem procreare, caloris autem effectus & proprietas est grossum subtiliare, seu rarefacere, vt tum postea subtile illud possit ad suam propriam regionem naturali conatu tendere: nam spiritus seu aër caloris actum fugere est aptus, quippe in quo frigiditas naturaliter inhabitare gaudet, quæ caloris impulsus summo conamine euitare nititur. Quid ergò? (mi Peripatetice) Anne fugit ab igne fumus, vel cum igne manet, nec ne? imò necesse est vt cum igne maneret, si tam fortiter ab igne vel calore attraheretur: Fateor quidem caloris solaris impulsu densum solere rarefieri, & quòd sit de natura rari sursum ad locum ei à natura appropriatum tendere, non ergo sequitur, quòd à natura lucida vel calida attrahatur res aliqua, siue sit fumus vel vapor, sed potiùs ab ipsa pellitur: imò verò ab ipsa tanta inclinatione fugit aër vel fumus, vt motum contra fumi naturam deorsum quandoque faciat, vbi non datur transitus ad sursum, quo caloris actiuitatem subterfugere queat.

Demonstratio est huiusmodi.

Quid Peripatetice hæsitas? Pone manum supra instrumenti nostri testudinem A. & calore eius aër ei inclusus protinus descendet, seu potiùs fugiet contactum caloris, idque via contra naturam, videlicet deorsum tendendo; contra naturam, aio, quoniam aëris est naturaliter sursum, & eò magis quò subtilior petere. Hoc quidem negare nescio, vtcunq; te per aëris inuisibilitatem excusare queas; nam oculariter ad caloris contactum aquam deorsum propulsari videre liceat, multò magis & velociùs deorsum tendet aër, præsentiam lucidam vel igneam euitans, si vel solares radii, vel ignis flamma testam seu concauitatē A. appropinquauerint: quo quidem certiores erimus facti quod calor vel Solis vel ignis vel creaturæ nō attrahat ad se iuxta Aristotelicam illam doctrinam, sed dilatatione rem aliquam densam rarefaciens ipsam ita præparat, vt per se possit tùm postea à centro circumferentiam versus ascendere, cùm omnis sit leuis sursum ex inclinatione sua propria tendere. Quare euidens est quòd tota meteorologiæ Aristotelicæ virtus extingui videtur, in eo quod vis Solis, cœli & elementi ignis attractiua penitùs extinguatur, seu potiùs eiusdem possibilitas tollitur. Et quamuis replicare possis, quod attractionis ignis & Solis sit proprietas ad oculum apparēs, quippe ad præsentiam caloris, cuius actum vapores matutino tempore è terra & aqua surgere atq; in altum eleuari testatur experientia: obiectioni huic tuæ respondemus, quòd non fit hoc attractione, sed solummodo rarefactione, nam certum & indubitatū est caloris proprietatem esse grossum attenuare, aquamve in aërem vertere, non quòd facta rarefactione Sol, vel ignis, vel cœlum seu astra eum rarefactum attrahāt in altum, sed quòd sit natura cuiuslibet rari siue leuis in altum tendere, vt diximus: nam si caloris ignis siue solaris esset vaporem sibi attrahere, tunc, vt antea diximus, fumus, seu ligni accensi humor vaporosus non euolaret & fugeret ab igne, sed vi ignis attractiua in ignis flamma semper ad eius consumptionem retineretur: cōsumptionem dixi, impossibile esset vt quicquam, si hoc esset verum

consumeretur vnquam, sed in igne maneret fixum & immutabile: nam quod non fugit ab igne (teste verorum Chymicorum sapientia) fixum est, quod autem est fixum, permanens est, & ab igne consumi aut diminui nequit, quemadmodum in auro & argento videre liceat. Nec quidem credendum est quicquam vtcunque volatile ab igne consumi posse, sed in magis subtile reduci per ignem & calorem, hoc familiare est densis, & in vtroque mundo frequentissimum, cùm hac ratione aqua à terra, aër ab aqua, & ignis ab aëre procreari soleant: nam si quicquam absoluto modo in hoc mundo consumeretur, necesse foret vt aut vacuum in mundo sequeretur (quod quidem impossibile est & à natura detestandũ) aut quòd caloris in mundo actus per vnicum vel alterum gradum intenderetur, quo spiritus mundi ita rarefactus impleret locum rei penitus consumptæ.

Hisce igitur videtis (ô Aristotelici Christiani) quàm falsa sit præceptoris vestri assertio; videlicet quòd exhalationes & vapores sursum Solis & stellarum attractione eleuantur in infimam, mediam & supremam aëris mundi sublunaris regionem: nam iuxta eius doctrinam asseuerare non erubescitis causam meteororum efficientem esse cœlum, stellas, astra, vtpote quæ fumos, siue sint exhalationes, siue vapores, ex terra vel aqua attrahunt. Porrò cum Aristotele vestro dicitis particulatim, quòd calor Solis euocans euocat, extrahit & attractione eleuat fumos de terra & aqua. Hinc ergo maxima adest in primario generationis meteororum fundamento fissura seu imbecillitas, cuius labefactatione radix doctrinæ Aristotelicæ peribit, & in nihilum redigetur. At testatur ocularis hæc demonstratio quòd falsissimum sit istud Aristotelis axioma, videlicet quòd Sol, aut ignis, attractiuam sibi naturaliter facultatem vindicet. Ergo fundamentum istius præcipuum est falsum: imò si quidem contrario modo res se habet, nam testatur istud speculum experimentale quòd non sit calor, sed eius oppositum quod vim habeat substantiam fumosam contrahendi, & per contractionem attrahendi: nam quod dilatauit, dissipauit & propulsauit caloris præsentia, ecce frigus paulatim & furtim irrepens contrahit, congregat & allicit atque attrahit: quod quidem per aquæ versus concauitatem A. ascensum frigore prædominante confirmat experientia.

Quòd ergo hæc eius de meteororum generatione documenta literarum sacrarum legibus sint penitus opposita, sic ostendimus.

Aristoteles cum suis discipulis ventum facit exhalationem calidam & siccam vi caloris solaris sursum attractam (hinc motus eius ad sursum origo) quæ à frigore mediæ aëris regionis pellitur (hinc motus eius ad deorsum initium) in quo motu partim propter subiecti leuitatem, & præcipuè propter aliarum exhalationum ascendentium in media via occursum, lateraliter tam in infima aëris regione, quàm in superficie terræ discutitur (hinc motus eius lateralis causa, iuxta eius doctrinam,) in qua venti descriptione certum est quòd primum membrum sit falsissimum, nam Sol non attrahit: secundum etiam falsum est, nam venti oriuntur, & lateraliter coguntur à plagis mundi frigidis, non impellente frigore, sed flante Deo per organa sua angelica: tertium membrum, & consequenter reliqua duo sunt falsissima, quoniam venti sunt spiritus angelici, qui mouentur ab interno & essentialissimo agente, & non ab externis accidentibus coacti, vti ipse voluit. Probatur sic.

Exod. 15.8. *Aflatu* (inquit Moyses) *narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ, flauisti vento tuo & operuit eos*
Iob. 29.7. *mare. Glaciem edit Deus vento suo, flante Deo concrescit gelu, Deus sapientia sua facit pondus vento,*
Iob. 28.25. *Qui facis angelos tuos ventos*, &c. Quare sequitur, quod nec calor Solis attrahens, nec frigus
Psal. 104.4. aëris medii repellens, nec exhalationes ascendentes, descendentes lateraliter, cogentes, sed Deus centraliter per organa angelica mouens, & spiritu angelico agens, est ventorum effe-
Ierem. 51.15. ctor. *Producit ventos de thesauris suis*, inquiunt Ieremias & Dauid. At arcam suam thesaura-
Psal. 135. riam docet Moyses esse cœlos sine aëra, & non terram & aquam, vt Aristoteles ait. Et D. Io-
Deut. 28.12. hannes ait, *Spiritum spirare vbi vult*: ergo principium habet ille internum, voluntatem videlicet diuinam, iuxta quam quò & vbi vult, non coactus & per accidens, vt Aristoteles vult, sed per se mouetur, non à causis tribus externis natura contrariis, sed à sola vnitate interna, quæ sibi constat. Ergo Aristotelis doctrina est scripto sacro oppositissima, & consequenter falsissima. Sed & hoc etiam confirmat oculare nostrum experimentum. Pariformiter etiam errauit ipse in nubium generatione, volens nubem esse ortam à vapore è terris & aquis in mediam aëris regionem attractiua caloris solaris virtute eleuato, & frigoris loci proprietate in nubem contracto.

Deut. 28.12. At Moyses dicit, *Aperiet tibi Iehoua thesaurũ suum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo.* Si ergo cœli seu aëra sunt nubium & pluuiæ thesaurus, seu arca Dei thesauraria, tunc nec terra, nec aqua; & si Iehoua sit actor, tunc non creatura solaris, sed Dei spiritus ventosi, quorum est aërem subtilem in nubem condensare, vel condensatam iterum in pluuias dissoluere.

Porrò

Porrò experientia prædicta docemur, quòd Sol non habeat virtutem attractiuam. Et Iob ait: *Subitò aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas*, &c. quare materia nubis non est vapor ab aqua & terra, sed aër compressus in nubium consistentiam: vnde & alibi: *Deus sapientia sua aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura, easq; ligat in densis nubibus, facitq; pluuiæ statuta.* Quibus certum est nubes, pluuias & aquas ex aëre, ipsius pondere mutato conflari, & non vapore è terra & aqua exurgente; nam frustrà fit aliquid per plura quod fieri potest per pauciora: at ista aëris in nubem condensatio sine vapore à terra eleuato, vel attracto, & in aërem mutato fieri potest, teste Scriptura. Ergo vana est Aristotelis doctrina. Præterea causa efficiens non est in solari attractione, sed in sapientiæ æternæ omnia implentis virtute, quæ est spirituum angelicorum (quos ipsa *ventos fecit*) gubernatrix & dispositrix; Deus, inquam, per ventos suos angelicos est nubium author & conditor, vtpote *cuius est nubibus densis obtegere cœlos, vel vt compareant terræ pluuiam in beneuolentia sua, vel vt subuertant terram in maleuolentia vel vt eas sibi faciat tugurium*; nam dicitur *Deus densam nubem expandere pro tegumento*, vel *vt sint quasi vehiculum & currus eius qui itat super alas venti*: nam *inclinauit cœlos, & descendit caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & volauit seu lapsus est super pennas venti, & posuit tenebras in circuitu suo latibulum.* Quibus à peripateticis Christianis bene consideratis, miror ego, quomodo in limo Aristotelico diutius inhæreant, aut quòd pro sua defensione cauillatione vtũtur ista vana, videlicet quòd aliud est Philosophia naturalis, aliud Theologia, cùm apertis oculis Deum Optimum Maximum Iehouam, in naturæ suæ laboratorio opificem esse percipiant, qui verbo suo lucido in elementorum meditullio, seu visceribus, conuenienti arte spagyrica diuina quotidiè operari à veris sapientibus animaduertitur. Ipsius enim est operari omnia in omnibus. Iob.27.11. Iob.26.13. Iob.28.25. Psal.147.8. Iob.12.15. Iob.22.15. Psal.105. Psal.104. 2.Reg.22.8.

Sed pergamus ad doctrinæ suæ in tonitruum & fulgurum ortus inquisitionem examinationem. Videtur Aristoteles asseuerare, quòd generalis meteororum ignitorum causa materialis sit exhalatio calida & sicca, vi Solis & astrorum à terra in mediam aëris regionem attracta atque eleuata, vbi partim forti nubium inter se collisione & concussione, partimque per antiperistasin, videlicet ob intensam loci frigiditatem, materiã istam ita eleuatam, & in nubis ventre coarctatam & inclusam accendi, & ob terrestrem & compactam suam dispositionem deorsum tendere dicit: vnde & tonitru consequenter facit strepitum illum seu fremitum, qui ob istiusmodi exhalationis ita accensæ in aqua nubis est ortus: hæc (inquam) videtur esse Aristotelis intentio *lib.2.Meteoror.* & alibi, simul atque aliorum eius sectatorum tam Ethnicorum, quàm Christianorum.

Hîc etiam erroneum ipsius fundamentum pro meteororum ignitorum generatione expressimus, quod quidem funditus oculari demonstratione sustulimus, vbi scilicet Solem & astra vim nullam attractiuam habere, sed dilatantem & dissipantem seu discussiuam habere probauimus. Ergo nec Sol nec Astra potuerunt sursum attrahere istiusmodi fumos; sed cũ scripturis dicimus & euidenter probabimus quod sapientia æterna hæc omnia ex generali aëris fonte, qui est arca Dei thesauraria, deprompserit: cùm (teste Iobo) *ipsa aptet pondus aëri, appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum.* Et Propheta regius: *Iehouæ amictus lumine sicut vestimento, extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt*, &c. O quantus, & quàm verus est Propheta iste Philosophus, & quàm misellus respectu eius Aristoteles. Non dicit, quòd Solis attractio sit causa fulgurum efficiens, sed Iehoua, non exhalationes à terra; sed aëris accensio lucida Iehouæ præsentia effecta; quem alibi *ignem* vocat Biblion *consumentem*: qui aër sic accensus in naturam angelicam reducitur, hoc est, Angelis Dei; qui & venti sunt, exagitatur & conglometatur in nubes quasi montes aëreos; & ministris vrentibus; seu angelis igneis (qui virtutes suas à lucida facie Iehouæ depromunt) animantur, & in circuitu lucem præsentiæ Iehouæ arguunt: docetque quòd strepitus ille non sit res tam contingenter adueniens, ac Aristoteles vanè publicauit mundo, sed vox atque increpatio ipsius Iehouæ. Apage ergo, & phy inuentiones istas nugosas infidelium, qui Iehouæ Dei deorum actus in hoc mundo ad fictas & vix probabiles suorum inuentiones quasi crinibus auellere contendunt, atque ita à diuina omnipotentiã derogare animaduertuntur. Sed ad hæc sapientis verba attentos vos (ô peripatetici Christiani) reddatis velim, in quibus omnium nostrorum mysterium, doctrinæ Aristotelicæ oppositissimum percipietis. Iob.28.25. Psal.103.2.

Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum. Gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aptauerunt illum. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicii sui: propterea Eccles.43.

pterea aperti sunt thesauri, & euolarunt nebulæ sicut aues, in magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis: in conspectu eius mouebantur montes, & in voluntate eius spirauit Notus. *Vox tonitru eius verberauit terram, tempestas Aquilonis & congregatio spiritus aspergit niuem*, &c. In quo quidem orationis filo causam habetis omnium meteororum efficientem, videlicet Iehouam: deinde arguitur arca Dei thesauraria, videlicet spiritus seu aër, ex cuius congregatione fit nix, & quòd medium per quod Deus cögregat spiritum, sit ventus angelicus Aquilonis, vtpote in quo voluntas seu actus Dei mouet & agitat, vt & Notus contrarium producit. Porrò dicitur, *A throno procedunt fulgura, & ignis à facie Iehouæ exarsit.*

Apocal. 4. 3. *Psal* 17.

Infinita quidem hoc in loco testimonia ex pagina sacra inanes de fulgure & tonitru ethnicorum opiniones redarguentia proferre potui: sed quoniam de hisce omnibus *sect. 1 port. 4. part. 2. lib. 3. cap.* 13. de hoc subiecto copiosè disceptauimus, ad subiecti mei medullam leuiter, & saltu leui me conferam. Denique Aristotelis opinio est, quòd fontis materia sit nihil aliud quàm vapor in aquam resolutus & liquefactus à frigore & calore simul intra terram, sicut & nubes, nix, grando & pluuia in aëre nascuntur ex vapore condensato & liquefacto rursum. At verò quòd ista Aristotelis sententia sensui literarum sanctarum sit oppositissima, hisce verbis agnoscere videntur ex peripateticis Christianis nonnulli: *Non conueniunt sanè literæ sacræ Physicæ de ortu fontium & fluminum, quæ ex mari per varios alueos & meatus fluere, ac ad suos fontes refluere, Ecclesiastes cap. 6. testatur, dicens: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Cæterùm* (dicit ille) *Physici volunt materiam fontium & fluminum esse vaporem resolutum in aquam, & liquefactum à frigore & calore simul intra terram*, &c. Hæc Velcurius. At cur (mi naturalista Christiane) magis Aristotelis opinioni, quàm illi Salomonis adhæres, cùm hæc à Spiritu sancto; illa verò à spiritu diaboli mendaciorum patris ortum sortiatur suum? Anne Aristotelem cum Salomone omnium sapientissimo, vtpote à Sapientia edocto, in naturæ mysteriorum cognitione comparare es ausus? At replicabis fortasse Salomonem fuisse theologia & non philosophia expertum, te autem de physica & physicis loqui: Vnde dixi, quod *Sacræ literæ & physicæ non conueniunt*, &c. Anne quisquam in Philosophia tam naturali quàm morali Salomone doctior? qui in occultis plantarum naturis adeò erat versatus, vt ad exactam ab hysopi vsque ad Cedri Libani notitiam & scientiam peruenerit: nonne singularem suam in rebus naturalibus scientiam prædicauit ipse in hisce verbis expressis? *Mihi data est cognitio certa vt cognoscam constitutionem mundi, & vim elementorum, principium, finem, mediumque temporum, solstitiorum mutationes, & variationes temporum siue tempestatum, anni circuitus, & stellarum situs, naturas animantium & animos siue iras bestiarum, ventorum seu spirituum vires & cogitationes hominum, differentias plantarum & radicum facultates, etiam cognoscere quæcunque sunt occulta & manifesta; nam mihi magistra erat sapientia*, &c. Quid? Anne Aristotelem more tali in hisce fuisse instructum, aut quòd sapientiam suam humanam ad scientiam tantam pertigisse credis? si omnia tam occulta quàm manifesta cognouisset, desperatione raptus, quoniam ad profunda maris mysteria penetrare nequiret, in illud se præcipitem, vt fama est, minime dedisset: non agnosces tu hæc superiùs relata esse Philosophiæ naturalis subiecta, cùm in eis de mundi constitutione, elementis, temporum statibus, aëris mutationibus, stellarum positionibus, ventorum viribus, animalium plantarumque proprietatibus agit? Quid ergo differentiæ inter Physicam sacram & Theosophiam, cùm prior creaturam à creatore profluentem, per creatorem existentem, & in creatore vitam suam haurientem exprimat; in verbo enim erat vita: posterior creatorë creaturam implere (hinc *Christus*, inquit Apostolus, *omnia implet*. Et Sapiens: *Spiritus incorruptibilis inest omni rei*) creatorem creaturam viuificare, (hinc Apostolus: *Deus viuificat omnia*) creatorem creaturam mouere & agitare, & in ipsa tanquã suo organo secundùm voluntatem suam agere in hoc mundo docet & narrat: hinc in Actis Apostol. *In Deo viuimus, in Deo mouemur & sumus; vtpote qui dat omnibus vitam & inspirationem & omnia*. Quibus bene consideratis absurdum est inter Philosophiam sacram & Theologiam efficere distinctionem, cùm nemo Deum vnquam cognoscere potest, qui eum in natura & per naturam, hoc est ab operibus suis seu demonstratione à posteriori non cognouit, non enim est carni possibile eum in pura & nuda sua essentia concipere: quod etiam ipse Moyses in eo arguit, quippe cui posteriora Dei solummodo videre concessum est. Sed ad propositum.

Velcurius cap. 6. lib. 3. com. Phys. — *Sap.* 7. — *Ephes.* 4. 8. *Sap.* 12. 1. 1. *Tim.* 6. — *Actor.* 17.

Frustrà (mi Peripatetice) fit per plura quod per pauciora compleri queat: at si in rerum natura sit aquas marinas in terræ viscera penetrantes sursum in fontes suos eleuare, non mutato elemento aut forma aquæ solidæ, tunc maximus & inutilis foret in natura labor aquas illas in vapores aëreos primùm dissoluere, vt meliùs propter leuitatem suam possint sursum euolare, ac tum postea in guttas coagulare, vti Aristotelis est sententia. At verò est in naturæ possibili-

possibilitate via breuiori hoc facere, videlicet non mutata aquę forma: Ergo, &c. Si de probabilitate propositionis minoris dubitas, ecce in promptu ocularem demonstrationem habes: nam frigus paulatim irrepens & dominium habes in aërem testudini instrumenti A: inclusum, magis magisque notatur aqua pro maiori frigoris dominio à deorsum ad sursum eleuari, non mutata forma seu substantia aquæ, vt è regione caloris accessu magis magisque deorsum pellitur eadem aqua non etiam mutata forma aquæ: quod quidem fit propter necessariam aëris cum aqua contiguitatem, vnde fit vt aër dilatatus ampliorem requirens in matracio locum; pro sua dilatata seu rarefacta existentia detrudit aquam deorsum vt ipse locum illius impleret. Hinc ergo manifesta accuratis in naturæ arcano speculatoribus erit ratio cur fontes hyemali tempore insurgunt, æstiuali verò eò magis depressi esse obseruantur, quò magis sua inclementia vrget calor seu æstas: non vt Peripatetici putant; quoniam Sol attrahit ad se humiditates fontium, fluminum & stagnorum (nam quis ignorat quòd terra æstate sit frigidior propter fortem & vehementem caloris impulsum, qui per antiperistasin repellit frigora terræ ad centrum (sic corpora nostra æstate frigidiora, hyeme verò calidiora propter easdem rationes) quare non est probabile vt calor potestatem habeat in profundo terræ æstiuo tempore; quemadmodum vice versa calor dominium habet in terra hyemali spatio; propter frigoris in aëre dominium) nam probatur quòd Sol non atttahit, sed solummodo subtiliat aërem & aquas, at non in tam grandi proportione, & præcipuè non in terræ cauitate propter rationem antea allegatam. Ratio ergo incrementi atque exaltationis fontium hyemali tempore apud nos boreales est quoniam frigora hemisphærii borealis contrahunt aërem eiusdem æstate præterita solari præsentia dilatatam, qui aër cõtractus, propter eius cum aqua contiguitatem per venas seu canales terræ ab eiusdem meditullio secum contrahit & eleuat in altum: deinde in hemisphærio meridionali, vbi iam æstas adest, quò magis ibi insultat æstas & calor, eò magis procul dubio in eadem proportione erit, hyems & frigus in plaga septentrionali: quare vt ex vna parte, videlicet boreali, frigus constringit & contrahit, ac consequenter attrahit contrahendo aërem ad se; & attractu aëris eleuat etiam aquas per canales clausos à terræ visceribus; ita ex altera, australi scilicet, calor dilatatione aëris deprimit fontes illius hemisphærii, qui relationem & nexum habent homogeneum cum illis hemisphærij oppositi, concursus quorum est in locum seu mare vnicum, quod in terræ centrum penetrat: quare non magis continua est aqua fontium meridionalium cum septentrionalibus, quàm aër vnius & alterius hemisphærij, qui est idem & indiuisibilis, tametsi in denso & raro differant ab inuicem. Demonstratio ocularis fit in speculo isto nostro, quoniam caloris appositione testudini A: aqua descendere cogitur: ergo & fontes caloris actu aëra meridionalia dilatante æstate meridionali deprimuntur, & consequenter in hemisphærio opposito eleuantur. Iterum videtis quòd frigoris imperio in testudine A. eleuatur aqua: ergo aqua depressa à calore ex vna parte seu hemisphærio mundi facilius eleuatur à frigore ex parte altera. Ecce, Peripatetice, palpabile habes præ oculis experimentum: anne quicquam ex his quæ dicta sunt negare possis? Quare luce meridiana clarius apparet quàm sit in illo tuo præceptore absurdum affirmare quòd calidum & frigidum in vno vase simul ad fontium productionem agerent, quasi verò vnum non obtunderet actiones alterius. Inspicias (oro) speculum, & videas velim an frigidum & calidum in eo variationem aliquam manifestam, simul, & in eodem tempore operetur, necne.

Concludimus igitur, quòd fontium & fluminum origo optimè à Salomone est descripta, ab ipso verò Aristotele more ficto, fabuloso & mendaci prolata: atque hæc est ratio, quòd tametsi fontes quotannis intumescant, tamen maria semper in eodem magnitudinis statu permanere animaduertuntur.



LIBER TERTIVS.

DE COMPARATIONE SPIRITVS IN SPECulo nostro inclusi cum illo Microcosmi.

CAPVT I.


De hominis ad mundum relatione; & quòd eadem sit ratio, siue respectus inter spiritum instrumento inclusum, & illum mundi aëreum, quem circumambit & incarcerat corpus.



IN pluribus voluminum meorum præcedentium locis probaui, & testimoniis tam à philosophico quàm scripti sacri fonte deriuatis confirmaui, quòd hominis fabrica ad similitudinem illius mundi sit à summo conditore seu opifice facta, atq; faberrimè constructa, vnde vt mundus macrocosmicus, ita quidem homo haud absurdè à Philosophis dignioribus microcosmus est nuncupatus. Vt autem macrocosmus in cœlum & terram, seu spiritum & corpus est distinctus, pari siquidem ratione, homo suum habet cœlum siue spiritum, suaq; terra siue corpore est indutus; quod quidem vt est indignior compositionis humanæ portio, ita quidem ad eius cœlum se habet vt vagina ad ensem, dolium ad
Iob.4.19. vinum, vel domus ad dominum in ea habitantem: hinc in textu sacro; *homo habitat domum argillaceam, seu luteam*, &c. At spiritus eius internus seu dominus, qui est cœli macrocosmici portio, est ille qui non aliter mutari solet à statu in statum iuxta aëris mundani alterationes, quam aër in instrumento nostro captiuus, quem anteà diximus & demonstrauimus in omnibus cum aëris externi dispositione conuenire, regi, atque moderari. Nec quidem negamus, quin etiam spiritu illo mundano longè eminentiori, & digniori hominem esse ditatum atque ornatum, qui mutationibus aut passionibus minimè obnoxius; quem quidem Deus Optimus Maximus ex bonitate sua inspirauit & indidit illi aëreo: quare vt ille peccare, & à veritate quasi cæcus aberrare potest & solet, ita quidem hic firmus & fixus manet in statu suæ simplicitatis, vnitatis atque innocentiæ, est enim mens diuina in qua verbum, vel intellectus Deiformiter agens. De duplici isto spiritu (quorum vnum est quasi vehiculum alterius non aliter quàm in textu sacro nubes dicuntur currus & vehiculum atque taberna-
Iob.9. culum Dei) in hisce verbis commemorare videtur Iob: *In homine est spiritus, sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eum*: vbi per spiritum arguere videtur aërem quem in macrocosmo accepit, in quo est occultus vitæ cibus: qui etiam aër microcosmicus à Deo primordialiter tam ei quàm microcosmo inspiratus, vt sibi in vtroque mundo esset loco vehiculi seu tabernaculi.

Vt igitur in præcedentibus comparationem inter spiritum mundanum, & illum machinæ nostræ inclusum fecimus, qui in omnibus aptus est sequi statum illius macrocosmici, quatenus cum ipso sit homogeneus & continuus: ita quidem hoc in libello ostendimus respectum qui est inter spiritum macrocosmi aëreum, & illum speculi matracio contentum: quod vt meliùs intellectui vestro perficiamus, speculi imaginem cum suis gradibus, figuris & literis signatis hîc expressimus:

CAPVT



CAPVT II.

Quomodo complexiones & temperaturæ hominum ex istius speculi contemplatione eliciantur.


VT quidem in præcedentibus declaratum est, quòd sectio in medio pyramidum facta, videlicet in figura I. vel C.C. sit locus temperiei æqualis, in quo calidum nòn excedit frigidum, nec frigidum calidum: ita quidem temperies ista denotat imprimis ex complexionibus seu humoribus in homine dominationem sanguinis: nam vt constitutio aëris media est ex æquali ignis & aquæ portione, ita quidem complexio siue humor iste cõflatur ex pro-

portione æquali inter bilem & pituitam: & vt in medio consistit vita & virtus, ita quidem ex ista media compositione & temperie fit complexio amicabilis, vitæque magis conueniens, quatenus ipsa arguit optimam & æqualem humidi radicalis cum calido innato mixtionem & vnionem, ita vt calidum non superet gradum humidi, quo dispositionem reddat nimis æstuosam, nec humidum prædominatur caliditati, quo conditio nati nimis aquea, & madida efficiatur. At verò si ad extrema tendit temperies, hoc est, si versus basim pyramidis siue hemisphærii æstiualis 7. tendat, tunc eò magis prædominabitur & exultabit bilis quò magis deorsum tendit; Verbi gratia, si aqua descendat ad figuram 2. hemisphærii æstiualis, indicat temperiem magis ad bilem inclinari, arguitque sanguinem nigrum, hoc est, quòd spiritus aëreus hominis sanguineæ nigræ complexionis erit in eodem temperiei statu, quo aër in instrumento inclusus, dum per gradum supra æqualitatem vigeat calor, hoc est, calor excellit frigidum & humidum per gradum vnicum, & consequenter spiritus istiusmodi hominis est magis leuis, rarus & volatilis siue mobilis, & ad bilem facilè excitatus. At si ad 3. descendat aqua, spiritus inclusus in tali temperie illi hominis apertè biliosi comparabitur; vnde fit quòd ob aëris interni raritatem & leuitatem, & æstum, tales homines leuiter ad iram & choleram excitantur, in corporis habitu & consistentia magis sunt graciles, corpora in motu velociora, ad vigilias aptior est istiusmodi spiritus, & propter caloris leuitatem, conditionem eius reddit magis phantasticam. Si verò vlterius rarefactione intendatur aër, & aquam ad figuram 4. deprimat, complexionem arguit in qua bilis adusta dominium habebit. Atque hi sunt gradus in calore quos designat instrumentum in illis hominibus, qui distant ab æqualitatis gradu in calore, & non tamen non discedunt à limitibus sanitatis.

E regione verò si à temperie media basim pyramidis septentrionalis versus recedat hominis complexio, denotat quidem in quo frigidum excedit calidum temperatum, qui excessus si fuerit per vnicum solummodo gradum, producet sanguinē album, hoc est, complexionem sanguineā, in qua vnicus aquæ seu phlegmatis gradus dominium habebit super temperiem æqualitatis: & in statu spiritus in homine erit in tali temperamento, in quali erit aër vitro inclusus, dum aqua ad gradum 8. pertigerit, videlicet ille per vnum gradum à statu exactæ seu mediæ aëris temperiei aduersus extremum frigidum, & consequenter erit parumper crassior, ponderosior, tardior & minoris agilitatis: hinc ergo fit quòd sanguinei albi non sint adeò agiles, ingeniosi, & ad Venerem apti ac illi nigri, quoniam in his calor est magis viuus, in illis verò stupescit magis. At si aqua ascendat ad gradum 3. hemisphærii seu pyramidis hyemalis, tunc denotat aëris naturam in aqueam esse mutabilem: & hæc est ratio quòd in gradu 3. & 4. huius hemisphærii pluuiæ frequenter accidant in macrocosmo: atque ista aëris inclusi constitutio denotat aptum viri phlegmatici statum in quo aqua siue pituita prædominari incipit. At si altiùs ascenderit, videlicet ad 5. vel 6. arguit progressum temperiei aëris à statu aqueo ad terream, & complexionem melancholicam, hoc est, frigidam & siccam producit: in quo aër inclusus ita sese habet, vt niuealis ille in macrocosmo. Atque hoc modo per aëris in speculo nostro obseruationem, aëris cuiusque complexionis statum in calore & frigore facillimè discernere queatis. Quibus intelligere fas erit, quòd quælibet complexio extra æqualitatis gradum eò magis ab intentione naturæ aberrat quò magis à medio extrema versus inclinare percipiatur: quòd in eo colligere facillimè possumus, quoniam, teste cùm Galeno tum Hippocrate, biliosi meliùs se habent hyeme, quoniam frigiditas hyemis videtur quodammodo moderari temperiem in biliosis nimis calidam; vt è regione in æstate propter caloris dominium peius se habent. Pari etiam respectu pituitosi (testibus ipsis) in æstate meliùs se habent, quoniam calor tunc temporis prædominans videtur contemperare frigiditatem in complexione phlegmatica præualentem, ita vt illa complexio ad gradum hac ratione æqualitatis quodammodo reducitur: at verò tempore hyemali peius se habent phlegmatici, quoniam frigidum & humidum temporis eos efficit ad dispositionem seu extremum frigidum magis appropinquare. Has quidem complexiones sic expressimus.

Humorum

Humorum in corpore prædominantium gradus.



CAPVT III.

Qua ratione duplicia morborum genera, & bina sanorum temperamenta ex istius speculi inspectione enucleare queamus.

MEDICI præstantiores de duplici temperamento mentionem fecerunt, quorum vnum ad pondus esse dixere, aliud ad iustitiam: illud quidē ad pondus constitutionem eam exactam in vitæ cuiuslibet hominis spatio semel aduenientem nuncuparunt, in qua nec calidum frigidum, nec humidum siccum superat, sed in eodem mensuræ & ponderis statu se habet; non aliter quam in anni circulo solam mundani spiritus seu aëris temperiem, post calores in æqualib. iustæ Astreæ seu virginis trutinis moderari cernimus, videlicet dum libram transeat, in qua linea ecliptica autumnalem facit cum æquinoctiali sectionem. In tali igitur temperiei constitutione manebit, & sese habebit aër seu spiritus humanus in eodem vitæ spatio (quod admodum solet in complexionibus phlegmaticis, & biliosis esse breue, & præcipue in naturaliter melancholicis; in sanguineis vero diuturnius) in quali statu ille instru-


 menti

menti ſpiritus inuenietur quando mediocri caloris dilatatione aquam ad punctum medium, ſeu interſectionem à pyramidibus vel æquatore factam, videlicet C. C. vel I. depreſſerit. Hinc ergo hoc ſapientis dictum, Mediocria tuta, & virtus, veritas & æqualitas in medio conſiſtit, &c. At vero temperamentum illud ad iuſtitiam non quidem tam exactum ſtatuunt in proportione ſeu æqualitatis menſura; ac illud ad pondus: quare hoc diu cum homine intra ſanitatis limites ſe habente permanere ſolet: in quo quidem temperiei ſtatu hominis ſpiritus ſe habere videtur vt temperamentum aëris ſpeculo incluſi, dum ſua dilatatione depellit aquam, vel in figuram 2. hemiſphærij inferioris; atque iſtud temperamentum declinat magis ad caliditatem ſiue naturam igneam & biliosam, vel dum debili ſua dilatatione aquam ad numerum 2. hemiſphærii aſcendere permittat, in quo ſtatu inclinabit temperamentum ſpiritus magis ad conditionem frigiditatis, ſiue naturam aqueam & phlegmaticam: atq; in hoc temperamenti ſiue calidi ſiue frigidi ſtatu ad iuſtitiam; tametſi aër vel rarefactione intendatur ad punctum 3. hemiſphærij inferioris, vel renititur in illum 3. hemiſphærij ſuperioris ſiue hyemalis, non tamen ſequitur quod homo excedat limites ſanitatis, ſed ſtatus iſte dici poteſt neutralitas per negationem extremorum & participationem extremorum; vtpote in quo ſtatu homo nec ſit abſolute morboſus ſiue inſalubris; nec reuera ſanus ſeu ſalubris dici poteſt. At ſi aër vltra hos limites in corpore humano vel intendatur vel remittatur, morbos, ſiue infirmitates vel calidas & æſtuoſas vel frigidas atque rigidas pariet: verbi gratia; ſi aër vltra figuram 3. hemiſphærij æſtiualis rarefactione intendatur & dilatetur, paulatim migrat in igneam naturam, morboſque æſtuoſos gradu mitiores vel grauiores ſecundum gradus minoris vel maioris dilatationis ſpiritus inſtrumenti vel corporis denotat: nam aëris proportio ſe ad gradum 4. hemiſphærij extendens morbos à bile leniores profert, videlicet intemperies calidas, icteritiam, alioſque ſimiles qui cum acri humore contingere ſolent: ſi ad gradū 5. eryſipelatem, pleuritidē peripneumoniā, dyſenteriam efficiet, &c. ſi ad numerum 6. profert in corpore febres ardentes ſeu cauſonides, cum extrema ſiccitate, febreſque peſtilentiales, non ſine venenata malignitate, &c. At vero ſi aër ſua dilatatione ad gradum 1. vſque peruenerit, aut profundius penetrauerit, tunc quidem aduſtionem à bile extrema procedentem arguit, non aliter quam ab igne lignum in carbones reduci videmus: hinc quidem oriuntur gangrenæ, melancholia radens, quæ à bile aduſta oritur, & in hoc ſtatu ſunt omnes febres extreme ardentes in fine ſuæ malitiæ, quas arguunt vrinæ virides & nigræ. At vero more retrogrado ſi ſpiritus in inſtrumento vel corpore incluſus coarctatur vi frigoris in numerum 4. hemiſphærij hyemalis, tunc morbos ex pituita mitiores proferet, vt catharrhos, tuſſes, cephaleam, vertiginem diarrhœam, &c. At ſi vlterius ſiue altius per alium adhuc gradum ad 5. ſcilicet contrahatur, morbos naturæ & vitæ grauiores edere ſeu parere animaduertitur, vt ſcotomiam, epilepſiam, ſtupores, &c. Cum vero arctiori adhuc frigore in maius coagulatur aër, videlicet ad gradus 6. & 7. & vltra, morbos denotat extremos, quales ſunt paralyſis, apoplexia, catoche, congelatio, & iſtiuſmodi alij.

Ex quibus videre liceat, quod vt cuiuslibet rei vita conſiſtit in mediocritate & æqualitate ſpiritus in calore innato & humido radicali, ita quidem receſſus ab illa mediocri temperie vel verſus polum ſeu regionem frigiditatis, quæ fit contractione, vel verſus metam extremam caliditatis, quæ fit dilatatione, morbi omnes ortum ſuum deduxerint atque deriuauerint: & conſequenter certiſſimum eſt omnem infirmitatem fieri vel à nimia ſpiritus ſeu aëris humani dilatatione, atque iſtiuſmodi ſunt calidi, vel ab illius contractione cuiuſmodi ſunt frigidi. Horum demonſtratio ſequitur.

Morbo-

Morborum corporis tam hyemalium quam æstiualium Systema.



CAPVT IV.

Quod etiam morbi atque passiones animi possint istius speculi contemplatione describi.

DIXERE sapientes *inferiora ad imaginem & similitudinem superiorum fuisse facta atq; deriuata* nam verbis quidem expressis publicare non erubuerunt Cabalæ peritiores, *omnes res inferiores esse superiorum repræsentatiuas*, concluduntq; quod *vt fit inferius sic agitur superius*, & in hoc (teste Reuchlino) omnes Cabalistæ sedulo conueniunt. *Reuch. lib. 3. de art. Cab.* Hinc fateri videtur D. Paulus quod *visibilia essent prius ex inuisibilibus*; & vt corpus humanum, & illud cuiuslibet animalis effigiem suam more vaginæ ab ense, à spiritu interno & inuisibili, non aliter quam cera suam impressionem à sigillo recipit; ita quidem corpora inferiora sunt spirituum aëreorum vehicula, quæ ad imaginem spirituum efformantur. Simili plane modo quilibet humor est spirituum diuersorum cellula atque tabernaculum, qui de natura spiritus participat, quem intrinsecus possidet, videlicet humor visibilis biliosus de natura ignea inuisibili, pituitosus de aquea inuisibili, sanguineus de aërea insensibili; & melancholicus de terrea spirituali: vnde

vnde sequitur quod vt humores istiusmodi præternaturaliter se habentes corpora infirmitatibus afficiunt, mente & ratione nihilominus sana permanente, ita quidem passionibus & morbis corripi potest spiritus aëreus in homine, occultis hisce humorum spiritibus, minime præternaturaliter perturbato & male affecto corpore: Verbi gratia, vt animi temperantia fit dum humorum spiritus sunt æqualiter in medio hominis aëreo dispositi, vti in aëris instrumenti temperie, loco intersectionis patet; ibi quidem quietus est spiritus humanus, quieta & pacifica anima, & passionibus non obnoxia: at si spiritus ille in humore bilioso delitescens dominatur, tunc æstuare incipit spiritus microcosmicus, & passionibus inprimis luxuriosis, deinde iracundis, ac demum ad gulositatem facile commoueri cernitur: si adhuc intensior illa fuerit, iram, contentionem & intemperiem igneam in spiritu excitat: at si descendat ad gradum 5. furorem, phrenitidem & rabiem; si ad 6. desperationem à bile radente: & hæc est in nimia aëris humani dilatatione, qua mirum in modum accenditur, & ad combustionem vsque accedit. E regione vero si spiritus ab aqueo pituitæ frigore contrahitur ad punctum 3. & 4. hemisphærij hyemalis, verecundiam in animo parit, ad 5. & 6. segnitiem & hebetudinem ac stupiditatem, in 7. vel vltra, metum, pauorem, inuidiam seu odium, & tristitiam insignem generat. Atque ita coniunguntur ambo pyramidum extrema in circuli complementum, quoniam vt ignis in figura 7. hemisphærij æstiualis, factus est cinis & puluis, ita quidem aqua in 7. hemisphærij hyemalis in terream reducitur congelationem & fixationem, atque hoc euenit tam in visibilibus quam inuisibilibus. In numeris ergò organi. 2. 1. 2. depingitur temperies virtutum, quæ in medio consistunt, & ex parte tam dilatati aëris quam contracti, hoc est, in mediocritate animi pacifica consistit, quoniam in ista æquali vtriusque extremi portione, videlicet in facultatis contractiuæ & dilatatiuæ æqualitate consistit vita rerum: quod quidem sat liquido ex inde declaratur quia creaturarum pulsus in systole & diastole, hoc est, in dilatatione & contractione fieri obseruamus, inde arguendo ipsum mundum, & ad imaginem mundi hominem esse ex luce & tenebris, forma & materia, ex cælo & terra, ex raro & denso, ac denique per dilatationem & contractionem factum atque creatum, & quod omnes in mundo vtroque actiones & passiones, tam secundum naturam quam præter naturam, ex istis duobus extremis consistunt: vnde factum est quod si actus aliquis in aëre fit à natura calida in vno extremo dominante, vel à frigida in altero imperante, tum effectus præternaturales, vitæque rebelles sequuntur in spiritu humano, quoniam in eo fit bellum in cuius temperie media vita existit, in qua vita amicitiæ leges obseruari debent. Hisce igitur bene introspectis, caliditatis occultæ à suo extremo ad extremum frigoris emanationis, atque etiam frigiditatis à lucido extremo ad extremum contractionis proprietatem percipere, idque apertis oculis possibile esse videtis, tam in rebus spiritualibus quam in rebus corporalibus.

Iamque vobis referam, quomodo peccati subiectum per nimiam naturæ æqualitatis seu intersectionis mediæ figura 1: vel C.C. signatæ, contractionem in se ab extremo quasi ad centrum irrepserit in cor hominum seu vitæ sedem, vbi rum postea in peccati seu vitiosam naturam incuditur: nam ista æqualitatis portio vt componitur ex duobus contrarijs, videlicet materia tenebrarum filia in septentrione parta, & forma quæ est lucis proles; ita quidem in vnica hac compositione adest tam voluntatis quam noluntatis diuinæ effectus: quare vt materia in sua natura sit magis prona ad quietem, frigiditatem & contractionem se in se, vtpote quæ dispositio est suæ tenebrosæ parenti connaturalis, ita quidem si fuerit luci rebellis, subito virtute sua contractiua in regnum frigiditatis seu tenebrarum sese immergit, & gradatim indicit vestimenta caliginosa tenebrarum, videlicet socordiam seu segnitiem, ignorantiam, timorem, odium, tristitiam, & huiusmodi alia: similiter si portio eius lucida vnionem illam frangit quam Deus in æqualitate materiæ & formæ ad vitæ completæ functionem creauit, sibi iterum naturam igneam à circumferentia in se seu centrum contrahit, induitque lucis rebellis naturam, quæ æqualis voluit esse Deo; atque hac ratione omnes igneæ intemperiei gradus in se contrahit, & hac ratione gradatim induit omnia lucis malignæ & æstuantis vestimenta, nempe iram, contentionem, furorem, inuidiam, luxuriam, ebrietatem, desperationem & huiusmodi alia, effectus quorum non ingrediuntur ab extra, sed in corde (per quod transit sphæra æqualitatis, seu linea æquatoris vitæ) cuduntur & oriuntur, & ab ore hominis egrediuntur: hinc Saluator mundi; *Omne extrinsecus introiens hominem non coinquinat eum, quia non intrat in cor eius, quæ vero de homine exeunt, illa coinquinant hominem: ab intus enim à corde hominum malæ cogitationes procedunt* ergò malum & impurum, hoc est, in nobis, adulteria, libido, fornicationes, mala concupiscentia, inuidiæ, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, superbia, impietas, inobedientia, amor sui, mendacium, suspiciones, &c. quæ omnia eueniunt propter distinctionem & separationem illam; quæ

Matth. 15.


facta

facta erat in vnione illa proportionali ad imaginem creata, videlicet vbi forma ignea super materiam eleuari, eiq; dominari tentat, vnde superbia & philautia, siue sui ipsius amor, cum sola reuera diuina veritas sit tantumdò reuerenda, amanda, honoranda: hæc Luciferi præcipitationis à puritatis & lucis regno in illud tenebrarum occasio, hæc Adami & progeniei ipsius lapsus, atque summi infortunij origo. Et quoniam istiusmodi contractio superfluitatis extraneæ in se sit frigidi & tenebrarum actus, mediante quo lucis filij decipiuntur, & quia officina, in qua istiusmodi malæ cogitationes cuduntur, est cor hominis, ideo in ista tenebrosa facultate cor hominis se claudit & contrahit se in suum centrum: nam vt actio inuoluntaria cordis consistit vel in dilatatione (de qua statim) & contractione, (de qua hoc in loco) vel in contractione & dilatatione simul, in quo actu mutuus est inter materiam frigidam & formam calidam concentus & vnio ad mediocrem vitæ actionem complendam: ita quidem in tenebrosis actionibus seu cogitationibus cor iuxta tenebrarum conditionem se claudit & contrahit, ne lucis diuinæ visionem (quæ tenebris est opposita) intueretur. Hinc Apostolus, *Ne ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operatione immunditiæ omnis in auaritiam*: & de his operationibus alibi sic, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* *Ephes. 4.* *Ephes. 5.*

At vero vbi vnio completa facta est inter spiritum intermediũ cum sua forma lucida in numero, mensura, & pondere æqualitatis & spiritus cum vnione ista stat firme in sua simplicitate, sine respectu ad tenebrosam suam originem, ibi quidem cor non contrahitur, sed ad fontem lucidum vsque dilatatur eius vniformis spiritus seipsum ad diuinam visionem, & coram facie Dei dilatatione, tam per orationes, quam per pias meditationes effundendo: hinc, inquit Anna ad Helim sacerdotem dicentem ipsam orantem fuisse ebriam, *non sibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini*: & Dauid, *Orationem meam effundo in conspectu Domini*: & alibi, *Anima iusti attollitur ad Deum*, & iterum, *Anima iusti sitiens est Dei fortis viuentis, dicens, quando accedam vt appaream in conspectu Dei.* Atque rationem istiusmodi sitientis desiderij alibi narrare videtur: quoniam agnoscit *animæ seu lucernæ suæ Deum esse illuminatorem*, vtpote cuius solius est suo beneuolo aspectu splendentes efficere tenebras: nam cor prophetæ cogitationibus etiam tenebrosis & prauis erat contractum & clausum, ita vt lucem deiformem videre non potuit eius anima: vnde in verba huiusmodi erumpebat, *Animus meus dolet in me, & terrores mortis accedunt mihi, timor & tremor inuadit me, & obtegit me horror.* Et alibi, *Anima mea est saturata malis.* Hinc ergo loco prædicto dixit, *Quando accedam vt appaream in conspectu Dei?* At postquam cor eius diuinæ gratiæ assistentia erat dilatatum, mentisque suæ oculi aperti, gaudio quasi insperato perfusus sic loquitur, *Animus meus attollitur ad Deum, & lætatur in Deo, quia in nomine Iehouæ confido, eum quietum efficit ipse, ab angustiis meis deduxit me & splendentes effecit tenebras meas, Anima mea redi in quietem tuam, cum Iehoua sit beneficus erga te &c.* Atque ita anima seu spiritus, vt antea in se diuisus, gratia diuina in suam vnionem redit, à carcere cordis contracti dilatatione libera, passionibus gaudij bonitate coruscantibus induitur, videlicet lætitia, spe, confidentia, amore, misericordia, humanitate, & similibus, vt decenti & nobili istiusmodi apparatu à lucis benedictæ præside melius & cum maiori respectu recipiatur. De talibus olim in tenebris captiuis, iam vero tandem diuini numinis assistentia liberatis, sic textus sacer, *Vos eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino qui eripuit vos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij electionis suæ.* *1. Reg 1 14.* *Psal. 142.* *Psal. 25.1.* *Psal. 42.3. & 63.3.* *Psal. 18.* *Psal. 55.5.* *Psal. 88.4.* *Psal. 25.* *Psal. 33.* *Psal. 25.3.* *Psal. 25.17.* *Psal. 18.* *Psal. 118.7.* *Ephes. 5.* *Colos. 1.*

Atque ita habetis non modo morborum, verum etiam sanitatis tam corporis quam spiritus rationem per istius nostri instrumenti speculationem patefactam, atque explicatam, de quibus quoniam in tractatu illo vbi de morborum causis amplam effeci mentionem, mihi latius disceptare proposui, plura hoc in loco discurrere nolumus; solummodo quæ in hoc capite enucleauimus, melioris vestri intellectus causa hic hieroglyphico more depingam.

Hieroglyphica morborum seu passionum Animi descriptio.



CAPVT V.

In quo vrinarum colores & alterationes per speculi istius obseruationem decerni possunt.


CVM vrina humana sit sanguinis serum; sanguinemque animæ sedem esse testantur scripturæ sacræ, atque ob istam rationem maximum vitæ mysterium in sanguine delitescere nobis innuere videntur; non vobis videatur mirum si in ipsam vrinam spiritum inuisibilem virtutis haud minimæ, & status vitalis nuncium veridicum immergi atque abscondi non minus, quam in humoribus quatuor cæteris, de spiritibus quorum occultis *capite præcedenti* sermone egimus breuissimo.

Cum ergo spiritus iste in vrina absconditus, & in ea inuisibiliter immersus, nec oculo, nisi per solum effectũ apparens, sit de spiritus aërei in homine natura, cuius est quidē quid super-fluum;

fluum; necesse est credere quod & ipse aëris, seu spiritus vitæ in aëre inclusi statum & dispositionem per effectum ostendere queat, videlicet an ipse in corpore humano mediocriter, & iuxta naturæ leges sit dilatatus, vel si per aliquos gradus ab I. puncto, vel intersectione C. C. contrahatur, & versus polum hyemalem eleuetur, vel è contra vltra mediam intersectionem I. vel C. C. versus polum æstiualem per gradus aliquos plus minusue dilatatione extendatur. De vrinæ quidem ortu, & de spiritu eius interno aëreo ad salsedinem volatilem vergente, in Anatomia nostra de tritico plene sumus loquuti, & Deo volente in Prognostica nostra totam vrinæ historiam ad viuum delineabimus. Vt ergo in pomo vel tritico, ad maturitatis metam semper (spiritu eius formali intrinsecus paulatim operante) à gradu extremæ cruditatis gradatim & pedetentim tendere, atque, secundum sulphuris in spiritu isto mercuriali auctum & incrementum, ipsum magis magisque in colore tingi atque alterari cernimus, videlicet ab aquea cruditate in flauedinem, & à flauedine magis magisque in intensam rubedinem: ita quidem res sese habere in spiritu mercuriali ipsius hominis, & consequenter vrinæ eiusdem euidenter percipere possumus: nam vrinæ integer progressus diametralis per spatium à polo hyemali instrumenti ad illum æstiualem, atque per intersectionem mediam, quam facit æquator, seu linea æqualitatis in pyramidibus, in qua optima quidem spiritus, seu aëris humani temperies indicatur, ad amussim explicatur: nam vt aëris (aliter oculis haud percipiendi) intentionis vel remissionis gradus, per aquæ visibilis descensum aut ascensum signari atq; indicari solet, ita quidem aëris rarefactionis & contractionis proportiones per solam colorum variationem discerni solent; quo enim magis augetur in mercurio vrinæ interno vis sulphurea, eo etiam intensior erit eius color. Quomodo autem sulphur in spiritu aëreo, siue mercuriali in hominis humore augeri solet, abunde, idque oculari testimonio, in ***Anatomia nostra de tritico*** declarauimus, & de eo magis expresse in ***tractatu nostro de Vrinis***, diuino numine propitiante disceptabimus.

Iam vero integram vrinæ diametrum à polo æstiuali per æquatorem ad illum hyemalem, non figuris indice aqueo, vt in nostro instrumento notatis, sed gradibus coloratis, depictis & distinctis in hunc modum descripsimus. Intersectionis enim, seu sphæra æqualitatis signum erit color aureus; quippe in cuius compositione est medietas inter intensam frigiditatem & caliditatē: vnde fit vt quo magis remissa inueniatur vrina, eo magis abundat contractiua frigoris virtus, & fit in mercuriali spiritu retrogradatio à temperie ad intemperiem frigidam, & à coctione ad cruditatem: & quo magis ab isto medio colore vergit ad extremum aqueum, eo magis decrescit in ipsa sulphuris viui vigor & actio, & consequenter in pondere & mensura formali diminuitur; nam pondera sapientum sunt respectu sulphuris existentis in mercurio. Gradus autem contractionis spiritus vrinæ à medio aureo, siue rufo versus polum hyemalem sunt hi, videlicet colo subrufus, citrinus, pallidus, albus, liuidus, niger. E regione verò quo magis vrinæ color est intensus, & supra metam auream in sua tinctura exaltatus, eo etiam magis sulphuris exaltationem super & vltra spiritus mercurialis proportionem arguit, imo vero ipse spiritus in naturam sulphuream; non aliter quam fumus in flammam magis magisque dilatatione crescendo conuerti videtur: eius vero incrementi gradus à sectione æqualitatis versus polum æstiualem sunt, color croceus, subrubicundus, rubicundus, inopus more hepatis, viridis & niger vt pluma corui. Hinc ergo quod vtriusque poli nigredo mortem denotant, & in funebri mortis contactu conuenire videntur manifestum est; illa videlicet æstiualis & calidi à combustione nimia, in qua humidum radicale penitus absorbetur, & ab ignea seueritate deuoratur & consumitur, vt in carbone videmus: illa vero hyemalis & frigidi à mortificatione & mortifera congelatione, in qua & à qua calidum innatum penitus extinguitur & præfocatur: Hoc quidem per speculi istius nostri obseruationem sic ad oculum delineauimus:

Vrinarum cum Borealium, tum Australium scala.



Hinc ergo est quod vrinarum inspectione, de morborum natura & conditione, & de proportione sulphuris præternaturalis & destructiui superantis, aut illius naturalis deficientis facillime & certissime prognosticare possumus; contra inconsultam eorum sententiam qui nihil certi per vrinæ obseruationem dignosci posse contendunt; & consequenter eam meretrici assimilare & comparare gestiunt.

CAPVT. VI.

Quomodo per inspectionem in istud speculum maxime commoda morborum curandorum tempora elicere queamus.

CVM igitur complexiones hominũ varię varium in frigiditate aut caliditate gradum sibi vendicare dignoscantur, quoniam complexio cholerica excedit locum intersectionis siue æqualitatis in instrumento, & magis ad caloris extremitatem tendit: ideo certum est homi-

hominem tali dispositione præditum maiori calore quàm requirit natura in pondere temperata affici: atque hæc est ratio, quòd iuxta Galeni doctrinam *biliosiores melius se habeant tempore hyemali*, quia calor in ipsis naturaliter excedens, & spiritum hominis facilè accendẽs frigore hyemali magis contemperatur, & efficit vt calor ille mediam temperiem superans in naturæ mediocritatem durante illo tempore reducatur: similiter complexioni pituitosæ seu phlegmaticæ, in qua frigiditas per gradum vnicum excedit temperiem ad pondus, conuenire & conferre percipitur tempus æstiuale; quippe in quo calor redundans reprimit frigoris irati excessum, & reducit illam temperiem inæqualem in æqualitatem durante illo tempore: ac si quis dixisset tempera gradum 2. hemisphærii hyemalis cum 2. illius æstiualis, erit in effectu vt gradus 1. per quem transit sphæra æqualitatis. At verò è contrà complexio biliosa peiùs & insalubriùs sese habet æstiuo tempore, quoniam calor æstatis additus calori complexionis eum mutare solet à gradu 2. hemisphærii æstiualis ad 3. vnde fieri notatur, quòd biliosi tempore æstiuo febribus sunt magis obnoxii quàm aliqua alia complexio, nam Hippocrates asserit bilem in æstate copiosè procreari, & præcipuè in biliosis: vt etiam ex altera parte pituitosi peius & insalubrius sese habent in hyeme quàm vlla alia complexio, quoniam pituita in tempore hyemali gigni animaduertitur, vnde factum est, quòd pituitosi morbis phlegmaticis eo tempore magis affliguntur, quàm aliqua alia complexio: quoniam frigus hyemale frigiditati complexionis additum tantùm valet, quantùm spiritus in vitro à gradu 5. ad 6. dilatatus. His igitur ritè perceptis atque obseruatis cognita alicuius complexione, qui morbo longo vel chronico laborat, temporis electio fieri potest per dispositionem aëris in vitro, quæ aquæ positione & situ designatur, in quo talis morbus aptiùs & cùm conuenientiori naturæ præsidio curari potest. Verbi gratia: aliquem phlegmaticum naturaliter cum gradu 2. hemisphærii hyemalis conuenientem, hydrope iam ex nimia hepatis frigiditate laborantem habemus: in quo casu ad dispositionem gradus ascensus aquæ in punctum 3. vel 4. in quibus pluuiæ copiosè cadunt, & humus mediantibus iis flaua & limosa redditur, accedit morbida eius complexio: cùm autem contraria contrariis curantur, & cùm caliditas æstiualis frigiditatem complexionis pituitosæ mitigare & moderari cernitur; ergo pro curatione istius morbi hydropis eligere velim tempus, in quo secundùm anni temperiem aqua in semidiametro æstiuali ad gradus oppositos deprimi inuenitur, videlicet in 4. vel 3. hemisphærii æstiualis, atque etiam medicamenta iisdem gradibus in sua complexione conuenientia pro curatione morbi illius adhiberi puto. Atque ita in cæteris.

Aph. 3.12. Aphor. 3.18. Aphor. 3.20.

CAPVT VII.

Quòd etiam medicamentorum simplicium complexiones ad scalam istam instrumenti facilimè adaptari possint.

VT omnia simplicia tam animalia quàm vegetabilia & mineralia habent suos destinatos gradus, quibus eorum temperamenta ab inuicem distinguuntur in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate, idque in gradu primo, secundo, tertio, vsque ad quartum, verisimile videtur quòd istæ in suis temperamentis proportiones consistant, vel in ipsorum spirituum contractione maiori vel minori, aut saltem in illorum dilatatione intensiori vel remissiori. Omnia autem simplicia quæ spiritum habent in se dilatatum, calida sunt iuxta mensuram dilatationis suæ, vel in primo, secundo, tertio, vel quarto gradu: quorum profunditates in calore siue dilatatione sua signantur per hemisphærii æstiualis gradus 2. 3. 4. 5. vel profundiùs: quare accidit, quòd in suis operationibus talem etiam virtutem habent dilatandi, & dissipandi atque resoluendi humores cùm fuerint in corpus assumpta, vel extrinsecus topicè applicata. Haud dissimili etiam ratione se habet res in simplicibus omnibus, quorum spiritus internus magis à frigore contrahitur, quæ etiam inter se iuxta contractionis proportionem quam eorum spiritus patitur, vel maiori vel minori frigiditate abundant; idque à gradu primò ad tertium, quartum, vel vltrà, vt in subitò intoxicantibus & destruentibus videre licet. Sed quoniam de his *volumine sequenti*, vbi de medicamentis animalibus, vegetabilibus & mineralibus expresè (Iehoua annuente) disceptabimus, ipsa verbis hoc in loco vlterioribus prosequi, atque pertractare minimè intendimus.

CONCLVSIO.

HIc ergo (amicissime Lector) habes vniuersale naturæ in raro & denso mysterium, debi-
ta proprietatum istius speculi nostri experimentalis contemplatione explicatum atq;
demonstratum. Nec quempiam cauillanter mecum agendo replicare velim, experimen-
tum istud oculare esse nimis vulgare & commune; nam hac de causa vt rei facili & capaci-
tati vulgi minimè difficili insisterem, me suaderet ratio, quò melius intellectui non modo
subtili, verùm etiam grossiori innotesceret, & se patefaceret per illud naturæ in contractio-
ne & dilatatione arcanum. Visibili ergo istius arcani per speculi dispositionem obserua-
tione longè à nobis & in sempiternum exilium releganda est illa Manichæorum opinio,
qua persuadentur duo esse principia coæterna, vnum mali, & aliud boni, cùm tam vitæ
quàm mortis, tam sanitatis quàm morbi, & consequenter tàm boni quàm mali à Deo vni-
co (tam tenebrarum quàm lucis fonte) originem suam ducunt, iuxta illud diuini oraculi:
Deut.32. *Ego occidam, & viuere faciam; percutiam, & ego saluabo.* Vnde Iob: *Deus qui vulnerat medetur, per-*
Iob.5. *cutit & sanat:* Nam teste Psalmista: *Vt ipse in ira sua indignatur, ita in misericordia sua viuificat:*
Psal.30.5. ipse est qui vtriusque mundi spiritus modò vel in gradu frigoris magis mediocri contra-
hit, vel frigoris sui inclementia ad congelationem, fixationem, & vitæ mortificationem vs-
Iob.27.9. que agit: nam *Deo forti flante concrescit gelu*, seu *edit glaciem flatu suo*, *coram frigore eius quis*
Psal.147. *consistat?* Atque ita malum, morbum & mortem à contractiua & frigida Dei proprietate
16. habemus: & ipse est qui in altera sua proprietate dictus est *ignis consumens*, vtpote *coram fa-*
Hebr.17. *cie cuius montes liquescunt instar ceræ*; atque in hac sua proprietate vtriusque mundi spiritum
5.Moys.4.9. gradu suæ seueritatis vel profundiori vel remissiori dilatat, vt in æstu vehementi aëris ma-
crocosmici, præsentia cuius coruscationes & meteora ignita sunt procreata, atque etiam
in illo spiritus microcosmici, in quo morbi æstuosi incenduntur, de quibus Moyses sic:
Deut.28. *Faciet Iehoua vt tibi adhæreat pestis, donec consumpserit te; percutiet te Iehoua tabe & æstuante ac v-*
Iob.6.4. *rente febre & vrigine, & morbo regio, quæ persequentur te donec pereas.* Vnde etiam Iob: *Sagittæ*
Iob.21.17. *omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum.* &c. Et alibi: *Dolores imperti-*
tur Deus ira sua; ac si dixisset, fulgurante Iehoua in spiritu humano, illum inflammat, & hu-
Iob.20.23. midum ipsius radicale absorbet: quare alibi sic, *Deus æstuantem iram suam emittit in impium,*
quam impluit in eum loco cibi. Denique vt Deus omnia de extremis contrariis conflauit, vi-
delicet luce quoad animam, & tenebris respectu corporis, ita quidem vnius effectus, siue
boni siue mali, per alterius oppositi spiraculum (quod à Iehoua spiratore summo accipit)
dissolui & destrui solent: nam vt Deus *ab Aquilone* siue Arcturo *spirans suo afflatu, emittit ni-*
ues sicut lanam, & pruinam sicut cineres, & gelu tanquam frusta, coram cuius frigore nemo consistere
Psal.147.16 *queat:* Ita quidem ex opposito *emittente eo verbum suum liquefacit ista, simul ac efflat ventum*
suum effluunt aquæ (vt regius testatur Psaltes.) Vnde certum est, quòd quicquid Deus in
condensatione vel rarefactione facit in vtriusque mundi spiritu, hoc si quidem complere
solet mediantibus ventis suis angelicis vel aëreis vel igneis, idque more tam manifesto
quàm occulto, & ab intellectu humano minimè percepto: nam ipse qui angelos suos ven-
tos facit, & ministros suos ignem vrentem, mediantibus hisce suis angelis validissimis ro-
Psal.103.4. bore efficit verbum suum, quippe quorum est voci eius auscultare, & tum postea loco *mi-*
nistrorum ipsius electorum *efficere placitum eius* in vtroque mundo, iuxta Dauidis regis
assertionem: & tamen horum omnium actus in vnico spiritu dependent, qui est Verbum
illud ter maximum, cui tanquam principi seu capiti summo obedientiam præberit; Vnde
Propheta: *Veni à quatuor ventis ô spiritus*, &c.

Concludimus igitur, quòd omnis densitas fit contractione frigida à potentia diuina
seu tenebris orta, omnisque raritas à dilatatione calida, ab actu diuino seu luce procreata,
spiritu interim, siue subiecto medio passiuo eodem in sua simplicitate permanente. Quo
luce meridiana clariùs elucere videtur, quòd materia vnica mundi sit catholicum illud
subiectum creatum, in quod Deus etiam vnicus increatus per spiritus suos angelicos assi-
duè vel secundum creaturæ naturam, vel præter vitæ leges agit, tam in condensatione (o-
perante frigore) quàm rarefactione (dilatante calore.) Hinc ergo ortum est cœlum at-
que terra, ignis & aqua, leue & graue, perspicuum & opacum, sanitas & morbus, vita &
mors, seu generatio & corruptio, & denique quicquid generi humano videtur esse aut bo-
num aut malum: cùm tamen Deo, qui omnia in vno fecit, omnia sint vnum & idem, &
Psal.139.12. consequenter Deo nihil malum: nam (teste Dauide) *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Qua-
Ecclesi.7.14. re liquet, quòd non sit inconsultè à filio Sirach dictum, quòd *bona & mala, vita & mors,*
paupertas & honestas à Deo sunt. Sed vt friuola illa Scholarium distinctio de malo pœnæ
& culpæ funditus tollatur respiciatis velim sequentia: *Considera*, inquit, *opera Dei, & quòd*
nemo

nemo possit corrigere quem ille despexerit; In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustam querimoniam. Imò verò in Iehouæ manu est anima omnis viuentis & spiritus totius carnis humanæ, penes illum est sapientia & fortitudo, illius est consilium & intelligentia: En destruit vt non ædificetur, occludit verò ita vt non aperiatur: en ita cohibet aquas vt arescant, & ita emittit eas vt subuertant terram: apud illum est robur & potentia: eius est errans, & in errorem inducens; qui facit *vt consulti deueniant in dementiam, & indices stultos reddit: qui facit vt præsides deueniant in dementiam, & validissimos peruertit:* qui reuelat profunda è tenebris, & educit in lucem vmbram lethalem: qui auget gentes & perdet eas, qui amouet animam primatibus terræ, qui facit vt errent tanquam ebrii, & palpent in tenebris deficiente luce: etiam ille est ipse *qui conclusit omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuit ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; Ipsi ergo sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Iob.12.

Rom.11.32.



SECTIONIS I.
PARTIS SECVNDÆ LIBER VNVS.

De tam particulari quàm generali morbi natura, essentia atque definitione, idq; iuxta Biblii sacri intentionem tractat.

Partis secundæ, libro vnico comprehensæ, contenta.

Secunda Pars ista Morborum seu Meteororum insalubrium essentiam iuxta sacrarum literarum normam describit. Idque vel descriptione magis:
- Speciali: De quâ *cap.1.*
- Generali: & de ista *capit.2. & 3.*

CAPVT I.
Morbus, seu meteoron morbosum quid.



N *præcedenti tractatu seu parte huius portionis prima* primam & principalem doctoris optimi regulam siue organon, oculare videlicet instrumentum, quò fide certa discipulos suos instruere solet, exertè prædicauimus, clarissimè intuitui aperto propalauimus. Iam verò quò doctrina hæc nostra certior & facilior adhuc scientiæ cupidis videatur, cum regula doctoris probi & methodici secunda in isto nostro negotio progrediar, distinguendo scilicet; nam qui bene distinguit, bene docere dicitur. Sed priusquã ad specierum alicuius rei differentiam, siue ipsius in membra sibi magis conuenientia distinctionem procedamus, æquum esse more methodico incedendo existimamus, quid sit ipsa, hoc est, quali definitione generali, naturam & dispositionem eius exprimamus; inprimis & ante omnia discutiamus. At verò quoniam eius consideratio secundùm intentionem nostram (quæ est rem tam nucleotenus quàm secundùm eius corticem seu superficiem exteriorem explorare) est tam mystica & interna quàm vulgaris & externa, ideò à radice, hoc est cum radicali ipsius descriptione exordiar, vt ad vulgarem illam methodo tum postea meliori descendam, quibus simul optimè consideratis, descriptionem morbi tam vulgaris quàm diuini in vnicam plenam & generalissimam definitionem includemus.

Inueni-

Inuenimus ergo ex sacrarum literarum doctrina, quòd vt omnis morbus sit à Deo (vtpote cuius est percutere & mederi, vulnerare & sanare, ad portam sepulchri ducere & reducere) ideo à me haud inconsultè factum existimo morbi naturam in hunc modum definire:

Morbus est malum seu angustia quædam quæ homini peccanti ob faciei Iehouæ absentiam & occultationem aduenit.

In qua definitione natura morbi tam animi quàm corporis comprehendi videtur, vtpote ex quibus conflatur homo: in subiecto ergo, quod est morbus, consistit causa naturæ eiusdem meteorologicæ materialis, in malo & angustia formalis, efficiens verò in occultatione & absentia vultus & faciei Iehouæ (quippe quam sequuntur tenebræ quas concomitatur omne malum.) At vt tenebræ sunt à Septentrione ita quidem iuxta literarum sanctarum doctrinam ab Aquilone omne malum. In natura ergo septentrionali quæ est astrictiua & contractiua contrahit se diuinitas à circumferentia ad centrum, & hac ratione dominantur in circumferentia tenebræ, in quibus praui spiritus ex parte Septentrionis *Ben-Elohim*
De Cab. dog. lib. 1. dicti, effectus suos infelices exercent, vt testatur Archangelus; hinc ergo dixit vir patiens:
Iob. 10. 12. *Visitatio tua conseruauit spiritum meum.* Et Propheta Dauid: *Lux, salus iustorum & robur vitæ*
Psal. 27. 1. *meæ: luceat facies super seruum tuum, serua me benignitate tua: lucem tuam attolle super nos, & ef-*
Psal. 31. 17. *fecit vt videamus bonum: in luce faciei Iehouæ saluabimur,* &c. Quibus arguere videtur quòd
Psal. 4. 7. ipsius sanitatis fruitio consistit in præsentia Iehouæ benigni, commiserentis atque gratio-
Psal. 80. 4. si; vt è regione conturbatio, vexatio & morbus sequuntur præsentiæ benignitatis diuinæ
Psal. 13. a. 1. priuationem siue absentiam. Quod etiam arguere videtur prædictus Propheta: *Quousque obliuisceris mei Domine, an ne perpetuum? quousque abscondes vultum tuum à me? quousque vanis*
Psal. 30. 7. *curis animam meam affligam, quæ nihil præter mœrorem continuum pariunt? Contemplare & auxi-*
Psal. 44. 24. *liare Domine Deus, illustra oculos meos, ne morte obdormiam: protinus vt abscondebas faciem tuam conturbabar: Cur vultum tuum abscondis? cur obliuisceris nostræ afflictionis?* &c.

Denique exactè confirmatur tota vis prædictæ definitionis his paginæ sanctæ locis:
Deut. 31. 17. nam Moyses: *Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, vt obueniant iis mala multa & angustiæ,* &c. In quibus verbis consistit tota prædictæ morbi definitionis vis; sed quoniam ista definitio videtur esse non ita generalis, sed solummodo ad eos morbos, seu meteora morbosa pertinere, quæ ex contractiua Dei proprietate oriri solent; igitur ad alias morbi definitiones magis catholicas progrediar.

Morbus est tam animi quàm corporis conturbatio, quæ ob peccata, ira Domini præeunte, est effecta.

Psal. 90. 7. Huius definitionis vim ab ore Prophetæ regii sic accepimus: *Ira tua consumemur, & tuo æstu conturbabimur, quoniam omnes dies nostri defecerunt, & posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.*

Vel sic: *Morbus est quædam à manu Iehouæ irascentis percussio, quæ pro proprietatis percussoris varietate, varia esse dignoscitur.*

Deut. 27. Confirmatur verbis hisce: *Percutiat te Iehoua tabe calida & æstuante ac vrente febre & siccitate, & vrigine & morbo regio; percutiet te vlcere Aegypti & hæmorrhoidibus, & scabie & prurigine: percutiet te, amentia & cæcitate & stupore cordis,* &c.

Vel sic: *Morbus est dolor quem impertitur Deus in ira sua.*

Vel sic: *Morbus est increpatio Dei per dolorem in lectulo.*

Iob. 21. 17. Pro prima ait Iob: *Dolores impertitur Deus ira sua.*

Iob. 33. Pro secunda: *Increpat Deus quandoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, abominabilis ei fit in vita panis, & animi illius cibus antea desiderabilis. Tabescit caro eius, & ossa quæ tecta fuerunt nudabuntur, appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.*

Iob. 3. 19. Vel sic: *Est vita & lux ærumnosa & amaris animo ingrata:* Hæc est Iobi descriptio.

Vel sic: *Morbi sunt sagittæ omnipotentis in ægrotum graues admodum, quarum virus ebibit spiritum ipsius.*

Iob. 6. *Sagittæ,* inquit Iob, *Omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum,* &c.

At quis fortasse asseret, istas definitiones non esse adhuc satis generales: nam vt prior definitionum species pertineret ad auersionem & occultationem Dei ab ægroto, quam Dei absentiam sequebantur tenebræ & caligines, & consequenter ad istam speciem pertinent morbi septentrionales seu occidentales qui vergunt ad partem septentrionalem, cuiusmodi sunt tristitia, mœror, timor, stupor, suspicio, mentis stultitia, & cætera animi meteora; simul atque scotomia, matricis suffocatio, flatus hypochondriacus, melancholia, apoplexia,

plexia, epilepsia, paralysis, spasmus, sopor, catoche, stupores, & cætera id genus alia corporis meteora morbosa ex vento vel ventis tenebrosis compacta : ita quidem hæ posteriores denotant meteora illa morbosa quæ fiunt per vultus Ichouæ irascentis præsentiam, qui igneos & æstuosos, & consequenter dolorosos producunt in ægro effectus, cuiusmodi sunt ira, furor, delirium, phrenitis, inquietudo, &c. meteora istius generis subtilia animum perturbantia, qualia sunt pestis, febres, inflammationes, apostemata calida, putredines, pleuritis, angina, morbus regius, peripneumonia, cholera, & cætera naturæ æstuantis meteora, quæ sunt vel venti lucidi, cum ex oriente, tum meridie orti, vel ex ventis illis. Hisce quidem & nos concedimus, dicimusque etiam nonnullas ex definitionibus Galeni haud imparem sortem habere: nam Galenus videtur esse scrupulosus nimis in suis inuentionibus, quippe qui inter affectum & morbum hanc facit discrepantiam, *Affectus* (ait) *est impeditio functionis alicuius naturalis vel plurium*; morbum vero quendam corporis statum efficit in quo functio læditur primum : ita vt eandem inter affectum & morbum facere videtur discrepantiam, quæ est inter actum læsionis functionis, & statum corporis qui sequitur lesionem functionis: & tamen alibi definit morbum esse *affectum præter naturam qui actionem afficit*; vnde per istam suã definitionem, ambo, videlicet morbum & affectum cõfundere videtur. At vero alibi agnoscit, quod tam morbi causa, quam symptoma sint corporis affectus qui à naturali statu recessit, tam bene quam morbus: vnde tam ad morbi causam & symptoma, quã ad morbũ ipsum spectat illa definitio supradicta, quã ipse morbo assignat, videlicet quod sit affectus præter naturam qui actionem afficit: hinc ergo sequitur quod illa non sit definitio admodum propria. Alibi definit morbum, quem νόσον vocat, *esse habitum ægritudinarium totius corporis, vel alicuius partis eiusdem* : ac si paucis dixisset, *Morbus est status corporis ægritudinarius*, vel potius *morbus est ægritudo*. Quibus liquet, quod definitiones istæ Galenicæ confusione haud minima careant : nam quid obsecro interest dicere quod morbus sit morbus seu ægritudo, quam quod morbus sit habitus ægritudinarius totius corporis ? Porro etiam eandem videtur ipse obseruare inconstantiam in ægritudinis definitione: nam quandoque ipsam (quam νόσον vocat) definit esse *partium primarum intemperiem quæ secundum naturam consistunt* : partes autem primarias vocat alibi partes simplices, quas elementa, vel calidum, frigidum, siccum & humidum appellat: at vero, vt mihi videtur, ipsa intemperies nihil aliud est, quam aut calidi aut humidi, aut frigidi aut sicci exuperantia ; quas quidem qualitates nos ventos dicimus aeri permistos, eumque essentialiter informantes. Iterum definit ipsam esse *insitorum in nobis humorum intemperiem* : deinde dicit ipsam esse *naturalium facultatum præpeditionem* : vbi eam effectum intemperiei facit, vt in præcedente ipsam causam, videlicet intemperiem : præterea in definitione præcedente, vbi ait morbum esse insitorum humorum intemperiem, à generalitate definitionis videtur ipse aberrare, quoniam sunt ægritudines quæ ex sola obstructione à materia grossa facta oriuntur, aliæ sine euidenti intemperie, sed solummodo ab alicuius humoris extra suum locum seu sedem naturalem dislocatione seu transpositione : tum postea definit *eam esse mutationem corporis quod secundum naturam est, in id quod præter naturam se habet* ; ac si quis confusis verbis diceret, quod ægritudo sit illud quod sanitas non est.

Finit. med. cap. 7.

Finit. med. cap. 7.

Hippoc. & Plat. dogma l. 5. c. 4.

Finit. med. c. 7.

Denique definit eam *esse primarum partium intemperiem, in qua siccum aut frigidum, aut calidum aut humidum præualet* : cum multæ sint ægritudines quibus ista definitio non conuenit; nam sunt nonnullæ quæ à sola plenitudine oriuntur, & aliæ ab inanitione: porrò etiam luxatio, sanguinis eruptio, seu venæ fractio continui solutio atque etiam gibbositas, verruca & cæt. possunt esse nulla intemperie primarum seu simplicium partium præeunte. Vnde sat liquido declaratur, quod definitiones hæ Galenicæ de morbo & ægritudine non sint tam exactæ, quin vt à generalitate seu vniuersalitate quodammodo dissentiant : quare non sunt ita culpandæ prædictæ meæ definitiones, tametsi earum quælibet non sit ita catholica seu vniuersalis.

At vero recitat Galenus vniuersalem illam morbi definitionem quam protulit Plato hisce verbis: Hip & Plat. dog. l. 5. c. 4.

Morbus est rei natura cognatæ ex aliqua corruptela dissensio.

Hanc vocat ipse generalem Platonis de morbo definitionem, omnes singulares morbos tam animi quam corporis, tam in cæteris animantibus & in plantis, quam in totis ciuitatibus comprehendentem. Galenus autem istam Platonis definitionem sic contraxit.

Morbus est simplicium partium inter se discrepantia.

Ad nostras autẽ morborum seu meteororum morbosorum definitiones ꝙ attinet, tametsi Hip & Plat. dog. l. 5. c. 4.

præcedentium quælibet non omnes generaliter videatur comprehendere morbos, tamen hæ quæ sequuntur, sunt adeo catholicæ & generales, ac est illa Platonis.

Caput II.

De catholica, seu generali morbi; seu meteori morbosi definitione, ex sacrarum literarum doctrina descripta, & Ethnicorum authoritate comprobata.

Ex sacrarum igitur literarum contextu definitionum quam plurium generalium membra in hunc modum conteximus.

Morbus est castigatio siue vulneratio, siue percussio Omnipotentis.

Iob 5. 17. Hanc definitionem ex verbis viri patientis accepimus, quæ sunt huiusmodi. *Castigationem Omnipotentis ne spernas, quoniam ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.*

Vel sic: *Morbi sunt conturbationes Dei, quæ acie in ægrotum instructæ oppugnant eum.*

Iob 6. 4. Inquit, Iob alibi, *Conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me.*

Vel sic: *Morbus est affectus siue passio tam animum quam corpus præter naturæ leges perturbans, quæ maledictionem diuinam, tanquam ipsius effectus pro peccato & inobedientia necessario sequitur.*

Hanc definitionem in hunc modum contraximus.

Morbus est affectus præternaturalis à maledictione diuina propter peccatum ortus atque effectus.

Atque ista morbi definitio est tam generalis, quam illa Platonis à Galeno *loco antea citato* expressa.

Confirmatur huiusce definitionis ratio, authoritate sacrarum literarum hoc modo:

Deut. 27. 28 *Immittet Iehoua ipsam maledictionem, vexationem, exilium, donec exscindaris & pereas cito: faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consumpserit te; percutiet te tabe calida & æstuante & vrente, febre & siccitate, & vrigine, & morbo regio, & hæmorrhoidibus, & scabie, & pruritu, & vlcere maligno, & reuocabit in te omnes languores Aegyptiorum, & omnem morbum & omnem plagam quæ scripta est in libro legis huius ducet Iehoua in te: & dabit tibi Iehoua cor pauidum & trepidum, hebetationem oculorum & mœrorem animi, pauebisque noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua. &c.* Quibus videmus, quomodo omnes infirmitates tam animi, quam corporis procedunt atque oriuntur à maledictione Iehouæ: de qua etiam Iehouæ benedictione

Num. 14. 28 29. cum ipsius effectibus, *Num.* 14. 28. 29. quam clarissime.

His igitur bene ponderatis definitionem sanitatis generalem exactissime in hunc modum explicamus.

Sanitas est affectus seu status naturalis, ortum suum à benedictione diuina propter obedientiam ducens.

Confirmatur ista sanitatis definitio non modo per oppositionem illius prædictæ de

Exod. 23. 25. morbo à maledictione, verum etiam his verbis, *Colito Iehouam Deum tuum, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit à vobis omnem morbum, & numerum dierum tuorum complebit.* Hinc ergo causa morbi liquido se declarat per contrarium, ac si dixisset, si non colis & reuereris Iehouam, maledicet pani tuo, & aquæ tuæ, & afferet quemuis morbum in medio tui, & numerum dierum tuorum diminuet. In qua versione euidens est quod victus ratio nisi benedicatur à Domino est præcipua morborum atque infirmitatum ratio. His ergo notatis morbum sic breuius definimus.

Morbus est necessarius maledictionis diuinæ effectus, qui homini propter peccata superuenire assolet.

Vel sic: *Morbus & malum est necessarius maledictionis diuinæ effectus.*

Nam causa maledictionis diuinæ debet necessario subintelligi, quoniam vt Deus est iustus, ita iniuste, qui iustus est, nihil agit.

At vero quoniam Deus mediantibus suis spiritibus siue angelis percutere & morbis affligere solet, æquum esse puto hoc in definitione aliqua includere, vt inde scripturarum authoritate aperiatur modus, seu instrumentum mediante quo Iehoua peccatores ferire, percutere atque affligere solet. Sic ergo generaliter.

Morbus est plaga, quam Angelus percussor corpori humano, sic volente & permittente, imo vero & animante Domino, infligit.

Sic

Sic diabolus dictus est percussisse *Iobum vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem*: sic *Iob 1.*
percussor seu vastator percussit omne primogenitum Ægypti: sic Angelum Domini vidit
Dauid populum suum peste & plaga afficientem: sic Angelus Domini vna nocte integrum
quasi exercitum Assyriorum deleuit.

Vel sic, *Morbus est plaga quam maleuolens Iehoua in cor inobedientis per percussorem siue malum angelum emittit.*

Et tamen hoc totum Iehouæ irascenti & in seueritate sua attribuitur, vtpote qui agit in & per ministrum suum, eumque totum ad placitum suum exequendum rapit, agitat, & aminat: nam tametsi diabolus male affecit Iobum, ipse tamen omnem suam in illo opere actionem attribuit Deo, vnde ipse Iob mentionem nullam de angelo percussore faciens, totum suum malum attribuebat Iehouæ, dicens, *Deus vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt*: *Iob 5.17.* sic etiam quandoque in *eodem capite* dictum est quod *Iehoua percuteret omne primogenitum Aegypti*, in quo tamen nihilominus mentionem facit de vastatore & percussore. Rationem vero ostendit alibi, *Noli* (inquit Iehoua) *exacerbare angelum meum quem mitto ante vos, quippe qui non feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo, &c.* Quo declaratur, quod nomen Iehouæ existit in Angelo, seu ipsa Dei essentia per Angelum quasi instrumentum percutit & morbo affligit: nam actus diuinus angelum ad percutiendum mouens est maleuola & iracunda Iehouæ voluntas, cuius effectus proximus est maledictio, quam morbus & haud raro mors ipsa malo affligente angelo sequi obseruatur.

Hic ergo habemus centrale, radicale, & increatum agens in organo angelico, mediante quo organum illud voluntatem agentis sui exequi cogitur: & tamen creatura illa angelica à luce sua centrali sic exagitata, ad placitum agentis more insalubri patrandum per medium aereum mouere assolet, qui aer sic motus vocatur ventus, spiritus flans atque fluctuans in cælo, virtute cuius malefica & corrupta, vel in simplici sua natura, malo tam animum quam corpus afficit, vel alia meteora producens & animans, per ipsa, & in ipsis effectum suum maleuolum producit, Verbi gratia, testatur textus sacer, quod *Iehoua* (iratus cum inobedientibus) *inclinauerit cælos, descendit & concutitur terra, caligo sub pedibus suis, & ascendit super Cherubin, & lapsus est super alas venti, & posuit tenebras in circuitu sui latibulum* *2.Reg.22.8.* *cribrans aquas de nubibus cælorum, deinde nubes præ fulgore in conspectu eius succensæ sunt,* *Psal.18.a.8.* *grando & pruinæ igneæ, tonabat de cælo Dominus, misit sagittas, & disparuit eos, fulgur & consumpsit eos, &c.* In quo sermone hæc omnia luculenter declarantur quæ à nobis sunt dicta: nam agens vnicum in prædicta tribulatione & persequutione impiorum est Iehoua in iracundia sua, eius vehiculum, seu currus propinquior erat Cherubin seu organon Angelicum, medium per quod, & in quo vehebatur illud organum primarium erat aer seu ventus, qui congregans nubes efficit vt aquas insalubres educant, & fulgura seu coruscationes in iis parturiens, æstu suo per ea accendit nubes, & destruit impios: quocirca videmus quod in macrocosmo Deus Iehoua est internum agens, cui reuera omnis effectus siue sit maleuolus & insalubris, siue beneuolus atque salubris est attribuendus, in cuius spiritu aereo, ipse in centro angelico sedens & agens ducitur, non medio aut angelico in quo sedet, nec illo ventoso in quo spiritus Cherubinicus fertur, nec nubibus quæ à ventis procreantur, nec fulgure quod è nubibus emittitur, sed soli Iehouæ radicaliter & vnico agenti tanquam rota in rotis, vel (vt propheta Ezechiel ait) *rota in medio rotarum*: hinc dixit quod Iehoua descendit, Iehoua insidet super Cherubin, Iehoua vehitur super alas venti, Iehoua posuit tenebras in circuitu sui latibulum, Iehoua cribrat densas aquas, Iehoua conspectu suo accendit nubes, Iehoua mittit sagittas & fulgura in ira sua, Iehoua disparuit impios; ac denique Iehoua facit seu operatur omnia in omnibus, vtpote *à quo, per quem, & in quo omnia* teste Apostolo: non angelus, non ventus, non tenebræ, non nubes, non pluuiæ, denique non fulgura, sed Iehoua in & per ista: hinc dicunt Cabalistæ, *Ne quis vana superstitione ductus* *Reuch. de ar.* *putet ab angelis omnia humanæ mortalitati cælitus conferri, ipsum scire velim ea omnia per ange-* *Cab. lib. 3.* *los ab ipsa Dei maiestate fieri etiam in ipsis angelis, iuxta istud prophetæ Danielis, secundum voluntatem tuam facit exercitus cæli in habitatoribus terræ &c.* Quibus rite consideratis non erit difficile intelligere, quomodo Deus simpliciter & absolute dicitur percutere malo, & quomodo Angeli respectiuè & comparatè centraliter agente & animante Iehoua, quomodo venti exagitantibus Angelis, Iehoua semper centraliter operante, & quomodo tum postea meteora illa quæ ex ventis procreantur, & quasi animantur ac rapiuntur ad centralem illum Iehouæ, seu Elohim Ruach actum perficiendum atque patrandum, siue ad mortalium beneficentiam siue eorum flagellum, cuiusmodi sunt venti, nubes, niues, gelu, fulgura, tonitrua, cometæ, & huiusmodi alia. Atque hoc omne intimare videtur vir patiens, vbi ait quod *tur-*

bo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, tonitrua, fulgura, quodcunque præcepit Deus istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad terram, siue ad faciendam beneficentiam, efficit vt præsto
Iob 32. 8. *sint.* Et filius Syrach, *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos confundent, Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam sunt creata, bestiarum dentes, & scorpij & serpentes & rhomphæa vindicant in exterminium: in mandatis eius epulabuntur, & su-*
Eccl. 40. 33. *pra terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præteribunt verbum &c.* Quo sermone indicat sapiens, quod à creatura angelica ad illam pro maledictione in terra creatam, videlicet per angelos, per stellas, per meteora, & per animalia & vegetabilia maleuola operetur Deus, tam in macro quam microcosmo seueriter, videlicet morbis, vulneribus, nece. Sed replicabit quis quod hoc verum esse potest in macrocosmo, sed in microcosmo minime: cui ego; si microcosmus dicatur ab ipsius ad macrocosmum similitudine, & si microcosmi spiritus ab illo macrocosmi (cui est continuus) foueatur, haud certe est dubitandum quin Deus taliter ad sanitatem quam flagellum morbosum tam in microcosmo quam in macrocosmo agat & operetur, videlicet per spiritum seu angelum malum in ira sua, vt in Saule, & per spiritum bonum & salutarem, cuius est sanitatem defende-
Psal. 78. re: In priori sensu dictum est, *Immisit in eos iram & tribulationem per malos angelos:* in po-
Psal. 91. 5. steriori, *Plaga non appropinquabit tentorium tuum, quoniam angelis suis præcipiet de te vt conseruent te in omnibus viis tuis.* Porro etiam quod vtitur Deus ventis angelicis, & meteoris ab illis productis ad terram & mare malo afficiendum, Reuelatoris testimonio declaratur, quo docemur, quod *quatuor angeli stantes super angulos terræ teneant quatuor ventos terræ ne flarent venti super eam, neque super mare, neque super vllam arborem: atque quod hisce angelis datum sit nocere terræ & mari, & quod angelus ascendens ab oriente, habens sigillum Dei viui clamauerit dicens, Ne noceatis terræ & mari & arboribus, quousque obsignauerimus seruos Dei nostri in frontibus suis, &c.*

Apoc. 7. Quo docemur, quod morbi sint à ventis, & ipsi venti à percussoribus male, & insalubriter agitati: atque iterum quod non sit nihilominus in eorum potestate omnibus indifferenter nocere, sed ipsis solummodo quibus character sigilli Dei non est impressus, non minus quam Israelitarum domos, quarum ostiorum postes sanguine erant perliti: vti etiam in morbis Epidemicis seu vulgariter grassantibus (cuiusmodi est pestis contagiosæ ipsius soboles) videlicet febres pestilentiales, variolæ, morbilli, & istiusmodi alia, videre liceat. Sed quoniam de istius angeli mysterio, qui est magnus sigilli cælestis custos in *tractatu præcedente* copiose loquuti sumus, & in *sequentibus* magis exuberanter (numine diuino fauente) discurremus, plura de ipso hoc in loco non loquemur.

Scire autem ipsum velimus, qui in dubii alicuius limo adhuc hærere potest, quod idem spiritus Elohim Ruach, qui formauit mundum ad suam imaginem, eumque in cælum & terram diuisit, formauerit etiam hominem ad mundi imaginem, eumque in animam quasi cælum, & corpus quasi terram distinxerit. Hinc ergo erat, quod homo dicatur à Mercurio Trismegisto mundi filius, vt & mundus Dei. Quid igitur vlterius dubitandum, An
Iob 9. Deus sit tam in cælo seu spiritu microcosmico quam in illo macrocosmico? *In homine* (inquit Iob) *est spiritus: at inspiratio omnipotentis intelligere facit eum, &c.* ac si dixisset, in homine est spiritus, ventus, seu aer cuiuslibet regionis mundi, qui est eius internum creatum: at est spiritus increatus in illo creato volans seu natans, eumque implens, qui fa-
Iob 9. cit eum non modo intelligere, verum etiam mouere & viuere: vnde alibi, *Spiritus Dei fortis fecit me, atque inspiratio omnipotentis viuificauit me.* Quare vt spiritus Elohim Ruach mundi spiritum deduxit è tenebris, eumque sua natura sempiterna (verbo videlicet) ditauit, ita quidem ad hominis compositionem accepit de substantiæ creatæ portione, videlicet tam cæli seu aeris, quam terræ macrocosmi, ex qua hominis tam cælum quam terram constituit, ac tandem cælum illud sua diuinitate, seu verbo spirituali repleuit, membraque ipsius *in templum Spiritus sancti* fecit, teste Paulo Apostolo: nam iuxta D. Ioannem, *in verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum &c.* His ergo rite consideratis, videmus ipsum hominem accepisse materiam suæ compositionis tam spiritualem quam grossam à mundo, suum vero actum, vitam & formam essentialem à Deo, vtpote cuius spiritus seu afflatus non aliter ventoso microcosmi cælo quam mercuriali totius mundi spiritui inesse dignoscitur: vnde homo secundum eius substantiam quam rectissime dici potest cum Hermete, mundi filius, vt secundum eius formam essentialem & radicalem, filius & imago Dei. Vt vero mundus ne momento quidem temporis perdurare posset, nisi afflatu & præsentia sui creatoris *Elohim Ruach* foueatur, ita quidem res se habet cum illo humano.

Porro

Porro etiam vt cœlum in homine non est nisi portio illius mundani, cui semper necessario est continuus & inuisibiliter adhærens, ita quidem sequitur quod vt aër mundi cœlestis, æther dictus, vel ad benignitatem, vel malignitatem disponitur, iuxta proprietatem illorum influxuum, quos Deus à suo regno Empyreo in sydera effudit atque impluit, sic etiam per eorum influxus venti præsentis actus atque seminaria ventorum præteritorum in aëre sublunari vndique dispensata, vel per se, vel mediantibus meteoris magis compactis etiam ab ipsis deriuatis, tàm in campo aëris aperto quam in rebus compositis (quæ aer ambiens necessario pro suæ naturæ varietate mutare solet) effectus tam morbosos quam salubres assidue procreare animaduertuntur. Quid tum postea? Anne credat quisquam mentis compos, quod aer ambiens, & varieformiter à ventis alteratus aerem etiam microcosmicum suo more minime alteret? cum aer sit illud necessarium sine quo creatura animalis, ne per minimum quidem temporis spatium perdurare queat? Ipsum enim in minori quantitate ad cerebrum per nares attractum spiritus animales aut bene reficere, aut sua proprietate mala insalubriter afficere docemur: in quantitate maiori per pulmones ad læuum cordis thalamum introducitur, à quo per vniuersam corporis molem mediantibus canalibus arterialibus dispensatur: vnde si bene inclinatur eius proprietas, beneuole spiritibus vitalibus aderit, at si ventis fuerit ipse venenosis contaminatus, spiritum quidem humanum habitu suo contagioso intoxicabit, vt in pestis grassantis, variolarum, morbillorum tempore, & fumis etiam venenosis accidentaliter prouenientibus videre licet. Anne tuto euadent partes corporis carnosæ si aer macrocosmicus fuerit malo infectus, cum etiam per poros corporis vndique inspirabitur contagiosus ipsius halitus? Imo vero nec ille meatus qui per œsophagum ad ventriculum & viscera ducit, ab aeris malignitet mutati atque infecti natura intactus euadet, cum ipsa elementa, videlicet carnes, fructus & frumentum, reperiuntur esse talia qualis erat aeris & ventorum in sui incrementi anno status. Hinc ergo vel salubris victus ratio, si aer illius anni status esset talis, vel insalub is, si infœlix. Hoc quidem non solum textus sacri authoritate, sed etiam ipsorum medicorum Paganorum assensu sic comprobare aggrediar. Inquit Moyses, *Percutiet te Dominus, febre frigore, ardore, æstu, & acre corrupto, ac rubigine: erit cœlum quod supra te est æneum, & terra, quam calcas, ferrea, &c.* Anne inuenire possitis quicquam hoc planius? *Coram frigore tuo* (inquit Psalmista) *quis consistit?* &c. vbi de effectu venti septentrionis intenditur. Et alibi, *Præcepit Dominus vento calido & vrenti flare qui percussit caput Ionæ & æstuabat valde, ita vt petiuerit animæ suæ vt moreretur*: sic dictum est quod *Euro adusti sint fructus terræ.* Denique ventis suis constringit, coagulat & contrahit, iterũq;, mediantibus ventis naturæ contrariis, constricta & contracta dissoluit & dilatat; nam teste Propheta, *verbo suo dissoluit ea, simul ac efflat ventum effluunt aquæ*, & consequenter tam rarum quam densum suis ventis præparat, iuxta voluntatem suam. Sed vt ad rem propinquius accedamus, percipietis quod princeps & cardinalis ille morbus toties à pagina sacra nominatus, & pro præcipua Dei irascentis sagitta æstimatus, sit meteorum occultum à vento Australi ortum. *Deus* (ait Propheta) *ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius, ibi abscondita est eius fortitudo, ante faciẽ eius ibit mors, anteiuit ipsum pestis & lues vastans in meridie:* vel (vt alii interpretantur) *egredietur diabolus ante pedes eius, lues vastans in meridie, &c.* Quibus euidens est, quod morbi (Deo in seueritate sua ducente, & per dæmoniũ, seu angelum percussorem operante in aerem) à ventis procedunt. Sed quid vlterius de hac re vos (ô Hippocratici & Galenici sectatores) subitetis, cum ẽt vestros magistros (nulla alia ratione, vtpote ethnici, quam experientia, etiam rusticorum magistra præeunte) hanc nostram doctrinam confirmantes habetis? Inspiciatis, obsecro, opera eorum, & inuenietis rem istam aliter se habere non posse. *Deut.* 28. 22. *Ion.* 4. 8. *Chron.* 41. 6. *Psal.* 147. *Abakuck* 3. 3.

Inprimis ergo morborum naturam à ventis simplicibus prouenire hisce agnoscunt verbis: *Vento* (inquit Hippocrates) *flante ab austro fiunt genitalium putredines.* Iterum, *Austrinæ constitutiones dissoluunt corpora & humectant.* *Aphor. l.* 3. 21. *Aph. lib.* 3. 17.

Atque iterum *Australes faciunt auditum hebetantes, caliginosos, caput grauantes, pigros, dissoluentes, aquiloniæ tempestates tusses, fauces, alui duritiem, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores.* *Aph. lib.* 3. 5.

Et alibi, *Si hyems fuerit Australis & pluuiosa & clemens, ver vero siccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad ver inest, & quacunque occasione abortiuntur: quæ vero pariunt, imbecilles & morbidos infantes pariunt: cæteris vero mortalibus dysenteriæ, & lippitudines siccæ fiunt. senioribus vero distillationes quæ cito interimunt.* *Aph.* 3. 17.

Pro venti septentrionalis operatione hæc scribit, *Quotidianæ constitutiones Aquiloniæ quidem corpora condensant, & robusta & bene mobilia & melius audientia faciunt, aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent.*

Aph.3.13. Iterum *Si æstas sicca fuerit & Aquilonia, Autumnus vero pluuiosus & Australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam autem & tabes.*

Aph.3.14. Et alibi, *Si ventus fuerit Aquilonius & siccus, iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus confert, reliquis autem lippitudines siccæ, febres acutæ & grauedines, nonnullis vero & atræ biles adueniunt.*

Denique agnoſcit Galenus *in lib.3. comm.3. de morbis vulgaribus*, quod ſtatus morborum epidemicorum, & ipſius peſtis, quæ eſt ipſorum princeps, in aeris à ventis, & præcipue Auſtralis, gubernati conſtitutione conſiſtit, vt ibi per totam fere ipſius ſeriem iuxta Hippocratis ſententiam videre licet, qui haud pauca *ibidem* de contagioſis ventorum effectibus exempla producit. Porro etiam *lib.1. & comm. 1. per totum, & lib.2. comm.2. & lib.3. &c.*

Infinitos alios locos de hoc ſubiecto proferre poſſumus, quos in poſterum *ſuo loco* explicabimus.

Nonne etiam experientia vulgari docemur, quod in brutis & omnium fere auium genere commune eſt, vt per limpidum aerem, & limpidiſſimum cœlum exhilarentur, cantillent, & (vt ſic dicam) rideant; per obſcurum vero & pluuioſum triſtentur & gemant?

Quod etiam Poëta diſerte in hunc modum.

Virgil. Georg.

Verum vbi tempeſtas & cœli mobilis aer
Mutauere vias, & Iuppiter humidus Auſtris
Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat,
Vertuntur ſpecies animorum, & corpora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt. Hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Quibus liquet, quod ipſi venti Cardinales cum ſuis collateralibus gubernant aeris mercurialis ſtatum; eumque eorum quilibet mutat ab vnius in alterius elementi naturam: quemadmodum mercurium æthereum iuxta afflatuum cæterorum planetarum dominantium varietatem in hanc ſiue illam naturam mutari animaduerterunt Aſtrologi: nec ſatis erit dicere ventos à ſole & ſtellis excitari, & aerem ſecundum quatuor anni ſtatuum naturas ſe habere, videlicet iuxta diſpoſitiones ſtatus vernalis, æſtiualis, autumnalis, & hyemalis: nam omnes hæ quartæ in ſuis naturis ab ipſis ventis alterari obſeruantur, quod etiam medici antiqui in pluribus ſuorum ſcriptorum locis ingenue confiteri coguntur, quemadmodum in eorum confeſſione antea recitata lucide demonſtratur, vbi anni quartarum naturas iuxta diuerſas ventorum flantium conſtitutiones alteram agnoſcunt, varioſque in mundo procreari morbos. Hinc Hippocrates, *In temporibus ſiquidem hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres fieri, & lippitudines & dyſenterias, &c.* Aph.3.11.

Medium autem per quod venti producunt morbos eſt meteoron: atque hoc etiam iſti ethnici hiſce verbis confitentur, *Morbi qui pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, ſunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, anginæ, &c.* hoc eſt meteoris Auſtralibus & Occidentalibus, & conſequenter hyemalibus. Aph.3.16.

Aph.3.15. Iterum, *In ſiccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia vrinæ & difficultates inteſtinorum*; hoc eſt, meteoris orientalibus, & ſeptentrionalibus, quorum illa fulgura & coruſcationes, & cætera meteora ignita, hæc congelata, aſtricta, atque coarctata meteora, cuiuſmodi ſunt gelu, nix, glacies, pruina à frigore terreſtri procreata.

Iterum ait, *Ex anni quidem conſtitutionibus ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ.*

Infinita alia ethnicorum teſtimonia hic proferre poſſum, quæ breuitatis cauſa omittam.

Concludimus igitur ex his, quæ iam antea ſunt dicta, quod Deus in macrocoſmo per macrocoſmi ventos & meteora alia ex ventis orta agat tam in microcoſmi cœlum quam terram, non aliter quam in ipſo macrocoſmi ſpiritu ventos & meteora, tam ſecundum quam præter naturæ leges procreare ſolet: nam vt Deus primordialiter macrocoſmum ex occultata chaos ſubſtantia mediante ſpiritu eius lucido fabricauit, ita quidem & hominem ex manifeſta mundi ſubſtantia mediatione eiuſdem ſpiritus indiuidui non modo contraxit, ſed etiam tantam fecit inter partes vnius cum illis alterius ſympathiam, vt patiente vna, altera, videlicet illa microcoſmica, plus minuſue iuxta fortitudinem vel debilitatem naturarum microcoſmicarum patiatur: quæ quidem nihil-

nihilominus virtus seu resistentia parum valebit, nisi agens ille vnicus & princeps misereatur, vtpote cuius est percutere & vulnerare quemcunque & quandocunque vult: nam vt iracundiæ suæ effectus sunt in macrocosmo apparentes: sic etiam mediante spiritu macrocosmico in microcosmicum illos effundit; dirigitque cui vult, aliis vero (sigillo quasi suo clementiæ & benignitatis characterem in fronte per suum bonum angelum imprimendo) parcit: non enim aliter in microcosmo quam in macrocosmo sua indignatione comitante, tonitru, nubibus densis, fulgure & æstu furere & sæuire obseruatur: nam iracundiæ suæ seminaria per ventos in aerem macrocosmi dispersa, aerem seu spiritum microcosmi, eodem modo afficiunt quo illum macrocosmi: nam vt in macrocosmi spiritu accidit quod ira Iehouę sit quandoque accensa, & quod inde concurriantur & moueantur fundamenta montium, & quod fumus accendatur per flatus nasi ipsius, & quod ignis ex ore eius consumens sit egressus, & quod ipse descendens cœlum cum caligine sub pedibus suis, & insidens Cherubinis volitet super alas venti, & disponat tenebras sibi in latibulum, & quod nubes densæ ardore in conspectu eius igneo sint succensæ, & quod emittat sagittas suas, & fulgura sua ad destruendos impios, ira quidem hoc idem facit Iehoua in spiritu humano quem morbo vel morte prosequi intendit: quod etiam & Iob agnoscere videbatur hisce verbis expressis, cum esset à Iehoua per malum angelum afflictus, *Cum impius esset repleturus ventrem suum, Iehoua æstuantem suam iram emittit, quam impluit in eum loco cibi, &c.* Quibus innuere videtur; quod Deus per victus rationem virus suum æstuans immittit in impios: hoc est, male dicendo cibum & aquam suam, idque per malum ipsorum ab aere corrupto nutrimentum: deinde sic ait Iob de seipso loquens. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Iehouæ quæ instructæ sunt oppugnant me: nocte os meum perforatur doloribus, & pulsus mei non requieuerunt: eleuasti me in ventum, & efficis vt defluam substantia, nam experior, mors auocat me, &c.* Quo quidem sermone agnoscere videtur, quod Deus increpitatione, ira, & quasi tonitru ipsum alloquens, fulgura & ignē indignationis suæ per percussorē in eius spiritum immiserit, quæ non aliter sua virulentia accendunt & ebibunt spiritum suum, quam fulgura nubes accendunt & diminuunt; & quod conturbant & quatiunt ossa sua, easque dolore afficiunt non aliter quam præsentia Dei irascentis in magno mundo montes concussi sunt; quemadmodum etiam venti more tempestuoso in aere sua præsentia sunt excitati, sic etiam conturbationibus ipsius æstuosis & sagittis fulguteis venti fastidiosi in eo procreantur, qui spiritum ipsius perturbantes, eum inquietum reddunt, viscera ipsius inflant, ita vt vexatione febris accensa, non modo pulsus cum toto corpore velociter laboret, sed etiam spiritus ipsius tabida morbi illius æstuosi dispositione absorpti sint, ipsius carnes liquefactæ, corporisque sui substantia consumpta. Et Moyses dicit, *faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis, donec consumpserit te: percutiet te tabe calida, & æstuante ac vrente febre & siccitate; & aere corrupto ac vrigine, &c.* & sic in cæteris.

Iob.20.23. *Iob.6.4.* *Iob.30.17.* *Deut.27.*

His ergo rite à vero Philosopho & medico perpensis, inueniet ipse quod sequēs morbi definitio sit omnium generalissima, atque accuratissima obseruatione haud indigna.

CAPVT III.

In quo generalissima morbi, seu meteori morbidi definitio explicatur (vtpote in qua non modo morbus, sed & morbi causa multiplex includitur.)

OPtimam æstimamus nos definitionem illam, quæ naturam rei quam definit meliori explicatione, atque latiori & ampliori descriptione verbis paucis depingit. Stet ergo ista morbi definitio pro confesso.

Morbus est meteorum malignum Iehouæ irascentis actu in peccatorum flagellum insalubriter animatum.

Vel sic, *Morbus est meteorum ventosum vel ex ventosis compactum maligniter aduersus sanitatem, tam animi peccatoris quam corporis animatum.*

Vel sic, *Morbus est meteorum aliquod infaustum maledictione diuina, seu Iehouæ irascentis actu in mortalium flagellum animatum.*

Ac si latiori orationis filo quis diceret,

Morbus

Morbus est solus ventus malignus, maledictione diuina seu Iehouæ irascentis actu exci-tatus, aut meteoron à vento tali vnico vel pluribus, in peccatorum pœnam insalubriter procreatum animatum, atque exagitatum.

In qua quidem descriptione integrum morbi mysterium includi videtur: nam imprimis venti maligni denominatio, indicat vim definitionis cuiuslibet, Galenicæ, arguit enim intemperiem primarum partium, quas elementa vocat, quoniam elementa vim atque naturam siccam à ventis sortiuntur, verbi gratia terra ab Aquilone quasi frigido & sicco, aqua ab occidentali quasi frigido & humido, aer ab Austro quasi calido & humido, & ignis ab oriente quasi calido & sicco: quare si aliquis istorum insalubriter, maligniter, & præternaturaliter à Dei irascentis actu sit incitatus, facit intemperiem in elementis morbidam, imo vero ipsa est intemperies: nam quid interest inter frigidum & siccum atque ventum septentrionalem, cum nihil videtur neque sentitur in eius afflatu quam frigiditas & siccitas in suo motu, at frigiditas nihil per se, nihil siccitas, sed aer frigidus & aer siccus, atque sic in cæteris.

Porro etiam cū meteoron vento tali animatū nominatur, arguit humorū intemperiē, cum humor aut nubi varieformi, aut pluuiæ multiformi, aut niui aut grandini comparatur: quæ meteora humoralia à ventosa intemperie aut cōdensantur, aut liquidiora fiunt, aut fulgure incenduntur & æstu. Quare in hisce satisfacit ista definitio partibus illis definitionis Galeni, quæ ait quod *Ægritudo, seu ægrotatio sit primarum partium intemperies, quæ secundum naturam consistunt*: nam aer serenus & temperatissimus, atque aqua talis & secundum naturam se habens, venti dominantis natura & præsentia intemperati redduntur: tunc ait quod *ægrotatio sit intemperies insitorum in nobis humorum*, quod etiam in humoribus à ventosa intemperie fieri testatur ipse Galenus. Denique habitus ægritudinarius totius corporis vel partis, quem vocat ipse morbum, nihil est aliud quam intemperies ventosa, vel per se, vel in meteoro humorali quod animat, vti in stupore, flatu hypochondriaco, scotomia, vertigine, epilepsia, suffocatione matricis, apoplexia, &c. quorum actus intemperies est ventosa septentrionalis aut magis simplex, vt in flatu hypochondriaco, scotomia, &c. vel cum humore denso, vt apoplexia, epilepsia, vel indurato, vt lepra, & sic in cæteris. Quocirca tam intemperiei quam temperiei vis tota sub vocabulo venti continetur, in cuius etiam actu consistit actio, quæ est motus in materia meteorologica, & passio est effectus illius motus in materia tali: quare tam actio quam passio in morbo, in definitionibus morbi prædictis explicantur. Denotat etiam omnem effectum qui à naturali statu recessit, idque ob malignitatem venti & seueritatem actoris interni. & consequenter comprehendit hæc definitio in se non solum morbi essentiam, sed & causam atque symptoma ipsius: nam ipse Galenus confitetur quod *omnis corporis affectus qui à statu naturali recessit, vel sit morbus, vel morbi causa, vel symptoma.*

Finit. med. cap. 7.

De sympt. differ. cap. 1.

De sympt. differ. cap. 2.

Denique causas morbi in genere denotat, videlicet cum materialem & formalem, tum efficientem atque finalem: nam materia morbi in generali meteori consideratione habetur, vtpote quod secundum materiam ex aere (materiali omnium rerum fonte) fit siue sit ventus, siue quid ex ventis compactum, cuiusmodi sunt humores omnes, & illa quæ ex humoribus fiunt: causa etiam formalis in genere ex venti, seu meteori ex vento, malignitate decerni potest; in specie vero sua peculiari morbi cuiuslibet causam formalem suo loco ad amussim, pace diuina, describemus.

Causam eius efficientem maxime essentialem & radicalem nos docet ista definitio esse actum iræ & maledictionis diuinæ, organicam vero esse angelicum illum spiritum in quo actus ille diuinus immediate habitat & agit: atque organum tale cum suo agente excitante dicitur percussor & deuastator Iehouæ: qui spiritus à sua quarta siue plaga cœli in aerem cum suis cohortibus apertum volat, eum velociter, & quandoque mote tempestuoso commouet, & in suam naturam & temperiem, iuxta proprietatem & officium ei à Iehoua in creatione assignatum tempore sui Dominii conuertit: in eo namque spatio meteora suæ dispositioni conuenientia in aere seu cœlo sublunari procreat: vnde liquet, quod in plena ista actione angelus sit vehiculum verbi, & aer seu ventus angeli, & meteoron, seu nubes venti: quare sequitur quod vocabulum venti continet hæc omnia. Pariter etiam ita res habet in spiritu humano, qui easdem impressiones & similes cum macrocosmo cardines, ventosque ab illis haud dissimiles sibi vendicat, quemadmodum *in Anatomia mea mystica* luculenter indicatur.

Denique causam morbi seu meteori morbosi finalem exprimit ista definitio esse flagellum Dei pro peccatis hominum, ita vt si non esset in homine peccatum, impossibile foret vt à Deo morbo aut morte puniretur, tam iustus & clemens est ipse, nam *contra iustum & in quo non est peccatum Iehoua irasci nequit*; at nemo infirmitate potest affligi qui benignitate

Iob. 10. 12.

nignitate Iehouæ fruitur; nam *visitatio tua* (inquit Iob) *præseruat spiritum meum.* Adami parentis nostri antiquissimi peccatum erat primaria morborum & mortis ipsius atque successorum suorum causa & origo sine qua non, vnde Sapiens, *Deus sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est illis medicamentum exterminii nec inferorum regnum; iniustitia autem est mobri & mortis acquisitio: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, &c.* vbi per iniustitiam intendit peccatum & errorem. Denique quod peccatum sit primaria morbi causa, sine qua non, sic arguit mundi Saluator paralytico, hoc in sermone, *Remittuntur tibi peccata,* ac si dixisset (teste etiam Christo) surge & ambula, seu surge & tolle lectum tuum & vade in domum tuam; & surrexit & abiit in domum, &c. Sap.1.14. Sap.2.24.

Quibus arguit, quod peccatum sit præcipua morbi, vtpote prouocationis iræ diuinæ causa, aliter ablato eo, morbus (qui est eius effectus) minime tolleretur: sed ablatione peccati auferebatur morbus, teste scriptura; ergo peccatum erat causa morbi primaria, licet accidentalis quippe qui impositus est in hominem pro peccatis. Quid autem sit peccatum, & quomodo sit malum quoddam accidentale, aeri, & corporibus puris ex aere conflatis non aliter contingens quam ipsa ærugo ferro politissimo; & consequens quod res sit à Deo minime creata, *libro de causa morbi sine qua non*, Deo fauente: Iam vero cum de morbi, siue mereoti morbosi natura, siue essentia copiose satis sit actum, methodi exactioris symphonia me ad ipsius differentias properare suadet.





SECTIONIS I.
PARS TERTIA.

De Morborum seu Meteororum morbosorum differentiis.

Partis secundæ, Sectionis primæ contenta,

Pars ista secunda sectionis primæ diuiditur in libros quatuor, quorum

- Primus distinguit differentias
  - Imprimis Morborum seu Meteororum morbosorum in genere, cum ratione Galenica tum authoritate sancta. De quibus Cap. 1.
  - Deinde illorum in consideratione magis speciali, videlicet,
    - Empyreorum. Et de his *cap. 3. & 4.*
    - Æthereorum: Atque de istis *cap. 5.*
    - Elementorum. De quibus liber integer. 2. & 4. huius.
- Secundus in particulas diuidetur quatuor, quarum duæ:
  - Priores Meteora insalubria tenebrosa pertractant, quippe quarum
    - Prima de morborum seu Meteororum insalubrium tenebrosorum in plaga septentrionali procreatorum differentiis agit.
    - Secundo Meteororum morbosorum tenebrosorum ex parte occidentali ortorum enumerat differentias.
  - Posteriores Meteororum lucidorum differentias patefaciunt: Nam
    - Prior meteora præternaturalia æstuosa pertractat, quæ ab oriente originem suam ducunt.
    - Vltima meteora illa morbosa, conditione æstuosa distinguit, quæ ad plagam meridionalem spectant & ab afflatu eius putrido procreantur.
- Tertius in capita 4. diuiditur: quorum
  - Primum Hippocratis & Galeni in veræ medicinæ fundamentis ignorantiam aperit.
  - Secundum & tertium Galeni
    - Atheismum, atq; de Dei omnipotentia inscitiam arguit.
    - In Moysen & Christum audaciam atque impudentiam declarat & refellit.
  - Quartum artis Hippocraticæ & Galenicæ insufficientiam atq; inconstantiam explicat.
- Quartus
  - Mēbra seu imperia quatuor meteora morbosa distinguentia comprehendit: vtpote quorum
    - Primum morbos septentrionales in consistentia spirituali, humorali, & corporali seu solida, idq; particulis tribus depingit.
    - Secundũ, morbos seu meteora morbosa plagæ meridionalis, in triplici sua existentia totidem particulis describit.
    - Tertium explicat meteora præternaturalia quæ ex afflatu Orientali oriuntur, idq; in corpulentia sua triplici vt antea.
    - Quartũ de meteoris morbosis triplicis apparentiæ, quæ in Occidente generantur verba facit.
    - Denique in eius fine summarium luculentissimum totius reperietis.

SECTIO. PRIMÆ PARTIS TERTIÆ LIBER PRIMVS.


De morborum tam supercœlestium, quam cœlestium differentiis.

CAPVT I.

In quo variæ morborum differentiæ cum medicorum ethnicorum, tum paginæ sacræ authoritate explicantur.



T discursum hunc nostrum à medicorum ethnicorum intentionibus exordiar, ipsorum quidem diuersas pro sui captus & intentionis varietate posuisse morborum differentias inuenimus, quarum aliam respectu corporis ac partium ipsius, illamque vel generalem magis vel particularem fecerunt: in vno enim loco, morbum diuidit Galenus in ipsum qui est vel *totius corporis* vel *in singulis suis partibus*. Iterum morborum dicit alium esse *in partibus similaribus*, alium *in dissimilaribus*, alium *in vtrisque*. Porro aliam deriuat morbi differentiam à qualitatis suæ conditione, faciendo eum vel *acutum* vel *non acutum*; atque iterum *in acutum*, *peracutum* & *diuturnum*: vel respectu temporis, sic enim eum distinguit vel *in intermittentem* vel *continuum*; atque etiam in *longum* & *acutum*, hoc est breuem seu paucorum dierum. Porro etiam in alio loco diuidit eum in *morbum cum febre*, *& morbum sine febre*. Denique totius diuisionis temporalis vigor consistit in distinctione ista: De diff. morb c.5. lib.2. method.med. cap.8. Introd.16. Finit.med.7 Introd 16. Finit.med.7



Morborum alius est
- Acutus illeque vel
  - Simpliciter
    - Acutus, qui terminatur infra 14. diem.
    - Peracutus, atque iste perficitur ante 7. diem.
    - Perperacutus videlicet qui terminatur infra diem 4.
  - Cum adiectione videlicet
    - Acutus 20. dierum.
    - Acutus dierum 40. vel 60. siue acutus ex decidentia.
- Chronicus qui diem 60. præterire solet qui est acutorum terminus vt sunt morbi omnes frigidi; morbus nempe comitialis, asthma, &c.

Gal 2. aph. 19. & 23 2. de crisi. 11. ad Glauc. 3. 8. Prognost. 10. De dieb. decret.12. 1. Aph. 7. 2. Aph. 19. 23. Gal. de vict. rat. com. 9. 5. Aph. 6. &c.

Sacræ enim literæ de variis morborum differentiis mentionem in pluribus earum locis faciunt, nam sparsim innuunt quod morborũ alii sint *æstuosi* & *sicci* alii *frigidi*: alii ab *occultatione faciei diuinæ*, hoc est, in proprietate sua contractiua, *Deus* (inquit textus) *malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, vt obiiciant iis malum & angustia*: alii vero *à manifestatione faciei Iehouæ irascentis*: hinc Dauid, *Ira tua consumimur, & tuo æstu conturbabimur*; & Iob, *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum: viscera mea efferuefacta sunt, adeo vt non quiescant*: iterum alios facit textus animi, alios corporis: animi conturbati signa describit Psalmista regius; & alibi animi tabem denotat, porro etiam animi doloris effectum expressit sapiens alibi: pro morbis corporis vbique in scriptis sacris legere fas erit: Leuiticus & Numerus etiam faciunt differentiam euidentem inter morbum *mundum* & *immundum*, cum inter morbos immundos lepram, gonorrheam, & huiusmodi alios numerat. Iterum distinguere videntur scripturæ morbum in *curabilem* & *incurabilem*: nam scriptum est, *Affecit eum Iehoua in intestinis eius morbo illo, adeo vt nulla ei valuisset medicina &c.* Iterum in quantitate faciunt ipsum differre, cum alium *magnum* & *paruum*, vnde dicit *Tu agiteris morbis magnis, &c.* Iterum in morbum *rapaciter exscindentem*, *& chronice* seu *lente afficientem*

Iob. 6. 4. & 30. 17. Deut. 28. Deut. 31. 17. Psal. 90 5. Iob. 6. 4. & 30. 27. Psal 6 7. Psal. 31. 10. Prou. 15. 13. Leuit 13. Num. 13. 2 Chron. 21. 15. Ibid.

Leuit.20.3. *efficientem:* ſic *Dei facies irata dicitur malos excindere è medio populi:* talis eſt peſtis & fulgur ab aſpectu ſuo: hinc dictus eſt *ignis conſumens,* in alio ſenſu dicitur, *Perrexit morbus de anno in* Deut.4.24. *annum, adeo vt completis annis duobus exirent inteſtina eius.* Iterum morbus eſt vel *naturalis,* hoc eſt iuxta ætatis rationem, vel *præternaturalis:* ſic cæcitas præ ſenio aderat Iſaac; de quo eti- 2.Chron.21. am morbo textus alibi agit. Morbum iterum in *dæmoniacum* & *non dæmoniacum* diuidit, & infinitas alias morborum diuiſiones nobis inferre videntur literæ ſanctæ, quas omnes 1.Reg.14.4. hoc in loco recitare nimis foret lectori proculdubio longum atque tædioſum. Noſtrum autem imprimis erit totam ſacrarum literarum intentionem de morborum ſeu mereororum morboſorum differentiis in tabulam vnicam & integram diſtinguere: in primo loco conſiderando, quod vt Deus eſt primus in omnibus rebus tam ſecundum, quam præter naturam actor & author, & tamen multiplex ſecundum actionis ſuæ varietatem; ita quidem ad imitationem proprietatum ipſius tam in occulta, quam manifeſta ſua natura (quibus omnia in hoc mundo diſtingui & variari facit) rem iſtiuſmodi præter naturæ leges ſe habentem, in ſua membra maxime propria diſtinguere aggrediemur. Vt ergo Deus eſt vbique, videlicet in regione ſupercœleſti, cœleſti & elementari, ita quidem morbum fecimus in diuiſione ſua magis generali, vel *ſupercœleſtem,* reſpectu videlicet ſuæ originis, ſeu cauſæ ipſum radicaliter ordinantis, atque etiam inſtrumenti ſeu organi angelici in quo immediate actus Dei mouetur: deinde *cœleſtem* reſpectu ſtellarum, quæ ſeminaria maledictionis diuinæ, ducente & mouente angelo, recipiunt, eaque recepta af- Apoc.7. flatu ſuo in regionem elementarem impluunt, vbi angeli vigilantes (qui *cuſtodiam habent ventorum, quibus datum eſt nocere terræ & mari, & creaturis ipſorum*) ea tanquam mandata diuina recipiunt, & ne temporis quidem momento in voluntaris ſui creatoris exequutione ceſſant, cum ipſorum alii ſe habent in proprietate creatoris contractiua, & tenebroſi dicuntur, & conſequenter tenebroſos ſecundum magis & minus producunt effectus: alii in proprietate eius dilatatiua, & lucidi ſeu ignei nuncupantur, & conſequenter lucidos tam ſecundum quam præter naturæ leges producunt effectus: nam vt Deus *Elohim Ruach* eſt ventus, ſeu ſpiritus increatus, ita quidem ipſe creaturas ſibi ſimillimas imprimis & ante omnia effecit, mediantibus quibus, quaſi inſtrumentis, ſeu mediis inter ipſum & creaturas, cætera creauit omnia: nam in primo loco ſpiritum mundi aquaticum, quaſi paſſiuam totius vniuerſi materiam in lucem produxit, deinde cætum angelorum actiua ſua luce & vita æterna animauit, vt loco cauſarum efficientium inſtrumentalium creaturas tum poſtea cæteras (operante in eis verbo, & non per ſe & quatenus ſunt creaturæ) efficerent: horum ergo dux ſeu Angelus primarius erat æterna illa & lucida emanatio, ſapientia nempe, & Ieſus Chriſtus, ſpiritualis vera mundi lux, quæ omnia dicitur implere quæ mouet in eis creaturis angelicis, eoſque ducit & rapit quo & quando vult, ita vt ventus æternus rapit iſtos in æuo durantes, qui etiam ſunt venit prioris ordinis & gradus, & æuiales iſtæ creaturæ mouent creaturas temporales iuxta voluntatem creatoris. Eſt ergo Deus à quo omnia hæc ſunt orta, quaſi ventus ſeu ſpiritus radicalis, & primum mouens Pſal.103. per ſpiritum Ieſum, hoc eſt per eius verbum, quod angeli validiſſimi robore *efficere* dicuntur, quos *facit ventos,* ac ſi diceremus, Deus in aëre puro aërem animari & mouere facit: non ergo ſunt ſpiritus angelici, nec venti, ſed *Elohim Ruach* mediante Hochma ſeu ſpiritu ſapientiæ, Ieſu videlicet Chriſto, qui principalis eſt effector in hiſce rebus; angeli vero & venti inſtrumentales ſunt actores. Quibus liquet quod Deus *Elohim Ruach* eſt ipſe à quo, & afflatus eius æternus per quem hæc omnia ſunt effecta, iuxta ſermonem illum Apoſtoli, *Dii quidem ſunt qui dicuntur in cœlo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater à quo omnia, & nos in illum, & vnus D. Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Plura Deo concedentre de his in cauſa morborum efficiente. Iam ad diuiſionem noſtram generalem me accingam.

Morbi seu potius meteora morbida sunt, vel

- Empyrea seu radicalia, eaque vel
  - Diuina quatenus immediate à Deo orta, vel se
    - Contrahendo, quem eius actum sequuntur tam tenebræ spirituales quam meteora spissa, seu septentrionalia.
    - Dilatando siue emittendo lucem suã maleuole: sic fulgura in nube ad metam certam dilatatione emittuntur, sic morbi ignei in corporibus generantur.
  - Angelica vt pote ab angelis percussoribus orta, vel
    - Tenebrosis, cuiusmodi sunt illi septentrionales, & occidentales.
    - Igneis, seu lucidis, quales sunt illi orientales, & meridionales.
- Ætherea seu media, suntque infausta vel per
  - Se, quæ quoniam à planetis infaustis descendunt dicuntur vel
    - Saturnina.
    - Martialia.
  - Accidens, videlicet ob infaustos planetarum salubrium vel mediocrium cũ prędictis infaustis aspectus, & dicuntur
    - Iouialia, Veneria — Vt pote à planetis huiusmodi, vtcunque in se fortunatis, orta.
    - Solaria, Mercurialia — Quatenus à planetis hisce mediocribus deriuata.
- Elementaria siue finalia hoc est insalubriter in corporibus immediate agentia — De quibus *infrà liber* 1. & 4.

CAPVT II.

Quod iuxta intentionem nostram non sit inter meteoron insalubre & morbum discrimen.

DIximus in distinctionis istius nostræ radice (Morbi seu potius meteora morbida &c.) vt medicis vulgaribus magis arrideat hæc distinctionis istius nostræ radix: nam scio fore nonnullos, qui inter se hoc modo arguent, Quid intendit vir iste? Anne causam cum affectu confundere aggreditur? Nonne est morbus (iuxta Galeni nostri doctrinam) ægritudinarius vel totius corporis vel eiusdem partis habitus? At meteoron insalubre videtur esse causa illius habitus præternaturalis. Quibus ego, Si cuiuslibet morbi particularis descriptionem à Galeno prolatam inspiciamus, inueniemus eam esse aliquid aliud præter merum habitum insalubrem; verbi gratia, pleuritis, vel angina sunt (tali ratione communi loquendo) habitus corporis ægritudinarii, vel intemperies partium primariarum, vel si vis humorum inflammationes. Quid? Anne per hoc facta est vlla inter anginam & pleuritidem differentia? Imo vero in symptomate ambo conuenire videntur, videlicet quod in ambobus febris accendi videatur: at febrem dicunt esse calorem præter naturam ipsius cordis; ergo neque meteoron ventosum, neque ex ventosis. Replico istis audacter, quod calor præter naturam, quem febrem dicit Galenus, sit ventus æstuans partem cui inest inflammans: quare hunc ventum febrem appellare haut absurdum fore asseueramus.. Atque iterum pleuritidem esse apostema inter membranam costas circumcingentem & ipsam costam situm ab humore salso vel putrido ad locum illum defluente genitum: quibus videtur ipsa esse quasi meteoron quoddam ex ventis: nam vt à ventis nubem variam, & ab illa pluuiam multiformem in aere creari cernimus, quæ pluuia diu in stagno residens (operantibus quotidie radiis solaribus) putrescit, & quandoque viridescit, quandoque rubescit: ita quidem in corpore humano venti varii ab illis mundanis ortum suum ducentes more illorum in alembici capite congregatorum, frigiditate cerebri quasi algida & rigida medii aeris regionis intemperie in rheuma concrescunt, & distillando deorsum multas pariunt in corpore infirmitates, vt apostemata, febres, fluxus ventris, catarrhos, &c. quare liquet, quod si pleuritis sit apostema, & peripneumonia inflammatio pulmonum, & angina humoris circa guttur & fauces distillati congregatio & corruptio, sint etiam ipsi partim venti microcosmici à macrocosmicis, & partim à ventis illis: pari etiam ratione flatus hypochondriacus à Galeno pro morbo habetur: at ipse est meteoron ventosum, seu ventus de natura septentrionis: hoc idem etiam de inflatione vel ventriculi vel lienis vel intestinorum dici potest; nec aliter quidem se habet hernia ventosa, febrisque flatuosa, &c. Quare non est nobis tantus error si meteora insalubria morbos dictitamus: nam quid (obsecro) est intemperies illa in partibus primariis, quam morbum appellat ipse? nonne aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, in superiori gradu, siue excessu? At horum nullum per se quicquam esse potest, quatenus accidentis esse est inesse: sequitur ergo, quod illa res cui proximè & quam necessario inhæret, sit omnium rerum tenuissima, videlicet aer, qui dicitur iuxta venti spirantis naturam vel frigidum, vel calidum, vel humidum, vel siccum. Quicquid ergo calefieri, frigefieri, humectari aut exiccari dicitur, hoc intemperiei totum recipit ab aere, qui loco dictarum qualitatum se habet, quippe quæ sine eo nullæ essent: at aer est ventus, & ventus est meteororum radix: quare dicimus quod cuiuslibet intemperiei esse, seu existentia sit aer venti alicuius angelici naturam induens; & consequenter cum morbus sit intemperies partium vel primarum vel humorum (iuxta Galeni sensum) sequitur quod sit illa intemperies ventus, aut si morbus sit quid magis solidum, siue sit humor, vel ex humoribus, dicimus eum esse meteorum ex ventis.

Atque hæc quidem hoc in loco vobis declarare me suadebat ratio, ne quispiam vestrum in rem istam serio minime inspiciens, de mea hac in re intentione sinistre fortassis iudicaret.

CAPVT

Capvt III.

De morbis, seu meteoris morbosis Empyreis, diuinis, seu idealibus.

QVid sit cælum Empyreum, & quod eius substantia sit spiritus seu aer admodum lucidus seu igneus, vti ex eius nomine apparet, & denique quod sit Angelorum, atque sanctorum, seu animarum beatarum sedes, Basilii, Damasceni, Dionysii, & aliorum patrum testimoniis in *tract. 1. lib. 2. cap. 3. 4. 5. & lib. 4. cap. 1. 2. 3. de Macrocosmo nostro* lucide demonstrauimus. At dicet (scio) quis, si locus iste sit adeo purus, pollutione tenebrosa ita destitutus, sedes Dei atque angelis & sanctis suis electissima, quomodo possibile est, vt locus tam beatus, & nullo malo, aut peccato, aut tenebris maculatus, possit esse mali aut morbi radix & origo? Cui respondeo, quod vbicunque Deus est, ibi etiam adest locus iste, & tamen testantur sacræ literæ, quod Deus homines *quandoque in ira & furore alloquitur, increpat quandoque per dolorem in lectulo*, atque iterum *ignis consumens* dicitur, quandoque benignitate & clementia præditus est, & beat creaturas tali sua proprietate. Hinc ergo est, quod idem Deus dictus est *percutere & sanare, vulnerare & mederi*; & quod *ipse vitæ & mortis habet potestatem*, quod *ipse reducit ad portam inferi* seu *sepulchri & reducit*; & tamen dictus est *ipse insidere cælum cælorum antiquorum*, hoc est summum cælorum, atque locum igneum & inaccessibilem inhabitare. *Iob 33. Iob 5. 17. Sap. 16. 13. Psal. 68. 34.*

Sciendum ergo in primis est, quod Deus ordinatione & actione interna & maximè centrali agit, & quod istum actum immediate sequitur voluntatis suæ effectus: hic ergo est, qui centraliter Angelica quasi organa spiritualia agitat ad exequendum illud, siue sit in negatiua vel priuatiua, siue in affirmatiua & positiua sua proprietate, quod in idea archetypica ab ipso est radicaliter insculptum. Sed vt hoc melius intelligere queatis, vos ex patrum antiquorum sententia scire velim, iuxta D. Augustini sententiam, quod *Ideæ* sint *formæ æternæ & incommutabiles in mente diuina*: vel, vt Scotus ait, *res obiectiuæ cognitæ ab intellectu diuino*: quare sequitur, quod cum ideæ sint æternæ, nequeant esse nisi Deus, quoniam plura æterna non sunt: at omnium rerum sunt ideæ, quia omnia à Deo obiectiue cognita sunt: quod etiam agnoscere videtur D. Ioannes *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod est: in ipso vita erat*; at si in Deo vita sit, vtique vita Deus existit: nam in Deo nihil est, nisi quod est Deus, quoniam Deus est vnus & idem spiritus. Ideæ itaque in Deo (licet sint plures, nam alia ratione conditus est homo, alia equus, &c.) omnes tamen vnus Deus sunt: quod etiam & *alibi* sic probare aggreditur Augustinus, *Primus & summus intellectus est ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno cum quo vnum.* Et *libro soliloquiorum. Tu es Deus meus & dominus omnium quæ creasti, & apud te omnium stabilium sunt causæ, & omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium & irrationabilium atque temporalium, semper viuunt rationes.* Hinc ait Boetius. *Lib. octoginta qu. q. 46. Lib. 1. dist. 3. De Trinit. lib. 6. c. vlt. Soliloquior. c. 31. Lib. 3. de cōsola. met. 9.*

Tu cuncta superno,
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique imagine formans.

Modum autem progressionis cuiuslibet rei exemplaris à veritate sic exprimit Anselmus: *forma rei in anima artificis est archetypa & veritas. & dum in potentia ad actum ducitur, motus est, in materia vero iam producta est similitudo & imago.* Ob istam rationem Odo Abbas, ait, *quod numerus ternarius fuerit principale in animo conditoris exemplar condendorum.* Denique ipsi Cabalistæ huic opinioni astipulari videntes asserunt *omnes res inferiores esse repræsentatiuas superiorum*; *& quod vti fit inferius ita agitur superius*: atque hoc (inquit Reuchlinus) omnes Cabalistæ sedulo approbant. His igitur serio consideratis, certum est, rerum omnium vitam & actum esse in Deo, & consequenter, quod ipsa vita sit Deus, qui est veritas, & à Deo, & quod eius motus emanatio, quæ est transitus à radice ad imaginem, & quod effectus sit ipsa similitudo, iuxta illud Apostoli, *Vnus est Deus, pater a quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia*: sic mundus typicus effectus est ad imaginem archetypici, & homo ad imaginem vtriusque: atque hoc modo verificatur iste Apostoli sermo, *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*; & alibi, *Deus operatur omnia in omnibus.* Quod quidem cum ita se habeat, videlicet, quod cuiusque rei vita & veritas sit *Anselmus. Analysi numeri ternarii. Reuch de ar. Cab. 1. Cor 8. Rom 11. 22. 1. Cor. 8.*

tanquam

tanquam anima archetypa, & idea æterna in Deo, & consequenter ipse Deus (nam in Deo nihil esse potest quod non est ex ipso, vtpote qui est ens & indiuiduum vnum & simplex in se) patet, quod ista vita in mente diuina, anima archetypica & veritas in motu à potentia ad actum sit spiritus sapientiæ sanctus (qui est omni re mobilior, & emanatio sancta, quæ dixit, *Ego sum vita & veritas*) in actu ad materiæ mundanæ existentiam iam producta, & consequenter quod materia mundi sit imago seu similitudo Dei, sic verbum quasi filius dicitur imago patris, & homo internus verbi; sic mundus dicitur imago Dei, & homo mundi. Quare euidens est vt in Dei potestate sit, tam auferre per proprietatem suam priuatiuam quam per positiuam dare creaturis, ita in eius est potestate vitam illam quam dedit creaturæ tollere, hoc est recipere vitæ radium in se contractiua sua virtute, vel humidum vitæ absorbere in æstuosa sua dilatatione. At vero tam contractio illa radiorum in se, quam dilatatio æstuosa est vel absoluta, in qua spiritum & vitam totaliter aufert & tollit, & tunc moritur, & in nihilum redigitur creatura, aut respectiua, in qua vel auertitur facies Dei lucida seu radius vitæ, vel in ira sua remissa accenditur in eius malum, sed non totaliter, verum in parte, ita vt hac ratione tametsi viuit creatura, tamen perturbatur tam corpore quam spiritu, quæ quidem perturbatio dicitur morbus: nam vt radius vitæ est ipsa veritas & iustitia, & consequenter æqualitas, mediante qua pax & concordia in compositi elementis statuitur; sic quidem debilitata atque diminuta vitæ istius portione, inæqualitas sequitur & discordia, quæ est morborum actus, iuxta vnanimem omnium fere, cum philo-
Hip. & Plat. dog. l. 5. c. 4. sophorum tum medicorum consensum: nam Plato, Hippocrates & Galenus in hoc conueniunt, quod *vt æqualitas partium simplicium sit sanitas*, ita quidem *earum inæqualitas est morbus*, quippe quæ est earum partium discordia: quare necesse est vt ista simplicia (quæ calidum, frigidum, humidum & siccum vocant) cum sint ad inuicem contraria, perpetuo inter se in eadem compositione litigent, nisi mediatione & vinculo istius doni symphoniaci in pace retineantur, quod ob istam rationem à Philosophis *ligamentum* dictitatur *elementorum*, & supercæleste vinculum, pacem inter elementa discordantia faciens, & superiora cum inferioribus, siue cælum cum terra amoris vnione coniungens: de quo dono a-
Col. 1. matorio carne vestito sic loquitur Apostolus, *sanguine crucis placauit Deus siue quæ in terris sunt, siue quæ in cælu &c.* Vita igitur creaturæ à Deo communicata, si auferatur ab ea, & contrahatur in Deum, vt creatura illa continuo expiret necesse est: at si partim auertatur, perturbat creaturam, ipsam ægrotam & semimortuam relinquens: at vero si Deus copiose eam in cor eius emiserit, recreabitur bono & sanitate. Sed & hoc à psalmista re-
Psal. 104. a. 27. gio habemus peroptime confirmatum, *Deo dante creaturis colligunt, aperiente manum suam satiantur bono, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum earum expirant, & in puluerem suum reuertuntur, emittente spiritum suum recreantur, &c.* Quid isto sermone clarius, quum expressis quidem verbis illud à me antea relatum recitare videtur? nam, inquit, Deo dante creaturis colligunt & satiantur bono, hoc est cibo conueniente præseruan-
Exod. 23. 25 tur in hac vita quem ipsis præparat Deus ad sanitatem tuendam. Hinc Moyses, *Colito Iehouam Deum tuum qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui, & numerum dierum tuorum complebit, &c.* At (inquit Dauid) *abscondente faciem suam*, hoc est diminuente vitæ radium, qui est aspectus seu emanatio diuina, *conturbantur*, hoc est inæqua-
Iob 6. 4. litas, discordia, vexatio, ac in vno verbo morbus ei adest: hinc ait Iob, *Virus sagittarum Omnipotentis ebibunt spiritum meum, & conturbationes Dei, quæ acie instructæ sunt oppugnant*
Deut. 31. 17. Psal. 3. 9. *me &c.* Hinc iterum Moyses, *Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, vt obueniant iis mala multa & angustiæ.* Et huius rei rationem dat propheta, *quoniam*, ait, *in Deo est ipsa salus.* Tunc sic pergit, *Recipiente spiritum earum expirant:* quibus verbis absolutam vi-
Iob 34. 15. tæ & spiritus in se contractionem denotat, quam mors immediate sequitur: hinc Iob, *Si Deus spiritum seu flatum eius ad se reciperet, expiraret omnis caro.* Denique emittente spiritum suum recreantur, hoc est curantur & liberantur à conturbationibus & morbis suis: imò vero & ipsi mortui resurgunt: hinc ipse alibi, *Visitatio tua conseruauit spiritum meum.* Quibus videre fas erit, idque luculenter, quod idea vitæ, idea morborum & mortis est, cum Deo, & in Deo, *qui operatur omnia in omnibus*, vel contrahendo se in se, quam eius proprietatem sequitur priuatio, tenebræ, morbus, mors, infelicitas, &c. vel beneuole dilatando se à suo centro circumferentiam versus: atque istam eius proprietatem in simplici sua natura sequitur positio, lux, sanitas, vita, prosperitas, &c. Dico in natura sua nuda & simplici, quoniam proprietati suæ lucidæ adest naturæ contractiuæ communicatio: cuius rei mysterium, tametsi omnium rerum difficillimum sit enucleare, pro animi nihilominus mei viribus illud elicere conabor, quippe quod ad propositi istius nostri explicationem res est admodum necessaria & perquam vtilis.

In

In *tractatus præcedentis tomi istius primi principio*, copiose satis atque lucide, pro ingenij mei validitate, simplicem & absolutam Dei tam latentis, quam patentis dispositionem patefeci, imo vero & demonstrationem ocularem ad exactiorem illius rei probationē ibidem produxi; sed præcipue in speculi mei experimentalis explicatione, quam *parte huius prima libris tribus*, ad amussim patefeci, vtpote debita cuius actionis contemplatione intelligatis nihil esse in mundi compositione, & elementorum atque naturæ constitutione, quod non sit aut rarum, seu subtile, aut densum seu grossum: at *Deus* (qui est vnicus rerum omnium author) dictus est ab Apostolo *operari omnia in omnibus*; quod etiam per huius instrumenti effectus, quasi à posteriori indicatur: quoniam in frigida sua proprietate contrahit res dilatatas in minorem locum, vnde in ista proprietate inspissat contrahendo se à circumferentia in centrum, & in tali contractionis actu spiritum mundanum simul contrahere videtur: hac ergo ratione densæ in aëre nubes ex aëre expanso sunt procreatæ, & per consequens ex diaphano & lucido subiecto fit opacum & tenebrosum, operantibus & mediantibus angelis Dei ventosis, effectus constrictiuos producentibus. Quibus liquet, quod vt materia tenuis, videlicet aër dilatatus, videtur conrrahi in spissum, ita quidem & lucidam atque igneam Dei dispositionem eadem virtute etiam contrahi in se necesse est, vtpote ad exemplar cuius spiritus mundi creatus aut contrahendo se, aut dilatando se, agere dignoscitur: nā nihil in mundo typico est, seu exemplari effectum, quod in forma archetypica, quasi mente diuina non habet veritatis sui ipsius, cuius est imago, characterem & iconem immutabilem: at vero res materiales contractæ ad extremam caliginem & tenebras eo magis tendunt quo arctius constringuntur atque contrahuntur, vt vice versa lux creata, quo magis in se contrahitur in hoc mundo, eo magis ad oculum clarescit, calefacit, ardet & consumit, vti in Sole, fulgure & igne videre licet, ignis enim dilatatus est nihil aliud quam lux ignea, vbique & inuisibiliter per aërem expansa, quæ lux si contrahatur siue coarctetur, non minus redditur visibilis & sensibiliter lucida & ardens, quam aër inuisibilis contractione redditur visibilis & sensibiliter tenebrosus, frigidus & humectans, vti in densis ac teterrimis nubibus discerni queat. Ratio vero contrarietatis formæ vnius & alterius, consistit in duorum illorum principiorum consideratione; videlicet lucis & tenebrarum, quorum in hisce abscondit Deus se in se, contrahendo radios suos in centrum suum, vnde sequitur priuatio: in illa patefacit se & radiorum suæ essentiæ & actus emissione reuelat aquas è tenebris, easque informat: tenebras ergo ab aquis ita diuisas *litigium* dictitarunt antiqui Cabalistæ, vt & aquas ita lucis præsentia informatas *Panem* seu *naturam vniuersalem* appellarunt. Hinc ergo est quod spiritus mundi aquaticus contractione & inspissatione, naturali quadam inclinatione tendit ad tenebras à quibus primordialiter deriuatus, atque extractus erat, vt viceversa lux in aquis elucescit iuxta naturam fontis lucidi, *Ensoph* à Cabalistis dicti, à quo primordialiter fluebat: ambo vero tam lux quam caligo ab vna radice processerunt. Sic igitur contracta lux in gremio naturæ humidæ creatæ fit ignis consumens, in cuius centro regnat lux æterna, quæ ignem hunc suum consumentem vel retinet in se ne creaturæ lædat, vel emittit eum vt consumat & destruat eam, quemadmodum filijs Aaronis eueniebat, & in igne qui egressus est à conspectu Iehouæ apparebat, qui deuorauit & exanimauit homines impios & rebelles in extremitate castrorum. similiter res se habet cum fulgure quod à throno dicitur procedere, vtpote quod dum à Deo in nube retinetur, nihil mali affert creaturæ: at è nube quasi ab arcu bene gubernato emissum (vt prophetæ verbis vtar) destruit, fundit, dissoluit, & mirabiliter agit. Sic ergo Deus Iehoua ignis dicitur *consumens*, contrahensue se in se naturam igneam ad voluntatem suam, tam in creaturarum beneficentiam quam flagellum perficiendum animat & agitat, iuxta hoc sapientis, *Creatura ignis Deo, qui fecit omnia, subseruiens, modo ad punitionem intenditur contra iniustos, modo remittitur in beneficentiam, &c.* Nam Deus in simplici sua natura est, *in igneæ creaturæ medio*, eam animans, & eam vel ardere vel mitescere faciens, vti in pueris tribus fornaci igneæ iniectis est confirmatum. Porro etiam dicitur quod *arderet mons ille vsque ad summum cœlum cum tenebris, nube & caligine:* & quod *Iehoua è medio ignis Moysem alloquutus sit*, & vocatur ibi *ignis eius maximus, &c.* Quibus euidens est, quod Deus contrahens se in se, igneam etiam aëris naturam ex parte eius lucida indueret, & quod huiusmodi etiā contractione formali & actiua, materialis etiam & passiua sequeretur, sed in contraria forma, nam materiale aëris cum tenebris obuelatum in nubem caliginosam est redactum, vti etiam ex multis alijs literarum sanctarum testimoniis apparet. *Sap.* 10. 17. *Deut.* 4. 11.

His igitur intueri fas est quomodo Deus in lucida sua natura creaturæ nocere, eamq; malo afficere soleat, & quomodo etiam seipsum in cenrrum sui ipsius abscondēs contrahat & inspisset tam lucidam & actiuam mundi naturam quam passiuam, actiuam dico, quæ est

formale quid igneum ex multa luce diuinitus in mundum emissa, & spiritu creato tenui, vt in cœlo, vel magis grosso, vt in aëre, cuiusmodi sunt in cœlo stellæ, in aëre cometæ, & meteora ignita, cum fulgure & coruscatione ac huiusmodi alijs: quos ignes atque etiam nubes aliquando contrahit ob creaturæ beneficium: vnde dictum est, *Igne lucente per totam noctem deduxit Deus Israëlitas, &c.* imo vero & hi ignes atque etiam nubes ita inspissatæ nomine diuino aliquando nominantur: vnde Deus *ignis consumens* dicitur. Et *alibi* dictum est, *Sapientia ijs fuit tegumentum interdiu, & lux stellarum nocte*: vbi per tegumentum intelligit nubem densam, per lucem stellarem, columnam igneam. At vero vbi *ignis consumens* dicitur, ira eius arguitur, in qua destruit tam in manifesta formæ igneæ apparitione quam occulta. In manifesta sic dictum est, *Ignis accensus est ira mea, qui ardebit vsque ad imum sepulchrum, absumetque terram, & prouentum eius, & inflammabit fundamenta montium &c.* Et psalmista regius dicit, quod *ista Dei ira sit æstus eius.* De istiusmodi etiam igne contracto sic ait, *Depluet super improbos prunas, ignemque & sulphur, ventusque vario præstere iunctus portio poculi eorum*: & Iob ait, *Consumet Deus improbum igne non accenso flatu.* Porro etiam dictum est *ignem exeuntem à conspectu Iehouæ exanimasse filios Aaronis*: & alibi, quod *ira Iehouæ exardescens consumeret eos qui fuerunt in extremitate castrorum*: & iterum, quod *ignis à Iehoua egressus consumeret 250. viros qui admouerant thus*: Sic etiam fulgura dicuntur *sagittæ eius quibus dißipat impios*: de quibus Propheta, *Deo mittente lucem abit, remittente obsequitur ei tremens.* In occulta eius apparitione etiam agit tam in macro quam microcosmo: nam dissipatis cometarum atq; fulgurum aliorumve meteororum seminarijs in aëre, longo tempore post exinanitionē & disparitionem eorum pestiferi atque putridi obseruantur sequi effectus: in microcosmo vero persentitur Iehouæ irascentis feruor, tametsi minime videtur. Hinc ergo ait Dauid, *Irascaris in æternum, ardebit sicut ignis Zelus tuus? effunde æstus tuos in alias gentes qui non cognoscunt te, nam consumptor consumpsit Iacobum*: sed & *alibi* expressis verbis occultum istum Dei ignem spissum & morbosum sic detegere videtur ipse, *Iehoua me erepturus est à laqueo aucupantis à peste ærumnosissima: ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine peruadente*, vel vt Hieronymus interpretatur, *à dæmonio meridiano*, seu *lue vastante in meridie, &c.* Quo sermone arguit per laqueum aucupantis morbum occulte inuadentem, & per pestem in caligine & dæmonium meridianum nocte peruadentem, ignem seu æstum contagiosum latitantem & inuisibilem, qui tanquam fur clanculo & insciente ægroto inuadit: sic ait Iob, *Increpat Deus per dolorem in lectulo, & ossa eius marcescere facit, tabescit caro eius & ossa quæ tecta fuerunt nudabuntur, appropinquabit anima eius corruptioni, &c.*

Psal. 78.14. *Sap.*10.17. *Deut.*32.22. *Psal.*6.2. & 38.2. *Psal.* 11. 6. *Iob.*20.26. *Leuit.*10.2. *Num.*11.1. *Num.*16.35. *Baruch.*3.33 *Psal.* 79.5. *Psal.* 91. *Iob.*33.

Concludimus igitur, quod in sermone auersio faciei Iehouæ; & absentia Iehouæ in qua contractiua eius proprietas operatur, contrahitur vel materia mundi solum modo passiua, in spissum, quæ antea erat dilatata & subtilis, vt in nubibus, niuibus, grandine, pluuia; vel illa actiua & lucida, quæ antea fuit inuisibiliter expansa per aërem, vt in cometis, fulgure, coruscatione; vel ambæ simul, vt in tonitru prestere, &c. At vero licet ambæ hæ contractiones fiant vno modo, tamen earum effectus sunt varij & differentes: nam in contractione sola humidi creati sequuntur tenebræ & cessatio ab actione: at in contractione igneæ naturæ expansæ (cuius anima & vita est ipse Deus) sequitur seu vrigo, seu putredo à motu præternaturali: nam ignea natura more destructiuo, siue visibiliter, siue inuisibiliter agens in humidum naturale, illud corrumpit, vel absorbendo illud deliccat, idque via dilatationis, non sui sed substantiæ creaturæ: vt viceuersa in tenebrosa sua natura calidum opprimitur innatum suffocatque naturales spiritus congelando. Dei ergo contractio est eius quasi noluntas, quam in priuatiua sua proprietate affert: nam non modo contrahit se à creatura, hoc est; auertit faciem suam ab ea tenebris se abscondens, sed etiam in contractione sua lucida non quiescit vt in illa tenebrosa, sed reagit maleuola emanatione destruendo, vt in meteoris fulgureis tam manifestis quam occultis patet, in quibus non quiescit donec totum vitæ spiritum consumpserit. At vero Dei dilatatione simplici videlicet sui ipsius à se, dicitur proprie eius voluntas; in qua positiue, beneuole & clementer agit atque salubriter cum vitæ sanitate: sic creatus est mundus, & omnes creaturæ in eo: atque in ista sua proprietate, quæ eius vocatur iustitia, creata est vitæ sphæra, quam ideo alibi sphæram æqualitatis diximus, quoniam spiritus in ea mundanus humidus non excedit mensuram lucis, neque lux superat temperiem spiritus, sed ambo amplexu suaui amicitiæ coniunguntur simul: pax (inquam) inter tenebrarum & lucis soboles est facta, & vtraq; essentiæ vnius diuinæ proprietas (vtcunq; natura oppositissima) in medio inter duo extrema conueniunt in vnum, quod est vitę & sanitatis cuiuslibet creaturæ subiectum; cuius status medij extrema duplicem mortis & morborum rationem denotant, quemadmodum

modum ex instrumenti nostri experimentalis obseruatione luculenter explicatur, videlicet vel per spiritus congelationem & mortificationem à frigore vel per ipsius adustionem & consumptionem à calore. Vt ergo mundus in mediocri extremorum conuentu erat creatus, ita quidem in contractiuâ & priuatiua sua proprietate, igne videlicet & tenebris ipse mundus cum suis creaturis erit finaliter destructus vel exanimatus: hoc totum paucis arguere videtur Psalmista regius in hoc sensu, *Deus in ira indignatur, in voluntate viuificat*: at Sapiens agnoscit, *Deum omnia fecisse vt essent*; In quo sermone voluntatem positiuam & benignitatem arguit & non destructionem, seu priuationem. Noluntas ergo in eius ira decernitur in qua punit, hoc est, non vult vt creatura fruatur aut sanitate aut vita; quibus eam ex bona sua gratia in creatione ditauit: sed vt aut morbo de sanitate, aut morte de vita pro peccato priuetur, sibi statutum est: nam in proprietate sua tenebrosa in qua abscondit faciem suam à creatura totaliter; in momento temporis moritur ipsa, si in parte, ægrotat de morbis tenebrosis, in quibus frigiditas borealis seu occidentalis præest: at si paulatim vadit proprietas hæc in decrescendo vitæ radium, extinguetur creaturæ vita suo tempore. At in proprietate sua ignea lucida aëris substantia; seu venti orientis vel meridiei seminaria vndique per vastum aëris mare expansa in locum congregantur, atque visibiliter apparent, vt ignis, fulgur; cometa, &c. vel clanculo ad ruinam tam mortalium quam plantarum operantur, vti in aëre corrupto, peste, febribus epidemicis, &c. hinc dicitur pestis more furis, & clanculo, hoc est, in caligine & inuisibiliter inuadere, cuius virus & flamma licet non videtur, tamen, teste Iobo *loco antea citato, sagitta* dicuntur *omnipotentis graues, quæ ebibunt spiritum hominis quem pertingunt, perforant ossa doloribus, & efficiunt vt ægrotus effluat substantia, & quod viscera ipsius adeo efferuefacta sint vt non quiescant*: hoc facit Deus per ministros suos, cum ipse in hominem æstuantem suam iram loco cibi ipsius emittit: per ministros, dico, cum Deus ministris suis angelicis ad ordinationes tam in cœlo quam in terra exequendas vtitur; ministris, dico, angelicis ventosis in tenebrosa sua facultate, & illis quos fecit flammas vrentes, in ignea seu lucida sua proprietate cum effectu tam intuitui patente quam occulto; vti *capite sequenti* clarius. De ampliori istius mysterij enucleatione vberius, permissione sapientiæ æternæ, infra in illa huius tractatus portione qua causa morbi efficiens pertractatur, discurremus.

Psal. 30. 5. *Sap. 1.* *Iob. 64.* *Iob. 30. 17. & 27.* *Iob. 21. 17.*

Denique vt ignis in se vrens, dilatatione in aëre redditur mitis & minime nocens, sed fouens, confortans, & saluti amicissimus, quoniam aëris humidi & frigidi temperie moderatur, & in actus mediocritatem reducitur, ita quidem salutaris est ipse propter istam suam æqualitatem cum creaturæ natura, ei assistit, adstat, & nutrit, quatenus est naturæ creaturæ similis; vtpote quæ ex vna portione calidi & altera humidi consistit. Quod quidem optime in quartarum annuarum statibus demonstratur: quoniam sol æquinoctium vernale accedens (tametsi ipse in perpendiculari suo motu admodum æstuat & vrit) tanto moderamine adaptat aëris in humido & calido temperiem, vt hinc inde effectus mundi viuificantes, & à morte quasi ad vitam exuscitantes sequantur: nam arbores & herbæ frondescunt, plantæ florescunt, terra vestitu suo viridi ornatur, fructuum fundamenta iactantur, aues gaudere, & iocoso quasi modo garrulare & ridere, vt dicam, imo vero & ipsa Philomela melodiæ suæ diuinæ cantus varietate admirabili plenos effundere eo tempore gestit: denique delectatur & multiplicatur etiam animalium quadrupedum quodlibet in sua specie, & ipse homo, horum omnium dominus, haud minus exultare solet; atque congratulari aduentum ipsius solis, cuius præsentia aër boni succi more in vegetabilibus; & sanguinis in animalibus contemperatur. At vero videmus tempore æstiuali solem suo calore & siccitate (nisi afflatu quodam frigido & humido contemperetur) herbas, frondes & fructus destruere atq; exiccare, graminaque comburere ob propinquitatem solis ad obiectum, & ratione perpendicularitatis radiorum ipsius: hoc etiam accidit ob ignis propinquitatem. At vero in hyeme ratione omnimodo opposita res sese habet, vtpote in qua tanta interest inter aëris borealis & solis brumalis distantia, vt calor solaris nimia materiæ (in qua dissipatur) quantitate vix à borealibus discerni queat. Quibus intueri fas est, quod eadem lux creata possit versari (sic iubente & volente Deo) tam in mortalium pœnam & flagellum, quam beneficentiam & consolationem, vti infra latius.

Capvt IV.

De morbis seu meteoris morbosis angelicis, vtpote ab angelis percussoribus ortis.

Psal.103.20 ANGELI Dei (inquit psalmista regius) *validissimi robore efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius facientes placitum eius, &c.* Quibus euidens est, quod tametsi omnia attribuuntur Deo, tamen quicquid agit, siue sit ad creaturarum bonum vel ad earum malum, totum hoc præstare solet per angelos, qui ob istam rationem dicuntur ministri ipsius, quippe quorum est efficere verbum Dei: *Spiritus* (inquit Dauid) *procellosus efficiens verbum Dei.* (Psal.148.) Hinc erat quod Cabalistæ, & doctores Hebræi dixerint angelum esse tanquam inter Deum & hominem virtutem mediam, à qua fiunt operationes in rebus quas natura earum non faceret vel sic faceret, quas alij dicunt prouenire à proprietate occulta, vel alij quia tale. (Reuchl. de art. Cab. lib. 3.) Hos autem angelos, siue spiritus, qui mittuntur in ministerium voluntatis diuinæ, alij quidem sunt occulti, vtpote qui inuisibiliter spirant vbi volunt, sed vnde veniunt aut quo vadunt nescimus: alij sunt manifesti, qui instar flammarum ardentium apparent, & sunt fulgura; & huiusmodi alia meteora primaria: *qui facis* (inquit propheta) *angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem*: (Psal.103.4.) hinc ait Iob, *Numquid mittis fulgura & ibunt, & reuertentia dicent adsumus?* (Iob.38.35.)

Ex quibus sat liquido constat, quod angeli occultati magis ad meteora tenebrosa inducenda operantur, vt illi manifesti tam in visibili sua natura quam inuisibili in meteoris lucidis. Ambæ hæ species secundum ipsarum externum sunt de eadem substantia, videlicet aërea, nam aliud est aër inflammatus, & aër minime accensus: est tamen aër vtriusque substantia: nam quod Latini vocant *spiritum* seu *ventum*, Hebræi dixere *Ruach*, quod significat spiritum, ventum, flatum, & hoc idem est nomen *angeli*, qui etiam *dæmon* dicitur à Græcis in bona parte, & *dæmonium* in mala: (Reuchl. de art. Cab. lib. 3.) Sed vt rem magis serio detegamus, dicimus quidem, quod vt substantia angeli sit ex subtili cœli intellectualis seu Empyræi spiritu, ita quidem eius esse internum est radius seu lumen Dei: vnde *Algamata* ideo dicuntur (vt testatur Dionysius) quia recipiunt actus lucidos à facie Dei coram qua stant, non aliter quam speculum radios solares: atque hæc erat ratio quod Deus dixerit, *Nomen meum est in eo*, hoc est, emanatio seu verbum meum secundum quod operantur in negotijs suis. Hinc ergo est, vt nominibus (quæ ijs à proprietate assignantur) nomen EL. annectatur, quod significat Deũ fortem, vt Micha-EL. Rapha-EL. Gabri-EL. Vri-EL: &c. Tum postea intelligatis velim quod vt EL. quod est purum verbum, est anima viua spiritus angelici, ita tota compositio angelica est vita seu anima naturæ cœlestis: vnde *Metattron* Cabalistarum quem angelum dixerunt generalem animam fecerunt mundi, cuius sedem in sole esse finxerunt, idque haud inconsulte, vtpote *in quo æternæ sapientiæ spiritus* dictus est, *posuisse tabernaculum suum.* Denique anima æthærea, cuius internum est natura angelica (vt & centrale in natura angelica agens est EL.) est ipsius aëris anima, vtpote ad cuius motum aër pellitur, & ventum ità procreari certum est.

Exod 15.8. Quare non erit absurdum si cum sacris literis dicamus, cum Moyse, ventum esse *flatum narium Iehouæ*; & alibi, *Vento tuo flauisti & operuit eos mare*: aut cum Iobo, *Venti sunt flatus Dei*, (Iob 37.9.) & alibi, *A flatu suo Deus fortis edit glaciem*: aut cum propheta, *flante Deo contrescit gelu.* (Psal.107.33.) Nec quidem inepte à nobis erit dictum, quod ipsi angeli sint venti seu flatus & spiritus, quippe in quibus agit & mouetur spiritus diuinus: nec culpabile erit dicere quod aër sit ventus, vtpote qui animatur, & in circumferentia quasi agitatur à spiritu angelico, vt & ille radicaliter & centraliter à spiritu æterno. Nonne eadem ratione in eodem capite, idque in diuersis locis dictum est, quod nunc angelus Iehouæ hoc fecerit, ac tum postea quod Iehoua illud fecerit? quandoque (inquit Moses de angelo qui eũ ex dumo ardente alloquutus est) angelus Iehouæ apparebat, & tamen ait, Iehoua dixit, ac si nullam inter Iehouam & angelum Iehouæ fecisset differentiam: at vero certum est, quod quandoque vsus est Moyses denominatione efficientis principalis pro instrumentali, & vice versa: atque etiam actiones stupendæ atq; miraculosæ in deserto à Iehoua productæ, quandoq; angelo Iehouæ, & quandoq; ipsi Iehouæ sunt attributæ. Quid tum postea? fortasse replicabit quis. Anne dices Iehouam inesse malis angelis, aut suntne mali angeli actus comparandi aut referendi Iehouæ? Cui ego, quod ab ore Iehouæ hæc accipimus, *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & sanabo:* (Deut. 32.) Et agnoscit Iob, quod *Deus sit qui vulnerat & medetur:* (Iob.5.) & sapiens ait, quod *Deus vitæ & mortis habet potestatem* (Sap.16.)

restatem. Et Tobias ait: *Tu Deus magnus es Domine, quoniam flagellas tu & sanas, deducis ad inferos & reducis*; & *alibi* inuenimus, quòd *vita & mors, bonum & malum sint à Domino.* Quibus testimoniis videtur, quòd Dei sit solius, & non angelorum, aut cuiuspiam alterius creaturæ morbo aut malo afficere, tametsi illud mediante organo angelico perficere soleat: vnde Iehoua in persona sua: *Ego percutiam vos peste, febre æstuante, morbo regio,* &c. At quid (obsecro) intendunt istiusmodi scripti sacri authoritates? In vno loco mentio facta est de *angelo percussore impiorum*, quem DEVS fecit ascendere cum Moyse in terram septem gentium: in alio scriptum est, quòd angelus Domini percusserit noctu in castris Assyriorum 185000. bellatorum. Iterum Angelus Domini mittitur in Ierusalem, vt percuteret eam, qui tum postea iussus est cessare: Et Dauid ait, quòd *Angelus Dei coarctat & persequitur impios*: Et alibi: *Spiritus potentiæ, & spiritus virtutis stabit contra impios, & tanquam ventus & turbo venti iactabit eos.* Porrò dictus est percussor, qui omne primogenitum Ægyptiorum percusserat, transgredi portas Israelitarum: vbi etiam loci *Iehoua* etiam dictus est *transgredi ostia eorum*: nam textus ait: *Media nocte ingrediar Ægyptum, & morietur omne primogenitum in Aegypto, transibo per Aegyptum nocte illa, percutiamque omne primogenitum, erit sanguis vobis signum, & transibo vos, nec erit in vobis plaga. Transibit Dominus percutiens Aegyptios, cumque viderit sanguinem, transcendet ostium illius, & non sinet percussorem ingredi ostium & lædere,* &c. Quo intelligere fas est, quòd Iehoua sit præsens in & cum creatura percutiente, & quòd percussor solummodo animatur & mouetur ab eo ad hoc vel illud munus obeundum. Similiter erat Sathan, qui percussit Iob, & tamen ille dicit; *Sagittæ Omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum,* &c. Præterea (inquit) *Iehoua dolore increpat in lectulo*; & alibi, *manus Omnipotentis.* Imò verò & Sathan agnoscere videtur se esse Dei percussorem, actum verò attribuit Iehouæ: similiter reuelator, quòd *quatuor angelis sit datum nocere terræ & mari & arboribus*, qui tamen nihil operari possunt, nisi quatenus à Deo agitantur. Sunt etiam angeli quibus erit assignatum occidere versus mundi finem tertiam partem hominum. Denique erat septem angelis ex officio attributum effundere septem phialas iræ Dei in terram: & infinita alia huius rei exempla mundo proferre possum ex pagina sancta, quibus admonemur, quòd tametsi percutere & malo seu morbo afficere attributum sit Deo, tanquam causæ efficienti principali, tamen hoc omne immediatè causis efficientibus instrumentalibus ascribi potest, angelis nempe; non aliter quàm vulnus ensi & non percussori, seu potiùs percussori & non gladio: nam nisi percutiens mouet percussorem seu gladium, vulnus per gladium vulnerato minimè infligeretur: nam cùm *Deus* (teste Apostolo) *operetur omnia in omnibus*; agitat ipse omnem creaturam à summo ad imum vsque gradum ad mandatum suum obeundum, vt testatur Propheta hisce verbis: *Iehoua consilium stabit, omnis voluntas mea fiet, vocans ab Oriente auem, de terra longinqua virum voluntatis meæ,* &c. Quibus verbis innuere videtur, quòd ad vocem eius, hoc est, verbo eius lucido incitante, omnes creaturæ ab angelo ad auem animantur ad placitum ipsius perficiendum: Sic Propheta Baruch fateri videtur; quòd *Sol, Luna, sydera, fulgur, ventus, nubes, ignis obediunt mandato diuino.* Sed de his plura in causa morborum agente, Numine diuino auspicante discurremus. Denique intelligendum est, quòd vt Deus agat ad morbos producendos & ad mala patranda in flagellum hominum duplici sua proprietate contractiua, quarum vna versatur circa tenebras & priuationes, altera circa spiritum lucidum, seu ignem contractum, quæ quidem proprietas maleuola emanatione seu emissione atque dilatatione destruit & perdit, ita quidem vtitur in qualibet harum proprietatum angelis maleuolis cuilibet earum conuenientibus, videlicet tenebrosis in priuatiua sua proprietate tenebrosa, & igneis in lucida; quorum genera Apostolus videtur (Dauidis verba remetiendo) in his verbis significare: *Qui facit Angelos suos ventos, seu spiritus, & ministros suos flammam ignis*: Imò quidem nonnunquam boni eius Angeli percussorum inducunt naturam, vt in angelo illo bono, quem Deus misit ante Israelitas ad tutò conducendos ipsos in via deserti: *Noli* (inquit Iehoua) *exacerbare illum, quia non feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo:* & quidem consequentia declarabat, quòd hîc Angelus esset tam saluator quàm destructor.

Marginalia: Tob. 13. — Eccles. 11. — Exod. 33. — 4. Reg. 19. — 1. Chron. 21. — Psal. 35. 5. — Sap. 5. 24. — Iob. 10. 8. — Iob. 1. — Apoc. 7. — Apoc. 9. — Apoc. 16. — Iesai. 46. — Baruch. 6. — Hebr. 1. — Exod. 23. 20

CAPVT V.

De morbis, seu meteoris morbosis ætheris, seu percussoribus sydereis.

AD morbos autem æthereos quod attinet, ex prædictis colligere fas erat quòd spiritus angelicus sit vita seu anima spiritus ætherei, vt vita spiritus angelici est emanatio immediata claritatis omnipotentis; quibus intelligere possitis quòd spiritus æthereus sit non minus receptaculum naturæ angelicæ quàm ille angelicus est naturæ diuinæ: natura ergo diuina iuxta variam proprietatum suarum differentiam (quas Cabalistæ *Sephirotas* seu *numerationes diuinas* vocant) Archangelos varios cuilibet Angelorum ordini inseruientes, ad influxus cuiuslibet eorum recipiendos ordinatos atque substitutos habet, quorum quilibet in cœlo æthereo stellam ipsi natura & conditione conuenientem, & spiritibus angelicis ipsi subiectis repletissimam, obedientem atque subditam habet, in quam omnes illos luminis influxus, quos Deus in tali sua proprietate in eos effundit, impluunt, à quibus tum postea mediantibus intelligentiis illis olympicis in vastum aëris spatium descendunt; & per ventum Archangelo subiectum vbique per aëreum campum dissipantur & disperguntur: sic enim omnia fiunt ex spiritu vno increato per spiritus plures creatos (quorum vita & princeps est Iesus Christus, angelorum summus & catholicus) in spiritu mundi vasto, quorum operationibus & aspirationibus omnia tum postea tam imperfectè quàm perfectè mista oriuntur. Quibus ritè contemplatis facillimum erit imaginari, quòd vt aliæ proprietates Dei sint clementiæ & benignitatis; cuiusmodi est illa Sephirotæ seu numerationis diuinæ *Chesed* dictæ (quæ vox ideo arguit clementiam; quam à cognomine Dei EL accipit, quod gratiæ est cognomen) cuius Archangelus influxus suos recipiens est *Zadkiel*, quos iterum in faustam & fortunatam stellam, Iouem nempe effundit, à quo iterum mediantibus suis spiritibus beneuolis, salus & salubres vitæ afflatus in inferiora inspirantur: ita quidem aliæ sunt proprietates infaustæ & seueritatis diuinæ plenæ, quarum vnica agit per contractionem factam in spiritum tenebrosum, alia per contractionem naturæ dilatantis primùm factam in spiritum lucidum & igneum, vel ad afflictionem mediocrem; vel ad destructionem integram ordinatum: in priori contractionis specie Deus *Elohim* dicitur, & proprietatis huius vitam per numerationem *Binah* ad Angelum *Zaphkielem* impluit, qui iterum eam globo Saturni affundit, à quo mediantibus spiritibus illius syderis, istius proprietatis seminaria in campum aëreum conducuntur, angelusque ventorum septentrionalium custos ea vndique disseminare solet, quemadmodum per stipticos & contractiuos illius quartæ effectus videre fas est, at quoniam frigidum & siccum sunt contraria calido & humido, in quibus consistit creaturarum mortalium vita, ideo tam influentiæ hæ quàm spiritus à quibus effunduntur, sunt vitæ aduersarii: hinc ergo est quòd Saturnus dicitur infortunium maius. Ex altera parte, vbi contractio fit ignei spiritus in flammam imprimis visibilem, & tum postea per illius dilatationem in inuisibilem & in aëre occultam, afflictiones & morbi calidi procreantur, atque hoc modo ebibitur & consumitur spiritus naturalis, tam in regno minerali, quàm in animali & vegetabili: hæc quidem proprietas contractiua fluit à nomine Dei *Elohim Gibor*, per diuinam numerationem *Geburath* dictam quasi punitionem, cuius influxus, per ordinem angelicum potestatum transiens ab angelo igneo *Samael* recipiuntur; & in sphæram seu stellam Martis, mediante eo, conducuntur, à cuius tum postea orbe spissi vrentes & æstuantes in aërem effunduntur spiritus qui vel ventis orientalibus in simplici sua natura sicca, vel meridionalibus ad conditionem putridam gubernantur, nam mediante afflatu Australi humor Iouialis corrumpitur, operantibus seu flantibus illarum plagarum angelis, seminariaque Martialia per vniuersum aëris campum disperguntur: hinc ergo est quòd sydus illud Martiale infortunium minus ab Astrologis nuncupatur. At verò si stellæ istiusmodi maleuolæ corrumpant alias stellas erraticas infortunatis suis aspectibus, vtpüta per ipsarum coniunctionem, oppositionem vel quadraturam; aut quando sunt fortiores in cœlo, corrumpunt etiam earum naturas, quamuis in se sint vel absolutè salutiferæ, vt Iupiter & Venus, vel mediocriter sanæ, vt Sol, Luna, & Mercurius, qui est versipellis: sic quidem flatus boreales Saturno dicati destruunt beneuolos effectus illorum meridionalium Iouis, naturamque eius humidam coarctant & constringunt. At verò flatus Euri Martialis etiam putridum reddit illum Iouialem; atque per corruptionem quandoque pestiferam & contagiosam, & sic in cæteris; videlicet Martiales flatus sicci & calidi illis solaribus vniti, siccitatem & caliditatem Solis naturaliter beneuolam in dispositionem præternaturalem & vrentem conuertunt; ita vt malè quandoque afficit & lædit: in quo sensu sic loquitur Psalmista:

Sol non

Sol non te percutiet diurno tempore, nec Luna nocte, Deus te praeseruabit ab omni malo: hoc etiam clarius declaratur ex infortunio Ionæ, vbi legitur quòd *praeceperit Dominus Euro seu vento calido & vrenti, & percussit Sol super caput Ionæ & aestuabat, vt peteret animae suae vt moreretur,* &c. In quo sermone arguitur, quòd flatus venti Martialis Euri coniunctus cum spiramine solari, illud insalubre, æstuans & morbosum reddit. Porrò etiam huiusmodi maleuolas à cœlo missas influentias quàm clarissimè arguunt verba hæc viri patientis: *Cùm impius esset impletus ventrem suum, in eum Deus iram suam aestuantem immittit, quam impluit in eum loco cibi.* Quo sermone infaustos influxus & naturæ humanæ insalubres antea citatos innuere videtur: & Reuchlinus testatur, quòd nulla sit nobis hîc in terra, aut herba, aut planta, cui nō sit stella in firmamento quæ percutit eam. Denique Galenus ille vester pluribus in locis maleuolum cœlorum influxum pluribus in locis confiteri & agnoscere cogitur; nam in vno loco ait: *Ver austrinum sine ventus pluit multùm, & continenter ad canem vsque.* Et iterum: *In Thasso Autumno, circa aequinoctium & sub Vergilias pluuiae erant multae, continentes, lenes, vt cùm spirat Auster.* Et alibi: *Cùm canis ortus excalefacit corpus, semper solent vigere febres ardentes,* &c. Quibus verbis non æstiuum statum per se, sed ipsius canis influxus malignos, febres ardentes morbosq; æstuosos excitare arguit: nam ista constellatio est de natura Martis, & de ipsius malignitate imprimis participat. Porrò & *alibi* fatetur, quòd quælibet anni quarta à constellationibus cœlestibus gubernatur, [illegible] quiens, quòd *ortus Pleiadum sit principium aestatis, post quem Canis ortus inchoat, tempus fruct*[illegible] *& pomorum; atque haec est secunda aestatis pars: post hanc Arcturus oriens initium facit Autumno, vt & occasus Pleiadum hyemis principium inducit,* &c. Quibus videre liceat, quòd temperies mundi inferioris regatur à constellationum influxibus mundi superioris; & consequenter quòd stellæ tam fixæ quàm erraticæ vim habeant tam ratione præternaturali quàm secundùm naturæ leges in elementa & elementata, mediantibus nihilominus ventis, à quibus aëris vel temperies vel intemperies dependere animaduertitur: nam Aristoteles ait, quod *venti Aquilonares Etesiae dicti sui spiraculi initium ducant post solstitium & canis ortum.* At Plinius ait: *Etesias flare biduo post caniculae ortum, leone iam Sole ingrediente*; nam ardentissimo æstatis tempore exoritur canicula Sole primam leonis partem ingrediente. Ratio autem (vt Plinius vult) istorum ventorum est calor illius syderis orientis cum Solis ardore iunctus, quo liquefiunt niues in oriente, quorum spiritu iam dissoluto huiusmodi credit ventos excitari; Ptolomeus videtur asserere, quod hoc fit operatione spirituum Iouialium, quippe quibus venti istiusmodi excitantur: & certè mea sententia hi venti constanter ita flantes per dies quadraginta, ideo esse à Deo constituti vt resisterent & obtunderent æstuosos & malignos canis cœlestis, tunc temporis orientis effectus, quare saluberrimum reddunt hi venti aërem, & ob istam causam putauit Ptolomæus eos à Ioue benefico Planeta cieri. Sed quid vlterius est dubitandum, an venti varii variam in aëre dispositionem procreantes à cœlestibus oriantur, cùm, teste Salomone: *Aër seu ventus ad motum Solis circumrotatur & conuertitur, & mouetur in circuitibus suis.*

Psal.121.5. Iona 4.8. Iob.20.23. Reuchl.de art.Cab. Hipp.lib.3. comm.3.5. de morb. vulgar. In Hipp. lib. 1.1.de morb. vulgar. Galen.aphor. 13.14. Ecclef.1.

Atque etiam communi Astrologorum obseruatione cognoscimus rem reuera ita sese habere: nam Saturnus in aliquo aspectu malo iunctus, cum ☿ tempore vernali solet efficere ventos & pluuiam, in æstate reddit aërem ventosum & imbriferum in Autumno ventosum & nebulosum, in hyeme aërem ventis niuosis inquietum. Iupiter iunctus cum ☿. in ☌. □: vel ☍. verno tempore, atque etiam æstate & autumno, & hyeme, efficit ventos magnos. Mars etiam in talibus aspectibus cum ipso iunctus producit verno tempore ventos nubiferos, æstate tempestuosos cum tonitru & fulgure: at in Autumno cum Sole facit ventos. Sol etiam cum ☿. ventos cum humiditate aliqua, præsertim si sint in ventosis signis, atque ita in cæteris. Quæ omnes in aëre intemperies producunt multorum morborum seminaria, quibus tum postea malè afficiuntur creaturæ, vti non modò Galenus & Hippocrates testantur, verùm etiam annualis experientia docet. Sed quoniam de hisce morbis olympicis *inferiùs* ad amussim, idque copiosiùs disceptabimus (vbi de æthereis morborum causis vbertim discurremus) non plura de ipsis hoc in loco.



LIBRI SECVNDI PARTICVLA PRIMA:

De morborum ſeu meteororum morbidorum tenebroſorum, in plaga aëris ſeptentrionali procreatorum differentiis.

CAPVT I.

In quo meteororum morbidorum differentia in genere pertractatur.

Meteora morbida in aëre procreata ſunt vel
- Tenebroſa, eaque vel
  - Septentrionalia, de quibus *libri iſtius ſecundi, particula* 1.
  - Occidentalia, de quibus *libri iſtius ſecundi, particula* 2.
- Lucida, eaque vel
  - Orientalia, de quibus *libri iſtius ſecundi, particula* 3.
  - Meridionalia, atque de his *liber quintus.*



VT in *præcedentibus* imprimis de radicali morborum, ſeu morbidorũ meteororum differentia egimus, empyrea videlicet; quam in diuinam & angelicam diuiſimus, ac tum poſtea de illa media, ætherea nempe, quam iuxta variam Planetarum diſpoſitionem diſtingüi aſſeruimus. Iam quidem de differentia finali tractabimus, aërea ſcilicet, quæ ſunt instrumentalia illa meteora quæ creaturas præter naturæ leges immediatè tangunt & percutiun.. Has ſiquidem tres in mundo vnico actiones diuerſas Mercurius Triſmegi-
Aſclep. 2. ſtus videtur in iſto ſermone comprehendere: *Cœlum ſenſibilis Deus eſt, adminiſtrator omnium corporum, quorum augmenta, decrementaq́ Sol & Luna ſortiti ſunt, cœli verò & ipſius animæ & omnium quæ in mundo ſunt, ipſe gubernator eſt, qui & omnium effector, Deus, à cœlis omnibus, quorum gubernator eſt, omnium frequens per mundum fertur influxio, & per animam omnium generum & ſpe-*
Aſclep. 3. *cierum omnium & per rerum naturam: Eſt enim cœlum Deo plenum, mediante cuius actu mutatur ipſum in ſpecies, humeſcens vel frigeſcens, vel areſcens, vel clareſcens, vel ſordeſcens,* &c. Contrariorum autem, ſimiliumq́ue commixtio inſtituitur ab actu Dei bonorum omnium authoris, totius ordinis principis, ſeptem mundorum ſeu planetarum ducis æterni. Quo inſinuare videtur bonus iſte antiſtes, quòd ſtellæ ſint organa, mediantibus quibus, agente principaliter Deo, alterationes tam ad augmentationem quàm diminutionem fiunt in aëre per calidum, frigidum, humidum, ſiccum, vnde cœlum aëreum quandoq; clareſcit & ſerenum eſt, quandoque ſordeſcit, & triſtem induit vultum.

Diuidimus ergo meteora hæc finalia, ſeu in cœlo infimo creata ſecundùm binam proprietatum diuinarum naturam, quæ eſt vel tenebroſa, priuatiua & potentialis, vel lucida, poſitiua & actualis, & conſequenter ſecundùm naturas & conditiones angelorum percutientium, quorum alii ſunt lucifugi, alii igniformes, videlicet in tenebroſa vel lucida. Quid ſint tenebræ abundanter *in voluminibus meis præcedentibus* loquuti ſumus: & ſi retrogrediendo macrocoſmicæ noſtræ ſtructuræ rationem obſeruaueritis diligenter, percipietis quidem tam tenebras primarias quàm lucem fuiſſe in primordiali creatione triformes: nam ibi demonſtrauimus, quòd tenebrarum magis ſpiritualium portio eſſet illa, quæ primo creationis die à facie ſpiritus cœli empyrei erat deorſum lucis diuinæ præſentia propulſata, & cum tenebrarum inferioris abyſſi portione permiſta: nam primo die creationis facies ſpiritus ætherei, & illius aërei erat tenebris adhuc obuelata, cum quibus tenebris illa tenebrarũ portio,

tio, quæ in puncto creationis obtegebat vultum spiritus cœli empyrei, completo iam primo diei opere, & cœlo cœlorum luce æterna iam impleto, cum cœlorum inferiorum adhuc potentialium tenebris commiscetur. At verò quoniam spiritus in tenebris illis primariis formæ lucidæ fruitionem vehementer appetebant, scintillas lucis viuificæ primi ordinis secum retinebant, non aliter, quàm spiritus internus nubis densæ lucem fulguream in se habet, aëre nihilominus admodum tenebroso manente ob tenebrarum præsentiam, nisi quãdo fulgur è nube exiliret. Ob istam ergo rationem dignior est istiusmodi tenebrarum portio, quàm illa cœlorum inferiorum, & ad corporum opacorum dignioris gradus & ordinis conficiendorum concurrit, cuiusmodi est illud humanum, cuius terra erat cæteris præstantior, & tum postea cæterorum animalium, in quibus natura ignea magis abundat, vt viceversa ex spiritu illo taliter illuminato subtiliori est homo internus, ex grossiori spiritus animalium: talis etiam est spiritus fulguris, qui in puriori sua substantia, ab illo angelico & humano haud subtilitate videtur discrepare, quoniam penetrat & se extendit per omnia: atque hinc est, quòd nonnulli mystici aiunt, istum spiritum esse ignem sextæ essentiæ, vtpote qui excedit in subtilitate dispositionem ignis ætherei, qui quinta essentia dicitur.

Ex tenebris ergo istiusmodi fiunt in macrocosmo nubes densæ spiritu fulgureo repletissimæ, quod etiam eò magis est credendum ex verbis hisce: *Iehoua inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & lapsus est super alas venti; & posuit tenebras in circuitu suo latibulum; præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt*, &c. Quibus verbis videtur significare, quòd Iehoua (cuius *sedes est cœlum cœlorum*) sit in spiritu angelico tenebris abyssi dignioribus circumsepto, hoc est lux illa diuina, & consequenter tenebris primariis quæ ante creationem spiritum empyreum obuelabant: quoniam angeli Cherubin, seu venti angelici atque empyrei in iis includi videbantur. Nec quidem vos intelligere velimus, quòd cœlum empyreum sit solummodo supra astra visibilia; sed vbique per mundum cum Deo præsens, vtpote *qui inhabitare dicitur cœlum cœlorum.* At quandoque huiusmodi tenebræ adsunt etiam; sine ignis apparitione, at non sine calore & dissolutione, vt in nubibus Australibus, quas nihilominus lucidas ob calorem vocamus dissoluentem. 2.Reg.22.8.

Secunda tenebrarum portio est priori spissior, vtpote quæ ex illis primi cœli & secundi fiunt, quæ in deforme elementorum spatium deorsum ex ætheris interuallo virtute lucis secundi creationis diei detrusa efficit sua absentia, vt spiritus æthereus in suo decore limpido compareat. Denique portio tenebrarum infima cum cæteris duabus mixta crassior & densior est cæteris, quæ tertio creationis die paulatim centrum versus propulsata illud spatium, quod est inter cœlum & terram sua absentia pulchrum, clarum & delectabile reddit lucis tertii diei mediatione. Quibus liquet, quòd vt tenebrarum primi diei spiritus sit tenuior secundo, & spiritus secundus tertio, ita quidem sequitur, quòd tenebræ primi diei essent subtiliores illis secundi seu cœli ætherei, vt & illæ secundi diei seu ætheris quàm tertii seu cœli aërei. Quo bene considerato, eliciendum est, quòd tenebræ primi cœli seu diei concurrunt ad corporum digniorum compositionem, cuiusmodi erat terra illa ex qua fabricatus erat Adam; vt ex prima & secunda illa ex qua cætera animalia; in quibus lux ignea habet suum dominium: vti tenebræ secundi cœli ad plantarum corpulentiam conficiendam concurrunt. Denique tenebræ densæ ipsius cœli infimi constituunt corpora mineralium. Quare sequitur, quòd spiritus primarum tenebrarum vita æterna illuminatus sit animalium internum, & præter hoc donum Deus etiam ipse ex sapientiæ suæ sacrario in faciem hominis inspirauit afflatum intelligentiæ; quod arguit Iob in isto sermone: *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis intelligere facit eum.* Hinc ergo est, quòd bruta ratione minimè carere possunt, vtcunque Philosophi more suo eam vocant metaphoricam, atque etiam agnoscunt ipsi, quòd ignis dominetur in regno animali: nam ab abundantia lucis in hoc spiritu, ipse Empyreus dicitur, quasi igneus: nec enim credo ego quòd hominis internum à natura angelica differat, vtpote quod cùm sit de spiritu Empyreo condensato, est quasi speculum quod afflatum Dei lucidum suscipit: spiritus verò cæterorum animalium densior est, & ex illo tenebrarum medii cœli præcipuè cum pauxillo illius primi contextus. Iob.9.6.

Ad regnum verò vegetabile quod attinet, eius quidem internum est de spiritu tenebrarum medii cœli, & consequenter de natura magis aërea & aquea, vt ipsius externum est de tota tenebrarum mole, quod quidem vt primum verbi sigillum acceperit, plantæ consistentiam, vt illud præcedens est in animalis, transformatur; quod quidem sic confirmat Propheta: *Deus reuelans fundamentum è tenebris, creans cœlos, extendens eos, firmans terram & quæ ger-* Iesai.42.

Iudith.16. *minant ex ea, dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.* Et Iudith ait: *Deo seruiat omnis creatura, quia dixisti & facta sunt, misisti spiritum tuum & creati sunt.*

Denique regnum minerale suam accipit corpulentiam magis densam & compactam à tenebris infimis, seu cœli infimi, & spiritum suum à spiritu tali, qui est de natura aquea & terrea: vnde corpus habet tam compactum & nihilominus igne liquidum: fit enim hoc regnum ex aqua grossa iuxta omnium Philosophorum doctrinam, quam *Mercurium* dictitarunt suum. Atque ita habetis trium regnorum rationem tam externam, quàm internam.

Hinc igitur apparens esse videtur, quòd succus tenebrarum primarum spiritualis migrauerit in sphæram igneam seu aëris summitatem, ipsamque animauit; atque radicem suã habet in Oriente, cuius præses est solaris ille Archangelus magnus, qui vim suam habet super omnes angelos ventosos, qui *ascendens ab Oriente imperauit Angelis vim in ventos habentibus, vt minimè nocerent terræ & mari atque arboribus, quousque signauerat seruos Dei in frontibus.* Atque ista est ratio, quòd ab hac mundi quarta, seu cardine vita datur, solque vitæ mundanæ fons die quolibet oriri gestit. Succus verò tenebrarum mediarum spiritualis, sedem suam tenet in spatii sublunaris medio, hoc est occupat aëris partem medianı, de natura partim humida & partim calida participantem, habetque radicem suam in meridie, cuius præses est Archangelus *Vriel*, arguens per nomen suum dispositionem igneam, cum spiritu humido æqualiter mixtam: nam in spiritu præcedente ig[illegible] lux habet dominium, vtpote ad cuius compositionem videntur partes duæ lucis seu ignis diuini concurrere ad vnicam spiritus lucidi: quare ex Planetis in naturali suo statu Iouem, in præternaturali ♂ cum Ioue sibi vendicat. Denique succus tenebrarum infimarum magis subtilis transit in sphæram aqueam, quæ est infima cœli aërii portio, habetque radicem suam in Occidente, in qua quarta ☾. & ♀. ex stellis *Raphael* ex Angelis bonis dicitur habere dominium. Horum succorum spiritualium fæces resultant in corpus terreum, cuius regio superior ab animalibus, media à plantis, infima à mineralibus frequentatur. Hæc massa tenebrosa in cardine Septentrionali fixit suam radicem, à qua effectus sui Saturnini, frigidi, sicci, stiptici & contractiui sortiuntur: eius autem præses robustissimus & angelicus est *Gabriel* iuxta Rabbinorum doctrinam. At verò veniam concedentibus bonis istis ventorum præsidentibus, spirant insalubriter ab istis quartis antesignani quatuor Satanæ, videlicet quatuor principes dæmoniorum nocentes in elementis, videlicet *Samael* igneus à ventis Orientalibus, *Azazel* aëreus à Meridionalibus, *Azael* aqueus ab occidentalibus, & *Mahazael* à septentrionalibus; nam hi videntur esse quatuor illi ventorum præsides, de quibus loquitur Apocalypsis. Hinc ergo oriuntur meteora in mundo tam tenebrosa, quàm lucida: hinc etiam fit, vt eorum meteororum alia sint salubria, ab angelis videlicet sanis & beneuolis orta, alia verò insalubria, ea scilicet, quæ ab angelis maleuolis & percutientibus sunt deriuata, atque infeliciter satis exagitata.

Apoc.7. (margin, beside "per omnes angelos ventosos")

Apoc.7. (margin, beside "lypsis")

Concludimus igitur, quòd ea meteora tenebrosa vocamus, in quibus frigida sicca, aut terrestris, cuius radix est in ventis Septentrionalibus, aut frigiditas humida & aquea, cuius radix est in ventis Occidentalibus, dominium & excellentiam habet: nam vt in succo supremarum tenebrarum lux haberet dominium, vtpote ad cuius constitutionem duæ lucis partes concurrunt cum vnica tantummodo naturæ humidæ, vnde fit vt hic succus elementum ignis faciat, ita quidem in succo tenebrarum mediarum lux & natura humida æqualiter concurrit; estque quasi igneus aër; sed quia humida natura patitur, calida verò agit; ideo quidem caliditas habet denominationem: vnde fit, quòd in ambobus hisce cardinibus cum suis collateralibus, videlicet Orientali & Meridionali, meteora producta calida & æstuosa dicimus. At verò quoniam in natura succi tenebrarum infimarum vnica caliditatis portio cum duabus humidæ naturæ concurrit, ideo illũ cum vento à sua radice aquea, videlicet Occidente flante, frigidũm in gradu submissiori asseueramus, & consequẽter meteora ab eius radice producta tenebrosa in remissiori gradu dicimus: nam frigiditas est tenebrarum & quietis qualitas, vnde aquæ respectu aëris sunt condensatæ: atque ob istam rationem ad quietem magis quàm aëra sunt pronæ; sunt enim in primo gradu dissolutionis rei illius quam Septentrio congelauit. Atque ob istam rationem in hoc vento est regni tenebrosi initium, quatenus in eo duæ sunt materiæ, tenebrarum filiæ, portiones pro vnica lucis; nam si vnica lucis portio aquæ non inesset, immobilis prorsus maneret, habet enim aqua motum suum à pauxillo ignis aërei qui ipsi occultè includitur. Denique quoniam omnium tenebrarum fæces (ex quarum appositione & concretione terra ad modum humoris melancholicis excreuit) sunt extremè frigidæ & siccæ, & earum radix est in Septentrione; ideo meteora ab illa quarta deriuata, absolutè tenebrosa


brosa sunt dicenda, vtpote quorum radix est maximè frigida, & à radiis solaribus remota. Atque hæc est ratio, cur meteororum morbosorum alia dixi esse tenebrosa, alia frigida, iuxta fundamenta illa nostra in macrocosmo lucida & tenebrosa, à me haud inconsultè stabilita.

Nec quidem hîc negligendam puto diligentem Instrumenti nostri experimentalis obseruationem hac in re, quoniam in ipso non modò horum ventorum distantias, & conditiones distinctas, verùm etiam elementorum & morborum tam spiritus, quàm corporis ab ipsis ortorum siue natorum demonstrare possumus. Vt igitur videtis mundum in hemisphæria duplicia esse diuisum, atque iterum eorum quodlibet ita in sua natura & dispositione esse dispositum, vt quando vnum est brumale, alterum est æstiuale; ita quidem illud brumale seu hyemale, haud inconsultè nocti macrocosmicæ retulimus, vt è regione aliud æstiuale diei; quod ergo designat noctem, tenebrosum anni spatium dicimus, vt & aliud lucidum & diurnum:

Hinc ergo liquet, quòd vt hoc sit calidum magis, quippe in quo æstas & venti calidi iuxta naturæ leges magis dominari solent, ita quidem illud est frigidum magis, quoniam in eo hyems & frigus, ventique vel frigidi & sicci, vel frigidi & humidi exuberant. Ob istam ergo rationem hemisphærio hyemali in partem occidentalem & septentrionalem distinximus: At verò quoniam locus in microcosmo, in quo æquator lineam eclipticam secat, est temperatus in humiditate & caliditate, ergo Africum applicuimus gradui 2. hemisphærii septentrionis siue hyemalis; nam hic ventus quoniam magis ad Austrum spectat, humidior est & maiori caliditate imbutus: deinde Fauonium gradui 3. quoniam est frigidior; & Corum ad illum 4. quatenus ad septentrionem propinquiorem: tunc Circium ad gradum 5. vtpote magis ad humiditatem occidentalem parumper spectantem comparauimus: Boream ad 6. & Aquilonem ad 7. atque ibi hyemalem latitudinem compleuimus. Iterum in hemisphærio æstiuali ventos meridionales per gradus 2. 3. & 4. expressimus. At quoniam Auster Africus est propinquior cardini occidentali, & consequenter non ita calidus vt Auster, ideò ipsum hemisphærio hyemali proximum posuimus, vt è contrario Euro-Austrum super 4. eiusdem hemisphærii, quoniam inclinat magis ad caliditatem Euri. Denique gradus illius hemisphærii 5. 6. 7. ad Eurum Subsolanum; & Cæcium relationem habent: imò verò ipse Auster, atque eius venti collaterales admodum in hemisphærio æstiuali siue meridionali profundè petunt; vtpote qui plerumque cum ventis orientalibus conueniunt, vel quiescentibus septentrionalibus admodum in calore madido exultant: nam anno penultimo 1628. mense Decembris vento Austro-Africo spirante, & Aquilonaribus silentibus, aqua ad gradum vsque 5. & 4. hemisphærii meridionalis descendebat: at verò post paucos dies spirante Circio eleuata est illa vltra punctum 1. & ad punctum 3. & 4. hemisphærii septentrionalis ascendebat: atque demum quiescente vt plurimum Austro ad 5. 6. 7. & vltra pyramidis illius basim sursum tendebat.

His ergo sic dispositis iuxta harum quartarum & ventorum diuisionem & conditionem morbos tam animi quàm corporis in propriis suis sphæris seu regionibus disposuimus, vti in demonstratione ista subsequenti luculenter explicatum reperietis.

Morborum cùm Animi tùm Corporis iuxta ventorum in ipsis dominium, systema.



Iam

Iam vero ad meteotorum morbidorum tenebrosorum ab arca radicis septentrionalis thesauraria ortorum descriptionem progrediar:

CAPVT II.

De meteoris morbosis, siue morbis tenebrosis in genere, à radice septentrionali deriuatis: Quid sit meteorum, & quotuplex: Denique in eo etiam probatur, quod, quicquid est sit vel ventus, vel ex ventis.

Morbi, seu meteora morbosa ex parte seu radice septentrionali sunt vel

- Venti simplices, in quib. duo veniunt notatu digna, videlicet eorum
  - Natura; vel
    - Primaria videlicet illa venti
      - Cardinalis, Boreas dicti, quæ est æqualiter frigida & sicca
      - Ex collateralibus.
        - Occidentalis, Circij dicti, quæ est magis frigida; minus sicca.
        - Orientalis, Aquilo dicti; quæ est frigida minus; sicca magis.
    - Secundaria est
      - Astrictiua, seu contractiua.
      - Austera.
      - Acerba.
      - Acida.
  - Effectus
    - Naturales efficere, quorum est ex
      - Elementis, massam terream constringendo
      - Complexionibus; melancholicam
      - Quartis anni, Autumnum
      - Ætatibus, senectutem.
    - Præternaturales & maligni, nam in
      - Animo gigunt dispositionem
        - Siccam.
        - Melancholicam.
        - Solitariam.
      - Corpore
        - Horrores excitant.
        - Faucium duritiem faciunt.
        - Asperitatem & rugositatem generant.
        - Desiccant humores.
        - Aluum indurant.
        - Contrahunt neruos, & cõsequenter neruorum actiones tollunt.
        - Vrinæ difficultatẽ faciunt.
        - Oculos pungunt.
        - Labiorum & cutis fissuram faciunt.
        - Aurium dolores / Partiũ atrophiam — afferunt.
        - Pectoris & costarum dolores excitant & augent.
        - Pulmonum dolores augmentant.
        - Phthisicis obsunt.
        - Tussim exagitant, præsertim vbi pulmones sunt debiles.
- Ex ventis mediante aëre compacta; de quibus *cap huius 3.*

Quod meteora in effectu sint passiones tam macro, quam microcosmi, cum præternaturales, tum naturales, statim authoritate literarum sanctarum ostendam: sed imprimis quid sit meteoron, paucis hic declarabo.

Peripatetici volunt, quod meteoron sit corpus quoddam imperfectum ex vapore aut exhalatione, calore cœlesti sursum in aëris regione attractis, compositum, in quibus quasi matrice communi apparere, viuere & nutriri dicuntur. At literæ Sanctæ aliter atque Aristoteles, de meteori natura sentiunt; vtpote quibus docemur, quod meteoron sit substantia quædam corporea, ex aëris occulto, vel in proprietate diuini numinis contractiua, vel dilatante, in forma lucida aut tenebrosa edita, atque ad voluntatem diuinam tam in creaturarum beneficentiam, quàm flagellum in manifestum producta: Ex qua quidem definitione elicimus, quod causa materialis eius sit aër, siue cœlum; formalis in genere vel lucida vel tenebrosa, efficiens Iehouæ sapientia; vel in proprietate contractiua vel dilatante: denique ad complendam voluntatem diuinam tam in mortalium beneficium, quam in eorum infortunium. Materialis causa sic confirmatur. Deus sapientia sua *aptat pondus aëri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum.* (Iob. 28. 25.)

Quo sermone inferre videtur scriptum sacrum, ipsum aërem esse materiam vel nubium, vel pluuiarum, vel fulgurum, quod quidem subiectum commune, vel contractione, vel dilatatione in species meteororum pondere & mensura differentes alteratur: hinc ait textus, *Deus sapientia sua aptat pondus aëri, &c.* Sed hoc etiam commune meteororum subiectum confirmat hic Moysis sermo, *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos dando pluuiam terræ tuæ suo tempore, &c.* (Deut. 28. 28. Psal. 135. 7.) Vbi per thesaurum suum intelligit aërem, qui est arca Dei thesauraria, quod in eo expresse declarat, quoniam thesaurum suum dicit esse cœlos, vbi per cœlos aërem intelligit: hinc alibi, *Educit ventum è thesauris suis:* (Iob. 38. 22.) Et alibi, *Peruenisti in thesauris niuis, & in thesauris grandinis inspectationem habes, &c.* formalis sub nomine nubium, fulgurum, ventorum, & id genus aliorum vbique in Biblio veritatis exprimitur.

Efficiens etiam vbique in eodem; *Iehoua dat niuem sicut lanam, & pruinas sicut cineres dispergit, Nubes expandit pro tegumento, aperit thesaurum suum, & dat pluuiam, vt antea. Roris guttas, & glaciem seu pruinam cœli parturit; Tonat de cœlo Iehoua, excelsus edit vocem suam, Ignis de ore eius volabat; & , Præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, & sic in cæteris.* (Psal. 147. Psal. 105. Iob. 38. 28. 2. Reg. 21.)

Denique finalis ex sensu verborum horum Iobi, *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgura, quodcunque præcipit Deus, istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad terrorem, siue ad faciendam beneficentiam, efficit vt præsto sint.* (Iob. 37. 8. Baruch. 6. 60.)

Iam vero ad membrorum distinctionis huius explicationem sic progredior. Quod venti Septentrionales sint tenebrosi, simul atq; rationem eiusdem epitheti in *capite præeunte* declaraui; at vero, quod ventus Borealis in simplici sua natura insalubri morbidus est; imò verò & ipse morbus, tam ex sensu literarum sanctarum, quam Medicorum & philosophorum ethnicorum authoritate *infra* ostendam: hic autem restat ventorum simplicitatem, & quod sint omnium tam elementorum, quam ex elementis cum imperfecte, tum perfecte mixtis seu compositis radices atque origines explicare.

In *huius tractatus proœmio* indicaui, res omnes esse à vento, seu spiritu deriuatas, videlicet spiritus increatus seu afflatus lucidus ab *Elohim Ruach* emissus, angelici spiritus omnes creati ab afflatu illo increato, qui est eorum dux & radix, venti ab angelicis illis spiritibus, qui sunt omnium sublunarium, cum spiritualium, tum corporalium fundamenta, materia horum omnium spirituum sunt aquæ subtiles creatæ, quæ à prædicto Spiritu sapientiæ seu emanatione diuina (quæ & *Elohim Ruach* dicitur) gubernatur, & in distinctas spirituum species distinguitur, vtpote, qui ventus, seu spiritus sacer *extendit cœlos, conuertit eos in gyros, aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, ponit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum, & producit ventos è thesauris suis.* (Esai. 42. 5. Esdras 4. Iob. 28. 25. Ierem. 51. 15.) Hinc ergo spiritus mundani in suas regiones diuisio; videlicet in illam empyream, quatenus in ea spiritus hic lucidus abundanter habitat, eamque illuminat sempiterno suo afflatu coruscante, eius substantiam creatam suo actu viuifico vltra captus humani leges attenuat, vnde præualet in ea lux, adeo vt lux creata & spiritus empyreus dicatur: deinde in illam æthercam, spiritus cuius est mediocriter cum virtute eius lucida animatus: quare & æther quasi igneus aër dicitur; consistentia cuius non est adeò tenuis ac illa cœli lucidi seu ignei, quoniam actus spiritus diuini non est in eà tam efficax vt in superiori: at vero tam ampla est eius in eo virtus, vt à corruptione videatur præseruari; vnde æther incorruptibilis esse existimatur. Denique in minori sui vultus lucidi proportione adest aëri inferiori, vtpote in quo spiritus humidus, qui est tenebrarum proles, vtpote materialis dominatur super lucis actum: quare in ista regione præualet materia: atque hinc accidit quod spiritus iste sit cæteris magis spissus ac densus & consequenter mutationibus & alterationibus est ista regio admodum obnoxia. Hanc etiam regionem

gionem pro maiori aut minori ſpiritus, ſeu afflatus lucis ſuæ diuinæ præſentia in elementa, ſeu ſtationes natura diuerſas diſtinguit, dictus *Elohim Ruach.*

His igitur bene ponderatis atque perſpectis, habemus in mundo actorem principalem, radicalem & primarium *Elohim Ruach* ſcilicet, ſeu ventus, afflatus atque ſpiritus diuinus: habemus & actores ſecundarios, ſeu inſtrumentales, qui ſunt venti angelici, quos principalis & primarius ad placitum ſuum complendum centraliter agitat, vt & hi ventos aëreos creant & excitant. Deus ergo *Elohim Ruach* illuminat, mouet & prouocat ſpiritum angelicum in regione empyrea, in qua & ex qua mediante afflatu *Elohim Ruach* creantur & ad voluntatem diuinam in inferiora peragendam deſtinantur: deinde angelica iſtiuſmodi organa igneo *Elohim Ruach* afflatu ſic animata curam habent ſphærarum, atq; ignium ætheris rutilium, ſuſcipiuntque immediate influxus voluntatis diuinæ, quos ipſe Deus per has luces iterum in inferiora infundit, ventoſque efficiunt atque excitant, qui ſunt actores inſtrumentales ſecundi ordinis. Hoc ergo modo increatus ſpiritus per ſpiritus mixtos gubernat ſpiritum creatum, eumque vel rarefacit vel condenſat pro placito ſuo: at vero materia paſſiua in qua verſatur actio diuina, & variformiter ſecundum inſtrumentorum ſuorum diuerſitatem exercet ſe, eſt generalis aquarum creatarum maſſa, cuius inuiſibile generale eſt ſpiritus, ſeu ventus, ſeu aër vniuerſalis, & cœlum dicitur; eius vero viſibile, aut terra tenuis; quæ & aqua viſibilis eſt, aut denſa, quam Philoſophi aquam denſam dictitarunt.

Quod omne hic concludit Apoſtolus, *cœli erant prius, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo, &c.* hoc eſt, tam ſpiritus vniuerſalis diuiſio, quam craſſi fæcalis à ſubtili ſeparatio, ſpiritu ſeu afflatu ſeu emiſſione æterna effecta, atque in eo ſtatu quo prius in hunc vſque diem ſuſtentata eſt, mediantibus vehiculis, ſeu organis diuerſis. 2.Pet.3.5.

Quibus rite perceptis, videmus, quod materiale omne ſit nihil aliud, quam ſpiritus, ſeu aër, vel condenſatus vel rarefactus: omnis autem condenſatio eſt ex raro, vt & rarefactio eſt rei denſæ. Hinc recte ait Hermes, *Quod eſt ſuperius, eſt ſicut illud, quod eſt inferius*; cuius quidem rei veritatem ſic experieris. Comburatur lignum grande, & quaſi nihil reſidui inuenies, aut ſaltem valde parum, quod ignis ſubtiliatione in ventum ſeu fumum non conuertetur. Porro & calcinatione & diſſolutione ipſæ fæces in ſalem, & ſal in ſpiritum aëreum reduci ſolet: quo arguitur, quod omne groſſum eſſet prius ſubtile & inuiſibile, quoniam omnis res finire ſolet in eo à quo initium ſuum duxit primum: at groſſum reſoluitur in aërem, Ergo, aër erat prius; iuxta illud Apoſtoli ſæpe à nobis antea repetitum, *Per fidem credendum eſt, quod ea quæ ſunt viſibilia, fuerint prius à rebus inuiſibilibus.* In quo etiam ſenſu ſic loquitur Sapiens, *Deus omnipotens manu ſua creauit mundum ex materia inuiſa*; iuxta tranſlationem Hieronymi: at interpretatione Tremellij, *ex materia informi*: talis enim eſt Chaos aëreum, quod quotidie per cuiuslibet venti angelici afflatum de nouo creari, atque informari videtur, adeo vt nunc aquea, nunc terrea, nunc aërea, nunc ignea eſſe dignoſcatur. Sed præter hæc omnia, quis dubitat quin cœlum, hoc eſt, ſubtile, præcederet terram & maria, hoc eſt, groſſum, in ordine creationis? Quare certum eſt, & citra dubitationis aleam ſtabilitum, vt omne quod eſt, nihil aliud ſit quam ſpiritus paſſiuus creatus, per ſpiritum actiuum increatum variformiter temperatus & gubernatus: nam vt aër denſus nihil ſit præter aquam, vt & aqua denſa præter terram, ita quidem aër ſubtilis eſt igneus ſpiritus ſeu ventus: atque omnes hæ vnius ſpiritus creati alterationes, ab vno ſpiritu (vt diximus) increato procedunt, qui cū mundum ad ſui ipſius imaginem fecit, vt & hominem ad mundi iconem, ſequitur, quod totum creationis ſubiectum in ſua radice ſit ſpirituale, vtpote ad exemplar archetypi creatum, imò vero ab vnica eſſentia diuina extractū, & ſpagyrica verbi ſeparatione atq; operatione, in ordine, numero, & menſura diſpoſitum. Sequitur ergo, ꝙ omne mundi ſubtile & ſimplex ſit aër ſeu ventus magis aut minus diuina præſentia inſpiſſatus; & cōſequenter ꝙ omne mixtum ſit aliquid ex varijs prædicti aëris vnius portionibus conflatum atq; conſtrictū, operantibus ventis angelicis quorum eſt efficere verbū: ſic creati ſunt angeli varieformes in cœlo ſummo; ſic ſtellæ ſpecie & qualitate differentes in cœlo medio, ſic denique meteora in cœlo infimo multiplicia, atq; ex ijs finaliter perfecta mixta in regno animali, vegetabili & minerali: ſic ex vento vnico & catholico, aëre nempe quaſi materia generali, & per ventū angelicum quaſi forma, à vento ſeu ſpiritu ſumo increato deriuatā, creata atq; cōpacta ſūt omnia tā perfecte, ꝙ imperfecte miſta, ſiue inclinant ad ſalutē, ſiue ad corruptionē & diminutionē tendūt, qualia ſunt meteora tam ſalubria, ꝙ inſalubria; de quib. hic præcipue agemus, quorum ſeminaria inuiſibilia ſunt ipſi morbi: atque hæc ſeminaria vbiq; in aëre expanſa partim per aëris inſpirationē, mediante oris vehiculo, ad pulmones, partim ad cerebrū per nares, partim in partes carnoſas per poros, & deniq; per vniuerſa corporis organa, videlicet per neruos mediante aere in cerebro, per arterias mouente & ducēte aëre in corde, & per venas vehente aëre per

poros

poros attracto, atque etiam per nutrimenta cibi & potus, quæ participant de aëre corrupto, more occulto, Deo sic volente introducuntur.

Exod.23.25. Iob.20.23. Quod etiam intendit Moyses per hunc sermonem, *Colite Iehouam, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui, &c.* & postea *ibi* exprimit maledictionem: hinc ergo & alibi; *Cum impius esset impleturus ventrem suum, in eum Deus iram suam æstuantem immittit, quam impluit in eum loco cibi, &c.*

Est autem aër benedictus cibus quidem spiritualis, & maximi momenti, sine quo ne minimo quidem temporis momento perdurare queat animal. Porro sciendum est, quod omne meteoron, siue sit salutare, siue maledictum; à Deo & eius organis procedit, & ad benedictionis seu maledictionis suæ in terram effectus procreandos ordinatur, iuxta illud

Iob.37.8. viri patientis, *Turbo, frigus glacies gelu, nubes, pluuiæ, fulgura, &c.* quodcunque præcepit Deus istis faciendum in superficie orbis terrarum, siue ad flagellum, siue ad terram suam, siue ad

Eccles.39.31 beneficentiam, efficit *vt præsto sint, spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormina sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit eum illos confundens, ignis, grando, fames & mors omnia hæc ad vindictam creata sunt, bestiarum dentes, &*

Baruch.6. *scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios in mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & temporibus suis non præteribunt verbum.* Et Propheta ait, *Deo obediunt per omnia diligenter, Sol, Luna, sydera, fulgur, spiritus, nubes, ignis, &c.* Et *alibi* ait, *Iehoua accensus est ira in vos, ita claudit cœlos vt non sit pluuia:* hoc est, vento suo Boreali vel pellit nubes, vel vento suo calido & sicco accendit aërem, eiusque madorem desiccat. Porro quod à plaga Australi Deus secum ducat in iracundia sua pestem *infra* declarabitur. Hæc ergo sunt meteora morbida macrocosmi, ex seminarijs quorum in microcosmo meteora consimilia procreari solent; vti in morbis Epidemicis seu populariter grassantibus lucide ab Hippocrate & Galeno confirmatur.

Denique ex his, quæ iam sunt dicta, patet, quod omne in hoc mundo non sit aliud, quam ventus, aut subtilis & magis simplex, aut grossus & ex ventis duobus, vel pluribus compactus: nam quid obsecro in hoc mundo excogitari potest, quod de venti natura non resonet? ventus enim est quod inuisibiliter spirat cum strepitu, ventus est quod flammat in igne, quod fulgurat & coruscat à nube, quod vocem tonitruum edit, quod aëris substantiam conflat, quod nubes ex aëre, seu mare ventoso compingit, quod niues, gelu, grandines, pruinam, pluuiam atque rores efficit, quod suspendit meteora in altum, eaque vehit in aëre, quod aërem in nubem; nubis ignem & aërem in lapidem ceraunium coarctat & coagulat, qui aquam facit ex vento seu aëre, & iterũ ventus qui subtiliatione aërem in ventum redigit: stellarum consistentia est ventus seu æther, à vento ventus talis condensatus huc atque illuc dicitur: est ventus qui ab hisce massis igneis spiracula ventosa tam felicia quam infelicia in inferiora impluit: vento quasi ventosa agitantur animalia, ventus loquitur, ventis mouet; ventus viuit; venti sunt angeli, *Elohim Ruach* est Sapientiæ spiritus, qui est ipse Deus. Denique venti sunt omnes spiritus interni, & quæ sunt externa & visibilia ab hisce ventus sunt compacta. Quibus sat liquido demonstrari videtur, quod quicquid est, aut simplex tam salubre quam insalubre, aut insalubre morbidum mixtum, totum illud est vel meteoron ventosum, vel quod ex ventis compactum seu compositum est: talia sunt meteora infelicia in macrocosmo, talia sunt eorum proles in microcosmo, vt infra latius declarabitur.

CAPVT III.

De ventorum Borealium natura, & conditione tam primaria, quam secundaria, cum in macro, tum microcosmo.

CVM autem duo sint in re qualibet à diligenti naturæ scrutatore indaganda, & inquirenda, videlicet natura seu conditio, & effectus eiusdem, intuitu paulo accuratiori quæ sit ventorum septentrionalium proprietas imprimis perquirere nos decet: quare diligenter peruolutatis antiquorum voluminibus, ventos hos tam primarijs quam secundarijs facultatibus esse præditos percipimus, atque virtutem eorum primariam in frigiditate & siccitate intensis consistere docemur: quod quidem præter antiquorũ testimonia, atq; ẽt experientię do-

Iob.3.78. cumenta à literis sanctis docemur: *Ab Arcturo* (inquit Iob) *egreditur frigus flante Deo concrescit*

Psal.147.16 *gelu, &c. niues emittit ipse sicut lanã, & pruinã sicut cineres dispergit: coram frigore eius quis consistat?* Quibus manifestum est, imprimis, quod radicalis ventorũ septentrionalium author, frigidę proprietatis fons atq; scaturigo, sit spiritus Iehouæ ab Arcturo spirantis: deinde quod plaga Borealis

lis sit locus, à quo extrema frigiditas spirante Deo emittitur in spiritum mundanum: tertio quod istiusmodi frigiditas sit frigida sicca, quoniam spiritum mundanum in niues & pruinas constringit, fluminaque & lacus glacie coarctat: & vt ista mundi quarta in ventos tres distinguitur, quorum vnus est principalis & cardinalis, qui in æqualitatis gradu existit frigidus & siccus, quatenus æqualiter distat à cardine orientali & occidentali, ita quidem duo eius venti collaterales ab illa eius media temperie aliquantulum aberrare percipiuntur: nam vt eius collateralis dexter magis ad occidentem vergit, ita quidem occidentis humiditas siccitatem ipsius parumper deprimit & mitigat, vnde magis est Circii flatus frigidus, minus vero siccans: è regione eius collateralis sinister, & ad orientem tendens obseruatur esse mitior in frigiditate, quam in siccitate. Quocirca perspicuum est, quod isti venti effectus tam salubres quam insalubres aliquantulum inter se differentes producere solent: Denique quod intolerabiles & naturæ humanæ, seu vitæ (quippe ex humido radicali & calido innato in æquilibro constanti) sint contrarii, manifestum est, quoniam frigiditas intensa est hostis lethalis caliditati moderatæ, & siccitas humiditati temperatæ: hinc ait textus, ***Coram frigore eius quis consistat?*** Atque ita habetis qualitatem horum ventorum primariam à Biblio sacro stabilitam, videlicet, quod sit frigidum & siccum in intenso & immoderato gradu & ordine.

Primus etiam gradus scalæ naturæ ipsorum secundariæ confirmatur à pagina sacra loco videlicet *superius* allegato, quo perfecte instruimur, quod proprietas frigoris borealis sit contractiua, quatenus ipsius est congregare, astringere, condensare, contrahere & coagulare res tenues & subtiles, videlicet aerem in nubes, nubes in niues, rores in pruinas, aquam & pluuias in gelu, &c. *flante Deo* (ait Iob) *coarctantur aquæ*, &c. De hac eius natura multis in locis mentionem facit Galenus, nam in vno sic, *Qualitas astringens cogit vicina corpora, constringit atque refrigerat*: & iterum, *Astringendi vis in austeris maior, in acerbis minor.* *De alim. fac. l. 1. c. 7.* *De cibis boni & mali suc. 11.*

Secunda proprietas, quam profert iste flatus, est austeritas, de qua Galenus, *In austeris astringendi qualitas est remissa, in acerbis intensa*: & *alibi*, *Austera & acerba iuxta magis & minus differunt, astringuntque vtraque.* *De cib. bon. & ma. suc. 11.*

Tertia est acerbitas, quæ quidem cum austeritate videtur esse vel gradus proprietatis contractiuæ, quod etiam Galenus in his, *Terrestres sanguinis partis dum colliquescunt venas contrahunt vel resiccant, & si asperiores fuerint acerba, minus autem aspera austera dicuntur*; atque quod *astringens est id quod austerum.* *De simpl. med fac. l. 4. 6.* *De simplic. med. fac. l. 1. cap.*

Proprietas quarta est aciditas, *frigiditatem* autem *acidam* dicit Galenus *esse tenuium partium, vt contractiua & astringens est crassarum.* *Ibid. c. 2.*

Hic autem sedulo est obseruandum, quod istæ tres vltimæ proprietates accidere solent in humoribus & succis: quare ad simplicem venti Borealis simplicis naturam non ita proprie pertinent (quoniam ex ventis variis conflatæ atque procreatæ sunt) ac illa contractiua, de qua tot verbis *suprà* sum vsus, de qua Galenus hæc, *Contractum in seipsum est*, ac si dixisset, contractio est à circumferentia in centrum reductio: at Deus dictus est *centrum, cuius circumferentia est nullibi*: quare ipsius est radicaliter se in se contrahere, ex se, & seipsum dilatare pro libito. *Aphor. 7. 35.*

Quomodo autem sapores isti à ventis, seu elementis variis, & in qua proportione dominantur Boreales, siue spiritus terreni in iis, *capite 6. tractatus 1. sect. 1. part. 3. libr. 5. Tomi mei præcedentis* (in quo saporum systema luculenter expressimus) quam clarissime reperietis.

Quippe in quo percipietis
- Acidum esse substantiæ subtilis complexionis frigidæ parum septentrion. multum occid. mediocriter austr. & parum orient. sed reuera aciditas melancholica plus habet de septentrione, illa vero pituitosa minus.
- Acerbum, seu constipatum substantiæ temperatæ, complexionis frigidæ mediocriter septent. parum occid. parum austr. multum orientale.
- Ponticum, seu Austerum substantiæ grossæ, complex. frig. multum septent. parum occid. parum austr. multum Orientale.

Caput IV.

De effectibus ventorum Septentrionalium maleuolis.

VT homo ex interno & externo cõflatur, ita quidem intelligere debemus, quod eius externum se habet ad internum vt terra in macrocosmo ad cælum: in cælo igitur seu aere procreari solent meteora tam ventosa, quam ex ventis, eorumque effectus communiter versantur in rebus terrestribus; vnde fit vt in ipsa etiam terra meteororum effectus percipiantur, & in corpore terreo quandoque procreentur, vti in Typhone seu igniuomo ipsius spiritu, terræ motu, & similibus videre liceat: non longe aliter res sese habet in spiritu, seu cælo, aut aere microcosmico, quippe in quem impressiones seu seminaria meteororum macrocosmicorum clanculo irrepunt, & de nouo generantur, propter necessariam illam propinquitatem, imo vero continuitatem, quæ est inter aerem, siue spiritum vnius & alterius mundi: ac pariformiter corpus humanum non solum prauis aeris sui impressionibus quandoque infestatur, verum etiam maleuoli nutrimenti seminaria recipere, eaque in suum proprium damnum in vitæ vasa perfundere cogitur, vnde morbos in eo truculẽtos sæpius procreari videmus: nam spiritus hominis aereus, cum ab aere mundi omni momento nutriri atq; recreari cogitur, necessario sequitur quod qualis est aeris mundani temperies, talis etiã erit illa illius humani; spirante ergo vel Borea, vel Circio, vel Aquilone, aeris mundani temperies mutatur in conditionem terrestrem, qui aer se iungens & vniens cum illo hominis, ipsum quidem mutat vt plurimum in suam naturam, & consequenter per aerem corpori inclusum sic alteratum corpus siue terram etiam humanam mutat, tam à natura sana in conditionem infirmam, quam à constitutione morbida in sanam. Sequitur ergo, quod maleuoli Borealium flatus effectus tales quandoq; proferant tam in spiritu, seu animi exteriore, quã in corpore: & primum notamus, quod venti septentrionales in spiritu hominis aereo seu animo parturire soleat dispositionẽ, siccam melancholicam & solitariam, quatenus propter frigiditatem & siccitatem eorum faciunt temperiem vitæ, quæ in æquali portione calidi & humidi existit, inæqualem.

Gal. de Hipp. & Pla. dog. l. 3. cap. 4. Aph. 3. 10. Const. l. 5. cap. 7. Hinc ergo concludit Galenus, quod ***animæ morbus sit partium ipsius simplicium inæqualitas***; & quoniam Autumnus (teste Hippocrate) sit de natura venti Borealis, videlicet frigidus, siccus & inæqualis, ideo dicit ipsum morbos melancholicos producere quatenus illius est bilem atram, & consequenter omnes passiones exinde orientes procreare. Pro morbis autem corporis, quos proferre solent Boreales, Isidorus ait ***ipsos corpora indurare***; & Constantinus, cui adstipulatur Galenus, ait, quod Boreas faciat tussim propter pectoris siccitatem *Gal. in aph. l. 3. 6. Hipp. l. 3. 3. & 6.* corporis asperitatem efficit & rugositatem, per suam frigiditatem & siccitatem neruos contrahit, membraque dolorifica reddit, actiones eorum tollit, desiccat & congelat humores tam internos, quam externos, phthisicis grauis est, nam asperitate sua lædit pulmones, pustulasque in iis facit: fauces duræ ab eo fiunt, quippe à quo refrigerantur & exiccantur, affert difficultatem vrinæ, tremores, horrores, dolores laterum, febres subitaneas, cerebri grauedinem & melancholiam, desiccat ventrem, pungit oculos, dolores pulmonum auget, lippitudines parit, & grauedines, & huiusmodi alia. *Aph. 3. 14.* Quæ omnia obseruatione diligenti perceperunt isti Ethnici à flatu Boreali prouenisse: at vero internam rei illius rationem, videlicet, quod essent flatus Iehouæ deorũ Dei termaximi mediantibus organis suis angelicis, prorsus ignorauerunt. Sed ad meteora septentrionalia ex ventis sermonem meum iam conuertam.

Caput V.

Meteora insalubria ex ventis ventosa, sed non contagiosa, hoc in capitulo describuntur.

VEntorum septentrionalium naturis sic enucleatis, ad meteororum illorum in vtroque mundo ex ipsis mediante aere compactorum descriptionẽ nunc pergemus. Cum ergo ventus per se sit nihil aliud, quam spiritus mundi aereus luce angelica vel occulte, vel manifeste animatus, atque huc vel illuc pro catholicæ mundi vitæ, seu animæ voluntate agitatus *Iohan. 3.* (vnde Euangelista, ***Spiritus spirat vbi vult***) sequitur quidem, quod ipse vel condensatione à consistentia sua mediocri, in substantiam aqueam aut terream conuertatur, vel rarefactione in

in igneam migret conditionem. At quoniam aeris in media ſua conſtitutione ſit propter leuitatem ſuam recedere, locum dare & fugere coram ventis, atque ita ſtatum ſuum minime mutare, niſi in motu, ſeu fuga ſua impediatur, ſic quidem neceſſe eſt vt obſtaculum præſe inueniat, cuius reſiſtentia retineatur, quo venti natura melius in eius condenſatione per partium ipſius appoſitionem pergat: hinc euenit, quod locis, vbi montes reperiuntur proceri, quaſi Alpinis, ventorum actione ex vna parte, & montis alti ſubiecto ſiue iugo, viam aeri fugienti negante, ex altera, aer ante ventum volans à vento comprimatur in nebulam prius, & tum poſtea in denſam nubē, quæ ſolari radio, vel ſcopuli, ſeu montis calore in pluuias redigitur, etiam aere ex omni parte, præter quam in illa ſola, ſereno & claro permanente: ſic quidem duo vel plures venti more oppoſito vel tranſuerſo flantes aerem intermedium in nubes aut ſimplices, aut coruſcationibus & tonitru mixtas compingunt: nam duo vel plures venti poſſunt ſimul flare, tametſi ipſorum fortior ſibi vendicat denominationem. Quare tametſi ſit certum, quod ventus ſeptentrionalis aliquis cognoſcatur niues & grandines parere, tamen hoc præſtare nequit, niſi ventus aliquis vel oppoſitus, Auſtralis videlicet, vel tranſuerſalis, ſiue ſit ab oriente vel occidente, ad cælum in conſiſtentiam nebuloſam condenſandū mediocri ſuo flatu opituletur, & tunc talis nubes vento Boreali in niues vel grandines mutari notatur. At ſi ſolus Borealis aliquis, nullo aſſiſtente alio ſpirare percipiatur, nubes potius ſua ſiccitate tollere atque pellere quam ipſas procreare fertur, vnde à philoſophis ſerenator appellatur. Quibus euidens eſt, quod ventorum ſeptentrionalium afflatu, aſſiſtente more vtcunque occulto alio vel oppoſito vel tranſuerſali, aer vel condenſatur, & congelatur, vel in humorem craſſum & lentum, vel in ſubſtantiam magis ſolidam & denſam eſt compactus, id quod videre liceat tam in micro, quam in macrocoſmo: at vero vbi non fit duorum vel plurium ventorum occurſus, ibi quidem ventus hic ſimplex aerem vtcunque in media ſua conſiſtentia permanentem in terream conuertit diſpoſitionem, eumq; frigidum & ſiccum reddit, imo vero & in aquarum ſuperficie terrarumque facie eoſdem etiam producit effectus, vt in glaciei & pruinæ productione, ſereno & puro exiſtente aere apparet.

Hinc ergo certum eſt, quod cum hominis natura tam aerea, quam humoralis & terrea dependeat ab illa mundi, quippe à qua ortum ſuum habet, & omni temporis ſucceſſione ſuſtetatur & fouetur; ſequitur, quod (vtcunq; hominis ſpiritus, humores & mēbra calore naturali reficiantur) tamē ab aeris externi ſtatu quodammodo de diſpoſitio in diſpoſitionem alteretur, & q; per conſequens, effectus cuiuslibet venti macrocoſmici operetur, & per ſeminaria ſua in aere externo diſperſa ſpiret tam inſalubriter, quam ſalubriter pro ratione venti, in ſpiritu quaſi aere, in humoribus quaſi aqua, & in corpore quaſi terra microcoſmi: quod etiam videntur Galenus & Hippocrates agnoſcere in pluribus ſuorum voluminum locis, & præcipue in *aphoriſmis*. *Hyems* (inquit Hippocrates) *ſicca & Aquilonia, ver pluuioſum & auſtrale, æſtate facient febres acutas, lippitudines, dyſenterias, &c. At ſi æſtas fuerit ſicca & Aquilonia, autumnus vero Auſtralis & pluuioſus, dolores capitis ad hyemem fiunt, tuſſes, raucedines, grauedines, & quibuſdam tabes: ſi vero hyems Auſtralis & pluuioſa & clemens fuerit, ver autem ſiccum & Aquilonium, dyſenteriæ & lippitudines ſiccæ, & diſtillationes fient quæ cito interiment. Aquilonius & ſiccus naturis humidioribus & mulieribus confert: reliquis vero lippitudines ſiccas, febres acutas & grauedines, nonnullis etiam & atram bilem profert.* Porro *alibi* plenius ſic. *Quotidianæ conſtitutiones Aquiloniæ quidem denſant, & robuſta, & bene mobilia, colorata & melius audientia faciunt, & aluos exiccant, & oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſederit, dolorem augent.* Atque infinita alia antiquorum teſtimonia proferre poſſum, quibus doceamur, quod non modo ipſa elementa, verum etiam ipſius anni quartæ à naturali ſuo ſtatu & conditione alterentur à ventis, mediantibus quibus mercurialis mundi aer more Protei in omnes elementorum & anni quartarum imagines quotidie iuxta primarii ſpiratoris voluntatem alterari obſeruatur: atq; etiam agnoſcere ingenue videtur Hippocrates quod ſpiritus in corporibus ſequantur ad amuſſim aeris & conſequenter ventorum temperiem, tam in legibus ſanitatis, quam in illis præter naturam: fatentur ipſi, quod bilis atra flatu Aquilonari procreatur, & quod humores in frigidam & ſiccam naturam ipſius ſpiraculo mutantur.


Aph. 11. lib. 3.
Aph. 13. lib. 3.
Aph. 12. lib. 3.
Aph. 16. lib. 3.

Totus igitur intentionis meæ ſcopus in *huius ſecundi libri* conſequentia erit, ex mentibus Galeni & Hippocratis probare, quod venti cardinales ſint morborū origines, & quod ſtatus totus tam macro, quam microcoſmi, tam inſalubris, quam ſalubris à quatuor ſpiritū flatibus, & meteoris ab ipſis procreatis dependeat: atq; etiam in hoc oſtendam quod iſti medici Ethnici, tametſi experientia docti, rem ita ſeſe habere ſint faſſi; tamen quia in profunda eius ratione rationes ſuas immergere nequiuerunt, ad principia & fundamenta à ventis orta ſe reſtrinxerunt, videlicet frigidum, calidum, humidum & ſiccum, quæ ſimplicia vo-

cauerunt, atque ita ſcientiam medicandi imperfectam ſtatuerunt, ac inuenerunt, vmbram magis quam veritatem, ſeu corticem, quam nucleum male accipientes, videlicet aut elementum, aut qualitatem eius, pro ipſo qui agit & conuertit & gubernat ſecundum voluntatem ſuam cum elementa, tum qualitates eorundem per miniſtros ſuos ventoſos: Atq; ab huiuſmodi rei neglectu, ſiue ignorantia euenire quidem ſolet, quod medicina hæc Galenica, ſeu Hippocratica ſit adeo fallax & incerta, vt *infra* latius.

In *tertio* ergo *tractatus huius libro* meteora vtriuſque mundi morboſa in ſuas ſpecies iuxta doctrinam & teſtimonium Biblij ſacri diſtinguam, in quo opere non ſuperficialiter more Galeni & Hippocratis, ſed radicaliter, & vſque ad primum morborum & meteororum actum, & miniſtrorum eius angelicorum myſterium me immergam. Sic ergo reſpectu ad doctrinam ethnicam habito, ad *huius libri ſecundi* conſummationem pergam.

Meteora microcoſmica ex ventis compacta ad imaginem illorum macrocoſmi, in quibus dominatur Aquilo ſeu Boreas, aut Circius, ſunt vel non contagioſa, vel contagioſa; quorum genera cum ſuis ſpeciebus in diſtinctionem ſubſequentem reduximus.



Meteo-

Meteorologicos ex ventis istiusmodi haud inepte in ventosos primo loco distinximus, quoniam ex ventorum, siue oppositorum, siue transuersalium occursu aer in fumosam seu nebulosam substantiam redigitur, in qua quidem ipsius existentia spiritum humanum magis perturbare solet: nam similia in similia quam facillime agunt & impetrant tam ad corruptionem, quam ad generationem: at ipse vitæ spiritus ex quatuor ventorum naturis constare videtur per verba Prophetæ, *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla istos interfectos vt reuiuiscant.* Quibus indicatur, spiritum vitæ non aliter ex simplicibus quatuor ventorum spiraculis constare, quam ipsum corpus ex quatuor elementis (quæ ex ventorum simplicium flatibus procreari videntur) conflatum dignoscitur. Vt igitur in clementi Iehouæ dispositione spiritus ex quatuor ventis in vnum congregatis ad vitam & generationem, imo & ad regenerationem ac resurrectionem confert, ita quidem idem spiritus Iehouæ in sua seueritate contrarium volens, ad morbũ, corruptionem & interitum tendit: nam spiritus vnus ad voluntatem patris perficiendam siue in creaturæ malum, siue in eiusdem bonum semper adest paratus. Ezech. 37.

Meteora ergo in macrocosmo ex ventis septentrionalibus ventosa, per corporis mundi minoris meatus, ad animi siue spiritus aerei eiusdem medullam quandoque penetrare docemur: vnde certum est, quod meteora talia ex influxu maleuolo procreata possint infirmitates tam spiritui humano, quam corpori afferre: & primum vt cum morbis illis quos in spiritu humano generare solent verba faciam perpauca; in primo loco sciendum quod tales morbi à Galeno dicantur *animi morbi*: morbum a. animæ vocat *inæqualitatem quandam & discordiam simplicium earum inter se partium, quarum æqualitas animæ sanitas dicebatur:* atque hæ partes nullæ aliæ sunt, ex Platonis opinione, quam irascibilis, rationalis & concupiscibilis, quæ circa spiritum humanum versantur. His igitur prius cognitis intelligendũ est, ꝙ quamuis sit in cuiuslibet venti borealis potestate has passiones in spiritu hominis aereo parere, videlicet tam collateralium, quã cardinalis, tamen quoniã obseruamus horum ventorũ naturas iuxta eorũ positionẽ alterari, vel in frigiditate, vel in siccitate; ergo has sequentes passiones ventis magis (vt mihi videtur) appropriatis adscribam: necnon & rationem cur ita faciamus depromã. Vt ergo Circii naturã non pari gradu esse siccam, ac est in sua frigiditate, quoniam occidenti, & consequenter soli est propinquior, ita quidẽ passiones animi magis segnes & tardas de natura aquæ pene congelatæ ei retulimus, cuiusmodi sunt solitudo, metus, siue timor, mœror, tenebrarum amor, societatis hominum odiũ, &c. de quibus particulari er, ꝙ scribũt Galen. & Hipp. verbo iam dicam. De Hipp. & Plat. dog l 5. cap. 4.

Melancholia ex atra bile, humore frigido & turbido fit, vnde melancholici tenebriones & lucifugæ tristes apparent, de omnibus suspiciosi, hominum consuetudinem oderunt; solitudinibus gaudent, corda sua edentes, & hominum vestigia vitantes: Hæc Galenus. *Introd. med. cap* 14. Etiam de attonitis in timore loquitur Hippocrates *Aph.* 7. 14. & *Aph.* 6. 23. Atra bilis significatur timore & mœstitia longo tempore perseuerantibus. Similiter vt Aquilonis natura est aliquantulum inæqualis, quatenus ipse non sit tam intense frigidus, propter eius ad orientem, & consequenter solem propinquitatem, ideo ei has passiones animi tenebrosas adscripsimus, tametsi ipsæ etiã cæteris duobus referri queant, videlicet desperationem, inuidiam, suspicionem, mentis alienationem, & spiritus perturbationem: nam vt Aquilo in sua positione respiciat orientem, ita naturam eius atræ bili, seu melancholiæ adustæ retulimus, cui vt plurimum ascribuntur dictæ passiones. Introd. med. cap. 14. Aph. 6. 23.

De his Galenus in hunc modũ (vt *supra*) *Mentis alienatio duplicem habet speciem, hanc maniam vel insaniam, illam melancholiam vel atram bilem vocant. Melancholia ex atra bile, humore frigido & turgido, vnde melancholici tenebriones lucifugæ & tristes apparent, de omnibus suspiciosi, hominum consuetudinem odientes, &c.* Introd. c. 14.

Pariter vento cardinali passiones istas assignauimus, videlicet tristitiam, grauedinem & ignorantiam, de quibus Galenus *loco prædicto.*

Atque hæ animi passiones malignæ, vt sunt ventorum tenebrosorum & cõtrahentium, seu constringentium fructus primi ordinis, ita quidem eorum effectus consistit in cordis contractione, quam tenebræ sequuntur, vti passiones bonæ ipsis contrariæ in eius dilatatione consistunt, cui lucis visio succedit: atq; passiones hæ bonæ sunt lætitia, spes, confidentia, amor, humanitas, &c. Gal. 1. de Diff pulsuũ. Auic. 2 primi doct 3. sum 2. c. 1. 2. 3.

Denique pro morbis, seu meteoris ex vento Boreali cum aliis compactis, quæ corpora male afficiunt, quædam Circio, propter rationes ante allegatas, quædam Aquiloni & nonnulla Cardinali, Boreas dicto, ascripsimus, tametsi eorum quælibet, satis apte considerando eius naturam, cuilibet eorum vento referri queant. Concil. diff. 82. Auic. de med. cordia cap. 7.

Ratio a. cur morbos istos vertiginosos & turbulentos à grossis & compactis flatibus Circio retulerimus, est quoniã natura Circii, vti volũt Philosophi, est facere vẽtorũ gyros,

&turbines procreare: quare ipsi imprimis morbos in microcosmo tales esse referendos existimaui, videlicet scotomia atque vertigo, qui morbi sunt eiusdem farinæ, similiter suffocatio matricis, conuulsio seu spasmus, iactitationes, tremor, &c. vtpote qui ex ventis grossis, frigidis vtplurimum & siccis, tempestuoso & tumultuoso more tam viscera quam genus neruosum vexantibus oriuntur. Galenus de scotomia & vertigine sic, *Scoto-*
4.Acut.42. *mia est tenebrosa vertigo, quæ fit ob inordinatam spiritus flatuosi motionem, qui vel in capite localem habet generationem, vel sursum ex infernis fertur partibus;* Et *alibi, Est tenebrosa vertigo, quando si-*
4.Aph.17. *mul res conspectæ videntur circumuolui, & ægrotus tenebras sibi circumfundi videtur.* Hic est epile-
Introd.c.14. psiæ vtplurimum præcursor: quare & epilepsiam à melancholia sub hoc vento comprehendi putamus, vt & suffocationes matricis: hinc Galenus, *Caligo oculorum & vertigo epilepsiæ cognata, & ab iisdem causis prodeunt.*


Sed quoniam de qualibet horum morborum particula discurrere, nimis foret longum, ad alia progrediar: nam hoc in loco nobis de morborum differentiis leuiter & breuiter egisse sufficiet.

2.loc.aff.2. lib de rer. aff dig c.3. Boreæ ergo, ventum melancholicum stuporem & sternutationem siccam applicaui, & præcipue flatum melancholicum, qui est spirituale caput & princeps in hac plaga ex meteoris ventosis. De stupore ergo sic Galenus, *Stupor est insignis refrigeratio, quæ motus & sensus difficultatem inducit.* Estque adhuc stupor, cum neruus aliquo obstruente vel astringente cogitur.

Aquiloni insaniam, siue mentis alienationem, febrem quartanam, icteritiam ni-
Introd.14. gram, morpheam nigram, ructus acidos attribui, & huiusmodi alia. De mentis insania
6.Aph.54. Galenus sic, *Mentis alienatio duplicem habet speciem, hanc maniam vel insaniam, illam melancholiam vocant, constituitur circa totum caput: fit melancholia ex atra bile humore frigido & turbido, vnde melancholici tenebriones ac lucifugæ tristes apparent de omnibus suspiciosi, hominumque consuetudinem oderunt, solitudinibus gaudent, ipsi cor edentes hominum vestigia vitant.*

CAPVT VI.

In quo meteora morbosa, ex ventis tam liquida, & ex liquidis solida explicantur.



Acida (ait Galenus) *tenuitate pollent corporis, sed perinde vt astringentia refrigerant.* *De simpl. med. fac. l. 4. cap. 5.*
Et *alibi, Est bilis atra malignior vitellina, estq. vel radens vel acida, est acris more aceti.*
Et *alibi. Atra bilis frigida & sicca est, acida & grauissima, sedem habet in liene: mista cum sanguine ille crassus, ignauus & digestu difficilis redditur.* *De facul. natura l. 2. c. 9.*

De humore melancholico, qui de super assata bile fit (quem bituminosum vocat) atque etiam de illa adusta & putrida piruita fit, simul ac de fœculento sanguine mentionem facit ipse *in eodem loco.* *Finit. med. cap. 2.* *Finit. med. cap. 2.*

Porro de harum succi melancholici specierum natura ipse sic *alibi*; *Niger succus qui non efficit ebullitionem & fermentationem terræ est naturalis: at qui efficit, vt acida & radens melancholia, est præter naturam, hoc est adustione caloris non naturalis naturam adsciuerit, ac veluti cinis quidam redditur: sic fœx vsta à non vsta dissidet; illa namque admodum calida est adeo vt carnem vrat, liquet & corrumpat: altera nondum vsta terræ figulari, & aliis quæ simul siccandi & refrigerandi facultatem habent. In atræ bilis vstæ speciem vitellina vertitur, quoties ipsa igneo percocta est calore. Quod autem admodũ crassum est, & terreũ à liene trahitur.* Hæc Galenus, atque haud à proposito nostro. *De fac. nat. l. 2. cap. 9.*

Quo videre possumus, quod vt ab vstione ad cineres est progressus primum à flamma ad carbonem candentem, & ab illo extincto vel ad nigredinem, vel ad cineres, quæ est vltima meta, ita quidem sole in puncto Subsolani venti, seu æquinoctio vernali hemisphærium Boreale inflammare videtur, in tropico cancri, seu puncto à quo Cæcius flat, instar carbonis accensi cremore: vnde & locus à quo Aquilo spirat, polaris videlicet circulus, carboni extincto comparatur; vt & cineres (qui sunt instar niuium) polari seu cardinali puncto à sale in illis cineribus humiditatis tantillo occidentis in Circii puncto, in lentum & crassum humorem resolui incipiunt: in Coro agetur dissolutio, in Fauonio conuertitur in aquam, in Africo nubis densæ habebit illa aqua consistentiam, quoniam in eo calor meridionalis subtiliando parumper agit, in Austro Africo nebulosam habebit constitutionem, in polo Australi exacte vaporosam, in Euro-austro magis subtilem & dilatatam, in Euro igneam recenter accensam, & in Subsolanum tandem perueniens, & circulum suum perficiens in igneam migrabit perfectionem: inde arguendo operis philosophici in summi boni acquisitione processum. Melancholia ergo ab adustione magis cernitur ab Aquilone, eius gradus extremus est Boreas, & melancholia pituita à salsa & adusta se habet vt cineres seu sal, in grossam aquam liquefactio lenta. Porro etiam fæx sanguinis & melancholia Elementaris ad sedem polarem refertur, vtpote à qua flatus tam sereni vel naturales quam tenebrosi & turbidi emittuntur.

Denique secundum bilis atræ membrum, videlicet illa quæ fit per translationem, ex his Galeni verbis colligimus. *Sanies* (inquit) *quæ ex sanguinis serosa substantia existit, mitis, quæ ex atræ bilis substantia, acida & fera est.* *De Hipp. & Plat. dog. lib. 8. cap. 6.*

Ex hisce ergo humoribus meteora componuntur magis solida & sicca, non aliter, quam ex aqua seu liquore multiformi salia congelatione multiformia, videlicet vitriolum, sal, alumen: & iterum ex his Colcothar, alumen vstum, quæ iterum resolutione in liquores acidos & causticos resoluuntur, variumq; in corpore humano producunt effectũ.

De horum humorum differentium generandorum ratione legeris clariori stylo in capite illo, vbi de pituitæ generibus mentionem fecimus, videlicet *cap. 4. particula huius libri sequentis.*

At iam de meteoris istis grosso modo liquidis ex humoribus prædictis procreatis, verba faciam paucissima. Hippocrates ait, quod *atra bilis à flaua faciat insanias satis furiosas:* similiter *alibi* quod *appetitus caninus fit vel propter intemperaturam frigidiorem vel propter humores acidos quos exorbuit os ventriculi.* Porro Apoplexias & conuulsiones, atque etiam oculorum cæcitates fieri tam à melancholia, quam à pituitare, &c. Ergo tam à Circio, quam à Coro, quippe quorum hic est aquæ grossioris fons, quatenus eius flatus mediocriter gelidi congelatur, est enim latus septentrionale cardinalis occidentalis, ille vero admodum lentum & viscosum reddit humorẽ. De morbis longis, seu Chtonicis à melancholia, seu atra bile & pituita, loquitur Galenus *Introd. c. 14. & Aph. 1. 12.* Porro etiã quod dysenteriæ eueniant post hyemem aquiloniam, præcipue vere sequenti existente Australi, testatur Hippocr. *Aph. 3. 11.* Et iterum, *Dysenteria siue intestinorum difficultas, si à nigra incipit bile, mortifera est, quia malignior acriorque viribus est nigra bilis.* Pro catalepsi sic, Si refrigeratio cerebri fortis mista fuerit humiditati, facit lethargicas passiones, cum siccitate vero eas, quæ Græco vocabulo catalepseis, i. deprehensiones vocantur. Denique de atrabiliosa morborum reliquorum conditione sic loquitur ipse in *Aph. 2 lib. 4. Color totius corporis ad nigredinem tendens, pustulæ nigræ ex atra bile, elephas, cancer quartanus, lien magnus, varices denigratæ, mentis deliria quæ ira, temeritas & inanitas sequitur; sunt signa atræ bilis.* *Aph. 6 55.* *Aph. 2. 21.* *Aph. 6. 56.* *Isagog.* *Aph. l. 3 11.* *De fac. nat. l. 2. cap. 9.*

Meteora

Meteora ex ventis borealibus solida, quæ ex liquidorum concretione oriuntur, sunt
- Gangræna.
- Verruca.
- Tophi seu nodi.
- Cancer.
- Scirrhus.
- Hæmorrhoides.
- Tubercula.
- Durities corporis cum refrigeratione.

Gal. de tum. p.n.c.15. De Gangræna sic scribit Galenus, *Gangrana est solidorum corporum mortificatio qua magnas inflammationes sequitur.*

De comp. phar. secundum loc. lib. 10. cap. 4. De nodis atque tophis sic, *Arthritis seu podagra ex pituitoso & bilioso humore simul fit: qui humores si diutius in articulis commorentur crassi fiunt & viscosi, & tunc in tophos & callos rediguntur.* Quibus elicere fas est, decoctione longa pituitam illam aduri quandoque, & consequenter in vnius melancholiæ speciem reduci.

tum. præt. nat. cap. 10. Aph. 2. l. 4. Pro Scirrho sic, *Vt œdema ex pituita tenui, ita scirrhorum genus vnum ex crassa & glutinosa pituita, aliud est fæx sanguinis, quem nigrum dicunt: est & alia species qua atra bilis dicitur, ex hac specie cancer, ex illa scirrhosum genus.* Et alibi vnum ex atræ bilis signis facit cancrum.

Aph 6.11. Porro etiam asserit ipsas hæmorrhoides esse ex atra bile.

In 1. prorrhet. Hipp. com. 2. 45. Denique pustulas vlcerosas, tubercula, & id genus alia, quandoque ex melancholia prouenire asseuerare videtur *alibi.* Pro corporis duritie sic Hippocr. *Corporis refrigeratio cum duritie malum signum.*

CAPVT VII.

In quo ventosa ex ventis septentrionalibus meteora contagiosa describuntur.

VT quidem in plaga meridionali meteora tam contagiosa, quam non contagiosa procreari obseruantur, ita quidem res sese habet in plagæ septentrionalis meteoris: non enim solet aer corruptus inhabitare quartam meridionalem solummodo: & quamuis quis replicare queat, quod corruptio, seu purtedo consistat in humido & calido, at vero plaga septentrionalis habet flatus frigidos & siccos; Ipsi ego sic respondeo, quod illud verum sit in consideratione ventorum septentrionalium per se, at vero quatenus venti australes præbere solent materiam, seu subiectum aereum, circa quod contractiui flatus Boreales versantur; ita quidem sulphureus & corrumpens calor in aere illo meridionali tanquam anima in suo spiritu seu corpore delitescit: sic quidem Euro-auster flatu remissiori aerem quasi pabulum vento Circio ipsi opposito & fortius spiranti præministrans, fiunt nubes, quæ sæpius tonitrua & fulgura prædominanter spirante Circio emittunt. Hinc ergo obseruatum est, quod vt Circius sit niuium & ventorum coagulator, ita quidem quandoque fulminosus & pestifer obseruatur esse, atque etiam facit ventorum gyros, vt postea libro huius sequenti lucidius dicetur. Sed quod contagiosa etiam meteora in microcosmo patiat septentrio, ex hisce elucebit.

Ventosorum septentrionis Contagiosorum
- Vnicum est Princeps, vt Lepra & Elephas.
- Cætera de principis natura participantia vt
  - Psora eaque vel
    - saniosa
    - sicca.
  - Impetigo.
  - Vitiligo nigra.
  - Tinea.
  - Porrigo.
  - Scabies.
  - Lippitudo.
  - Pruritus.
  - Pustulæ vlcerosæ.

Pro

PRo natura Lepræ & Elephantiasis obseruate hæc Galeni verba, *Elephas est melancholica affectio primam generationem ex sanguine melancholico habens.* *Tum.præt. nat cap.5.*

Atque pro his omnibus *alibi* sic, *Scabies, Lepra & Elephas melancholici sunt affectus.* Porro *Introd.c.15.* quod Lepra sit passio melancholica testatur Hippocrates. At vero Impetiginem & pruri- *Aph.l 7.41.* tum à pituita salsa & bili procreari ait: atque etiam psoram & tineam à pituita etiam sal- *Introd. 24.* sa; vitiliginem autem ab atra bili.


Concludimus hoc in loco breuiter, cum meteoris istis microcosmicis septentrionalibus ab eius liene principaliter exspiratis; quæ ideo probauimus esse Borealia, quoniam ad temperiem frigidam & siccam tendunt, tametsi ipsorum nonnulla à caliditate, vel salsedine suum sortita sunt principium, alia à frigoris extremo. At quia videmus necessario, quod nihil quod spiritum mundanum in frigidum & siccum alteret præterquam flatus Boreales, aut quod recipit naturam ab iis; ita quidem nihil est in spiritu microcosmico, quod Borealem habet in se naturam, nisi quod de natura sit Boreali: & consequenter, quicquid est crassum, viscosum, glutinosum, lentum & lucidum, liuidum ac nigrum, ac denique melancholicum, necesse est, vt illud ortum habeat suum à ventis Borealibus: quod quidem euidenter in eo comprobatur, quia ipsorum solum est densum, opacum, crassum, graue & compactum reddere: nam ventorum orientalium & meridionalium est subtilia reddere, &c.



LIBRI SECVNDI
PARTICVLA SECVNDA.
De Morbis, seu meteoris Occidentalibus.

CAPVT I.

De ventorum occidentis simplicium natura.



IN *Particula præcedente* egimus, de primo vento tenebroso cum suis alis: iam verò restat vt de vento tenebroso secundo verba faciamus cum suis collateralibus: nam ignorare non debetis, quod in *præcedentibus* ventos illos dictitauerimus tenebrosos, in quibus frigiditas terrea maius sibi vendicare videtur dominium, cuius est ex aere claro & subtili res opacas &

cas & densas facere : sic Boreas aerem in niues, pruinas & gelu: sic Fauonius cum suis aërem in aquas, quæ aëre sunt opaciores & magis compactæ.

Dicimus ergo, quod ratio cur Fauonius sit in simplici sua natura æqualiter frigidus & humidus, hoc est in mediocri aquæ consistentia & dispositione se habet, est quia in medio inter polum & polum existit, hoc est de extreme frigida Boreæ natura & æstuosa Austri flatu participat, & consequenter in medio existit quasi inter aerem & terram: quare & mobilem suam humiditatem habet ab aere meridiei æstuoso, & frigidam suæ condensationis rationem à septentrione. At vero ex collateralibus ipsius, Africum ideo fecimus magis humidum & minus frigidum, quoad nos, quoniam propinquior eius situs ad plagam Australem, à qua spiritus æstuosi propter ipsorum per æquatorem transitum, ad nos accedunt: at omnium elementorum humidius æstimatur aër. Quare sequitur quod istius venti proprietas sit minus refrigerare, quam Fauonius, & magis quam ipse humectare.

Denique Cori natura, (qui est Septentrionalis Fauonii ala) est magis frigida & magis sicca, quam eius collateralis, quoniam propinquius accedit ad polum Septentrionalem, quam Fauonius: atque hinc est, quod hic est pituitæ, seu phlegmatis mucosi, viscosi & crassi sedes, vt postea declarabitur.

Ad qualitates horum secundarias quod attinet, percipietis paucis, quid de ipsis existimet Galenus. Vt ergo pituita sit de natura aquea & ad aquā in macrocosmo rite cōparatur, ita quidem vt aquam in eo vel salsam, vt illa marina, vel acidam, vt illa fontium acidulorum, vel dulcis & iucunda, vti etiam aquæ nonnullæ fontium, vel insipida, cuiusmodi est aqua illa communis, vel fontium vel fluminum: ita quidem iuxta Galeni normam, pituita quæ forti fit frigore, solet vt plurimum esse acida, quæ à caliditate replente caput salsa: quæ vero fit pauca frigiditate, vel paucam dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatē habet, pro natura qua prædita est vel dulcis, vel acida dicitatur. Iam vero cum humor aqueus in angulo occidentis catholico quasi aquarum fonte dominium suum habet, credendum est, quod natura aquea in illo puncto mediocritatem in sua temperatura habet inter calorem meridionalem, & frigora Septentrionalia, vnde temperies eius est æqualis, & consequenter vel ad dulcedinem, vel insipiditatem inclinans. At vero si de natura Boreali frigida & sicca magis participat, nam eius collateralis Borealis, qui Corus est, & inclinat ad frigiditatem & siccitatem, tunc quidem flatus ab eius puncto spirantes ad aciditatem magis inclinabunt, vt & ille Circius, pituitam magis adhuc acidam & in melancholiæ gradum euadere sentietis. E regione si ad naturam meridionalem inclinauerit magis, & consequenter de solis meridionalis calore magis participauerit, tunc eo magis salsior redditur, quo magis gradatim tendunt flatus ad meridiem, videlicet in Africo (qui est eius collateralis meridionalis) minus, in Austro-Africo magis: nam docet experientia, quod quo directius flat ventus à meridie, eo magis æstuosum reddit aerem. At vero pituita salsa nihil aliud est, quam diuturna actio humoris tepidi in terram calore desiccatam. Hinc ait Galenus, *textu præcedente. Quæ à caliditate replente caput salsa, &c.* Horum saporum ex ventis compositiones in *tomi præcedentis tractatus* 1. *Sect.* 1. *Part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. per saporum systemata demonstrauimus, videlicet,


In Aph. 11. *l.* 3.

Quod {
- Dulcis fit substantiæ grossæ, complexione temperatus, mediocriter septentrionalis siue terreus, mediocriter occident. siue aqueus, multum Australis siue aereus, multum orientalis: at quatenus aqueus de occidente plurimum.
- Insipidus substantia temperatus, complexione temperatus, multum de sepent. multum de occidente, parum Austri, parum orientis.
- Salsus substant. temperat. complexionis calidæ, mediocriter septent. parum occident. parum Austri, multum orientis: at vero in humore multum habet de occidente seu pituita, atque etiam ob corpulentiam suam cum siccitate terrea de septentrione non ita mediocriter.

Capvt

Capvt II.

In quo ventorum plagæ Occidentalis simplicium in corpore humano effectus describuntur.



OMnes qui de ventorum occidentalium natura scripserunt , agnouerunt ipsam esse frigidam & humidam, & nubilosam seu vaporosam : at vero Corum ad frigiditatem & siccitatem, vt & Africum ad caliditatem & humiditatem parumper inclinare , idque propter variam suam vel Boream, vel australem quartam positionem. Hinc ergo sequitur, quod cum euidentia humida ex subtilibus & spiritualibus fieri certum sit, sequitur quidem, quod etiam spiritus in vtroque mundo aeri vires & facultates ventorum spirantium suscipiant: quare vt aer macrocosmicus (spirante vel Fauonio, vel Coro, vel Africo) repletur, & huc atque illuc agitatur spiritibus eorum , & instar Mercurii cœlestis in naturam plane eorum mutatur: ita quidem res sese habet, cum spiritibus animalium, qui cum sint aer, vt ab externo omni momento sustineantur , & consequenter vt ab aere externo quodammodo magis, vel minus alterentur necesse est. Hinc ergo in tempore pluuioso & nubiloso spiritus cum bestiarum, tum volucrium quasi torpescere & contristari percipimus; cum vice versa sereno & placido existente cœlo ipsos magis agiles & viuos reddi, ac lætitia reiterata affici, gaudioque resultare obseruamus.

Porro etiam principale flatus istius dominium est in complexionibus tenebrosis, videlicet melancholica & phlegmatica: atque hinc est, quod Galenus agnoscit pituitosos, & complexione phlegmaticos peius se habere tempore hyemali, hoc est, redduntur torpidi, segnes & mente minus clari, propter frigoris & humorum dominium, in tempore vero æstiuali melius. At vero tametsi res ita se habet in phlegmatico & melancholico; tamen in bilioso aliter contingit, vt pote in quo ignis, siue bilis prædominans humiditati & frigiditati aeris resistit magis : atque itidem in sanguineo, propter fortem in ipso aeris calidi conditionē. Hinc ergo Galenus ait, *biliosos se tempore hyemali melius inuenire.* Vtcumq; siue sit in complexione simili, siue in aduersa, spiritus aereus, qui est animæ pretiosæ vehiculum , redditur humidior, in motu suo tardior & segnior in cœlo frigido & humido, quam in sicco, vel humido & calido.

Ex his igitur effectum horum ventorum in corpore colligere fas erit: nam cum corpus moueri dignoscitur ad morum spiritus ipsius, manifeste liquet, quod qualis est spiritus, tale etiam erit & corpus, quare torpescente spiritu necesse erit, quod corpus etiam segnius in suo motu & actione deueniat, & quod membra ipsius naturaliter sicca efficiantur humidiora & laxiora, & quod aere vaporoso vndique per poros , nares, & os penetrante impleantur, & consequenter reddantur laxiora: ac ratione huius temperiei non

modo netui (quorum est in sua natura permanere sicci, non aliter quam in barbiti chorda videmus) verum etiam partes musculosæ nimio perfunduntur madore, affectionis catarrhosæ & hydropicæ fonticulo & scaturigine, vti *infra* clarius.

CAPVT III.

De meteoris ex ventis occidentalibus mediante aere compactis, quæ non sunt contagiosa, & primum de illis ventosis.

Meteora plagæ occidentalis morbosa ex ventis compacta sunt, vel

- Ventosa, quæ male afficiunt
  - Animũ, vtpote cui inducunt
    - Mentis pigritiem.
    - Somnolentiam.
    - Ad coitum indispositionem.
  - Corpus cui afferũt
    - Febrem quotidianam & epialam.
    - Tympaniditem.
    - Vertiginem.
    - Scotomiam seu oculorum caliginem.
    - Ructus acidos.
    - Sputum spumosum.
    - Ventositatem seu inflationem ventriculi & aliarum partium.
    - Vteri inflationem & suffocationem.
    - Colicam / Iliacam } passionem.
    - Abscessus ex inflatione.
    - Aurium tinnitus & flatuositas.
- Liquida quæ sunt vel
  - Humores de quibus *caput consequens.*
  - Meteora ex illis humoribus, & de istis *caput quintum.*
- Solida, atque de istis tractabit *caput sextum.*

HOc in capitulo de meteoris illis tractare mihi proposui, quæ sunt ventosa, hoc est flatulenta, ex duorum pluriumue ventorum compositione conflata. Ac in primo loco ipsa, quæ impressiones faciunt in spiritum propter vaporosam suam dispositionem ipsum reddunt aliquantulum torpidum, somnolentum, & ad pigritiem inclinatum, quemadmodum in hominum conditione phlegmatica prædita, atque etiam morbis pituitosis laborantium obseruatione & experientia expertum habemus. Hoc confirmat Galenus in hisce, *In pituita inueniemus mentis pigritiem atque torporem, somnos profundos, capitis grauedines, &c.* Præterea tales homines, tametsi multum in coitu possunt, tamen quoniam elementum aquæ magis est passiuum, quam actiuum, ideo parum in venereo illo negotio præstare volunt.

Gal. in Aph. 2. 64.

Porro etiam corpori inferre solent meteora insalubria haud pauca: nam ait Galenus, *Pituitæ putredo igneum calorem accendit: in quibus autem siue partis inflammatione putrescentes humores febrem accendunt: atque febrium istarum differentia est Hepialon, Lipyrian, &c.* Et *alibi*, *Acida vero & vitrea pituita, si per sentientes corporis partes deferantur, sine febre rigores generant: quod si immodica in ipsis fiat putrefactio febrem Hepialam vocatam inducit.* Pro febre quotidiana *alibi* sic. *In pituita febres quotidianæ, &c.* Et *alibi*, *Totum id, quod ex pituita putrescit, febrem accendit, reliquum vero quod nondum putrescit est causa rigoris: atque pituita ista putrescens febrem illam facit quæ singulis diebus accessionem facit.*

Gal. in Aph. 7. 40
De diff. feb. lib. 2 6.
Gal. in Aph. 64.
Diff. feb. l. 2. cap. 6.

Sed hic obiter intelligendum est, quod Galenus hoc in loco fallitur: nam nõ fit febris accensio ex pituitæ putredine, & eius rigor ab eius portione nõ putrida, vt ipse existimauit, sed ex meteori ventosi cõpositione potius: nã si ex validiori spiritus occidentalis portione, & minori illius orientalis, seu ignei conflatur ventosum istud meteoron, tunc more ignis in nube erumpit calor in spiritũ hominũ, eumq; accendit, non aliter quã fulgura aerẽ macrocosmicũ inflammare & accendere videntur: & certe, si rem febrilẽ nucleo tenus introspiciamus, inueniemus meteoron febrile ex abditiori & occultiori principio deriuati, quã à putredine humoris pituitosi: nã si hoc esset, velim vt rationẽ mihi assignet, cur

cur accessus talis certa & determinata hora prouenire soleat, ac si vitam & spiritum haberet in se pituita ad rem tam exactam & suo tempore definito perficiendam. At istiusmodi Galeni inuentio cum illis Aristotelis haud male conuenit, vtpote qui putauit, tonitrua & fulgura à contingentibus exhalationibus & vaporibus in mediam aeris regionem vi solis corporumque cælestium eleuatis prouenire: cum reuera Deus per angelos suos ventos, & ministros suos vrentes hæc præstare atque perficere solere nos doceat totius veritatis scaturigo. Sed de huius rei mysterio planius & vberius, vbi de efficiente morborum causa agemus.

Sed & hanc nostram sententiam confirmare videtur Hippocrates, vbi docet, quod pituitosis magis superueniunt febres, quando hyems sicca & Aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum & Australe. Quo sermone agnoscit imprimis, quod venti sint authores febrium, & tum postea, quod febrile meteoron ex variis ventis oppositis fiat: deinde hoc idem in effectu innuere videtur, quod proposuimus; nam constitutio occidentalis fit ex æquali mixtione meridiei & septentrionis, non aliter quam aqua de natura terræ & aeris participare solet. Hinc ergo ex ventorum oppositorum occursu videlicet Aquilonis & Austri fit compositio caloris aerei cum frigore terrestri: quare dum spiritus Aquilonaris habeat dominium adest rigor, at cum æstus Australis erumpat, tunc fit calor febrilis. Eadem est ratio inter oppositos alios ventos Cardinales, videlicet Fauonium & Subsolanum, atque etiam collaterales; ex varia, quorum seminariorum mixtione proculdubio tot in microcosmo producuntur febrium species, vt suo loco luculentius explicabimus. Nonne etiam pura & nuda veritate confessus est Hippocrates ipsos humores à ventis profluere & deriuari, vbi verbis expressis pituitam & phlegma in temporibus pluuiosis procreari fatetur? Et *alibi*; *frigidiores & magis pituitosi humores generantur in multitudine pluuiarum, vnde alui profluuia ex humorum abundantia in iis temporibus, & febres diuturniores.* Concludimus ergo, quod si pituita à ventis procreatur, (nam tempus cum pluuiosum, tum serenum de ventis dependent) omnes etiam morbi à pituita procreati. At, dicit quis, quomodo procreari possit pituita à ventorum regimine, cum pituitam vel acidam, vel salsam, vel dulcem, vel insipidam inueniamus, vnde hæc? Anne à ventis? Efficiam ego vt ipse Galenus huic dubio respondeat: *Pituita* (inquit) *quæ à forti frigiditate fit acida euadit, quæ à caliditate salsa, quæ à pauca frigiditate vel paucam dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem habet.* Quibus colligere fas est, quod venti Boreales, atque etiam Corus, qui est collateralis Borealis ad cardinem occidentalem, suis frigiditatibus maioribus, aut minoribus pituitam, vel intentius, vel remissius acidam reddunt: Australes vero & Eurus salsam, occidentalis autem dulcem & mediocrem; nam taliter se habet ventorum respectus ab vno extremo ad aliud, & vtriusque ad medium, in quo consistit æqualitas temperiei, vt speculi nostri Calendarij obseruatione elucet, quæ talis dicitur à Galeno *naturalis & salutaris*, è contra vero acidam & salsam ait *esse inutiles & præternaturales*, vt *infrà* latius. Sed ad propositum.

Aph. 3. 16. *Aph. 3. 7.* *Gal. in aph. 3. 16.* *Gal. in aph. 3. 12.* *De nat. fac. l. 2. c. 9.*

Pro Tympanitide sic Galenus. Vt in Hydrope Ascyte aquæ multitudo, ita in Tympanite ventosa. De vertigine & Scotomia sic, *Scotomia, hoc est tenebricosa Vertigo fit ob inordinatam spiritus flatuosi motionem.* Ob eandem etiam causam fit Vertigo, sed in remissiori gradu, vt *ibi* etiam *loci* habetur. Similiter ait *alibi*, quod *ructus omnis & consequenter acidus sit flatus excretio per gulam*, vt & flatus ille qui per intestinum rectum secernitur: quem ructum acidum à pituita acida originem suam duxisse *alibi* asserit. Abscessum etiam inflatione à flatuoso spiritu collecto nasci atque procreari narret, idque varieformiter, cum alius sub cute, alius sub membranis, quæ ossibus circumdantur, aut musculos, viscusue aliquod includunt. Porro (inquit) *colligitur in ventriculo & intestinis, & in medio spatio horum & peritonæi, fiuntque à pituitoso succo*: matricis etiam suffocationem à fonte frigido caloris luctatione fumum emittente fieri agnoscit ipse: sic etiam Colicæ & Voluuli passionem fieri à flatu intestinis inuoluto, qui quoniam exitum non inuenit, dolores vehementes, & tormina excitat, atque istius flatus scaturiginem facit pituitam frigidam, & præcipue vitream, quæ cum loco calido obstruitur, dolores maximos citat. Porrò sunt etiam abscessus, qui inflatione ex flatuoso spiritu collecto nascuntur, teste ipso Galeno *loco antea citato.* Denique ipsum flatum ventosum exitum non habentem perficere aurium tinnitum & dolorem, *alibi* asseuerare videtur.

De tũ. prat. nat c. 20. *Gal. 4. acut. 42.* *Comm. 5. in 6. de morb. vulg. 4.* *Aph. lib. 6. 1.* *Meth. lib. 4. cap. 7.* *De diff. resp. ca. 10. & 6. loc. aff. 5.* *Introd c. 13. & 2. loc. aff. 5.* *De diff. feb. l. 2. 6.* *Secund. loc. l. 2. c. 1*

CAPVT IV.

De meteoris liquidis ex ventis occidentalibus, & in primo loco de humoris phlegmatici, siue pituitosi in sua membra diuisione.



QVemadmodum in macrocosmo videmus, quod ex aere, seu vento fit vapor nebulosus, & ex illo vapore fit nubes, & ex nube fit aqua, ex cuius tum postea coagulatione fit viscus quasi limus densus, nam transit aer in aquam, & aqua in consistentiam terream; ita quidem in microcosmo res se habet, nam ex spiritu suo in naturam venti occidentalis mutato fit vapor nubilosus, seu meteoron aut impressio frigida & humida, ex illo pituita substantia tenuis, quæ tum postea transit vel frigoris dominio vel caloris insultu in substantiam crassiorem. Et vt in macrocosmo videmus aquam vel frigore quasi glaciali fieri, vel propter loci qualitatem acidam, vel salsam, vel dulcem, aut insipidam, ita quidem res sese habet in pituita mundi minoris, quæ non aliter à ventis in spiritu suo mouentibus & dominantibus regitur quam aqua in mundo maiori: vt & aqua ex vapore simplici, hoc est ex prædominatione vnius venti, vel ex composito, qui ex duorum vel plurium occursu fit, vnde tales vapores meteora ventosa ex ventis appellauimus, ita quidem pituita se habet in corporibus nostris, nam si magis sit simplex, & in natura media consistat (vti in instrumento nostro demonstratiuo patet) tum est in sua qualitate temperata, hoc est neque ex vna parte nimis salsa, neque ex altera nimis acida ac vitrea, sed dulcis & insipida: at si prædominatur in compositione calor fit salsa, si frigus fit acida vel vitrea.

In aph. l. 3. 12. Hinc Galenus ait, *Pituita quæ à forti frigiditate fit, acida euadit, quæ vero à caliditate replente caput salsa, quæ à pauca fit frigiditate vel paucam dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem habet.* Hæc ille.

Quibus nobis inferre videtur non modo tres pituitæ, seu phlegmatis species, verum etiam particularem cuiuslibet earum causam introducit. At vero in *alio loco* quatuor inferre videtur humoris pituitosi species: verba eius hæc. *Diff. feb. l. 2. cap. 6. Vitrea. Dulcis.* *Vna pituitæ species est frigida, quæ cum loco calido obstruitur dolores maximè excitat, hic humor vitri liquefacti speciem habet; alia est illa quæ cum screatu eijcitur, quæ sensibiliter dulcis est, tertia quæ expuentibus videtur acida, estque minus frigida*

frigida quam vitrea, magis vero quam dulcis: alia eſt ſalſa & propter putredinem aut propter ſalſæ & Acida.
ſeroſæ humiditatis mixtionem, in qua febricitantes in acceſſione non rigent, ſed horrent &c. Et *alibi* Saſa.
vult ipſam vitream pituitam acidæ qualitatis eſſe participem, in quo ipſam in ſapore ab in-
ſipida, vel dulci diſtinguere videtur, & in multis locis ipſam agnoſcit eſſe longe frigidiorem,
atq; in hoc ſolum eam diſtinguit ab acida. Has autem pituitæ ſpecies diſtinguit in naturales Diff. feb. l. 2.
& præternaturales: pituita ſi à naturali qualitate diuertat, non modo ſalſa, verum etiam aci- cap. 6.
da redditur, nonnunquam & dulcis particeps fit qualitatis. Et *alibi* perſpicuius. *Pituita* De atrabil.
quæ dulcis eſt ea ſalutaris eſt & naturalis, acida vero & ſalſa inutilis & præter naturam, quarum a- cap. 2.
cida omnino cruda eſt, ſalſa computreſcere ſolet: cruditas autem humorum intelligitur in ea conco- De nat. fac. l. 2. c. 9.
ctione quæ fit in venis, & non in ventriculo. Iam vero, quoniam Galenus experientia doctus,
rem ita ſe habere vidit, rationem autem eius radicalem reddere neſcit, niſi more confuſo,
videlicet propter frigoris, aut caloris intenſionem, vel remiſſionem maiorem, aut mino-
rem: vobis in pituita differentiæ rationem meo more explicare non dubito, tametſi in ca-
pite præcedenti verbum de eo feci: & primum nonnullos ipſius Galeni & Hippocratis
ſermones examino, quo melius vos ipſorum perſuaſionibus ad intentionem meam attra-
ham. Hippocratis eſt, quod *hyems ſicca & Aquilonia, ver pluuioſum & auſtrale æſtate facient* Aph. l. 3. 11.
febres acutas, ophthalmias, & dyſenterias &c. Vnde Galenus ſuper eum, febres acutas pro-
pter caliditatem & humiditatem putreſcentes, hoc eſt à pituita putrida. Hinc alibi, *Pitui-* Diff. feb. l. 2.
ta ſalſa putreſcens non horrorem ſed rigorem febrilem facit: & *alibi, Acida & vitrea etiam ſine fe-* 6.
bre rigorem generant; at ſi modica ſit ipſis putrefactio, febrem Epialam inducunt, & ſi vehementius
rigor antecedit: deinde ſuper eundem aphoriſmum ſic pergit, *lippitudines propter humores*
caput replentes infeſtant. At *in alio loco* ait *pituitam ſalſam à caliditate caput replente generari &c.* Aph. 3. 12.
Sed in hoc ait, iſtos morbos prouenire propter caliditatem & humiditatem putreſcentes:
ergo in ophthalmica iſta paſſione dominari videtur pituita ſalſa, quæ teſte ipſo videtur eſſe
nihil aliud quam humiditas aquea aduſta. Pergit ergo ſic. *Dyſenteria ipſis qui humidi ſunt*
natura: humiditas aeris circumambientis adiuuat putredinem, vtpote neceſſario humidis, &c. At
vero *in ſequenti* paucis omnia iuxta noſtram intentionem aperit, ſic, *Tunc etiam difficultate* Gal. in aph.
inteſtinorum capiuntur, videlicet dyſenteria, quando hyems eſt Auſtralis & pluuioſa & clemens, ver 3. 12.
autem ſiccum & Aquilonium, quia tunc fit pituita ſalſa, & hinc inde mordens & abradens inteſti-
num; dyſenteriam facit.

Quibus rite conſideratis facilimum eſt credere quod tam Hippocrates, quam Gale-
nus experientia docti perceperint, & agnouerint ingenue non modo morbos ex ſeminariis
ventorum oppoſitorum in aere expanſis in hominibus procreari, ſed etiam in ventorum
theſauris, ſeu arca theſauraria includi humorum omnium alterandorum rationem; cum
ipſe hoc in loco ingenue fateri videtur, quod à flatu venti ſeptentrionalis cum meridiona-
li pituita ſalſa procreatur: nam ſuper hunc aphoriſmum. *Si hyems Auſtralis & pluuia & cle-* Aph. 3. 12.
mens fuerit, ver autem ſiccum & Aquilonium, mortalibus dyſenteriæ & lippitudines ſiccæ
fiunt.

Iſtud protulit ipſe dictum, *Ineſt autem hoc pituitæ generationi, vt quæ à forti fit frigiditate*
acida euadat, quæ à caliditate replente caput ſalſa, ſicuti quæ à pauca fit frigiditate, vel pau-
cam dulcedinem, vel nullam manifeſtam qualitatem habeat. Ergo quæ propter eam fiunt in hyeme
caliditatem ſalſa erit, & hac ratione dyſenteriam maximam generat, &c. Certe in pluribus iſti-
uſmodi locis arguere videtur Hippocrates & Galenus, ſtatum cum aeris macrocoſmici,
tum microcoſmici, tam ſalubrem, quam inſalubrem dependere à ventorum mundi ſpira-
culis, ad quorum naturam variam mutatur aer vtriuſque in ſpecies varias meteorologicas:
vel ſcilicet conuertendo aerem per ſeminaria Auſtralia vndique diſperſa, in humidam &
vaporoſam, aut in ſiccam & Borealem conditionem, vel in mixtionem conditionum ha-
rum contrariarum in vnum: vnde propter contrariam & præternaturalem actionem vnius
in aliud, tertium procreatur, quod meteoron morbidum, vel inſalubre dicimus; ſic ex ven-
to primum Auſtrali hyems ſpiritus humidus & pluuioſus eſt factus, quare ſeminaria il-
lius venti pituitoſa & ad corruptionem apta, vniuerſum hemiſphærii ſeu potius horizon-
tis noſtri aerem occupant & quaſi informant ſuo more: deinde in vere ſequenti præua-
let eius contrarium, videlicet flatus Aquilonares in eodem medio aereo, & horum mix-
tione & inimica actione & paſſione præternaturali (nam Aquilonis eſt ea deſtruere quæ
Auſter procreauit, cum & hic itidem diſſoluit, quæ ille congelauit) humor in diſpoſitio-
ne ad ſalſedinem inclinatus producitur: nam calor Auſtralis per antiperiſtaſim ma-
gis hyeme per diuturnum ſuum dominium fortificatur in aere, quam frigus in ve-
re, propter propinquum ſolis acceſſum ad nos. Denique aer ad pituitam putridam pro-
crean-

creandam contrariis naturis sic præditus, producit morbos varios in corpore humano, & meteora insalubria in mundo; vt per aphorismum prædictum videre est, & per istos sequentes.

Aph. 3.6. *Quando æstas sit verisimilis, sudores in febribus multis expecta.*

Ratio in promptu est, quoniam à flatu meridionali fit dissolutio illarum rerum, quas congelauit vel hyems septentrionalis, vel ver.

Aph. 3.13. *Si æstas fuerit sicca & Aquilonia, Autumnus vero Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam & tabes.*

Hic non aliter videtur Aquilo habere dominium in aere super seminaria Australia, quam Auster super illa Aquilonaria, vt in præcedenti seu penultimo huius: quare vt ille pituitam salsam, ita hic acidam magis & asperam procreare videtur: nam Galenus ait *loco citato*, quod multa frigiditate pituita acida euadat. Porro etiam Aquilonis est tusses & raucedines, atque faucium asperitatem inducere; propter intemperiem illam frigidam, quam instrumentis respirationi inseruientibus affert. At vero si præualet vis Australis, faciet distillationes tenues à pituita salsa: atque hæc ex illa vt plurimum propter tenuitatem quæ facit fluxus, iuxta Hippocratis & Galeni intentiones. Quod autem hæ duæ species pituitæ sunt distillationes fontes, sic testatur Galenus, *Pituita acida & salsa morborum omnium qui distillatione fiunt fons & origo est.* Iterum.

Aph. 3.5. Aph. 3.12.

Aph. 3.14: *Aquilonius est siccus lippitudines & febres acutas & grauedines facit, nonnullis vero atras biles.*

Vbi aerem ab Aquilonari flatu mutatum & morbida in eo meteora ab ipso procreata intelligit. Iterum.

Ap. 3.15 *Morbi pluuiarum multitudine magna ex parte sunt febres longæ, &c.* Plures de hoc subiecto locos recitare possum, quos pro alio tractatu, quo morbi causas explicabo, reseruandos censeo: solummodo vos hoc in loco obseruare velim, quum sit certum, quod morbi omnes tam in macro, quam microcosmo à ventis oriantur, & præcipue mutuis oppositorum inter se actionibus & passionibus aerem & tempora varieformiter mutantibus; quod quidem paucis sic Hippocrates, *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* At pace Hippocratis & Galeni, hæc frigiditas & caliditas non sunt accidentia, vti ipse cum Aristotele credit, sed de purissima spirituum ventosorum essentia: quare sequitur, quod integra aeris mutatio sit à ventis, & per consequens omnes morbi, qui eiusdem mutationes sequuntur, ab ipsis suas sortiuntur origines.

Aph. 3.1.

Dicimus ergo, quod pituita acida & vitrea, vtpote frigidæ sunt ex parte Cori, & magis ad septentrionem tendunt, nam, teste Galeno, fiunt à frigido: illa vero dulcis & insipida à Fauonio magis dependet, quippe qui in medio se habet inter meridiem & septentrionem, quare ambæ naturæ extremæ in medio contemperantur, vt sacchari videmus dulcedinem esse inter extrema, videlicet amaritudinem & aciditatem intermediam, vel vt in speculo nostro, 1. in medio inter 7. meridionalem, & 7. septentrionalem: hoc est, exacta temperies inter extremum frigus & intensissimum calorem. At vero considerandum est, quod substantia istius atque cuiuslibet alterius humoris est ipse aer, qui est cuiuslibet consistentiæ fons & origo, quippe cui dicitur æterna sapientia *aptare pondus in densitate aut tenuitate.*

Sap. 7.

Ad diuisionem denique nostram humoris phlegmatici, siue pituitosi in tenuem & grossum quod attinet, à Galeni in hoc sensu non multum aberrauimus, qui humorem pituitosum facit aut liquidum, aut crassum, aut viscosum aut dissipatu difficilem: at vero hæc omnia membra primum in ramos duos contraxi, videlicet, quoad substantiam distinxi, hoc est, in magis tenuem & magis crassum: nam reuera omnis pituitæ species est liquida, tametsi non æqualiter fluida. Atque hinc Galenus (vt mihi videtur) *alibi* melius in hunc modum, *Pituita nunc aquosa est, nunc crassa ad puris imaginem:* ac si mecum dixisset, Humor pituitosus est aut aqueus, fluidus & tenuis, aut crassus, densus & lentus: vnde & *alibi*, *Pituita est quandoque humida, vt fluat, quemadmodum alii humores, interdum abunde crassa, ac ipsa in tenuitate & crassitudine sua varia esse animaduertitur.* Hæc ille.

De aliment. fac. lib. 1. cap. 3.

De nat. hum. com. 1. 25.

De vsu par. l. 5 c. 4.

Vnde nos substantiam eius crassam in mucum siue mucorem, phlegma, atque humorem viscidum seu viscosum diuisimus; atque in hac diuisione à Galeni intentione non recessimus. *Excrementum quod à cerebro destillat, forte non pituitam quis vocat, sed mucum,* & *alibi*, *Mucus est expurgamentum cerebri.* At vero *alibi* ait, quod *mucor in acetabulis vteri faciat abortum:* quo videtur differentiam inter mucum & mucorem facere. Hippocrates mucosum illum humorem vocat, qui lentore quodam & albedine præditus ad exangues partes,

Gal. in aph. 7.27. Fini. med. cap 2. Aph. 5. 45. 3. de arti. 65.

partes, hoc est, ossa & cartilagines cogi consueuit. Porro etiam Galenus ait, quod *pituita frigida & humida, velut vstum, & supra modum in succis coctum Græce φλέγμα dicitur, quod & alij mucum vocant*: *Aph.7.71.* de hoc *alibi* sic, *Pituita in ventriculo cum natura sit viscosa, est tamen multo viscosior in huiusmodi effectibus à mora in loco adeo calente.* *De vsu part. l.5.cap.4.*

Quibus apparet, quod hæ pituitæ crassæ species ab inuicem non multum consistentia sua disgregari videntur; præterquam quod in agente quodam modo variari obseruantur: nam hoc certum est (illo Galeni inuiolabili manente, videlicet quod *pituita habeat omnium humorum commune iudicium non gelascere*) quod materia pituitosa, quæ in suo è ventriculo exitu est satis tenuis; postquam vi medicamenti alicuius vomitorij exiuerit; & in vase steterit, admodum viscosa, & in albuminum ouorum consistentiam, vi frigoris adducitur: nam quis ignorare queat quod frigiditatis esse sit incrassare, vt caliditatis attenuare? vnde fit, quod humor iste calidus in ventriculo manens, est liquidus, & admodum fluxilis, vt per facilem eius ex ore egressum videre licet, at vero post eius in vase refrigerationem, crassus & tenax more visci redditur: fateor nihilominus, quod calor attenuando, & subtile à spisso separando possit materiæ fluidæ corpulentiam reddere viscidam & mucosam, vt & frigidum incrassando & constringendo. *Atrabile c. 2.*

Denique pro diuisione pituitæ secundum colorem in album & lucidam, illud fecimus etiam iuxta Galeni intentionem, vtpote qui facit pituitam albam, illam quidem aquam, quæ inter cutem concrescit & generatur, illam vero liuidam quæ fit propter mistionem quorumdam aliorum humorum & præcipue melancholicorum cum ea, vnde colorem mutat. At nos dicimus audacter, quod pituita alba fit naturaliter à flatu occidentis cardinali, cuius est aquam substantiæ mediocris procreare, alia vero liuida ex mistione aliquorum ventorum tenebrosorum septentrionalium cum ea, atque etiam ab afflatu à Coro, aut ab humoribus ex flatibus istiusmodi contretis vt *infra* dicemus. *Aph.lib.7. 27.*

CAPVT V.

In quo meteora liquida ex humoribus prædictis procreata in genere describuntur; & primum de primo, seu cardinali illorum quæ contagioni non subijciuntur, hoc in loco discurremus.

Meteororū ex humoribus occidentalibus non contagiosorum;
- Vnum est cardinale quasi, seu magis principale, estq; rheuma cuius
  - Species sunt tres; quarum vna dicitur
    - Coriza quæ vadit ad nares.
    - Bronchus qui vadit ad fauces.
    - Catarrhus qui vadit ad pectus.
  - Causa vt plurimum est pituita
    - Salsa.
    - Acida.
  - Effectus, est enim plurimorū morborum fons & origo: nam fluit & distillat ad
    - Aures, efficit vel
      - Surditatem.
      - Tinnitum.
      - Dolorem.
    - Gingiuas, dentium Dolorem procreat.
    - Oculos, cæcitatem & caliginem gignit.
    - Guttur, Anginam profert.
    - Nares, facit
      - Icterem.
      - Polypum.
    - Linguam, parit
      - Paralysim.
      - Balbutiem.
    - Pectus, generat
      - Phthisim.
      - Pleuritidem.
      - Peripneumoniam.
    - Stomachum, profert
      - Fastidium.
      - Vomitum.
    - Intestina, producit
      - Lienteriam.
      - Diarrhœam.
      - Dysenteriam.
    - Iuncturas, affert
      - Arthritidem.
      - Podagram.
- Cætera fecimus collateralia, de quibus capite sequenti.

Vt ex nube aquam, siue pluuiam procreari cernimus, atque iterum ex pluuia seminaria occulta in species seu indiuidua completa producuntur, vt in vegetabilium seminibus, & animalium spermatibus videre licet: ita quidem ex vaporoso, seu nebuloso aëre pituita, & ex pituitæ speciebus res in natura variæ à seminarijs inuisibilibus in formas manifestas in corpore humano, tam præter naturam, quam secundum naturam generari obseruamus. De humore ergo occidentali, qui est pituita, tanquam de aqua (ex qua & per quam omnia in hoc mundo dicuntur habuisse initium) meteora humoralia deriuantur tam salubria, quam insalubria, siue sunt non contagiosa, siue contagiosa: quæ autem non sunt contagiosa in cardinale vnicum distinximus, & collateralia quam plurima. Hoc vero in capitulo de hoc vnico cardinali, siue principali (quod Rheuma dictitamus) præcipue disceptabimus.

Atque Rheuma ideo meteoron cardinale fecimus, quoniam est tam generale & imperiale, vt maiorem infirmitatem, seu morborum numerum, non aliter quam genus sua species, siue species sua indiuidua comprehendit, vti ex tabulæ præcedentis obseruatione intueri fas est.

Nam Rheuma est generalis humoris pituitosi à capite ad partes & membra inferiora defluxio, vnde iuxta Gordonium dicitur, Rheuma quasi ruens materia, & hoc iuxta Pauli Æginetæ authoritatem in species diuiditur tres, (cui etiam astipulatur Galenus) videlicet Catarrhus, in quo quod superuacuum est in cerebro in os diffluit, Bronchos, siue raucitas catarrhis superuenit, faucibus scilicet humore imbutis, & Coryza in nares descendit. Et *alibi* Galenus sic, *Humor à capite interdum distillat in nares, interdum in fauces, alias in pulmonem, atque has tres distillationes Latini grauedinem, raucitatem, & distillationem nominant.* Quod autem ad istiusmodi fluxionis, siue distillationis originem attinet, docemur authoritate Galeni, quod pituita acida & salsa morborum omnium, qui ex distillatione fiunt, fons sit atque origo: qui humores propter rationes antea allegatas, à ventorum flatibus ortum suum habent & ducunt, & consequenter omnes fluxiones, quæ ab ijs sortiuntur: quod etiam præcisis verbis fatetur Hippocrates, *Catarrhi* (inquit) *fiunt maxime à temporibus pluuiosis: at vero quod tempora pluuiosa à ventis ordinantur neminem credo sapientem ambigere:* vnde Hippocrates *alibi* sic, *Si æstas fuerit sicca & Aquilonia, Autumnus vero Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt & tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam & tabes.*

1. de comp. med. per gen. 4.
3. sympt. causis. c. 4.
Introd. c. 14.
de Hipp. & Plat. dog. l. 8. c. 7.
Aph. 3. 16.

His igitur cognitis, ad Rheumatis in genere, & specialiter ad eius specierum effectus morbosos sic progredimur. Inquit Bernardus Gordonius, *Rheuma non debet negligi, quia forte est mater omnium ægritudinum: quod in eo patet, quia si fluit ad aures, efficiet surditatem & tinnitum:* ego vero cum Galeno addo dolorem aurium, quippe qui ex serosis & saniosis humoribus in corpore aurium generatur. Tum sic pergit: *si ad oculos fluit caliginem, si ad nares fœtorem & polypum, si ad linguam paralysim, si ad guttur squinantiam.* Hinc Galenus, *Angina ex pituita ortum ducit, videlicet ex fluxionibus à capite ad fauces, quæ fluxiones fiunt à multitudine superfluitatum ad fauces collecta.* Deinde sic Gordonius, *si ad pectus phthisim aut pleuritidem, si ad stomachum fastidium & vomitum, si ad intestina fluxum ventris.* Hanc Gordonii opinionem confirmat Galenus sic, *Difficultate intestinorum, videlicet dysenteria capiuntur, quando hyems est Australis & pluuiosa, ver autem siccum & Aquilonium, quia tunc fit pituita salsa, & hinc inde mordens & abradens, intestinum offendet & dysenteriam faciet.* Quo sermone confirmat, quod venti sint difficultatis intestinorum causæ radicales, vtpote à quibus pituita salsa, quæ est immediata dysenteriæ causa: vnde ipse aliter sic, *Pituita à capite ad ventrem fluens facit fluxum*; & tum postea pituitam salsam esse potissimum eam quæ facit fluxum. Progreditur ergo Gordonius sic, *Si ad iuncturas, arthritidem*: hæc ille.

Gord. de pass. variis part. 3. c. 16.
de com. S. phar. sec. loc. l. 2. c. 1.
Gal. in aph. 3. 16.
Gal. in aph. 3. 12.
Aph. 3. 12.
Ib.

Concludimus ergo, quod cum sit certum, quod causa cardinalis istius meteori Rheumatis dicti, & consequenter ipsius specierum sit à pituita, necesse est credere ipsum radicaliter à ventis procedere, idque cum consensu Galeni & Hippocratis, qui ambo in hanc incidunt sententiam, quod frigidiores & magis pituitosi humores generentur in multitudine pluuiarum. Denique ne quis replicando diceret, quid hoc ad ventum occidentalem, cum Hippocrates & Galenus solum modo mentionem faciant de Aquilone & Austro? Respondeo quod, vt situs Fauonij est in medio & quasi centro inter illos duos extremos, ita illorum duorum concursus eosdem in conditione producit effectus quos occidentalis, videlicet pluuias, siue aquas, nec nimis æstuosas aut gelidas, sed in exacta aquæ simplicis temperie consistentes.

Gal. in aph. 3. 16.

CAP.

CAPVT VI.

De meteoris non contagiosis collateralibus.

- Meteora occidentis collateralia, quæ non sunt contagiosa; videntur esse vel ex parte
  - Cori, cuius est incrassare atq; horum nomina; siue effectus sunt;
    - Febris hepiala.
    - Apoplexia.
    - Morbus comitialis, siue Epilepsia.
    - Scotomia.
    - Vertigo.
    - Sopor.
    - Catalepsis, seu Catoche.
    - Lethargia.
    - Stupor.
    - Paralysis.
    - Conuulsio.
    - Abortus.
    - Oculorum cæcitas.
    - Tenasmus.
    - Articularis / Coxendicis } dolor.
    - Aurium dolor &c.
  - Africi, cuius est attenuare magis, atque horum nomina siue effectus sunt
    - Hydrops.
      - Ascytes.
      - Anasarca.
    - Hydrocele.
    - Hydrocephalon.
    - Balbuties, siue linguæ impedimentum.
    - Cephalæa.
    - Lienteria.
    - Capitis grauedo.
    - Fluxus oculorum lachrymalis.
    - Fluxus ventris
      - Tenasmus.
      - Dysentericus.
      - Diarrhœa.

Certum est & absque omnis dubitationis alea, quod spiritus mundi sublunaris, aër dictus, sit instar mercurij, se omnibus ventorum prædominantium mutationibus subijciens, atq; ob istam rationem, iuxta varias ventorum proprietates in multiformes species substantia, effigie atq; conditione differentes conuertitur, quas quidem impressiones meteora vocamus, quippe quæ in aëris sublimitate, vel in aqua, vel in terra imprimis contractione generantur, & tum postea dilatatione tam in illo spiritu Catholico, quã diuersis aquarum atq; terrarum speciebus dissipantur; atq; huiusmodi iuxta afflatuum, siue ventorum calidorum conditionem sunt Cometa, coruscatio, fulgur, scintilla volans, candela incensa, capræ saltantes, draco volans, ignis fatuus Castor & Pollux, prester, siue pluuia ignea, typhon, sulphurata; thermæ calidæ & huiusmodi alia: vt & illa aërea, sunt venti multiformes, aër corruptus, turbines, Ecnephias, vapores & fumi multifarij tam aquarum quã terrarum, facientes ipsas vel salubres vel insalubres; terræ motus origo, & infinita alia, quæ ex seminarijs ventorum inuisibilibus in aëre delitescentibus fiunt, siue ventorum frigidorum; siue ex aqueis, de quib. hic agimus, vapor, nebula, nubes, pluuia, ros, pruina, fontes tam calidi, quam frigidi, tam acidi, quam dulces, tam salsi, quam insipidi, tam aluminosi, quam nitrosi, tam venenosi, quã salutares, qui omnes iuxta locos suos naturam suscipiũt diuersam, vt & loci natura ab occulta & spirituali ventorum, seu halituum natura initium suum habent, quorum seminaria locis terrestribus inclusa propter defectum motus & agitationis conuertuntur in dispositionẽ venenosam; non aliter quam diu in loco stantem corrumpi & putrescere animaduertimus: siue ex terra, de quibus statim. Non aliter quidem res sese habet in spiritu aereo, atque etiam humoribus & corpore humano, vtpote in quibus similes procreantur impressiones: nam flante in hominis spiritu vento occulto iuxta voluntatem Dei excitato, alteratur eius aer;

aer alteratus pro natura venti flantis concrescit in humorem vel beneficum vel maleficum, humor afficit vel sanguinem vel corpus quasi eius mare vel terram; quod arguitur per quatuor angelos in quatuor terræ angulis stantes, quibus datum erat tenere ventos, ne nocerent terræ, aut mari, aut arboribus, atque etiam in quorum potestate erat ipsos emittere vt ijs nocerent, & malo afficerent. Hinc ergo venti, vapores & fumi creantur in corporibus, qui ab illis macrocosmicis gignuntur & sustentantur, qui spiritum & sanguinem & corpus aggrauant: hinc humores generantur, malignitate pleni, & ex humoribus solidiora totum hominem dolore aut impedimento affligentia, de quibus *infra*.

De hisce ergo humoribus in microcosmo meteorologicis cum ipsorum affectib. non contagiosis hoc in loco discurrere prætendimus, quos quidem in *distinctione præcedenti* nominatim recensuimus.

1. Hepialos. Diff feb. l. 2. cap. 9. Gal. in aph. 7.42. Galenus probat in *multis locis* febrem Epialam originem suam duxisse à pituita acida & citrea, quæ si modica ipsis sit putrefactio febrem Epialam inducunt, & *alibi*, humores pituitosi sine partis inflammatione putrescentes in venis febres accendunt, quæ Hepialos, & Lipyria, & Elodes dicuntur.

Gal. aph. 3. 16. 2. Apoplexia. 3. Epilepsia. 4. Sopor. Gal. in aph. l. 5. 70. Loc. affect. l. 4. c. 2. Aph. 3. 16. 5. Catalepsis. Aph. 3. 23. Quod etiam Apoplexia proueniat à pituita in hisce fatetur ipse, *Apoplexia*, inquit, *& morbus Comitialis à pituita ortum habent.* Porro & *alibi*, *Inter Soporem & Apoplexiam est morbus Comitialis medius, conuulsionem afferens vniuerso corpori, sed in Paralysim non finitur. Horum trium morborum frigidus ac crassus, aut omnino viscidus humor est causa; verum in sopore & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus, in Apoplexia corpus magis affici solet, & in sopore anterior pars magis, in Apoplexia & morbo comitiali vtraque; In Catalepsi vero & vigilanti sopore, Catoche dicto, posteriora cerebri magis molestantur; per soporem palpebræ clauduntur, in Catalepsi manent aperta.* Hæc ille. Quod autem hi morbi à ventorum flatu procreentur perspicue in huiusmodi verbis agnoscit. *Apoplexiæ in hyeme fiunt ob intensam frigiditatem.* Et *alibi*, *Apoplectici fiunt temporibus pluuiosis:* quare *ibi loci* concludit, quod morbi comitiales (quos sacros *alibi* appellat) & Apoplexia sint morbi ex pituita ortum ducentes.

Aph. 3. 16. Ib. Scotomia. Vertigo. Gal. in aph. l. 6. 56. Conuulsio. Introd. c. 14. De Scotomia, seu caligine oculorum & conuulsione sic. *Propter pituitosum humorem Apoplexia, Conuulsiones & oculorum cæcitates fiunt.* Atque iterum, *Caligines oculis obfusæ & Vertigines cognata sunt vitia morbo comitiali, & ab ijsdem causis prodeunt, atque easdem sedes occupant: hoc tamen interest, quod hæ superficie corporis non intus consistunt, &c.* Quo asseuerare videtur, quod Scotomia & Vertigo non solummodo ob inordinatam spiritus flatuosi motionem fiunt, sed etiam à grossa & viscosa pituita: nam, teste ipso, talis erat Epilepsiæ siue morbi comitialis causa. Sed nos ostendemus, Deo fauente, *suo loco*, vbi de efficientibus morborum causis discurremus, rem esse longe aliam, quam aut Galenus, aut Hippocrates existimauerunt: nam non erat sine causa, quod Epilepsia morbus sacer esset dictus, vti *ibi loci* plenius exprimemus.

Lethargia. Introd. c. 17. In Aph. 2. 3. Lethargiam etiam à pituita ortum suum duxisse, tradit Galenus in his dictis, *Causa Lethargiæ est pituita, humor frigidus, frigiditate ac humiditate somnum inducens.* Et *alibi*, *Refrigerata prima parte sensitiua, hoc est, cerebro ipso, fit longus somnus, quæ refrigeratio cum fortis fuerit, mista quidem humiditati facit Lethargicas passiones, cum siccitate vero eas quas Græco vocabulo Catalepsis, id est deprehensiones vocant.*

Gal. in Aph. 7. 40. De sympt. causis l. 2. c. 2. De Stupore & Paralysi sic, *Stupor & partis resolutio fieri potest propter humoris crassitudinem, videlicet ex crassa & lenta pituita; fit ergo ex pituitoso simul ac melancholico humore.* Atque *iterum* sic, *Neruus vel frigore condensatus, vel crassis & lentis humoribus obstructus, vel à quapiam extrinsecus causa pressus in Torporem & Paralysim adducitur.*

Similiter plane abortum à mucore in acetabulis vteri factum, atque procreatum esse asseuerauit.

In aph. 6. 56. Oculorum autem cæcitatem Apoplexiam & conuulsiones, propter pituitosum humorem fieri testatur ipse *alibi*.

In aph. 6. 59. Introd. c. 23. De loc. l. 2. c. 1 *Dolorem vero articularem & coxendicis, ab humoris pituitosi* (quem mucorem vocant) *aceruatione procreari* dicit. Et *alibi*, *Podagra & coxarum dolores, & articulares morbi sola inter se magnitudine differunt, à pituita vt plurimum fiunt, & circa neruos consistunt quibus articuli continentur & motum recipiunt.* Denique aurium dolorem ex serosis & saniosis humoribus in corpore aurium genitis procreatum, affirmat ipse.

Iam vero rationes meas producã, quib. motus sum, hos morbos ad venti Cori naturã referre: quoniã scilicet ventus hic est, collateralis septentrionalis ad Fauonium, qui punctum cardinis occidentalis possidet, & ob istam rationem humorem pituitosum reddit magis gelidum & semicongelatum, more niuis, quæ est in medio suæ resolutionis: nam ventus iste nõ est adeo humidus, quam aut Fauonius aut Africus, quoniam participat de siccitate septentrionis,

trionis,& præcipuè Circii,vnde fit,quòd humorem reddit magis lentum, tenacem & minùs fluxilem. At verò si de calida venti sibi oppositi Euro-Austri videlicet natura participat,tunc humorem magis viscosum & mucosum reddit. Hinc ergo est,quòd quoniam omnes prædicti morbi videntur per prærallegata Galeni & Hippocratis testimonia à crassis & viscidis istiusmodi humoribus procreari, ideo ad venti huius dispositionem eos retulimus:tametsi etiam ipsi à vario aliorum ventorum concursu, & præcipuè Aquilonis & Austri generari à dictis authoribus agnoscantur,quæ quidem pro maiori Aquilonis dominio super Austrum,vel Austri super Aquilonem,cum prædictis ventis Occidentalibus in natura conuenire queant; Verbi gratia,si Auster & Aquilo in æquilibrio flent,aër se habet ac si Fauonius flaret,eritque aqueus;si Aquilo dominium per vnum gradum habuerit super Austrum tunc aër se habebit, ac si Corus spiraret: at si è regione Auster præualuerit per vnum gradum super Aquilonem,tunc aër se habebit in eo statu & ratione,in qua est,cùm Africus suum emiserit flatum.

Quæ autem sequuntur,sub Africo comprehendimus,quoniam vt Africus est vento Australi propinquior,ita quidem magis ad caliditatem resolutiuam appropinquat,quare non est ita frigidus vt Fauonius. Atque hæc est causa,quòd aqueam naturam magis tenuem & mobilem reddit quàm Fauonius. Corus ergo magis condensat aërem propter eius propinquitatem ad Septentrionem; Fauonius minùs & in mediocrem aquæ dispositionem reducit,Africus minimè,vtpote cuius est aquam magis vaporosam & aëream efficere: hinc ergo est,quòd morbos ex pituita magis fluida & tenui ortos ipsius Africi imperio subiecimus,vti in distinctione *superiùs* descripta declaratur: quod etiam autoritate Galeni & Hippocratis sic comprobare aggrediar.

Ad Hydropis speciei tam ascytis,quàm Leucophlegmatiæ generationem hoc Galenus: *Pituitoso excremento in toto corpore succedit Hydrops Leucophlegmatias dictus. At serosa excrementa cùm redundant, tum ascytes vocatur: at vbi hæ inter se & cum sanguine miscentur, quam plures tam symptomatum quàm morborum species existunt.* Et *alibi* de omnibus tribus Hydropis speciebus sic: *Aquæ inter cutem tres sunt species, Ascytes, Tympanites, & Hyposarca.* Hippocrates *duas tantùm species assignauit, cùm Tympanites & Ascytes sint eiusdem speciei, quoniam in vtraque nutrimentum in aquam redactum inter intestina & peritoneum infunditur: sed in hac aquæ plus, quàm spiritus in vnum intus contrahitur, in illa copiosior spiritus, minor humiditas est. At si absque inflammatione Hydrops præsertim Anasarca eueniat, calore gemino perfrigerato, caloris inops aquæ naturam induit succus:* Hæc Galenus. In quo eius sermone exactè delineare videtur proportiones nostras,videlicet spiritum vaporosum siue Occidentalem per Tympanitim, humoralem seu pituitosum per Ascytem: vnde alibi *aquam intercutem* vocat *pituitam albam, & corpus per Anasarcam:* vnde Galenus *alibi* sic, *Pituitoso excremento in toto corpore succedit Hydrops Leucophlegmatias dictus: cùm in vna insedit particula dicitur Oedema, estq; indolens & laxus tumor.* Talis est etiam in macrocosmo inter nubem, pluuiam & glaciem proportio. Ratio autem cur Hydrops,vt plurimùm cum inflammatione prouenit (nam vult Galenus *loco citato,* quòd inflammatio hepatis fit quandoque Hydropis causa) est, quia ventus Africus à natura Austri æstuosa nimium animatus,vel Corus spirans calidus Euri,vel Africus flans Cæcii dominantis seminariis contaminatus,fulgura cum nubibus quandoque parere soleat. *At* (inquit Galen. *ibi loci) fit Hydrops quandoque à liene temporis spatio in scirrhum indurato, nam cùm in his visceribus confectionem, ac in totum corpus digestionem impediat, in aquæ substantiam ipsum commutat, quod ita refrigeratum inter intestina & peritonæum emittitur.* Hæc ille. Cuius rei ratio radicalis videtur esse mixtio seminariorum calidorum & humidorum Austro-Africi cum illis sui contrarii prædominantis videlicet Aquilonis,cuius est constringere & indurare. Nec vos intelligere velim, me de ventis solis in macrocosmo intendere, sed de illis in microcosmo, qui gubernantur ab illis macrocosmi: nam vanus foret ille Prophetæ sermo: *Veni à quatuor ventis spiritus, & insuffla interfectos istos vt resurgam:* nisi quòd vita creaturæ omnium quatuor ventorum virtutem comprehenderet,videlicet naturam cuiuslibet venti: at quoniam corpus à Iob dicitur *domus argillacea spiritus humani,* certum est, quòd ipsi quasi microcosmi fabricæ plagæ quatuor assignantur, à quibus venti,spiritus,seu vitæ humanæ flant,non aliter macrocosmo. Sed quoniam hoc idem in *meæ Anatomiæ mysticæ exordio* est clariùs, & fusiori sermonis filo explicatum, vos ad ipsam referendos (si placeat) velim & suadeo.

Hydrocele ramex aquosus nuncupatur,fitque cùm humor aliquis lentus in scrotum colligitur.

Pro balbutie. Contingit iis qui balbi sunt natura vt vel cerebrum humidum habeant,vel linguam,vel vtrumque.

De sympt. caus. l.3.c.1.

Introd. c.17.

Gal. in Aph. 7.29.

De sympt. caus. l.3.c.1.

Introd. c.17.

Lib. de tumor. c.15.

Gal. in aph. 6.32.

Introd.14. Cephalæa est internus capitis dolor, qui in circuitu interdum affligit à pituita nascens.
Aph.6.1. Pro lienteria. Pituita in ventriculo aut intestinis leuitatem intestinorum facit.
In Aph.2. l. 4. Capitis etiam dolorem & grauedinem affert: nam ait Galenus: *In pituita mentis pigrities & torpor, somnus profundus & capitis grauedo aderit.* Et alibi ostendit quomodo capitis dolorem efficit: *Humectantes* (ait) *nullum in caput dolorem inducunt, quantum ad qualitatem ipsorum attinet; at ob multitudinem instrumentalium partium morbos faciunt & corpus grauant*, &c. *De comp. phar. sec. loc. l.2 c 1.*

Finit.med. c.17. Porrò *fluxus* (inquit) *oculorum est tenuium delatio humorum quam cohibere nequeas, non ex nostra voluntate prouenien͞s.*

Denique de alui fluore sic: *Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit: fit autem spuma ob vehementem & inæqualem motum, ita vt frangat pituitam in multas partes.* Hæc Galenus super illum Aphor. Quid hoc planius ad probandum ventorum diuersorum concursum ad istam substantiam pituitosam ex aëre componendam, videlicet venti sicci, & quasi Cæcii cum Africo, vbi calor præter naturam adest, vel Austro-Africo & Aquilone, vbi frigus: atque ista contrarietas est tantæ inæqualitatis & diuisionis in eodem humore ratio. Iterum sic: *Difficultate intestinorum siue dysenteria capiuntur quando hyems est Australis & pluuiosa, Ver siccum & Aquilonium, quia tunc fit pituita salsa.* Quibus innuere videtur, quòd salsa pituita procedat ab aëre vi Australi & Aquilonari condito; nam vt Auster est calidus & humidus, ita eius cum Aquilone coitu fit mixtio salsedinis, terræ siccæ & humiditatis aëris madidi: vnde terrea eius pars calorem accidentalem ab aëre & igne, siccitatem ab igne & terra, atque consistentiam seu corpulentiam constrictiuam cum frigiditate occulta à terra & aqua. Concludimus ergo cum Hippocrate & Galeno sic: *In Aph.7. 30.*

De Hipp. & Plat. dog. libro 8 c.7. *Pituita acida & salsa morborum omnium qui ex distillatione fiunt, fons & origo est.*
Aph.3.12. *Pituita à capite ad ventrem fluens facit fluxum.*
Aph.3.7. *Pituita & phlegma fiunt temporibus pluuiosis.*
In Aph.1. lib.3. Denique: *In temporibus magnæ mutationes vel caloris, vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis, ventorum aut horum defectus pariunt morbos.*

Quibus euidens est, quòd omnes morbi proueniant à ventorum natura aut calida, frigida, humida & sicca variantium afflatibus, iuxta Hippocratis & Galeni consensus.

CAPVT VII.

Quòd ex meteoris Occidentalibus tam macro quàm microcosmicis nonnulla sunt venenosa, seu contagiosa.

Meteora occidentis contagiosa sunt { Febris pestilentialis Typhodes dicta. / Epileptica spuma.

VT authores obseruatione docti Corum esse pluuiosum, grandinosum, & quandoque fulminosum atque tempestuosum, ita quidem seminaria quandoque ipsius notauerunt esse contagiosa, vnde Fregius, Pestiferi & noxii Auster & Corus; quamuis Corus per se sit ad siccitatem Aquilonarem aliquantisper inclinans, tamen quando cum ipsius flatu in toro aëreo coit Eurus, attenuantur eius in aëre effectus per Euri caliditatem, gelidi, & cum fulgure orientali permiscentur, vnde putredo sequitur. Atque ista est ratio, videlicet ob ventorum istorum in effectu contrariorum quòd Epilepticus spumam edere assolet contagiosam in suo paroxysmo, quia nempe ventus siccus cum humido grosso in aëris condensati gremio includitur: nam Corus tales in macrocosmo effectus producens, pares etiam in aëre microcosmo proferre solet: nec quidem immediatè post venti alicuius in aëre dominationem expectandi sunt ipsius effectus, sed satis longo tempore pòst, vti Hippocrates *per totum eius lib.3. Aphorismorum*, & Galenus in eundem agnoscere & confiteri videntur: nihil enim est certius, quàm quòd seminaria ventorum tam salubria quàm insalubria, atque etiam meteororum ex ventis in aëre procreatorum, diu & per multum tempus inuisibiliter in aëre natabunt, priusquam effectus suos bonos vel malos, iuxta voluntatem eius qui ea per ministros suos angelicos à quatuor mundi quartis dispersit, exequantur in terris atque in aquis: vt in tractatu meo de morborum causis perspicuiùs. De Typhode ergo sic Galenus:

In Aph.7. 42. *Humoris pituitosi putredo igneum calorem accendit: in quibus autem sine partis inflammatione putrescentes in venis humores febrem accendunt, atque febrium harum differentiam Hepialon, Lipyrian, Eloden, & Typhoden pestilentem & ardentem faciunt.*

CAPVT

Caput VIII.

De meteoris Occidentalibus præter naturam solidis.

Solida, tumida & dura ex liquidis sunt:
- Leucophlegmatia.
- Oedema.
- Polypus.
- Strumæ, seu glandulæ.
- Scirrhus pituitosus.
- Vitiligo alba, &c.

Diximus *in capite præcedenti*, quo tres in mundo gradus ad spiritum, humorem & corpus, non aliter quàm ad simplicē mundi compositionē cœlum purum, æthereum scilicet, & cœlum de vtroque extremo participans, elementare videlicet, & terra quasi corpore & solido, vel in sublunari respectu, aër seu spiritus, aqua seu humor, & terra seu corpus. Horum autem motor & agitator, siue anima interna est lux diuina, seu virtus ignea æterna, vel in beneuola vel maleuola sua proprietate: non aliter enim se habet res in microcosmo, quippe qui cùm sit ex spiritu, humore & corpore conflatus, ita quidem spiritus macrocosmicus, in eius spiritum, humor macrocosmicus in eius humorem, & corpus macrocosmicum in eius corpus seu partem terrestrem, centraliter & radicaliter operante verbo diuino, mouere & effectus varios producere solent: nec quidem verum esse potest, si originem rerum respiciam, credere quòd terra agat ad producendas aquas, aut aquæ ad productionem aëris, aut aër ad productionem ignis, sed superiora, videlicet subtilia & tenuia dicuntur agere in inferiora & crassa: nam quò magis res est tenuis & subtilis, eò etiam magis actiua est, nam crassa & tenebrosa quieti magis sunt dedita; vtpote in quibus frigiditas magis abundat; quòd autem frigiditas in re aliqua magis exuperat in eo est euidens, quoniam est crassa & densa, & consequenter opacitati & tenebris obnoxia, vt in gelu, niue & pruina videre licet: quare quàm sit absurdum credere, quòd corpora possint per se agere ad humorum productionem, vel ad humorum procreationem, vel denique humores ad spirituum procurationem, vos latere nequit, qui notitiam habetis in rerum naturalium ortu: & quamuis tumores duri in humorem resoluantur, & humores in spiritus, tamen hoc fieri assolet per viam reductionis & resolutionis quæ nequit fieri nisi mediantibus principiis ignis & aëris, à quibus res densæ fuerunt primitus deriuatæ, nam omnis res oritur à tali in quale vltimùm potest resolui: sic glaciem in aquam mediante aëre calido, & iterum aquam in aërem quasi supremum fontem materialem, à quo reducitur operante verbo: sic dictum est, *spirante Deo concrescit gelu, at simul ac efflat verbum suum liquefacit ista in aquam densam*, à qua fuerunt priùs, & deinde ab aqua densa in aërem, ex quo fuit radicaliter quoad substantiam. Quare certum est quodlibet meteoron solidum fuisse ex meteoris humoralibus, vt & humorale ex spiritualibus: non ergo potest corpus resolui nisi mediantibus humoribus & spiritibus. His ergo præcognitis ad meteororum horum fontem sic accedimus.

Galenus ait, quòd Leucophlegmatia Græcè, Alba pituita Latinè, *fit cùm in vasis & in toto corporis habitu multa pituita alba fuerit coaceruata*. Et *alibi*, *Pituitoso excremento in toto corpore succedit Hydrops leucophlegmatias dictus*: cùm in vna insedit particula dicitur Oedema, *quod est indolens & laxus tumor*. Et *iterum*: *Vt per Oedema à pituita tenui, ita à crassa & glutinosa vnum scirrhorum genus oritur.*

Etiam Polypum, qui *est tumor præter naturam carni similis in naribus genitus*, ex crassis & viscosis humoribus ortum suum duxisse affirmat ipse.

Vt etiam agnoscit, quòd morbus articularis, cuiusmodi est podagra & chiragra, & gonagra, si sit cum frigidis humoribus, ex pituita fit, ita quidem illam pituitam diuturnitate incrassari & in gypseam, vel duram substantiam concrescere videmus, & podagra vel chiragra nodosa dicitur.

Scrofulæ, quæ & Strumæ Chœrades, & Parotides ac Eparmata dicuntur, sunt *Apostemata nodosa, siue glandulosa secus aures, atque etiam in manus aut pedis digito, in inguine, & sæpissimè in collo*: & quamuis Galenus Eparmata dicit esse, è genere inflammationum, quæ fiunt glandulis circa aures affectis, Paulus cum Hippoc. non inflammationem, sed affectionē tantùm dixit,

In Aph. 71. 7
Leucophleg.
De symp. caus. l. 3. c. 1.
Oedema.
Scirrhus.
Lib. de tum. p. n. c. 10.
De comp. phar. sec. loc. c. 3.
In Aph. 6. 47.
Introd. c. 23.
Lib. de med. fac. par. c. 11. 13. Method. 5
Hipp. com. 4. in 6. De mor. vulg. 1.
3. comp. med. sec. loc. 6. 2.

dixit, vt tumor omnis, siue Oedematosus siue scirrhosus citra inflammationem, & consequenter ex materia pituitosa.

In Aph. 2.4. Præterea tumores inflatos, & pustulas totius corporis qui colorem habent ad humoris speciem, in pituita consistere fatetur.

Introd. 24. Denique pro Vitiligine alba sic: *Vitiligo duas habet species, albam & nigram; hæc ab atra bili, illa à pituita generatur non alba.*

Atque hoc modò probationes meas vobis exposui, quibus etiam ex consensu tam Galeni, quàm Hippocràtis, probaui morbos phlegmaticos vel à ventis occidentalibus procedere, vel à mixtione & coitu duorum illorum ventorum cardinalium natura contrariorum, qui à polis spirant, quorum mensura venti occidentales ponderari, & in sua constitutione variari cognoscuntur: nam si (vt diximus antea) per vnum gradum fortior fuerit ventus Borealis, quàm Auster, aër tunc induet temperiem illam, quam Corus suo spiraculo producit in eo, efficietque aërem ad niues vel grandines magis pronum: at si Auster per vnum gradum flatum Borealem superauerit, erit qualitas, siue dispositio aëris ac si Africus flaret: vbi verò hi ambo in mediocritate conueniunt, ibi nubes aqueas nec nimis calidas nec frigidas produci cernimus, estque aëris temperies naturaliter pituitosa siue aquea, hoc est, in eodem statu, ac si Fauonius in campum aëris apertum flatus suos emisisset, quo tempore aër in aquæ elementum conuerti apparet; quare non interest dicere quòd spiritus à cardine occidentis spirat, & Auster ac Septentrio æquali mensurà & virtute in aëre luctantur, vel quòd Corus flat, & Boreas prædominans aduersus afflatus Australes nititur, vel quòd Auster prædominans cum Borea contendit, & Africus flat. Pari etiam ratione res se habet in alteratione, vel Cori à suo contrario Euro, nam quò magis Eurus vigorem Cori æquare videtur, eò debiliores sunt Cori afflatus in aëre, & ipsum magis æstuosum & fulmine permixtum facit, & sic in cæteris; videlicet in respectu Fauonii cum Subsolano, & Africi ad Cæcium. &c. Hinc ergo dixerunt Hippocrates & Galenus:


Aphor. 3.13. *Si æstas sicca fuerit & Aquilonia, Autumnus verò Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, distillationes, raucedines, grauedines & quibusdam tabes.*

Aph. 3.12. *Si hyems Australis & pluuiosa & clemens fuerit, Ver autem siccum & Aquilonium, dysenteriæ, lippitudines siccæ fiunt, senibus autem distillationes quæ citò interimunt.*

Aph. 3.11. *Hyems sicca & Aquilonia, Ver pluuiosum & Australe, æstate facient febres, lippitudines, dysenterias, &c.*


Hucusque denotat mixtionem naturæ Aquilonaris inæqualem cum Australi, & insalubres eius effectus, qui ex parte Fauonii malè affecti, hoc est, circa lineam æquinoctialem coeunt: hinc tam authores quàm experientia testantur, quòd cardo occidentalis sit phlegmaticus, aqueus, frigidus & humidus, in se valdè salutaris, florumque productor, quatenus in frigiditate & humiditate sua temperatus: quare ei pituitam dulcem assignauimus, quæ, teste Galeno, est secundùm naturam. At quia durante tempore quo Auster prædominabatur in Boream, aër se habet vt flante Africo minùs frigido, magis humido, cuius natura est nubes facilè in pluuias liquescentes, & tempestates atque etiam morbos sua vehementia edere: at vice-versa flante & dominante Borea in Austrum, aër redditur ac si Corus flaret, magis frigidus minùs humidus, qui in sua natura est pluuiosus, grandinosus & morbosus.

LIBRI



LIBRI SECVNDI
PARTICVLA TERTIA:

De Meteoris morbidis, ex parte Orientali procedentibus.



CAPVT I.

De ventis lucidis in ſpecie, & quòd tam in tenebroſo ventorum genere, quàm in lucido ſint mas & fœmina, agens & patiens, calidum & frigidum.



ON erat inconſultè à Mercurio Triſmegiſto dictum, quod *Deus ſit vtriuſque ſexus fœcundiſſimus*, & à Syneſio, quòd ſit modò mas, modò fœmina, & quòd reuera ſit vnum & omnia, cùm ab ipſo & quaſi ex ipſius ſubſtantia, qui eſt actuum actus, non aliter paſſiua omnia deriuantur, quàm à latere Adami viri Euam mulierem fuiſſe extractam legimus. Sic quidem in rerum omnium principio inuenimus, quòd à potentia diuina ſeu chaos vtero, luce diuina obſtetricante partum ſit catholicum mundi paſſiuum; videlicet aqua; ſiue (vt M. Triſmegiſtus vult) natura humida: nam vt tenebræ, ſeu potentia diuina in ſua natura ſit frigida ſicca, & conſequenter quieti deditiſſima, & ſeipſam quaſi recondens in ſe, & ex altera parte lux, ſeu actus diuinus ſit in ſua conditione calidus & ſiccus, ita quidem frigoris tenebrarum reſiſtentia caloriſq; lucidi actione in medio factis, producitur tertium quiddam, quod participat de vtroque extremo, ſed neutrum extremorum exiſtit: atque illud eſt humidum mundi radicale, quod loco patientis ſeu fœminæ in mundi & creaturarum creatione ſe habet, vnde D. Petrus: *Cœli erant prius ex aqua & per aquam conſiſtente verbo*, id eſt, luce diuina congelatos frigoris in chaos tenebroſo dominantis diſſoluente effectus: nam actione calidi in paſſiuum congelatum vapores ſeu vaporoſa quædam conditio imprimis procreatur, quæ eſt natura humida de duobus extremis participans. 2. Pet. 3.

Hoc etiam experientia comprobatur, nam ſi frigus Septentrionale habuerit dominium, res omnes aqueæ ſiue madidæ congelationem eò maiorem patiuntur quò frigus erit intenſius, at verò res illa humida iterum extremo caloris actu in tãtam ſubtilitatem per viam diſſolutionis redigitur, vt etiam in naturam ignis tranſire videtur, quemadmodum in aëre extremè calefacto declaratur. At ſi in gradu mediocri fiat iſtiuſmodi reſolutio, certè in fluidã aquæ viſibilis conditionem reducetur, quæ quaſi fœmina eſt apta ad recipiendas omnes impreſſiones vtriuſque extremi, videlicet frigoris & caloris. Atque iſtiuſmodi conditionis eſt ventus Occidentalis, cuius natura media de mutua in caliditate Auſtrali ſiue Orientali & frigiditate Boreali conditione dependet. Sciendum eſt ergo, quòd vt humiditas iſta eſt fœminina & mollis reſpectu extremorum, videlicet ignis & terræ, quæ ſunt ſicca & conſequẽter virilia, ita quidem ipſa vt loco fœminæ vtrique extremo inſeruire potuiſſet in duas diuiditur partes, videlicet in aquam quæ eſt terræ vxor, & aërem qui ignis eſt fœmina.

Hinc ergo liquet, quòd ventus Occidentalis, qui est frigidus, humidus & aqueus est mulier naturalis illi Septentrionali, & quasi concubina atque meretrix vento Orientali, mulier, inquam, naturalis Aquiloni, quatenus sunt ambo tenebrosi, frigidi, & eiusdem quasi sanguinis & progeniei, concubina verò & meretrix Orientali, quia in natura minimè conueniunt, quoniam vt masculus Orientalis est igneus, calidus & siccus, ita fœmina Occidentalis est aquea, frigida & humida, quare partus ex tali coitu debet esse mixtus & spurius. Pari ratione mulier humida seu vxor naturalis venti Orietalis est ille Meridionalis, qui iterum Meridionalis est meretrix illi Septentrionali. Sunt ergo duo sicci venti masculi, vtpote duri, duo verò humidi & molles fœminini, quorum Boreas est robustissimus, de quo Poëta hæc:

Ouidius.

Idem ego quum fratres cœlo sum nactus aperto
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor
Vt medius nostris concußibus insonet æther,
Exiliantq; cauis elisi nubibus ignes.

Arist. lib. 4. de gener. Anim.

Quòd autem Auster sit ventus mollis & fœmininus, ex dictis Hippocratis & Galeni *suprà* allegatis patet: & Aristoteles sexus differentiam in eo arguere videtur, vbi ait, quòd *si in conceptione ventus fuerit Septentrionalis, infans erit mas; si in Meridie, fœmina.*

His igitur cognitis ab insalubribus ventorum tenebrosorum, ad illorum lucidorum dispositiones iuxta Galeni & Hippocratis sententiam & doctrinam progrediar.

CAPVT II.

De simplicibus ventis Orientalibus, & de ipsorum naturis primariis.

Natura primaria ventorum simplicium ex parte Orientalis, videlicet
- Cardinalis, Subsolanus & Apeliotes dicti est æqualiter calida & sicca.
- Ex collateralibus,
  - Orientalis Eurus dicti est magis calida, minus sicca.
  - Septentrionalis, Cæcias dicti est magis sicca & validè calida, idq; præcipuè Sole in hemisphærio Boreali peregrinante.

QVID sit ventus simplex, quidque meteoron ex ventis, *in præcedentibus* luculenter expressimus; hîc vero de primaria ventorum igneorum siue Orientalium cõstitutione & dispositione nonnulla, licèt succinctè proferam: qui venti vt sunt numero tres, quorum duo sunt collaterales, vnus verò princeps & cardinalis, ita quidem hi tres ab inuicem natura & conditione parumper discrepare obseruantur: nam vt Cardinalis Orientalis Subsolanus dictus à puncto lineæ Æquinoctialis ab ortu spirans est in æqualitate quadam naturali calidus & siccus, vtpote in medio se habens inter vtraque solstitia, ita quidem eius collateralis Septentrionalis Cæcias & Hellesponticus dictus, qui à puncto Tropici Cancri, siue solstitii æstiualis Orientali spirat, magis abundat in siccitate, vtpote ad polum Septentrionalẽ vergens, qui siccitate abundat, nec quidem caliditatis est inops gratia positionis suæ in latitudine solstitii æstiualis, in quo Sol è sua statione æstiuali magis calefacit: at ob istam suam siccitatem non dicitur pellere nubes vt Septentrionalis, sed potiùs retinet eas, & in tenebrosa sua substantia subtiliando, & grosso modo commiscendo obtenebrare solet cœlum siue aërem; hinc de auaro prouerbium: *Trahit ad se Cæcias nubes.* Ob istiusmodi ergo eius malitiam sortitus est iste nomen suum Cæcias. E regione verò Subsolani siue Apeliotes ala Meridionalis Eurus dicta est in natura sua magis quoad nos humida, propter eius ad ventum Austrum propinquitatem. Atque hinc est, quòd iuxta obseruationem nonnullorum res communiter videntur magis grossæ & maiores spirante eo quàm communiter sunt, nam halitus reddit tam humidos & grossos, vt à frigore Boreali quàm facillimè in fumos obscuros & nubes per aëris regionem conuertantur, ita vt ob talem aëris spissitudinem facilè decipiatur phantasia. Est etiam ventus iste admodum calidus, seu potiùs calidissimos zonæ torridæ spiritus ad nos mittit suo spiraculo, vnde fructus & herbas adurere dicitur, & experientia probatur. Sed hîc seriò est obseruandum, quòd in pluribus paginæ sacræ locis sub venti huius nomine in specie omnis ventus Orientalis capitur, vt suo loco perspicuùs declarabitur.

Iuxta

Iuxta variantes ergo horum ventorum naturas variæ humoris biliosi species, variaque meteororum morbosorum ex ipsis ortorum genera procreantur, de quibus *infrà in hoc libro* more Hippocratico & Galenico, & in *libro huius quarto*, more veriori & sacris scripturis consentaneo discurremus.

CAPVT III.

In quo natura ventorum Orientalium secundaria, ex Galeni & Hippocratis sententia discutiuntur.

Secundaria venti Orientalis natura est, vel
- Acris, atque in eius acredine duo respicimus, videlicet
  - Species, est enim vel
    - Amara.
    - Acida.
  - Operationem manifestã, nam
    - Dilatat & dilatando desiccat & abstergit valdè.
    - Dissipat & incidit.
    - Attenuat seu extenuat.
    - Calefactione vrit.
- Salsa.

De gustu, quem producit vis ignea, seu biliosa sic loquitur Galenus, *Amari & Acidi sapores sunt acres*; & ibidem narrat, quòd licèt amaritudo sit calida & sicca per se more ignis, tamen quatenus est acris aliquid humiditatis secum habet commixtum. Porrò describit ipse acria cum suis operationibus in hunc modum: *Amara incidendi vim habent, & extenuandi & abstergendi ac calefaciendi, hactenus tamen vt non vrant.* At narrat quòd sint nonnulla acria & calida, quæ exedunt, vrunt, & crustam faciunt, ac denique colliquant; atque exinde concludit, quòd non omnia acria sint amara. At verò nihilominus agnoscit Hippocrates amara tam acriter in corpus agere, vt ipsum gradatim desiccent: sequitur igitur, vt illud acre quod more caustico & adurenter agit in corpus colliquando, & in crustam reducendo, sit acidum, cùm præter hos duos sapores extrema acredine infestantes non meminisse videtur Galenus: nam de sapore tam acri, quàm salso in his ipse alibi: *Quæ extergunt & eluunt quicquid extra linguam est vltra mediocritatem amara dicuntur, quæ moderatè extergunt & citra amaritudinem asperam salsa sunt: acria verò sunt quæ calefaciunt, efferuescunt & vrunt: id verò quòd calefacit vbi acria præattenuata sunt à putredine fit aciditas.* Hæc ille. Quibus manifestam imprimis inter acria & salsa, & tum postea inter amara & acida differentiam expressit. Ad acida verò quod attinet in ipsorum conditione discrepantiam omnimodo oppositam inter vnius & alterius ipsius speciei differentiam statuere videtur ipse: nam in vno loco dicit, quòd *sapores acres sint omnium calidissimi*, ibique loci ait, *acidum saporem esse acrem*: in alio dicit, *pituitam acidam esse maximè frigidam*; & alibi ait, *ipsam esse admodum frigidam, sed non in tam intenso gradu ac vitrea.* Sed hoc quidem in maiori, vel minori ventorum calidorum cum frigidis permixtione decernitur, nam vbi venti calidi vrunt naturas frigidorum; ibi frigidi & magis terrei retinent in se causticam & corrodentem atque colliquantem ventorum dispositionem: at si præualeant super ventos calidos spiracula frigidorum, ibi quidem frigiditas superabit causticam caliditatis Orientalis virtutem. Nam hoc quidem experientia patet, quippe acida quæ non vrunt sunt cruda, & ad completam actionem peruenerunt nunquam, vti in agresta, pomis acidis propter eorum immaturitatem, &c. At verò videmus, quòd vinum calori seu spiraculo solari expositum à maturitate sua in acetum conuertitur acerrimum quod mediocriter corrodit, vt in perlarum dissolutione & salis lithargyrii & cerusæ extractione videmus. Similiter vitriolum crudum nullam manifestè proprietatem causticam præ se fert, at si ignis flammæ siue spiraculo exponatur, ita vt in suum Colcothar reducatur, hoc est, vt rubificatione ab ipsius humiditate priuetur admodum reddetur causticum & adurens. Non est ergo illud ineptè à nobis prolatũ, quòd cruda aëris dispositio quæ ad astrictionem inclinatur, videlicet ipsa quæ vim suam ab Aquilone accepit, ventorum calidorum spiratione facilè reducetur in vim radentẽ: nam ex istiusmodi aëre conflatur melancholia illa quæ radens dictitatur: sic quidem dulcia, teste Galeno & Hippocrate, cuiusmodi sunt mel & saccharum in amaram adustionem facillimè vertuntur, vt & amarè acria in acida. Nonne videtur Galenus hoc idem quasi his paucis asseuerare? *Acida frigiditas* (inquit) *tenuium est partium, at astringens est crassarum, vbi verò mixta erit cum acrimonia, ibi coniiciendum acrimoniam inesse.* Quo sermone iuxta intentio-

De simpl. med. fac. l. 4. c. 18.

De simpl. med. fac. l. 4. c. 17.

Aph. 4. 13.

Fol. 3. T. 5.

De simpl. med. fac. lib. 4. c. 17. & 18
In Aph. 4. 2.
de diff. feb. l. 2. 6.


De simp. med. fac. l. 4. c. 2.

intentionem meam arguit naturæ acidæ & frigidæ in conditionem acrem ſeu calidam & ſiccam tranſitum.

Denique ipſius ſalſedinis ſaporem Euro, quatenus de humiditate Auſtri ſenſim participanti, vt per nubium ex eius afflatu congregationem patet, attribuimus: nam ſi ipſe ſuper humidum ſuum oppoſitum Corum videlicet inſultet, adurit, eius aquoſitates, ſiue nubes à Cori flatu productas, easque fulgure accendit, & in nubibus ſalſedines nitroſas quandoque parturire ſolet, vti in lapidibus à cœlo in terram cadentibus decernere queamus: ſic etiam ſi res duras, videlicet ligna, lapides, in cineres cremamus, ex ipſis tali aduſtione mediante aqua eliciemus ſalia. Atque hîc obiter notare poſſumus, quòd ex quocunque vento tonitrua emittuntur, ex illo & per illum aqua ſalſa ſiue humor ſalſus eſt eliciendus.

Capvt IV.

Quomodo effectus ventorum Orientalium maleuoli afficere poſſint tam animum, quàm corpus.



SCiendum eſt imprimis, quòd in vento huius quartæ Cardinali media ſit temperies inter extremam caliditatem & extremam frigiditatem: nam quando Sol eſt in aliquo ſolſtitiorum, tum polus ei oppoſitus eſt extremè frigidus, vt & ipſe Sol extremam æſtatis caliditatem in illo exercet hemiſphærio, in cuius tropico videtur ſtare, quare æquator qui in medio eſt inter duos polos atque etiam tropicos, neque nimio calore æſtuat, neque nimio frigore alget, ſed in eius ſede frigiditas vnius extremi temperat caliditatem alterius. Hinc ergo Hippocrates ſic ſcribit:

Hipp. lib. de aëre. aquis & locis. *Aſia eſt regio Europa multò manſuetior, ſunt & homines benigniores & cultiores; cauſa horum eſt temperata temporum anni miſtura, ſi quidem in medio Solis exortu ſita eſt ad Auroram à frigiditate & caliditate omni remotior, & conſequenter in medio earum exiſtit, vnde nihil ibi præcellens eſt & cogens violenter, ſed per omnia æqualitas viget.* Hæc ille. Hinc igitur, ait Conſtantinus, quòd Subſolanus in diei principio ſit ſalubris, quoniam prouenit ab aëre ſubtili & temperato: nam aër in Orientali æquinoctialis puncto eſt purus, ſubtilis & mediocriter ſiccus, quare vult quòd iſte ventus faciat aquas claras & boni ſaporis, & propter iſtam ipſius temperaturam dicitur vitæ & ſanitati conferre. At verò quando Sol eſt in eo, neceſſe eſt, quod calor eius ſit admodum intenſus, quoniam ipſe magis in eam partem reuerberatur à frigore vtriuſque poli: dicimus nihilominus quòd vis maxima adurens à flatu Euri atque Cæcii procedit: & reuera inueniemus ſi rem paulò exactiùs conſideremus, quòd quatuor venti Cardinales, vt plurimùm ſunt benefici, tametſi eos quibuſdam temporibus maleficè cum aëre & mortalibus quandoque agere (idque mandatu diuino) dignoſcimus. Deniq; pro effectibus à ventis iſtis prouenientibus Galenus ſic:

In Aph. 2. lib. 4. *Morſus in ventriculo, ſitis & oris amaritudo, & inflammationes à bili flaua ſunt.* Similiter quòd bilis flaua pariat ſitim teſtatur ipſe alibi ſic: *Quis non intelligit quòd vbi plurima in ventriculo flaua bilis, continetur, perpetua ſiti vrgemur?*

Plura hoc in loco de iſto membro non dicemus, quoniam in diſtinctione ſola, quicquid in ipſo continetur clariſſimè ſine explicatione vlteriori liquet.

Capvt

CAPVT V.

De maleuolis meteororum ventosorum effectibus tam in animo, quam corpore.

Meteora ventosa ex ventis Orientalibus & consistentia aërea compacta male afficiunt, vel

- Animum, vtpote cui inducunt
  - Delirium.
  - Phrenitidem.
  - Furorem, seu mentis alienationem.
- Corpus, quippe in quo producunt
  - Faciei ruborem.
  - Febrem Ephemer.
  - Febrem Causonidem.
  - Ignem sacrum.
  - Inflammationes siccas.
  - Ventriculi æstum.
  - Furorem.
  - Delirium.
  - Voluulum.
  - Capitis dolorem.
  - Cardiacum affectum.
  - Rigores.
  - Tinnitus aurium.
  - Ventositates calidas.
  - Choleram morbum.

QVOD homines cuiuslibet complexionis sint ad furorem & iracundiam æstiuali tempore procliuiores, atque vt in febres tam diarias, quam ardentes continuas & tertianas facillime incidant, neminem in Philosophia versatum latere existimo: At vero quod quælibet anni quarta venti aëris dispositionem magis vel minus in calore vel frigore alterent Hippocrates in *toto suo libro ; Aphorismorum*, & *in libello de aëre & aquis*, & *in illis de morbis vulgaribus*, atque etiam Galenus super ipsos commentans, videntur confirmare:

Iam vero conueniens est, quid ipsi de morbis orientis, seu biliosis ventosis tam animi quam corporis existiment breuiter recitare. Quod aëris feruor æstus nuncupatur nos docet Hippocrates. At quod aëris feruor æstiualis sit causa generationis bilis flauæ, vt & pituitæ hyemalis, atræ bilis Autumnalis alibi testatur ipse. At quod hi anni status mutantur & alterantur alibi confirmant. *Aph.7.17.* *Denat hum. 37* *Aph.l.3.*

Deinque quod ventus Eurus seu venti calidi siue sint Australes siue Orientales aërem subito in naturam æstiuam & igneam mutant, negare nequit quispiam, cum tam medicos Ethnicos quam literas sacras habeamus illius rei testes. Hinc ergo certum est quod si venti inflammant aërem cumque æstiuum faciunt, imo vero in æstate ipsum admodum feruidum atque adurentem reddunt, certum est tales ventos bilem procreare & consequenter quod spiritus humoris biliosi sint ex ventis calidis orti, qui non aliter suas in aëreo hominis spiritu agunt partes quam Eurus, Cæcius & Subsolanus in aëre mundi. Hinc ergo accidunt animi seu spiritus morbi à flatibus seu spiritibus biliosis qui solent illa anni tempestate magis vigere & dominari in qua aëris feruor & æstus magis exuberat, æstatis nempe tempore, vel etiam flantibus ventis qui spirituum biliosorum sunt parentes. Ob istam igitur causam turbidæ spiritus humani affectiones ex cholera genitæ, cuiusmodi sunt febres spiritus accendentes, deliria, furores, mentisue alienationes frequentiores sunt & magis rebelles temporibus in quo spirare solent Orientales aut Australes, aut quando hi venti sunt in alijs quartis diuturniores.

Quod autem istiusmodi morbi sint ex bile flaua sic testatur scriptum Ethnicum. *Bilis* (inquit Hipocrates) *ad caput ascendens facit delirium*, & *alibi, Furorem facit*, & *alibi. Bilis flaua superassata facit desipientias periculosas.* Et Galenus, *duas facit mentis alienationis species, vtpote quarum vnam vocat maniam vel insaniam, quæ orta est à flaua bili, vnde fit vt tales patientes sint tumultuosi ; præcipites & manu prompti , altam vocat melancholiam.* Hæc ille. Quibus liquet, quod istiusmodi species biliosa sit spiritus ex bile volatilis propter subitaneum eius ad *Aph. 4.70.* *Aph.5.21.* *Aph.6.53.* *Introd.c.14.*

Q 3 caput

caput ascensum, atque etiam propter facilem ipsius ad arcanos cerebri locos penetrationem.

Talis etiam spiritus, sed in grossiori & magis fumosa forma quandoque videtur inquinare spiritus tam in sanguine conclusos, quam ipsos etiam humores naturales qui extra vasa sanguinea comprehenduntur: vnde fit quod in corpore varios solet ipse procreare morbos quos in distinctionis prædictæ membro recensuimus. Faciei autem rubedo subitanea fit à flatu bilis leui in hepatis caua recidente, quæ minima alteratione ciborum aut potuum, aut verecundiæ, aut iracundiæ sursum vehitur in faciem. Febris etiam Ephemera est vapor biliosus in spiritibus citra humorum putredinem accensus. Pro cæteris sic, *Morbus regius, morsus in ventriculo, sitis, tertiana febris, febris ardens à bile flaua fiunt.* At de Causonide *alibi* sic, *Causos febris species à bile sicca circa venas*, de quibus Galenus sic, *Simplices inflammationes in iecinore febres continuas afferunt.*

1. diff. feb. c. 5. In Aph. 2. lib. 4. Introd. 15. Intr. c. 15.

Pro æstu ventriculi, furore & dolore capitis sic. *Bilis flaua in stomachi tunicis bulliens æstum facit fortem, in capite facit dolorem, ad caput ascendens facit delirium, & dolorem auget, furorem incitat.*

Aph 4. 70. Aph. 6. 5. Aph. 5. 21.

Voluulus (teste eo) & Colicus, sunt inflammationes flatuosæ intestinorum cum dolore vehementi.


Introd. 15. In Aph. 4. 65.

Cardiacum morbum, siue Cardialgiam, qui est cordis, seu oris ventriculi dolor & morsus à forti ventriculi æstu, flaua bile in ipsius tunicis ebulliente genitus, vt & ipsam bilem per omnem corporis habitum facere rigores *alibi* asseuerauit. Præter hæc tinnitus aurium ab ascendente vapore bilioso ad caput in febribus accidere solet, teste ipso: imo vero & aurium dolorem, facit pars à bile inflammata, idque precipue quando neruus auditus ad inflammatam affectionem peruenit. Denique ait ipse, quod Cholera arida fit ex spiritu flatuoso acri, vt illa humida ex humoribus acribus.

Introd. 13. In Aph. 4. 65. De comp. pharm. sec. loc. lib. 3. c. 1. Hipp. de vict. rat. in morb. acc comm. 4.

Capvt VI.

De humoris biliosi speciebus, & ipsarum tam in colore, quam consistentia multiplicitate.



HIc occultum illud in natura arcanum, videlicet; quo modo & qua ratione humor ex spiritibus procreetur vobis enucleare contendam: nam vt ex vno spiritu ventoso aërem in nubes minime alterari diximus, quoniam aër fugit & recedit ante eum; ita quidem requiruntur ad minus duorum ventorum vt plurimum contrariorum concursus, quibus aër in speciem primum vaporis, & deinde humoris contrahetur; est igitur humoralis liquidi consistentia aër condensatus, eius vero forma à ventorum flatu à quibus congregatur acquiritur: at ventus ille, qui in cœlo maxime dominatur & præualet hu-

let humori tunc temporis procreato suam denominationem dabit. Exempli gratia, in bilis flauæ procreatione fit concursus alicuius ventorum Orientalium cum aliquo ex Occidentalibus sibi contrario, vt puta Euri cum Coro, Subsolani cum Fauonio, Cæcii cum Africo; hic vero obiter intelligendum est, quod humores naturales fiunt vt plurimum à concursu Cardinalium: Bilis vero ab vnione naturæ Subsolani & Fauonii, sed præcellit æstus in humore, & quo magis æstus excellit, eo intensior erit bilis: quo liquet, quod ventus frigidior se habet loco fœminæ, calidior vero viri: sed hoc ipsum probabo ex consequentia sententiæ Galeni, *Bilis* (inquit) *flaua dum humidior est pallet, dum craßior vitello oui calore similis.* Quo arguere videtur, quod quo magis abundat pituita serosa in bile flaua eo magis liquida & aquea existit, & ad calorem aquæ tendit, ac si dixisset quo fortius in procreatione nubis seu nebulæ biliosæ ventus Occidentalis flauerit, eo etiam tenuior & pallidior erit bilis, & tamen habebit denominationem à vento Orientali, & dicetur bilis pallida vel flaua. Sed facile id est, ratione certa probabitur hoc: nam vt ventus Orientalis per se est igneus & calidus atque siccus, ita quidem si solummodo ad bilis generationem concurreret illam quidem redderet siccam & non liquidam, vnde patet, quod ad liquefactionem ipsius ventus aliquis humectans requiritur. Concludit ergo Galenus sic: *Biliosus humor semper fere cum serosa superfluitate est:* ac si asseruisset, Biliosus humor sine pituita seu fortis Orientis flatus sine illis Occidentalibus, vel saltem humido consistere nequit. At vero si eueniat, quod nubes bilem procreans sit magis sicca & æstuans, ibi est euidens quod Orientalis, puta Cæcius (qui ventus est admodum siccus) prædominetur magis, & vis Africi sit admodum in ea remissa & debilis, & tunc bilis talis est magis intensa, imo vero rubra, vel æruginosa, & quasi sicca, vel est spiritus acris ab ijs ortus. Ob istam ergo rationem Galenus de morbo illo bilioso Cholera dicto sic loquitur. *Cholera morbus duplex, cum alia sit arida, alia humida, humida ex acribus oritur humoribus, sicca ex spiritu flatuosa acri.* Sed iam nunc aggredior hoc ipsum probare argumentis magis solennibus ex pharetra Galeni & Hippocratis depromptis.

T.1.118.d.

Aph.6.50.

Hipp. de vict. rat. in morb. ac. com. 4.

Respiciendum (inquit Hippocrates) *est in vrbis situ, quando ad ventos & solis exortum iaceat, non enim æquales vires sunt ad Septentrionem sitæ & vergentes ad Austrum, neque eius quæ ad Solem orientem, & eundem occidentem: nam quæcunque ciuitas ad ventos sita est calidos, putæ eos qui inter brumalem solis exortum itidemque occasum perflant, huic hi venti sunt peculiares, à Septentrionalibus tuta ac protecta ea ciuitas existit, &c.*

Hipp. de aere, aqua & loc.

Quo sermone denotat aërem locorum in salubritate & insalubritate variari secundum ipsorum ad ventos calidos, vel frigidos dispositionem: at vero cum omnis aëris alteratio fit per ventos in humores, sequitur quod ipsi venti mediante aëre humores diuersos secundum ipsorum conditionis varietatem procreent; quod etiam verba eius hæc consequentia verificare videntur: si æstas (inquit) sit pluuiosa, & Austro multum perfletur, similisque sequatur Autumnus, necesse est hyemem morbidam esse, & ijs qui pituita abundant febres ardentes fieri, qui vero bile abundant costarum ipsos abscessus, pleuritides & peripneumoniæ affligent. Quo arguere videtur, quod Australes flatus cum calore æstiuali quasi Orientali (quæ est plaga mundi ignea) & temperie inæquali Autumni tales generent humorem putridum ex bile & aëre corrupto compositum, qui sanguinem præternaturaliter æstuare & diuersis meteoris morbidis ex humoribus mixtis inquinari facit. Tunc sic, *Si ver & æstas sicca fuerint, & Austro perflantur, sequens vero Autumnus pluuiosus ventis Septentrionalibus vigentibus, capitis dolores ad hyemem expectare oportet, & cerebri corruptiones, ampliusque raucedines, grauedines & tusses, & aliquibus tabes, &c.*

Imo quidem Hippocratem *lib. suo de aëre, aquis & locis*, & *lib. de victus ratione in morbis acutis* & *lib. omnibus de morbis vulgar.* atque etiam *lib. 3. aphor.* de hoc subiecto plenum reperietis: quibus innotescit, quod aër à ventis de vna in aliam naturam mutatur, & de spiritu in humorem variformem iuxta spiritus flantis dispositionem alterantur. *In temporibus* (ait Galenus) *magnæ mutationes vel caloris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis, ventorum aut horum defectus producuntur morbi:* hoc est, generantur meteora liquida, morbosa, quibus præter naturæ leges tractatur homo: nam pro pituitæ salsæ ortu sic Galenus, *Superueniunt dysenteriæ quando hyems est Australis & pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium*, quia tunc fit pituita salsa & hinc inde mordens & abradens intestina.

In Aph. 12. 3.

Porro etiam super eundem aphorismum ipse narrat rationem generationis cuiuslibet speciei pituitæ. *Inest* (inquit) *hoc pituitæ generationi vt quæ à forti sit frigiditate acida euadat, quæ à caliditate replente caput salsa, sicuti quæ fit à pauca frigiditate vel paucam dulcedinem vel nullam manifestam qualitatem habet. Ergo quæ propter eam, quæ fuit in hyeme caliditatem salsa erit, & hac ratione dysenteriam maxime generat.* Hæc ille.

His

His igitur declaratur, quod humor tam macrocosmicus quam microcosmicus ex spiramine ventorum fiat. Et quemadmodum aër macrocosmicus se habet, ita quidem & ille microcosmicus: vnde Galenus. *Cum aëre alterantur animalium corpora, nam per imbres fiunt humidiora, per squalores sicciora, & cum vigent calores caput erit firmum, cum frigora erit ipsum quidem leuissimum, cæterum thorax & pulmo laborabit*: vbi per calores ventos Orientales vel Meridionales, quos vocat calidissimos & modice humidos intendit, nam venti calidi augent calorem solarem. Nonne etiam ait *alibi*, quod *hyeme vigeat pituita, sanguis vere, æstate bilis flaua, & Autumno bilis acida & atra*? Atque iterum sic Hippocrates, *Ineunte hyeme bilis, quia iam refrigescit, decrescit & pituita de integro augetur, cum à frequentibus pluuiis, tum à longitudine noctium: at æstate bilis suppullulat.* Et *alibi*, *Pituita & phlegma fiunt temporibus pluuiosis*. Quibus constat per contrarium, quod temporibus siccis & calidis bilis oriatur.

In lib. Hipp. de morb. vulg. 8.
In lib. 1. Ibid. 1. Ib.
Hipp. de nat. hum. 37.
Aph. 3. 7.

Quod cum ita se habeat nemo dubitare queat, an venti calidi & sicci possint aërem mutare in conditionem biliosam, cum frequentiori & diuturniori eorum flatu etiam hyems tanquam ver, & ver atque autumnus tanquam æstas reddunturiat testimonijs præallegatis constat, quod æstatis sit generare bilem flauam vt & Autumni bilem acidam. Nonne etiam fatetur, quod hyems humiditate, frigiditateque exuberat, æstas calore & siccitate, ver in medio vtriusque, vtpote de caliditate vnius participans & de humiditate alterius! Autumnus deniq; de frigiditate hyemis superuenientis & siccitate æstatis præterlapsæ gustat? Anne aliquam in conditione ventorum ab istis anni quartarum differentiam inuenitis? cum Septentrionales correspondeant Autumno & melancholiæ sint genitores, vtpote frigidi, sicci, & terrestres: Australes veri & sanguinis tam corruptores quam genitores sunt, vtpote calidi, humidi & aërei: Orientales æstati, & bilis, quatenus sunt calidi, sicci & ignei, sunt authores: Occidentales hyemi, & pituitæ sunt patres, quippe in natura sua frigidi & humidi atq; pluuiosi? Nonne videtur Galenus hoc totum in his paucis includere, *In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis, siccitatis, ventorum, aut horum defectus potissimum pariunt morbos*? Concludimus igitur, quod venti gubernant aëra, eumque mutant de conditione in conditionem quotidie, modo eum contrahunt, modo dilatant, modo densum reddunt, modo subtilem, nonnunquam congelant iterumq; dissoluunt, quandoque per eius spiritum varieformiter ad diuersorum meteororum generationem operantur, vel in formam vaporosam, vel nubilosam ipsum redigendo, nam ipsum sibi vehiculum faciunt, iterumque in niues, grandines, gelu, pruinam, imbres, pluuias, rores, fulgura, coruscationes, presteres, cometas, stellas cadentes, dracones volantes, capras saltantes mutant, & infinitas alias impressiones ei imponunt, est enim aër Catholica quasi conditoris æterni cera, in quam ipse impressiones multiformes iuxta voluntatem suam per quatuor suos spiritus cardinales, qui sunt eius sigilla organica, efficit; vnde quandoque ipsum in humorem igneum mutat, vt in fulgure, prestere, seu sulphureis pluuijs, quorum halitu humor biliosus & thermæ calidæ creantur, quandoque humores acides, vt in fontium acidulorum generatione, quandoq; humorem insipidum & dulcem, vt in pluuiarum Occidentalium procreatione, quæ non tam cito putrescunt vt illæ Meridionales, nonnunquam salsæ, quales sunt thermæ salsæ, quæ vt plurimum à flatu Meridionali fiunt, nonnunquam humor lentus & fere congelatus, vt in niuibus, grandine & gelu, qualium genitor est vt plurimum flatus Borealis: atque ita per transpositionem naturæ macrocosmicæ in illam microcosmicam seminaria vnius spiritus tam naturalia quam præternaturalia tanquam ab vno agro in terram calidiorem & fertiliorem transferuntur: nam semper in eodem fere caloris statu manet terra humana; si se habeat secundum naturam, nec adeo est eius spiritus crudus ac ille mundi; quare seminaria aëris mundani siue sint bona seu mala subito radices suas capiunt in aëre microcosmico, & vel ad salutarem vel corruptibilem maturitatem venit, vti in aëris contagiosi accessu ad spiritum humanum videre est, nam seminaria inuisibilia respiratione sunt introducta, hi subito corrumpunt spiritum, spiritus corruptus in humorem transit venenosum, atque iterum ille humor in corpus quoddam venenosum coagulatur quod Carbunculum seu Anthracem vocant: pater autem horum seminariorum macrocosmi putridorũ est ventus Australis, vt in plurib. testantur tam Galenus, q̃ Hippocrates.

In lib. 1. Hip. de morb. vulg. 1.
Aph 3. 17.
In aph 3. 10.
Aph 3. 5.
Aph. 1. 3.

Pro diuisione bilis tam secundum suæ consistentiæ rationem, quam colorum varietatem sic loquitur Galenus, *Flaua bilis euadit sæpenumero admodum humida, & fit tum non flaua sed colore pallida: haud raro incrassescit & vitellis ouorum fit similis, vnde & vitellina appellatur.* Et *alibi* sic, *Bilis tenuis, fluida & humida naturalis est. at cum vltimum est cocta flaua est, ignea & crassa, & hæc præter naturam est*: hæc ille. At si quis diceret, natura flatulenta Orientalis Subsolanus dicta, prædominans ex afflatu sibi opposito contemperat aërem ab ipsis in humorem condensatum vt non sit mordax & acris, quoniam frigiditas & humidi-

humiditas Fauonii igneam ſeu calidam & ſiccam Subſolani conditionem moderatur; ſed ita vt natura Subſolani ſit prædominans, hic dicitur bilis naturalis. At ſi nimis propter defectum humiditatis exiccetur bilis atque incraſſetur, tum ex parte Cæcij eſt, qui eſt ventus admodum ſiccus & cholericus, hic fit cholera rubra & æruginoſa. At ſi non ſit tam denſa & ſicca, ſed tamen magis craſſa & ignea atque acris quam illa naturalis, tunc Euro eſt adſcribenda, vtpote qui propter eius propinquitatem ad Meridiem humidior eſt quam Cæcius, nam Cæcius participat de ſiccitate Septentrionis. Sed pergamus.


In *alio loco* omnes Bilis ſpecies ſic explicat, *Bilis flaua aut tenui mixta humiditate & colore pallidior & conſiſtentia humidior redditur. Eſt ergo bilis ſeu pallida, ſeu flaua, ſeu vitellina, In ventriculo porracea gignitur à porrorum ſimilitudine ſic dicta, ſicut æruginoſa, quæ æruginiſimilis, quædam Iſatidis ab Iſatide ſeu glaſto cæſii coloris, eſtque magis fuſca colore braſſicæ & cærulea dicitur*; de huius generatione hæc Galenus, *Flaua bilis ſi ſupra modum aſſatur primum in æruginoſum migrat ſuccum, deinde in nigrum ſupra modum propter febris magnitudinem.* Sic etiam alii vocant choleram rubram, quæ ad tenuis ſanguinis conſiſtentiam maximè accedit. *De atra bile cap. 2.* *De ſimpl. med. fac. lib. 10. cap. 12.* *1. Prorrh. Hipp. com. 1. 10.*

Bilem autem porraceam ad ventum Euro-auſtrum magis pertinere exiſtimamus; quoniam videmus (experientia docti) quod actione caloris vel ſolaris vel fimi, in aquam diu in loco ſtantem, vtpote in ſtagno aliquo, cui nulla eſt aquæ fontanæ acceſſio, vertatur mediante corruptione in ſpeciem viridem: ſic enim videmus ſemina in terram proiecta poſt putrefactionem mediatione aquæ pluuialis humectantis in viriditatem conuerti: quare vt in bilis pallidæ deſcriptione diximus, ipſius conſiſtentiam ex pituita ſeu aqua occidentali & bile ſeu igne orientali in naturali proportione contemperari, ita quidem porraceam ex aqua Meridionali limoſa calore nimio corrupta componi dicimus: nam aqua quæ diu ſtat à calore facile corrumpitur, & in viriditatem vegetatiuam conuertitur: ſic pituita in ſtomachi ſinu diu manens, ſiue quieſcens, & calore non naturali aduſta facile mutatur in iſtiuſmodi ſpeciem.

Hic igitur obſeruare liceat, quod humores omnes ex binis vt plurimum ventis & non ex vnico ſolo conflantur, & ſi humor vnus ſit variabilis & mixtæ naturæ, poteſt etiam de tribus ventis participare. Sed quoniam talia meteora morboſa diximus eſſe meteora ex humoribus, ideo de ipſis *capite ſequenti.*

CAPVT VII.

In quo meteora ex parte Orientis humoralia, quæ præter naturæ leges afficere ſolent, enumerantur atque explicantur.



NEminem rationis medicinalis & philosophicæ compotem latere existimo, quod vnius sit elementi in aliud rotatio, seu mutatio, cum aer rarefactione transeat in naturam seu consistentiam ignis, condensatione in dispositionem aquæ, vt & aqua in illam terræ. Pari etiam ratione citra omnem controuersiam humores, qui ab aere generali siue elementis sunt solent quandoque migrare ab vnius in alterius naturam. Nonne etiam expresse hoc in his confirmat Galenus, *Temporum mutationes in vnum & aliud denotant humorum mutationes, videlicet pituitæ in sanguinem, sanguinis in bilem, bilis in melancholiam?* At quæ, obsecro est istiusmodi temporum mutandorum ratio, præterquam variæ ventorum spirationes, quibus anni tempora in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate alterantur? In *præcedentibus* hoc planius detexi, vbi probauimus clare non esse nisi vnicum Elementum radicale, quod mercurialem mundi spiritum vocaui, quippe in huius vel illius elementi conditionem, iuxta venti qui in eo dominium habet, se facile conuertentem, Verbi gratia in terream constitutionem, frigidam nempe & siccam spirante Aquilone, testantibus pruina, gelu, niue &c. in aeream flante Austro, videlicet calidam & humidam naturam, in igneam seu calidam & siccam & vrentem aspirante Euro seu Orientali, in aqueam, seu complexionem frigidam & humidam flatu occident. prædominante. Verum quid pluribus opus est, cum huius rei experientiam veridicam habeamus testem? si hæc non sufficiet, Hippocratem cum consensu Galeni per *totum libr. 3. Aphorismorum*, hoc idem affirmantem reperietis.

T.1.164.h.c. Gal.

Non igitur est vlterius dubitandum de naturali humorum mixtione, cum nubem in aere ex variorum ventorum seminariis procreari videmus, nubem (inquam) tam densam & aqueam, quam subtiliorem & aeream siue siccam, quandoque fulminosam, eamque vel nigram, vel viride, vel fuscam, nonnullam perpetuo durante tempore suæ apparitionis vrentem & flammantem, cuiusmodi est cometa, draco volans &c. atque aliquando, licet raro aliam putredine contagiosa plenam ranas, locustas, & huiusmodi alia à putredine Meridionali nata è ventre suo impluere: post quarum apparitionem contagiosam aer corrumpi & impressiones pestilentiales producere animaduertitur. Simili quidem ratione ex oppositorum ventorum afflatu, & meteororum in mundo diuersorum productione humores natura oppositi procreantur, & inuicem permisceri ac meteori insalubris naturam ex humoribus mutari dignoscuntur. Sed & hoc ex dictis Galeni & Hippocratis in hunc modum probamus; vbi mentionem de meteoris quandoque ex binis humoribus & nonnunquam ex ternis facere videntur. At quando meteron ventosum de vnico tantum vento intendunt, in hæc verba prorumpunt.

Aph. 3.17. *Quotidianæ quidem constitutiones Aquiloniæ densant, & robusta & bene mobilia, coloratiora & melius audientia faciunt, & aluos desiccant, & oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit dolorem augent*, & alibi.

Aph. 3.6. *Si tempestas Aquilonia fuerit, tusses, faucium duritiæ, alui duræ difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.*

Quo Hippocratis sermone non humoris, sed venti solius effectus in frigiditate & siccitate arguit, nam ob constrictiuam & congelatiuam suam conditionem asperitatem facit hic ventus & rugositatem in pulmonibus & aspera arteria, & contrahit meatum vrinæ suæ siccitate, & suo frigore horrores facit, &c.

Deinde pro vento opposito in nuda sua natura sic.

Aph. 3.17. *Austrinæ constitutiones dissoluunt corpora, humectant. auditum obtundunt, capita aggrauant, vertigines faciunt, oculis & corporibus difficilem motum præstant. & aluos humectant.* Et alibi.

Aph. 3.5. *Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiusmodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur.*

Quibus etiam verbis naturalem tantummodo huius venti conditionem patefacere aggreditur, & non humorem aliquem assignare videtur: nam cum venti istiusmodi natura sit aerem humidum & nubilosum reddere, eumque vaporosum & fumosum efficere, atque etiam teporem notabilem indere, hinc inde procedit ipsius facultas dissolutiua, nam cum calore suo resoluit nodos Aquilonis frigore coagulatos, & humiditate sua laxat siccitatis Borealis habenas. Porrò sua grossitie vaporosa obtundit auditum, vtpote qui aerem subtilem & clarum requirit ad suam actionem, similiter aer attractus per nares in cerebri ventriculos quatenus est densus & humidus, addit humiditatem humiditati, & grauius facit cerebrum, & facultatis tam motiuæ, quam rationis tarditatem & pigritiem reddit, imo vero oculis caliginem, & in sede phantastica vapores grossos, vertiginem excitantes inducit.

De ventis Orientalibus sic.

Sicca

Sicca anni tempora sunt pluuiosis salubriora & minus mortifera. In aph.3.6.

Atque huius rei rationem Galenus sic reddit, *Quia* (inquit) *æstas quæ arida est, absumit & resoluit humiditatem: at putrefactio præcipua morborum causa requirit tam humiditatem quam caliditatem. Ergo* &c. Et tamen tales venti morborum quandoque calidorum sunt parentes, vt in febre Ephemera, Causonide & aliis acutis apparet, qui in spiritu magis, quam humore consistunt. Quare sic alibi. aph.3.15. In aph.3.6.

In siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum morbos expectare oportet. Aph. 3.7.

Porro etiam humores tum postea à ventorum conuentu & præcipue oppositorum, sed ventus in aere prædominans habebit denominationem, sic exprimuntur. Galenus pro pituitæ ortu hæc.

Quando hyems est Australis & pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium, tunc difficultate intestinorum capiuntur, quia tunc fit pituita salsa. &c. Et *alibi.* In aph. 3.12.

Pituita & phlegma fiunt in temporibus pluuiosis. Aph. 3.7.

Et quidem *alibi* tam pituitæ, quam bilis generationem sic denotat Hipp.

Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte fiunt febres longæ; nam aeris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas humiditates: siccitas vero pauciores efficit humores, sed qualitate biliosiores, & ob istam rationem febres sunt numero pauciores iis quam temporibus pluuiosis, sed acutiores. In aph. 3.7.

Quibus declarare videtur, in primo loco, quod humores isti fiunt mediate à ventis aerem vel humidum nimis & frigidum, vel siccum & calidum facientibus: deinde quod fiunt ex aere vel in pluuiam vel in nubem siccam & igneam immediate condensato, & sic in cæteris.

At quandoque ex pluribus ventis aut aeris conditionibus mixti conduntur humores meteorologici qui in meteora morbosa migrare solent, verbi gratia, ait Hippocrates.

Si hyems fuerit sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe, in æstate facient febres acutas, lippitudines Græcè ophthalmias, dysenterias, præcipue mulieribus & viris qui natura sunt humidiores. Aph.3.11.

Ex his ergo elicere possumus, quod Aquilonis flatus primo statu dominium haberet, & seminaria sua dispergeret in aere. Quænam autem sit simplicis ipsius afflatus conditio *superius* expressimus: at statu secundo ventus Aquiloni situ & conditione oppositissimus, Australis nempe, in aerem habuit imperium, & seminaria sua cum illis sui aduersarii septentrionalis permiscebat: hinc ergo factum erat, quod actione & agitatione Solis æstiualis siue status tertij, coitus sit præternaturalis in aere, & semina vndique in vase aereo permiscentur, Messisque ac partus insalubris ideo editur, quoniam ista naturarum diuersarum seminaria semper inter se litigant & pugnant, vnde proles non pacificas, sed putridas & morbosas producunt, quarum natura de duobus extremis participat: nam vt *Constitutiones Aquiloniæ* iuxta Hippocratis intentionem, *oculos propter strictiuam & frigidam suam naturam teneros mordent*, ita *illæ Australes oculis humore suo calido sunt infestissimi:* quare vtriusque seminariorum vnione Ophthalmia generatur, quæ est oculi tunicæ, siue pelliculæ os capitis & caluariam ambientis inflammatio, *in qua*, teste Galeno *alibi*, *oculi album rubescit & palpebræ attolluntur*, ita vt cum dolore conniuent patientes: atque ista inflammatio fit à calore solutiuo Australi mixto cum frigore constrictiuo septentrionali, mediante quo palpebræ attolluntur siue contrahuntur. Nonne etiam videmus, quod ex concursu duorum horum ventorum pituita salsa procreari soleat, quæ est quandoque causa dysenteriæ, vnde Galenus sic *alibi super Aph. 3.12.* Aph. 3.17. 4. de comp. med loc c.2. Introd. c.15.

Dysenteria siue difficultate intestinorum capiuntur homines, quando hyems est Australis & pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium, quia tunc fit pituita salsa, quæ mordens & abradens intestina dysenteriam facit. In aph.3.12.

Hinc ergo iuxta naturam Aquilonis, cuius est *sua asperitate aluum reddere duram*, teste Hippocrate, & illam Austri, cuius est aluum reddere humidam & fluxilem cum caliditate, quod tantus in intestinis factus est præter naturæ leges conflictus, vt humor ille de natura duplici mixtus peruerse & more corrosiuo agat in intestinis, & ab aspera Aquilonaris natura inhæsiuam & magis fixam habet ipse dispositionem, quæ continuo in suo malo perseuerat, vnde dysenteria: nam humoris salsi generatio est talis, videlicet res igneo orientis calore adusta vertitur in cineres, qui quasi de terra seu parte Boreali sunt; ex sicca & terrestri ista natura cum humidis Austri vaporibus mixta extrahitur conditio media quæ est aqua seu humor de madore simplici & salsedine participans: & quamuis manifeste, quatenus in aere est dispersa, non apparet natura ista humida & salsa, tamen postquam Aph 3.17.

in corpus humanum vel venas terræ ingressa erit, facillime per effectus comparebit suos: hinc fontes in terra salsi, hinc pituitæ in vase microcosmico salse origo: nam haud ipsum in philosophia bene versatum existimamus qui in aere more occulto salia nitrosa, lapides, alumina, vitriola, aquas dulces, insipidas, amaras, atque etiam nimium assatas, & finaliter omnia alia quæ cor excogitare queat, non inesse atque inueniri credat, more dico occulto & complicite, ac ad voluntatem creatoris obeundam tanquam in arca sua thesauraria reseruata & recondita. Sed pergamus. Inquit Hippocrates.

Aph. 3. 13. *Si ætas sicca fuerit & Aquilonia, Autumnus vero Australis fuerit & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt & tusses, & raucedines atque grauedines, quibusdam & tabes.*

Hic declarare pergit, quales morbos seminaria Aquilonaria in vno statu per aera dispersa, & illa Australia in alio similiter cum illis Aquilonaribus mixta producere assolent: nam siccitas Aquilonis cum siccitate æstatis duo siccitatis producunt testimonia, atque iterum siccitas, status videlicet Autumni addit vnicum, ita vt tria sunt hic testimonia siccitatis, humiditatis vero non nisi vnicum, quod in natura Australi situm est: at duo sunt caliditatis, videlicet æstatis & Austri, & totidem frigiditatis, Aquilonis nempe & autumni testimonia: at frigiditas vtraque est cum siccitate: nam, teste Galeno, *tam Aquilo quam Autumnus est frigidus & siccus*; verumtamen caliditates inter se discrepant, vtpote quarum vna est cum siccitate, altera cum humiditate. His ergo cognitis, Causam tabis esse nimiam siccitatem percipiemus, atque etiam gutturis & faucium asperitatis & raucedinis, simul atque cum humiditate: hinc etiam doloris capitis atque grauedinis causa, videlicet quia siccitas dominium habens super humiditatem ipsum magis fixum & minus mobile reddit, præter quam quod *natura venti Australis* (teste Hippocrate) *capitis grauedinem & pigritiem parit.* Atque hoc modo ponderatis, cæteris Galeni & Hippocratis locis percipietis quidem quomodo humores simplices ex ventis procedunt, de quibus *hoc capite, & in particulis duabus antedictis*, egimus: Verbi gratia,

Aph. 3. 6. *Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expecta.*

Aph. 3. 17. Videlicet, ob aeris æstiuo tempore humiditatem, seu flatu Australi, cuius est dissoluere, fluidum facere, iuxta Hippocratis normam.

Si hyems pluuiosa & clemens fuerit, ver autem siccum & Aquilonium, lippitudines siccas, dysenterias, & in senibus destillationes quæ cito interimunt, expecta.

Lippitudines siccas propter siccitatem & Aquiloniam veris dispositionem: at distillationes in senibus, quoniam senes sunt naturaliter debiles, & in complexione sua hyemi similes, at hyems erat pluuiosa & humida: nam teste Hippocrate catarrhi fiunt maxime temporibus pluuiosis.

Aph. 3. 16. *Aestiuus status Aquilonius & siccus iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus confert: reliquis vero lippitudines siccas & febres acutas, & grauedines, nonnullis vero atras biles affert.*

Aph. 3. 14. Sic alibi ait, *æstatem pituitosis esse gratam, hyemem vero ingratam, vt vice versa biliosis hyems*

Aph. 3. 17. *est grata, æstas nimis grauis*, vt antea diximus. *Lippitudines sunt ex proprietate Boreali*, vt testatur Hippocrates; at lippitudines siccæ fiunt partim propter duo siccitatis testimonia, vide-

Ibid. licet Aquilonis & æstatis: atque mordentem etiam naturam ab Aquilone (eius enim est mordere oculos) ac itidem ob inflammationem ab æstatis tempore factam, quippe cuius ardor proprietate Aquilonari in maius acuitur: hinc etiam febres acutæ.

Aph. 3. 16. *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte sunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & anginæ. In siccantibus tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia Vrinæ, difficultates intestinorum.*

Aph. 3. 21. *In æstate febres continuæ & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & oris vlcerationes & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & genitalium putredines, & sudamina.*

In aph. 3. 21. *Vento nullo flante, & Austro flante fiunt genitalium putredines.*

Aph. 3. 1. Concludimus igitur cum hoc aphorismo, *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* Atque Galenus *super hunc aphorismum* in verba hæc. *In temporibus magnæ mutationes vel frigoris vel caloris, vel alicuius alterius, vt humiditatis, aut siccitatis, ventorum aut horum defectus, &c.* Sed de his *infrà* latius *in sequenti particula, eo capite*, quod tractat de humoribus Meridionalibus, in quo ventorum in qualibet quarta dominium, quartæque cuiuslibet eorum afflatu de statu in statum mutationem, humorum ex aeris cuiuslibet status seu quartæ dispositione generationem, ac tandem meteororum morbidorum ex prædictorum humorum mixtionibus factorum ortum atque nutritionem paucis explicabimus. Sed ad propositum nostrum.

Quoniam

Quoniam authores volunt, quod Hellesponticus seu Cæcius, hoc est ventus à solstitio æstiuo ab Oriente spirans omnia desiccat, ideo ei meteora biliosa magis sicca & corrodentia siue mordicantia haud iniuria assignaui. Nec quidem oculo rationis videntes insignem huius venti ariditatem negare possunt, quatenus de siccitate Aquilonis terrestri ex vna parte, & illa Apeliotes ignea ex altera participat. At quoniam est *Aquilonis sua asperitate oculos mordere & rugosum facere* (vt ait Hippocrates) *vt & Euri inflammare*, ideo actio vtriusque debet esse magis corrosiua, & mordicans cum siccitate egregia. *Aph. 3. 17.*

Pro herpetis vtriusque descriptione & differentia sic Galenus, *Cum biliosus humor decubuerit qui exactus quidem est, cutim vlcerat, qui vero aquosa sanie sanguineve est mistus, minus est acer, magisque in tumorem attollit partem quam vlcerat: prior Erysipelas, posterior herpes dicitur. Herpes eradens & humore acriori miliaris ex mitiori cum quo fluore pituita est adiuncta, at altera est ex bile exacta, & ob is tam rationem corrodit, vnde fit ab æquali sanguinis & bilis admistione, estque Erysipelatis species.* Et *alibi, Humor biliosus extra sedem & in membris per se consistens inducit ignem sacrum & herpetes.* *Hipp. lib. 1. de morb. vulg. com. 2. 8.* *De Hipp. & Plat dog. lib 8. cap 7*

Inflammationem etiam & vlcerationem atque morsum ventriculi arguit esse de bile. Et iterum, *In ventriculo morsus à bile flaua est.* *Introd. c. 14.*

Porro ait; quod *articularis, si sit calidus, à bile fiat.* *Et Aph. c. 4.*

De vtraque etiam choleræ specie sic, *Cholera est duplex, vna est humida, in qua est eruptio bilis infra supraque, & intestina grauiter torquentur, accedunt etiam & conuulsiones: altera vero est sicca, fitque citra ventris fluorem & vomitum.* *Introd. 14.*

Dysenteriæ (inquit) *fiunt quandoque per se sine alui profluuio, ab humore acri intestina intus erodente.* *Ibidem.*

Denique omnes morbi, qui fiunt à bile nimium assata, huic vento sunt attribuendi.

Ad Subsolani vero cardinem quod spectat, quatenus in medio inter vtrumque extremum se habet, ad choleram magis naturalem se habet, quare fit vt si morbos nonnullos excitet, sint valde leues, mites & non ita sensibiles, & à choleræ naturalis in dispositione non nimis remoti, cuiusmodi sunt Febres Ephemera & morbus regius, in quo bilis naturalis via obstruitur, vnde morbus iste. Atque ob istam etiam rationem, videlicet obstructiones bilis accenditur & febrem facit tertianam exquisitam.

At vero ad morbos illos quos vento Euro ascripsi, ipsi sunt ex bile magis serosa & humida, quoniam Eurus ad humiditatem Australem magis inclinat: hinc ergo est quod morbi biliosi fluxibiles ei attribuuntur.

Dysenteriam ideo dicit Galenus *fieri etiam cum profluuio ventris, humoribus corruptis & biliosis immorantibus, erodentibus & exulcerantibus intestina.* *Introd. 21.*

Et *alibi* ait, quod *bilis amara faciat difficultatem intestinorum* quam difficultatem dysenteriam vocat. *In Aph. 6. 3.*

Porro etiam Tenasmum intestini recti morbum esse ex inflammatione & bile arguit in *loco alio.* *Introd. c. 21.*

Quod etiam Pleuritis & Peripneumonia sit de cholera hisce testatur, *Pleuritis à bile potissime constituitur.* *Introd. 15.*

Et *ibidem Peripneumonia est inflammatio grauis quæ fit à bile.*

Choleram agnoscit esse bilis eruptionem infra, supraque, loco *superius* allegato. *D. comp. phar. loc. lib. 3. cap. 1.*

Denique autium dolorem ab inflammatione biliosa prouenire *alibi* declarat.

CAPVT VIII.

Quaritur, cur Galenus & Hippocrates de ventis solummodo duobus, ad morborum prædictionem & euidentem aeris mutationem, mentionem faciant, cum venti etiam Orientales & occidentales, morborum tam calidorum, quam frigidorum productores pro certo sint.

AT quis haud iniuria replicare potest, ipsum Hippocratem & Galenum non nisi de duobus ventis morbiferis in suis scriptis mentionem fecisse, vnde ergo factum est, quod tu morborum originem de quatuor ventis deriuare tentas? Huic ego sic. Fortasse, imo vero pro certo credimus, ipsos eo loco vbi de ventis siccis mentionem faciunt tam de illis orientalibus quam septentrionalibus intellexisse: quod quidem hisce liquet, idque ab effectu.

Aph. 3. 7. *In siccitatibus febres acutæ fiunt, &c.*

Quo quidem intendit, aerem ad siccitatem & caliditatem procliuem, nam esset quidem contra rationem quod ventus frigidus calidos per se pareret effectus, & præcipue ventus ille qui putrefactioni resistit, cuiusmodi est ille Aquilonius in sua consideratione stricta. At hic dicit, *In siccitatibus febres acutæ, &c.* Quod facit tale, est magis tale, ac febris acuta est calida & sicca; ergo ventus qui morbum istum facit talem debet esse magis talis. Nec probare possumus illam Galeni interpretationem *in Aphor.* 14. 3. quod videlicet, febres accidunt tempore æstiuo, quod est Aquilonium & siccum, quoniam valde exiccat, & aqueam bilis humiditatem absumit, nam siccitas septentrionalium fit per constrictionem magis quam per absumptionem; præterea quatenus frigiditas intensa talem siccitatem concomitatur, eatenus congelatione & refrigeratione agit magis quam dilatatione & calefactione. Verius esse potest, quod febres per antiperistasin accendi possint, videlicet fortificando internum calorem accensum propter priorum inclusionem.

Nonne etiam fassus est ipse *alibi*, quod bilis tempore hyemali sit debilior & quasi extincta propter frigoris dominium? *Ineunte*, inquit, *hyeme bilis decrescit, quia iam refrigescit: at æstate bilis pullulat & augetur.* Quo innuere videtur, quod frigore Boreali potius extinguitur bilis, quam vt accendatur, sed vere agnoscit æstate eam vigescere & crescere, quoniam æstas est magis talis, quam bilis, quare eam talem fecit qualis ipsa est. Præterea cum agnoscit ipse quatuor in corpore humores ab inuicem differentibus ex quatuor anni temporum constitutionibus procreati, videlicet pituitam ab illa hyemali, sanguinem à vernali, bilem flauam ab æstiuali, vt & illam atram ab autumnali: vnde ortū est quod iuxta horum medicorum ethnicorum doctrinam morbi fere omnes à constitutione siue aeris & temporum mutatione oriri videantur, cum clarum est bilem non nisi à calido & sicco procreari, & consequenter nec à venti Aquilonis natura, quæ est frigida nec ab illa Australis, vtpote quæ testibus ipsis est humida. Atque etiam ab eorum potestate excluditur pituita, cum sit in dispositione sua frigida & humida. Quare necesse est quod quatuor ventorum naturæ ad quatuor humorum generationem concurrant, & non tantum duo, iuxta quatuor anni, siue elementorum constitutiones, à quibus distinctis quatuor distincti humores ortum suum ducunt, videlicet pituita ab hyeme elemento aquæ & vento occidentali, sanguis à vere, aere & vento Meridionali cholera siue bilis flaua ab æstate, elemento ignis & vento orientali, ac tandem melancholia siue bilis atra ab autumno, elemento terræ & vento septentrionali. Sed hoc aliter se habere nequit, si rem nucleo tenus considerauerimus: nam certum est, & quam clarissime à nobis declaratum, quod venti sunt Elementorum radices & quod etiam anni tempora conuertantur de statu in statum mediantibus ventis, vt ex verbis Hippocratis patet.

(Margin: Hipp. de Hum. nat. com. 1. 37. & 34. — Hipp. de nat. hum. com. 1. 33. 34. 35. 36. 37.)

Adh. 3. 6. *Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus, &c.*

Aph. 3. 11. *Si hyems sicca & Aquilonia, ver autem pluuiosum & Australe, &c.*

Aph. 3. 12. *Si hyems Australis, pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium, &c.*

Aph. 3. 13. *Si æstas sicca fuerit & Aquilonia, autumnus autem Australis & pluuiosus, &c.*

Quibus expresse declarat, quod venti habeant dominium in quartas anni, earum constitutionē de natura vnius elementi in eam alterius murando, & à propria sua complexione alterando illam videlicet æstatis naturaliter calidam & siccam in proprietatem verna-

vernalem, calidam nempe & humidam, atque illam hyemis naturaliter frigidam & humidam in ſiccam vel calidam & humidam, illam æſtatis calidam & ſiccam in frigidam & ſiccam: denique illam Autumnalem frigidam & ſiccam in calidam & humidam. Hinc ergo concludit Hippocrates, poſtquam ortum humorum ex quatuor anni quartis expreſſit, in hunc modum.

Hæc ergo omnia perpetuo habet corpus humanum, quæ à temperie anni degenerante modo vltra modum augentur, modo imminuuntur, ſingula pro parte & natura. *Hipp. de Hum. nat. comm. 1. 39.*

Verumenimuero, teſte ipſo annuæ temperiei degeneratio fit à ventis, qui aerem de elementi in elementi naturam mutare ſolent, vnde fit, quod iuxta ipſorum flatum humor cuilibet quartæ aſſignatus aut debilior & paucior, aut fortior & auctior redditur. At quoniam iſtiuſmodi mutationes ſunt contra naturæ annuæ conditionem, ideo præter naturæ leges ſe habent humores & morbos parere ſolent.

Hoc etiam Hippocrates & Galenus paucis his *ſupra* allegatis. *Aph. 3. 11.*

Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes aut caloris aut frigoris.

In quem Aphor. Galenus ſic, *In temporibus magnæ mutationes vel caloris, vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut ſiccitatis, ventorum aut horum defectus. &c.* *Aph. 3. 11.*

Concludimus ergo, quod ſi quatuor elementa ſint humorum quatuor radices, vel ſi quatuor anni tempora ſint ipſorum nutrices & fotores, atque etiam productores & quaſi obſtetricis, certiſſimũ eſt quod quatuor venti conditione ac ſitu more dictorũ elementorũ & anni quartarum oppoſiti ſint internæ quatuor illorum humorũ formæ ſpecificæ, vtpote à quibus tam elementa, quã anni quartæ de natura in naturam mutantur atq; alterantur: quare neceſſe eſt credere, quod quilibet humor habeat ſuum ventum à quo radicaliter ortum ſuum duxit, creſcit & in virtute viget, vnde euenit, quod ſi Eurus diu flauerit æſtiuo tempore multiplicabit bilem, eamque ſicciorem & auctiorem reddet, at è regione ſi vel occidens vel ſeptentrio ſpirauerint diu, tunc vt bilis illa debilitetur magis neceſſe eſt à frigore, & ſic in reliquis humoribus. Hinc ergo meliori iudicio cenſendum eſt, quod quando Hippocrates mentionem facit de duobus ventis oppoſitis, hoc ipſo reſpectu locorum nonnullorum fecerit, videlicet gratia ſitus ciuitatis Thaſi, &c. Ita vt per ventos Auſtrales intelligit illos, qui ab hemiſphærio Auſtrali ſpirant, vt & ventos Aquilonares illos vocat, qui ſpirant ab hemiſphærio Auſtrali Aquilonari: nam certum eſt, quod tam venti orientales quam illi occidentales habent etiam & pariant, morbos ſibi peculiares, vti *inferius* ſuo loco docebitur.

Capvt IX.

De morbis magis ſiccis & ſolidis ab humoribus orientalibus ortis.

Meteora orientalia ſolida ex humoribus ſiccis, ſunt
- Calculus.
- Angina.
- Parotides.
- Impetigo.
- Eryſipelas.
- Herpes.
- Ozænæ vlcera.
- Nodi podagræ gypſii, calidi.

Humores

HVmores in aëre, & ex aere tam macro, quam microcosmico varieformiter creati, & simul in corpore congregati calore corporis præternaturali, videlicet inflammatione renes vel alias partes occupante nimia assatione in duritie concrescunt, & in substantiã terrestrem atque magis solidam reducuntur. In istum quidem modum calculum tam in renibus quam in vesica, atq; etiam in felle & aliis corporis partibus natum habemus: non aliter quam in macrocosmi nube fulmine onerata, lapidem ceraunium, seu iaculum fulminare ex ignea nubis inflammatione & humorum vaporosorum in nube contentorum assatione atque concretione factum cernimus: hinc Galenus *morbum calculosum ex crassorum humorum copia in renibus collecta à proportionali febre superassata* dicit, vtpote quæ hac ratione in calculi seu lapidis naturam migrat.

Finit. Med.

In aph.4. 13.

De Angina sic, *Angina siue synanche est inflammatio circa ceruicem vel interna vel externa, vel à bile vel à pituita salsa procreata, quandoque cum febre & nonnunquam sine febre.* Et *alibi* ait eam *esse abscessum & phlegmonem ad venas iugulares aliis extra collum, efficiens vt partes tumescant, aliis intra tonsillas, siue à glutinosa, frigidaque fluxione, quam pituitosam vocant, siue à calida & acri, quam picrocholam biliosamque appellamus.*

4 rat. vict. 30.

De comp. pharm. lib. 3. cap. 2.

Similiter ait, *Parotides esse glandulosas circa aures affectus, qui sunt in genere inflammationum.*

Introd. 24.

Porro etiam ait, quod *Impetigo, quæ est cutis affectio, gignitur vel à pituita salsa vel à bile.*

Gal. de tum. cap. 10.

De Erysipelate sic, *Cum biliosus humor decubuerit, qui exactus quidem est, cutim vlcerat, qui vero aquosa sanie, sanguineue est mixtus minus est aer, magisque in tumorem attollit partem quam vlcerat. Prior Erysipelas, posterior Herpes dicitur.* Et *ibidem* iterum *Erysipelatem ex flaua bile superante fieri*, & iterum *ex bilioso fluore superante* asserit. Et *alibi*, *Humor biliosus extra sedem & in membro per se consistens inducit ignem sacrum, herpetes, &c.*

De Hipp. & Plat. dog. lib. 8. c. 7.

De comp. phar. sec. locos cap. 3.

Porro de Ozenis hæc sunt, *Ozenæ vlcera in naribus ex humorum acrium influxu genita.*

Denique tophi in podagra gypsii sunt humores salsi in consistentiam gypsi à calore bilioso superabundante assati. Hinc non aliter sale redundant, quam terra ad cineres quasi adusta.

Atque hæc sufficient pro morborum orientalium descriptione. Iam vero ad illorum qui ab afflatu Meridionali fiunt genera, hic leuiter progrediar.

LIBRI



LIBRI SECVNDI PARTICVLA QVARTA:

De Morbis Meridionalibus in genere.

CAPVT I.

Quid authores de ventis Australibus sentiant, & quod magis sint ad corruptionem & morbos procliues, quam ad sanitatem.

TAMETSI venti Australes parui & curti quodammodo dicuntur, salutares, quippe qui aerem clarificare solent, tamen magni & longi sunt maligni, quoniam aerem obscurant, perturbant & ad putredinem procliuem reddunt. Atque hæc est omnium fere doctorum opinio: nam isti venti vt sunt naturaliter calidi & humidi, ita quidem ad corruptionem facile conducunt: atque ob istam rationem concludunt scriptores hosce ventos ex omnibus aliis minus salubres existere, imo quidem ipsos præcipuam contagionis sedem, idque haud iniuria fecerunt, quoniam vt eos fulgurantes & largis imbribus pluentes, aeraque incrassantes agnouerunt, ita quidem ipsos pestiferos atque contagiosos & corruptioni facile obnoxios esse obseruarunt: nam Appianus Cosmographus de hic ventis sic: *Auster Meridionalis calidus & humidus assimilatur veri, sanguineus, fulmineus, & facit pluuias latissimas, largas nutrit nubes, pestilentias & ægritudines multas progenerat: Euro-africus aereus ægritudines & pluuias facit, Euro-auster vero aerus ægritudines & nubes prouocat*: hæc ille. Et Nostradamus Astrologus sic. *Meridionalis ventus est calidus & humidus, assimilatur aeri & sanguini, & dicitur Auster ab hauriendo aquas, nam affert pluuias largas, grossas nubes, & pestem, morborumque multitudinem: ventos duos habet collaterales, nam ex vno latere Euro-auster, ex altero Austro-africus flare solet, qui etiam sunt calidi & humidi, sed non in tam alto & æquali gradu ac Auster qui est illorum princeps.* Et Bartholomæus de eo metaphorice loquendo ait, *Auster volat alis humidis, habens vultum suum terribilem coopertum cum picea nigredine, cuius barba oneratur imbribus & aqua fluit à crinibus suis, nubes sedentes super eius frontem, & pectus atque plumæ sunt madidæ, fulgureum quandoque emittit spiritum, quo febres, morbosque æstuosos & pestiferos excitat*; Sed de his ipsius infirmitatibus, *in sequentibus* latius & clarius. De salubribus vero ipsorũ effectibus quales quales sunt, non est in has particula disceptare: de ipsis enim *volumine præcedenti* (vbi de Catholico salutis & sanitatis mysterio egimus) mentionem fecimus amplam.

CAPVT II.

Generalis Meteororum ex parte Meridiei morbosorum in suas species diuisio: & in primo loco; duplex meteori ventosi Meridionalis natura enucleatur.

Meteora morbosa ex parte Meridionali sunt, vel
- Venti simplices, in quibus duo veniunt notatu digna, videlicet eorum
  - Natura, de qua *hoc in capitulo.*
  - Effectus, & de his *cap. 3.*
- Ex ventis aerem magis compactum efficientibus, & in meteora reducentibus, de quibus infra.

QVoniam *in præcedentibus* quid sit meteoron morbosum, quid ventus simplex, quidue meteoron ex ventis illis satis sumus locuti, de ipsis isto in loco plura non disceptabo, sed ab subdiuisiones meas sic procedam.

Ventorum simplicium Meridionalium natura est, vel
- Primaria
  - Cardinalis, Auster dicti, quæ est æqualiter calida & humida.
  - Collateralis
    - Orientalis Euro-auster dicti, quæ est magis calida & minus humida.
    - Occidentalis, Austro-africus dicti, quæ est magis humida & minus calida.
- Secundaria est
  - Dilatans & dilatatione humectans.
  - Laxans seu dissoluens.
  - Putrescens.
  - Emolliens.

Multum de primaria ventorum Meridionalium natura non dicam, præterquam, quod Cardo quilibet in centro seu medio inter suos collaterales, & quasi corpus volucris inter suas alas manens in mediocritate temperiei inter eos se habeat; sic Cardinem Borealem æqualiter frigidum & siccum, vt & Australem calidum & humidum: idque iuxta Galeni intentionem. At quemadmodum latus cardinis huius orientale, videlicet Euro-Auster magis ad plagam mundi igneam accedit, ideo ipsum minus esse humidum & magis calidum quam eius cardo asseueramus: atque ob istam rationem versatur potius circa putredines magis siccas, saniosas, densas, acres, mordaces & salsas: hinc ergo oriri videtur pituita illa salsa quæ febres putridas facit. E regione latus eius occidentale Austro-africus dictum est minus calidum quam eius cardo, & magis humidum, quoniam de Africi natura aliquantisper participat, vnde humores putridos respicit qui sunt magis lenes, tenues,

nues, fluxiles, cum salsedine quadam permisti. Atque huiusmodi est illius pituitæ species quæ defluxionum siue distillationum acriũ vt plurimum & sæpenumero est subiectum.

His igitur bene comprehensis, ad qualitates seu proprietates eius secundarias accedimus. Quod autem sit horum ventorum Meridionalium proprietas res à septentrione vel Occidente contractas attenuare & dilatare, confirmat eius natura calida. Hinc testantur Constantinus & Bartholomæus, vt dictum est, quod Auster mollis sit ventus, mollifaciat, & consequenter relaxando dissoluat humores in corpore frigidos & spissos, atque hac ratione sudores elicere soleat, efficiatque huiusmodi sua dissolutione vt humores & fumi densi è corpore exeant.

At quoniam ad facultatem istam venti Australis dissolutiuam requiruntur calidum & humidum, calidum scilicet vt agat attenuando siue dilatando, & humidum vt res dura & compacta emolliatur: ideo sequitur quod ventus talis afflatu suo putredinem facile parit. Hinc dixerunt Hippocrates & Galenus, *Pluuiæ erant multæ, continentes & lenes, vt cum spirat Auster*; & super hoc Galenus sic, *Pluebat per æstum largo imbri assidue, opus est enim ad prædictorum putridorum morborum generationem loco calidiori & humidiori.* Et alibi, *Annus Austrinus pluuius à ventis in totum silens. Erant Crotone carbunculi æstiui, pluerat per æstum longo imbri, idque assidue, acciderat autem magis Austro spirante.* Quibus significauit, putredinem à vento Meridionali vtpote humido & calido fieri, nam nisi fuerit humidum in quo calidum agere potest putrefactio nulla contingit, in re enim nimis sicca putrefactio fieri nequit. Ob istam rationem Galenus *putredinem* (quam Græci Σῆψιν vocant) *mutationem rei putrescentis substantiam ad corruptelam à calido externo facit, quod in humidum & non in siccum debet agere.* Et quamuis videmus corpora quandoque sicca corrumpi, non sequitur tamen, quod ipsa putrescant; vnde Galenus, *Non quicquid corrumpitur putrescere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit: at vt aliquid fœtore afficiatur requiritur, humiditas.* Sed vt ingenue fatear, non mihi astipulari videtur illa Galeni propositio, quoniam multi sunt morbi à putredine, etiam fatente ipso, quibus fœtor nullus euidens decerni potest: dicimus etiã quod nec humidum putrescere soleat nisi impediatur in suo motu naturali, tale si quidem impedimentum est præter naturæ leges. Hinc ergo Aristoteles de ventis. *Nisi aer à ventis agitetur & moueatur facile corrumpitur.* Similiter res sese habet in humore, nam aqua fluuialis quandiu motu suo libera & naturali fruitur non putrescit, nec fœtore afficitur, at si tollatur & in vas aliquod imposita diu quiescat, putrida & fœtida euadet. Non aliter res se habet cum humore extra natiuum suum locum retento, motuque naturali priuato. Hinc Galenus, *Humores separati ab aliis, & in quolibet membro sigillatim collecti morborum causa existunt; hocque præcipue quia vertuntur vt plurimum in putredinem.* Et alibi de sanguine corrupto agens, qui est præcipuum venti huius quartæ Cardinalis subiectum sic, *Sanguis è propriis vasis effusus, cum in pulmone & inter pectus & pulmonem collectus putruerit, tabem affert, concretis etiam in ventre & magnis vulneribus extremis periculis homines exponit.* Sic etiam causa malignitatis Australis venti non est ex sua natura; sed quando Borealis ventus in remissiori gradu contra eum flando motum eius naturalem impedit, & seminaria vtriusque in medio aereo præternaturaliter inuicem agentia putridos producunt effectus, nam reuera non est humidum naturale in aere aut vento Australi quod putrescere aptum est, sed illud quod est magis aqueum, spiraculis vtriusque extremi in vnico medio aereo: nam gelida venti Borealis seminaria flatu sui oppositi resoluuntur in madores, per calida & humida illa Australis, & contrariorum istorum seminariorum mixtione efficitur vt qualitates inuicem cõtrariæ in nube confligunt, atque propter naturatum inæqualitatem meteora morbosa pariuntur.

De morb. vulg. 1.

11. Method. 8.

3. Simpl. 15.

De Hipp. & Plat dog. l. 8. cap. 7.

De Hipp. & Plat. dog. l. 8. cap. 7.

Affirmamus igitur, quod ad putrefactionis complementum non sufficiat humidum & calidum, nisi sint ambo ex parte contraria; non enim faciet calidum igneum quicquam aduersus naturæ leges in humido suo aereo, sed in illo aqueo, nam in priori adest calor naturaliter cum humido, vnde in tali constitutione diu manet humor sine putredine, vt in sanguine naturali & humoribus non naturaliter se habentibus patet: in posteriori calidum igneum inuenit frigidum aqueum, quod ei hostiliter & præternaturaliter obuersatur.

Præterea affirmamus quod causa putredinis rei densæ nec sit calidum & humidum solummodo, nam videmus quod in aqua calida lignum quercinum per centum annos durabit incorruptum, atque pariter etiam in aqua frigida: sed si quandoque actio fiat calidi cum frigido & sicci cum humido, idque vicibus subalternis, lignum illud citissime putrefieri animaduertemus. Vnde certum est, quod tam cõflictu calidi cum frigido quam calidi cum humido compleatur putredo, & necesse est vt illa humiditas sit neutralis, vel in medio consistens inter naturam Borealem & Australem, cuius temperiei est ventus ille phlegmaticus, Occidentalis nempe, de quo antea tot verba fecimus.

Denique concludimus, cum philosophis, atque etiam experientia docti, quod flante Austro folia citius in Autumno ab arboribus cadant, & fructus peius & minus secure maturescant, vtpore qui dominante & spirante eo putredini subiecti sunt, vermibusque obnoxii, cum aliorum ventorum spiraculis firmius & salubrius se habere dignoscantur: quoniam spirante Austro Autumnus in calore & frigore est inæqualior, & consequenter putredini & corruptioni maxime pronus.

Capvt III.

De specialibus Ventorum meridionalium cum in animo, tum in corpore effectibus.

Ventorum simpliciũ Meridiei effectus in
- Animo sunt, quod ipsi inducunt
  - Ingenii grauitudinem.
  - Torporem & pigritiem sensuum & motus.
  - Mœstitiam cum grauedine.
  - Mollitiem & pusillanimitatem.
- Corpore sunt, quod
  - Congelata dissoluunt.
  - Humectant aluum, eamque lubricam faciunt.
  - Corpora debilia & laxa reddunt.
  - Humores ab interius ad exterius mouent.
  - Corrumpunt & more putrido calefaciunt, quare & putredines pariunt.
  - Poros aperiunt.
  - Sudores non naturales eliciunt.
  - Auditum reddunt difficilem.
  - Appetitum diminuunt, &c.
  - Impediunt virtutem sentiendi.

Cvm de Ventorum simplicium actionibus præter naturæ leges in solo spiritu seu aëre vtriusque mundi loquamur, hos quidem in mundo maiori insalubres aëris, in microcosmo animi vel spiritus effectus ventosos appellamus: atque iterum per effectus tales meteora intelligimus occulta & inuisibilia, medium aëreum seu spiritum vtriusque sensim alterantia.

Sic quidem quando aër mundanus talibus afficitur afflatibus, humidior, crassior nubilosior, obscurior & æstuosior efficitur. At quia aëris mundi ad aërem humanum facilis est ingressio & commixtio, ideo temperiem eius illam illius sequi necesse est: vnde Hippocrates, *Aer ambiens facit defluxus in corpore.* Et Galenus, *Ex necessitate corpora alterat aeris ambientis conuersatio, quia calefacit, frigefacit, humectat & desiccat.* Et alibi, *Causa corruptionis vnica & præcipua externa est aer ambiens qui separari à corpore non potest, vtpote qui ei veluti adnatus adhæret; qui lædit eo quod nos vel calidos immodice, vel frigidos, vel humidos vel siccos facit:* per quam conditionem quadruplicem negare nequit Galenus aut Galenicorum quispiam, quod quatuor venti, & non duo tantummodo has in aere alterationes pariant, cum caliditas & siccitas fit à nullo vento præter quam ab orientali, frigiditas & siccitas solum à Boreali, frigiditas & humiditas ab occidentali, & caliditas cum humiditate ab Australi.

Aph. 6. 60. *Ars Med. cap. 85.* *Tuend. sanit. lib. 1 c. 3.*

Hic igitur cognitis ad doctorum testimonia pro effectibus insalubribus ventorum simpliciter ab Austro spirantium in animo sic progredimur. Inquiunt Isidorus & Beda, *Auster cum suis collateralibus impedit virtutem sentiendi, quoniam torporem sensibus inducit, ingeniique grauitudinem parit.* Et Hippocrates addit, quod *motus pigritiem & in spiritu tarditatem faciat:* atque Galenus super ipsum ait, quod *hic ventus faciat circa voluntarios motus pigritiam, ob principii neruorum humectationem, in qua homo in seipso quasi dissolutus apparet.* Porro etiam ventus iste inducit mœstitiam animo, fidem faciente Poëta.

Aph. 3. 5.

Verum

Verum vbi tempestas & cœli mobilis humor,
Mutauere vias, & Iuppiter humidus Austris
Densat erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat: Virg. Georg.
Vertuntur species animorum, & corpora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Quibus hoc naturale esse docet, vt per serenum aerem & limpidissimum cælum aues atque etiam cætera animalia, exhilarentur, cantillent, & (vt sic dicam) rideant: per obscurum vero & pluuium tristentur & gemant.

Pro ventorum horum effectibus meteorologicis in simplici natura corpus male afficientibus Beda & Isidorus sic, *Aperiunt poros corporis & grauedinem in eo faciunt, aggrauant auditum & illum difficilem reddunt, caput afficiunt, tardos & pigros efficiunt, minime liquant, sed dissoluunt potius humores, & ipsos mouent ab internis ad externas partes & distrahunt.* Et Bartholomeus ait, *dissoluunt humores frigidos & spissos in corpore, sudores eliciunt, & fumos atque humores superfluos egredi cogunt: denique mollefaciunt, quoniam sunt isti venti molles, vt Aquilonares sunt duri.* Sed etiam Hippocrates & Galenus horum sententiis astipulari videntur, nam ab Hippocr. hæc accipimus, *Auster partes hominis dissoluit, auditum hebetat, caliginosos facit, caput aggrauat, pigros reddit. Quando huiusmodi tempestas præualuerit talia in morbis patiuntur.* hæc ille. Et Galenus super eum effectuum horum rationem reddit, *quia* (inquit) *calida & humida replent caput, & instrumentum sensuum.* Et ipse *alibi, Tempestates Austrinæ remittunt corpora & humectant, auditum obtundunt, caput grauant, & vertigines creant iis qui ex oculis laborant, corpus torpidum efficiunt, & aluos lubricant.* Et *alibi, pluribus in locis,* Austrinum noxium & pestilentialem esse, & quod corpora reddat debilia & laxa, & quod plurimos humores superfluos inducendo catarrhos & distillationes afferat, & quod corpora ita superfluitatibus impleat, vt ea quandoque tumescere faciat, & quod appetitum animalium obtundat & diminuat propter nimiam pororum dilatationem, non modo ipse, verum etiam Hippocrates & veri philosophi tam veteres, quam recentiores agnoscere & confiteri haud erubescunt.

Aph. 3. 5.

De morb. vulg. lib. 1. com. 1.

CAPVT IV.

In quo meteora ex ventis in primo loco generaliter distinguuntur, & tum postea illa ex ventis Meridionalibus ventosa tam animum, quam corpus insalubriter afficientia, in specie describuntur.

Meteora ex ventis Australibus & aliis insalubria sūt vel

- Non contagiosa, eaq; vel
  - Ventosa, quæ male afficiunt, vel
    - Animum, nā
      - Pigrum & torpidum eum efficiunt.
      - Ingenij acumen diminuunt.
    - Corpus, quippe cui hæc meteora morbida inducuntur videlicet
      - Præcordiorum flatus.
      - Febres flatuosæ.
      - Putrida sanguinis inflammatio.
      - Febris putrida.
      - Febris tabida.
      - Delirium.
      - Febres longæ.
      - Sudores.
      - Vertigo
        - Cerebri.
        - Oculorum.
      - Conuulsiones.
      - Tinnitus aurium.
      - Fætor
        - Narium.
        - Oris.
      - Oculorum
        - Caligo.
        - Difficilis motus.
      - Capitis
        - Grauedo.
        - Dolor.
      - Tussis.
      - Auditus
        - Hebetudo.
        - Surditas.
      - Vapor ichorosus.
      - Cordis tremor.
  - Liquida quæ sunt vel
    - Humores simplices, & de his capit. 5.
    - Ex humoribus, de quibus *cap. 6.*
  - Solida, & de istis *cap. 7.*
- Contagiosa, eaque vel
  - Ad distātiam, atque de huiusmodi *c. 8.*
  - Per contactum, de quibus *cap. 9.*

HIc in primo loco vos obseruare moneo, & suadeo, quod vbi meteora ex ventis tam in præcedentibus quam in præsentibus nominaui, ibi non est intelligendum de ventis plagæ siue quartæ vnius, sed de concursu venti vnius cum suo vento opposito, verbi gratia alicuius venti ex Meridionalibus cum sibi opposito ex septentrionalibus, vt puta Austri cum Borea, vel Euro-Austri cum Circio, Austro-Africi cum Aquilone, & sic in cæteris. At vero

vero vbi tam in ista particula quam in præcedentibus de ventis simplicibus mentionem feci, ibi quidem ventos simpliciter Australes per se, vel Aquilonares per se, vel Orientales per se, vel Occidentales per se intendimus: hoc non sine Hippocratis & Galeni consensu, qui quando & ventis simplicibus alicuius quartę mundi egerunt, ipsos expresse cum effectibus simplicibus ab iis ortis descripserunt, sic. De ventis simplicibus.

Auster dissoluit partes hominis, hebetat auditum, caliginosos, caput grauantes & pigros reddit; & Galenus in omnibus cum eo conueniens in hunc modum. *Aph. 3. 5.*

Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiusmodi tempestas dominetur, huiusmodi vrgent morbi. At de qualitate horum ventorum simplicium sic. *In morb. vulg. lib. 1. com. 1.*

Auster est feruens, nisi forte (id quod rarum est) ineunte vere sit frigidus. Et alibi. *Auster est calidissimus & modice humidus.* *Ibid.* *Aph. 3. 5.*

Iterum de hisce ventis hæc loquitur, *Tempestates Austrinæ remittunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, caput grauant & vertigines creant iis qui ex oculis laborant, corpus torpidum efficiunt & aluos lubricant.* *Ibid.*

Atq; hæc quidem ad simplices ventorum Australium naturas referre voluerunt, quippe quæ ipsorum humiditate & caliditate in campo seu mari aeris aperto præstari & procurari assolent: similiter de ventis Aquilonaribus sic; *nam per Aquilonem intendit quemlibet ventum à septentrione spirantem.*

Tempestas Aquilonia facit tusses, faucium asperitatem, aluos duras, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit tales morbos expectare oportet. Et iterum Galenus. *Aph. 3. 6.* *Gal. in morb. vulg. li. 1. com. 1. 1.*

Tempestates Aquiloniæ corpora densant, roborant, reddunt coloratiora, auditum iuuant, aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit eum augent: denique agnoscit ipsum esse frigidissimum & siccissimum. *Ibid.* *Aph. 3. 17.* *Ibid.*

Quæ omnia complere solet ventis istiusmodi aeris in suam naturam frigidam siccam mutatione, ipsum reddendo asperum & contractiuum atq; corrosiuum, vnde fit quod fissuras faciat labiorum atque aliarum partium, imo vero, teste Hippocrate, more occulto adurere videtur & corrodere. *Hipp. de aere & aquis.*

De meteoris ex ventis sic.

Si hyems sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe, in æstate facient febres acutas, lippitudines seu ophthalmias, & dysenterias, præcipue mulieribus & viris qui natura sunt humidiores. *Aph. 3. 11.*

Si hyems Australis & pluuiosa & clemens fuerit, ver autem siccum & Aquilonium, mulieres ex quibus partus ad ver inest, ex quacunq; occasione aborientur, quæ autem parient, imbecillos & morbidos infantes parient. Cæteris vero mortalibus dysenteriæ & lippitudines siccæ fiunt, senibus autem distillationes quæ cito interiment. *Aph. 3. 12.*

Si æstas fuerit Aquilonia & sicca, autumnus vero Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt & tusses, & raucedines, & grauedines, quibusdam & tabes. *Aph. 3. 13.*

In Thaso autumno circa æquinoctium pluuiæ erant multæ, continentes, lenes, vt cum spirat Au- *Hipp lib. 1. de morb.*
ster: hyems Austrina, parui venti Aquilonii, squalores, omnino similis veri hyems fuit, ver Austrinum, *vulg. com. 1.* 1.
frigidum, parum pluit: æstas fere tota erat nubilosa, nihil pluit, Etesiæ paucæ paruæ sparsim spirarunt. 2.
Huc vsque de anni statu, iam ad morbos in eo creatos sic. 3.
Cum autem esset totus hic status Australis & squalidus, ante ver ex priori cœlo quod huic aduer- 4.
sarium fuerat Aquiloniumq;, paucos ardentes febres corripuerunt, eosq; admodum stabiles, paucisq; san- 5.
guis profluxit, nec ex iis peribant. Tubercula vero multa secundum alterutram aurem sine febre. Multi 6.
infestabantur arida tussi. Nonnullis testiculorum alter, quibusdam vterq; inflammabatur cum dolore. 7. 8.
Quidam febricitabant, quidam non. At vero ante ineuntem æstatem, perq; æstatem & hyemem multi 9.
qui longo tempore submarcescebant ex tabe decubuerunt. (In hoc Galenus sic) *Quia* (inquit) *non mo-* 10.
do in Aquilonium non transit status Austrinus: sed erat etiam nebulosa fere æstas, idcirco capitis distilla- 12.
tiones erant perpetuæ, ac distillantes humores omnes & præcipue in pulmone computruerunt, ita vt iis ad 13.
meram tabem generandam nihil deesset. Infestabant illos plerosq; hæc incommoda, febres horrificæ, con- 14. 17.
tinuæ, acutæ, modus erat semitertianus, vno die leniores, altero grauius iterum inuadentes: in summa in 22.
dies acutiores euadebant. Sudabant semper sed non toto corpore; multum extremitates frigebant, vt vix 23.
calorem reciperent. Fauces dolebant, & cum inflammatione rubebant. Distillationes paruæ, tenues, 27.
acres, statimq; marcescebant. Plerique circa mortem delirabant. Sed de tabidis hactenus. 30.
Tunc pergit in descriptionem status prædicti in hunc modum.
At vero æstate & autumno febres multæ, continuæ, non vehementes, diu quidem tenebant ægro 31. 32.
tos. Plurimis erat aluus turbata, sine molestia tamen. Valde tussiebant, neq; difficultatem quæ tussi ex- 33.
creabantur præbebant. Febris eas inuadebat non stato circuitu, atque more febris tertianæ. 34.

Hæc quidem expressit Hippocrates in sua obseruatione Tempestatis primæ, in qua Austrina conditio vt plurimum præualuit, & tamen illa Aquilonaris suas vices habuit.

In secunda vero tempestate videtur, cum Aquilo tum Auster vices suas agere & seminaria sua permiscere in aere: sed frigora Aquilonis super calorem Austri vt plurimum præualere videbantur, vnde sic pergit in secundæ tempestatis obseruatione.

Morb. vulg. lib. 1. com. 2. *In Thaso ante autumnum frigora non tempestiua, sed repente spirante multum Aquilone & Austro, humida; hæc autem durabant vsque ad Vergiliarum occasus & sub Vergiliis. Hyems Aquilonia, imbres erant multi, longi, niues, mista suda plurima. Iam vero post brumale solstitium, & vbi Fauonius spirare cœpit, aspera erat extrema hyems. Aquilo multum spirabat, ningebat, pluebat multum & continenter. Cælum procellosum atque nubilum; quæ durauerunt, nec remissa sunt ad æquinoctium vsque: ver autem frigidum, Aquilonium, pluuiosum nubilosumque; æstas non admodum fuit feruens, Etesiæ perpetuo spirarunt. Mox circa Arcturum spirante Aquilone permultum pluebat. Cum totus fuisset humidus annus, & frigidus & Aquilonius. Sub hyemem fere commode habebant.*

In his explicauit Hippocrates conditionem integram anni siue tempestatis secundæ, quam docet habere proprietatem venti occidentalis, videlicet frigidam & humidam, hoc est de natura mixta ex septentrionali & meridionali: at quum quandoque magis præualeret per gradum vnicum Boreas super Austrum, ideo hoc significauit per hæc, Niues, mista suda plurima. In quo statu venti Cori conditionem denotat. Hinc etiam, Aquilo multum spirabat, ningebat, pluebat multum. At quando ait, quod repente spirante Aquilone multum & Austro, frigora humida; tunc flatuum oppositorum mixtionem arguit in æquilibrio, quod arguit per frigida humida, quoniam flatus calidi & humidi Australes æqualiter agentes in illos frigidos & siccos Aquilonis faciunt temperiem mediocrem non ita humidam, vt est illa Australis, quæ est aerea, nec ita sicca vt illa septentrionalis, quæ est terrea, sed in mediocritate posita, aquea videlicet & corporea, quæ ex frigiditate Boreali participat & humiditate Australi, quæ mixtione frigoris Aquilonaris cum calido Australi condensatur quasi ex vapore humido & calido in pluuiam seu aquam frigidam & humidam. Hinc ergo dixit, *Imbres erant multi, largi, magni, quasi diceret media natura inter aerem & terram, seu ventus medius inter septentrionem & meridiem, de vtroque extremo participans frigora humida & naturam aqueam produxit.* Quare sic tum postea, *Iam vero post brumale solstitium, & vbi Fauonius spirare cœpit, aspera erat extrema hyems &c.*

His igitur obseruatis in anni constitutione ad insalubres illius intemperiei effectus sic pergit.

6. *Primum cœperunt lippitudines manantes, dolorificæ, humidæ, crudæ, ægre multis erumpentes. Aestate iam & autumno lienteriæ, dysenteriæ, tenasmi, alui fluxiones biliosæ, tenues, multæ & mordaces, nonnullis etiam aquosæ: multis offusiones dolorificæ, biliosæ, ramentosæ, purulentæ & cum stranguria coniunctæ.*

Super ista Galenus sic. *Status magnopere humidi & frigidi corpora maxime lædunt intemperata humiditate & algore. Item temperamenta calidi & humidi status temperamenta calida & humida lædunt: eadem ratione calidi & sicci similia.* Et iterum.

Oculos cum frigidi ferirent venti fluxiones eos frigidæ & humidæ corripuerunt. Deinde sic.

9.10. *Vomitiones pituitosæ, biliosæ, sudores. Febres continuæ, & earum paucæ ardentes: semi-*
15 16. *tertianæ, tertianæ sincere, quartanæ errantes, ardentes paucissimæ, sed tertianæ numeratiores: quo-*
20. *tidianæ vero nocturnæ & errantes multæ multos exercitauerunt. Multos conuulsiones & maxime pu-*
22. *ros tentabant, & febricitabant, febribusque conuulsiones succedebant, febres continuæ, sudores*
24. *multi. Tusses comitabantur. Accidit & plerisque stranguria. Capitis & colli dolores & grauita-*
25.32. 41. *tes cum febribus & sine febribus, phreniticis conuulsiones, in ardentibus temporum grauitas,*
52.53. *colli dolor, oculorum caligo, & præcordiorum contentio: dolores in vtero mulierum, pueris*
55.58. *conuulsiones, natu maioribus autem, & quos iam calor deficit, Paraplegiæ, aut insaniæ, aut cæ-*
57. *citates.*

59. Hic videtis eius de anni seu tempestatis secundæ descriptionem, in qua Auster & Aquilo multum spirauerunt atque seminaria vtriusque in aëre sunt mixta. At dominium habere videbatur Aquilo, & tamen tempus erat humidum & lubricum.

In prima ergo tempestate dominabatur Auster super Aquilonem, in secunda Auster & Aquilo in vigore differre videbantur, & conditionem mediam vento occidentali correspondentem, videlicet aqueam, produxerunt: ita tamen quod calidum quandoque frigidum supereminebat & quandoque frigidum super calidum, vnde morbi quandoque frigidiores nonnunquam calidiores nasci obseruauit.

Iam

Iam vero ad tertiæ tempestatis constitutionem pergit, in qua Aquilo siue Boreas videtur non aliter dominium habere in aëre quam in priori Austrum locum supremum & priorem sibi vendicauit. Sic ergo ait.

In Thaso paulo ante Arcturum & sub Arcturo multi & magni spirante Aquilone imbres, circa æquinoctium & vsque ad Vergilias Austrini imbres parui, modici. Hyems Aquilonia, squalores, frigidi venti, magnæ niues. Iam sub æquinoctium frigora maxima. Ver Aquilonium, squalores; pluuiæ paucæ & frigidæ: circa Solstitium æstiuum pluuiæ paucæ, magna frigora vsque ad canem. A cane ad Arcturum vsque æstas calida, æstus magni, non illi ex interuallo & sensim excrescentes, sed perpetui vehementesque; non pluit: spirauerunt Etesiæ. Circa Arcturum vero pluuiæ ad æquinoctium vsque. Hipp morb. vulg. lib. 1. com. 2. 60.

Huc vsque descripsit tertij anni seu tempestatis conditionem, quam maxime flatibus Aquilonaribus obnoxiam fuisse asseuerare videtur.

Iam vero ad meteororum morbidorum ab illa anni istius intemperie procreatorum species sic procedit.

Hac in tempestate hyeme paraplegiæ cæperunt, multósque corripuerunt, ex quibus nonnulli subito moriebantur, qui quidem morbus mire vulgabatur.

Galenus super hoc. *Frigidus & siccus hic status describitur, in quo paraplegias in hyeme fuisse capite scilicet læso ventorum afflatu qui eâ tempestate spirauerunt frigidorum: maxime vero quod Autumnus Austrinus calefecerat & irrigauerat ipsum simulque repleuerat: nam caput quod sic est ante affectum plurimum læditur flantibus ventis frigidis & Aquilonis. Hinc propter paraplegiam, si quidem illa quæ frequens est in membri resolutionem decumbit, verumtamen hominem non perimit: at vero quæ in præsenti statu viget paraplegia lethalis erat: vtpote multum refrigerato capite.* Hæc ille super locum illum.

Tunc pergit sic.

Ante ver febres ardentes cœperunt, dysenteriæ aut morbus regius senibus deuenit: vulgabantur vero dysenteriæ æstate: Circa hyemem febres ardentes, & plurimi tunc phrenitide corripiebantur, quorum moriebantur plerique: Aestate febres ardentes inceperunt, parum rigebant, insomnes erant, grauiter angebantur, multum delirabant, timores, mœstitia, extremitates subfrigidæ, liuidæ, nec sitiebant, ad hæc erant vrinæ his nigræ, tenues, paucæ, alui erant duræ. Phreniticis quæ supra sunt scripta non omnia acciderunt. Tubercula secundum aures Parotidæ dicta, quæ in febribus cum dolore extuberant. 61. 66. 73.

Hæc ex hisce facillimum erit colligere, quæ nam sit nostra intentio vbi de meteoris morbidis ex ventis loquimur, videlicet quod ex ventorum oppositorum concursu fiunt, in quo vnum extremorum habeat in anno dominium maius altero, vel inæquali fere vigore reperiantur. Nec tamen potest aliquis ex ventis istis tam debiliter spirare, quin seminaria sua relinquat & recondat in aëre; donec ventus oppositus sua seminaria etiam emittat; vt inter seminaria ista contraria coitus siue mixtio, vel salutaris, vel morbosa fieri possit.

Ex his etiam facillimum erit elicere experientiam Hippocratem & Galenum in primis docuisse, quod venti flatus sit aëris quasi vita & anima vtpote mediante quo mutatur de statu in statum, deinde quod ex aëre procreat humores vel salubres vel morbosos; tertio quod flatuum mixtione oppositorum humores reddantur heterogenei & natura diuersi, & consequenter oppositas in se naturas habent; quæ pugnando inter se naturæ humanæ symmetriam & symphoniam (quæ in concordia & amicitia est posita) conuertit in antipathiam, atque ita elementa ventosa concordi pace in homine sano ligata iam vincula sua rumpunt, fræna deijciunt, & rebellia atque præternaturalia sunt facta. Ad propositum ergo nostrum sic pergimus.

De huiusmodi morborum animi causis *capite antecedenti* sumus loquuti, ad corporis autem morborum flatuosorum causas quod attinet; Præcordiorum flatum seu consensionem ex flatu meridionali prouenire testatur Hippocrates: nam cum tempestas Austrina cũ Aquilonari erat, teste ipso super tempestatẽ secundam. 1. accidunt intestinorũ contentiones: similiter febres horrificæ; continuæ, acutæ; semitertianæ, parum ardentes, & tertianæ, & quotidianæ. 14. 20. 22. 31. 34. 51. cum sudoribus; Ibidem: atque delirium, seu phrenitis 53. & putridę inflammationes testiculorum & aliarum partium. Ibid. 14. & oculorum caligo & conuulsiones. 57. 24. & capitis grauedo & dolor: 52. sudores: 10. & huiusmodi alij ab ipso Austro cum Boreali concursu prouenire solet. Quod autem à putredine proueniant probamus inferius. At ventus Australis est putredinis parens.

Quoniam vapores ventosi inflammationem efficientes sunt à sanguine præternaturaliter disposito; & sanguis maxime ex humoribus ad naturam meridionalem spectat,

T quippe

quippe qui est aëreus, ideo non sine ratione istiusmodi morbos vaporosos à sanguine inflammato ortos Austro dominanti referimus. De his ergo Galenus sic.

Gal. de tum. c. 2. *In inflammationibus omnia sanguine replentur ex vasis quidem ipsis per tunicas resudante; in omni vero carnis particula more roris permisto: coctus vero tempore & factus pus extra carnem expellitur, fluensque per foramen vt riuus excrementis paratus, vel si locus rarus est expirat pus & sensibiliter effluit, vbi vero circumsedit cutis densa & dura, ibi retinetur pus, & cutim à subiecta carne abducit post & acrimonia abrodit & exit foras.* Hæc ille.

In quo meteoron imprimis ventosum ex ventis putredinosis, videlicet vaporem, seu fumum sanguineum de natura Australi existentem denotat, deinde congregationem eius in partibus carnosis & sub cute in speciem nubis & pluuiæ in humorem quasi ex vento frigido externo condensatæ, quippe ibi actione mutua calidi & frigidi quasi afflatu Boreali & Australi putrescit humor, & in meteoron ex humoribus conflatur, videlicet in substantiam purulentam. At vero de ventosis & primarijs istis inflammationibus, quas Galenus simplices vocat, (nam reuera se habent in spiritu microcosmico vt aër inflammatus seu coruscatio in

Introd. c. 4. aëre macrocosmico) sic *alibi* ipse. *Simplices inflammationes in iecinore febres continuas afferunt, in liene quartanas (nam huius speciei causa est atra bilis, quæ in liene tanquam in vase constituitur) in stomacho inflationem & vlcerationem:* Hæc ille. Quo liquet, quod vt coruscatione nubes in aëre congregari cernimus, ita inflammationem simplicem sequitur humorum in aëre humano collectio, in quos agendo calor æstuans facillime parit meteora ex illis humoribus de natura speciei illius inflammationis operantis in eos, cuiusmodi sunt febres multiformes, nam talis prçter naturam inflammatio agens in humores crudos præter naturæ leges eos reddit putridos, & si sint intra vasa tunc febres continuas gignit, si extra, intermittentes, & in spiritu hominis aëreo more coruscationis viget febres excitat vel flatus æstuosos, si in humoribus iuxta naturæ leges dispositis intemperiem calidam, si extra locum suum proprium egressi fuerint, apostemata, vlcera & inflammationem membri vt plurimum sine febre: hinc etiam fœtor narium & oris. At si spiritum in homine aëreum magis possideat, tunc flatum hypochondriacum, vertigines, oculorum caligines, capitis dolorem & grauedinē, cordis tremorem, aurium tinnitum, & si febris adsit delirium seu phrenitidem, & si per neruorum poros penetrauerit cōuulsionem efficit. At si iste aëris æstus sit cum humido & grosso vapore & cum nidore, efficit etiam auditus hebetudinem & surditatem, & hæc parere solet Australis flatus, vel cum remissiori vel vehementiori calore, secundum quod fortius vel remissius sit venti oppositi cum eo spiraculum. Sed & hoc testari sic videntur Galenus & Hippocrates.

Aph. 3. 17. & 5. *Quotidianæ constitutiones Austrinæ dissoluunt corpora* (ergo sudores faciunt) *humectant ea, aluum lubricam faciunt, auditum obtundunt, caput aggrauant, vertigines faciunt, oculis & corporibus difficilem motum præstant, corpus torpidum efficiunt.* At vero de vento eius opposito sic.

Quotidianæ constitutiones Aquilonia alues exiccant, oculos mordent pectoris dolores augent, tusses & faucium asperitatem efficiunt & difficultatem vrinæ, horrores & costarum dolores.

Aph. 3. 5. Hinc ergo fit, quod ex amborum ventorum istorum flatu, siue spirant eodem tempore siue per vicissitudines, producantur morbi ex hisce misti.

Verbi gratia.

Aph. 3. 11. *Hyems sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe faciet febres acutas & lippitudines & dysenterias.*

Hic ergo vides, quod ex horum duorum ventorum mixtione morbi producuntur qui participant de vtroque extremo: febres acutæ suos horrores & rigores habent ab Aquilone, quippe cuius est horrores parere, inflammationem ab Austro, putredinem ab actione facta inter frigidum vnius & calidum alterius. Iterum lippitudines siccæ ex parte Aquilonari sunt; at vero si sint dolorosæ, humidæ & manantes, tunc participant cum calore & humiditate Austrina, vnde sic Hippocrates.

De morb. vulg. l. 1. com. 2.
1. *Spirante multum Aquilone & Austro,* vel
5. *Cum fuisset humidus annus & frigidus.*
6. *Primum cœperunt lippitudines manantes, dolorificæ, humidæ, crudæ.* &c.

Dysenteria etiam participat de salsa, aspera atque sicca natura Aquilonari & humida calida atque fluxili dispositione Austri. Hinc ergo Galenus.

Difficultate intestinorum, seu dysenteria capiuntur homines quando hyems est Australis & pluuiosa, ver autem Aquilonium & siccum, quia tunc fit pituita salsa.

At sal est de natura terrea & sicca, respectu consistentiæ suæ, tametsi caliditatem suam ab Oriente vel Austro mutuare videtur: deinde quatenus salsa illa natura cum pituita naturali coniungitur, ideo natura Australis siue pituitosa calida cum illa septentrionali sicca & terrea coniungitur, & fit humor natura salsus, corrosiuus & eradens: nam nec est Au-


ſter corruptibilis in ſe nec Aquilo, ſed ambo ſimul in aëre concurrentes mutua actione & reſiſtentia hoſtili naturam in aëre, & conſequenter in ſanguine mediam præternaturali coitu pariunt, quæ putredo dicitur, de qua *ſupra* feci mentionē. Hinc igitur, quoniā pluuię fiunt ex horum duorum ventorum concurſu, in quo nihilominus Auſter habet dominium, putredo præcipue ſolet naſci, nam putredo non ſolo calido nec frigido, ſed ambobus ſimul mediante humido & ſicco conflari ſolet. Sic Hippocrates.

In pluuiarum multitudine fiunt magna ex parte febres, alui profluuia, putredines, &c. *Aph. 3. 13.*

Infinita hoc in loco de hoc ſubiecto proferre poſſumus, ſed quoniam de his *alibi* latius, negotium iſtud noſtrum ſuccinctè proſequemur, & ad meteora ex ventis Meridionalibus liquida plumam meam conuertam.

CAPVT V.

Quod meteora ex ventis meridionalibus liquida in genere primum; tum poſteà illa ex liquidis humoralia pertractat.



C*Apite 6. Particulæ præeuntis* probaui luculenter, quod humores omnes ſuum ortum ab aëre in humoris conſiſtentiam redacto ſortiantur; & quod differentias ſuas à multiformi anni quartarum temperie, ventorum afflatu in naturam huius vel illius elementi alteratarum habeant, iuxta Hippocratis ſenſum, qui ait, quod

Hyeme increſcit in homine pituita. Hinc pituita omnium humorum frigidiſſima & lentiſſima, niſi cum atra bile comparetur. *De nat. hum com. 1. 33.*

Vere ſanguis creſcit, tunc enim frigora & pluuiæ ſuccedunt. Itaque cum ex imbribus tum ex calore diei ſanguis augetur, nam hoc tempus eſt calidum & humidum. *Ibid. 34.*

Æſtate bilis ſuppullulat & accreſcit, & ad Autumnum vſque viget.

Autumno atra bilis vt plurimum creſcit & efficitur, quippe qui eſt ſiccus. *Ibid. 35.*

Tunc ſic concludit:

Hæc ergo omnia perpetuum habet corpus humanum, quæ à tempore anni degenerante, modo vltra modum augentur, modo imminuuntur, ſingula pro parte & naturâ ſua.

Ac ſi dixiſſet, ſi anni quarta perſufletur copioſe à vento ſuæ naturæ, vt putà æſtas ab Orientali, hyems ab occidentali, ver ab Auſtrali, autumnus à ſeptentrionali vltra modum augebitur in æſtate bilis, in hyeme pituita, in autumno melancholia, &c. At ſi in æſtate ventus naturæ ipſius oppoſitus dominabitur, bilioſam quartæ illius conditionem ſupprimet & debilio-

biliorem reddet, atque ita de cæteris. Quod quidem Galenus expresse in his cum consensu Hippocratis, vti sæpius est antea relatum.

In Aph. 3.1. *In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis vel siccitatis, ventorum aut horum defectus, potissimum morbos pariunt.*

Hipp. de aere, aqua locis. Imo quidem agnoscit Hippocrates *alibi*, quod venti alterent suo afflatu non modo aërem, sed aquas, humores & ipsam locorum vel regionum tellurem. Vt ergo, testantibus ipsis ambobus, pituita hyemalis facile verno tempore mutatur in sanguinem, atque iterum sanguis æstiuo spatio in bilem flauam, vt & illa Autumno in atram, ita quidem flante vento contrario humor in humorem facile vertitur: Verbi gratia, vbi præualet ventus Orientalis magis siccus, ibi bilis est magis crassa, sicca & vitello oui similior, at vero si ventus ei oppositus vel transuersalis humidus, videlicet Auster, fuerit æque potens, tunc admodum tenuis erit atq; pallebit colore, quoniam biliosa illa natura contemperatur à pituita, atq; ideo mitis & naturalis est illa, de qua Galenus. *Bilis tenuis, humida & fluida naturalis, at cum ad vltimum est cocta, flaua, ignea & crassa redditur atque hæc præter naturam est.* De priori specie intendit vbi ait, *Biliosus humor semper fere cum serositate superflua fit.*

De nat. fac. lib. 2 c. 9.

Aph. 6.50.

Sed vt propinquius adhuc ad rem nostram accedamus, In primo loco ad quæstionem, siue dubium respondebo, quod potest esse huiusmodi, *An scilicet humores sine ventis procreari non possint*, deinde *quomodo ipsi à ventis procreentur*, *& qua ratione corrumpi & à statu naturali in præternaturalem reduci soleant*, ac in *vltimo loco diuisionis nostræ præcedentis* rationem paucis ostendam.

Ad quæstionem dicimus, quod nihil sine venti alicuius afflatu in mundo perdurare potest, & nisi Deus ventis suis ordine successiuo in quolibet anni spatio ad contemperandum aërem sufflaret, & ad ipsum purgandum, atque ab vno in alium statum mutandum spiritibus suis operaretur, profecto (iuxta philosophi Arislai sententiam) sol suo calore omnia destrueret, & iuxta Aristotelis sensum, aër quiescens, & propter defectum agitationis à ventis facillime putresceret & corrumperetur. Hinc ergo vt sunt quatuor anni spatia, seu quartæ (videlicet Hyems, Ver, Æstas, & Autumnus) nam (teste Galeno ab Hippocratis opinione minime recedente) *Veris initiū est in Hellesponti parallelo, quod id temporis est æquinoctium, eius vero finis Vergiliarum ortus, qui iterum est æstatis principium, quemadmodum æstatis finis & autumni principium est Arcturi ortus, qui dies ad duodecim æquinoctium autumnale antecedit*, *atque iterum Vergiliarum occasus est autumni finis & hyemis principium:* ita quidem venti peculiares sunt à Deo ordinati, qui hos temporum status quasi pedissequæ concomitari solent: quippe temporis vernalis principio Fauonius plurimum spirare obseruatur, vt Subsolanus circa exortum Vergiliarū, qui cum gr. 26. ♉. oriuntur. Ardentissimo æstatis tempore exoritur canicula, sole primum Leonis gradum ingrediente, quem antecedunt vt plurimum 8. ferme diebus venti septentrionales, quos Prodromos vocant, quia Etesias præcurrere obseruantur: sequuntur Etesiæ biduo post, qui sunt venti Aquilonares, per spatium 40. dierum spirare solentes, atque ideo Etesiæ dicuntur quatenus sunt anniuersarij, vtpote qui certo anni tempore recurrunt. A Deo autem ita hos ventos ideo fuisse constitutos tradit Plinius, vt *vaporem solis ardore caniculæ ingeminatum mitigarent:* & Cicero Plinio astipulando ait, vt *calores cœli nimios contemperarent.* Etesias Austri vt plurimum sequuntur, durántque vsque ad syderis Arcturi exortum, quod exoritur 11. diebus ante æquinoctium autumni, in quo Corus frequenter spirare animaduertitur. Post casum Vergiliarum, qui hyemem inchoat, videlicet post æquinoctium diebus fere 44. quod tempus 3. Id. Nouemb. accidere solet, concomitatur Aquilo hybernus æstiuo illi multum dissimilis, cuius ex aduerso est Africus seu Austroafricus.

In morb. vulg. lib. 1. com. 1. 1.

Egregius physic.

Atque ita videtis, quod aër annuo quodam ordine ventis varijs peculiaribus perspiretur, & multiformiter ordinatione diuina alteretur. Qua autem ratione humores à ventis istis tam in macro quam microcosmo generentur in *præcedentis particulæ cap. 6.* satis est declaratum. Hic vero locos nonnullos eam declarantes breuiter citabimus.

In Aph. 3.7. *Aëris ambientis humiditas ex pluuiosis temporibus orta pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas humiditates sicca tempora pauciores efficiunt humores, sed qualitate biliosiores.*

In Aph. 3.12 *Si hyems Australis & pluuiosa ac clemens fuerit, ver autem siccum & Aquilonium, pituita salsa mordensque generabitur, quæ dysenteriam efficiet.*

Aph. 3.14. *Status Aquilonius & siccus producit nonnullis atras biles.*

Aph. 3.16. *In pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt putredines, in siccitatibus tabitudines. &c.*

Infinita alia testimonia, de hac re proferre possum, quæ breuitatis causa hic omittam, & cum hoc vnico concludam, quod profert Galenus *supra Aph. 3.12.* vbi de mixtione seminariorum hyemis Australis & pluuiosæ, atque veris sicci & Aquilonaris mentionem facit Hippocrates.

Inest

Ineſt hoc pituitæ generationi, vt quæ à forti fit frigiditate acida euadat, quæ à caliditate replente caput ſalſa, ſicuti quæ à pauca fit frigiditate vel paucam dulcedinem, vel nullam manifeſtam qualitatem habet. Ergo quæ propter eam quæ fuit in Hyeme caliditatem ſalſa erit, & hac ratione dyſenteriam maximam generat, quando longiori tempore mordens & radens inteſtina offendet. In Aph. 3. 12

Modus autem quo aër ambiens à ventis ſic infectus penetrat & alterat ſpiritum humanum in conſtitutionem infirmam, humoresque in eo præternaturales generat volumine ſequenti ex ſententia Galeni & Hippocratis declaratur, videlicet quòd ipſum qualis qualis ſit, velimus nolimus, continenter & neceſſariò inſpirare cogamur, & pulmonum adminiculo per os & aſperam arteriam attrahere, & hinc rurſus in ſiniſtrum cordis ventriculum ſpirituum corpus viuificantium, & animalem vim inſtaurantium & fouentium pleniſſimũ emittere: ad hæc in cerebrum per nares & in corpus vniuerſum (quod totum eſt conſpirabile & confluxile) per arteriarum anaſtomoſes & poros excipere. Porrò etiam cùm talis aër ad victus rationem, videlicet ad fructuum, radicum & animalium nutrientium compoſitionem concurrat, non eſt mirum, ſi ipſe ſit magis ad hunc, vel illum humorem procreandum aptus & promptus, vti alibi latiùs iam eſt explicatum.

Nunc verò ad cauſam illam, quæ humores iſti & præcipuè ſanguis qui ex illis conflatur corrumpi, & in naturam putridam conuerti ſolet, me leuiter conuertam, quippe quæ diſpoſitio ad ſpiritum ſeu afflatum Auſtralem præcipuè ſpectare videtur.

In *præcedentibus* putrefactionem nec à calido & humido, nec à frigido & humido, ſed ex concurſu calidi cum frigido in medio humido fieri diximus, ita vt modò ſeminaria calida in humido dominentur, modò ſeminaria frigida & Septentrionalia: nam tametſi lignum centum annis in aqua calida vel frigida permanſerit, tamen nunquam putreſcet: at ſi modò calido modò frigori commendatur, vt ſubitò putreſcat neceſſe eſt, modò ſi medium humidum quandoque fuerit exiccatum, & nonnunquam madore perfuſum: hinc Galenus: *Quæ putreſcunt aſcititio calore ſunt calida, proprio frigent:* ſic quidem aër vento Aquilonari informatus, ſi calor Auſtralis vel Æſtiualis ſuperuenerit putredines parere ſolet: nam gelidam Septentrionis diſpoſitionem in aëre diſſoluunt venti Auſtrini, calidi in pluuias quæ putredinis ſunt genitrices, vnde ſic Hippocrates: Temper. lib. 2. c. 12.

In pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt putredines, &c. Aph. 3. 16.

Et ſuper hoc Galenus *alibi* ſic:

Annus Auſtrinus, pluuius, in totum ſilens, &c. Hipp. lib. 3. morb. vulg. com 3. 1.

Effectus huius tempeſtatis communis eſt putredo, & videtur putredo ex materia gigni putrida, ex cauſa verò efficiente extranea & calore præter naturam, augeri verò à quiete: nihil enim quod ex omni parte eſt ſiccum videmus putreſcere. Hæc ille. Et *alibi* planiùs: *Nequicquam à ſicco putrefieri eſt aptum. Borea flante* (qui ventus frigidus eſt & ſiccus) *omnia quandiu imputria durare; contrà facilè putrefieri Auſtrino flatu, etenim is ventus calidus & humidus,* &c. At pace Galeni non minùs eſt calidum & humidum Auſtrinum per ſe putredinis cauſa quàm calidum & humidum in ſanguine, quæ ei naturaliter inſunt: at ſi frigidum & ſiccum occultè ipſis inſunt, tunc non minùs operantur contra naturæ leges quàm aqua & ignis, vel potiùs terra & aër, vnde fit vt effectus ſanitati contrarios in aëre procreent, iuxta illud ſuperiùs: In pluuiarum multitudine magna ex parte ſunt febres longæ, alui profluuia, putredines, &c. Nam niſi Auſtrinus flatus inueniret ſpiritum Septentrionis gelidum, ſeu Aquilonalibus ſeminariis in aëre natantibus occurreret, nubes quidem generaret nunquam, ſed frigiditatem Borealem inueniens aër condenſatur eius madida natura, mediante ea in nubes, atque ita nubes hæ ex duplici natura contraria conſtitutæ in humorem putredini obnoxium transformantur, ſeminaria cuius ad ſanguinis alueos pertingentia & penetrantia ipſum corrumpunt ſæpiſſimè, & corrumpendo meteora in corpore putrida gignere atque parere aſſolent: nam cùm ſanguis ſit ex parte Auſtrali, vt bilis ex Orientali, pituita ex Occidentali, & melancholia ex Septentrionali, ita quidem ipſe ſi in motu ſuo naturali, vel concurſu alterius humoris, vel tranſpoſitione aliqua è loco ſuo proprio impediatur (more concurſus duorum ventorum qui in nube congregantur, quæ in terram decidens ibi quieſcit, in ſtagno & quiete putreſcit) paulatim corrumpitur. Hinc ergo Galenus in hæc: *Sanguis è propriis vaſis effuſus cùm in pulmone & inter pectus & pulmones collectus putruerit, tabem affert: concretus etiam in ventre & in magnis vlceribus externis periculis homines expoſuit.* Et *alibi*: *Vbi inflammata pars humore ſanguineo eſt plena, retenta propter omnium foraminum priſtina reſpiratione, neceſſe eſt ſanguinem moram trahentem putreſcere,* nam corpora calida & humida loco De Hipp. & Plat. dog. lib. 8. c. 7. De tumor. c. 3.

calido congregata facilè putrescunt, si neque euacuantur neque refrigerentur, præterea de putredine partium internarum Hippocrates sic:

Aph.4.43. *Putredo maligna humorum facit morbos periculosos.*

Denique ad humorum sanguineorum ex parte Australi præternaturalium distinctionem anteà descriptam, quod attinet, ipsam quidem ex Hippocratis & Galeni doctrina ita probamus.

3 Meth. med.3.

Ichorem facit Galenus *tenue vlceris excrementum vt sordes crassum*, vocat etiam Hippocrates *Ichores tenues, acres & mordaces sanguinis humiditates.* Appellat adhuc *Ichores superfluas sanies. quas corpus aceruat, ex quarum vapore non solùm capitis dolores nonnullis oboriuntur, sed etiam suffusorum quos hypochcomenous vocant symptomata, aliquibus verò & comitialis conuulsio.* Dicuntur adhuc *Ichores fluentes humiditates ex Coriza & Catarrho.* Græcè igitur ἰχὼρ dicitur, Latinè *serosus humor*, vel vt alii volunt, aquosus, à quibusdam tenuis, ab aliis verò sanies nuncupatur. Concludit autem hoc membrum Galenus sic: *Sanies quæ ex sanguinis serosa substantia mitis, quæ ab atræ bilis acida & fera est.* Iam verò ád meteora ex his orta properabimus.

4. de rat. vict.2. 6. de tuend. sanit.c 9. 2. de rat. vict.44. Hippoc. & Plat. dog. lib.8.c.6.

CAPVT VI.

In quo meteora ex humoribus Meridionalibus liquida, minimè contagiosa discutiuntur.

Meteora liquida ex humoribus meridionalibus non contagiosa fiunt, vel

- Defluxione à pituita calida & tenui facta, cuius soboles sunt
  - Raucedo.
  - Tussis.
  - Capitis grauedo.
  - Distillatio, seu Catarrhus.
  - Alui fluxus, sine molestia.
  - Lienteria.
  - Tenasmus.
  - Fistula lachrymalis.
  - Aurium dolor.
  - Pleuritis.
  - Angina.
  - Peripneumonia.
  - Empyema.
  - Oculorum caligo.
  - Podagra.
- Humore in putredinem conuerso, à quo febris
  - Epyalos.
  - Lipyria.
  - Elodes.
  - Tertiana.
  - Quotidiana.

IN *præcedentibus* humorum ex ventis meridionalibus procreandorum rationem expressi, iam verò restat, vt modum declarem, quo humores illiusmodi infirmi & præternaturales in meteora imprimis liquida compositione & tum posteà solidiora mixtione magis profunda reducantur: nam vt in aëre videmus primùm ex vapore nubes generari, & tunc illas nubes in guttas aqueas condensari, illasq; in terram cadentes vel putrescere & corrumpi, vt in stagnis quiescentibus, vel in aquas salsas, vel acidas, vel aluminosas vel sulphureas conuerti, quæ iterum exhalata earum substantia madida in solida salsa; aluminosa, tartarea vitriolata, sulphurea alterantur: ita quidem res se habet in vapore aëreo à ventis variformibus multiformiter variatis. De huiusmodi ergo gradatione exactè videtur Galenus facere mentionem in istis verbis continuatis super istum Hippocratis locum.

De morb. vulg.lib.1. com 2.7.

In Thaso ante Autumnum frigora non tempestiua, sed repente spirante multùm Austro & Aquilone, &c:

Æstate & Autumno lienteriæ & dysenteriæ, tenasmi, alui fluxiones biliosæ & tenues, multæ & mordaces, nonnullis etiam aquosæ, præterea offusiones dolorificæ, biliosæ, ramentosæ, purulentæ, & cum stranguria coniunctæ.

Super

Super hunc textum Galenus ait: *Oculos ergo cùm frigidi ferirent venti, non mirum sanè erat si ante partes corporis cæteras laborarent pro natura causæ efficientis. Itaque non temerè fluxiones eos frigidæ & humidæ corripuerunt. At verò, quia non deuenit ad extremam status humiditatem, ideo nullus aliorum effectuum, qui dominante tali statu in aëre apparere solent, est consequutus. Apoplexias dico, conuulsiones, tremores, tetanos, peripneumonias, lateris dolores: verùm postea humoribus iam ob nimiam in corpore moram putrescentibus, morbi cum corruptione plethorici prouenerunt: etenim frigidæ causæ cutim constipantes humores prohibent digestione, tum autem humiditas aëris non modò non remouet à corpore quicquam, sed adiicit: quæ cùm vna in hac tempestate ambo fuissent, superfluitas est in ægrotantium corporibus congesta non eadem omnibus, nam quibus erat in corpore excrementum biliosum, hoc non digestum creauit effectum biliosum; quibus pituitosum aut melancholicum aut sanguineum, continuò humori erat non euacuato affectus similis. Atqui cùm tale excrementum insici in corpore & putrescere solet, alios in alios incidere morbos consonum est: cui non accidebat omnium corporis partium status similis, quippe huic infirmius iecur erat, illi lien, alii venter, nonnullis intestinum, aliis aliud. Quare cùm ex validioribus excrementum partes exciperent imbecilliores, consequebatur pro natura membrorum ex Thasiis alium aliter laborare, vnde dysenteriæ, tenasmi, fluxiones alui, lienteriæ, deriuatis superfluitatibus in intestina extiterunt, vrinæ difficultates in vesicam deflectentibus, vomitiones ad os ventriculi peruenientibus,* &c. Huc vsque ipse.

Quibus nobis innotescere videtur, quòd sint gradus humiditatis à ventis natæ, qui si sint debiliores, partes magis teneras afficiunt, si verò fortiores, hoc est, nimia in corpore mora in dispositionem putridam & magis coctam, tunc partes etiam robustiores lædunt. Rationem autem declarat, qua humores illi putrescunt in corpore, videlicet ob illorum moram nimiam propter pororum constipationem; vnde alibi: *Putredinis causa est transpirationis prohibitio:* quare & alibi: *Vbi inflammata pars sanguine est plena retenta propter omnium foraminum obturationem, necesse est sanguinem moram trahentem putrescere: nam corpora calida & humida loco calido congregata facilè putrescunt.* At ego dico, quòd non sit retentio corporis vel humoris calidi & humidi in loco calido quòd est causa putredinis, quoniam tunc sanguis & bilis atque cæteri humores continuè putrescerent, sed putridus potiùs redditur in corpore sanguis, quoniam inficitur seminariis ventosis naturæ & qualitatis contrariæ, quæ seminaria humoribus inclusa semper calore humoris naturali agunt & reagunt ad inuicem, quousque intemperies tandem præter naturæ leges corrupta nascatur, quæ putredo dicitur, & consequenter humor qui eam continet, & ab ea inquinatur humor dicitur putridus: atque hoc accidit non modò in humoribus extra suas sedes connaturales positis, sed etiam (nullo respectu ad pororum obturationem habito) in toto genere venoso, quemadmodum in febribus ardentibus patet. At nunc ad propositum nostrum. *Method. med. l. 11. c. 7* *De tumor. 3.*

Ait Galenus, quòd *morbi acuti à sanguine ferè & bile flaua fiunt:* verumenimuerò *pituitam ex putrefactione in bilem, alibi, conuerti* ait. Et *alibi, pituitam calescere & attenuari* dicit. Atque iterum, *pituitam salsam in hyeme pluuiosa & Australi procreari* narrat, ex qua tum postea dysenteria & alii morbi. At pituitam illam putrescere multis in locis testatur, vt *infrà* clarius. *Introd. c. 11. In Aph. 7. 42. In Aph. 6. 51 In Aph. 3. 11.*

Iam verò sciendum est, in primo loco, quòd catarrhi fiunt maximè temporibus pluuiosis iuxta Hippocratis sententiam. Et *alibi: Cùm hyems est Australis & pluuiosa, Ver autem Aquilonium, non modò fiunt dysenteriæ, siue intestinorum leuitates, sed distillationes etiam senibus quæ citò interimunt.* Et Galenus super Hippocratem sic: *Aph. 3. 16. Aph. 3. 12.*

Hoc accidisse tum Thasiis videtur, quorum esset ab Austrino statu caput repletum, & hoc distillationem transmitteret omnibus regionibus thoracis: nam talem tum tussim fuisse symptomaticus huius comes testatur. Rauci (inquit enim) *qui eo modo tussirent euaserunt. In causa humor erat distillans à quo vocis instrumenta irrigabantur.* *In morb. vulg. lib. 1. com. 1. 12.*

Hîc autem vos intelligere velim, quòd si Boreas æqualiter spiret cum Austro, tunc erit tussis magis sicca & arida, de qua Hippocrates *lib. 1. de morb. vulg. 12. Multi infestabantur arida tussi,* &c. At si erit humida cum multa screatione, dominabitur in eius creatione Auster. Simili ratione in lippitudine res se habet, quæ est vel sicca, de qua Hippocrates:

Si hyems Australis & pluuiosa, Ver siccum & Aquilonium, mortalibus dysenteriæ & lippitudines siccæ fiunt. *Aph. 3. 12.*

Hoc est, propter Vernale Aquilonis dominium. At *alibi* ait:

Imbres erant multi & largi, & tempestas frigida & humida, spirante multùm Aquilone & Austro. *Morb. vulg. l. 1. com. 2.*

Primùm igitur cæperunt lippitudines manantes, dolorificæ, humidæ, crudæ, &c. *1. 2. & 6.*

Atque

Atque sic de morbis reliquis, videlicet, quòd in temporibus humidis humidiora erunt meteora huiusmodi in homine præternaturalia, in siccioribus ficciora. Sed pergam.

In Aph. 3. 12. De alui fluxu à catarrho hæc: *Pituita à capite ad ventrem fluens facit fluxum.* Et quòd hæc
Ibid. pituita à ventis Australibus simul cum Aquilonaribus fit, sic testatur super illum locum:
Ibid. *Quando hyems est Australis pluuiosa & clemens, Ver autem Aquilonium & siccum, tunc fit pituita sal-*
Morb. vulg. l. 1. com. 2. 1. 4. 36. *sa quæ facit dysenteriam.* Et alibi: *Frigora non tempestiua, sed repente spirante multum Aquilone & Austro, humida, in quibus imbres erant multi, largi & magni. Æstate & Autumno dysenteriæ, tenasini, alui fluxiones biliosæ, tenues, multæ, nonnullis etiam aquosæ lienteriæ,* &c. Denique, quòd al-
Aph. 3. 17. ui fiant humidiores tempestate Australi, testatur Hippocrates *alibi.*

Aph. 3. 16. Pro aliorum generatione Hippocrates ait, *Febrium longarum, alui profluuii, putredinum, morbi comitialis, apoplexiæ & anginæ originem à pluuiarum multitudine esse deriuatam.*

Etiam febres horrificas, acutas, continuas & semitertianas atque etiam tertianas cum quotidianis, similiter phrenitides seu deliria, capitis dolorem, conuulsiones, sudores, offusiones dolorificas & biliosas, lippitudines & oculorum caligines, putredines, tabes, testiculorum inflammationes, paraplegias, parotides, vteri dolores omniumque fluxuum genera, pleuritidem, peripneumoniam, empyemata & huiusmodi alia esse à temperie in qua Aquilo cum Austro vicibus alternis pro parte maiori flare assolent, vt vbique Hippocrates & Galenus super *eius textum, de morbis vulgaribus, seu Epidemicis, in prioribus eiusdem libris* testantur.

Cùm igitur ex his constet, quòd iuxta prædictorum virorum doctrinam morbi istiusmodi omnes ex horum ventorum flatibus mutuis, vel ex illis singulorum per vicissitudines, operæpretium esse existimo hæc in microcosmo meteora distinguere, iuxta ventorum horum differentias. Quare vt Auster est æqualis in caliditate & humiditate, & ad aëris vel sanguinis temperiem vergens, ita quidem inest vtrisque suis alis temperies inæqualis, videlicet in Austro-Africo cùm sit magis humidus minùs calidus, in Euro-Austro, quia est magis calidus minùs humidus. Hinc ergo putamus, quòd necesse sit defluxiones magis tenues, & ad frigiditatem atque humiditatem parum tendentes ex parte Austro-Africi esse; at si magis fuerint aqueæ & frigidæ ad Africum spectabunt: ratio est, quoniam magis humidus est & frigidus atque aqueus Africus per se, quoniam meridionalis est ala cardinis Occidentalis: cùm verò è regione Austro-Africus est magis calidus & humidus, atque consequenter aëreus & fumosus, est enim vapor calidus & humidus. Quare necesse est, vt defluxiones tenues & calidæ ab eius afflatu magis eueniant, atque etiam ipse Auster inæqualis factus ob Aquilonis spiritus aduersus eum concursus, catarrhos & distillationes causare possit & soleat. Si ergo cum Austro-Africo eius contrarius, Aquilo nempe, spirauerit, aut seminaria sua permiscuerit, erit fluxus siccior & magis salsus, & ita se habet vt lixiuium, quod ex aqua calida & cineribus adustione factis conflatur, & tunc tabes, dysenterias aliosque morbos parit mixtus iste flatus, quos pituita salsa tam in simplici quàm corrupta & puttida sua naturà promittet. Ala verò Cardini meridionalis opposita, videlicet Euro-Auster natura quidem ab illa Austro-Africo differt, quippe quæ siccior est & magis ad caliditatem tendens; atque ob istam rationem magis mordet, corrodit & acutior est æstuosior: atque hinc ab eius quarta morbi magis sicci & calidi, at non sine manifesta humiditate qua putrescere vt plurimùm solent, atque ista ala magis participat de biliosa Orientis dispositione, vt altera de salsedine: verùm si Circius flauerit cum eo siue aduersus eum prædominantem, tum humores salsos & magis siccos & ad terrestrem conditionem inclinantes simul cum bile generat, non sine gyris & turbinibus, idque præcipuè si magis turgeat Circius, vnde vertigines, apoplexiæ, conuulsiones, paraplegiæ: at paraplegia ad alam meridiei Occidentalem præcipuè spectat. At si magis potens & in sua natura simplici flauerit Euro-Auster, febres continuas & admodùm acutas cum phrenitide seu delirio ex causa putredinosa magis sicca: at si Circius præualuerit, tertianas, semitertianas, hypirias, epyalas, atque hæc est ratio febrium horridarum, de quibus loquutus est Hippocrates, & intermittentium notharum cum rigore, frigore & horrore, dum in eodem paroxysmo præualent seminaria septentrionalia, atque iterum immediatè succedit calor & inflammatio vehemens seminariis septentrionalibus superatis à meridionalibus, & tandem vapor putridus meridionalis in sudores liquescit. Atque hoc quidem in cuiuslibet venti meridionalis actu accidere potest, sed præcipuè & magis frequenter in Euro-Austro, quatenus ipse magis incalescit, & de ignea siccitate participat. Atque ita morborum, siue meteororum morbosorum ex humoribus meridionalibus liquidorum mysterium explicaui breuiter: ad morbos huius quartæ magis solidos iam accedam.

CAPVT

Caput VII.

Quænam sunt meteora ex parte Meridiei magis solida, & compacta, ac contagioni minimè obnoxia.

Meteora ex liquidis Meridionalibus magis sicca & solida, sunt:
- Angina.
- Phagedæna.
- Parotides.
- Phlegmon.
- Apostemata.
- Abscessus.
- Aqua inter cutim.
- Pediculi.
- Lumbrici triplices:
  - Lati.
  - Ascarides.
  - Teretes.
- Achor.
- Fauus.
- Ozænæ, & cætera id genus putrescibilium.

VT quidem videmus ventorum Septentrionalium dispositionem ea congelare & indurare, quæ Austri spiritus vel aërea, vel aquea effecerunt, ita quidem Australium est quandoque res humidas naturam terream in se continentes paulatim & gradatim indurare, minus per viam coctionis, maius per viam adustionis: nam ignorare minimè debemus, quòd vim suam igneam acquisiuerit Meridies ab Oriente, in qua plaga regium suum condidit Apollo palatium: spirante igitur Austro Boream versus secum calores zonæ torridæ rapit, & fit aër nobis Borealibus æstuosus, nam ventus quilibet polaris per se est frigidus & siccus. Hinc ergo est, quòd ex his ventis animalia per putrefactionem parta esse obseruauit antiquitas, videlicet ranas, vitulos, & per adustionem lapides ceraunios, non aliter etiam pediculi, lumbrici, & huiusmodi alia animalcula in corporibus ex putredine generari videntur, & in peste carbunculi, siue carbones ex sanguine torrefacto, & in renibus ac vesica calculi, videlicet ex serositate salsa, concreta & assata in massam. At si cum humore nimio putrido fiat hæc assatio mediocris in Anginam, Parotides, Apostemata, Abscessus & Vlcera transit, quorum generum sunt Achores, Faui, Ozænæ, & permulta alia, quæ videntur ex parte Meridionali prouenire, vtpote quæ est præcipua putredinis parens & author. At verò necesse est, vt Septentrio in horum generatione portionem suam vendicet, quoniam eius est solius incrassare, constringere & indurare, & Occidentis materiam aqueam administrare, vt meridiei est permiscere, & vis Orientalis coquere, atque hæc norma tam in præternaturali quàm in naturali generatione obseruari debet. Hinc ergo ob suam contrariorum commiscendi facultatem (quæ sine calore compleri nequit) putredinis parens dicitur Auster, idque haud impropriè, naturas (dico) miscet Auster varias simul non aliter quàm pictor colores plures; quare fit, quòd vt nigredo Septentrioni, albedo Occidenti, & rubedo Orienti, ita quidem Meridiei in colore variformitas ascribitur.

Quòd Angina & Parotides sunt Australis simul & Septentrionalis afflatus effectus ipsius Hippocratis instruimur documentis:

In pluuiarum multitudine fiunt magna ex parte anginæ, &c. *Aph.3.16.*

Et pro Parotidibus sic:

Cùm esset totus hic status Austrinus & squalidus, videlicet Ver Austrinum & æstas nubilosa, Etesiæq; paucæ & paruæ sparsim spirarunt, Hyems autem ante Ver illud Aquilonia, tubercula multis secundùm alterutram aurem, plurimis vtramque extiterunt febre carebant, &c. *Morb. vulg. lib.1. com.2. 6.7.8.9.10.*

Atque iterum sic:

Ante Arcturum & sub eo multi & magni spirante Aquilone imbres, flante verò Austro imbres pauci & modici: hoc verò statu tubercula secundùm aures quæ in febribus cum dolore extuberant. *Morb. vulg. lib.1. com.2. 60.81.*


Quòd isti tumores fuerunt parotidæ nuncupati nos docet Galenus *supra illum* 10. *locum*, vbi etiam causam ipsarum docet, arguitque has prouenire ex maiori Aquilonaris afflatu: nec sine ratione, nam flatus Aquilonaris siue Septentrionalis superans Meridionalem se-

minaria eius calida per antiperistasin includit in humorem vaporosum, illumque coarctat & indurat, atque hinc oriuntur dolores atque inflammationes, quæ istiusmodi tuberculis accidunt.

De Morb. vulg. lib. 3. com. 3. 8. 11. Pro hydrope hæc: *Cùm esset totus annus Austrinus, & c. 8. Aqua inter cutim.* 18.

CAPVT VIII.

De morbis contagiosis ex parte Meridiei, tàm ad distans, quàm contactu inficientibus.



QVòD meteora contagiosa à ventis præcipuè Australi proueniant, & ipsi consequenter aptissimè referri debeant in eo persuademur, quoniam, iuxta Galeni & Hippocratis normam, Austrinæ anni constitutiones non modò putredines copiosas, sed etiam contagiosas & pestiferas parere & generare assolent, quemadmodum vbique *in lib. morborum Epidemicorum* innuere, atque verbis expressis asseuerare videntur.

Vt autem omnis putredo non est contagiosa, ita quidem contagio omnis non est vnius naturæ aut potestatis, cùm illa, quæ solet quempiam ad distans afficere habeat potestatem ipsos spiritus non modo macrocosmicos, verùm etiam microcosmicos per macrocosmicos commaculare, atque huiusmodi sunt materia subtilis & venenosa pestilentiæ, exanthematum, seu variolarum & morbillorum, febrium pestilentialium, lippitudinum, phthisis, &c. quorum quidem aliorum seminaria sunt magis subtilia & profundiùs penetrant in spiritum humanum, ita vt non modò spiritus vitales polluant, verùm etiam contra spiritus animalis rationem ita feriant, vt phrenitidem, mentisve alienationem quandoque efficiant, quemadmodum in peste & febribus pestilentialibus videre licet. At verò in phthisi & lippitudine

pitudine non ita res habetur, quippe in quibus corpus & eius spiritus aëreus solummodo afficiuntur: & licet in exanthematibus hoc quandoque euenire obseruatur, tamen hoc fit non ex sola spiritus inficientis subtilitate & virtute, sed ex defectu expulsionis humoris siue sanguinis coinquinati: nam materia illa corrupta in cerebro turgescens delirium quandoque, atque etiam syncopales exanimationes propter meatuum vel animalium, vel vitalium obturationem, aut partium compressionem efficere quandoque assolent.

Quæ verò sunt contagiones magis grossæ ad distans, hoc est per corruptionem aëris intoxicare nequeunt, sed per solum contactum hoc faciunt, vnde factum est, quòd corpus eiusque humores solummodo vel magis profundè vel superficialiter commaculant, atque istiusmodi sunt contagiosæ luis syphilidis siue morbi Gallici effectus, vtpote cuius est vel corrupto Gonorrheæ humore, vel saniosa & purulenta vlcerum corruptione aut sudoris contagiosi imbibitione corpora aliena commaculare, & in naturam suam conuertere. Imò verò in isto morbo fit ab elemento in elementum progressio: nam prauus & venenosus in vtero corrupto halitus vasa viri seminaria inficit, infectis vasis sperma redditur putridum & corruptum, & in saniem redigitur, sanies illa suppressa sanguinem in venenosam suam naturam alterat, sanguis alteratus à natura in inguina expulsus in bubonem terreum mutatur, & in aliis corporis partibus in scirrhosam consistentiam migrat, quam Tophum & Nodum vocant, quod quidem fit variis variorum ventorum in microcosmo more occulto flantium spiraculis, sine quibus non fit transitus vnius elementi in naturam alterius. Denique quæ sunt contagiones magis adhuc crassæ non ad ossa vsque penetrant, sed superficie tenus se exprimunt magis, atque huiusmodi sunt Elephantiasis, Lepra, Ophiasis, Alopecia, Serpigo, Impetigo, Psora, Scabies, Pruritus, & cætera. Quæ omnia propter suam siccitatem & terrestreitatem, ad ventos Septentrionales retulimus: Non quòd ex ipsis simplicibus oriantur, sed quoniam ad eorum compositionem venti istiusmodi habere videntur dominium.

At verò necesse est etiam, vt ad eorum compositionem venti calidi & humidi oppositè spirantes concurrant, nam salsa eorum conditio aliter nasci nequit, sed præualet virtus Septentrionalis, quod nisi esset, humida Australis natura in substantias seu consistentias tam asperas & siccas concrescere non posset, quales sunt Elephas, Lepra, &c. Sic quidem Aquilo & Austro-Africus simul-flantes, dominante nihilominus Aquilone, vel per vices diu spirantes, vel Boreas & Auster, vel Circius & Euro-Auster, faciunt mixtionem suorum seminariorum in aëre, in qua mixtione seminaria Australia quasi fœminæ materiam præbent, illa verò Aquilonaria quasi mares condensant, ligant & informant.

Hinc verò fit, quòd quò magis Auster seu Meridionalis est validus, eò magis liquidum est istiusmodi meteoron; at si in altiori gradu præualeat Aquilo seu Septentrionalis, eò magis sicca, dura, & furfurea inuenietis meteora talia. Nonne videtis in macrocosmo hoc ferè idem accidere, in quo terra Februarii niuibus & pluuiis nimium madefacta Septentrionalibus mensis Martii afflatibus in pulueres siccos terreamque consistentiam olim limosam & mollem, in naturalem suam duritiem est redacta?

At iam quomodo meteora contagiosa, quæ ad Meridiem spectant, sint ex istis ventis Australibus nata atque producta ex Hippocratis & Galeni sententia ostendam.

Inquit Galenus: *Si totus Annus sit calidus & humidus, necesse est magna pestilentia succedat.* De cuiusmodi *in 3. Epidemicon*, id est, grassantium publicè morborum narrat. Hæc ille. *De temp. l.2.c.4.*

At quid dicit Hippocrates *in eo libro*, & Galenus super illum commentator, iam audietis:

Annus Austrinus pluuius à ventis in totum silens, &c. *Morb. vulg. l.3.com.3.*

Galenus super hoc: *Erant Cranone Carbunculi æstiui; pluerat per æstum largo imbri, idque assiduè. Acciderant autem magis spirante Austro, nam hic est calidissimus & modicè humidus.* *Morb. vulg. l.1.com.1.*

Et Hippocrates *alibi* sic:

Cum esset totus annus Austrinus, humidus & leuis. 8. *Morb. vulg. l.3.com 3.*

Febres ardentes vnà cum phrenitide. 11. *Ora aphthis vitiata pudenda tuberculis, lippitudines, Carbunculi.* 12.

Galenus *super* 11. *Si humor affluat malus semper Aphthæ prodeunt cacoethes, iam carbunculorum perpetuò est periculosus affectus; nam ex vitiosis constat humoribus*, &c.

Et reuera bene dixit, quòd ex vitiosis constet humoribus, quippe contrariis, nam ignea

& putrida Australis vis à flatu Aquilonari vndique in nube quasi constringitur,& per antiperistasim ne expiratione egrediatur impeditur,& consequenter constrictione ita augetur ignis compressus,vt more fulminis accendatur, & extinctione in speciem carbonis, frigore Boreali operante conuertatur: Hinc ergo tota medicamentorum nostrorum vis est,vt per ea frigoris Septentrionalis virtutem abolendo ignem illum malignum extrahere omni conamine aggrediamur.

Quòd Tabes,Dysenteria,lippitudines,febres ardentes,putredines,à seminariis Australibus cùm Aquilonaribus proueniant,confiteri videtur Hippocrates *Aph.* 3.11. & 3.12. & 3.13.& 3.16. Et Hippocrates cum Galeno *de morb.vulg.lib.* 1.*com.*1.31.*& com.*2.6.15.53.61.62. Et de Dysenteriá particulatim.

In Aph.6: 45. De Anthrace sic Galenus: *Anthrax,id est Carbo.vlcus quoddam crustosum,cui adiungitur multus partium circumstantium feruor. Dicitur Anthrax,Phagedæna,& herpes affectio mixta & vlcere & putredine.*

Aph.6.34. Denique de Ophiasi & Alopecia hæc ipse: *Ophiasis & Alopecia à vitiosis humoribus capillorum radices corrumpentibus.* Et *alibi: Hi capilli corrumpuntur propter humorum quibus nutriuntur inopiam & propter eorum vitiationem. Propter inopiam fit caluities,propter vitiationem fit Alopecia & Ophiasis; Alopecia à vulpibus dicta, quibus hic morbus frequenter accidit; Ophiasis à serpente.* Hæc ipse. *De comp. pharm.lib.1. cap.1.*

Atque ita(amice Lector) ex his quæ in libro isto sunt dicta differentiarum nostrarum de febribus rationem ab ore seu sententia cùm Hippocratis,tum Galeni confirmatam,sincerè accepistis,vt nemini imposterum de hac nostra inuentione cauillandi aut dubitandi occasio adhibeatur. At verò quàm longè fuerint isti Ethnici(vtcunque Medicorum veterum principes) à radicali morborum cognitione remoti,in *libro subsequenti* luculenter expressum repetietis.



LIBER

LIBER TERTIVS,

IN QVO MEDICORVM ISTORVM ETHnicorum, in virtute diuina ignorantia, erga Dei maiestatem ignoratam temeraria impudentia, ac denique in mysteriis medicinæ radicalibus insufficientia, atque inopia declarantur.

CAPVT I.

In quo author exprimit rationem, cur verbis prædictorum medicorum Ethnicorum expressis, opinionem (quâ ventos radicalem morborum originem statuit) probare, atque confirmare aggrediatur: Hippocratis & Galeni in morborum mysteriis ignorantiam ostendit, átque eiusdem rei rationem reddit.

SVBIECTVM *libri præcedentis* totum (vt videtis) in particulas distinxi quatuor, quarum quælibet de peculiari & distincto mundi cardine, eius ventis, morbisque meteorologicis ab illis ventis ortis atque prouenientibus tractat. Nec cuiquam vestrûm mirum videatur, me (relictis Biblij sacri testimonijs) ad illa medicorum Ethnicorum facile principum; ad principia ista mea de morbis meteorologicis confirmanda & statuminanda refugium habuisse: non enim hoc feci, aut in posterum faciam, vt ab ipsis hac in re aut doceri, aut aliquo modo instrui desiderem, cum reuera videntem se à cæcis duci; aut in via sua à caliginoso gubernari permittere stolidum plane foret, absurdum, & haud credibile. Habemus profecto nos Christiani sacrarum literarum lumen, quo oculi nostri illuminantur, & nos clarissime in semitis totius veritatis dirigimur: quid ergo Ethnicorum doctrina nobis opus est, qui quasi oculis caligine obductis more ebriorum cognitionem & scientias in opinionum abysso & chaos quærentes confuso, hoc est, veritatem in tenebris more amentium venantes, effectus pro ipsa veritate, corticem pro nucleo, vmbram pro subiecto reali accipiunt, atque ita falluntur & fallunt, videlicet aut elementa, aut eorum qualitates, aut humores, morborum causas primarias (ignorato penitus ventoso illo principio in ipsis centraliter mouente) statuerunt: & si quandoq; ventorum effectus contra elementaria sua fundamenta (cùm venti sint elementis priores) experientia, etiam stultorum matre, docti, morborum esse causas agnoscere cogantur, tamen non aliter hoc faciunt quam ipsa bruta quadrupedia, siue volatilia cœli, quæ tempestatem ventosam aut futuram præuidentia, aut præsentem cōtactu percipientia, ipsam, naturali instinctu, euitare, & tranquillitatis sedem inuestigare qua à ventorum rabie securius quiescant, etiam à pastoribus rusticis animaduertuntur: pari si quidem ratione Hippocrates ait, ***Si talis vel talis ventus spirauerit in hyeme, in vere, vel æstate, vel autumno tunc tales expectare debemus euentus insalubres tempestatibus sequentibus:*** & quare? quoniam experientia ipsum docuit, rem ita se in temporib. præteritis habuisse, ergo & in sequentibus. Nonne itidem ob eandem rationem vento vel Boreali vel Australi flantibus quærunt etiam irrationalia animalia locos à spiraculis eorum tutos & munitos? At si quis ab ipso Hippocrate, aut Galeno quæreret, quid sint venti isti, quodnam sit cētrale eorum principium, aut cur producat ipsi hunc vel illum effectum, certe ideo ipsos in responsione genuina mutos & mancos inueniet, quoniam philosophiam veram & reuera sacram intellexerunt nunquam, & consequenter nec interna ventorum principia angelos esse, vt & angelorum actus numinis diuini radium siue emanationem extitisse perceperunt. Hinc ergo Galeni de

Christi & Moysis doctrina contemptus,& discipulorum ipsorum derisio.quos ideo tam acriter & tanta impudentia spreuit ipse, quoniam scientiam supra eius captum & vltra lemmata Aristotelis,aut demonstrationes sensui ipsius Galeni familiares protulerunt:de atheistico cuius contemptu in sequenti latius.

Atque hæc est causa,quod scientia Hippocratis & Galeni medica sit tam incerta atq; inconstans:inconstans (dico) in principijs, quæ facit elementa quatuor cũ ipsorum qualitatib.calidum,frigidum humidũ& siccũ,& tamen prętet horum elementorũ actus ventorum agnoscit virtutes, fateturq; eorum afflatus esse præcipuas morborum rationes. At nos dicimus,& audacter affirmamus,atq; etiam contra aut Hippocratis aut Galeni mentes demonstrare possumus ipsa elementa,& consequenter ipsorum qualitates formales primitus à ventorum flatibus deriuari, atque non esse nisi vnicum elementum materiale,spiritum,dico,illum mundi mercurialem,qui aptus est iuxta Diuinã voluntatem,quamlibet assidue & quotidie peculiarem cuiuslibet elementi induere & assumere naturam & conditionem: nam iuxta proprietatem diuinam variam, videlicet vel septentrionalem, vel meridionalem, vel orientalem,vel occidentalem, aëreus mundi sublunaris spiritus siue mercurius alteratur,vel in consistentiam terream,vel aëream, vel igneam, vel aqueam,atq; ita diuini numinis afflatu, mediantibus organis suis angelicis, elementum vnum in aliud circulari rotatione conuerti assolet.

Quod quidem si recte intellexissent Hippocrates & Galenus,nec Christum,nec Moysem in contemptu tanto habuissent, sed cum ipsis & iuxta ipsorum doctrinam agnouissent Christum spiritualem, siue sapientiam æternã operatam esse & operari omnia in omnibus, & quod organum eius immediatũ sit creatura angelica, mediante quo multiformiter in aëre, vel ad mortalium salutem, vel ad eorum infirmitatem & destructionem spirare assolet. Nec dicerent quidem quod elementa aut humores ex elementis fuissent primaria morborum principia;sed potius Deus opt. max.omnium motor primarius, omnia in omnibus operans, qui vel in misericordia vel seueritate sua cum creatura videlicet per organum suum angelicum siue sit vitæ custos, siue ipsius vulnerator & percussor in centro spiritus ventosi mouens,& ventus spiritu angelico animatus in elemento, & elementum vento inspissatum vel dilatatum in meteoro vel salubri,vel insalubri, siue sit humor vel ex humoribus.

Pessime ergo egerunt medici ethnici, qui intemperiem vel calidam, vel frigidam, vel humidam, vel siccam esse causam istius, vel illius morbi, & adhuc deterius, quia hunc, vel illum humorem infirmitatum principia statuerunt, nam ita quidem effectum pro causa capere solebant, videlicet formalem venti qualitatem pro vento angelico qui est internum agens, vel humorale domicilium pro actore diuinitus in ipso constituto. Hinc ergo sequuta est tam incerta,& male sana inter Galenicos & Hippocraticos sanandi atque curandi methodus,qui videlicet humores respicientes,& internum in humore agens negligentes seu potius ignorantes,sæpius humores(vt aiunt)peccantes expurgare tentant,& tamen(hoc facto)nihil prorsus vtilitatis, aut commodi infirmo afferre solent, quoniam spiritus inficiens ex angelicis venti nocentis seminarijs ortus,intelligenter & subtiliter in spiritũ seu humore, quem possidet, agit & mouetur, ita vt dolis aut ingenio humano à sede suã facile moueri nequeat, nisi Deus gratiam aut medico quo feliciter & via recta in sua curatione procedat, aut ægroto quo in curatione sua se præparet & disponat concedere fuerit dignatus. Hæc ergo est ratio quod Epilepsiæ causam posuerint Galenistæ pituitam grossam & viscosam, & tamen vtcunque vomitionibus grauiter ægrotum prementibus, pituitam illam grossam & lentam euacuare solent, idque in quantitate magna, tamen totum illud opus vanum esse percipiunt, nam causam illam veram, siue agens internum illis medicamentis nullo modo moueri aut vibrari sentiunt,vnde fit vt vnius dieispatio illud agens nouũ sibi stratum, siue domum ac vehiculum pituitosum condere animaduertunt, ita vt (expertus loquor) si postridie alia similis medicina vomitoria adhibeatur,eandem pituitæ crassæ quantitatem euacuabit patiens quam antea. Nonne hoc percipiens ipse Galenus morbum istum diuinitatis quidpiam habere est fassus? similiter etiam in febri continua & pestilentiali, quartana, tertiana, atque etiam in apoplexia, lethargia & cæteris res se habere dignoscitur. Quare certum est, quod qui angelum Dei percussorem esse internam morborum causam ignorat, & immediatum Dei (qui *operatur omnia in omnibus*) actum etiam ab angeli centro radicitus mouere nescit, idoneus esse morbi curator nequit: at hoc ignorauerunt Hippocrates & Galenus, ergo morbos certa methodo curare omnimodo ipsius erat negatum. Et quamuis quandoq; quibusdam herbis,mineralibus,aut animalibus ipsos morbos nonnullos curasse accidisset,hoc quidẽ arte nulla certa,sed sola experientia instructi perficerę tentabant: vnde factum est vt quamuis hic vel ille eodem medicamento à

morbo

morbo suo liberetur, si idem alteri vel tertio aut quarto labotanti administretur, illud nihil ipsis commodi aut alleuiationis quicquam attulisse testetur experientia.

Qui autem more Prophetarum & Apostolorum vim & virtutem habent in spiritus malignos & nocentes, ipsis rite verorum medicorum nomen est assignandum, talesq; scientiæ medicandi sacratæ doctores veri sunt dicendi qui more Hippocratico aut Galenico incerto practicare nesciunt, fallere nolunt. Ratio ergo cur Hippocratis & Galeni testimonia ad fundamenta hæc nostra statuminanda in lucem protuli, erat, non me docendi gratia (vtpote qui doctrinæ meæ leges & statuta à fonte totius veritatis accepi, quemadmodum in libro sequenti plane & luculenter exploratum inuenietis) sed quod asseclas ipsorum Christianos docerem, ipsisq; demonsttarem aperte suos præceptores, Hippocratem scilicet & Galenum, eiusdem rei ratione è longe & quasi nube tenebrosa & ab effectu seu demonstratione à posteriori percepisse, ad centralem vero eiusdem cōsiderationem minime quidē, quippe scripturis & mysterijs sacris ignari, penetrauerunt: vt hac ratione ipsos meliori & faciliori conatu, minorique tædio ad fidem huic meæ doctrinæ adhibendam persuaderem: Nam si Hippocrates & Galenus, experientia solummodo ducti, ventorum oppositorum in aëre per vicissitudines concursum, morborum futurorum causam extitisse prognosticare potuissent, credo ego neminem verum Christianum adeo fore obstinatum, quin vt aures, vel oculos suos ad veram istam nostram morborum meteorologicorum historiam, vel audiendam, vel legendam inclinet, vtpote in qua mysterium illud, quod captui doctorum Ethnicorum à priori peruenit nunquam (tametsi ab effectu hoc est, à posteriori ipsis erat quodammodo cognitū & perceptum) ad amussim intelligat, idq; in laudem ipsius conditoris æterni, cuius est solius & radicaliter percutere & sanare, & in vtilitatem cum animę tum corporis creaturæ patientis, vt ipse imprimis Deum aut vocaliter, cum bono rege Hezekia, aut per meditationes pias, cum rege Dauide, animam suam more taciturno ad eum, causam sui morbi radicalem atque principalem, effundendo, ante omnia ad misericordiam commoueret: cessante n. rota machinæ alicuius interiori, quæ à centro circumferentiam versus mouetur, necesse erit vt tota demum machina in pace quiescat: sic etiam propitiata ira diuina quiescit angelus vindictæ, placato verum ipso quiescit venti malitia, qua iterum sopita & ligata in se, humor à lege & statu preternaturali in naturalem, à discordiæ semitis ad concordię limites reducitur: & tum postea vt medicus ipse se agnoscens organum & instrumentum quo vtitur, & in quo dirigendo mouetur Deus ad curationis ordinationem, totum suum opus & scientiam mente simplici & precibus deuotis ad Deum referat, ipsum agnoscendo solum esse medicorum fontem, & scaturiginem salutis, à quo solo, per quem solum, & in quo solo fit à statu morboso ad sanitatis metam transitus. Ei ergo reddatur laus & honor & potentia in æternum.

His ergo recte consideratis, quam esset in Galeno illo nostro, in sola natura manifesta & patente enutrito & versato, absurdum & sane rude, ipsum Moysem & Christum tam leuiter pendere & tanta inciuilitate & verbis cōtemptu plenis tractare, ac in quibusdam operum ipsius locis videre liceat, neminem vere Christianum latere, aut à pia mente placidoue animo tolerari potest. Meum ergo erit in huius libri consequentia, Gigantem istum prophanum, Goliam (dico) intolerabilem, Christi hostem & blasphemia nimia in vere sanctos turgentem, funda & lapide Dauidico oppugnare, vel saltem eum arcu bene directo, mediantibus sagittis siue iaculis ex ipsius rationis atque veritatis pharetra depromptis, summo (si queam) conatu interficere, cuiuslibet veri Christiani esse officium existimando, seipsum ad creatoris & domini sui laudes & honorem statuminandum, atque dura blasphemorum ora obturanda, agonistam atque athletam se reddere audacem.

CAPVT II.

In quo Galeni atheismus, omnipotentiæ diuinæ abnegatio, in veris naturæ mysterijs inscitia, ac denique in arte medicandi, inconstantia & incertitudo luculenter explicatur.

APostolus ait, *Sicut accepistis Iesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulate radicati & superædificati in ipso & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi & non secundum Christum: quia in ipso habitat omnis plenitudo* Colos. 2. 8. 9. 10.

plenitudo diuinitatis corporaliter. & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis, &c. Visum est mihi, (ô Christiani philosophi & medici, sectam Aristotelicam, Galenicam & Hippocraticam tanta admiratione venerantes) Apostolum vos hoc in loco & non alios alloqui, & vt ingenue orationis meæ filum ad vos conuertam, non satis admirari possum vos tanto philosophiæ Galeni medicæ amore esse captos, qui tam egregius est Christo, atq; etiam numinis diuini omnipotentiæ aduersarius? Anne quicquam doctrinæ veræ aut certe absque Spiritus sancti dono adipisci posse creditis, cum sine eius afflatu nemo vir magnus? Quàm fragilis est philosophia illa & consequenter Medicinæ scientia, cuius fundatione abest & ignoratur lapis ille angularis, sola veritatis basis & fortitudo? Nonne clarum est omnem artē & philosophiam inanem, fallacem, & stultam esse quæ à traditione hominum & mundi elementis procedit, & non à Christo *in quo omnis plenitudo, omnis fortitudo & potestas* vtpote omnis principatus caput, vt testatur Apostolus? At nos(nescio quo fato maleuolo ducti) fontem veræ sapientiæ relinquentes, ab ethnicis sterquilinijs(diuinis plane mysterijs ignoratis) artem, scientiam & intellectum quærimus : vti faciebant Agareni & qui erant in Theman; qui ad veritatis & sapientiæ veræ metam peruenerunt nunquam.

Baruch. 3.

Verum si dicetis, aut replicabitis vos, qui estis Galeni asseclæ atq; sectatores, quomodo scis tu, aut qua ratione persuadeamur istam Galeni scientiam esse vanam, & à vero sapientię fonte minime dependentem aut scaturientem? Vobis ego sic, Ab ore scilicet eius proprio, seu potius scriptis ipsius efficiam vt quam clarissime suam in veris tam philosophiæ, quam medicinæ fundamentis inscitiam nobis Christianis aperiat atq; detegat: nam qui in sapientiæ diuinæ radice est cæcus, & omnipotentiæ creatoris ignarus, impossibile est ei vt quicquā veritatis aut scientiæ radicalis intelligere aut percipere queat, vtcunq; circa probabilia versari, & scientias apparentes ab effectibus rerum colligere, & inuentione seu sapientia humana stabilire videatur. Quare necesse est, vt auditis profanis Galeni in Deum & Christum positionib. atq; blasphemijs, aut ipsum vel profanum, atheisticum & blasphemum esse, & consequenter, ideo à veritatis & scientiæ certæ meta aberrasse agnoscatis, aut ipsum defendendo, & in philosophia eius medica acriter adhuc perseuerando, vos non Christianos, sed meros Galenistas profitentes in peccatum adhuc grauius, quam est illud præceptoris vestri incidatis. Verba eius in doctrinæ Mosaicæ derisione sunt ista.

De vsu part. l. 11. c. 14.

Num nostri opifex solis his palpebrarum pilis æqualem semper seruare magnitudinem præscripsit, hi autem siue imperium præscribentis metuentes, siue Deum ipsum præcipientem reueriti, siue faciendum id esse persuasi, obseruant id vt mandatum sibi fuerat? Certe Moyses quidem ita de natura ratiocinabatur, cuius ratio quam Epicuri mihi videtur probabilior. Optimum tamen est neutrius rationem sequi, sed potius generationis principium. Atque iterum; *Moyses arbitratur omnia Deum posse facere. etiamsi ex cineribus equum aut bouem facere velit: nos autem non ita sentimus, sed confirmamus quædam naturam facere non posse, eaq; Deum ne aggredi omnino, sed ex his quæ facere potest quod melius est eligere. Iam vero cum pilos in palpebris satius esset æquales semper esse magnitudine & numero, non ipsum quidem hoc voluisse affirmamus, illos mox factos fuisse, neque enim id facere potuisset: affirmamusque si eos etiam millies voluisset, nunquam tamen tales futuros si ex cute molli producti fuissent.*

Nonne est hæc egregia in præceptore isto vestro, quem ita colitis, doctrina? imo verò blasphemia atheistica potius? Atq; vtinam iam nunc inter viuos extitisset audax & Titaneus, seu giganteus iste contra numina diuina bellator, seu agonista tenebrarū, vt eum veri luminis sagittis(non aliter, quam Apollo suis iaculis Pythonem ex tenebroso terræ limo creatum oppugnasse traditur) hostiliter & animo magno aggrediar: nec tamen ideo(quia mortui minime mordere dicuntur, & propterea pusillanimitatis esse indicium, eos vi & armis petere putatur) tanta erga maiestatem diuinam absurditatē & impudentiam tam immanem silentio & impune prætereundam existimaui, quin vt acuto veritatis flagello diligenter & acriter corrigatur: quod quidem vt melius præstare queam, operæpretium fore putaui ex prædicto Galeni sermone quatuor hęc elicere: nam in priori loco ipsum contra Moysis doctrinā extremū fuisse inimicū colligo. Deinde res naturales, quales sunt pili, posse suos ordines in incremento, ęqualitate, inęqualitate, ac deniq; in numero pondere & mensura sine præceptis aut voluntate diuina obseruare, & suo proprio velle iuxta naturę suę instinctum operari. Tertio ꝙ natura in se & per se operari potest, & quod ipse Deus nihil amplius possit quā ea quę perficere solet natura. Quarto & vltimo quod non sit in potestate diuina omnia posse & præstare iuxta placitum suum. Quibus bene consideratis facillime concipere possumus an vir istiusmodi opinionum, qui sacrorum Bibliorum doctrinam contemnit, prophetarum dicta deridet, creaturarum existentiam, & actum absque Dei præceptis & voluntate existere posse confirmat, naturam vno modo agere & Deum alio, imò vero Deum sequi naturæ actum asserit, numinis sacrosancti omnipotentiam negat, & ipsius voluntati & potestati limites præ-

præscribit; an (inquam) talis pro idoneo philosophandi authore, aut morborum curandorum doctore tam insigni atque veridico haberi aut æstimari possit.

Vt ergo cum priori exordiar, quis etiam infidelis & ethnicus in mysteriis rerum radicalibus vtcunque mediocriter versatus negare potest (nisi mundi rerumque in ipso creationem penitus excluserit) *Deum verbo suo omnia fecisse, formasse & creasse?* At verbum Dei lucidum est eius præceptum, mediante quo, omnia effecit, & à nihilo ad actum produxit. Hæc quidem est Moysis doctrina, quam Galenus tam acriter reprehendit. Ac si Deus suo verbo (quod est sola veritas) parum & quasi nihil, multo minus omnia præstare potuisset. Sed de his non plura hoc in loco, quoniam in sequentibus latiora.

Ad particulam secundam, quam sit stolidum credere aut affirmare creaturam posse agere, mouere, crescere, mensuramve aut ordinem in suo incremento obseruare per se & sine actu diuino intrinsecus agitante & animante, ex istis concipere potestis subsequentibus.

Deus (ait Apostolus) *operatur omnia in omnibus*; Ergo creatura nihil agere, nec mouere potest per se, sed ab actu diuino vim illam habet: vnde certum est, quod pilorum ortus, incrementum, numerus, mensura & ordo à Deo sunt: quare Euangelista hæc, *Nonne quinque passeres veneunt, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo, sed & capilli capitis vestri omnes numerantur.* At ista (dicet scio quis) non approbabit Galenus, quatenus scripturis Hebræis aduersarius. Huic ego sic, Facillimum erit hoc idem paucissimis etiam sine Biblii testimoniis confirmare, si cuiuslibet creaturæ actum serio introspiciamus: nam si in eius potestate sit per se agere & mouere, nullo diuino actu concomitante, tunc necesse est, vt iste actus suum habeat principium radicale à quo deriuatur, diuisum, & ab illo diuino distinctũ: at quoniam principio sit nihil prius, ergo si principium motus illius sit diuersus ab illo diuino, tunc erit coæternus cum illo diuino, quod quidem si concederetur, tunc necesse esset, duo principia æterna agnoscere, atque ita vnitas è rerum natura excluderetur, quod quidem foret absurdissimum. Sequitur ergo, quod omnis in creatura motus etiam lege naturæ sit aut à Deo, & per Deum, aut à nullo alio. Ad tertiam dicimus, quod si ipsa natura à Deo creatore viuificetur (nam Deus viuificat omnia), tunc etiam à Deo centraliter mouetur & in Deo, & per Deum agit & mouetur, & sine eo nullo modo, & per consequens sequitur, quod natura nihil potest, nisi ad illud à Deo animetur; at vero non conuertitur propositio, nam Deus quæcunq; voluerit fecit & facere potest, etiam si nulla in mundo esset natura, quoniam in mundo suo archetypo omnia condenda efformauit & graphice delineauit, priusquam eorum quippiam in actum esset redactum. Ergo omnia erãt in Deo, antequam in lucem ederentur, imo vero & ipsa natura humida, cui, teste Mercurio Trismegisto *verbum astabat*, ita vt ipsa sine verbi seu sapientiæ diuinæ presentia nihil possit: at sine ipsa verbum permanere & operari potest, quippe quod æternum & ante vllam naturam creatam in sinu patris sui mouebat. Luc.12.6.

Ad quartam denique in hunc modum. Quid opus erit nobis ex pluribus scripti sacri locis nihil Deo esse impossibile probare, aut ipsum operari omnia in omnibus asseuerare, aut quod à Deo patre sunt & mouentur omnia per Iesum Christum D. N. aut quod *ab eo, per eum, & in eo sunt omnia?* Aut sufficit nobis probare, quod vltra naturæ leges & consuetudinem, *tenebræ* (Christo mortem patiente) *vniuersaliter fuerint factæ super faciem terræ*, aut quod præter naturæ mores (cuius est generare solius & corrumpere, non tamen sine actu diuino) creatio de nouo, & à morte ad vitam æternam resurrectio, solo numinis diuini afflatu fieri: aut quod propheta (sic iubente Deo) spiritum à quatuor ventis vocando, & ossa cadauerum infinita, carnibus, neruis, venis, sanguine, visceribus & omnibus vitæ & motui necessariis reuestita & exornata, iterum reuiuiscere efficeret. Anne Galeno, aut ipsius amicis numerarem miracula, quæ contra naturæ constituta in Ægypto, & in deserto ad exitum, vltra hominum ethnicorum admirationem compleuit Iehoua? Si ranas, locustas, pediculos & huiusmodi alia producere potuit in instante: si coturnices in numero infinito in castra Israelitarum congregare; si man de cœlo miraculosum & non commune impluere, si aquam de duro & sicco scopulo extrahere, si aquas amaras nictu quasi oculi dulces reddere. Anne virtuti huic immensæ foret impossibile res vilissimi momenti, cuiusmodi sunt pili palpebrarum, pro suo arbitrio vel naturaliter vel præternaturaliter in æqualitate disponere, quando & vbi placuerit, idq; temporis momento? Si Eliæ huius virtute datum fuit puerum è mortuis reuocare, auarum lepra candida subito percutere, oleum & farinam in grandi quantitate multiplicare, vt & Christus panes & pisces, imo vero & vinum ex aqua conflare: si deniq; virgam Aaronis efflorescere subito efficeret: quid (mei Galenistæ?) annæ dubitatis, aut cum Galeno illo vestro negabitis Deum pro sua voluntate posse pro bono suo placito pilos palpebrarum aut multiplicare, aut diminuere? Si ergo Deus ex ossibus cadaueris solo suo spiritu operante homines viuentes reædificare possit, cur non adeo facile ex cineribus equum Ezech.37.

aut bouem? Si ipse res istas præter naturæ creatæ leges perfecerit, anne probabile est Deum nihil aggredi, vt ipse ait, præter ea quæ sunt possibilia naturæ? Si virgam quasi mortuam efflorescere fecit, nonne maiorem habet ipse potestatem in res illas quas ipse vita vegetatiua ditauit? Anne ei est impossibile pilos vel longiores vel curtiores, vel æqualiores vel inæqualiores, vel numerosiores vel pauciores iuxta placitum suum reddere, cuius est solius omnia numero, pondere & mensura conflare, atque etiam res multiplicare aut diminuere prout bonum ei videbitur?

At si vos cum Galeno illo vestro in incredulitate adhuc fixi permanseritis, nec hisce textus sacri testimoniis fidem præbere vultis. Hoc vnicum serio vt vobiscum reputetis suadeo, videlicet, quod aut Deus est, aut nullus: si Deum esse concedatis, tunc sequitur, quod aut ab eo sunt omnia aut à seipsis; si à seipsis, tunc res quælibet est immortalis, imo vero cum Deo sempiterna, & consequenter sui ipsius principium & author est; quod si ita foret, tunc si quidem tot in mundo extarent principia quot in eo existunt res, & per consequens, multitudo & non vnitas foret numeri principium, nullaq; existeret à priori demonstratio, à posteriori omnis. Ecce immensum absurditatis chaos, in quo veritas à mendacio cõtaminari, imo vero deuorari videtur. At si è regione Deus sit principium vnicum, & ab eo omnia, vt omnes à fontis vnius scaturigine riuuli emanare solent, tunc necesse est credere, quod omnes res de essentia & actu suæ radicis participant non aliter, quam omnes riuuli aquæ cum fluida sui fontis substantia cõtinui sunt, vnde si à suo fonte diuidãtur, necesse est vt subito decrescant, intereant & amplius mouere atq; manare nequeant. Non aliter (inquam) se habet res omnis quæ à Deo suum habet ortum, vitam, motum, vegetationem, multiplicationem & virtutẽ: nam vt res quælibet spiritum incorruptibilem in se possidet & ad suam subsistentiam requirit, ita quidem sine eo ne temporis quidem momento perdurare potest: at spiritus hic incorruptibilis est emanatio à Deo sancto, cuius virtute omnes res viuunt, crescunt & multiplicantur: ergo absq; eo nihil. Quod cũ ita sit, nemo mentis sanæ dubitare potest, quin omnia secundum voluntatem & mandatum diuinum etiam in minima creaturarum particula cõpleri queant, cum sit ipsa *Dei sapientia*, & consequenter essentia diuina, *quæ operatur omnia in omnibus.* Quo quidem euidens est, quod nec sit natura, quod hoc vel illud agit, sed Deus in natura, nec quidem natura in re aliqua suas proprias partes agit, sed Deus per naturam & mediante natura in re quapiam naturata. Atque ita rectissime concludit Apostolus *Deum operari omnia in omnibus*, quippe *à quo, per quem & in quo omnia*, cui (inuitis Galeni, aut aliorum eiusdem farinæ infidelium blasphemiis & à maiestate diuina detractionibus) sit, & erit in sempiternum laus, gloria, cultus, & debita reuerentia.

CAPVT III.

Quod Galeni in Christum & Moysem impudentiam tractat, vbi etiam inconsulte, & plane stolide ab ipso esse factum, ideo Moysis & Christi doctrinas esse vanas, vtpote quarum leges demonstratione nulla oculari sint constitutæ, asseuerasse ostenditur.

PRædictis Galeni absurditatibus, notabilem etiam hoc in loco illam addimus, qua ideo aduersus Moysis & Christi scholam inuehi videtur, quippe in qua leges nulla demonstratione aut logica, aut geometrica, & oculari esse constitutas animaduertit. Verba sunt hæc.

De diff. puls. lib. 2. cap. 3. *Apud Aristotelem certe lemmata audiui probabilia, quæ omnibus hominibus, vel plurimis, vel sapientibus probãtur. Hic an puri pro sapientibus recipiendi sint, me quidem præterit: multo quidem præstaret aliquam apponere, si non firmam demonstrationem, at rationem sufficientem sermoni de octo qualitatibus. Vt ne quis initio statim (quasi in Moysis & Christi scholam impingat) leges audiat nulla constitutas demonstratione, &c.*

Atque iterum *alibi* aduersus ipsos sic loquitur.

Differ. puls. lib. 3. ca. 2. *Citius Moysis asseclæ & Christi decedant à sua disciplina quam qui sectis sunt addicti & consecrati medici & philosophi.*

Ex quibus colligere fas est, quanta erat Galeni contra prophetas Dei, Christum ipsum & eorum discipulos odium ac inuidia, & consequenter, quam erat ipse à profundissima mysteriorum supernaturalium scientia & cognitione remotus, neminem mentis sanę latere existimo. Sed ad eius positionem primam quod attinet, videtur ipsa à Iudæorum consuetudine haud procul distare, qui sine signis & demonstrationibus ocularibus credere noluerunt, imo vero signa de cælo quærebant à Christo: de quibus Christus, *Generatio hæc nequam est, signum quærit & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ.* Hinc ergo ad eos sic *alibi* (quoniam ei dixerunt. *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?*) *Nisi* (inquit) *signa & prodigia videritis non credi-*

Luc. 11. 16. Ibid. 29. Iohan. 2. 18. Iohan. 4. 48.

creditis. Huiusmodi plane infidelium condirionis erar Galenus, qui fine demonstrationibus vulgaribus in arte quapiam,& præcipue doctrina Christiana, fidem ei nullam adhibere voluit,vtcunque Christianæ & Mosaicæ scientiæ virtutes per effectus suos omnibus, imo quidem & incredulis se ipsas comprobauerunt veras & mirificas. At demonstret Galenus,si possit rationem ocularem,aut à priori, cur flatibus talibus aut talibus ventis tales aut tales morbi fuissent expectandi: si dicet experientia,hoc est, ab effectu docemur, rem sic vel ita se habere: Anne carebat doctrina Moysis vel Christi confirmatione per signa miraculosa & per effectus?Non marcore, sola maledictione percussit ipse ficū sterilem?Nonne lepram,epilepsiam,febres,dæmoniacos,menstruosas,cæcos, claudos, surdos & multa alia idq; in instanti curauit ipse atque discipuli eius. Hinc profecto dolor, hinc lachrymæ, hinc inuidiæ atq; vecordiæ Galeni aduersus Christū & eius discipulos origo. Nonne in omni mundi ætate reperta est inuidia constans permansisse virturis comes?Nam Galenus artem suam fortuitam,& contingenter se habentem,ægrotos tam cito,tam perfecte,& tanta cum facilitate,etiam nullo manifesto admoto,siue adhibito medicamento curare non potuisse percipiens,scholam Christi in tanto odio habere, tantoq; vituperio persequi gestiebat. Et quare? Quoniam videlicet principia tam arcanæ curandi rationis demonstratione vulgari carere ei, seu potius ab ipso occultari videbantur: nam cum tam mirabiles in arte hac Christiana effectus ipsum Galenum laterent,dubitandum quidem haud erat, quin tales effectus apparerent Galeno sua habere principia exacta & certa à quibus procedebāt,& consequenter non erat ars illa Christi medicinalis ideo contemnenda, aut pro mala à Galeno æstimanda sub eo prætextu, quod principiorū ipsius demonstratio Ethnicos lateret, sed potius,quia scientia hæc erat tam bona,nobilis & excelsa, vt ipsius principia preciosissima canibus ethnicis nō magis essent proiicienda,quam margaritæ porcis, aut panis filiorum hominum canibus.Plura hoc in loco de istis non agam, res enim se ipsam manifestam & apertam reddit,cum certum sit Galenum more imaginario medicinæ artem aggredientem,modo tam cito,tam securo,sine vllo fastidio, aut medicamentorum præparatione ægrotos curare non potuisse; ac scriptis fide dignissimis Christum ipsum, atq; discipulos eius,morbos omnis generis profligasse & propulsasse legimus, & fide certa curasse credimus,& quod magis est ipsa dæmonia ex hominum corporibus frequenter eiecisse, quod ipse Galenus cum suis asseclis vix,ac ne vix quidem præstare potuerunt.Hinc (inquam) Galeni aduersus Christianos veros & potestate indutos inuidia: hæc ipsius erga artem medicandi Christianam odii tam inueterati occasio.

CAPVT IV.

In quo ratio explicatur, cur Ars Galenica & fundamenta ipsius sint tam incerta, fallacia atque debilia.

PRæcedentibus igitur à lectore erudito serio perspectis atque cōsideratis, An ars illa medicandi Galenistica sit satis fortis & sufficiens, hoc est an ipsius fundamenta existant sufficienter solida necne, lucide (ni fallor) apparebit: nam quis sibi constans affirmabit instrumentū & non musicum per instrumentum harmoniam composuisse tam suauem? Non est quidem (vt Galenus vult) humor qui ægrotare facit, sed spiritus malignus humori inclusus & à Iehoua irato animatus qui vndiq; nube humorali non aliter inuoluitur quā *Iehoua in iracundia sua dicitur effecisse densam nubem locum suum secretum, tugurium & tegumentum.* Et iterum, *Ascendens super Cherubin volauit & lapsus est super pennas venti,* &c. *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans densas aquas, & increpatione & inspiratione furoris eius misit sagittas suas & dispersit eos fulgur.* Haud certe aliter in percussore suo mouens, & in humore se abscondens radios ventosos iræ suæ tam Aquilonares quam meridionales, atque etiam orientales & occidentales emittere solet. Non est nubes quæ malo afficit, sed spiritus aut corruptus aut fulminans à nube, nec pituita, aut bilis, aut sanguis, aut melancholia in corpore, vtpote qui in eo naturaliter se habent, sed spiritus Iehouæ malignus, corrumpens, congelans, adurens, vel madore abundans, qui corporis sanitatem diuino mandato & exagitatione commaculare & perturbare gestit: atq; vt sunt elementa quatuor, quorum quodlibet à dæmonib. seu ventorū seminariis inhabitatur, videlicet ignea ab igneis seu orientalibus, aquea ab aqueis seu occidentalibus, aerea ab aereis siue meridionalibus, & terrea à terreis siue septentrionalibus: ita quidem horum quilibet gaudet humore sibi simili, & morbum ipsius naturæ conuenientem halitu suo maligno excitare solet, videlicet ignei siue orientales biliosū, aquei siue occidentales pituitosum, & sic de cæteris. Nō est ergo humor, sed spiritus ab ali-

2.Reg.22.8.


quo vento malignus in humore, nec calidum vel frigidum, sed proprietas naturalis percussoris, qui vt est in sua natura perniciosus, & sanitati humanæ oppositissimus, ita iuxta qualitatem sui venti formalem malo afficere solet, & non æqualitate humoris: & si aliquando humor propter præsentiam istiusmodi spiritus seu seminarii ventosi putrescere inueniatur, pro certo colligere debetis humorem talem gemino ventorum oppositorum spiritu esse possessum, non aliter quam in nube à vento Boreali dominante & meridionali dominato binam naturam comprehendi cernimus, videlicet fulgur & grandinem, vel saltem coruscationem & aquam vbi potens est Auster: vnde spiritus seu seminaria talia vnico humore inclusa geminum solent assidua actione & reactione producere effectum, atque hinc putredo oritur.

Hæc igitur est ratio, quod in eadem febre calores siue inflammationes, horrores, frigora atque rigores percipere solemus, & quod ab initio præualeat frigus sine horrore si seminaria de occidente participant, & cum horrore si de septentrione: deinde sequitur seminarii orientalis dominium, in quo præualet inflammatio sicca, & tunc igneo calore incenditur patiens: deniq; paroxysmum concludit meridies, aperiendo poros, & dissoluendo vaporem duplicem in sudores: atq; isto circuitu mundano completo pro tempore acquiescit spiritus quousque pabulum sibi nouum condiderit. Hæc ergo est ratio, quod vnum elementum in aliud rotatur, & humor vnus natura frigidus & humidus, aqueus & occidentalis in dispositionem aeream, putridam, calidam, humidam & meridionalem mutatur: sic pituita contra naturales conditionis suæ leges calescit, putrescit & in naturam corrumpentem redigitur, non quod (iuxta Galeni mentem) humor iste per se de natura in naturam migrare queat, nec inficit aut lædit humor aliquis per se, non minus quam simplex aqua fontana per se in naturam venenatam cõuerti potest, sed si bufo, vel phalanx, vel scorpius, vel arsenicum, vel Mercurius sublimatus, vel colocynthis vel antimonium aut huiusmodi aliud in ipsam imponatur, tunc quidem aqua illa corrumpetur & lethifera reddi potest, non si quidem per se, vti vides, sed seminariis inuisibilibus illius rei quam continet in se, ita quidem res se habet cum humoribus, qui seminariis ventosis intoxicati, & in dispositionem venenatam conuerti assolent.

At vero Galenus & Hippocrates vltra humores istos, aut qualitates ipsos concomitantes ne respexerunt quidem, vnde quatenus meri fuerunt naturalistæ, quorum est vltra effectus in natura sensibiles non prospicere, ob istam rationem aliorum condemnant doctrinam (vtcunque effectus in ipsis benos animaduerterunt) qui via meliori & certiori ægrotos sunt medicati.

Coloss. 2. 8. De istiusmodi naturalistis intendit Apostolus *loco antea citato*, vbi nos suadet, *vt cauti simus ne quis nos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum in quo habitat omnis plenitudo, &c.* vbi per philosophiam intendit D. Paulus illam vanam, quæ vmbram loco substantiæ, corticem vice nuclei, & figmentum loco veritatis, quæ est Christus spiritualis in quo est omnis plenitudo: nam istiusmodi naturalistæ exteriora pro interioribus falso accipientes reuera sunt idololatræ, vtpote creaturam & figmentum pro creatore & veritate sumentes. Hinc iuxta hominum quorundam phantasiam, ignes cæli rutilantes pro primordialibus rerum causis tam salubribus quam insalubribus habentur, atque istius opinionis sunt Astrologi: secundum alios elementa & ipsorum qualitates, atque ista est philosophorum mundanorum sententia: alii volunt rerum tam salubrium quam morbosarum elementa esse humores atque eorum naturas, atque hæc sunt Galeni & Hippocratis fundamenta, artisque suæ medicandi columnæ. Quæ quidem omnia sunt bases & principia ab ingeniis ethnicorum ideo inuenta, quoniam ob eorum infidelitatem se profundius in arcanis Dei mysteriis & radicalibus naturæ principiis immergere, quippe tenebris occæcati, non potuerunt. At Cabala vera peritiores altius in hæc penetrantes ventos & in ventis angelos esse rerum omnium principia dixerunt: & ego ostendi antea, quod etiam elementa omnia, & consequenter humores & meteora suam à ventis deducant originem, & ipsi venti ab Angelis animari, Angelos tam percussores, quam clementes à Iehoua Deo Deorum, vtpote à quo ipsos actum & vitam atque motum suum immediate sumsisse tam ex sacræ paginæ testimonio, quam ex Cabalæ authoritate comprobaui, & *infrà* clarius demonstrabo. Quod cum sic se habeat, quid obsecro de fundamentis Galeni aut Hippocratis radicalibus est existimandum, qui radices tam superficiales & in sabulosa terra fundatas, ac à veritatis puncto tam longe distantes elegerunt? Respiciatis, suadeo, pyramidem istam, vt tum postea de iis melius iudicare possitis.

Qua



Deus centrum seu axis in medio rotarum

Qua demonstratione percipere poteftis, quod Deus fit totus in toto, centrum & circumferentia, quippe fine ipfo nihil & quod nifi pyramidis huius axis A.E. in centro moueatur, vt omnes eius Sphæræ acquiefcant neceffe erit: nam vt Deus eft centrum cuiuslibet rei, cuius circumferentia eft nullibi, ita quidem ad motum illius rotæ cæteræ externæ moueri folent, & motus eius eft eius voluntas, at vero quiefcente ea quiefcent

 cæteræ,

cæteræ atque ista quies est eius noluntas, in qua, quia nihil vult, non mouetur. at mouente eo, angelus, qui huic ipsius proprietati immediate inseruit, in sphæra proxima mouetur, ad motum angeli excitatur iuxta voluntatem primi motoris aer ab hac vel illa mundi plaga, & aer sic motus vocatur ventus: ad motum ergo venti istius interni seu angelici in externo externus ille conuertitur in elementum, nam aer ad cuiuslibet venti afflatum in hoc vel illud elementum (vt dictum est) mutatur: deinde elementum compressione & condensatione fit humor. ac denique ex humoribus meteora componuntur. Non est ergo meteoron, quod hoc vel illud, vel more sano vel male sano facit in homine, nec humor, nec elementum, nec ventus, nec angelus, sed solus Deus qui iuxta suam voluntatem mouet & motu suo exagitat angelum ad mandatum suum perficiendum, & angelus quasi organum seu rota immediata per Deum excitatur ad aerem (commune ventorum subiectum) huc atque illuc secundum angeli cum suis legionibus motum impellendum, & aer sic impulsus primum in elementi naturam nouo quasi nixu siue creatione reducitur, & elementum illud ventorum angelicorum concutsu in humorem primum vaporosum & tum postea magis densum contrahitur, seu potius comprimitur, & humor ille varia mixtione in meteoron multiforme iuxta ventorum atque humorum concurrentium dispositionem redigitur.

Quibus euidens est, quod Deus hæc omnia operatur in hisce omnibus, nec quicquam facit aut angelus, aut ventus, aut elementum, aut humor, aut meteoron, sed horum quodlibet sua vice loco organorum Deo inseruit, vt mediantibus ipsis ad suæ voluntatis
Daniel.4. complementum pertingere queat. *Deus facit iuxta voluntatem suam tam in cœli virtutibus, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius:* vbi per manum organa ipsius intelligere fas est: non quod ipse, iuxta Galeni intentionem, hæc omnia sine huiusmodi instrumentis naturalibus ad exitum perducere nequeat, quoniam eius est facere quicquid, quãdo & quomodo vult, tam in cœlis, quam in terris; sed quia ipsi per hoc, vel illud operari placuerit. Nonne hoc totum aliis quam pluribus contextus sacri testimoniis confirmatum habemus, vtpote in quo legimus, *ipsum operari omnia in omnibus*, non dicit meteoron humor, elementum, ventus seu angelus, sed Deus solus mediantibus suis organis tam propinquioribus quam remotioribus. Atque hoc etiam in meteororum tam salutarium quam in-
Deut.32. firmorum creatione eodem modo se habet. *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego sa-*
Iob.5. *nabo, & non est qui de manu mea poßit eruere.* Similiter Iob, *Deus est qui vulnerat & medetur, percu-*
Psal.78.45. *tit & sanat.* Et tamen nihilominus hæc omnia fecit mediantibus suis angelis percutientibus
1.Chron.21. & vindicantibus. Vnde Psaltes regius, *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulatio-*
15. *nem per malos angelos.* Similiter, *Misit Iehoua angelum suum perdentem* (ait textus) *ad perdendum*
2.Sam.24. 16. *Ierusalem.* Et *angelum Iehouæ deuastantem vidit Dauid sublatis oculis stantem inter cœlum & terram cum gladio suo stricto in manu sua extenso contra Ierusalem.* Hoc cum Dauide intueri nequibat
2.Reg.19. Galenus, vtpote circa sensibilia sola versatus. Et *Angelus Iehouæ percußit in castris Assyriorum*
Iob.2.7. 185000. Sic etiam *Satan percußit Iobum vlcere peßimo à planta pedis vsque ad verticem:* & tamen
Iob.6.4. dixit Iob. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, quarum virus ebibit spiritum meum: conturba-*
Ibid.14. *tiones Dei quæ acie instructæ oppugnant me.* Et iterum, *Tu consternis me somniis, & præuisionibus con-*
Iob.2.4. *turbas me.* Et Satan dixit *Deo, mitte quæso manum tuam, & attinge ossa eius & carnem eius.* Et dixit Iehoua, *Ecce in manu tua est, &c.*

Quibus euidenter arguitur, quod angelus percussor est manus seu organon, per quod Iehoua percutit, non aliter quam gladius est instrumentum quo homo hominem ferire & vulnerare solet: vnde dixit Satan, *mitte manum tuam & attinge ossa eius, &c.* & Iob dixit, *Iehoua increpat per dolores in lectulo, &c.* non dixit Satan; nec minus gladium percussisse hominem, sed hominem mediante gladio hominem vulnerasse dicet quis. Vtitur ergo Iehoua instrumentis suis angelicis, & in clementia videlicet ad creandam & generandam ad
Isai.37. constituendam & conseruandam rem. Sic dicit Propheta, *Deus sedens super Cherubin, solus*
Psal.34.7. *Deus omnium regnorum terræ, terram & cœlum fecisti, vide & audi, &c. Angelus Domini castra ponit*
Psal.91.11. *in circuitu timentium Deum & eos eripit. Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis*
Marc.1. *tuis. Angelum meum mitto ante te qui præparabit viam tuam ante te. Angelos suos mittet & congrega-*
Marc.13. *bit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum cœli. Angelus de cœlo apparuit confor-*
Luc.22. *tans eum.* Similiter in iracundia sua per organa sua angelica vulnerat & morbis affligit, vti
Psal.36.5. in exemplis antedictis, de quibus aliter textus sacer in hunc modum. *Angelus Domini*
Apoc.7. *fiat coarctans impios & persequens.* Similiter, *alibi. Angelis datum est nocere terræ & mari & ar-*
Apoc.9. Ibid. *boribus. Angelus abyßi rex locustarum. Angeli parati occidere tertiam partem hominum*, & sic in cæteris.

Psal.104.4. Ad Organum autem secundarium, hoc est, aëreum, quod spectat, sic Psalmista regiu-

gius. *Qui facis angelos tuos ventos & ministros tuos ignes vrentes*, vel vt Apostolus habet, *qui facit angelos suos spiritus seu ventos, & ministros suos flammam ignis.* In his ergo & per hos agit & mouerut verbum siue præceptum Dei *ad perficiendam suam voluntatem tam in cœlis, quam in terris*, siue sit ad mortalium pœnam & flagellum, siue ad salutem: vnde rex Dauid sic. *Angeli Domini virtutes eius facientes verbum eius, ministri ipsius qui facitis voluntatem eius, &c.* Et consequenter, quatenus hi faciunt verbum & voluntatem, eatenus quicquid Deus vult obedienter exequuntur. Hic igitur videtis nexum illum qui est inter aerem motum & spiritus mouentes, quippe qui ad inuicem se habent vt animæ ad corpus: vt ergo verbum est animæ centrum, ita quidem Deus est angeli anima, atque itidem angelus venti anima vt & ventus elementi, atque iterum elementum humoris, qui loco animæ siue interni se habet ad meteoron corporeum. Heb. 1. Psal. 103. 20. 21.

Sed hoc totum huiusmodi demonstramus exemplo. *Deus inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & volauit seu lapsus est super alas seu pennas venti. Posuit tenebras suas in latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, tonabat de cœlo Dominus, excelsus edit vocem suam, misit sagittas & disparuit eos fulgur & consumpsit eos, &c.* Nonne videtis hic totam propositionem nostram confirmatam. Incipiemus ergo cum demonstratione à posteriori sic. Habetis in isto exemplo nubem densam fulgure commixtam quæ in effectu nihil aliud est, quam compositio quædam ex humore igneo & aqueo, horum genitor est ventus, cuius internum est angelus Cherubinicus, cuius ductor, motor & director est Iehoua. Non ergo dicimus, quod nubes fulgur emiserit, sed *præ fulgore in conspectu Iehouæ* hoc fuisse actum dixit, nec quidem vocem edebat nubes aut fulgur, sed Iehoua seu *Dominus tonabat*: nec dictus est vel Cherubin, vel ventus posuisse, aut fuisse tenebras, seu nubes tenebrosas in circuitu Iehouæ latibulum sed ipse Iehoua, nec per se excitati sunt venti super quos volabat Dominus, sed à Domino mediante Cherubin, nec portauit Cherubin Iehouam per se, sed virtute diuina ipsum animante, quam immediate à Iehoua accepit. Vnde manifestum est, Deum hæc omnia fecisse mediantibus organis suis variis, quorum alia fuerunt propinquiora, vt Cherubin & venti, alia remotiora vt nubes & fulgura. 2. Reg 22.

Sed ad alia procedam argumenta ex textu sacro deprompta, quibus ventos, seu spiritus Iehouæ ventosos morborum, mortis & infelicitatis causas esse ostendemus. *Ne timeto* (inquit Dauid) *à lue vastante in meridie*, vel (vt Hieronymus interpretatur) *à dæmonio meridiano.* Et Abacuck ait, *Deus ab Austro venit, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius*, vel (vt alii interpretantur) *anteiuit eum pestis, siue lues vastans à meridie.* De ventis septentrionalibus vindicantibus sic, *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capita impiorum quiescit.* Et alibi, *Obstupescite, admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino mouemini sed non ab ebrietate, quoniam immiscuit vobis Dominus spiritum soporis.* De cæteris sic, *Spiritus Dei ventilans, & iustitia persequens iniustos.* Porro etiam de vento Septentrionali in his paucis. *Flante Deo concrescit gelu, contra frigora eius quis consistit?* De orientali hæc. *Ventus orientalis seu vrens desiccabit eius fructus, &c.* Et *Ventum vrentem adducet Dominus de deserto ascendentem, siccabit venas eius.* Sic in Genesi *Eurus adurit fructum.* Et in Iona. *Cum ortus fuisset sol præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percussit sol super caput Ionæ & æstuabat, & petiuit anima sua vt moreretur.* Porro de vento Aquilonari sic Propheta. *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone nubes magna, ignis inuoluens, splendor in circuitu &c.* In quo loco indicat, Deum esse internum angelorum actum, cuius impressionem prius acceperunt quatuor spiritus rotarum, ratione quorum motus ab Aquilone tempestuosi vocauit turbinem ab Aquilone. Denique quod verbum & voluntas Dei efficiatur per ventos, in his Propheta regius. *Spiritus procellarum qui faciunt verbum eius.* Denique testante viro patiente, *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuia, fulgura, &c.* quæcunque præcepit Deus istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad faciendam beneuolentiam, efficit vt præsto sint. Et Syriacus ille, *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos. Ignis, grando, fames, mors & omnia hæc ad vindictam creata sunt. In mandatis eius epulabuntur, & in temporibus suis non præteribunt verbum.* Nec quidem sunt ista cuiquam, nisi ipsis qui eorum vires & furores sentiunt mala; nam vt ipse in textu sequenti testatur: *Omnia opera Dei bona, & omne opus hora sua subministrauit.* Psalm. 91. 5. Abacuck 33. Ierem. 30. Isai. 29. 9. Sap. 11. 21. Psalm. Osee. 13 Gen. 41. 6. Ion. 4. 8. Ezech. 1. Psalm. 148. Iob. 37. 8. Eccles. 39. n. 33.

Hæc ergo sunt verissima sapientum, & vere Christianorum principia, à quibus tam infirmitas, quam sanitas suum sortitur initium: quæ quidem principia, siue fundamenta tam philosophiæ veræ, quam medicinæ recte ad intellectum Galeni & Hippocratis peruenerunt nunquam: quare fundamenta sua petierunt ab effectibus horum magis sensibilibus,

bilibus videlicet vel ab elementis & eorum qualitatibus, quæ à ventis procedunt, vel ab humoribus, qui ex elementorum confluxu fiunt, atque ita ponentes effectus pro causis efficientibus longe in suis inuentionibus errauerunt, suosque discipulos deceperunt, & loco scientiæ solidissimæ & certissimæ artem inconstantem & plerumque mendacem (quippe non radicaliter fundatam) finxerunt. Non enim intellexerunt Dei Opt. Max. Iehouæ, videlicet tam cœli, quam terræ authoris virtutem, verbi ipsius mystici potentiam atque operationem ignorauerunt, & quod ab eo omnia essent facta & sine eo nihil, & quod in eo essent vita, & quod illa vita esset lux hominum: & nesciebant quod *angeli Iehouæ validissimi robore essent verbi illius effectores, & quod essent eius ministri facientes placitum ipsius:* multos minus intellexerunt, quod *angelos hos suos faceret ventos, & ministros suos ignes flammantes,* sed cum horũ omnium effectibus scientiã suã radicaliter inceperunt, atq; ita corticem pro nucleo, figmentũ seu vmbram pro veritate & reali substantia acceperunt. At si radicalia cum Moyse & Christo percepisset Galenus principia, videlicet Iehouam, eius angelos & ventos quos spiritus illi angelici animabant, non tanta malignitate inuehere-tur ipse contra Moysen, & Christum qui in arte illa medicorum summa supremi fuerunt doctores, sed è regione seipsum potius illis docendi, atque discendi causa commisisset, atque cum humilitate subiecisset.

Sed ne longiori discursu tempus in errorum Galenicorum confutatione conteram, finem huic libello imponam, vt ad methodum illam meam progrediar, quâ morbos secundum literarum sanctarum doctrinam in suas differentias idoneas distinguam.



LIBER



LIBER QVARTVS.

In quo vera medicinæ principia, certaque meteororum insalubrium in suas species distinguendi ratio, hoc est, insalubria quatuor ventorum imperialium regna, authoritate sacrarum literarum graphice delineantur atque depinguntur.

PROLOGVS.

IN libro præcedenti *testimoniis, & affirmationibus Hippocraticis & Galenicis morborum meteorologicorum differentias, seu meteororum morbosorum in suas species diuisionem secundum intentionem nostram expressimus: nunc quidem nos in ipsorum medullam profundius immergemus, eaque à diuinitatis fonte radices suas hausisse, truncum ab angelorum percutientium choris accepisse, ramos à ventorum spiraculis deprompsisse, ac denique fructus & flores insalutares ab elementorum vtero, seu officina communi, abdito videlicet aeris sublunaris promptuario sibi allectasse, etiam literarum sacrarum authoritate comprobabimus.*

Atque vt hoc nostrum institutum ad exitum feliciorem perducamus, vos minime in primo loco latere velim, quod vt vniuersa terra in quatuor imperiales diuiditur partes, videlicet Europam, Asiam, Africam & Americam, ita quidem earum quælibet ventum imperialem, siue cardinalem sibi vindicat, dominio cuius præcipue subiicitur, videlicet Europa septentrionalem, Asia orientalem, Africa meridionalem & America occidentalem. Hinc ergo (vt ipse Hippocrates experientia sola hac in re instructus confitetur) accidit, quod nationes, seu regna istarum mundi plagarum vt plurimum de suorum ventorum conditione participare animaduertuntur. Hipp. de aere, loc & aqua. *Atque vt quodlibet dictorum imperium sua sub se regna habet peculiaria, quorum vnum solet esse alio superius: ita quidem quatuor ventorum prædictorum imperialium quodlibet regna sub se tria in mundo aereo possidere dignoscitur, quorum vnum est spirituale & ventosum, aliud humorale & liquidum, tertium est corporale & terreum, vnde liquet quod ipsorum duo extrema subtilitate, puritate & tenuitate ad inuicem opponuntur, non minus quam aer & terra, intermedium vero de vtroque extremo participare videtur, & si ad terreum illud magis inclinat tunc spissius redditur, & ad aquæ densæ speciem proclinius: si vero ad naturæ ventosæ metam magis tendat, tunc vaporis siue nebulæ effigiem sibi assumit, at si in mediocritate se habeat, tunc quidem in specie mediocriter liquida & satis fluida conspicitur: verbi gratia videmus quidem, quod ex afflatu angeli septentrionalis aer redditur siccus, frigidus & contractiuus, qui sua dispositione multiformiter in omnibus mundi & creaturarum in eo spiritibus agit; ipsos ad suam naturam pronos faciens: at si ventum sibi resistentem inuenit à spiritu sicco in humorem siccum iuxta naturæ suæ proprietatem reducitur,*

Y *& fit*

& fit nix, qui nec eſt tam tenuis quam ſpiritus ſeptentrionalis, nec tam groſſus, vt grando vel glacies. At vero ſi adhuc in maius condenſetur iſta media natura ſiue ſubſtantia niuealis, tunc in grandinem ſolidam & gelu congelabitur.

Concludimus igitur, quod quilibet ventus ſuo fruitur regno, ſpirituali, humorali & corporali, quæ quidem regna ſunt pro ventorum ſpirantium naturæ diuerſitate ab inuicem conſiſtentia, diuerſa & varia. Quoniam igitur quatuor numerantur venti, qui ſpirant à quatuor terræ plagis, ideo librum hunc in membra diuiſimus quatuor, quorum cuilibet peculiare cuiuslibet venti imperium adſcripſimus: & quia eorum ventorum imperialium ſinguli tria ſub ſe regna habent, ob eam quidem rationem quodlibet iſtius libri membrum in particulas totidem diſtinximus, quarum cuilibet peculiare venti regnum aſſignauimus, videlicet primæ illud ſpirituale, ſecundæ humorale, & tertiæ corporale. Atque hæc erit methodi iſtius noſtræ ordo, hic operis huius & intentionis noſtræ ſcopus.



LIBRI

LIBRI QVARTI

MEMBRI PRIMI, PARTICVLA PRIMA:

In qua regnum ventorum Septentrionalium spirituale, seu aereum, cum eiusdem affectibus serio depingitur.

CAPVT I.

De Angelico ventorum generalium imperio, & quomodo tripliciter iuxta naturam aeris, aquæ & terræ, hoc est, spiritualiter, humoraliter & corporaliter in spiritum mundanum operentur.

IN profundissima ista disceptandi methodo considerandum imprimis est, quomodo angeli dicantur Agalmata, hoc est specula purissima & clarissima, lumen & emanationes diuinas in se recipientia: ob istam enim rationem Christus spiritualis seu *sapientia æterna* ipsorum *angelorum fons & caput* dictitatur (vtpote quæ cum sit simplex lucis æternæ emanatio, speculumue sine macula maiestatis diuinæ) est angelorum quasi vita & actus quo huc atq; illuc ad voluntatem diuinam complendam mouentur & exagitantur: & quatenus ista emanatio æterna sit emissio omnium prima & principalis à fonte lucido (erat enim *sapientia omnium prius creata*) cuius radios cæteri angeli septem, qui astant coram facie Dei more speculorum politissimorum, recipiunt, & tum postea ipsos ad angelos ordinum inferiorum transfundunt atque impluunt, eatenus ipsam spiritualem angelorum & ventorum Imperatorem agnoscimus. A radiis igitur huius primariæ virtutis animantur Archangeli, angeli ab Archangelis, & venti seu spiritus ventosi ab angelis, elementa & eorum spiritus à ventis, ac denique meteora ab elementis. Atque ita videmus quod non sit nisi vna lux, vna potestas, vna continua virtus diuina, quæ multiformiter agit, spiritusque mundi animat, non aliter quam vnicum speculum eosdem radios solares ad aliud, atque iterum secundum ad tertium, & tertium ad quartum reflexione varia sine vlla naturæ lucidæ aut diuisione aut continui fractione emittere solet. Sic Deus trinus & *vnus dicitur operari omnia in omnibus*, & licet varieformiter agit ipse, & consequenter organis diuersis, vti animaduertitur, tamen vt eius vnitas, ita quidem indiuidua est eius trinitas. Istam ob causam omnes angelos non nisi vnum habere & possidere actum seu formam diuinam credimus, mediante qua mouere, operari & viuere dicuntur, tametsi numero sint infiniti, quæ quidem forma omnium essentialissima, vt est verbum seu sapientia ab ore altissimi effusa, ita per organa angelica, tanquam imperator mediantibus suis subiectis omnia facit tam in cœlis quam in terra. Eccles. 1.

Et hæc est ratio quod Christus spiritualis dicitur, ab Apostolo *omnia implere*, & quod *ipse sit caput omnis principatus & potestatis*, quippe qui *viuificat omnia* & consequenter *pater est omnium, qui super omnes & per omnia & in omnibus.* Atq; ita habetis seu spiritus imperatorii *Elohim* Ruach in dominio suo excelso sceptrum tenentis descriptionem, vtpote qui supremum habet in angelos (quos *ventos fecit, vt & ministros suos flammam ardentem*) imperium, ita vt quamuis ipsi à septentrione, vel à meridie, vel ab occidente, vel ab oriente spirant, non tamen sunt plures spiritus agentes, sed solus & vnicus, qui centraliter in organis diuersis ratione veritatis proprietatum ipsius agere & spirare dignoscitur. Sic Propheta. *Veni spiritus à quatuor ventis*, non dixit venite, sed veni; vnde patet, quod vnicus sit tantum spiritus qui operatur & mouetur ac viuit in quatuor illis angelis, qui ventis quatuor cardinalibus præsident, de quibus Reuelator hæc. Ephes. 4. 8. Colos. 2. 9. Titus 6. Ephes. 4. 6. Ezech. 37.

Vidi quatuor Angelos super quatuor angulos terræ, tenentes ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem sigillum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis terræ, quibus datum est nocere terræ &

mari, dicens: Nolite nocere terræ nec mari, nec arboribus quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.

In quo quidem sermone imprimis videre licet, quod sint quatuor angeli qui tenent quatuor terræ angulos; & quoniam sunt ipsi spiritus vilioris ordinis, ideo tum postea vocat ipsos *angelos terræ*. Deinde intimare videtur expresse, quod angeli isti sunt rebus creatis & vita imbutis perniciosi & maleuoli, vtpote quorum cuilibet datum erat à suo Imperatore nocere terræ & mari & arboribus. Tertio quod ventorum infestantium fræna sint in ipsorū manibus seu potestate, ita vt quando ab eorum imperatore exagitantur, relaxant ea, vel nolente & minime incitante eo percutere terram & mare, cōtrahunt & retinent ea. Atq; hoc per vltimam arguitur & confirmatur clausulam, per quam docemur, quod hi quatuor potenti illi angelo (sigilli nimirū magni Iehouæ custodi) ab ortu solis ascendenti obedientiā præbere fuerunt coacti, nam magnus ille angelus Michael fulgentissimus globi solaris præses, qui victoriam tantam aduersus draconem obtinuit, animarum (dico) seu vitarum defensor & custos, radiis sui imperatoris æterni plenissimus, in omnes tenebrarum huius mundi principes dominium habet, ita vt vltra ipsius mandata ne per gradum quidem mouere possunt aut audent.

Hanc etiam imperiorum ventosorum ab archangelis gubernationem confirmare videtur nonnullorum Rabbinorum sententia, vnde Reuchlinus in hunc modum.

Reuchl. art. Cab. l. 3. *Angeli seu dæmones spiritus dicuntur, vtpote qui quasi venti sunt, vnde Rabbi Tedacus Leui. lib. de 10. numerationibus post explanatos quatuor ventos, Aquilonarem, meridionalem, orientalem & occidentalem, illis quatuor ventis creauit quatuor angelos qui præfecti sunt super eos in die & in nocte: Michael autem qui est ex parte clementiæ & miserationum constituitur Mamona, id est, præfectus super ventum orientalem vsq; ad dimidium diei & vsque ad noctem, regitq; ventum occidentalem Raphael qui similiter est de parte clementiæ. Tum Gabriel virtute iudicii & seueritatis præfectus est cum vento Boreali super dimidium noctis & duas mensuras mundi. Noriel vero præsidet Austro: dicitq; quod hic plures sub se legiones habeat.* Hæc ille.

Quibus asseuerare videtur, quod vt oriens est prima & principalis mundi quarta, ita quidē ipsi Michaelem vtpote bonū Angelorū ducē præesse, & quod eius proprietas sit ex parte clementiæ & miserationū, quatenus ipse est vitarum & animarū, atq; ētiam sanitatis custos & viuentium amicus, ratione cuius sol vitā, calorem naturalem & multiplicationis facultatē tam animalibus quā vegetabilibus, nec non mineralibus quotannis & perpetuo, licet clanculum impluere gestit. Sed vt ad aliorum testimonia me arctius contrahā; sunt etiam alii qui quatuor esse archangelos bonos, quatuor mundi cardinibus præsidentes affirmant, assignantque *orienti Michaelem, occidenti Raphaelem, septentrioni Gabrielem; & meridiei Vrielem*: horumq; dicunt officium esse malignorum illorum spirituum insulsus corrigere & refrænare, *quibus* (teste Ioanne) *datum est nocere terræ*, qui spiritus à Magis vocantur Oriens venti orientalis fræna gubernans, *Paymon* illa meridionalis tenens, *Egyn* ea quæ ventum occidentalem cohibent regens, & *Amaymon* qui flatus septentrionales vel emittit vel cōtrahit. Horū a. principes prędicti quatuor *Michael, Gabriel, Raphael, Noriel* vel *Vriel*, sunt ventorum salubriū authores, & aeris maligni correctores: at vero inferiores quatuor dæmonū principes nocentes ventorū prædictorum semina ita reddunt vitiosa, corrupta & consequenter insalubria, secundū prædictā Reuelatoris assertionem Atq; vt venti à cardinibus quatuor emissi aerem seu spiritū mundi mercurialē in hoc vel illud elementū, iuxta venti naturā transmutant: ita necesse est, quod illud elementum, siue sit maleuole, siue beneuole affectum, tā ad fructuum quam carnium illius anni compositionem concurrant quæ ad victus rationē necessario requiruntur per inspirationē in spiritū humanū attactū ei prędominetur, & si à ventis beneuolis & salubribus duobus procreetur in corpore se naturaliter habebit, sin vero à maleuolis & nocentibus, præternaturaliter, nisi à fortiori natura vincatur.

Archang. Cabal Cornel. Agrippa.

Hanc igitur ob causam Cabala & Magia peritiores istiusmodi elementis à ventorum flatu procreatis præsides quatuor tā bonos quā malos prępósuerunt, ita vt si principes boni spiritus suos emittant, tunc illi ēt boni in elementis ipsis subseruientibus afflatus eorū propitios vndiq; per spiritū sublunarē ad mortalium beneficium dissseminabunt: atq; isti spiritus elementorum boni ab Archangelo Cabalista & Cornelio Agrippa dicuntur Seraph, igni præpositus, Cherub, aeri, Tharsis aquæ & Ariel terræ. At vero si dominis ventorum maleuolis & nocentibus detur spirandi & dominandi priuilegium, tunc maligni elementorum spiritus immediate recipient insalubres & male sanos eorum afflatus. Atq; istiusmodi elementorum domini maligni & vitiosi dicuntur *Samael*, qui vim suam venenatā & septicam per ignis elementū effundit, *Azazel* per aerem *Azael* per aquam, & *Mahazael* per terram. Hinc igitur ventorum tam salubrium effectus, (de quibus volumine immediate *præcedenti* egimus) quam insalubriū (de quibus *hoc in volumine*) ortū suum ducunt.

Ex

Ex hisce ergo tam insalubres quam salubres euentus moderantur ac disponuntur, quatuor anni tempora gubernantur, totidem mixtorum genera, videlicet animal, plantæ, metallia & lapides reguntur; atq; in regno animali illa pedestria, volatilia, natantia & reptilia: ac iterum in quolibet animali quatuor humorum genera cholera, sanguis, pituita & melancholia & quatuor complexionum mores. Impetus, alacritas, inertia & tarditas, atq; etiam quatuor fluminum infernalium species, videlicet Phlegethon, Cocytus, Styx & Acheron (venenatas quatuor humorum præternaturalium naturas à prauis dæmonibus alteratas arguëtes) dependent. Ab his etiam vegetabilium, animalium & mineralium naturæ tam salubres quam venenatæ gubernantur in mensura. De principibus vero istiusmodi tam malitiæ quam clementiæ & bonitatis sic loquuntur Cabalistæ. *In exercitu Dei quatuor antesignani, Michael, Gabriel, Vriel, Raphael, instar elementorum quatuor, secundum quatuor situs, aut iuxta quatuor numerationes spirituales, vt quondam filii Israel quatuor vexillis proficiscebantur, ad orientem Iudas, ad meridiem Ruben, ad occidentem Ephraim, & Dan ad Aquilonem. In exercitu pariter Satanæ latissima gerunt signiferi vltores vela, videlicet Samael, AZaZel, Azael, MahaZael, de quibus Manahem Racanat Leuit. 16. & in lib. 1. Pentateuchi sermonem tractat. Vnde liquet quod vt in hoc mundo elementari à creatore ordinantur boni angeli qui curam habent de vita, sanitate & præseruatione hominum & cæterarum creaturarum vita præditarum, ita quidem angelos malos ad exitium, destructionem, morbos & infirmitates destinauit, quorum cuiuslibet radix, virtus & potestas in aliquo cæli vel terræ angulo seu cardine sita est, vtpote à quibus elementum quodlibet suam formam siue conditionem haurit, & tanquam à communi forma accipit.* Reuchl. l. 3. Num. 2.

Sed quid Cabalistarum, philosophorum mysticorum & Rabbinorum testimoniis ad prædictum Reuelatoris textum confirmandum, exponendum atque amplificandum opus est, cum paginam sacram in multis aliis locis angelorum, siue intelligentiarum dominium & potestatem in ventos asseuerantem & statuminantem reperiamus?

Ecce (inquit Daniel) *quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Daniel. 7.

Et per ventos intelligit glossa, siue commentator, quatuor intelligentias angelicas quæ præsident quatuor mundi cardinibus. Quæ melius & particularius à propheta Zacharia sic explicantur. In Tremel. interpr.

Ecce quadrigæ quatuor egredientes è medio duorum montium, & montes ærei in quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, in quadriga quarta varii & fortes. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me, Quid sunt hæc domine mi? & respondit angelus ad me, Isti sunt quatuor venti cæli qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis terræ.

Super hunc textum annotatio est huiusmodi. *Venti cælorum*, id est angeli ex quatuor cæli partibus se sistentes Deo & ab illo excurrentes ad exequenda mandata illius, Iob. 1. 6. & 1. Reg. 22. 19. Hinc propheta Dauid, *Qui facis angelos tuos ventos, &c.* Psal. 104.

Hoc quidem mirum quippiam videatur prophetam dixisse, ventos, siue angelos ventosos *pugnasse in mari magno*, siue per mare magnum intelligit aerem, siue maximam nubium congregationem; cum & poëta experientia doctus hoc idem cecinit in istum modum.

Tantus cælesti rumor percrebruit aula,
Cum sæua alterni ruerent in prælia diui:
Neptunum contra bellabat Phœbus Apollo, Homerus.
Aduersus Martem certabat Pallas Athena,
Iunoni obstiterat bello pharetrata Diana,
Latonam telis volucer Cyllenius vrget.

Vbi per Deos istos angelos ventosos in aere contendentes intendit, de quibus etiam Ouidius in hæc verba in persona Boreæ erumpit.

Apta mihi vis est qua tristia nubila pello, Ouidius.
Et freta concutio, nodosaque robora verto,
Induro nubes, & terras grandine pulso.
Iamque ego cum fratres cælo sum nactus aperto
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor,
Vt medius nostris concussibus insonet æther,
Exiliantque cauis elisi nubibus ignes, &c.

Quibus poëta innuere videtur, quod *campus communis ventorum*, vel vt propheta vult, *mare magnum* sit aer, seu nubium multitudo ex aere, & quod plurimi venti concurrere soleant vbi maximus est in aere strepitus seu sonitus. Atque etiam intelligendum sentio, quod loco personæ Boreæ angelus illius cardinis princeps sit accipiendus.

Concludimus ergo, quod ex his internum ventorum agens facillime decernere queatis, videlicet quod sit vis quædam angelica à Iehoua ad voluntatem suam perficiendam ex-

citata atque exagitata, mediante quâ spiritus mundi pro natura organi angelici in huius vel illius elementi naturam instar Protei se transformat. Vnde liquet, quod vt Iehoua agitat & animat angelum, sic ventus siue spiritus aëreus ab angelo quasi anima interna agitatur, vt & meteora à ventis: & in summa Deus agitat, viuificat, format & creat hæc omnia, videlicet angelum per eius verbum, ventum per eius angelum, & meteora per eius ventos, quasi per sua organa siue instrumenta. Ac denique omnia ab ipso, per ipsum & in ipso, iuxta illud A-
Amos 4.13. postoli. Et Propheta. *Ecce formans montes & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum, & faciens matutinam nebulam & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.* Vbi per montes denotat nubes, quas ventis suis congregat, & per eloquium suum tonitrua. Denique causam habetis tam meteororum morbosorum, quam salubrium radicaliter efficientem cum essentialem; tum organicam in genere expressam, videlicet ipsum Iehouam à centro ad circumferentiam vsq; mouentem angelosque ab ipso radicaliter animatos & ad voluntatem suam exequendam radicitus exagitatos. Ad particularia vero iam descendam.

CAPVT II.

In quo generalis regnorum quatuor spiritualium descriptio tractatur, siue de quatuor spiritibus macrocosmicis & microcosmicis agitur.

VT *in capite præcedenti* de supernaturalibus spirituum ventosorum principibus, qui sunt immediati sub Iehoua ministri, & dominium super spiritus quatuor ventosos habent verba fecimus; qui spiritus vbi & quando Deus voluerit, operantur per ministros ipsis subordinatos in spiritum vtriusque mundi, more speculorum variorum, quorum vnum recipiens lumen solare illud reflexione dat secundo & secundum tertio, & quousq; speculum vltimum harum omnium reflexionum vires in aliquod subiectum quasi metam à Deo siue ad pœnam, siue ad beneuolentiam electam atq; constitutam infundit. Ita quidem hîc de quatuor spiritibus ventosis naturalibus, in vtroque mundo ab ipsis animatis paucis disceptabi-
1.Pet.3. mus. Quod *Deus cælum & terram prius ex aquis, & per aquas fecerit*, testatur D.Petrus: vnde liquet, quod cælum factum esset ex puriori aquarum parte, & terra ex grossiori. Ergo totum illud quod cœlum vocatur, à conuexa mundi superficie vsque ad aquæ visibilis sphæram nihil sit aliud quam aqua subtilis siue spiritus ille mundi vniuersalis qui aer & æther dictitatur. Porro etiam vt aqua visibilis est terra tenuis, vt ipsa inspissata & incrassata est terra solida, ita quidem cælum cum sublunare siue elementare, tum superlunare, siue cæleste inuisibilis aqua dicitur cum reuera tam stellaris substantia, quam elementaris dicatur à pagina sacra cælum, cuius pars inferior dicitur aër mediocris, immediate sublunaris aer tenuis & calidus, superlunaris aer igneus seu æther: vnde tota ista tenuis mundi substantia nihil aliud est in sua existentia quam aer, & iterum aer quam spiritus mundi, qui more Mercurij cælestis, siue Protei variabilis est: nam vt spiritus ille totus sublunaris regitur & gubernatur à ventis, ita quidem experientia confirmatur, quod ad flatum venti septentrionalis spiritus hic sublunaris fit terreus & in naturam elementi terræ transmutatur.

Hunc ergo spiritum à ventis talibus animatum atq; alteratum *Spiritum* vocamus *Congelantem*, vtpote qui à spiritu angelico tali proprietate induto animatus constringere & congelare solet res tam aquaticas, quam terrestres, ita vt aerem facit occulte terreum, aquam manifeste, & terram, tametsi sua sponte duram, adhuc duriorem & solidiorem efficere obseruatur.

At si ventus occidentalis dominetur, tunc spiritus hic septentrionalis obedientiam legibus occidentalibus præbet, & à congelante sua dispositione in liquidam & dissolutiuam naturam vertitur, diciturque spiritus in occidente dominans, *Spiritus Humectans*, quoniam illius venti animatione relaxantur sicca & congelantia spiritus Borealis vincula, quo aer ab ipso olim constrictus reddatur aqueus, hoc est dispositionem induat non adeo calidam vt est illa meridiei, nec ita frigidam atque illa septentrionis. Quare vt aqua visibilis se habet in proprietate sua inter aerem & terram, ita etiam spiritus à vento occidentali alteratus se habet in mediocritate inter statum spiritus *Corrumpentis*, & illum *Congelantis*.

Cum autem ventus Australis flat & in cælo prædominatur, tunc spiritus hic sub luna vniuersalis rebellis fit contra imperium occidentale, & ipsius frigiditatem exuendo calidas meridiei leges obseruat, effectus occidentales aqueos dissoluendo & magis adhuc subtiliando in vapores reducit, nebulas æstuosas quandoq; & tonitruosas parit à spiritibus pestife-

ris

ris ab illa quarta spirantibus cōtaminatur, & tū postea sua septica proprietate cuncta ab ipso in proprietate suā multiformi antea parta corrumpere & putrida reddere est paratior: quare istum spiritum haud improprie cum sacra scripturā aerem *Corruptum* & *Corrumpentem* nuncupamus; nām in humido & calido præternaturalibus consistit putrefactio.

Denique flante Euro, seu orientali, spiritus mundi versatilis relicta aliorum ventorum subiectione in ipsius naturam conuertitur, seque illius legibus obedienter subiicit, & tunc appellatur *Spiritus adurens*, quippe qui est admodum calidus & siccus.

Hinc igitur quatuor mundi imperiorum originem & initia habetis in spiritu vno mercuriali & versipelli descriptam; quorum vnum super aliud per vices dominium, idque secundum velle & placitum diuinum habere quotidiana experientia dignoscitur. Atque ista est philosophica & annua illa elementorum rotatio, siue mutatio vnius in aliud, permanente & fixe in se stante spiritu seu subiecto illo medio quod est omnium elementorum commune obiectum & consistentia: nam si ille sit *Congelans* dominabitur elementum terreum, si *Humectans* aqueum, si *Corrumpens* aereum, si *Adurens* igneum. Atque hoc intelligendum est de elementis non modo præternaturalibus, sed etiam de illis naturalibus, præterquam quod in his spiritus meridionalis viuificat, in illis corrumpit potius; vti in volumine proxime præcedenti explicauimus.

Ex his ergo colligere fas est, quisnam sit spiritus ille internus non modo cuiuslibet elementi, & humoris illi correspondentis tam beneuoli, quam maleuoli, non modo qui in quolibet macrocosmi elemento, siue naturaliter siue præternaturaliter se habente, verum etiam in quolibet humore seu elemento microcosmico regnat, agit & dominatur; videlicet spiritus *Adurens* in igne macro & in bile microcosmi, *Corrumpens* in aere macro & sanguine microcosmi, *Humectans* in aqua macro & pituita microcosmi, *Congelans* in terra macro & melancholia microcosmi: nam hoc modo Deus operatur centraliter in angelo, angelus per suum spiritum in spiritu vniuersali elementari, & spiritus alteratus in elementis & humoribus, & humores per elementa à spiritu alterato centraliter operante Deo in spiritu angelico corpora secundum voluntatem diuinam in bonum vel in malum, seu dispositionem salubrem & insalubrem alterant & mutant. Quibus videre liceat, quomodo *Deus*, iuxta Apostoli sensum, *operatur omnia in omnibus*, & qua ratione dicatur centrum & circumferentia cuiuslibet rei, qui tamen est extra omnia.

Ad partem vero Mercurialem, siue mundi spiritum, qui est supra lunæ conuexitatem, quod spectat, est quidem hic æque mutabilis ac ille infra lunam, nam in cælo dominante Saturno siue spirante & ambulante eius intelligentia angelica potentius in cælo, spiritus ille redditur congelans, frigidus & humidus. Si de hac re quis dubitat, consulat Astrologos, & inueniet Saturnum esse frigidum, siccum, astringentem, terreum & congelantem. At si vlteriori adhuc dubitatione rapiatur, experientia stultorum matre doceatur velim, quod regnante Saturno in cælo, atque in domo terrea, vel aquea permeante, glacies & nix & pruina in spiritu inferiori redundabunt. Porro iuxta omnium Astronomorum & Philosophorum consensum superior seu cælestis spiritus pars agit viriliter in inferiorem non aliter quam vir in fœminam: habent ergo spiritus angelici plagæ Borealis à sphæra Saturni & suis angelis qui altioris & dignioris sunt ordinis, facultates suas astringentes & congelantes à nomine Dei *Elohim*, qui iterum per numerationem diuinam *Binah* quasi à forti proprietate illius radicali accipiunt illam virtutem stipticam. Hic ergo proprietatis spiritus cælestis *Congelantis* radicem habetis, à cuius influxu spiritus septentrionales suas hauriunt virtutes gelidas & constrictiuas.

Pariter prædominante Marte in cælo siue in spiritu cæli catholico per suos angelos spirante fit ille spiritus *Adurens*, & eius intelligentia *Samael* vires suas igneas effundit in spiritus illos maleuolos qui præsident orienti, à quibus tum postea spiritus sublunaris *Adurens* & igneus redditur. Hic autem Martis angelus cum suis subditis à proprietate nominis Dei *Elohim Gibor* per numerationem Sephiroticam *Geburah* potestates suas igneas accipiunt. Pollente vero Luna viribus angeli eius humectant spiritum mundi tam supra quam infra eum, & aqueum reddunt suis afflatibus.

Vt & Iupiter dum regnat & eius virtus angelica Martis spiritibus impeditur, influentias impluit corruptas quas per acra dispergunt venti Australes. At si Iupiter in suo imperio non impediatur à malis, spirabit salubres ab Austro flatus.

His igitur cognitis, ad particularia regnorum spiritualium transcendam, & primum de tribus illis imperii septentrionalis regnis, videlicet spirituali, humorali & corporali sermonem instituam.

CAPVT

CAPVT III.

Quo angelicam venti Septentrionalis proprietatem, ad triplicis consistentiæ suæ substantiæ aereæ constitutionem, videlicet tenuem, grossam & intermediam agere declaratur.

IVxta literarum sacrarum doctrinam meteora in macrocosmo consistentiæ triplicis à venti Borealis dominio formari & procreari nouimus, verbi gratia ait Psaltes, *Deus fortis edit flatu suo niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem dispergit, coram frigore eius quis consistat?* (*Psalm. 147.*)

(*Iob. 27.9.*) Et Iob sic.

Glacies Deus fortis edit flatu suo, flante Deo concrescit gelu.

(*Iob. 37.9.*) Porro etiam idem author testatur, quod venti Aquilonares producant frigus: atque etiam quod ipsi propter suam siccitatem pluuiam & nubes fugant & dissipant; & affirmat (*Prou. 25.23.*) Salomon, etiamsi non essemus experientia in tali re instructi, & à Poëta *loco antea citato* admoniti. Quibus colligere fas est quod tali afflatu angelico in simplici sua conditione aer macrocosmi imprimis in constitutione sua subtili naturam habeat terream, videlicet frigidam & siccam, & consequenter proprietate contractiua atque etiam attractiua motu à circumferentia ad centrum sit præditus: deinde quod iste aer compressione venti oppositi in humorem siccum possit contrahi & inspissari, videlicet in consistentiam niuis: nam Deus fortis (ait textus) edit niuem sicut lanam, & quomodo? mediante suo afflatu frigido. Denique ille humor siccus maiori frigoris coarctatione in pruinam & gelu, hoc est in massam terream, corpoream, duram redigitur. Quo manifestum est, quod idem spiritus operetur vel in spiritum inuisibilem & subtilem, vel in quoddam medium humorale visui subiectum quod participat de vtroque extremo, vel in massam magis adhuc solidam & compactam, videlicet tam in cælum quam in terram, atque etiam in medium illud humorale quod ex duorum illorum mixtione conflatur: sic etiam aquam visibilem naturam quandam mediam habere, hoc est ex natura terræ & aeris componi cernimus. Hoc in distinctionem istam sic contraximus.

Deus per organon suũ angelicum à septentrione spirat in aerem
- Macrocosmicũ spiritum frigidum, siccum, & congelantẽ, atq; ventus Borealis
  - Per se in aerem (commune medium) sufflans, & dicitur ventus Cardinalis, redditque *Spiritum Congelatum.*
  - Cum aliis oppositis spirãs, & gignit vel
    - Humorem ex spiritibus siccis, facitque humorem est *Congelatum*, vt est
      - Nix.
      - Pruina.
    - Corpus ex humoribus congelatũ & quasi terram videlicet
      - Grandinem.
      - Glaciem.
- Microcosmicum & redditur
  - Spiritus ipsius siccus & melancholicus, qui insalubria meteora illa ventosa in spiritu hominis aereo generat, quos Galenus animi morbos vocat, nos vero meteora spiritualia insalubria.
  - Humor mediocriter siccus & spiritibus prædictis siccis cum aliis multiformiter compactus, ex quo meteora lenta: atq; hunc vocamus cum antiquis Ethnicis medicis melancholiam.
  - Corpus terreum ex humoribus variis prædominante dicto humore concretum & ligatum, cuius generis princeps est Lepra.

CAPVT

CAPVT IV.

In quo simplices venti Borealis in consistentia hominis spirituali, seu aëre humano effectus præternaturales, siue infirmitates animæ meteorologicæ more sacro describuntur.

CVM Boreas simplici suo afflatu dominium habet in aërem macrocosmicum, tunc obseruamus quod ipse aër à nubibus & nebulis purgatur; atque vndiquaque serenus & purus reperitur; qualiter se habet ipse vt plurimum pruinoso & quandoque glaciali tempore: atque tunc solet spiritus iste sublunaris in naturam & conditionem venti illius sic spirantis, terrestrem videlicet, mutari, & vocatur à nobis quam rectissime spiritus congelatus & congelans: nam catholicus mundi spiritus (vt dictum est) est instar Protei versatilis, vt aquam dulcem & simplicem omnibus rerum cum ipsa iunctarum saporibus esse obnoxiam siue subiectam obseruamus: verbi gratia ipsa cum alumine aluminosam contrahit naturam, cum vitriolo vitriolatam, cum sale salsam, & cum rebus amaris amaram: ita quidem res in spiritu catholico se habet, quippe qui in venti flantis dispositionem se conuertit, vnde sequitur, quod cum (iuxta Salomonis assertionem) sit *cuilibet communem aërem inspiratione attrahere*, non est si quidem mirum, si spiritus, seu aër humanus in conditionem & naturam istius venti, hoc est, ad dispositionem terrestrem parumper inclinet. At vero (vt antea declaratum est) si bonus angelus in tali afflatu habeat dominium, tunc minus præternaturaliter afficit; nisi ad locum in corpore putridum penetrauerit, qualiter in pulmoniacis siue phthisicis, empyematicis, pleuriticis, peripneumoniacis, & id genus alijs accidere assolet: vel vbi aër solummodo humanus impressionibus afflatus alicuius melancholici præeuntis fuerit infectus, nam aër macrocosmicus taliter à spiraculis Borealibus alteratus passionem in aëre microcosmico similem augebit, cum vis siue qualitas vnita erit fortior, & consequenter spiritibus siue naturaliter siue præternaturaliter melancholicis melancholiam addere solet: at si ventus fuerit Circius; tunc magis ad humiditatem inclinabit vterque spiritus; si Aquilo ad siccitatem magis.

Et quandoque accidit vt ventus Orientalis in transuerso occurrat, flatumque reddat admodum siccum & magis æstuosum, cuiusmodi est ille in corpore flatus quem Hypochondriacum vocant; qui sine aliquo humore manifesto corpus afficit, & non modo animum siue spiritum humanum lædit, verum etiam corpori vt plurimum molestiam affert.

Hoc autem in capitulo de impedimentis illis agemus, quæ ventus istiusmodi male dispositus spiritui humano, vel (vt aiunt) animo conferre solet, idque iuxta sententiam siue authoritatem literarum sanctarum.

Morbi, seu passiones ex parte septentrionali animum siue spiritum microcosmicum affligentes; sunt:

- Tristitia.
- Oppressiones, Angustiæ, Fractio, Perturbatio, Amaritudo: Animi siue spiritus.
- Indignatio.
- Mœror.
- Gemitus, & suspirium.
- Desperatio.
- Terror crucians animum.
- Timor, seu Pauor.
- Tremor & horror.
- Tenebrarum frequentatio siue solitudo.
- Mentis alienatio.

De fractis animo & contritis spiritu mentionem facit Dauid *Psal.* 38.15. Et iterum, *Psal.38.15.*
Propinquus est Iehoua fractis animo, & contritos spiritu seruat: & notare debemus quod tristitia *Psal.34.19*
sit passio animi cardinalis, vtpote sine qua cæteræ adesse nequeant.

Pro animi oppressione & angustijs sic. *Oppressiones animæ meæ dilatant se, ab angustiis meis deduc me.* *Psal.25.17.*

Z Indi-

Psal.31.11. *Indignatio* (inquit) *& mœror facit vitam deficere, & gemitus annos meos.* Et Salomon: *Vt cor gaudens exhilarat faciem, ita in mœrore animi deijcitur spiritus. Fractio animi afficit ægritudine, cumq; expecto qui condoleat nemo adest,* Vbi per animi fractionem arguit curas & solicitudinem.

Psal.38.a.4. *Debilitatus & attritus sum valde, rugio præ fremitu animi mei, suspirium meum à te non est absconditum: cor meum palpitat, derelinquit me virtus mea, & lux oculorum meorum &c.* Quo sermone propheta optime nobis flatus melancholici atque tristitiæ effectus, & signa pathognomonica exprimere videtur.

Iob.3.19. Pro animi amaritudine hæc vir patiens, *Mortem præstolantur ærumnosi & amari animo, & illa non adest illis,* &c.

Psal.6.6. De gemitu sic Psaltes, *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum.* Et iterum, *Facies mea est lutulenta & tumida facta præ fletu, denique palpebris adest vmbra lethalis.*

Psal.55.5. Pro timore, tremore & horrore sic, *Animus meus dolet in me, & terrores mortis accedũt mi-*
Leuit.26.35. *hi, timor & tremor inuadit me & obtegit me horror.* Et alibi. *A facie eius perturbatus sum, & conside-*
2.Reg.19.7. *rans eum timore solicitor.* Atque iterum, *Pauorem dabo cordibus eorum.* Quo liquet, quod hæc Dei proprietas est causa pauoris, vnde sic alibi. *Ecce ego indam ei spiritum vt audito rumore reuertatur in terram suam.*

Iob.7.14. Animi perturbationem in somniis & visionibus describit Iob, 7.14. *Omnipotens con-*
Psal.31.10. *turbauit me, non enim perij, Indignatio & mœror facit vitam deficere. Cor meum conturbatum est in*
& 37.11. *me, reliquit me virtus mea.*

Sap.17.19. Desperationis passionem optime describit pagina sacra in hunc modum, *Veniunt in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducet ex aduerso iniquitatem ipsorum: solis desperatus superna protensa erat nox grauis, imago tenebrarum quæ ipsos erant suscepturæ, sed ipsi grauiores erant tenebris.*

Iob.12. Denique pro mentis alienatione. *Eius est errans & in errorem inducens, qui facit vt consulti deueniant in dementiam, qui facit vt errent tanquam ebrij, & palpent in tenebris deficiente luce.*

At dicet quis, Quid hæ passiones ad ventum septentrionalem? Cui ego, Cum duplex sit proprietas diuina in hoc mundo, videlicet quiescens, frigida, contractiua & inspissans, atque mouens seu agens, calida, dilatatiua & attenuans: & cum Deus radicaliter istas suas proprietates in hoc mundo à cardinibus polorum oppositis suo afflatu manifestat, aliter si quidem censere non potestis quin quod omnes terrei seu frigidi & sicci isti in vtroque mundo affectus procedunt radicaliter à parte septentrionalis, quippe à qua plaga Deus tales soleat tenebrarum emittere effectus. *Ab Arcturo* (ait Iob) *egreditur frigus. Flante Deo concrescit gelu.* Et Psalmista regius, *Deus sermone suo emittit niues sicut lanam, coram frigore eius quis consistat?* Vnde sat liquido apparet, ꝙ omnes actus frigidi radicaliter à septentrione (spiritu diuino in venti illius præside mouente & operante) procedunt. At vero melancholici istiusmodi effectus sunt frigidi & sicci: ergo à spiritibus istam mundi quartam inspirante Borea, vel Aquilone, vel Circio, istiusmodi animi seu spiritus humani passiones eueniant; tamen considerare possumus quod istiusmodi spiritus semper in aëre natant, & ad suum, vbi & quando Deus vult, officium præstandum semper parati sunt, hocque vel in simplici sua natura, vel mediante aliquo meteoro; quo quandoque loco organi vtitur, idque sine vlla manifesta venti illius spiratione, iuxta illud viri patientis, *Frigus, glacies, pruina, nubes, quicquid præcepit Deus istis faciendum in superficie orbis terrarum, siue ad flagellum siue ad beneficentiam faciunt.* Atque ita res se habet in cæterorum ventorum effectibus, vt suo loco dicetur.

(Marginal notes beside the preceding paragraph: Iob.37.9. — Ps.147.16. — Iob.37.a.8.)

Deut.28.20 Quod totum verbis paucissimis sic declarare videtur Moyses, Iehoua (inquit) *te percutiet febre vrente frigore & aëre corrupto.* Quibus verbis arguit spiritum suum maledictionis æstuosum ab oriente, frigidum à septentrione vel occidente, pestilentialem & putridum à meridie. Et *in eodem capite* expresse nominat effectus ad proprietatem septentrionis spectan-
Ibid.a.65. tes in his verbis, *Dabit tibi Iehoua cor trepidum, hebetationem oculorum, mœrorem animi, eritq; vita tua suspensa è regione, pauebisque noctu & interdiu, nec erit certus de vita tua.* His ergo tristitiæ signa exprimit, & passiones ipsam vt plurimum concomitantes, videlicet timorem, cor trepidum, siue cordis palpitationem ex minima occasione, mœrorem animi & anxietatem: ac denique terream in fixis & pauidis suis imaginationibus fixitatem & immobilitatem. Timorem similem incussit Deus animis Syriorum, quando ipsos sonitum audire in castris curruum
4.Reg.7. & equorum & exercitus plurimi effecit.

Hinc igitur tristitiam, seu capitalem illum morbum, seu meteoron ventosum quæ spiritum humanum ex afflatu septentrionali male afficere solet, ad quem omnes fere aliæ animæ passiones respectum & dependentiam habent.


Tristitia

Tristitia est morborum spiritualium à septentrione emissorum princeps, quippe sub qua comprehenduntur
- Metus, Timor, seu Pauor.
- Horror & terror.
- Mœror.
- Solitudo, & odium societatis hominum.
- Desperatio.
- Mentis alienatio & huiusmodi alia.

Caput V.

Hic morbi meteorologici ex ventis septentrionalibus cum alijs, vel transuersalibus, vel contrarijs in aëre concurrentibus, breuiter & succincte describuntur.

Vt passiones animi leues esse morborum corporis occasiones siue initia dignoscuntur, ita quidem credere fas est ex ventis prædictis spiritum humanum infestantibus haud difficulter posse morbos corporis producere. Hinc Psaltes, *fractio animi afficit ægritudine.* Et Psal. 69. 21.
alibi, Turbatus est in furore oculus meus, & factum est cor meum sicut cera liquescens in medio ventris Psal. 6. 6.
mei, aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis. Preterea ex his ventis, siue Psal. 21. 15.
spiritibus cum alijs vel oppositis, videlicet Austro, qui Boreę se opponit, Euro austro, Circio contrariatur, & Austro africo qui Aquiloni, vel ventis transuersalibus, vt Eurus & Aquilo, vel Boreas & Subsolanus meteora ventosa conflantur, verbi gratia.



Hinc ergo accidit, quod flatus ab Aquilonaribus procreatus quandoque cum æstu insigni & colore in visceribus humanis procreari soleat, vti in flatu hypochondriaco obseruamus, & præcipue vbi venti calidi & sicci seu ignei in portione minori occurrunt illis frigidis & siccis, & tunc dementiam & mentis alienationem sequi animaduertimus, de quib. Moyses, *Percutiet te Iehoua amentia, &c.* Et *alibi* (vt supra) *eius est errans & in errorem inducens, qui facit* Deut. 28. 28
vt consulti deueniant in dementiam, &c. At si ventus Australis in opposito licet in gradu remis- Iob. 12.
siori flauerit cum Borea in intensiori, seu potius Euro auster cum Circio (quoniam Circius gyros & turbines solet producere) tunc Scotomia & vertigo produci assolet. Est autem in hoc meteororum ventosorum genere Scotomia princeps vt Tristitia in præcedenti, quippe sub qua omnes fere prædicti huius generis morbi comprehendi videntur.

Est enim eius causa proxima, siue initium, radix
- Vertiginis.
- Suffocationis matricis.
- Epilepsiæ siue morbi lunatici à flatu grosso.
- Stuporis & soporis.
- Contractionis siue conuulsionis.
- Dementiæ.
- Cæcitatis siue caliginis.

Quod Circius sit ventus terreus, frigidus & siccus, & quod in niuium coagulatione faciat ventorum gyros nos docet Appianus *in sua Cosmographia*, & Scriptura ait, *Ab intima nube*


Iob. 37. 8. *prodit turbo, & à ventis Aquilonaribus venit frigus:* Et Propheta, *Ecce ventus turbinis veniebat ab A-* Ezech. 1. 4. *quilone, & nubes magna & ignis inuoluens in circuitu eius.* Et *alibi. Turbo improbum noctu furtim ab-* Iob. 27. 20. *ripit asportat eique ipsum Euro.* Quibus videre licet, quod afflatus seu spiritus turbinosus & tumultuosus, & in gyros aëra rotans, veniat ab vtrisque hisce mundi partibus, qui si simul iungantur vertigines vel æstuosiores vel frigidiores iuxta maiorem & validiorem venti flantis prædominationem afferre solet. Et de istiusmodi venti turbinosi genere intelligere videtur hic Ieremiæ sermo, *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capita impiorum quiescit.* Stupidorum etiam huiusmodi spiritus effectuum meminit Esaias in his verbis, *Obstupescite, admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino mouemini, sed non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis.* Et *alibi, Spiritus potentiæ Dei ventilans, & iustitia persequens iniustos.* Atque iterum de huiusmodi *alibi* sic, *Spiritus potentiæ vel spiritus virtutis flabit contra eos, & tanquam procella vel turbo venti iactabit eos:* Sic quidem malus Ichouę spiritus affligebat Saul. Nonne etiam ait Psalmista regius, *Immisit in eos iram indignationis suæ iram & tribulationem per malos angelos?* Denique vt in mundo maiori dixit Psaltes ille, *ventum procellosum efficere verbum Dei*, ita quidem in mundo minori siue aëre microcosmico hoc idem est intelligendum. Verba eius sunt hæc, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum Dei*, Et Iob, *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuia, fulgur, quodcunque præcipit Deus istis faciendum in superficie terræ, siue ad flagellum, siue ad faciendam beneficentiam efficit vt præsto sint.* In quo sermone non intendit effectus solos meteorologicos, sed causas angelicas efficientes, quarum virtus aut benigna aut maligna in hisce sensibilibus insensibiliter delitescit. Hinc ergo Syriacus ille sapientissimus in his, *Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala: sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes & scorpij, & serpentes & rhomphæa vindicans in exterminium impiorum. In mandatis eius epulabuntur & super terram in necessitatem præparabuntur; & in temporibus suis non præteribunt verbum.* Hæc filius Syrach. Quib. intelligere videtur, quod non corpora meteorologica aut animalium, sed spiritus angelici in ipsis (quorum est efficere verbum seu voluntatem Dei) tam ad flagellum quam ad beneficentiam agant in vtroque mundo. Sed ad propositum particulare.

Ierem. 30. 23. Isa. 29. 9. Sap. 11. 21. Sap 5. 24. Psal. 78. 47. Psal. 148. 8. Iob. 38. 8. Ecclesi. 39. 33

2. Reg. 6. Quod vis ista diuina in plaga Aquilonari radicaliter orta sit in ipso Deo hisce denotat sermo Elizæi iste. *Percute quæso gentem istam subito scotomate, & percussit eos Deus scotomate.* Similiter quod Deus hoc facit proprie mediatione Angelorum, & quod Angeli possint hoc Gen. 19. 11. idem præstare, ex isto textu sacro colligimus. *Viros autem illos qui erant ad ostium domus percusserunt subito Angeli scotomate à minimo ad maximum, adeo vt defessi sint laborando in inueniendo ostium:* At vero Scotomia hoc in loco pro subitanea cæcitate à flatu tenebroso per spiritum secretum subito eleuato accipitur: est enim Scotomia apud medicos Galenicos pro vertigine Gal. 4. morb. acut. 42. tenebrosa accepta, in qua tenebrosa facta est visio, & tunc scotodinos vocatur. At vero illa in qua caput circumagi videtur, Dinos, seu vertigo nuncupatur. Dicunt autem quod ob inordinatam spiritus flatuosi motionem efficiatur: vnde videntur ambæ species non aliter esse ex eodem subiecto, sed proprietate diuersa, quam Boreas & Circius, quorum flatus sunt ambo frigidi & sicci, verum vnus cum Austro mixtus magis obtenebrat, alter vero est magis gyrosus & turbinosus. Ex quibus percipere possumus quod cum ambæ fiant ob inordinatam spiritus flatuosi (de dispositione maxime septentrionali) motionem possunt vere dici radices morborum antea recitatorum, videlicet Vertiginis, Epilepsiæ, Suffocationis matricis, & huiusmodi aliorum, vtpote qui ex flatibus grossis & vt plurimum siccis procreari solent.

Gen. 32. 35. Contractionis seu stuporis nerui ab angelico contactu prouenientis meminit pagina sancta dicens quod *Angelus tetigerit neruum femoris Iacobi & obstupuerit emarcueritque:* sic etiam in omni Epilepsia, quam scripturæ vocant *morbum Lunaticum*, atque etiam suffocatione matricis spasmum siue conuulsionem accidere ad conspectum decernimus. Et quandoque accidit, quod isti flatus in humorem lentum & viscidum concrescant & tunc ad particulam sequentem sunt referendi, quippe qui de humorali huius venti subiecto cum alijs ventis mixto, hoc est, de meteoris humoralibus & ventosis participant, quod quidem subiectum vocamus regnum Imperij septentrionalis humorale, in quod gradu festino iam nunc penetrabimus.

LIBRI



LIBRI QVARTI, MEMBRI PRIMI,

PARTICVLA SECVNDA.

In qua de regno Imperii Septentrionalis humorali, & de morbis ei conuenientibus agitur.

CAPVT I.

De humore frigido & sicco, siue terrestri.

IN *superioribus* explicatum habetis, quod subiectum generale circa quod flatus siue venti omnes versantur in macrocosmo sit aër, & quòd ipse inspissatione à frigore facta in humorem niualem primùm, & tum postea in corpus glaciale redigatur. Iam verò sciendum est, quòd hoc idem accidere potest seminariis frigidis in spiritu hominis aëreo inclusis, quando illum Iehoua mediãtibus suis ministris seu organis angelicis afficere placuerit: Hinc ait textus: *Coram frigore eius quis consistat?* At, teste Iob, *ab Aquilone venit frigus,* *Psal.* 147. 17.
idq; flante Deo per organa sua angelica; Facit ergo Iehoua frigus vnum ex præcipuis suis flagellis *Iob.* 37. 9.
ad vindictam capiendam contra impios. Quare dicit Moyses: *Si nolueris audire vocem Do-* *Deut.* 28. 22.
mini Dei tui, vt facias omnia mandata eius & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, percutiet te Iehoua frigore, &c. Qui autem sint gelidi frigoris effectus, quive morbi quos homini affert, neminem mente sanum, & in Medicina mediocriter versatum latere potest. At verò eius morbum principaliorem, vt in prædictis expressum est, putamus esse Scotomiam, quæ tam ex humorum viscositate & frigida congelatione quàm ex flatu grosso causari potest. Morbi autem qui sub ipso possunt comprehendi quasi species sub suo genere, sunt illi quos *capite sequenti* explicuimus.

CAPVT II.

De scotomia humorali, & morbis sub ipsa comprehensis.

CVM sit frigoris Borealis naturaliter res tenues congelando condensare & condensatione obtenebrare, non erit mirum, si Scotomia principalem inter meteora Septentrionis humoralia obtineat locum, cùm ipsius sit non aliter clarum nerui optici aërem obfuscare & caligine obducere, quàm frigus aërem purum & diaphanum macrocosmi in niues densas & opacas condere cernimus. Atque vt videmus niues sic factas quandoque pacificè cadere & in cadendo obscurum cœlum reddere, & quandoque turbinoso & gyroso more perturbare medium aëreum, ita quidem Scotomia subitanea humoris seu vaporis densi concretione, nonnunquam cum vertigine & aliquando absque vertigine in aëre microcosmico conflari animaduertitur. Et quoniam vertigines & caligines istiusmodi sunt aliorum morborum præcursores & quasi inductores, igitur sub Scotomiæ dimensione (quam *suprà* plenè descripsimus) morbos hosce disposuimus:

A Scotomiæ origine scaturire videntur:
- Epilepsia.
- Suffocatio matricis.
- Conuulsio.
- Dementia.
- Cæcitas &
- Caligo oculorũ
  - Præ senio.
  - A vapore condensatò.

Sacræ literæ intelligere videntur per Lunaticum Epilepticum, vti in historia curationis Lunatici apparet: *Filius meus Lunaticus est, & malè patitur, nam sæpè cadit in ignem & crebrò in* *Matth.* 17.
aquam: & increpauit eum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer. Qua quidem histo- 15.
ria indicatur, quòd primùm morbus hic esset Epilepsia ab effectu, ac tum quòd causa istius

Matth.4.24. eſſet malus ſpiritus. Et *alibi: Lunaticos & paralyticos curat.* Et dicitur morbus Lunaticus, quoniam occidere ſolet vtplurimùm circa plenilunium & nouilunium. Sed Euangeliſta *Marc.9.17.* Marcus luculentiùs exprimit naturam epilepticam in hiſce: *Attuli ad te filium meum habentem ſpiritum mutum, qui vbicunq; illum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus. Et cùm vidiſſet eum Ieſus, ſtatim ſpiritus conturbauit eum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans,* &c. Quo ſermone deſcribit optimè morbum caducum, comitialem ſiue epilepticum per lapſum eius in terram, per ſtridorem dentium, & præcipuè per ſpumam. Quare liquet, quòd iſte ſpiritus eſſet de ſpecie vel Aquaticorum, qui Lunæ ſtatus obſeruant, vel ex natura aliquorum lucifugorum quatenus erat mutus. Verùm quoniã Epilepſiam ex ſpiritu aquatili productam ad morbos Occidentales referimus qui proximitate cum illis Septentrionalibus ſunt coniuncti (nam Corus eſt Circii vicinus) vos intelligatis velim me hoc in loco de illo morbo lunatico ſeu epileptico hîc intelligere, quod ex flatu groſſo, denſo, caliginoſo, frigidoq; & ſicco fit, qui ortum ſuum ducit à flatu ſpiritus Aquilonaris, aut à contaminatione aliquorum lucifugorum, de quibus Pſellus in hæc verba: *Lucifugi ſunt dæmones ſummopere frigidi & aridi, qui cùm cuique latenter irrepſerint, vim omnem animalem obtundunt & hebetant, obſuſcant & delent, quocirca rectè apud multos muti ſurdiq; vocantur.*

Hîc etiam obiter notandum, quòd iſtiuſmodi ſpiritus inferiores, videlicet aquatici, terreſtres, ſubterranei atq; lucifugi non modò ingreſſu & commixtione corporum ſuorum ſe miſcent cum ſpiritu hominis interno, verùm etiam contaminant & inquinant non modò aërem qui circumambit hominem, ſed etiam cibum & potum inficiunt quandoque, niſi *Deut.28.22.* benedicat Deus. Hinc dicitur: *Percutiet te Iehoua frigore, ardore & aëre corrupto.* &c. Et iterum: *Exod.23.a.25.* *Colito Iehouam, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui.* At in *Iob.20.23.* alio ſenſu ſic: *Cùm impius eſſet impleturus ventrem, in eum Deus æſtuantem iram emittit quam im-* *Pſell. de dæmon.* *pluit in eum loco cibi,* hoc eſt mediantibus ſuis miniſtris ſeueritate & contagione plenis, de quibus iterum Pſellus alibi ſic: *Spiritus, ſeu dæmones hi inferiores videlicet aquei, terreni, ſubterranei & lucifugi moleſti & turpes ſunt & Charonei ſpiritus more lædunt:* ſicut enim ferunt ſpiritum hunc corrumpere quicquid propinquauerit ſiue quadrupes, ſiue hominem, ſiue aues, tamen certum eſt, quòd vt ſpiritus meridionalis ſit corrumpere aërem, ipſumq; peſtiferum ſiue contagioſum reddere, ita ille Septentrionalis, gratiæ ſuæ frigiditatis & ſiccitatis, marcore, exareſcentia, vel atrophia atque ſtupore ſolet afficere, vt *capitibus ſequentibus* explicabitur. At quoniam lucifugi & ſubterranei caliginem & obſcuritatem ſecum ferunt, ideo aërem animalem tenebris & ſpiſſitudine afficiunt, qui aër ſic ab ipſis præparatus, & à claritate ſubitò in caliginem halitu dæmonii, vel ab aliquo alio ſpiritu angelico redactus, more aëris puri macrocoſmici in niues & nubes flatu Aquilonari reducti meteora huiuſmodi fumoſa & caliginoſa parturire aſſolet, quæ ſunt Scotomiæ, Vertiginis, Epilepſiæ, Suffocationis matricis, Conuulſionis, Amentiæ, Cæcitatis tam aduentitiæ quàm præ ſenio radices. De huiuſmodi autem cæcitatis aduentitiæ ſpeciebus mentionem faciunt literæ ſanctæ. *Matth.* 9.33. & 20.34. & 21.14. & de cæcitate à natiuitate, & poſt eam *Ioan.*9.1. & *Luc* 7.23. & 18.35. De cæcitate Iacobi & Iſaaci præ ſenio 48.16. & 27.1. De cæcitate à Scotomia, *Geneſ.*19.11. *Deut.28.65.* 2.Reg.6. Et iterum *alibi: Dabit tibi Iehoua hebetudinem oculorum & mærorem animi; & percutiet te cæcitate; adeò vt palpes in meridie, vt cæcus palpat in caligine.*

Caput III.

De ſtupore & marcore.

Extremo frigore Septentrionali producuntur
- Stupor, ſub quo comprehenduntur
  - Cordis & membri ſtupor.
  - Paralyſis & ſtupor dentium.
  - Linguæ vſus ablatio.
  - Catalepſis.
  - Lethargia.
  - Apoplexia.
  - Amentia.
- Marcor, ſub quo
  - Exareſcentia manus.
  - Nerui femoris contractio.
  - Corporis, Ventris, Oculorum } Tabes à frigore.
  - Clauditas.
  - Sterilitas.

Quoniam

QVoniam hi morbi sunt dispositione frigidi & sicci, considerare debemus, quòd necessariò proueniant à spiritibus seu seminariis à plaga Septentrionali expiratis vel expirantibus: nam si elementum terræ à vento Septentrionali suam sortitum sit originem, verisimile videtur quòd ea meteora in vtroque mundo quæ de elemento terræ inprimis participant ortum & scaturiginem suam exinde haurianr. Vt igitur cum stupore incipiamus, est quidem ipse vna ex plagis illis qua afficere solet Iehoua homines rebelles & impios: *Obstupescite, fluctuate, vacillate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis.* Hîc Propheta intelligit de stupiditate & sopore spiritus humani, quem immittit pro placito suo Deus in impiorum flagellum. Hinc ergo *alibi: Percutiet te Iehoua amentia, cæcitate & stupore cordis.* Et *alibi: Percutiam omnem equum in stupore, & ascensorem eius in amentia.* Amentiam etiam definit Galenus esse ratiocinatricis functionis, veluti paralysis. Atque pro dentium stupore *Amos* 4.6. *Ego dedi vobis stuporem dentium,* &c. Deinde hîc stupor quandoque penetrat à spiritu & per spiritum stupida quasi congelatione obtusum in carnes & neruos, & varia producit ibi meteora stupida, cuiusmodi sunt paralysis, linguæ vsus ablatio, Catalepsis, Lethargia, Apoplexia, &c. De paralysis curatione mentionem facit *Matth.*4.24. & 8.a.6. & 9.a.2. & *Marc.*2.a.3. & *Luc.*5.18. & *Actor.*8.7.& 9.33.

*Isai.*29.9. *Deut.*28. *Zach.*14.4. *Lib. de Sympt. diff.* c.3.

Sed morem percussionis à paralysi, siue signa spiritus percutientis sic describit *textus alibi: In tempore illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltrà potuit loqui verbum & mandare de domo sua, & mortuus est in tempore illo cum tormento magno.* Hîc ergò habetis non modò paralysim seu hemiphlegiam, sed linguæ etiam vsus ablationem. Porrò muti etiam in multis scripturæ locis specificantur. At quòd Catalepsis, Lethargia & Apoplexia sint de huiusmodi radice, earum affectus indicant. Et visum est mihi Alcimum paralysi vniuersali (quæ & Galenicis Apoplexia dicitur) correptum fuisse. Denique marcorem ab angelico neruorum Iacobi contactu denotant verba hæc: *Tetigit Angelus neruum femoris & statim emarcuit,* vel, vt Tremellius interpretari videtur, *tacto neruo contractus fuit.* De manus seu membri exarescentia mentionem facit textus in his: *Extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius, nec valuit retrahere eam ad se.* Pro tabe oculorum & corporis & ventris vide *Psal.*31.10.& 22.15.16.& 3.10. Claudos etiam curauit Christus plurimos. De sterilitate verò mentionem sparsim faciunt Scripturæ. Et quoniam à frigiditate & siccitate, quæ sunt conceptioni oppositissimæ, sterilitas vtplurimùm contingit, vt in senioribus fœminis videre licet, ideo ipsam inter istiusmodi morbos conclusimus.

1. *Macchab.* 9.55. *Gen.*25.32. 1.*Reg.*13.5.



LIBER



LIBRI QVARTI
MEMBRI PRIMI
PARTICVLA TERTIA.

In qua de regño imperii Septentrionalis corporali; & de morbis ei conuenientibus agitur.

CAPVT I.

De regni plagæ Septentrionalis corporei initio, & quid sit.



AD regnum plagæ Septentrionalis corporeum iam peruenimus, quod nō aliter ab illo humorali suam sortitur originem, quàm humorale à spirituali suam: spirituale autem diuino nutu perpetuò regitur, vtpote *super alas cuius æternæ Iehouæ sapientia Cherubin insidens volare*, testatur textus sacer. Vt igitur spirituum angelicorum ex parte Boreali flantium operatione spiritus mundi sublunaris mercurialis congelatur (in qua operatione angelica virtus est mas & agens, spiritus verò mundi aqueus est fœmina & patiens, atque ita spiritus animatus dicitur) sic quidem in operatione secundaria spiritus iste purus sic animatus est loco agentis respectu humoris, quem constringendo & coagulando congregat, vt humor quem congelat est loco patientis, si ad spiritum coagulantem comparetur, & tali statu dicitur *Spiritus* in natura primitus *Congelans*. Pariformiter etiam humor iste à spiritu illo Congelante sic procreatus respectu corporis, quod coagulatione & congelatione animaduertitur procreari est agens quasi ad generationē corporis compacti & terrei, quod etiam tali consideratione est patiens respectu ipsius. At verò si rem rectè cōsideremus, causa efficiens eiusdem supernaturalis primaria est Deus qui angelum quasi instrumentum supernaturale agit in naturalia: At verò si ad naturæ Ethnicorum fastigium respiciamus, tunc quidem rerum corporalium congelationis causam inueniemus esse spiritū ventosum congelantem, cuius organon (quod congelatione fabricatur, & per quod operatur) est nubes, vapor vel humor, qui iterum in corpora diuersissima concrescunt & alterantur: sic Angelus Septentrioni præpositus à Iehoua creatus & factus erat, vtpote *qui facit Angelos suos ventos*, teste Propheta, Angelus per spiritum Iehouæ emittit flatus frigidissimos & congelantes in medium mundanum, fitq; spiritus *Congelans*, hic spiritus seipsum (mediante etiam flatu opposito submissè & insensibiliter mouente) in nubes, vapores, & humores niuales congelat, nix tandem in grandines & glaciem coarctatur.

Pariter in corpore humano spiritus eius, de aëre externo participans in humorem congelantem & terrestrem à spiritu mundi *Congelante* redditur, & spiritus iste in humorem tardum, lentum, & ad siccitatem niuis inclinantem tendit, quem melancholicum vocant Medici, qui denuo vlteriori congelatione siue concretione terrestri in corpus quoddam solidum, cuiusmodi est lepra, cancer, scirrhus, & huiusmodi alia, coagulatur, de quibus in *particula ista tertia*.

CAPVT II.

In quo meteora in microcosmo regni Septentrionalis corporea pertractantur: vbi etiam ostenditur, quòd eorum princeps cardinale sit Lepra.

VT sub vno eodemque elemento varias rerum comprehendi species videmus, ita sub vno eodemque vento necesse est, vt fratres permulti conditione non multum à parentibus differentientes nascantur, quorum in quolibet Imperii ventosi regno vnum more principis superiorem obseruatur occupare locum; verbi gratia, in hoc imperii Septentrionalis regno corporali, siue hac membri primi particula tertia inuenimus locum principalem sibi vendicare Lepram, vt in pari particula siue regno corporali imperii oppositi, videlicet Meridiei Anthracem, siue Carbunculum sedem siue locum eminentiorem ex literarum sancta-

rum

rum doctrina possidere videtur. Atque vt isti duo morbi siue meteora cum suis radicibus sunt contagiosi, videlicet Lepra & Pestis cum suis speciebus, ita quidem operæpretium est obseruare, quòd Deus hisce contrariis morbis frequentissimè vtitur pro flagellis suis contra impios & minimè timentes eum aut obedientes suis præceptis. At verò peste cum eius adiunctis vtitur vbi populum & multitudinem plaga afficere gestit, vti in *membro sequenti* luculentiùs: Lepra verò percutere solet hoc vel illud indiuiduum: sic irascente Iehoua aduersus Miriam *lepra percutiebat manum eius, adeò vt alba esset sicut nix.* Porrò in hac sua proprietate plaga lepræ affecit ipse Regem Huzziam, nam *lepra subitò exorta est in fronte eius:* similiter pro signo & testimonio quandoque ista plaga vtitur, & tunc non est diuturna; qua ratione leprosam reddidit ipse manum Moysis instar niuis. Denique sparsim tam in Nouo quàm Veteri Testamento mentio de ista plaga, sed præcipuè à Moyse cum omnibus suis signis & prognosticis in Leuitico depingitur atque luculentissimè explicatur: quo docemur, quòd sit vel cum tumore vel sine, quandoque cum alba macula, nonnunquam sine, frequêter cum ardore igneo circa albedinem, hoc est, cum adustione efflorescere solet, & aliquando sine; quòd sit quandoque depressior cute, & aliquando non, quòd sit plerumque cum pilo candido, quandoque cum fuluo, & quandoq; cum nigricante, & haud raro sine; quòd sit quasi mortificatio carnis viuæ, ita vt sæpiuscule caro vera in plaga eius non adest: ac *in vltima capitis parte* concludit ipsam plagam esse admodum virulentam, immundam atque contagiosam per vestimentorum combustionem & domus in qua contaminatus viuit, atque etiam per destructionem lapidum atque similium ipsius dissipationem.

Num.12.10
2.Chron.26 9.
Exod.4.6.
Leuit.13.per totum.

Quòd autem sit morbus iste à maledictione euidenter patet per translationem plagæ leprosæ à Nahamane in Gehezam seruum Elishæ, maledicente suo domino; qua quidem historia miraculosa spiritus humani virtus declaratur, vtpote in cuius potestate est etiam plaga Dei vti pro suo placito & vindicatione, imò verò & non solùm quempiam particularem plaga vel morbo percutere, verùm etiam efficere vt morbus ille adhæreat suo semini & posteritati, nam textus est talis: *Idcirco lepra Nahamanis adhæreto tibi & tuo semini in sæculum: sic egressus à conspectu eius albus vt nix.* *2.Reg.5.27.*

Concludimus autem, quòd lepra sit passio, siue plaga Septentrionalis, quoniam videtur in omnibus cum proprietate ipsius conuenire; nam primùm ob rugositatem, inæqualitatem & contractionem cutis frigiditatem & siccitatem arguit: deinde ob colorem quatenus album reddit membrum vt nix: tum postea propter suam porriginosam & furfuream naturam frigiditatem & siccitatem arguentem: atque etiam quoniam patientem caluum & glabrum reddit, quod accidit propter siccitatem & frigiditatem: præterea carnis mortificationem denotat, vtpote quæ proprietas Septentrioni assignatur. Hinc ait textus: *Ecce tumor albus est in cute, & ipsa mutabit pilum in album, etiamsi aliqua sanitas carnis sit in tumore illo.* Et Aaron dixit ad Moysen: *Ne sit Miria similis mortuo. & vt abortiuum, cuius dimidia caro exesa est cum egreditur ex vtero matris suæ:* sic etiam fissuræ in carne atque contractio cutis hoc idem arguunt. Et quamuis replicare quis possit, quòd ardor & adustio teste textu sacro inueniatur plerumque in illa plaga, dicimus quòd hoc fieri solet propter salem qui quasi in cineribus melancholicis occultè retinetur, atque etiam in tempore niuali frigore extremo vrgête maximum in digitis & carne ardorem discernimus, propter calorem retentum in sale centrali à materia frigida & niuali. Porrò etiam testatur Hippocrates, quòd extrema poli Arctici frigiditas soleat incolas prope eum degentes adurere: vtcunque certum est ipsam Gangrænam sæpiusculè ob extremum frigus prouenire, quam immediatè sequitur mortificatio, quæ ad plagam Septentrionalem refertur ad Orienralem & Meridionalem. Ita ergo se habet istiusmodi Lepræ species vti cineres furfurei, qui tametsi sint in sua constitutione terrei, tamen salem in se habent siccum & adurentem, qui quidem sal suum à Meridie vel Oriente mutuatur calorem & acredinem, nec enim dicimus lepram à solo vento Septentrionali habere compositionem, non minùs quàm corpus aliquod trina dimensione indutum ab vnico solo elemento componi potest, sed corpus meteori leprosi ab omnibus ventis suam sortitur originem, verùm prædominatur in eo Septentrionalis proprietas super illas reliquorum ventorum.

Leuit.13.8.
Num.12.10
Exod.4.6.
Leuit.13.31. 40.
Leuit.13.10.
Num 12.11.
Hippoc. de aëre & locis.

Hîc ergo habemus morbum, seu meteoron morbosum cardinale & principale in corporali imperii Septentrionalis regno, quod multas sub se species, non aliter quàm totum suas partes comprehendere videtur: nam vt rami arboris correspondent trunco & truncus radici in qua est vis totius arboris, ita quidem morbi sub ipsa lepra comprehenduntur alii mitiores, alii atrociores, qui ferè omnes aliquam à sua radice contagionem vel maiorem vel minorem hauriunt atque possident, quos omnes sic in vnam distinctionem contraximus.

Sub lepra quasi subditi sub suo principe comprehenduntur quædam meteora, vel
- Contagiosa
  - Porrigo.
  - Glabrities.
  - Psora.
  - Impetigo.
  - Scabies.
  - Pruritus.
- Non contagiosa
  - Podagra nodosa.
  - Cancer, sub quo
    - Scirrhus.
    - Tophus, siue Nodus.
    - Gibbositas.
  - Hæmorrhoides.

CAPVT III.

In quo prædicta morborum ex radice leprosa ortorum series explicatur, & rami eius tam contagiosi, quàm non contagiosi probantur.

ACcidit quandoque quòd ex radice contagiosa fructus exurgant nõnulli qui non sunt
contagiosi, vt etiam quandoque accidit, teste *Leuit.13.* quòd quædam sint lepræ species
quæ mundæ sunt: pari scilicet ratione ex causa immediata lepræ effectus frequenter non cõ-
tagiosi possunt exire, & præcipuè vbi lepra in specie munda inuenitur. Hinc ergo Medici
antiquiores (cum quibus hodierni conueniunt) affirmant, quòd Elephas sit melancholica
Gal. de tum. pr. nat. affectio primùm generationem habens ex sanguine melancholico & nigro, qui spatio tem-
poris multùm olet, dicuntque quòd ex leprosis istiusmodi nonnullis vlcera contingunt. De
Leu.13.2.& 3. huiusmodi mentionem facit pagina sacra, dicens: *Homo inclinans ad lepram habet quandoque in cute carnis tumorem aut abscessum.* Porrò *alibi* facit Hippocrates cum Galeno lepram & ele-
Aph.2. lib.4 Intr.15. phantiasim morbos lienis, qui est Borealior pars hominis: atque etiam alibi fatetur, lepram
esse præternaturalem cutis mutationem subalbidam cum asperitate & pruritibus, dolori-
busq; nonnunquam & squamis decidentibus, aliquando secus, quæ plures corporis partes
Ibid. depascitur. Et *alibi* agnoscit, *Impetiginem* (quam summæ cutis asperitatem cum multa
prurigine facit) *scabiem & lepram esse morbos melancholicos.* Psoram etiã agnoscit esse *scabiem*
De sympt. causis. *magis exulceratam.* Et alibi: *Nigræ & callosæ carnes ab Elephante nomen ferunt:* fit eodem mo-
do quo Leuce à melancholico nutrimento ad carnem longo tempore confluente. Vitiligi-
num generatio cum prædictis vitiis similis est generis, non tamen sub iis tota caro vitiatur,
sed in summo corpore veluti squamę vitiligines infingunt. Quibus liquet, quòd eadem cau-
sa possit effectus tam contagiosos quàm non contagiosos proferre, sed præcipuè quòd ipsi-
us lepræ atque illorum morborum omnium qui sub lepræ regno comprehenduntur fiant à
melancholia, cuius fons est terreus Septentrionis afflatus.

Exod.4.6. Sed videamus, quomodo Scriptura cum Galeno & Hippocrate conueniat. Agnoscit i-
psa lepram esse plagam albam instar niuis quandoque subalbam, quod frequenter fit cum
abscessu siue vlcere, & quòd tumor sit cum duritie, & quòd sit cum prurigine, & aliquando
cum dolore & adustione, quandoq; sine, & quòd cum cutis vtcunque distentæ contractio-
a *Leuit.13. 30.* ne fiat vtplurimùm. Denique quòd *a* Glabrities, *b* Porrigo, *c* Psora, *d* Impetigo, *e* Scabies
& *f* pruritus sint ipsius soboles, & subditi, seu proximi in specie ad ipsam, testantur plurimi
b *Ibid.11.* scripti illius loci: atque etiam quòd tam partes corporis particulares occupauerit, videlicet
c *Leu.21.20* manum, frontẽ, &c. vt in Maria & Huzzia apparebat, quàm corporis vniuersi cutim à plan-
d *Ibid.* ta pedis ad caput ipsius, vt in seruo Elisei & plurimis aliis accidebat. Sed vt ad meteora
e *Ibid.& 22. 22.* morbosa ei subdita perueniam quæ non sunt ita contagiosa, videlicet podagram, cancrũ &
f *Deut.* hæmorrhoides. Podagra, & præcipuè rebellis illa q̃ nodosa dicitur & gypsea, materiæ suæ
soliditatem & grossitiem ratione constringendi Septentrionis proprietate accepit, nec qui-
dem à consistentia leprosa multùm distat, præterquam quòd ad neruorũ, artuum, & mem-
branarum meditullium penetrauerit, ibiq; locum & sedem suam fixam & profundã teneat:
nam illa materia gypsea est more cinerum, frigore non sine suo sale concreta. At si de ven-
to opposito, videlicet Australi, vel Euro-Australi, vel illo transuersali, videlicet Euro parti-
cipat, eò quidem calidior & infestior fit dolor: sic enim videmus in macrocosmo quòd
tam in plaga Septentrionali lapides Ceraunii procreantur quàm in plagis calidis, siue sint
Meridionales siue Orientales: vnde fit, vt non modo dolores secũ ferant cum inflãmationi-
bus febriũ comitibus, sed etiã accidẽtia quandoq; mortifera, vti Asæ regi Iudæ adueniebar,
2 Chron.16. 12. de quo hæc habet textus: *Ægrotabat Asa dolore pedũ vehementissimo, & mortuus est,* &c. super quẽ
locum

locum Hieronymus sic scribit: *Ideo à podagrico humore à Deo correptus est*, &c. Pariformiter etiam lepra & omnes aliæ eiusdem species vel magis vel minùs ardentes & calidæ, atq; dolorosæ existere solent, iuxta maiorem & validiorem ventorum in eiusdem procreatione cũ vento Boreali, Circio vel Aquilonari coitum & concursum; nec quidem requiritur vt præsentes adsint dictorum ventorum flatus, quoniam seminaria ventorum, tametsi venti illi iam nunc præualent in cœlo, semper tamen in aëre occultè latent, & facilè corpora ad morbos tales vel tales magis idonea ingrediuntur, & effectus suos perficiunt. Hinc facit Hippocrates, quòd *Ver præter alia tempora lepras, impetigines, vitiligines, tubercula, articulorum dolores, &c. producat*, nón propter rationes à Galeno allatas, videlicet, quia hoc tempore profundũ corporis expurgatur de vitiosis humoribus eas expellendo à partibus principalioribus ad cutim, vt ipse ait; nam si hoc esset, sequeretur, quòd tales humores vitiosi multo magis aut citiùs corrumperent partes illas nobiliores, à quibus Galenus prætendit humores excludi quàm illas minùs nobiles & exteriores. Sed quoniam verno tempore venti Septentrionales & Occidentales, præcipuè mense Martii maiorem vt plurimùm dominium habentes humores melancholicos Autumno partes & per totam Hyemem in sanguine mixtos coagulant & condensant, atq; sua frigiditate poros corporis obstruentes naturas suas gelidas in corporis superficie coniungunt cùm salsedine corporis melancholici à centro circumferentiam versus ascendentes, atque ita materia illa secundùm maiorem seu minorem suàm malitiam vel in lepram, vel in impetiginem, vel in scabiem, vel in pruriginem condensatur: nec quidem erat materia illa leprosa priusquam ad superficiem carnis est egressa; sed ibi naturæ duæ contrariæ, videlicet vaporosa, calida & quasi meridionalis, à centro ad circumferentiã & natura frigida & sicca & Borealis, vel si sit abscessus, magis humida & Occidentalis simul concurrentes tertiam quasi meteorologicam procreare solet naturam, videlicet vel lepram, vel aliquam ex ipsius pedissequis & præcursoribus, videlicet Porriginem, Impetiginem, Vitiliginem, Scabiem, Pruritum, &c. Vtcunque res sese habet certissimum est eorum generationis mysterium à ventis procreari cùm iuxta illã Hippocratis regulam, Mutationes temporum in frigore, calore aut humiditatis & siccitatis ventorum potissimùm pariunt morbos. Præterea alibi fatetur, quòd tempus Aquilonium & siccum soleat atras biles quibusdam generare: nec mirum cùm simile à suo simili procreetur.

In Aph. 3.20 *Aphor. 3.1.* *Aph. 3.14.*

Pari etiam respectu vapor ille salsus ex pituita adusta (quæ est vnica melancholiæ species) à frigore externo cum siccitate exire non permittitur, sed à flatu sicco & frigido colligitur, coagulatur & induratur magis circa partes neruosas & membranosas, quoniam flatus talis ipsis natura & conditione est propinquior, ipsasq; licciores & minùs agiles atque torpidas reddit sua præsentia, nisi vel aduentitio calore vel exercitio adiuuentur. Denique non omninò admittunt meteora podagrica suam occultam inficiendi dispositionem, vtpote quæ quandoque obseruantur esse hæreditaria, & à patre ad filium succedentia, non aliter quàm Gehaza dono seu testamento illo seuero, quod Dominus ei & successioni imposuit, hæres plagæ leprosæ perpetuò est factus.

Nec quidem cuipiam videatur mirum, quòd Cancrum cum suis pedissequis sub lepræ ditione numerauimus: nam si Ethnicorum medicorum experientiam ritè considerauimus, haud impropriè id à nobis esse factum intelliget, vtpote qua docentur quòd lepra & scabies melancholici sint affectus solius cutis, quæ si in venis sunt & carne fiunt Cancer nominãtur. Quare certum est, quòd non modo eandem habent ambo materiam, sed etiam sub eodem genere comprehenduntur: Cancer verò non aliter scirrhum & tophos comprehendit quàm maius minora, sunt enim vel ex fæce sanguinis quæ Septentrionem respuit, vel ex pituita glutinosa ex parte Cori, sed magis sunt lenes quàm Cancer, vtpote qui ex atra bile fit, ita vt ipsos omnes ex melancholia diuersarum specierum esse factos cernimus, vt dicit Gal. *in lib. de Tumoribus*: quoniam vt primus gradus lepræ est scabies vel impetigo, quæ desinũt in lepram; ita quidem Tophi, Nodi, & huiusmodi alii tumores Septentrionales minimè contagiosi suæ malitiæ perfectionem habent in Cancro, qui est omnium horum pessimus, & cùm lepra curatu difficilis.

Gal. de tum. p. n. c. 14. & Introd. 15

Pro hæmorrhoidibus autem testantur Galenus & Hippocrates, quòd sint ex atra bile, & consequenter Septentrioni applicantur tam in macro, quàm microcosmo, habent enim à liene suam materiam. Hoc meteori genere vsus est Iehoua pro plaga aduersus rebelles, vnde ait Moyses: *Iehoua percutiet te vlcere Ægypti & hæmorrhoide, & scabie, & prurigine*, &c. Quibus denotat, quòd inter istiusmodi morbos leprosos hæmorrhoides sint annumerandæ. Et *alibi* dicitur: *Propterea ingrauescens manus Iehouæ contra Aschdodæos desolabat eos; percutiebat enim eos hæmorrhoidibus, Aschdodæum & terminos eius*, &c. Quo sermone patet imprimis, quòd Iehoua sit tam hæmorrhoidum quàm lepræ procreator: at ipse, vt dictũ est, per Angelos suos ventosos operatur, vt in destructione castrorum Assyriorũ & Israëlitarum à peste tempore

Aph. 6.11. *Deut. 28.* *1 Sam. 5.6.*

Dauidis apparebat. Deinde quod morbus iste esset quodammodo contagiosus in eo indicatur quia populariter grassabatur & mortalis erat. Sed dicimus quod meteora istiusmodi hæmorrhoidica maiori ex parte per concursum venti alicuius meridionalis accidere solent cum fortiori septentrionali, vnde factum est quod sint fluida & æstuosa, quamuis ex lento & atrabilioso humore, qui acredinis in se satis habet, atque etiam ob istam rationem facile putrescunt, vnde ait textus *capite antea citato, Et percutiebat viros vniuscuiusque vrbis à paruo ad maiorem, & computrescebant prominentes ex talo eorum: viri autem qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium.* Ib. ver. 12.


Epilogus ad membrum hoc primum.

In hoc ergo membro, imperio videlicet septentrionali habetis regna tria lege Biblij sacri descripta atque explicata, illud nempe *Spirituale Humorale & Corporale.* Regni spiritualis principem *Spiritum Congelantem*, illius humoralis humorem instar niuis *Congelatum*; denique illius corporalis corpus *Consolidatum*, & ex humoribus *Fixatum*: quorum regnorum vnum ex alio oriri atque deriuari expressimus, non aliter quam niues ex nube, & glacies ex niuibus.

Quicquid autem de morborum generandorum caussis hoc in loco recensui, more philosophico, fateor esse magis opinione vulgari fundatum quam vt illud rei veritate explicare possim: & si aliquis Galenicorum vel Aristotelicorum dicet, Cur itaque non potius fundamentis medicorum antiquorum, quam illis paginæ sacræ insistis, cum Galeni fundamenta causas morborum aperiant nobis magis lucide? Huic ego sic, Nec Galenus, nec Hippocrates quicquam de morborum causis certum habuerunt, sed in sola opinione versantes causas illas exposuerunt quæ solis sensibus apparebant: de mysticis vero & magis internis rerum causis ne cogitauerunt quidem: atque hæc est ratio quod eorum curandi atque diiudicandi methodus esset tam incerta atq; inconstans. Pro scripturis autem sacris dicimus, quod ipsis sufficeret nobis more arcano publicasse Deum Iehouam mediantibus suis ministris angelicis & ventosis hæc omnia meteora in vtroque mundo produxisse: at quomodo hęc produxit, aut qua ratione ventos, niues, grandines, nubes, tonitura & fulgura atque spiritus turbinis & tempestatis è thesauris suis educere solet, certe arduum imo vero difficillimum erit detegere, nisi Deus homini sapientiam suam concesserit mediante qua hæc omnia elicere queat. Hinc ergo quamuis pagina sacra non ita in vulgari morborum descriptione per causas externas (quæ reuera non sunt nisi effectus) perque signa & prognostica more Galenico apertè progressa sit, non est igitur medicina ex ea hausta & in ipsa inuenta illi Galeni aut Hippocratis postponenda, imò verò multis gradibus ei præferenda, quippe cuius veræ radicis cognitione atque reuelatione omnia subitò quæ ad medicinæ cognitionem requiruntur à Medico tali cognoscuntur atque intelliguntur, cuiusmodi Medicorum secta more Galenico & Hippocratico falli non potest, & consequenter fallere non vult. *Quærite* (ait Christus) *regnum Dei, & cætera adiicientur*, nam verbum Dei omnia potest, omnia sanat. Hanc igitur ob causam sufficiebat scripturas declarasse legem, & effecisse peccatum causam morborum sine qua non, & Iehouam causam efficientem à qua actus mortiferi principaliter procedebant, Angelos verò organa per quæ, seu mediantibus quibus in aëre aperto mouētibus immediatè percutit impios hac vel illa plaga; sufficiebat, inquam, talis consideratio sine vlteriori inquisitione, quid sit Iehouæ percutientis essentia, aut quomodo fecerit Angelos suos ventos, per quos est operatus, aut qua arte aut magisterio meteora sua morbosa in aëre seu spiritu mundano cuderit, aut quibus documentis infallibilibus flagella illiusmodi sint euitanda, aut qua ratione quave diligentia sint exactè præsagienda: sufficiebat, dico, vt vulgo exponatur lex obseruanda, & quòd si ab ipso illa præuaricetur, atque tum postea plaga pro inobedientia affligatur, ita vt medicamentorum vulgarium vires pro eius curatione insufficientes inueniantur, se tandem pœnitentia ductus, votis precibusque ad Deum suum corde sincero conuertat, vt hac ratione omnium certissima commiserescente ipso; quippe misericordiæ pleno, ad sanitatem pristinam restituatur.

Concludimus igitur, quòd nobis in isto nostro tractatu sufficiat numerare morborum species secundùm Angelorum à plagis mundi spirantium proprietates, & recitare ventos & angelos seu spiritus ipsos centraliter mouentes, & operationem Dei Iehouæ catholicam in species quatuor oppositas diuisam, vtpote qui solus est vnicus & idem spiritus à quatuor ventis (vt cum Prophetæ ore loquar) ad suam voluntatem perficiendam veniens. Iuxta istas ergo ipsius proprietates diuinas, morbos (vt videtis) in quatuor imperia, & quodlibet iterum imperium in tria regna distinximus, vt iuxta varia iracundiæ diuinæ genera morbos in aptas suas species diuidere atque distinguere queatis.

LIBRI



LIBRI QVARTI, MEMBRVM SECVNDVM, SIVE IMPERIVM MERIDIONALE IN particulas, seu regna diuisum tria. Et primum de regno siue particula prima, quæ est spiritualis.

CAPVT I.

De tribus huius imperij meridionalis regnis, siue particulis in genere, videlicet spirituali, humorali & corporali.



QVEMADMODVM membrum præcedens siue imperium septentrionis præternaturale in regna diuisimus tria, videlicet spirituale, humorale & corporale, hanc si quidem eandem rationem obseruabimus cum imperio isto meridionali, subiectumque regni ipsius præcipuum cum scripturis aërem siue spiritum vocamus *Corruptum*, illud regni humoralis vocamus *Humorem putridum*, ex aëre siue spiritus corrupti concretione partum; atque vltimum quoddam corpus venenosum & corruptum ex humoris putridi congelatione generatum: nam vt in imperij septentrionalis regno primo aërem clarum congelantem habemus, qui ventorum oppositorum compressione in niues concrescit vel pruinas quasi humorem siccum, ac tandem illæ niues seu pruinæ in grandines vel glacies quasi corpora terrestria coarctantur: ita quidem in primo regno imperij meridionalis aër corruptus in nubes æstuosas vel manifeste ardentes vt in fulgure & tonitru, vel occulte æstuantes & sine fulgure manifesto contractus facit regnum humorale, quod iterum vel in lapidem Ceraunium conuerti cernitur, vbi extrema adest calefactio fulgurea, vel in aquam putridam quæ se habet ad vaporem nubilosum vt aqua siue humor ad terram. Humor ergo imperij septentrionalis est nix vel pruina, imperij occidentalis aqua densa, meridiei vapor nebulosus, siue nebula & nubes, atque orientalis fulgur & coruscatio. Sic ergo videmus, quod in macrocosmo aër corruptus sit consistentia regni spiritualis in imperio meridionali, nubes vel aqua, substantia regni humoralis, & lapis Ceraunius subiectum regni ipsius corporalis.

Pari scilicet respectu in microcosmo res sese habere dignoscitur, vtpote in quo Hepar (quod est sanguinis origo) plagam vel poli Australis effigiem præ se ferens non aliter aëreos sanguinis fluctus per vniuersum corporis imperium emittere solet, in quo sanguine spiritus delitescit aëreus, qui si ab aëre macrocosmi corrupto corrumpatur, corrumpet etiam regnum suum humorale quod est sanguineum, atque illud tandem regnum sanguineum ita corruptum in carbunculos, apostemata, bubones atque vlcerum substantiam coagulabitur: atque hac ratione comparationem illam aptissimam quæ facta est inter regna meridionalia vtriusque mundi, luculentissime, verbis licet paucissimis descriptam habetis.

CAPVT II.

In quo principalis cuiuslibet regni Meridionalis corruptor, suæ corruptionis author, cum suis organis Angelicis describitur.

IN imperio septentrionali ostendimus, antea Deum Iehouam esse summum & supremæ dignitatis Imperatorem, sub cuius imperio angeli trium eiusdem regnorum, videlicet spiritualis, humoralis & corporalis sceptra tenent. Hinc ait Iob, *Ab Arcturo venit frigus*.

Psal. 147. Job 27.9. Job 37 9. Apoc.7.1. Et iterum, *Deus fortis flatu suo edit niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem dispergit, proijcit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?* Atque alibi, *Glaciem Deus fortis edit flatu suo, flante Deo concrescit gelu.* Et alibi agnoscit idem author, quod venti Aquilonares producant frigus. Denique, quod Angelo regali committitur dominium venti septentrionalis testatur Apocalypsis, cuius est mandata diuina flatu suo dispergere per spiritum mundanum, & consequenter per illum microcosmicum, tali tamen lege quod eius actiones nocentes ab angelo altioris dignitatis corrigi atque impediri queant, vti apparet per mandatum angeli illius Dei viuentis sigillum in manu tenentis; qui ab oriente ascendebat, loco eodem citatum.

Simili plane ratione, Deus Iehoua in proprietate huic contraria maledictionis suæ afflatus emittere solet quandoq; à plaga meridionali, quemadmodum pluribus sacrarum literarum locis videre licet, quorum vnum vel alterum in huius rei testimonium producam.

Abak.3.3. Inquit propheta, *Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra, splendor eius vt lux erit, ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors & egredietur Diabolus ante pedes eius,* vel vt alij interpretantur, *anteiuit ipsum pestis & lues vastans in meridie.* In quo prophetæ sermone luculenter apparet, imprimis, quod flante Deo in iracundia sua ab Austro generantur nubes & fulgura, vel saltem nubes æstuosæ & ad putredinem tendentes, in quibus Deus mouere dicitur & vox eius in tonitru audiri, & quod diabolus siue spiritus malignitate & rabie mortifera & pestilentiali plenus aërem hunc corruptum dissipat, dispergit & dirigit per suos asseclas seu subditos ad metam à Deo ad mortem & corruptionem dispositam. Agrippa. Sunt quidem Cabalistarum atque magorum nonnulli, qui dæmonem hunc spiritu seu afflatu Dei irascentis ab Austro ad vindictam animatum *Meririm* vocant, hoc est, dæmonem meridiei spiritum æstuantem & defurientem in meridie, voluntque hunc ipsum esse quem Paulus *ad Ephesios* appellat *principem potestatis aëris huius,* sub cuius imperio sunt dæmones aërei ad imperium meridionale pertinentes, qui maligni sunt atque pestiferi. Sed hoc etiam alio literarum sacrarum testimonio exacte confirmamus. *Ne timeto* (ait Psalmista regius) *à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine vel tenebris peruadente, à lue vastante in meridie,* vel (vt Hieronymus vult) *ab occursu & dæmonio meridiano.* Psal.91.

Quo sermonis filo videre licet imprimis, quod timores seu pauores & morbi tam manifesti quam occulti & quasi in tenebris & inuisibiliter ferientes sint sagittæ seu plagæ Dei: Iob.6.4. in quo sensu etiam hæc Iob. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, &c.* Deinde quod lues & pestis communiter à plaga, seu afflatu Australi veniant: nam dicit textus, *A lue vastante in meridie.* Et quod iam lues sit, quasi dæmonium meridianum arguit Hieronymus in sua translatione, confirmans; prædicta Abakuki verba.

Atque hoc obiter animaduertendum puto, quod vt aër sic à dæmonijs istis pessimis (operante Iehoua in ijs & per eos quasi organa) sit in macrocosmo corruptus & contaminatus, ita quidem ille inficit per ipsius continuitatem non modo aërem in terra conclusum, verum etiam illum in corpore animalium & præcipue hominis, imo quidem huiusmodi dæmones inferioris generis & in locis subterraneis degentes cognoscuntur à quibusdam pestes & contagiones misisse inter homines, vt testatur philosophica Margarita, cuius hæc sunt verba, Marg. philosoph. lib. 9. c.7. *Pestis terræ motum nonnunquam comitatur, quia spiritus hi inclusi si venenosi fuerint exeuntes aërem corrumpunt & inficiunt, ex quo pestilentiam particularem saltem in locis vbi hæc accidunt sequi necesse est. Fortassis illius ecclesia meminit in benedictione salis & aquæ cum dicit, Non sit ibi spiritus pestilens aut aura corrumpens. nam potestates tenebrarum his spiritibus multoties vtuntur, aut vt homines lædant in corpore, aut sensus alienent; & visionibus decipiant. Ab his nonnunquam oculi & vultus eorum qui subterraneas specus aut antra ingrediuntur, immutantur, maxime autem eorum qui à dæmonibus responsa accipiunt.* Hæc ille. Quam horrendam produxerint istiusmodi spiritus pestem per istiusmodi spirituum in quodam terræ motu, ex capitalibus terræ eruptionem testantur non modo Græcorum gesta, verum etiam Venetorum Chronicon. Sunt etiam & spiritus istiusmodi corrupti circa stagna & aquas versantes, qui suo halitu & spiritu aërem circumambientem corrumpunt & inquinant, cuiusmodi est aër Scanderonæ non multum ab Alexandria distantis.

Concludimus igitur, quod ista sit ratio, cur in nostra de sanitatis propugnaculo descriptione spiritus seu dæmones nocentes principales fecimus atq; delineauimus supra animalia plagæ mundi in suis proprietatibus conuenientia; *Meririm* videlicet super Regulum siue basiliscum cum septicis & venenatis animalibus, cuiusmodi sunt scorpiones, viperæ, &c. vndique stipatum à meridie pestem & venenum indicans. *Dæmonium septentrionale* super Salamandram cum araneis & alijs animalibus veneno deleterio plenis: *Samael* dæmonium orientale super dypsacum siue serpentem siti intolerabili vulneratum afficientem: *dæmonium occidentale* super cetum cum suis similibus.

CAPVT

CAPVT III.

De aëre corrupto, siue regno Meridiei spirituali, & quibus scripturarum testimoniis verificatur.

DE aëre corrupto mentionem faciunt scripturæ sacræ in pluribus locis, verbi gratia in vno loco dicunt in persona Iehouæ, *Percutiam te aere corrupto ac rubigine, &c.* In alio loco sic. *Si aër corruptus fuerit in terra tua orabis in domo ista, &c.* Quomodo autem, vel qua ratione aër corrumpitur, explicatur diligenter intuentibus *caput præcedens*, videlicet, quod sit à maledictione diuina: qua autem ratione illa maledictio operetur in aëre, & quibus instrumentis, ibidem etiam ostenditur; quod scilicet Iehoua in iracunda sua proprietate, in ignea sua natura à meridie properans nuntium suum, dæmonium nempe meridianum, vt Abakuc vult, vel diabolum cum flagellis suis peste & lue, vt prophetæ regio placet, quarum pernicioso & venenoso igne, aëri præternaturaliter humido permixto dispositio corrupta in medio mundi spirituali procreatur: nam malignus & malitiosus calor igneus in humidum aqueum (quod igni summo gradu opponitur) assidue pugnans, si maius habuerit calidum in humidum dominium, aderit corruptio cum maximo infecti seu percussi ardore & igneo incendio humiditati putridæ permixto, sed minor erit humidi, & maior calidi portio, in quo statu febris pestilentialis siue peste correptus habebit scabrosam & nigricantem linguã, vlcera sicca, carbones nigricantes & admodũ adustos, cum valida sit inflammatione prædita: at si maior fuerit materiæ humidæ maligniter dispositæ portio, minor vero caloris venenositer agentis; tunc quidẽ lingua erit humida & alia signa manifeste sicca aberint, nec tanta siccitate & siti afficietur ægrotus in ista specie ac in alia, sed erit quasi stupidus & morbi illius insensibilis, ita vt seipsum bene se habere existimans, intra paucas horas vitam eum expirasse obseruauimus. In priori statu præualent spiritus ignei in aëris corruptione, nec quidem existit aër adeo humidus; in posteriori spiritus aquei potestatem habentes eorum insultus supprimunt. In vtriusque speciei commixtione fit contrariorum pugna & inimicitiæ effectus cuius naturalem spiritus mundani dispositionem mutat à bono & pacifico in malum & litigiosum & putredinosum, ideoque vel cum malitia pestilentiali & contagiosa, vel sine inquinatione epidemica & populariter grassante: atque genere hoc posteriori calor tametsi igneus aërem humidum & Australem alteret in peius, tamen non est iste calor ita septicus nec tanta malignitate spirituali imbutus vt mediante & agente eo aër sit more tam venenoso corruptus vt aliquis eo infectus quempiam ad distans corrumpat & inficiat. Modum autem quo aër macrocosmicus soleat corrumpere illum microcosmi in pluribus *istius libri & libri præcedentis* locis explicauimus.

Deut. 28. 22.
3. Reg. 8. 37.

Sed hic imprimis vos minime latere velim quod præcipua infectionis ad distans ratio est dominium, & vnius atque agilis spirituum igneorum maleuole à Iehoua è plaga præcipue Australi spirante animatorum actus & velocitas, vtpote quorum est leuiter & velociter penetrare per aëra more fulguris per nubes. Verum enimuero si nimio madore suffocetur & retineatur ille ignis, adeo vt exire nequeat, tunc per contactum inquinare & lædere solet, vti in humore gonorrheæ & sanie vlcerum gallicorum videre licet.

At vero non sequitur, quod omnis aër corruptus aut præternaturaliter dispositus semper aut febre maligna, aut peste, aut istiusmodi plaga contagiosa afficere soleat, cum quandoque tam qualitate sua quam quantitate homini multiformiter nocere infectione nulla euidente præeunte dignoscitur. Hinc ergo maleuole spirante Austro scotomiam, cæcitatem, capitis dolorem, hæmorrhoides fluxus ventris, febres intermittentes, menstruorum profluuia superuenire testantur tam Galenus quam Hippocrates. Sic ergo aërem corruptum in suas species succincte diuisimus.

Aër corruptus est vel:
- Contagiosus, & pestilentialis.
- Non contagiosus, qui afficit vel:
  - Qualitatis malignitate.
  - Quantitatis mole.

CAPVT

Capvt IV.

Quomodo aër corruptus varias tam in ſpiritu, ſiue animo humano ſolo, quam in corpore, per ſpiritum impreſſiones præternaturales parere ſoleat.

- Aër macrocoſmi corruptus procreare ſolet meteora morboſa, vel in humano
  - Spiritu ſolo; cuiuſmodi ſunt
    - Animi mollities, ſub qua
      - Mœror.
      - Gemitus cum fletu.
      - Animi
        - Contribulatio ſeu turbatio.
        - Tabes.
        - Fractio.
        - Dolor.
      - Pauor nocturnus.
    - Amentia & delirium.
    - Somnia terribilia.
  - Spiritu & corpore ſimul, qualia ſunt
    - Cæcitas & Scotomia.
    - Peſtis.
    - Hypochondriacus flatus.
    - Colica ſeu iliaca paſſio.
    - Febris flatuoſa.
    - Intemperies ſicca.
    - Putredo.

AEr quidem mactocoſmicus miniſtris Dei Iehouæ ab Auſtro in ſeueritate ſpirantis corruptus & in diſpoſitionem putridam mutatus ideo ſolet ſpiritum humanum in ſuam mutare naturam, quoniam eſt inter ipſos mutuus propter continuitatem vnius cum alio reſpectus, non aliter quam aqua lutoſa in aquam claram infuſa illam etiam claram & limpidam turbidam & corruptã reddit: ſic etiam aqua admodum ſalſa in aquam inſipidam iniecta totam aquæ maſſam aſſolet efficere ſalſam. Hinc ergo non videbitur mirum, ſi ſpiritus humanus vtcunque in ſe ſalubris per eius contactum & mixtionem cum aëre corrupto corruptionis & putredinis maculis commaculetur atque inquinetur, niſi à boni angeli præcautionibus (Deo commiſereſcente) defendatur.

Hic autem aër macrocoſmicus ita à maleuolo meridiei afflatu inquinatus vel in peius alteratus (ſic volente Deo) inficit vel ſolum ſpiritum microcoſmicum, vel cum ſpiritum tum corpus ſimul. Atque infectio ſolius ſpiritus dicitur morbus, ſeu meteoron morboſum Animi, quod in duas diuiſimus ſpecies, videlicet in Animi mollitiem, vel ipſius dementiam ſiue amentiam, quam etiam delirium quandoque vocant medici.

Animi mollitiem à proprietate ſpiritus Dei iraſcentis Auſtralis deriuari putamus, vtpote qui ventus ab Iſidoro & Conſtantino dicitur mollis, quoniam mollefacit, nam quatenus eſt calidus & humidus eatenus humectando aperit & dilatat, poros tã ſpirituales quam corporales, nam quicquid conſtrinxit, coagulauit & indurauit Boreas ſuo amplexu, Auſter diſſoluit & laxat ſuo halitu: hocq; intelligendum eſt tam in ſpiritualibus, quam in corporalibus, nam *cum omnia corporalia & viſibilia fuerint ex ſpiritualibus & inuiſibilibus* prius; vt teſtatur D. Paulus, qualiter ſe habent corporalia taliter & ſpiritualia, cum quod facit tale, ſit magis tale. Regnum ergo quodlibet cuiuslibet imperij ventoſi ſpirituale agit particulariter in ſpiritus, non aliter quam humorale in humores, & corporale in corpora: at humorale eſt nihil aliud præter ſpirituale conſtrictum, vt corporale nihil præter humorale coagulatum, vnde in horum trium centro actor eſt Deus per organa ventoſa: quare ſequitur; quod ſpiritus Auſtralis cum ſit mollis mollefaciat ſpiritus Boreales & alios non aliter quam humor Auſtralis diſſoluit humores Boreales in aquas & occidentales in vapores, &c. Atque hæc quidem ventorum oppoſitio à proprietate Dei varia prouenit; teſte pagina ſacra: nam
Psal.147.a.16. *flante Deo niues emittuntur ſicut lana, & pruinæ quaſi cineres diſperguntur, deijcitur gelu tanquam fruſta, coram frigore eius quis conſiſtat? &c.* Quo ſermonis filo flatus diuini ab Aquilone proprietatem deſignat textus; tum poſtea ſic pergit in deſcriptione proprietatis ei oppoſitæ in his, *Emittit*

mittit verbum suum & liquefacit ista. simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ: per quod ventum Aquiloni seu Boreæ oppositum intendit. Quibus sat liquido declaratur, quod ventus iste ideo mollefacit spiritum ab Aquilone induratum, quoniam mollefacit & liquefacit eius effectus cum humorales tum corporales. Non est ergo mirum si ex proprietate istius venti male dispositi esse spiritum siue animum humanum reddere laxum & mollẽ audacter dicamus & asseueremus, eum in suspiria, lachrymas, gemitus, & illiusmodi alias passiones dissoluendo. Atq; hæc est ratio quod sub animi & spiritus mollitie Mœrorem, Gemitum cum fletu & suspiriis, animi tribulationem seu conturbationem, eiusdem tabem, dolorem & fractionem, ac præcipue pauorem nocturnum cum similibus concluserimus.

De spiritus mollitie sic ait textus sacer. *Deus emollit cor meum & omnipotens conturbauit me:* *Iob. 23. 16.* ac si dixisset vir patiens, Spiritus meus afflatu Dei Australi, seu proprietate eius tali dissipatur & in me flaccescit, liquescit & defluit, nec sibi constat, quare contristatum atq; perturbatum est in me cor meum. Hic autem obiter notandum, quod non sit necesse ventũ hunc vel illum actualiter flare dum passiones istiusmodi obueniant homini, sed sciendum est quod spiritus Dei tacite & occulte quando & vbi vult per hasce proprietates operari soleat tam in creatura mixta quam extra eam, quoniam cuiuslibet venti seminaria cum angelis qui ea gubernant occulte volant vbique in aere, & ad voluntatem sui creatoris perpetuo obeundam parata sunt.

Ad primum autem mollitiei animi membrum, videlicet Mœrorem quod attinet, notandum est quod hoc in loco differentiam facimus inter Tristitiam (quam passionem Cardinalem in regno imperij septentrionalis spirituali posuimus) & eum: nam Tristitiam ex spiritu magis sicco, frigido & fixo, & consequenter Boreali statuimus, Mœrorem vero humore, luctu, lachrymis & dolore, siue vexatione atq; perturbatione magis esse mixtũ affirmamus: nam calor dolorem spiritualem gignit, & sensum auget vt humor vaporosus grauitatem & pigritiem. At vero Tristitia est cum stupida & magis insensibili præsentia. Verum eminuero sciendũ est quod vt in macrocosmo Auster nubes non produceret nisi frigida Aquilonis seminaria ei in campo aereo occurrerent, ita nec aderit mœror nisi ipsi aduenịat flatus Aquilonis tristis, qui cum ipso spiritu mæsto permiscetur: sed præualet humiditas grauis Australis, quare lachrymis, suspiriis & gemitu fit. Nec è regione potest Tristitia fieri in regno Aquilonis spirituali nisi etiam concurreret Australis flatus, sed Aquilonaris siccitas præualet. Hinc ergo fit, quod ambo accidunt cum obscuritate quadam tenebrosa & tristi atque spirituali, non aliter quam nubes caliginosas ex horum ventorum concursu in aere macrocosmo conflari cernimus.

De istiusmodi ergo mœrore intelligit Psaltes in his, *Indignatio & Mœror facit vitam deficere, & gemitus annos meos. Oppreßiones meæ dilatant se, ab angustiis meis deduc me.* Hic declarat *Psal. 30. 11.* *Psal. 25. 17.* passionem in spiritu solo mœstam. At vero quod ista passio afficiat etiam ipsum corpus mediata afflictione spiritus sic arguit. *Debilitatus & attritus sum perualde, rugio præ fremitu animi* *Psal. 38. 4.* *mei, suspirium meum à te non est absconditum, cor meum palpitat, derelinquit me virtus mea & lux oculorum meorum.* Quo sermone indicare videtur Dauid, qualem in corpore suo inuenit perturbationem & debilitatem, cordis palpitationem, deliquium animi, atque cæcitatem siue oculorum caliginem: quæ omnia sunt symptomata flatus illius hypochondriaci, qui cum æstu & ardore Australi & quasi vapore viscerum & præcipue hepatis æstuoso fit, qui vapor est maiori ex parte de natura flatus seu spiritus meridionalis: quemadmodum ventus ille siccus & frigidus Borealis est flatus hypochondriaci illius subiectum, qui absq; calore fieri assolet euidenti. Vtcunque autem res se habet, affirmamus vtramque flatus hypochondriaci speciem participare de vtrisq; his ventis oppositis; nam eorum occultum inter se in aere humano bellum est in causa tantæ perturbationis & afflictionis, agitationis & fractionis animi imprimis, & tum postea ipsius corporis. Hinc ergo haud inepte Psalmista alibi. *Fractio animi afficit ægritudine.* Et Sapiens ait, *Dolore animi spiritus frangitur, &c.* *Psal. 69. 21.*

Sed differt ista in spiritu perturbatio secundum maiorem vel minorem ventorum il- *Prou. 15.* lorum in dicto spiritu prædominationem: nam vbi spiritus Borealis præualet ibi spiritus est magis siccus & frigidus, & consequenter fixus & non ita ęstuosus, quemadmodum in melancholicis à fœce sanguinis & humore acido videre potestis in quibus oculi sunt magis fixi atq; à terra proni, vel à loco certo non facile mobiles. At verò è regione, vbi vapor est magis meridionalis & æstuosus ibi adest maor inquietudo & corporis dolor atq; vexatio cum suspiriis, gemitibus & luctu cum lachrymis: & tunc passio hypochondriaca erit cum magno æstu atq; pauore haud dissimili, & quandoque cum caligine oculorum. Quod etiam cum Galenus, tum Hippocrates agnoscere videntur. Ambę autem species cum obscuritate & caligine fiunt, quoniam ex concursu duorum istorum ventorum nubes densæ procreari so- *Aph. 3. 5.*

 lent,

lent, quarum aliæ sunt niuales vel grandinosæ, vbi scilicet Boreas prædominium habet, aliæ sunt pluuiosæ vel turbinosæ & fulgurosæ vbi Auster præualet. Hæc est ergo ratio, quod ipsæ quæ matricis suffocatione afficiuntur quandoque rident & passionibus siccis afficiuntur; nonnunquam gemunt, suspiria emittunt, & lachrymas inuoluntarias copiose effundunt. Illa ergo passio magis ex parte Boreali est, hæc de Australi participat. His igitur præintellectis sic pergimus cum Gemitus descriptione. Inquit Iob. *Facies mea lutulenta effecta est præfletu; denique palpebris meis adest vmbra lethalis.* Pro animi tribulatione hæc ipse, *Loquor in tribulatione spiritus & confabulor in amaritudine animæ meæ.* Et alibi, *Non concedet quiescere spiritum meum* Porro quod plaga in Iobi spiritu fuit à vento tempestuoso, vel quasi à vento turbinoso sic indicat. *In turbine conteret me & multiplicabit vulnera mea, & non concedet quiescere spiritum meum.* Tum postea pauorem sic describit. *Dabit tibi Iehoua cor pauidum seu trepidum, hebetationem oculorum & mœstitiam animi, eritq́ vita tua suspensa è regione, pauebisque noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua.* Præterea quod pauor tam à meridie, quam à septentrione ortum suum habeat, hisce videtur Dauid agnoscere. *Ne timeto à pauore nocturno, à peste in caligine inuadente, à lue vastante in meridie, vel à dæmonio meridiano.* Quibus colligere possumus, quod pauor, pestis & lues sunt plerumque ex parte meridiei.

Iob.7.11. Iob.9.22. Iob.Ibid. Deut.28.65

Iob. 32. Denique amentiam, siue dementiam sic explicat pagina sacra *Iehoua facit vt consulti deueniant in dementiam, & iudices stultos reddit. Qui amouet animum primoribus terræ, qui facit vt errent tanquam ebrij, palpent in tenebris deficiente luce, &c.* Quo sermone indicat, quod Deus quando vult in molli sua proprietate possit relaxare spiritum hominis, & nebulas obscuritatis in eo condere, ita vt tenebræ eis sint loco lucis, & imaginationes vanæ loco rationis: sic enim percussi fuerunt Sodomitæ atque etiam Assyrij scotomia & caligine oculorum, ita vt caligine insaniosa & erronea ducti à veritate seducti sint sic volente Angelo & Propheta
Deut.28.28 Dei, idque mediante Dei placito. Vnde alibi in hæc Moyses. *Percutiet te Iehoua amentia & cæcitate & stupore cordis, adeo vt palpes in meridie vt cæcus palpat in caligine, neque prosper eris in viis tuis.* Concludimus etiam, quod quandoq; amentia & furor spiritum peste contaminatum vehementer inficiens vniuersum etiam corpus non modo corrumpit, sed etiam ipsum more furibundo & irrationali huc atque illuc ducit, quemadmodum experientia communis testatur. Atque hoc est euidens in peste, vel febre pestilentiali signum quod spiritus hominis aereus corrumpatur, & simul in rationis spiritum inuadat, eumque suo toxico commaculet, atque talis in spiritu rationali violentia vocatur à medicis Delirium & quandoque phrenitis & furor, &c.

CAPVT V.

De corporis afflictionibus à spiritu humano Australiter afflicto prouenientibus.


CORrupto spiritu facillime corrumpi assolet corpus mediante spiritu, nam vt naturalis corporis viuacitas & actus à spiritu agili, & salubri commode perficitur, ita quidem necesse est, quod corrupto spiritu corpus etiam (quod mediante eo à corruptione & alteratione præseruari solet) alteretur & putredine conteratur, quoniam vt anima cum suo spiritu existens in toto & qualibet parte est in causa vitæ & existentiæ corporis humani, ita corrupto & venenoso halitu contaminato spiritu aereo, qui est animæ vehiculum, necesse habemus credere quod corpus immutabile vel haud alterabile existere non possit. Hinc igitur ortum est illud tritum inter medicos axioma, quod *passiones corporis sequuntur illas animi, vt & viceuersa ægrotante corpore, spiritus etiam solet ægrotare.*

His igitur consideratis, facillimum est obseruare, quod quam plurimi corporis morbi spiritus humani corruptionem sequi possunt: & in primis inter omnes illos morbos contagiosos qui incipiunt in spiritu & desinunt in corpore existimamus pestem siue pestilentiam esse principalem & quasi inter meteora contagiosa cardinalem, vtpote sub cuius imperio non aliter quam aer, aqua & terra obedientiam præbere videntur igni, cæteri morbi contagiosi siue sint constitutionis spiritualis, vt sunt vapores variolarum, morbillorum, febrium pestilentium & phthisis, siue humoralis, cuiusmodi sunt gonorrhæa, scabies & vlcera Gallica atq; pustulæ pestilentiales & variolosæ; seu denique corporalis vt carbunculus & bubo, hæc (inquam) omnia meteora contagiosa à spiritu pestifero seu contagioso initium suum ducunt, non aliter quam aerem siue spiritum in macrocosmo corruptum in nubem, & iterum

rum nubem in pluuias putridas, atque illas iterum in putrida animalia vtputa ranas, muscas, & similia commutari cernimus, sic etiam spiritus ignitos in coruscationes, & coruscationes in solidos cometas conuerti animaduertimus, quę suo halitu non aliter cælum & terram venenoso quodam more corrumpunt, quam ipsa pestis (quæ ab eodem halitu incrementum suum habet) cum spiritum humanum tum corpus male afficere denotatur. Infecto igitur spiritu concrescit in humorem putridum, qui iterum humor corruptus in corpus quoddam putridum migrare dignoscitur: non aliter quidem quam spiritus chilosus in sanguinis subiectum, hoc est in humorem, & iterum humor sanguineus in carnes appositione, assimilatione & vnione via naturali progrediendo condensari solet; sic spiritus humanus in naturam pestiferam mutatus in humoralem naturam transformatur, vel saltem se abscondit, ac tandem illam in vlcera, apostemataque mutat.

Pro origine autem pestilentiæ, seu halitus pestiferi, certum est illius radicem esse à Iehoua irascente in meridionali proprietate. At quod Iehoua vtatur immediate in isto negotio organis suis angelicis testatur historia Iob, qui dixit, *Sagittæ Domini in me sunt, quarum in-* Iob. 6. 4.
dignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Et tamen erat Satan, qui percussit eum: hoc etiam fassus est Satan, dicens ad Deum, *Extende manum tuam & tange* Iob. 1. 11.
cuncta quæ possidet; & alibi, *Mitte manum tuam & tange os eius & carnem eius, & tunc videbis quod* Iob. 11. 3.
maledicet tibi. Hæc dixit percussor: quibus arguebat, quod esset non ipse qui affligeret Iobum, sed Deus per ipsum & mediante ipso: sic etiam Deus per angelum (etiam intuente rege Dauide) percussit Israelitas peste, Et *alibi, Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consum-* Deut. 28. 20
pserit te. Quod autem cæcitas & caligo oculorum quandoque pestem concomitetur testatur in hisce Iob, *Facies mea lutulenta præ fletu, deniq; palpebris meis adhæret vmbra lethalis.* Iob. 16. 16.


Præterea quod flatus hypochondriacus sit vnus ex pedisequis in his denotat, *Eleuasti me ad ventum, ei imponis me & efficis vt defluam substantia.* Quibus arguit vehementem illam ex- Iob. 30. 17.
tensionem quam passus est à flatu, atque liquefactiuam illam venti meridionalis dispositionem. Porro etiam Colicam passionem vehementem atque Iliacam periculosam arguere videtur historia Antiochi, de quo dictum est, *Dominus Deus Israelis percussit eum insanabili &* 2. Machab.
inuisibili plaga, etenim apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta. Si- 9. 5.
militer putrida istius venti, seu aeris corrupti natura spiritum humanum inficiens in pluribus textus sacri locis exprimitur: nam ait Iob, *Induta est caro mea putredine & sordibus pulueris,* Iob. 7. 5.
cutis mea aruit & contracta est. Porro etiam alibi agnoscens putridam morbi sui dispositio- Iob. 17. 14.
nem sic ait. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermis.* Et *alibi, Spiritus* Iob. 16. 23.
meus corruptus est, dies mei extinguuntur, sepulchra adsunt mihi. Deniq; extremam suam intemperiem æstuosam pluribus in locis fatetur. Sed de hisce alibi abundantius.



DE REGNO, SEV PARTICVLA IMPERII AVSTRALIS SECVNDA, QVOD EST HVMORALE.

CAPVT I.

De morbis humoralibus ex parte Australi in genere, & quomodo ex spiritu corrupto tam contagioso, quam non contagioso exurgant.




AER corruptus fit vel cum contagione pestifera, vel sine ea, vt antea dictum est. Porro vt ipse aer ex oppositorum ventorum flatu cernitur in massam vel nebulosam vel nubilosam coagulari, ita quidem aer ab Austro corruptus, vel spiritus humanus in peius mutatus facillime transire videtur vel in vaporem catarrhosum & nebulosum, vel nubem obscuram, vel illius nubis in cerebro condensatione in humorem quandoque tenuem, & nonnunquam viscosum & crassum, vbi congelans venti Borealis virtus est potens. Atque hoc accidere potest tam vbi ignis in aere delitescens non est venenosus nimis nec more pestifero contagiosus vel malignus, quam vbi illa corrumpendi & putrescendi virtus est venenosa & contagiosa. Nam vos intelligere velim, quod vt præternaturalis venti Australis virtus in calido & humido non naturalibus consistit, hoc est in calore igneo & humore aqueo, quæ minime conueniunt, ita quidem si vis illa ignea à constellatione venenata gubernetur (vtpote illa Martis, quæ cum male disponitur ipse in cælo, est taliter à malo Angelo Samaele, cum suis subditis igneis gubernatus, & se habet vt Iupiter cum bono suo Angelo & angelis sibi subditis, vitarum amicis, à Samaele in cælo regnante oppressus) cometas ignitos, tonitrua & coruscationes malignas generabit, quarum halitu aer in venenum facillime conuertetur, qui tum postea à spiritu humano per nares in cerebrum, per asperam arteriam in pulmones & pectus, per poros in vniuersa corporis membra, & denique per alimentum in ventriculum, in intestina & venas, & consequenter in totam corporis machinam attrahitur, ita vt nisi Deus quorundam commiserescens ipsos suis bonis angelis defenderet, impossibile foret, quin quod istiusmodi contagio foret vniuersalis. Hoc ergo modo spiritus humani, & humores qui ex spirituum coagulatione fiunt, & solida quæ ex humoribus aggregatis componuntur facillime corruptioni subiici animaduertuntur. Hic autem de humoribus præternaturaliter à corrupto spiritu infectis, verba iactabo perpauca.

CAPVT

CAPVT II.

In quo de binis speciebus meteororum humoralium, tam contagiosorum, quam non contagiosorum agitur: & exactè etiam probatur, Deum varia meteora morbosa afflatu diuerso producere.



AErem hoc in loco corruptum intelligimus pro illo, qui mutatur de statu suo salubri & naturali in conditionem præternaturalem & morbosam, eius vero membrum contagiosum pro illa aeris corrupti specie intendimus, de qua mentionem faciunt Scripturæ locis antea à nobis citatis, Deuter. 28.22. & 3. *Reg.* 8.37. videlicet pro pestifero & contagioso.

Atque huius speciei facile principem posuimus Pestem seu Pestilentiam, qua vsus est Iehoua pro communi & populari sua plaga siue flagello in permultis dictarum scripturarum locis, eamque ideo morbum Australis quartæ cardinalem ideo statuimus, quoniam est proles natu maior & primogenita ipsius Aeris Corrupti: ita vt Iehoua in iracundia sua à meridie spirat, angelumque percutientem in illa quarta regnantem inspirat sua maledictione, qui suo venenoso flatu vndique mediantibus suis spiritibus emissoriis contaminat & corrumpit aera: atque hic ignis venenosus & maledictus à prauis istis spiritibus in aerem efflatus est præcipuus, aeris de bono in malum alterationem agens,

vti in *tractatu sequenti* (vbi de morborum causis aperte loquemur) explicabimus. Hic ergo aer ex maligno tali igni & aqua vaporosa seu meridionali ita compactus est nihil quidem aliud quam ipsa pestis: quare haud inepte sub ipsa omnes alias species contagiosas de aere huiusmodi corrupto dependentes comprehendimus, videlicet Variolas, quæ nihil sunt aliud, quam istiusmodi aer magis humidus in humorem putridum coagulatus: & morbillos, qui ex aere non ita madido, sed igneo magis & salso.

2.Chron. 21.15. De istiusmodi etiam alui fluxus specie intelligi potest textus iste: *Tu agitaberis morbo intestinorum tuorum per duos annos continuos, donec intestina tua exeant præ morbo illo.* Nam etsi dysenteria cito quandoque interficit, ramen præeunte lienteria diu continuare potest: sed propter istius morbi antea præallegati effectum (quo corruptio & putredo intestinorum arguitur) denotare videtur dysenteriam. Quod autem iste morbus sit vnus ex illis qui populariter grassari solent, & contagionem vt plurimum secum ferat, fatentur Galenus & Hippocrates, & omnes medicinæ periti experientia docentur.

Præterea Gonorrhææ immunditiem & malitiam cum putredinis ipsius malignitate sermone pleno describit *Leuit.15.* vbi per totum illud, *& cap.22.4.* de scabie & plora saniosis. *Leuit.21.a.20.*

Psal.22.15. Tabem sic optime describit Dauid, *Sicut aqua effundor & disparant se omnia ossa mea, est cor meum simile ceræ, liquefit in visceribus meis. Arescit vt testa vis mea, & lingua mea adhæret faucibus meis, &c.*

Porro etiam quod Phthisis sit vnica ex morbis contagiosis species confirmant medici.
1.Sam.5. Fecerunt etiam Biblia sacra hæmorrhoides morbum popularem, quippe quo vna vice percussit Iehoua mortaliter maiorem partem Hekronitarum, ita vt dictus erat iste morbus *vexatio lethalis in tota illa ciuitate*, vt antea à nobis est explicatum.

Deut.28. Denique de his omnibus morbis contagiosis, mentionem facit Moyses in his, *Percutiet te Iehoua aere corrupto, & faciet vt adhæreat tibi pestis: percutiet te tabe calida & æstuante & vlcere Ægypti, & hæmorrhoidibus, & scabie & prurigine, quibus non poteris sanari.* Atque hi morbi, seu meteora contagiosa maledictiones & vexationes vocat Antistes ille eodem in capite.

Ad meteora autem non contagiosa quod spectat, quæ de putredine participant. De febribus putridis ardentibus legimus in multis Biblii sacri locis, videlicet *Deut.28.21. Iob.30.17. Leuit.26.16. Iob.20.23. & 19.20. Psal.32.4. & Matth.21.14. & 8.14.* De Pestilentiali *Iob.6.4.* Pro vlceribus vide *Exod.28.27. & ibid.35. & Deut.28.27. &c.*

At vero quæ sine euidenti putredine lædunt, vt plurimum vel tendunt ad Scotomiam, de qua Scriptura more diuerso locis præallegatis, quæ est quasi princeps multos sub se morbos comprehendens, cuiusmodi sunt Vertigo & Epilepsia, quam textus vocat morbum Lunaticum, vt ante explicauimus & capitis grauedo, distillatio, vel dolor, cuius meminit textus sacer *2.Reg.4.19.* Vel pertinent ad defluxionem, sub qua Rheuma, seu destillatio cum pluribus accidentibus ei pertinentibus, atque etiam fluor muliebris, de quo *Leuit.15.a.19. & Matth.19.20. & Luc.8.43.*

Concludimus ergo, quod tametsi multos ex istis iam numeratis morbis sub regnis septentrionalibus conclusimus, tamen sciendum est cum diligentia quod meteora istiusmodi morbosa, siue ex parte septentrionali, siue ex illa meridionali componantur, ex spiritu mundano ventorum istorum oppositorum concursu constrictorum, siue ista compositio sit in spirituali, siue humorali, seu denique corporali consistentia. At vero quando vis septentrionis maior præualet in compositione & meteoron est magis siccum, tunc ipsa regnis septentrionalibus dicauimus; si vel illa Australis præualet, & spiritus vel corpus, vel humor sit magis putridus, & fluidus seu saniosus reddatur, tunc ipsa haud iniuria meridiei applicuimus.

Porro etiam quandoque calor in vtrisque meteororum dictorum speciebus augetur propter mixtionem flatuum orientis transuersalium, & nonnunquam spiramine occidentali vel mitigatur Australis calor, vel humectatur septentrionalis siccitas.

Denique tametsi scripturæ vbi loquuntur de istiusmodi morbis meteorologicis mentionem nullam faciunt de ventis istis, tamen pro certo statuminandum est, quod Deus impressiones omnes tam præternaturales, quam naturales frigidas & siccas proprietate sua septentrionali, illas vero calidas & humidas proprietate sua meridionali, tertio calidas & siccas orientali, & frigidas atque humidas occidentali constituerit. At quis hæc negare potest qui omnia ex quatuor elementis & ipsorum complexionibus affici non negabit? Verum cum ipsa elementa quatuor ex quatuor ventis initium suum ducant,

cant, fatendum est quod Deus prius agit mediantibus suis ventis & insttumentis angelicis quam elementis, quoniam substantia angelica est Deo ordine propinquior, quam substantia aliqua naturalis. His igitur recte consideratis, facillimum erit coniecturam facere de quo vento magis participat hæc vel illa res tam naturalis quam præternaturalis: non secus hoc fere idem faciunt medici, qui volunt hanc vel illam complexionem siue salubrem siue morbidam de hoc vel illo elemento participare. Sic ergo Deus dictus est *spirare ab Aquilone & niues, pruinas atque gelu suo afflatu procreare. Coram frigore eius qui consistat?* ait textus. Sic ipse à meridie prouenire aerem pestiferum reddere, mediante suo ministro nocente: sic vtitur ipse vento Euro, quando igneo ardore aerē incendere gestit. *Percussi vos* (inquit Iehoua) *in vento vrente & in aurigine.* Et *alibi*, *Ventus orientalis desiccabit eius fructus.* Atque iterum, *Cum ortus fuisset sol præcepit Dominus vento calido & vrenti, siue vento orientali, & percussit sol super caput Ionæ & æstuabat, & petiit anima sua vt moreretur.* Denique vento quandoq; occidentali vtitur, vnde textus, *Ventum occidentalem vehementem immisit Iehoua, qui sublatas locustas illas defixit in mare algosum.*

Amos. 4. 9.
Ezech 19. 12.
Ionas 4 8.
Exod. 10. 13.

Porro de hoc vento atque eius opposito qui est siccus intendit iste locus, En ita cohibet aquas vt arescant, & emittit eas vt subuertant terram. Quare certum est, si Deus vtatur suis ventis ad corporum imperfecte mixtorum procreationem in mundo, proculdubio illos etiam eligit ad corporum perfecte mixtorum productionem, & consequenter ipse *Elohim Ruach*, qui est imperator spirituum & spiritus summus agit vbiq; in hoc mundo per spiritus eius angelicos, quos organa sibi apta fecit, vt per ipsa omnia in hoc mundo perficeret.



REGNVM,



REGNVM, SIVE PARTICVLA MERIDIONALIVM TERTIA, QVÆ CONTINET METEORA SOLIDA ET TVBEROSA.

CAPVT I.

Quomodo humores Meridionales concreſcant in ſolida corpora, tam in macro, quam microcoſmo.



ODVM & rationem in prædictis, quomodo in genere macrocoſmico ſpiritus in humores, & humores in corpora condenſentur & coagulentur copioſe expoſuimus: nunc vero magis ſpecialiter agemus de humoris putridi ſiue corrupti naturæ Auſtralis in maſſam denſam & duram, idque in microcoſmo tranſmutatione, quoniam natura quidem iſtiuſmodi tranſmutandi formulam, videlicet de re tenui in denſam more exacto denotare videtur, verbi gratia in macrocoſmo ex fumo è terra, aqua, & aere exurgente herbas & virgulta tenera & arbores coagulatione generari videmus, ex quibus tum poſtea fructus cum nucleis & lapillis duris iterum decoctione magis terreſtri procreari cernimus; Pari etiam ratione in homine ſanguinem ex vapore & humore chiloſo, & tum poſtea carnes ex ſanguine, ac denique cartilagines & oſſa ex ſucco carnoſo concreſcere & multiplicari animaduertimus; quod omne fit iuxta leges & ſacramenta naturæ. Pari ſi quidem reſpectu in ordine & ſerie præternaturali ſpiritus vaporoſos in humores catarrhoſos generari, & illos iterum in tumores coagmentari obſeruamus. Sic etiam in regione contagioſa, ſpiritum hominis infectum in humores tales concreſcere, vel ſaltem ipſum bonos corporis humores penetrando, eos inquinando & vitiando, inque ſuam mutando naturam, tandem in ſpecies nodoſas ſeu tumores duros transformare teſtatur experientia; Exempli gratia, in peſte videmus ſpiritum corruptum in ſanguinem putridum & venenoſum transfigurari, atque illum tandem in Anthracem ſiue Carbunculum conuerti. Sic igitur in diſtinctionem redigimus corporea illa meteora, quæ in Imperio Auſtrali à regno humorali dependent.

Meteora corporea, quæ à regno meridiei humorali originem ſuam ſortiuntur, ſunt vel

- Contagioſa, eaque vel
  - Peſtilentialia, & ad diſtans finientia, vt ſunt
    - Carbo & Carbunculus ſiue Anthrax.
    - Vlcera & puſtulæ Ægyptiacæ.
    - Variolæ.
  - Syphilida ſeu Gallica, & ſolo contactu lædentia, vt
    - Pſora ſanioſa.
    - Bubones.
    - Nodi ſeu Tophi.
- Non contagioſa
  - Phlegmone.
  - Parotides.
  - Vlcera putrida, &c.


CAPVT

CAPVT II.

De meteoris huius regni solidis in specie.

NOn est mirum, si meteora solida contagiosa sint tam inficientia, cum ad distans, tum per contactum, quam spiritualia, quoniam vt ipsa ex spiritibus & humoribus sunt concreta, ita quidem transeunt in naturam humoris & vaporis resolutione & putrefactione. Atque hæc est ratio, quod carbunculi seu anthraces in eorum maturitatis tempore, tam subito soleant astantes suo halitu contagioso inficere, vtpote qui resolutione in naturam vaporis meridionalis facile conuertuntur. Galenus per Anthracem Carbonem, & per Carbonem vlcus eschatosum, cui adiungitur multrum partium circumstantium inflamen intelligere videtur, vti *in 6. Aph. 45.* Et *in libro de Atra bile*, ait, *carbonem, siue carbunculum fieri cum humor melancholicus in cutem decumbens simul cum febre exanthemata per cutem crassescentem siccessentemque oriri facit, assatum sanguinem indicans.* Quæ eius sententia à meta hac nostra minime aberrare videtur: nam cum natura Australis madida in calorem intensum & fulgurosum nimia putredine transeat, in crustosam demum materiam absumendo madorem transit, vt in lapidis Ceraunii generatione videre licet: atque ita in dispositionem terrestrem more carbonis & cinerum conuertitur: nam natura Australis consumpto humore paulatim in ignem orientalem, & de igne orientali in terram septentrionalem ratione philosophica mouetur. At si iterum illa terra putrescat, resoluitur iterum in naturam ei oppositam qualis erat prius, videlicet in Australem, transeundo prius per plagam occidentis aqueam; nam res quælibet sicca debet prius esse humida quam ad putrefactionem possit reduci. Sic ergo tumor Anthracis erat ex humore corrupto, humor corruptus paulatim migrat in ardorem fulgureum, videlicet igneam inflammationem, & tandem illud fulgur in lapidem Ceraunium & Carbonem, qui iterum maturatione & humectatione putrescit, & in primam quasi materiam redigitur ex qua fuit primum ortus. *De Atra bile cap. 4.*

Hic vobis explicare operæpretium existimo gradus progressionis cuiuslibet corporis tam imperfecte, quam perfecte mixti, (siue sit secundum siue præter naturam) à radicali sua causa vsque ad metam ordinatam à Deo, atque iterum gradus retrogressionis à termino à quo.



a. Deus actor radicalis
b. Instrumenta angelica, per quæ Deus immediate agit.
c. Venti, qui sunt spiritus angelici, quorum afflatu elementa in ordine quadruplici ex massa mundi vnica spirituali fabricantur.
d. Quatuor Elementa ventorum ex quatuor mundi plagis spirantium flatibus diuinis quotidie in spiritu mundano de nouo creata.

e. Corpora imperfecte mixta siue meteorologica ex spiritu mundano (vel si vultis) ex elementis ventis imperantibus formata. Atque ista sunt tam morbosa, quam salubria, tam præternaturalia quam naturalia, si naturalia, tunc pergunt in motu ad perfectionem materiæ videlicet ad tria regna creaturarum, nempe animalium vegetabilium & mineralium, quorum altissima perfectio est litera h. At vero in resolutione perfecti mixti fit transitus à h. ad g. & à g. ad f. & à f. ad e. & ab e. ad d. quod est in vltima suæ compositionis particula, non aliter quam in generationis progressione viceuersa fit transitus à c. vento ad d. elementum, & à d. in e meteoron: quod si sit præternaturale, non progredietur ad materiei perfectionem, sed corruptione retrogredietur in suum principium siue materiam primam: atque istiusmodi erit meteoron morbosum. Sic carbunculus à vento aerem corrumpente. c. ortus, qui ventus in spiritum humanum more contagioso transit, quasi halitum aereum d. & ille halitus coagulatur in humorem meteorologicum. e. qui coagulatione ad f. quasi suum solidum complementum pertingit, atque ibi quiescente putredine dissoluitur primum in humorem. e. & ille humor resolutione migrat iterum in spiritum. d. quem lethaliter tum postea intoxicat, nisi à fortiori natura vel angelo bono muniatur. Sed ad rem.

De carbunculo, seu anthrace istiusmodi pluribus in locis loquitur pagina diuina,

Deut. 32. a. 23. *Impendam* (ait Iehoua) *in eos mala, sagittas meas consumam in eos, in exhaustos fame & exesos anthrace & lue amarissima.* Sic etiam rex Ezechias lethaliter plaga seu peste affectus, ita vt sine

2. Reg. 20. 7. miraculo euadere non potuisset, mandato prophetæ, sumpsit palatham ficuum & imposuit vlceri ipsius & conualuit: vbi per vlcus intelligitur carbunculus, siue anthrax, seu apostema, vel vlcus ruptum.


Iob. 2. 7. Porro etiam de Iobo dictum est, *Percussit Satan Iobum vlcere pessimo.* At quod iste morbus esset pestilentialis apparet ex eo quod Iob in ægritudine sua esset à suis amicis derelictus, atque etiam morbus eius insignia pestilentiæ indicia secum ferebat.

De vlceribus, pupulis Ægyptiacis loquitur Moyses *Exod. 9. 10.* De vlcere maligno *Deut. 28. a. 25.* atque sic de reliquis.

At iam ad membrum, siue imperium orientale saltu leui me conferam, atque in hunc modum progrediar.



LIBRI



LIBRI QVARTI MEMBRVM, SIVE IMPERIVM ORIENTALE, ET PRIMVM DE IPSIVS REGNO, SIVE PARTICVLA SPIRITVALI.

CAPVT I.

Quomodo Deus irascens in proprietate sua Orientali spiritum macrocosmicum afflatu præternaturali igneo inficere soleat.



VT variam in cæteris ventis cardinalibus proprietatem *in duobus membris superioribus* explicatam habetis, ita quidem in membro isto tertio, seu imperio orientali proprietatem ipsius tertiam declinare aggrediar: nam obiter vos considerare moneo, quod nisi Deus proprietate varia & opposita plane in isto mundo egisset, nulla foret in eo diuersitas, aut contrarietas, & consequenter omnia vnum & vnum omnia sine distinctione existerent: tunc sequeretur, quod nulla inueniretur inter elementa vel elementata varietas aut contradictoria oppugnantia, quoniam nec elementa essent, & per consequens nec elementatum aliquod. Hinc ergo est, quod Deus Iehoua qui in se est vnus, immobilis, permanens & indiuisus in personas imprimis nihilominus tres, proprietate licet non essentia differentes, & tum postea in quatuor, iuxta ventorum numerum distinxerit, quorum infinitis mixtionibus species seu formæ infinitæ cum in mundo meteorologico tum regnis tribus compositis procreati cernuntur. Hinc ergo litis & amicitiæ, Sympathiæ (inquam) & Antipathiæ origo in hoc mundo & tamen Deus vnus & idem omnia operari cognoscitur in omnibus, iuxta Apostoli sententiam, *Vnus spiritus sapientiæ sanctus*, teste Salomone, qui licet *in se simplex, est tamen* respectu suarum proprietatum *multiplex. Vnus & idem spiritus à quatuor ventis veniens*, vt ait Propheta Ezechiel, à quo vita & actus omnibus inspiratur, Vnus (dico) Deus mediantibus spiritibus ventosis viuificat omnia. Denique *ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia.* Nec tamen vtitur ipse Iehoua istis ventis angelicis, nisi loco organorum per quæ agit, quorum princeps est Iesus Christus, siue æterna sapientia, vtpote per quem omnia facit in cœlis & in terris: nam est *vnicus Deus pater* (teste D. Paulo) *ex quo omnia & vnum, Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Atque hic est ille spiritus in essentia diuina vnicus, qui per varios suos ministros ventosos varieformiter spirat in mundo *quoniam fecit* (teste Psalmista) *Angelos suos ventos, & ministros suos ignes vrentes, qui ad principis sui æterni voluntatem exacte obsequendam semper sunt parati.*

1. Cor. 12.
Sap. 7.
Ezech. 38.
1. Tit. 6.
Rom. 11.

Hinc igitur haud incõsulte à scripturis dicitur Iehoua flare ab hoc vel illo mũdi cardine. Hinc vocat Iob ventos *flatus Dei*, Moyses, *flatus narium Iehouæ*, Dauid, *spiritus è naribus Iehouæ*. Et *alibi. Ventum suum efflat Deus emittens verbum suum.* Et *alibi. Flatu suo flauisti, & operuit eos mare.* Et iterum, *Flante Deo concrescit gelu.* Quibus bene à vobis ponderatis, ad tertiam Dei proprietatem quam per ventum orientalem mundo manifestauit accedam, quæ est ignea & coruscans virtus, ratione cuius vocatur Deus *ignis consumens* in pluribus textus diuini locis. Et Propheta ait, quod *ira Iehouæ sit vt ignis consumens*. Imo vero *ignis* dictus est *egredi siue emitti à Iehoua qui consumpsit* 250. *illos viros qui admouerant thus.* Et alibi, *Ira accensus est Iehoua & exardescens in cor ira eius consumebat eos qui fuerunt in extremitate castrorum, sed clamante populo ad Moysen, supplicauit Iehouam Moyses, & cõpressus est ignis ille: ideo nomen loci dictum est Tabbera, quia exarserat in eos ignis Iehouæ.* Et *alibi, Depluit super improbos prunas, ignem & sulphur, ventusque vario prestere coniunctus portio poculi eorum erit.* Infinita alia loca, si opus esset proferre possum vt probarem igneam istam in Deo Iehoua proprietatem, qua vt plurimum vtitur in iracundia sua pro flagello contra impios.

Iob. 37. 9.
Exod. 15. 8.
Psal. 141.
Psal. 147. 18.
Exod. 15. 10.
Iob. 27.
Deut. 4. 24. & 9. 3.
Psal. 21. 10. & 83. 15.
Iob. 41.
Num. 16. 35.
Num. 11. 1.
Psal. 11. 6.

At replicabit quis, Quid opus est ventis in exequutione & emissione coruscationes istiusmodi iræ siue vindictæ Iehouæ? Nulla est ibi facta de vento aliquo mentio, vbi textus exemplorum horum meminisse videtur. Quibus ego, scimus quidem has omnes Dei proprietates in ipso esse abstruso more comprehensas, & quod Deo sic volente, possint subito & ex improuiso, nullo sensibili vento spirante, in creaturarũ pœnam emitti, quoniam ipse qui fecit mundum non à creatura sua regitur, sed creatũ regit & disponit, atque etiam sine creaturæ adminiculo, quicquid vult præstare potest. Verũ hoc certum est, atq; omnibus experientia probatũ, & à pagina sacra confirmatũ, ꝙ Deus per hos ventos, iuxta prædictas suas proprietates varieformiter operetur, videlicet mediante Borea in proprietate congelante & terrestri, flante Austro, in illa dissoluente, corrumpente & aerea, flante Orientali in adurente & inflammante, occidentali, in humectante & refrigerante, vti partim in antedictis & partim in sequentibus explicabitur. Quomodo a. in æstuosa & ignea
2. Reg. 22. 8. sua proprietate per ministros suos ventosos operetur, ex hisce textus sacri verbis colligere fas est. *Cum iratus est ascendit fumus de naribus eius & ignis de ore eius volauit, carbones succensi sunt ab eo. Inclinauit cœlos & descendit & caligo sub pedibus eius, posuit tenebras in circuitu suo latibulum & ascendit super Cherubin, & volauit & lapsus est super pennas venti. præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, & carbones ignis, tonabat de cœlo Iehoua, misit sagittas suas, & dissparuit eos fulgur, & consumpsit eos, &c.* Quibus patet, quod Deus Iehoua effundat æstuosas & igneas suas plagas in spiritum sublunarem mediantibus suis ministris angelicis & ventis: imo vero & quod spiritus eius fulgurantes sint ipsius ministri angelici, siue sagittæ ignitæ quibus
Psal. 104. vtitur: quod ẽt Psaltes agnoscit vbi affirmat coruscationes & fulgura esse ministros Dei.
Iob. 38. 34. De quibus etiam Iob ista. *Fulgura numquid mittes & ibunt, & reuertentia dicent tibi adsumus?* Et
Sap. 5. 22. Sapiens. *Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.* Sed fortasse replicabit. Quid hoc ad ventum orientalem? nam videmus fulgura & presteres tam ab Aquilone & ab Austro ac occidente quandoque procedere. Huic ego. Si tonitrua fiunt, necesse est vt organon vocis prius fiat quo vocaliter emittatur sonus. Hinc dicitur in præcedenti exemplo: *Posuit Iehoua tenebras in circuitu suo latibulum, priusquam dictus est excelsus tonare & dare vocem suam.* Quare cum ventus orientalis sit calidus & siccus & consequenter admodum in humiditate ex qua sibi tugurium conderet spiritus in sola ista proprietate sterilis & impotens, ideo necesse est vt horũ flatuum ignitorum matrix, tugurium siue tabernaculum tenebrosum ex ventis humidis & caliginosis acquiratur atque condatur, vt loco organi vocalis se habeat, per quod spiritus Iehouæ qui centraliter agit in flamma sonos suos edit. Vnde factum est, quod in mixtione tonitruosa concurrat imprimis ignis orientalis seu coruscans, in cuius centro sedem suam posuit Iehoua irascens, non aliter quam ipse in sole (dum naturaliter pacifice & beneuole cum mundo agit) suum tabernaculum posuisse dicitur; deinde à nube densa & humida inuoluitur ille ignis, & à ventis seu angelis ventosis tam interne quam externe operantibus huc atque illuc vehitur ad voluntatem illius, qui in centro illius sedet, & ni-
Ezech. c. 1. hilominus extra ipsum & vltra rerum circumferentiam se extendit, complendam. Hoc aperto sermone sic aperit Propheta. *Ecce ventus turbineus veniens ab Aquilone, nubes magna & ignis sese accendens, & in medio illius ignis tanquam color viuidissimus & è medio eius extabat similitudo quatuor animalium, &c.*

Qua sermonis serie nubem ignem comprehendere vt ipsum Iehouam in lucis viuidissimæ centro extra quem quatuor ventorum angelos describit cum suis rotis, vt etiam per sequentem eius explicationem clarius ostendit. Sed vt totam replicationis prædictæ vim penitus deleam, dico quidem, idque sacræ paginæ consensu, quod Deus Iehoua omnes fere in vtroque mundo effectus igneos & vrentes mediante isto vento orientali (quem Scripturæ nomine generali Eurum vocant) patrare solet. Et primũ (vt in macrocosmi effectibus instemus) Quando Deus voluisset Ionam affligere æstu & calore, non v-sus est aliquo ex aliis ventis in ministerio ad tale negotium obeundum, sed ait textus, *præ-*
Ion. 4. 8. *cepit Dominus vento calido & vrenti*, hoc est, iuxta Tremellii translationem, *parauit Eurum si-*
Ezech. 16. 12. *lentem vt percuteret sol caput Ionæ adeo vt æstuaret & petiit animæ suæ vt moreretur.* Et Propheta alibi, *Ipsa pessundabitur in ira, ventus seu vrens seu Eurus*, vt vult Tremellius, *desiccabit eius fructus,*
Gen. 41. 6. Iob. 37. 20. *& rami eius erunt rupti & marcore contracti.* Sic etiam testatur Genesis, quod *ventus vrens seu*
Amos. 4. 9. *Eurus adurebat spicas.* Et alibi sic. *Turbo improbum noctu furtim abripit asportante ipso Euro, abit, qui*
Hozea 13. 15. *in more procellæ corripit eum è loco suo.* Et Iehoua per os Prophetæ ait, *Percussi vos in vento vrente & in aurigine multitudinem hortorum vestrorum & vinearum vestrarum, oliueta vestra & ficetu vestra comedet eruca. Misi in vos pestem pro ratione Ægypti.* Et Propheta Hozea hæc habet. *Postquã*
Haga. 2. 18. *veniente Euro vento Iehouæ è deserto ascendente exaruerit scaturigo eius, & siccatus fuerit fons eius, &c.*

Et

Et Propheta Haga. sic, *Percussi vos vento vrente & aurigine & grandine omnia opera manuum vestrarum.* Permulta quidem de hoc subiecto exempla & testimonia alia ex sancto contextu proferre possum, confirmantia actum Iehouæ æstuosum & mere igneum in macrocosmo mediante vento isto orientali, atque ostendentia, quomodo in proprietate hac sua coruscante spiritum mundi mercurialem mediante suo ab ista mundi plaga afflatu in naturam & essentiam atq; consistentiam elementi ignis pro placito conuertat: sed quia hæc, quæ expressimus (vt putamus) sufficient, demonstrare iam nunc aggrediemur quomodo Iehoua per istam eandem proprietatem spiritum humanum siue microcosmicum in ira sua incendere atque conflagrare assoleat: nam certum est, quod mediantibus seminariis igneis ab isto vento efflatis seu spirantibus malignis ab ipsius cardine vel collateralibus emissis, Deus Iehoua iracundia æstuans spiritum aereum imprimis & tum postea humanum, per mixtionem ipsius cum aere accenso multiformiter inflammare soleat. Haga. 2.18.

Imprimis ergo sciendum (vt dictum est) quod Iehoua in ira sua dicitur *ignis consumens*, & quod in tali sua natura conuertat aerem, siue spiritum sublunarem in naturam elemēti ignis diciturq; ignis: deinde quod hoc elemento seu creatura ignea vtatur ipse tam in macro quā microcosmo, tam pro mortalium beneficio quam flagello. Vnde Sapiens, *Ignem mitefacit Deus ne combutat, modo Deus ignem facit ardere inter aquam, vt terræ iniustæ fœtus corrumperet. Nam creatura tibi, qui fecisti omnia, subseruiens ad punitionem contra iniustos intenditur & remittitur in beneficentiam pro iis qui confidunt in te &c.* Hic autem spiritus ab halitu diuino adeo inflammatus, vel in sua simplici natura lædit, vel in meteoron coagulatus & in fulgur seu cometas factus, malo terræ inhabitores quandoq; afficit: nam quandoq; ministros suos varieformiter indutos *ignes efficit vrentes*, vt Psalmista ait, in quorum centro, seu meditullio actus Iehouæ irascentis igneus agit & operatur: nam teste Psalte, *ira Iehouæ est eius æstus.* Hinc ergo est, quod tametsi spiritus Dei ignei percutere soleant tanquam instrumenta, tamen essentialis & radicalis percussor est ipse Iehoua; de quo hæc dicit Dauid, *Depluet super improbos prunas, ignē & sulphur, ventusq; vario prestere commotus portio poculi eorum erit.* Et alibi, *Ira Iehouæ æstuans manebit in loco isto & non extinguetur.* Ac iterum, *Ignis accensus est ira mea, qui ardebit vsque ad sepulchrum, absumetq; terram & prouentum eius, & inflammabit fundamenta montium* Et alibi. *Iehoua ira sua absorbet eos quasi consumat eos ignis.* Atq; iterum, *Vt ignis exurit syluam & vt flamma accendit montes, ita prosequere eos procella tua, & turbine tuo conturba eos.* Et in alio. *Irasceris in æternum? Ardebit velut ignis zelus tuus? Effunde æstus tuos in alias gentes quæ non cognoscunt te, nam consumptor consumpsit Iacobum:* Et quamuis de inimicis Israelis Psalmistā intellexisse credit interpres, tamen de peste populariter grassante rectius concipi potest hic textus. Sic dictum est, quod *ira accensus est Iehoua & exardescens in eos consumebat eos qui erant in extremitate castrorum*, vt antea. Deut. 4.24. Iob. 41.18. Sap. 16. 22. Psal. 6.2. Psal. 11. 6. 2 Reg. 22.17 Deut 32.22. Psal. 21. 10. Psal. 83. 15. Psal. 75. 9. Num. 11 a. 1.

De istiusmodi Iehouæ percussoribus mentionem facit Reuchlinus *in sua arte Cabalistica* dicens, ex sententia Rabi Manahem Racanat, quod *vt in exercitu Dei quatuor sunt antesignani, mediantibus quibus Deus benefacit mundanis, videlicet Michael, Gabriel, Vriel, Raphael, ita quidem pariter in exercitu Satanæ latissimi gerunt significari vltores vela, Samael nempe, Azazel, Azael, & Mahazael. His in seueritate organis vtitur Iehoua pro suis flagellis, quorum Samael est igneus ille Martis angelus dominium habens in oriente, & ventorum eiusdem plagæ malignorum violentiam igneam cum suis legionibus igneis dispergit, estq; angelus vnus ex illis quibus datur vim ventorum nocentem mari & terræ ac arboribus vt testatur Reuelator.* Sed de his *in tractatu sequenti*, vbi de causis morborum efficientibus angelicis agemus vberius. Reuel. 7.

CAPVT II.

De spiritu mundi adurente, & quomodo in spiritu humano maligniter, idque varieformiter operetur.

IN *prædictis* expressimus, qua ratione Iehoua mediantibus suis organis angelicis operatur spiritu mundano, eum in elementi ignis consistentiam reducendo; hoc vero in loco ostendemus quomodo spiritus ille igneus in spiritum humanum facile penetrando eum facillime in æstuantem & siccam suam naturam mutare assoleat. Videmus quidem, quod flante vel Euro, vel Cæcio æstiuo tempore admodum calidus & siccus reddatur aer, & præcipue post ortum stellæ Canicularis. Vnde factum est, quod spiritus hominum tunc temporis facillime febrili calore corrumpatur, idque præcipue & frequentius in quo Iehoua mediantibus suis ministris percutientibus populū alicuius regionis epidemice affligere solet. Hinc ergo propter spiritus humani inflammationem morbi æstuosi & sicci generari vel in animo solo vel in corpore solo, vel in vtrisq; simul; qui morbi cum sint magis ex intemperie quam humore, sic eos expressimus & inter morbos in regno imperii orientalis spirituali conclusimus.

- Spiritus macrocoſmi regni orientalis adurens igneam inducit intemperiem
  - Spiritui humano, vel animo ſoli, à quo oriuntur
    - Ira.
    - Furor.
    - Temeritas.
    - Concupiſcentia, &c.
  - Spiritui ſiue animo & corpori ſimul, vnde
    - Inſania, ſub qua
      - Phrenitis.
      - Delirium.
    - Siccitas.
    - Sitis.
    - Febris flatuoſa.

Inter omnes illos (in regno orientis ſpirituali) morbos, ſiue paſſiones, quæ ſolummodo ſpiritum humanum, & nonnunquam per ſpiritum ipſum quoque corpus afficere ſolent, Iram, ſiue iracundiam eſſe principalem & quaſi cardinalem æſtimamus, vtpote cui Furor, Temeritas, Concupiſcentia & iſtiuſmodi aliæ animi perturbationes tanquam pediſſequæ inſeruiunt: nam vt ira eſt ſubitanea ſpiritus ſiue animæ paſſio ab ipſo æſtu interno ſiue ſpiritu bilioſo facile excitata, ita quidem ſi ſit externa dicitur à quibuſdam haud incongrue
Prou. 22.24 veſana ira, ſiue rabies, de qua ſic pagina totius veritatis. *Cum iracundo ne colas amicitiam, &*
Eccl. 1.28. *cum furibundo ne congrediaris.* Atque rationem ſic exprimit Syracus. *Iracundus vir non poteſt*
Gen. 4.5. *cenſeri iuſtus, nam ruinam ei creat ipſius ad iram procliuitas.* Talis ergo & tam extrema erat & furibunda atque veſana Caini erga fratrem ſuum ira, vtpote in qua ipſum miſere interfecit,
Gen. 27.a. de qua textus ſic: *Quapropter accenſa eſt ira Cain valde & concidit vultus eius.* Talis etiam erat
43. ira Eſau aduerſus fratrem ſuum Iacobum, quem niſi Deus ſpiritum eius in meliorem alteraſſet, inter defunctos connumeraſſet. Hinc ergo erat, quod Sapiens nos à paſſione iræ in his
Eccl. 7.10. admonere ſuadereq; videtur. *Ne feſtina in ſpiritu tuo ad iracundiam ſiue iracundum, quia ira in*
Prou. 14.17. *ſinu ſtulti quieſcit. Nam* (inquit ille alibi) *præceps ira efficit ſtultitiam, & præceps animo excitat eam,*
& 29. *quippe qui permiſcere contentione eſt paratiſſimus.* Deniq; ait Sapiens, *Contentionem miſcet iracun-*
Prou. 15.18. Prou. 29.22 *dus & furibundus, multus eſt defectione.* Atq; ob veſanam iſtiuſmodi rabiem ira concitatam filii Iacobi Simeon & Leui in cædem tam horrendam ſunt ſubmerſi vt à patre moriente in hunc
Gen. 49.6. modum maledictionem acceperint. *Simeon & Leui fratres, inſtrumenta violentiæ, quia pro ira ſua occiderunt viros, maledicta ira eorum quia violens, & furor eorum quia ſæuus.* Videmus ergo, inter has iræ ſpecies, videlicet inter moderatam & veſanam eſſe talem differentiam, qualem inter coruſcationem in aere claro & fulgur in aere turbido, nubiloſo & tonitruoſo, quarum vna eſt magis quieta & pacifica, altera cum ſtrepitu tempeſtuoſo & non ſine eminenti periculo: ſic vna iræ ſpecies eſt magis verboſa & minime lædens, altera vero contentioſa & admodum tumultuoſa & periculoſa.

Ratio autem, cur ira facilius in ſpiritu adurente & ſicciori excitatur eſt, quoniam (vt in Inſtrumenti noſtri experimentalis obſeruatione eſt demonſtratum) aer caloris intenſi & prædominantis præſentia admodum rarefactus eſt, at quo magis rarefit, & ſubtilis redditur ipſe eo ad naturam igneam & ſicciorem redigitur magis; vnde in coruſcationis exiſtentiam de leui alterari aſſolet, & ſi illæ coruſcationes nubium congerie in cælo comprimantur in fulgura & tempeſtates tonitruoſas erumpunt. In tali forma volunt Scripturæ ipſum Iehouam in ſua ira & æſtu mundanos alloqui. At vero videmus, quod tales iracundiæ macrocoſmicæ actus temporibus calidis & æſtuoſis, in quibus aer calore attenuatur, accidunt, videlicet flantibus aut ventis orientalibus, vel meridionalibus qui æſtum ab oriente mutuantur ſuum, idq; præcipue æſtiuo tempore. In hiſce igitur temporibus maximè ſiteſcunt & attenuantur etiam ſpiritus in homine aerei, vnde fit vt conſequenter in ipſis coruſcationes bilioſæ admodum frequẽtes ſint; vnde in illis temporibus magis ſitibundi ſunt, ad iram promptiores, motu agiliores & leuiores: imo vero hæc eadem eſt ratio cur homines bilioſi ad iram & temeritatem tanta velocitate prouocentur, & luxuriam ſiue concupiſcentiam tanto ardore & conamine venentur & appetant: nam ob ſpiritus eorum ſiccitatem facillime inflammantur atque incenduntur, quoniam deeſt in aere ſiue ſpiritu orientali humor ſiue madfor qui poteſt reprimere illiuſmodi vel ardoris ſeu coruſcationis iracundæ, ſeu furibundi & conſequenter temerarij affectus, vel ipſius cõcupiſcentiæ ſiue amoris luxurioſi inſultus (nam iuxta fabulam illam poeticam) Martis ſolatium cum Venere præcipuum eſt, hoc eſt vt ſitis

aquam

aquam & siccitas humorem naturali appetitu & instinctu inhiant & desiderant, ita quidem coruscationes siccæ suum pabulum humidum valde atque auide expectant. Similiter vt ignem videmus eo magis citius & vehementius vrere quo minus ab humore aqueo impeditur subiectum in quod operatur, atque etiam aer in quo viuit, nam aere sicco siue sit Borealis siue orientalis ignis maiori violentia prædominatur & ardet, sic etiam iræ, temeritatis & concupiscentiæ flamma in spiritu humano sicco & corpore tali: vnde fit quod homines tenues & biliosi febribus & morbis æstuosis facilius infestantur quam vel phlegmatici vel melancholici vel sanguinei. His igitur intellectis ad passionum consequentium & sub ira comprehensarum effectus sic progredior.

Furorem dicimus esse extremum iracundiæ effectum, videlicet quando iracundia valde & vltra moderationis limites pergit. Hinc Biblion sacrum, *Furore nimio exarsit Holofernes.* Et *alibi. Efferbuit rex valde & ira exarsit in eo*, vel vt Hieronymus habet. *Nimio furore accensus est:* hoc est, limites & margines communis iræ excessit. *Iudith. 5.2.* *Esther. 1.12.*

Temeritas etiam iram vt plurimum præternaturalem concomitatur, facitque suos effectus vel verbis vel factis. De temerario vero in verbo suo loquitur *Eccles. 6. 25.* Et ne temere quis loquatur nos docet *Eccles. 5.1.* Et ab Apostolo admonemur nihil temere agere *Act. 9.36.* Agnoscimus esse temeritatem ex zelo & non iracundia: vnde dictũ est *Deum percussisse Huzzam propter temeritatem suam.* Sed pro temeritate iracunda tam in verbis, quam in actione, infinita habemus in textu sacrosancto exempla, quæ hoc in loco recensere nimis foret lectori fortasse tædiosum. *Iudith 5.2.*

Ad concupiscentiam vero quod attinet, vt mas requirit fœminam, ita spiritus siccus appetit humidum naturali instinctu: hinc dicitur quod vt Phlegmaticus multum potest sed parum vult, & sanguineus quod tam potest quam vult, & melancholicus nec potest nec vult, ita quidẽ de cholerico multum vult sed parum potest. Vtcunq; res se habet siccus & calidus est ille spiritus, qui amore nimio ardet, iuxta hunc Ouidij sensum. *Quicunq; amat* (scio) *grauem quendam ignem ipsum adurere.* Talis erat concupiscentia Rubenis qui tanta ardebat concupiscentia, vt à contactu concubinæ patris sui Israelis carnali abstinere non potuisset. Talisque vxoris Potipharis impudentia concupiscentiæque ardor erga Iosephum: nec non & filiarum Loth, vt cum patre coirent. *Gen. 35.22.* *Gen. 31.* *Gen. 19.32.*

Hisce ergo percipere fas est passiones illas spirituales, quæ in spirituali orientis regno afficere solent spiritum humanum, qui necessario participare debet de spiritu macrocosmico: vbi etiam clare demonstratur quod spiritus iracundus aut coruscantibus iracundiæ radiis inflammatus sit tam furoris quam reliquarum illius naturæ passionum ordinator & effector. Iam vero de passionibus illis quæ tam spiritum quam corpus simul afficiunt verba curta faciemus.

CAPVT III.

De morbosis illis meteoris in regno imperij orientalis spirituali comprehensis, quæ cum animum, seu spiritum humanum, tum corpus simul male afficiunt.

QVemadmodum videmus in macrocosmo, quod meteora ignita cuiusmodi sunt coruscationes & fulgura atq; cometæ excitantur in solo aere, seu cælo absq; manifesta terræ intemperie: sic etiam quandoq; accidit, quod taliter spiritum siue aerem terræ inclusum accendit, vt varia propter illam inflammationem meteora præternaturalia tam in eius corpore quam spiritu generentur, videlicet spiritus igniuomi & quasi suspiria ignea, fissuræ profundæ ab extrema siccitate, sterilitas, terræ motus, halitus corrupti & huiusmodi alia. Pari similiter respectu obseruamus, quod inflammato spiritu ab illius macrocosmi intemperie varias in corpore infirmitates igneas procreare soleat, videlicet siccitatem, sitim, febres flatuosas & insaniam. Quod si humores prius afficiat spiritus, tunc ipse mediantibus illis producit illos morbos qui in regno orientis humorali comprehenduntur, de quibus postea.

Quod nimia in spiritu microcosmico siccitas varieformiter afficiat, cum humores tum ipsa corporis solida nos docet experientia, confirmatq; contextus sacer, ex quo hęc legimus. *Percussum tanquam herba exarescit cor meum, ossa mea vt focus exardescunt.* Et Iob, *Sagittæ omnipotentis in me graues sunt, virus earum ebibit spiritum meum &c* Hoc est extrema siccitas caloris sui febrilis consumpsit cum spiritus eius, tum carnes. Deinde flatuosam febris illius æstuosæ *Psal. 102. 9.* *Iob. 6.4.* *Iob. 30. 17.*

condi-

conditionem in his arguit. *Eleuasti me ad ventum, ei imponis me & efficis vt defluam substantia,* hoc est ventoso calore vel aere feruescente consumis & desiccas substantiam meam, partim dissoluendo eam ardore tuo intenso, & partim ebibendo & desiccando meam humiditatem & spiritum. Hinc *ibidem* ait, *Viscera mea efferuefacta sunt adeo vt non quiescant.*

Ibid. 27. *Isai.* 5.13. *Iud* 15.18. *Iudith.* 7 17 *Isai.* 41.17.

Similiter sitis male afficit corpus etiam absente febre, vnde Propheta sic, *Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* Et Sampson sitiens ad Dominum clamans ait, *En siti morior.* At ista spiritus passio fit siccitate: nam *alibi* sic, *Sit vitæ finis breuior in ore gladii qui longior efficitur ariditate sitis.* Quare & *alibi, Lingua eorum siti aruit.* Denique quod Deus in aera & maria exiccando vtatur vento Euro, ex eo elicere possumus, quoniam partem, seu plagam orientalem calidissimam & siccissimam esse ordinauit, vt testatur non modo experientia sed etiam scriptura sacra: nam ad percutiendum Ionam calore & siccitate extrema, & ad desiccandas segetes & destruendos terræ fructus vsus Iehoua isto suo instrumento, videlicet vento orientali, vt in *capite* istius *primo* indicatur, & in maris rubri diuisione explicatur: nam sic se habet textus. *Exarefecit Deus mare rubrum coram eis.* Et *alibi. Vento Euro vehementi abegit ipsum mare in siccum.* Et proculdubio iste fuit ille ventus, cum quo Deus exiccauit aquas diluuii, & de quo sic scribitur. *Ventum transmisit Deus vt sedarentur & minuerentur aquæ,* & quod isto organo ad effectum istius textus complendum vtatur. *Percutiet te Dominus febre, ardore, æstu ac rubigine. Sit cælum quod supra te est aheneum, & terra quam calcas ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis.* Et *alibi, In increpatione mea ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.* Quod ergo vsus sit Iehoua hoc instrumento ventoso ad istiusmodi negotia, in eo apparet, quoniam talis eius æstuosa proprietas orienti assignatur, & consequenter istiusmodi effectus sicci sunt orientales & non Septentrionales.

Iudith. 5.12. *Exod.* 14.21. *Gen.* 8. 1. *Deut.* 28.22 *Isai.* 50. 2.


Ad insaniam vero & desipientiam (quæ est pessima insaniæ species) quod attinet, quod ipsa tam corpus, quam animum afficiat, & quod à malo Iehouæ spiritu in spiritum humanum immittitur, videtur regis Sauli historia confirmare. *Spiritus Iehouæ* (ait textus) *recessit à Saule, perturbabatq; eum spiritus malus à Iehoua.* Atque iste spiritus malus perturbabat spiritum regis & in furorem seu insaniam rabidam eum redegit. Taliter agitatus est ille possessus, tumultuosus & furibundus qui inter sepulchra vitam degebat, ex quo dæmonia eiecit Christus. At isti proculdubio cacodæmones erant, cõditionis igneæ, & sub ditione angeli nocentis Samael dicti, quoniam hoc idem explorauit furibundus eorum effectus. De insania autem istiusmodi sic loquitur Galenus. *Insania est mentis alienatio quæ à flaua bile fit; quare* (inquit) *patientes sunt tumultuosi, præcipites, manu prompti & contumeliosi:* hæc ille. At à Galeno velim petere, bona cum sua venia, an humor aliquis in sua substantia possit ad mentis regna penetrare: hoc prorsus à quolibet sciente negabitur, sed potius à spiritu igneo illud fieri asseueramus, quippe qui cœlo microcosmico est non minus contiguus, quam sphæra ignis ad æthera. Dicimus ergo, quod humores à spiritu inquinato inficiuntur, & non spiritus ab humoribus, sed est spiritus in humoribus qui operatur iuxta sui centri voluntatem.

1.*Sam.*16.15 *Matth.*8. 31. *Introd.c.*17.

De huius autem insaniosi meteori natura sunt Phrenitis & delirium, nam Phrenitis dicitur *illa mentis alienatio à spiritu igneo in cerebri meningibus condito & penetrante, atq; etiam se spiritibus rationalibus permiscente.* Et Galenus cum Hippocrate in hoc consentiunt, quod delirium fit à bile ascendens ad caput, quæ furorem facit. At vero dicunt, quod desipientia periculosa ex flaua bile superassata procedat, hoc est ex atra bile pessima. Nos autem affirmamus, ipsas à spiritu in aere humano maligniter igneo & acuto fieri atq; effici, operante & stimulante quo spiritus mentis seu rationis à salubri sua dispositione alteratur.

Aph. 4.7. *Aph.*6.5. *Aph.* 5.21. *Aph.*6.53.

DE




DE PARTICVLA SECVNDA, SEV REGNO IMPERII ORIENTALIS humorali, & de morbo ipsius cardinali.

CAPVT I.



SCIENDVM est, quod morbi meteorologici istius regni, sint partim cũ humore acri & ardente, & partim qui sunt spirituales, humores occupant, mutant & quasi animant. In vltima horum specie principalem videtur febris adurens sibi vendicare locum, non aliter quam spiritus leprosus in regno humorali septentrionis, & pestis in illo meridiei. Hinc igitur est, quod in omnibus suis proprietatibus vindicatiuis vel seueritatis Iehoua vna ex istis plagis vtitur, quemadmodum in pluribus sacrarum literarum locis videre licet.

Febris igitur vrens est præcipuus & cardinalis ille morbus, siue meteoron æstuosum, quod dominium habet in regnis omnibus orientalibus, & consequenter morbos tam regni spiritualis quam humoralis & corporalis continere videtur: nam in regno spirituali iram, impatientiam, furorem, temeritatem, siccitatem, sitim, delirium, phrenitidem, atq; insaniam cum insipientia periculosa sub se continet. In humorali omnes febrium atq; intemperierum species, atque etiam morbum regium, inflammationes, siccitates, vrigines & morbos biliosos. In corporali Erysipelas, Carbunculum ex adustione, herpetes erodentes, omnesq; tumores ex humore igneo & aduréte, seu potius ex spiritu adurente in humore delitescente; non enim est lignum accensum quod vrit, sed spiritus igneus accendens. Quibus videre licet quod reuera febris est omnium morborum orientalium rex atque imperator. Hanc igitur meteororum speciem sibi elegit Deus cum suis subditis, quibus malum & dolores inobedientibus effundat. Quare dixit Moyses, *Percutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrente febre, & siccitate, & vrigine, & morbo regio, quæ persequentur te donec pereas, &c.* Hic videtis, ipsum An- *Deut. 28. a. 20.* tistitem Moysem nobis omnes illos morbos, videlicet pestem cum suis pedissequis, quos Deus maleuolens in proprietate sua orientali ad hominum inobedientium punitionem & afflictionem procreauit. De febrili etiam istiusmodi insultu intendere videtur Propheta in his. *Propter indignationem tuam & feruentem iram tuam panem quasi cinerem comedo, dies mei simi- Psal. 102. a. les vmbræ inclinatæ, & ego sicut herba exarui.* Et Iob in his optime febris æstuantis actum de- *10.* scribit. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbatio-* *Iob. 6. 4.* *nes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me; Cuti meæ & carni meæ adhærent ossa mea, nocte os meum* *Iob. 16. 16.* *perforatur doloribus, & venæ sine pulsus mei non recumbunt, siue non requiescunt. Eleuasti me ad ven-* *Iob. 30. 17.* *tum, ei imponis me, & efficis vt defluam substantia, viscera mea efferuefacta sunt adeo vt non quiescant,* *Iob 16. 16.* *Palpebris meis adest vmbra lethalis, & experior, mors me auocat, &c.* In qua verborum serie, vir pa- *Iob. 30. 27.* tiens, vim & efficaciam istius morbi, seu meteori cardinalis melius & plenius quam aliquis vnquam medicorum antiquorum expressit, & graphice depinxit: nec quidem cuipiam hoc mirum videatur, cum ipse non audita sed quæ suo damno est expertus in medio dolorum & passionum suarum sit loquutus: Quod quidem in effectu erat illud idem, quod Moyses in *prædicto suo sermone* expressit. Ac si dixisset cum Moyse, Iehoua percussit me tabe calida, & æstuante ac vrente febre, & siccitate, & vrigine, quæ persequentur me donec peream. Permulta alia de regali ardentis istius meteori dispositione narrat pagina sacra, vt *Matth.* 8. 14. quæ pro alio loco reseruare mihi quidem proposui. Hic vero ipsum cum suis membris methodice sic describimus.



CAPVT II.

De quibuſdam meteoris æſtuoſis ſub ſpiritu orientis febrili & adurente comprehenſis, ac de ipſorum origine.

Ex iſtis pediſſequis generali febrilis intemperiei imperio ſubiectis, alię quidem reperiuntur magis exquiſitæ, igneæ & ſiccæ, aliæ vero magis ſpuriæ & quaſi alienigenæ: quæ ſunt magis exquiſitæ magis acres exiſtunt, pluſue adurere & deſiccare cognoſcuntur, cuiuſmodi ſunt ſpiritus deſiccans & exurens qui occupat humorē bilioſum magis aduſtum & craſſum: atque hi ſunt magis ex parte Cæcij ſiue alæ cardinis orientalis Aquilonari, vnde propter iſtius venti extremam ſiccitatem, quatenus participat ex vno latere de extrema ſeptentrionis ſiccitate terrea, & ex altera de illa orientali ignea. Porro eius calor (præcipue æſtate, ſole ſtationem ſuam ſolſtitialem faciente) per antiperiſtaſim à frigore Boreali animatur & fortificatur, nō aliter quam glaciali & pruinoſo tempore combuſtibilia vehementius, velocius & acrius ardere animaduertuntur. Hinc ergo morbi de plaga, ſeu vento hoc participantes, vel cum ipſius natura conſonantes magis naturaliter pro igneis & orientalibus ſunt habendi, quam ipſi qui ex bile ſubpallida, vel pallida & tenui & magis liquida deriuantur, vtpote qui humores magis partes Auſtrales, ſeu Euro-auſtri naturam reſpiciunt, & conſequenter propter ipſorum humiditatem tenuem diſſentiunt & quaſi alienigenæ ſunt ad naturalem ignis orientalis conditionem: atque ex ſpurio talis humoris ſpiritu febres intermittentes & humorum mixtorum fiunt, atq; etiam morbus regius, tametſi morbi regij ſpiritus ſit vere orientalis, ſed humor eſt aliquantulum orientali diſpoſitioni heterogeneus cui iſte ſpiritus ineſt & dominatur. Eſtque hoc meteoron vnum ex illis orientalibus, de quibus Moyſes, loco
1.*Reg*.13.5. *ſuperius* allegato mentionem fecit. Præterea de manus exareſcentia verba fecit. 1. *Reg*. 13. 5. Quæ quidem exareſcentia aut eſt marcor, fitque à calore conſumptiuo, & conſequenter orientali, vel atrophia, & tunc prouenit vt plurimum à ſiccitate ſeptentrionali, & non ab alijs ventis duobus, vtpote qui ambo ſunt humidi, atque ob iſtam rationem non exiccant aut arefaciunt.

Denique ſterilitas prouenire aſſolet, idque quam ſæpiſſime, ab ariditate matricis, aut vaſorum ſpermaticorum, idq; vel cū frigiditate mortificante, & tunc oritur à ſeptentrione, vel caliditate orientis ignea conſumente & adurente. De ſterilitate Sarai agit *cap*. 16. 1. *Gen*.
Gen. 30. 14. Rebeccæ *Gen*. 25. 21. Porro quod ſterilitas Leæ vxoris Iacobi eſſet de extrema caliditate & ſiccitate confirmat eiuſdem curatio, quæ per mandragoram erat effecta, quam Ruben inuenit in campo:

DE



DE PARTICVLA TERTIA, SEV REGNO IMPERII ORIENTALIS CORPORALI.

CAPVT I.

In quo ostenditur, quomodo corpora præter naturæ leges meteorologicâ à dispositione ventorum orientalium, tam in macro, quam microcosmo generentur.

MARIVS præstantissimus & acutissimus Philosophus ait, ex quatuor fulgurum generibus vnicum esse lapideum dictum, eo quod vt primum è nubis densæ penetralibus exeat, externi aëris frigore in naturam densam duram & existentiam saxeam de facili concrescat & coaguletur. Pariformiter vbi magna fulminis & præsteris sulphurei portio in terram ceciderit ibi minera sulphurea, vt in monte Aëtna & promontorio Puzzolano, vel substantia bituminosa vt in lacu Asphaltico, seu mortuo ratione præsteris illius, quem Iehoua ad Sodomæ & Gomorrhæ ruinam & destructionem emisit è cœlo. De quibus Psaltes in ista. *Depluit super improbos prunas, ignem & sulphur, ventusque vario præstere coniunctus portio poculi eorum, &c.* Psal. 11. 6. Quibus passionem eandem videtur explicare in macrocosmo, qualem Iob in præternaturali suo habitu expressit loco antea citato, videlicet *Sagittæ omnipotentis in me graues sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei, quæ acie instructæ sunt, oppugnant me, cuti meæ & carni meæ adhærent ossa mea, pulsus mei non requiescunt. Eleuasti me ad ventum; ei me imponis, & efficis vt defluam substantia, viscera mea efferuefacta sunt, &c.* Quo sermone indicari videtur tam mundus hic minor in sua passione, quam ille maior, si loqui potuisset, explicari in sua. Nam imprimis accenditur aëreus eius spiritus igne & sulphure, & calor ille ventis & vario præstere est coniunctus, quorum accessu ad terram seu corpus suum viscera eius efferuefacta sunt, & natura sulphurea in eo accenditur, vti in sulphuratis, vel quasi defluit substantia, vti in lacu Asphaltico: Atque ita gummata sulphurea & dura ex terræ macrocosmicæ superficie, vt in scabiosis vlceribus Ægypti in microcosmo, vel tuberosi colles seu monticuli ex adustione, vt in monte Cineritio, qui in tali tempestate sulphurea dictus est subito & improuiso è terra Puteolana, promontorio Neapoli proximo emersisse, non aliter quam in terra, seu corpore humano hoc idem accidisse legimus in Carbunculo seu vlcere regis Ezekiæ, & vlcere pessimo quod Diabolus inflixit in Iobum. Videtis ergo ex his quod Iehoua vtitur paribus in vtroque mundo sagittis ardentibus pro afflictione hominum: nam morbos istiusmodi æstuosos agnoscit Iob esse sagittas Dei: atq; etiam in alijs scripturarum locis meteora prædicta in mundo ignita pro impijs parata appellantur etiam *Iehouæ sagittæ*. Hinc propheta Dauid, *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius volauit, succensæ sunt ab eo nubes, succensi sunt carbones ignis; tonabat de cœlo suo, sagittas suas misit & disparuit eos fulgur, & consumpsit eos.* 2. Reg. 22. 8. Hinc igitur liquet, quantam relationem ad inuicem habent plagæ à Iehoua in vtrumque mundum emissæ; & quod vt spiritus vtriusq; molis sit idem, ita etiam & meteora vtriusque naturæ haud dispariis. Ob istam igitur rationem Dauid hanc facit comparationem, *Vt ignis* Psal. 83. 11. (ait) *exurit syluam, vt flamma accendit montes, ita prosequere eos procella tua & turbine tuo conturba eos.* At turbo ille secretus quo Iobum conturbauit erat mediante malo spiritu Satanæ. Et quod talis turbo æstuosus ab Euro excitari soleat ex hisce colligere potestis. *Turbo improbum noctu furtim abripit, asportante ipso Euro abit, qui in more procellæ corrumpit eum è loco suo.* Iob. 27. 20. Atque hic obiter intelligendum est, quod nihil de macrocosmo dici potest, quod etiam de microcosmo intelligi non possit, cum vnus eorum comprehendat in se alterum; vnde vtriq; dicuntur Cosmi; & quamuis minor nequeat continere maiorem; tamē omnes illas species in se comprehendit ille quas maior, non aliter quam vnica aquæ gutta tam efficax est & exacta in essentia aquæ quam integrum mare. Sed ad propositum. Ait Iob: *Cum impius esset repleturus ventrem in eum Deus æstuantem suam iram emittit quam impluit in eum loco cibi*; Iob. 20. 23. eius verbis quibus

notare possumus, quod eadem malevola meteora igneæ naturæ clanculo immittit Iehoua in hominis spiritum ad perturbandum eum, quæ in illum mundi. Sic etiam dicit Moyses. Deut.29.23 *Sulphure & sale exusta est terra eius, adeo vt neq; seri neq; pullulare poßit, neq; prouenire in ea vlla herba.* Pari quidem ratione de homine, *Percutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrente febre & siccitate & vrigine, & vlcere Ægypti, & scabie, & prurigine, &c.* Quæ omnes passiones sunt siccæ, & aut sulphureæ aut salsæ.

Concludimus igitur, quod vt Iehoua operetur in sua iracundia in spiritu mundi maioris per nubes densas, per fulgura, per concretiones sulphureas & lapideas, ita quidem in illo hominis: atq; vt videmus ignem fulminis esse in densam nubem inclusum, ita quidem spiritus igneus in humore, quem Galenici bilem vocant, includitur: atque ille humor habet suam formam igneã ab illo spiritu qui ab oriente seu proprietate Iehouæ orientali ortũ suũ ducit: atque vt ille spiritus fulminosus vt primum è sua matrice nubilosa emittitur, frigore aëris externi cogulatur vel in gummata sulphurea, vel in lapides Ceraunios; non aliter quam sulphur fusum vel cera liquefactã induratur, ita quidem spiritus iste sulphureus ad emunctoria seu cutis superficiem emissus frigore aëris poros obturantis vel in carbonem seu anthraces concernitur & coagulatur, vel in vlcera varieformia, cuiusmodi erant illa Ægyptiaca, cõcrescit: non aliter quam vapores sulphurei è terræ venis exurgentes in lapides duriores vel molliores, idq; huius vel illius coloris iuxta sulphuris & spiritus naturam in terræ superficie esse factos obseruauerunt Philosophi. Atque ista est vera corporum, præter naturæ leges solidorum in regno imperij orientalis corporali procreandorum ratio atque formula.


Capvt II.

De regni in plaga orientali corporalis speciebus.

Corpora istiusmodi præternaturalia quę spiritus igneus in carnis & cutis superficie creare solet secundum spiritus in salsedine, vel sulphure exaltationem & diuersitatem sunt multiformia: nam si cum salsedine magis participat ipse, fiet corpus vlcerosum seu apostema prurigine aut erodente dispositione affectum, vti in herpete erodente, vel scabie calida & sicca videre licet; si vero sulphurea exhalatione magis inficitur atque accenditur, tunc quidem vehementiori ardore & rubore igneo, ac tandem liuido aut nigricante imbuetur, quemadmodum in Erysipelare, Carbone & pessimo illo Iobi vlcere quo à planta pedis vsq; ad capitis verticem erat per Satanæ machinas afflictus.

Modus autem, quo spiritus iste primum talibus afficitur vaporibus è calidis mineris exurgentibus est huiusmodi, Virtus luminosa siue ignea proprietatis diuinæ orientalis malevolens per organa sua angelica mediantibus ventis æstuosis in aëre dispergitur, atq; vndiq; disseminatur, spiritus humanus eiusdem impressiones seu seminaria recipit, nisi à bono angelo defendatur: seminaria illa ita recepta ex spiritu humano nubem loco sui tabernaculi congregat, non aliter quam spiritus fulgurantes in aëre macrocosmico mediantibus ventis sibi ipsis tuguria condere, & ex aëre in nubes condensato facere notamus, vtpote sine quo organa tonare, & vocalem strepitum, seu crepitum edere non possunt. Tunc tales nubes à spiritu humano accenso conditæ & igne coruscantes in humorem igneum, ac quasi pluuiam biliosam conuertitur, cuius vapor vnctuosus ad inguina & emunctoria atq; alia loca porosa à natura propulsatus frigore externo exitum impediente in speciem glutinosam paulatim concrescit, atque ita magis magisque in dies accrescens in Carbonem, Erysipelas, vel alicuius alterius Apostematis vel vlceris maligni atq; ignei speciem conuertitur, quæ iterum maturatione & corruptione resoluitur. At vero si per medicamenta frigida vapor iste repellatur siue repercutiatur, eminens partibus præsertim nobilioribus minari assolet periculum, & lethales plerumque effectus afferre animaduertitur, vti in Peste adurente & febribus extreme calidis atque pestilentialibus experientia docuit. Plura de hisce rebus hoc in libro disceptare nolo, vt ad vltimum huius libri membrum citius descendam.

LIBRI



LIBRI QVARTI, MEMBRI QVARTI, SIVE IMPERII OCCIDENTALIS REGNVM spirituale, siue Particula prima.

CAPVT I.

De proprietate Iehouæ irascentis in imperio suo Occidentali, & quomodo per Angelos aquaticos agat ab illa plaga.

ARGVMENTIS satis strenuis, & autoritatibus fide dignissimis, Deum in proprietate sua diuersa à tribus aliis mundi plagis mediantibus angelis seu organis suis ventosis in cœlum, in aquas & in terram agere demonstraui, vtpote cuius *solius est operari omnia in omnibus*, vt testatur Apostolus. Iam verò restat 1. Cor. 12. probare, quòd omnes etiam ventorum Occidentalium effectus procedant ab illo vnico & simplici spiritu æterno: *Veni* (inquit Propheta) *spiritus à quatuor ventis:* non dixit venite. At verò quòd sint quatuor distincti spiritus angelici, qui à quatuor ventis administrare solent diuersè iuxta multiplicem spiritus istius vnius voluntatem siue sit priuatiua, siue positiua, non indicat Reuelator in his: *Vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent venti super eam, neq; super mare, neq; super vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem sigillum Dei viui, qui clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Ne noceatis mari & terræ, neq; arboribus, quousque signauerimus seruos Dei in frontibus*, &c. Apoc. 7. a. 1. Qua verborum serie exactè cōfirmauit D. Ioannes, quòd quilibet mundi cardo habeat distinctos angelos proprietate (vt per eorum effectus indicatur) diuersos, quorum est efficere vt venti maligniter & insalubriter flarent in hoc mundo sublunari, & quòd hi omnes spiritus ab vnico angelo imperiali vel moueantur, vel vt à malignitate eorum acquiescant, iuxta voluntatem ipsius qui eum misit. Atque hic angelus magnus omnia mala ab istis ministris suis quatuor percutientibus perpetrata, quatuor angelis seu ministris saluantibus corrigere assolet; qui sunt *Michael, Gabriel, Raphael & Vriel*, vt illi mali recensentur esse *Samael, Azazel, Azael, Mahazael.* His datum est nocere terræ & mari, teste Reuelatore; illis beneuole cum ipsis agere, de quibus Euangelista hæc: *Mittet filius hominis Angelos suos à quatuor ventis cœli, vt colligant omnia scandala de regno eius.* Matth. 24. Quod cum sic se habeat, non est dubitandum, quin quòd cardo hic Occidentalis suum habeat Angelum siue intelligentiam distinctam à cæteris, verùm etiam quòd omnes eiusdem afflatus à summo illo angelo qui est æterna maiestatis diuinæ emanatio, radicitus reguntur, & ad maleuole percutiendum, vel beneuole cum mundanis agendum ordinantur. Nam vt per siccam & aridam ipsius proprietatem ab Oriente omnia desiccare solet & comburere, ita per hanc Occidentalem vice versa agere dignoscitur. Quoniam *ipsius solius est* (teste viro Iob. 12. patiente) *ita cohibere aquas vt arescant, & ita eas emittere vt subuertant terram.* At verò cùm proprietas venti Orientalis sit sicca & ignea, necesse est, quòd venti ipsi oppositi natura sint humida & aquea: nam certum est atque experientia compertum, quòd vt venti in hoc mundo sibi inuicem positione sunt oppositi, ita quidem contrarii sunt ipsorum effectus. Et quamuis in huius rei probatione testimoniis ex libro sacro non sit opus, quippe quæ experientia comprobatur, tamen cùm experientiæ effectum, tum testimonii vnius sensum in publicum proferre haud frustraneum fore putaui. Quòd ergo ventus Septentrionalis sit admodum frigidus & siccus, confirmant gelidi, niuales, grandinosi & pruinosi effectus. E regione verò, quòd ventus ei oppositus, Meridionalis nempe, sit ei omnimodo contrarius in eo confirmatur quatenus ipsius est destruere omnia ea quæ ventus Borealis suo producit afflatu, videlicet niues, grandines atque gelu dissoluere, & à forma sua alterare, & consequenter sat liquidò constat ipsum esse calidum in natura sua atque humidum. Ex quibus liquet, quòd ex hisce duobus ventis duo elementa conditione opposita, suas sortiuntur origines, videl. Terra à Septentrione, & Aër ab Austro. At verò quòd hæ ꝓprietates diuersæ sint ab vnica radice

Pſal. 147. a. 16. diuina hac paginæ ſanctæ authoritate probamus: *Deus* (ait Pſaltes) *emittit niues tanquam lanam,& pruinam quaſi cineres diſpergit, deiicit gelu ſuum tanquam fruſta, coram frigore eius quis conſiſtit?* Quo arguit ipſe, omnem Septentrionis proprietatem frigidam à frigore Iehouæ procedere. Tunc ſic pergit: *Emittit verbum ſuum & liquefacit iſta, ſimul ac efflat ventum ſuum effluunt aquæ,*&c. Atque iſto ſermone poſteriori denotare videtur venti Auſtralis conditionem, quippe cuius eſt calore ſuo humido frigidos Borealis euentus deſtruere. Sequitur ergo, quòd ſi Orientis effectus tam ab euentu & experientia, quàm Scripturarum teſtimoniis antea allegatis notantur eſſe ignei, & ipſius afflatus ſint elementi ignis radix & origo, illi etiam Occidentales ſunt ipſis omnino oppoſiti, videlicet aquei & humidi, & conſequenter, quòd ventus eius ſit elementi aquæ, fons & ſcaturigo. Ex his ergo naturis tam ſitu quàm diſpoſitione oppoſitis ſortitus eſt prædicti Iobi ſermonis effectus. *En ità cohibet aquas vt areſcant, & emittit eas vt ſubuertant terram.*

His igitur obſeruare liceat, quomodo Iehoua in aquea ſua proprietate agat & ſpitet ab iſta mundi plaga ſiue angulo; non aliter quàm in oppoſito ei igneos & æſtuoſos producere euentus obſeruatur, & quòd omnia per iſtam methodum ex elementis contrariis præeuntibus ventorum ſeu ſpirituum oppoſitorum & contrariorum flatibus, in hoc mundo effecerit atque creauerit: nam Angelus angelo, ventus vento, atque elementum elemento ratione

Annot. ſuper Tremell. text. occulta, menteq; diuina contrariatur, iuxta hoc Prophetæ: *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Et per ventos intelligit commentator, quatuor intelligentias angelicas quæ præſident quatuor mundi cardinibus.

Iam verò nobis paucis de illis ſpiritibus elementaribus diſceptare liceat, qui ſpiritui ſiue Angelo illi ſubiiciuntur, qui vento iſti Occidentali præſidere aſſolet. Et imprimis, atq; ante iſta conſiderare debemus, quòd vt inferiora à cœleſtibus gubernantur, ita quidem angeli elementares ſiue ſublunares ab illis cœleſtibus, vt & illi cœleſtes ab empyrealibus & ſummis reguntur: Hinc ergo eſt, quòd ſeptem illi Angeli quibus Planetarum gubernatio attribuitur intundere noſcuntur ſpiritibus ſub Lunæ ſphæra qui ipſis ſubiiciuntur: nam teſtantur omnes tam in Cabala, quàm myſtica Hebræorum doctrina periti, quòd ex ſtellis erraticis Saturni cura angeli Oriphieli, ſeu Zabkieli, Iouis Zacharieli ſeu Zadkieli, Martis Samaeli, ſeu Camaeli, Solis Michaeli, vel vt alii volunt Raphaeli, Veneris Anaeli, vel Hanaeli, Mercurii Michaeli, vel vt alii rectiùs, Raphaeli, & illa Lunæ Gabrieli. Atque videntur eſſe iſti illi ſeptem Angeli, qui dicuntur *ſtare coram facie Dei* iuxta illud Raphaelis Tobiæ: *Ego ſum vnus ex ſeptem*

Tobia. Apoc. 8. 2. *illis Angelis qui aſtant coram Deo*; De quibus etiam Reuelator hæc: *Vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datæ ſunt illis ſeptem tubæ, qui habuerunt ſeptem plagas & ſeptem phialas*, &c: Horum quidem alii ſunt Septentrionales, vt Saturninus cum ſuis tenebroſis ſpiritibus, atq; etiam ille Lunaticus, cuius legiones groſſiores partim alam Septentrionis Orientalē, & partim illam Occidentis Septentrionalem reſpiciunt. Alii plagam Meridionalem & partim Orientalem, vt iſte Martialis, & partim Meridionalem & Occidentalē, vt ille Iouialis & Mercurialis: alii Orientis cardinem vt Solaris præcipuè, atq; etiam vtraſque ipſius alas, vt Solaris cum Martiali; qui in alis eius verſatur magis calidis & æſtuoſis: alii Occidentis cardinem vt ille Veneris, & vtraſque eiuſdem alas vt ipſe Lunæ, cum illo Saturni Septentrionalem, & ille Mercurialis cum Iouiali Meridionalem.

Quibus ritè intellectis, colligere fas erit, quòd Lunaticorum morborum facilè princeps; videlicet Morbus comitialis, à ſpiritibus occidentalibus alæ Septentrionalis, partim ſcilicet Saturninis ſeu terreis, & partim atq; præcipuè Lunaticis; ſeu aqueis, hoc eſt, in diſpoſitione

Pſell. de dæmonib. aquæ denſæ & viſcoſæ; fiat. Hoc etiā iſtiuſmodi Pſelli autoritate confirmamus. *Genus dæmonum aquatile & ſubterraneum ſummoperè maleficū & pernitioſum, quorum illud aquatile morbo co-*

Matth. 17. 15. *mitiali dementiaq; vexare ſolet.* Sed hoc ab Euangeliſta Matthæo hiſce verificari videtur: *Miſerere filio meo, quia Lunaticus eſt, & ſæpe cadit in ignem & crebrò in aquā; & increpauit eum Ieſus, &*

Marc. 9. 17. *exiit ab eo dæmonium.* Vel vt Euāgeliſta Marcus habet Epilepſiæ ſymptomata meliùs deſcribens: *Filius meus habet mutum ſpiritū, & vbicunq; eum apprehenderit allidit illum, & ſpumat, & ſtri-*

Luc 9. 29. *det dentibus, & areſcit. Et Ieſus comminatus eſt ſpiritui immundo,* &c. Et D. Lucas ait: *Ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum cum ſpuma, & vix decedit dilanians eum cum accederet ad eum Ieſus, eliſit illud dæmonium, & diſſipauit & increpauit ſpiritum immundum & ſanauit puerum.* Ex quibus hæc elicimus, euidentia Epilepſię ſigna; videlicet cadere ſubitò, ſiue ſit in ignem ſiue in aquā, ſpumā reddere ab ore, dentium ſtridorē efficere, clamare, elidere & diſſipare. Deniq; D. Matthæus, per ſuā denominationē denotat imprimis iſtū morbū eſſe ex Lunæ influxu, vnde affectū vocat lunaticū: ac in vltimo loco omnes vnico conſenſu ex ore Chriſti agnoſcunt cauſam eius eſſe dæmonium ſeu ſpiritum immundū, qui quatenus ſequitur curſus Lunæ & Nouilunio & plenilunio fortiùs vexare & affligere ſolet, vltrà omnem dubitationis aleam de ſpirituum immundorū numero qui ſubiiciuntur Lunæ præſidi exiſtit.

Haud

Haud aliter etiam de Paralysi, Apoplexia, Stupore & Amentia est existimandũ, de quibus infrà latiùs. Nam Psellus loco antea citato hæc dicit: *Dæmones subterranei, lucifugi & aquatiles hominibus se insinuantes eos perturbant oppletis videlicet meatibus & impletis in quibus spiritus insidet animalis, ipsoq; spiritu dæmoniacorum corporum crassitudine coacto, intusq; concusso, ex quo accidit vt vibrentur, concutianturq; corpora, viresq; principales malè in actionibus se habeant, ac motiones stupidæ erraticæq; proueniant.* Hæc ille. Idque haud longè à literarum sacrarum sensu. Sed ad sequentia properabo, ac primùm in regno Imperii Occidentalis spirituali instabo. *Psell. de dæmonib.*

CAPVT II.

De Regno Imperii Occidentalis spirituali, siue spiritu mundi Aqueo.

IN primo membro, siue Imperio præter naturam Septentrionali diximus, regnum spirituale ex spiritu *Congelante*, in secundo seu imperio meridionali ex *Corrumpente*, in tertio seu Imperio Orientali ex *Adurente* existere diximus. Regnum verò Imperii huius Occidentalis spirituale ex aëre, siue spiritu nebuloso, seu vapore aqueo consistentiam suam habere asseueramus; quam quidem eius substantiam siue corpulentiam ex venti Septentrionalis cum Meridionali coitu procreari affirmamus, vtpote quæ non est adeò frigida & sicca, vt illa spiritus Septentrionalis, nec tam calida & subtiliter humida ac ipsa plagæ Australis, sed indifferens est in suo statu, consistentia & qualitate inter vtramque, hoc est non ita subtilis & penetrans atque mobilis ac spiritus ille Meridionalis, quippe non ita calidus, nec ita congelatus, densus & fixus ac ille Septentrionalis, sed in mediocritate inter hos duos, hoc est, frigidus cum mediocri grossitie ratione sui ad spiritum Borealem propinquitate, humidus cum mobilitate magis tarda ratione affinitatis suæ cum Meridie. Hinc ergo est, quòd eius ala Meridionalis, quæ Africus dicitur, est magis in sua consistentia tenuis, fluxilis & aërea; vt è regione ala ipsius Septentrionalis est magis densa, immobilis, & ferè niualis constitutionis. Ab illa ergo Meridionali magis dependent radices morborum illorum aqueorum quæ ex spiritu tenuiori & mobiliori fiunt, cuiusmodi sunt hydropisia, catarrhus, defluxiones tenues & istiusmodi alii: ab hac verò morborum seu meteororum illorum phlegmaticorum fundamenta, quæ à crassa & condensata atque viscida pituita, seu potiùs à spiritibus malignis, aquatilibus & terreis in tali mucore delitescentibus oriuntur. Atque hoc quidem probamus ex seria meteororum macrocosmicorum ex istis ventis procreatorum speculatione; nam ex simpliciori Cori spiramine niues cum pluuia mixtas edi cernimus, quasi partus qui ex Circii & Fauonii naturis constant, videlicet ex spiritu denso de aqua & terra participante. Viceversa ab Africi spiraculis nubes, aqua seu pluuia admodum liquida, vtpote magis calida oneratas cœli faciem obtegere videmus, quas de facili omnia profundiori penetratione humectare animaduertimus: atque vt vnius præsentia sublunaris mundi spiritus humectatur cum intensiori frigore quàm eius cardo requirit, ita quidem alter cum sensibiliori calore & æstu cœlum afficere solet quàm eius princeps Fauonius. Atque hæc quidem de simplici horum ventorum Occidentalium spiritu dixisse sufficiet.

At verò si cum ventorum ipsis oppositorum afflatu permisceatur horum ventorum spiritus, tunc quidem eorum partus spurius conditione, consistentia & morborum procreandorum statu differre obseruantur. Verbi gratia, si Corus spiret, & aduersus eum Eurus vel magis vel minùs contendat, tunc fulminei Euti suspiria in grandinosis Circii nubibus includi nonnunquam notantur. Atque ita à seminariis illiusmodi meteorologicis similes quandoque in spiritu humano species generari atque effingi putamus, cuiusmodi sunt illa febriũ tempestuosarum & turbulentarum genera, in quibus extremum frigus externum & vrgens calor atq; æstus internus simul atq; in eodem tempore occupant, cuiusmodi sunt Hepialos, Lypiria, Elodes & Typhodes quæ est pestilentialis. Atq; hinc est, quòd authores concludãt, Corum esse quandoq; pestiferum. Pariter si Cæcius spirat aduersus Africũ in cœlo prædominantem; in macrocosmo nubes fluxiles fulgure vel saltem æstu permistas, in microcosmo defluxiones calidas & acres, atq; hydropisias æstuosas procreabunt: nam mixtio calidi cum humido illud humidum subtilius, æstuosius, & magis penetrans, atque liquidius reddet, atque ita in cæteris.

Et quãuis quis replicare queat, quòd venti Meridionales plures soleãt procreare pluuias quàm venti occidentales, huic quidẽ ego, vt alibi sæpiùs, sic, videlicet quòd venti Meridionales pluuias tã copiosas per se non producant, sed frigus occulti flatus Boreæ cõdensat substantiã spiritus ipsius vaporosã in nubes, & calor eius inclusus cũ frigore cõtendẽs tã oppidò & subitò dissoluit has nubes in pluuias: dicim⁹ ergò, quòd nec sit vẽtus meridionalis p se nec vẽtus septẽtrionalis p se, sed amborũ vnione qua paritur natura tertia seu intermedia, videl:


illa Occidentalis, quæ (vt recensuimus) ex ventis illis duobus extremis editur; vnde fit, vt si Boreas flat, sed præualet & prædominatur Auster, spiritus mundi se habebit ac si flaret Africus: è regione si Auster spirat, sed fortior & validior in cœlo fuerit Boreas, spiritus mundi sublunaris erit in eo statu, in quo existit dum spirat Corus. At si adhuc validior & robustior extiterit Boreas Austro in eodem manente vigore, tunc se habebit aër, vt dum sua spiramina emittet Circius vel Aquilo: at si Auster omnino quasi quiescet, tunc Boreas omnimodo regnabit, & tunc serenum inuenietis cœlum. E conuerso etiam in omnibus de venti Australis dominio iudicandum est.

Hæc igitur (boni Lectores) est causa (ne me de præcedentium obliuione condemnetis, vbi mentionem sæpiusculè de vno eodemque morbo in diuersis diuersorum imperiorũ regnis fecimus) quòd Epilepsiam, Apoplexiam, Paralysim, Scotomiam, febres atque pestem variis ventorum flatibus applicuimus, quoniam cùm morbos seu meteora morbosa omnia ex diuersorum ventorum occursu varieformiter procreari agnoscamus, necesse erit imaginari, quòd vt febrem vnam magis quandoque de bili, vt eæ quæ sunt exquisitiores, & nonnunquã de pituita, vel salsa, vel acida, vel vitrea, aut vno vel alio modo ventis alterata, quales sunt illæ spuriæ siue nothæ, ita quidem ipsa ad hos vel illos ventos spectare credamus: sic
Aph.3.16. Aph.3.20. enim Apoplexiam, Epilepsiam ex pituita incrassata, hoc est humore crasso, frigido, pituitoso prouenire testatur Galenus cum Hippocrate; & tamen alibi asseuerare haud dubitauerunt, quòd ipsæ quandoque ex melancholia generantur: sed hoc non fit sine differentia. In Aph.6.65
Atque ita (quæso) ne more sinistro de istis meis scriptis iudicetis, in morbis reliquis pluribus imperiis assignatus.

Capvt III.

De meteoris morbosis regno huic imperii Occidentalis spirituali attributis, quorum principem, siue cardinalem Nebulam statuimus catarrhosam, siue Rheuma.


VT in tribus aliis præcedentibus imperiis ventosis morbos spirituales habemus, seu in eorum regnis spiritualibus inuenimus, ita quidem in isto Occidentali, quorum alii sunt qui spiritum, siue animum microcosmi afficiunt, alii verò cùm animum tum corpus simul. Nam quemadmodum in macrocosmi spiritu aërem in nebulam conuerti cernimus seu vaporem aqueum, vti iuxta flumina & stagna faciliùs videre possumus, ita quidem afflatu Occidentali, & precipuè vbi Sol descendere solet, quo tempore venti Occidentales leues excitantur, atque etiam quando statis temporibus aliquis ex illis tribus ventis spirat, aër spissior fit, & in speciem consistentiæ nebulosæ, madidæ & frigidæ frequẽter coagulatur; idq; multiformiter & variè: deinde illa nebulosa consistentia in pluuiam vel substantiam roridam distillat, quæ tum postea moderato terræ fumo mediocriter frigido coagulatur. Pari siquidem ratione in spiritu humano siue microcosmico vapor pituitosus & quasi nebula aquea congregatur ratione aëris externi, seminibus venti alicuius alarum Fauonii diu flantium & in aëre dominantium repleti quæ aër hominis inspirat. Hinc ergo accidit in animo seu spiritu Grauitas & Hebetudo insensibilis, & inagilitas in motu, idq; præcipuè in pituitosis naturis, quoniam sine manifesto calore, imò verò notabili quodam frigore, respectu vaporis illius quem mittit Meridies, incrassatur spiritus seu medium vitæ humanæ. Porrò etiam stupor Occidentali madore atque amentia inducitur tam corpori quàm animæ quem sequuntur in animo Amentia, & in corpore Paralysis, atque balbuties siue defectus linguæ. Et quãuis de hisce morbis in ventis aliis mentionem fecimus, atque etiam Epilepsia, videlicet Septentrionalibus & Australibus, tamen sciendum est, quòd isti morbi à ventis Borealibus & præcipuè à Circio sunt magis rebelles & à crassiori & magis terrestri materia, vt infrà latiùs. Hîc ergo ordine exactiori hæc meteora spiritualia sic expressimus:



De stu-

De stupore antea loquuti sumus sufficienter, tam animi, quàm corporis, & probauimus, quòd Amentia sit quædam quasi mentis siue spiritus paralysis, & consequenter quidã ipsius mentis stupor: atque istum Sacræ Scripturæ locũ pro hoc citauimus. *Percutiam omnem equum in stupore, & ascensorem eius in amentia.* Diximusque, quòd iuxta Galeni normam amentia habetur pro rationatricis functionis quasi paralysi. *Zach. 12. 4. De sympt. diff. c. 3.*

Etiam de Scotomiæ & specierum ipsius conditione copiosè *in præcedentibus* disceptauimus, quare de rebus istis plura non agemus.



PARTICVLA SECVNDA, SEV REGNVM OCCIDENTIS HVMORALE.

CAPVT I.

De meteoro huius regni cardinali siue principali, & quòd sit Rheuma, siue defluxio, seu distillatio.

SI intuitu paulò accuratiori nebulæ, seu vaporis Occidentalis naturam introspiciamus, percipiemus quidem ipsam in conditione sua variari iuxta ipsius venti spirantis positionem vel versus Meridiem vel Septentrionẽ: nam quæ ab ala Occidentis Meridionali fit est magis tenuis & ad caliditatem procliuis; cùm è regione quæ ad Septentrionem vergit est crassa & viscida magis, atque ad frigiditatis impressiones pronior: at quæ à flatu cardinali oritur est moderatè frigida & humida, & à naturæ humanæ meta haud aberrare solet. Hinc ergo est quòd nebulosam & madidam istam consistentiam Rheuma vocamus spirituale, seu potiùs substantiam Rheumaticam, quæ de facili in defluxionem humoralem coagulatione (& præcipuè in cerebro propter loci frigiditatem) migrarè assolet. Hinc igitur est, quòd Rheuma tenue est tenuiorum regni Occidentis humorum defluxio seu decubitus; vt & illud ipsum, spissorum & viscidorum morborum seu meteororum præternaturalium fontem atque scaturiginem esse credimus. De istis igitur in hunc modum:

Cardinalis & princeps regni Occidentis humoralis est Rheuma, sub quo si sit
- Tenue, continentur
  - Catarrhus.
  - Hydrops.
  - Fluxio ventris Diarrhœa dicta, & quælibet alia pituitosa.
- Spissum & magis viscosum, comprehenduntur
  - Scotomia.
  - Epilepsia.
  - Paralysis.
  - Balbuties.
  - Abortus.

Quòd vapor aqueus compositione tenuis & non vnctuosus facillimè in madorem admodum fluxibilem vertatur, testatur experientia; quam fluxibilitatem Rheuma vocabulo generali vocamus, cuius species maximè eminentes sunt, Catarrhus, Bronchus & Coryza: tametsi etiam quælibet alia fluxio tenuis sub isto genere comprehendi potest, videlicet Hydropisia, & omnis pituitosus ventris fluxus; nam cùm hydropisia ortum suum habet à nimia hepatis vel lienis intemperie frigida, cùm videlicet propter natiui caloris defectum chylosa substantia non in sanguinem, sed in vaporem aqueum conuersa distillat & penetrat per poros in cauitatem viscerum, ibiq; non modo peritoneum & musculos abdominis extendit; & in aquam coagulatur, verùm etiam ad inferiora fluit, atq; tibias cruraq; vltra mensuram implet & premit, vti in Ascyte apparet: imò verò nonnunquam per vniuersos corporis musculos se transfundit eosq; tumefacit, vt in Anasarca & Leucophlegmatia videre licet, haud iniuria ipsam hydropisim inter Rheumatis species numerare possumus, cùm Rheuma sit nihil aliud quàm defluxio seu decubitus humoris seu vaporis madidi à loco in locũ. Morbi item hydropici atq; ipsius curationis meminit egregius ille Medicus & Euangelista Lucas. *Luc. 14. a. 2.*

Denique quilibet ventris fluxus si sit aqueus & phlegmaticus, cuiusmodi est vtplurimùm
Aph.7.30. Diarrhœa & Lienteria (de quibus Galenus & Hippocrates hæc: *Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit:*) hic (inquam) simplicibus ventis Occidentalibus est referendus. At verò si aut salsedo aut natura ignea cum biliosa influxione coniungatur, tunc aut ventorum Australium dominationi super Aquilonaribus, siue mixtioni vẽtorum calidorum cum Occidentalibus prædominantibus referri debet. Sed hoc quidem experientia inuenerunt cùm Galenus, tum Hippocrates esse verissimum, vt ex his Galeni
In Aph.3.11. *super Aphor.* Hippocratis colligere sat est: *Difficultate intestinorum seu dysenteria capiuntur quando hyems est Australis & clemens, Ver autem siccum & Aquilonium, quia tunc fit pituita salsa, mordẽs & abradens intestinum.* Quibus liquet, quod fluxus omnes sequantur ventorum temperies.
Aph.3.12. Iterum Hippocrates: *Pituita à capite ad ventrem fluens facit ventris fluxum*: vbi intendere videtur de pituita dulci vel insipida quæ ab Occidentalibus ventis simplicibus ortum suum vi-
Ibid. detur ducere. At vero alibi videtur ipse asseuerare, quòd sit pituita salsa quæ potissimùm facit fluxum, fons autem rheumatis videtur esse cerebrum, vtpote in quo (testante Galeno *loco prædicto*) maximè generatur pituita; quod etiam familiaris nos docet experientia.

Hoc verò in loco obiter est notandum, quòd vbicunque inuenimus humorem pituitosum aut cum bile, aut cum melancholia, aut cum sale mixtum, ibi necesse est quòd in procreatione istiusmodi humoris varia ventorum vel oppositorum vel transuersalium seminaria siue naturæ concurrant, videlicet dominante Orientali super Occidentalem bilis intensa cum pituita, at Occidentali dominium habente, pallida & aquea, si Auster præualet super Aquilonem salsedo pituitæ. Imò verò sciendum est, quòd quantum magis accedit Occidẽtalis ad naturam seu situm Meridiei, eò quidem ad salsedinem magis tendit eius humor, & per consequens ad distillationem propter suam tenuitatem & penetratiuam facultatem est pronior: vt è regione quò magis vergit ad conditionem & situm Septentrionalem, eò magis ad naturam crassam, vitream & acidam inclinat.

Hîc videtis me more Galenico & Hippocratico egisse, quò faciliùs ad veram humorum istiusmodi cognoscendorum metam dirigatis: verùm si rem ipsam nucleotenus introspiciatis, luce clariùs percipietis istos humores nihil esse, nihil posse, nihil agere per se, & à se non magis quàm nubes sine vento intrinsecus agente aut conflari aut moueri, aut aëre sustineri, aut in guttas dissolui, aut sonitus tonitruales edere, aut suspiria igniuoma siue fulgurea emittere possunt, nisi ab intus à spiritu angelico seu dæmonico quodam subtili, qui sunt æternæ Sapientiæ (omnia prout ei placuerit facientis tam in cœlorum exercitu, quàm habitatorib⁹
Psal.104. terræ) ministri moueantur, vtpote sine quibus verbum non efficitur, teste Psalmista, qui etiã
Psal.148. alibi: *Ventus procellosus efficiens verbum Dei.* Nam quàm, obsecro, absurdum foret, credere rem mortuam & minimè animatam posse quicquàm per se agere? imò verò seriò considerandum est, quòd nullus etiam humor aut vapor, aut corpus existere possit nisi præsentia Verbi omnia creantis, & in lucem producẽtis, quod mediantibus suis ministris operatur omnia in omnibus, videlicet more ventoso in tenebrosis & frigidis per Angelos, seu dæmones proprietati ipsius occultæ contractiuæ inseruientes, videlicet Boreales & Occidentales, vel more igneo & fulgurante proprietati ipsius manifestę & dilatanti subiectos. Quare certum est, quòd Medici illi Ethnici cum cane Æsopæo vmbram acceperunt pro vera substantia, præstigiosum simulachrum pro sola veritate, externum pro interno, circumferentiam pro centro, atque ita tenebris obfuscati, atque ignorantia rei tantæ profunditatis ducti errauerunt, discipulosq; suos etiam Christianos errare fecerunt, quorum est (idque imprimis cùm sint Christiani) cognoscere, quòd ipsorum Christus sit *sola in mundo veritas omnia operans in omnibus*, & non externa creatura, quæ est merum figmentum; sed non est mirum, quòd Christianorum huius seculi pars maior tanta seducantur ignorantia, vtpote qui negant, seu potiùs ignorant istam solam veritatem ipsis inesse, & quòd in ea & per eam moueantur & ducan-
Actor.17. tur, iuxta textus sacri normam, quòd *in hoc verbo existat eorum vita & sancta lux*, sed existimãt
Ioan.1. seipsos, videlicet nobilissimum hominem, esse vilem solummodo puluerem & cineres, ex quibus eorum externum fabricatur, atque ita totum pro parte & domum pro domino malè accipiunt: qua ratione in extremum Idololatriæ gradum coincidunt, creaturam cognoscere in ipsis atque indulgere, creatorem verò in eorum centro habitantem, puppimq; corpoream gubernantem ignorare. Imò verò rem quidem profanissimã esse publicare Deum esse præsentialiter in nobis, atque etiam in nobis in rei veritate mouere, & operari in nobis omnia in omnibus, non aliter quàm in mundo maiori, & consequenter non aliter in quolibet vapore, humore & corpore microcosmico quàm in illis macrocosmi. Atque hæc est illa humani generis miseries, de qua intendit Psalmista regius, vbi ait, *hominem esse in honore, sed non intelligere.* At si quis vtcunque desperatione raptus intelligeret rectè, quàm pretiosus sit

ſus ſit anima humana theſaurus, & quomodo mediante ea alligetur naturæ diuinæ, in deſperationem tantam nunimè incideret, nec exiſtimaret ſeipſum à domino totius veritatis adeò eſſe remotum & derelictum. Sed iam ad craſſam & denſam Rheumatis ſpeciem me conuertam.

CAPVT II.

In quo de denſa & magis lenta defluxionis ſpecie verba faciemus.


DE Scotomia mentionem faciunt varii Scripturarum loci, ſimul atque Amentia; de quibus quoniam *in præcedentibus* verba fecimus haud pauca, atque etiam de Paralyſi, qua affirmauimus Alcimum diuina voluntate fuiſſe percuſſum: nam (teſte Scriptura) *mediatione illius impedita ſunt opera* ſiue functiones *eius, & occluſum eſt os ipſius, nec vltra potuit loqui, & diſſolutus eſt Alcimus in tempore illo cum tormento magno.* De ipſa agit *Matth.* 4. 24. & 8. 6. & *Marc.* 2. 3. & *Luc.* 5. 18. & *Actor.* 8. 7. Porrò etiam de Epilepticis (quos textus ideo Lunaticos vocat, quatenus manifeſtis Lunæ ſtatibus morbus iſte eos afficit) loquuti ſumus *alibi*, aſſeuerantes cum textus ſacri conſenſu, morbum iſtum lunaticum (quem Epilepſiam & morbum Comitialem dixere Ethnici) eſſe à malo, immundo & muto ſpiritu effectum ſeu ortum, & quòd ſigna hæc ipſum ſequuntur, videlicet ſubitò cadere, ſiue ſit in ignem, ſeu in aquam, ſeu alibi, ſpumam in cadendo edere, dentibus ſtridere, allidere ſeipſum, & areſcere, ſubitò clamare, &c. In omnibus verò hiſce locis agnoſcunt authorem iſtius morbi fuiſſe dæmonium ſeu ſpiritum immundum, quem Marcus vocat *ſpiritum mutum*: quare à Galeno agnoſcitur, ob occultam eius naturam eſſe morbus ſacer, & aliquid in ſe diuinitatis comprehendere. Et Pſellus ait, *Dæmonium iſtud eſſe vnum ex illis qui in ſpecie aquatilium aut aquatilium cum ſubterraneis continentur.* Et proculdubio iſtiuſmodi dæmones numerantur inter eos, de quibus textus ſequens: *Spiritus potentiæ & ſpiritus virtutis ſtabit contra impios tanquam procella ruens, vel turbo venti iactabit eos.*

1. *Macch.* 9. 55. — *Matth.* 17. *a.* 15. — *Marc.* 9. *a.* 17. — *Luc.* 9. *a.* 39. — *Sap.* 5. 24.

De Moyſis etiam balbutie mentionem facit Biblion ſacrum, & de mutis atque linguæ impedimentis in locis diuerſis aliis, quæ linguæ paſſiones à nimia humiditate & frigiditate prouenire dicuntur.

Denique, quòd abortus ſoleant à mucoſa & humida in vtero materia contingere non modo Galenus, ſed etiam omnes in medicina bene verſati experientia ſunt experti. At cùm venti Occidentales aquarum in aëre humiditatem afferre ſoleant, ſimulatque Auſtrales humiditatem magis vaporoſam & æſtuoſam, non eſt mirum, ſi iſtiuſmodi venti ad faciendos abortus manifeſtè adiuuant, quamuis ſpiritus in homine aptus eſt ſequi diſpoſitionem aëris interni, & præſertim ſi ipſe ad diſpoſitionem venti flantis & dominantis ſit procliuis & aptus. De abortu iſtiuſmodi mentionem facit Scriptura pluribus in locis, vt *Num.* 12. 12. &c.





PARTICVLA TERTIA, SIVE REGNVM OCCIDENTIS CORPORALE.

CAPVT I.

Quid sit meteoron ex plaga Occidentali morbidum corporale, & qua ratione fieri & coagulari soleat.



ETEORON insalubre plagæ Occidentalis corporale non est aliud, quàm aqua visibilis inferioris substantiæ in consistentiam septentrionalem gradatim transiens; seruata nihilominus natura sua aquea, seu phlegmatica: Sic enim videmus in macrocosmo, quòd aqua nubes est consistentiæ mediocriter tenuis, & tunc se habet absolutè vt substantia nubis liquefacta quam Fauonius produxit: nam vt cardo Occidentalis est in exacta medietate inter extremam siccitatem & spissitudinem Septentrionalem, & humidam tenuitatem Meridiei, ita quidem necesse est vt res sub eius dominio in medio tam respectu consistentiæ suæ quàm in qualitate se habeat inter hæc duo extrema, videlicet non adeò frigida & sicca, & consequenter non ita compacta & congelata ac illa sub ditione Boreali, nec tam subtilis & attenuata atque illa Australis, sed in medio, hoc est, nec in constitutione aërea, nec terrea, sed absolutè aquea. At verò si magis tendat ad proprietatem Septentrionis, tunc eò magis ac magis paulatim coagulari cernitur atque indurari: sic aqua quidem siue pluuia, niue vel grandine permista, in massam magis densam & glutinosam fieri testatur experientia: at verò si magis fuerit compacta, in substantiam niualem migrabit: at si gelida adhuc Septẽtrionis natura persistat & præualeat, in naturam gelidam siue glacialem erit mutata; & tunc de statu Occidentali in Septentrionalem condensando & indurando transit, seruata nihilominus natura aquea, nam humiditas aquea inest gelu, estq; ipsius occultum, tametsi transfiguratione in consistentiam terream sit mutata: atque ita aqua mutatur in terram coagulando. Pari siquidem ratione pituitam in homine paulatim constringi & conglomerari cernimus primùm in substantiam mucosam, seu viscidam, seu glutinosam, atque illa iterum in massam magis solidam, vbi inter musculos vel cutim atque carnem, siue extra locum suum proprium congregata est, redigi plerumque solet: nam imprimis vapor talis penetrat per venas in musculos, & tunc in illis propter frigiditatem externam in serosam consistentiam condensatur, & concoctione facta inter calorem internum expellentem & frigora externa repercutientia facillimè in duritiem conuertitur, & vndique in corpus præternaturale durum comprimitur, naturam nihilominus suam phlegmaticam, seu aqueam, atq; stupidam, seu vix sensibilem obseruans, vnde sequuntur illi tumores, quos *capite sequenti* explicabimus.

CAPVT II.

Meteora corporalia regni Occidentalis sunt	Oedema.		
	Hydrops	Anasarca.	
		Leucophlegmatia.	
	Scirrhus à phlegmate.		

Nat. hum. com. 1. 25. DE istiusmodi humoris pituitosi differentia *capite præcedenti* citata sic loquitur Galenus; *Pituita quandoque humida vt fluat quemadmodum alii humores, interdum abundè crassa, ita vt nunc aquosa nunc crassa, & ad puris imaginem.* Atq; *alibi*, quòd *reddatur viscosa multò viscosior à mora in loco adeò calente.* Sed ista pituita q̃ calore solo coagulatur nõ est illa de qua hîc intẽdimus, sed potiùs illa, q̃ tum fit, tum quidẽ coagulatur à frigore. *Fit enim pituita*, teste Hippòcrate, *in hyeme ob multã aëris humiditatẽ aqueam*, narratq; eã esse omniũ frigidissimã: vnde fit, quòd frigore facillimè cõdẽsari potest in massã, vti apparet in illa pituita alba à Græcis Leucophlegmatiã dictã, q̃ in vasis & in corporis totius habitu solet aceruari & coagulari. Atque istam

Vsu part. l. 5. c. 4.

De nat. hum. 33.

istam pituitæ speciē videtur ipse distinguere à præcedenti in his, *Pituitæ duo genera, vnū veluti vstum & supra modum in succu coctum Græce φλέγμα dictum ob eādem rationem; hoc alij mucum vocant: at alterum est frigidum & humidum, seu succus frigidus & humidus:* atque hæc est illa species, de qua nos hic præcipue, tametsi etiam & omnis dutities à prima specie orta non excedit istum regnum: verum tales humores cum calore putrescente vt plurimum permiscentur, de quibus ipse alibi sic. *Pituita à propriis vasis in membra effusa tumores.* A priori specie videlicet crassa & glutinosa fiunt tumores admodum duri, sed magis insensibiles, ab altera magis molles, cuiusmodi sunt Oedemata: quod etiam paucis sic asseuerare videtur Galenus. *Vt Oedema à pituita tenui, ita à crassa & glutinosa vnum scirrhorum genus.* Vnde videtis, quod tam Oedema quam Leucophlegmatia oriatur, ex pituitoso excremento: verum etiam facit Galenus inter has duas species differentiam, videlicet, quod si istud excrementum pituitosum proueniat in toto corpore, tunc succedit hydrops leucophlegmatia dictus, cum vero vnā insedit particula dicitur Oedema, quod est indolens & laxus tumor, vtpote ex pituita magis aquea conflatus, cum viceuersa scirrhus phlegmaticus sit magis durus & compactus, quatenus à pituita viscida & dura compositus.

In Aph. 7. 71 De nat. fac. l. 2. 9. De Hipp. & Plat. dog. l. 8. 7. Tum. præt. nat. c. 10. De sympt. caus. l. 3 c. 1.

Denique istiusmodi medicorum Paganicorum doctrina soli obseruationi & opinioni innitente videmus, quod ex spiritus madidi occidentalis consistentia, pituita nempe, corpora tam laxa quam dura in corpore humano conflari solent: atque ita materialem rectè à posteriori assignant causam, de primo vero motore siue actu aut authore ne cogitauerunt quidem, solum modo imaginantes quod calore aut frigore hoc fiat, minime considerantes, quod istiusmodi qualitates sint agentium angelicorum flatuum effectus, & quod radicalis eorum incitator & imperator sit ipse Iehoua mirabilis & omnipotens, qui iuxta voluntatem suam facit in cœlis & cum habitatoribus terræ, idque mediantibus organis suis angelicis ab hac vel illa mundi quarta voluntatis diuinæ effectus per verbi afflatus eminentibus. Dicimus ergo nos, quod pituitosorum humorum siccatio fiat à flatu Dei sicco vel orientali, vel in muci & phlegmatis condensatione, à qua scirrhus, vel à septentrionali congelatione, à qua œdema & leucophlegmatia: hinc eorum frigiditas, & insensibilitas, & laxitas, quasi ex pluuia & niue vel grandine mediocriter dissoluta, vel ex concursu vtriusque, vbi substantia scirrhosa non est dolorosa nec tam dura.

Quod autem Deus Iehoua suis ventis operetur in desiccatione aquarum & humectatione, seu relaxatione earum ex pluribus contextus sacri locis videre licet. Atque vt ad plagæ huius occidentalis naturam & eius oppositam me conuertam; vt quidem Iehoua suo afflatu orientali mare rubrum exiccauit, ita iterum flatu suo opposito, siccitatis vincula ita relaxauit, vt aquæ more solito illam maris plagam copiosè & abundanter occuparent: nam textus est talis: *Euro vehemente Iehoua abegit ipsum mare tota illa nocte; & redegit mare ipsum in siccum, & flatu narium eius coaceruatæ sunt aquæ.* Exod. 15. At de vento opposito seu occidentali sic. *Vento tuo flauisti & operuit eos mare.* Ita vt videmus Iehouam contrarijs vijs hisce contrarijs ventis operari. Exod. 10. 13. Similiter *alibi. Iehoua duxit ventum orientalem siue Eurum toto die illo & tota nocte, mane erat cum Eurus ille apportasset locustas.* At è regione ventum occidentalem vehementem immisit Iehoua ex aduerso; qui sublatas locustas illas defixit in mare algosum. Quibus intueri fas est, quomodo Deus per contrarios hos ventos struit & destruit. Sed pro priori exemplo desiccando viam per mare, atque iterum submergendo eam, Cabalistica nos docet traditio, quod Deus illud mediantibus suis angelicis ministris effecerit: Reuchl. l. 3. de art. Cab. nam sic ait Reuchlinus ex sententia Rabi Simonis; *fuisse angelos multos qui ad tantum & tam admirandum Moysis opus concurrerant, cum aquas maris ita diuideret vt Israëlitæ siccis pedibus transirent:* quod etiam possumus ex ipsa sacra Scriptura deprehendere, ne quis me veteratorem putet, verba namque diuina hæc sunt: ויסע מלאך האלחים: id est, *& migrauit angelus angelorum. &c.*

Nam *Elohim* dicitur angelus, & pro angelo accipitur. Quibus arguere videtur quod Iehoua multis vsus sit illo in negotio angelis, & quod tales angeli procederent ab illa plaga à qua ventus spiraret, videlicet ab oriente; & iterum quod virtute angelorum venti oppositi sint repercussi à desiccatiuo suo negotio. Nec quidem me angelos vnius Iehouæ proprietatis alios alterius oppugnare & propulsare dixisse mirum videbitur, aut inconsulte à me prolatum, si verba ista prophetæ auscultaueritis: *Ecce* (inquit) *quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Vbi per ventos intelligit commentarius quatuor intelligentias, quæ Daniel. 7. præsident quatuor mundi cardinibus: quare non est mirum, si inter angelos proprietatis diuersæ, orientalem videlicet & occidentalem cum suis consortijs sit quandoque bellum & contentio, in qua qui fortior est suos in actum producit effectus. Vbi etiam per conflictum illum qui factus est inter Gabrielem & principem Persarum, in quo Gabriel auxilium

Michaëlis aderat luculenter explicatur: quemadmodum idem atteſtatur Propheta. In exemplo vero poſteriori, vbi proprietas ſeptentrionalis concurrit ad condenſationem pituitæ vnde ſcirrhus euenire notatur; Euidentius eiuſdem rei teſtimonium habere non poſſumus, quam verba paginæ ſanctæ hæc, quæ ſequuntnr: *Iehoua emittit niues ſicut lanam, & pruinam ſicut cineres diſpergit, deijcit gelu tanquam fruſta*; vel vt Iob habet, *Coarctat ſuperficiem aquarum, coram frigore eius quis conſiſtat*? Hic eſt ergo naturæ aqueæ per gradus manifeſtos in diuerſiſſimam ſubſtantiam, flatu ſeu proprietate ſua ſeptentrionali: in qua nihilominus coarctationis ſpecie aqua vtcunque concreta ſuam in ſe extrinſecus proprietatem retinet: nam ſi in oppoſita ſua proprietate diſſoluatur iſtiuſmodi ſubſtantia, iterum habebit priſtinum aquæ ſpecimen, vnde textus ſequens. *Simul ac efflat ventum ſuum effluunt aquæ*; hoc eſt, niues & gelu iterum in formam & fluxibilitatem ſuam aqueam reuertuntur afflatu eius occidentali, vel meridionali.

Pſal.147.16

Denique, quod Iehoua hæc omnia; magna Angelorum ſuorum comitante caterua præſtare geſtiat, concludit iſte pſalmiſtæ regij locus. *Dei currus duæ ſunt myriades Angelorum, multa millia Angelorum, Dominus cum illis eſt, Dominus Sinai in ſanctuario habitans, &c.* Quo ſermonis filo arguit reuera, quod Deus immediate mediantibus ſuis organis angelicis, quicquid vult in cœlis, & in terris operetur; vtpote, quorum eſt, teſte Pſalte, *efficere verbum eius, & in forma ventorum inuiſibilium vel miniſtrorum ardentium complere placitum ſuum.* In hunc igitur modum dictus eſt ipſe ab Apoſtolo *operari omnia in omnibus, & quod ab eo. & per eum, & in eo ſint omnia*; videlicet à Deo patre tanquam vnitate radicali, per Deum filium tanquam Angelorum principem & imperatorem, qui ſunt ſacra Dei radicalis organa, in Spiritu ſancto, virtute cuius omnia concluduntur, ad ſignificandam perfectionem vnius. Concludimus ergo, quod iuxta Apoſtoli normam, Dij ſiue Angeli *dicuntur eſſe in cœlo & in terra*. tamen veris Chriſtianis vnus ſolummodo agnoſcitur *Deus pater. à quo* tanquam radice ſumma, *omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. imo vero & ipſi Angeli, & omnia creata. Deo ergo patri, à quo omnia, & Ieſu Chriſto filio, per quem omnia; & Spiritui ſacroſancto, in virtute cuius exiſtunt omnia, ſit laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCLVSIO, SEV LVCVLENTISSIMA LIBRI *iſtius quarti Abbreuiatio.*

QVONIAM prædicta libri huius tertij methodus cuipiam fortaſſe obſcura, & non ita contracta videbitur, tametſi illa Galeni, vtpote infinita eſt iſta multis gradibus ſuccinctior & accuratior, vt & illa *in libro huius ſecundo* expreſſa. Ob iſtam igitur cauſam morborum illorum iuxta paginę ſacræ ſenſum differentiam in hunc modum quam breuiſſime contrahere me ſuadebat ratio: quod quidem vt meliori diſcretione atque ordine compleam, abbreuiationem iſtam noſtram ſecundum quatuor mundi ventos cardinales in quatuor diſtinctos gradus concluſi, quorum prior de ſpiritu ſeptentrionali, atque ipſius effectibus prę ternaturalibus tractabit; ſecundus de ipſo occidentali cum ſuis, tertius de orientali cum ſuis, atque vltimus ſpiritum meridiei corruptum atque meteora morboſa exinde orientia comprehendet. In genere ergo ſic.

Ex plaga Catholica in regione ſublunari Naturæ humidæ	Septentrionali.	Afflatu ſuo Angelico creat Iehoua ſpiritum	Stuporis, ſiue Congelationis Terreum.
	Occidentali.		Madoris, ſiue laxationis Aqueum.
	Orientali.		Ardoris, ſiue aduſtionis & conſumptionis Igneum:
	Meridionali.		Fœtoris, ſeu putredinis atque diſſolutionis Aëreum:

Mercurius Triſmegiſtus vocat materiam illam immenſam & primordialem ex qua ipſa tum poſtea elementa quatuor ſunt ſpagyrica verbi æterni operatione extracta, exſciſſa atque efformata Naturam humidam. Verba eius ſunt iſta. Et Moyſes illam dictitauit *aquas*, cui etiam aſtipulatur D. Petrus, dicens *cœlum & terram fuiſſe prius ex aquis & in aquis effecta*

2.Pet.3.

ficta. At quod totum hoc opus sit afflatu vnius spiritus Elohim Ruach completum, arguunt ista Antistitis. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* At vero quod iste *spiritus vnicus & simplex afflatu multiformi cœlum & terram creauerit, & ab inuicem distinxerit*, hinc inde concludimus, quoniam opera fecit ab inuicem natura & proprietate diuersa, imo vero oppositissima, videlicet, cœlum & terram; ignem & aquam, aërem & aridum. At vero quatenus erat ipse totus spiritus, & in actione sua spiritualis, eatenus certum est, ipsum per emissiones seu emanationes suas spirituales, hoc est; ventos angelicos varie esse operatum in hoc mundo. Vnde Dauid: *Verbo Domini firmati cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* At virtutes mundanæ sunt inuicem oppositæ: Ergo ab oppositis proprietatibus, siue voluntatibus vnius spiritus æternæ Sapientiæ simplicis in se semper permanentis fixi & immobilis, qui quicquid vult facit in cœlis & in terris. Hinc dicit Sapiens, *Spiritus sapientiæ sanctus est simplex & tamen multiplex*, simplex in se, hoc est, in sua essentia, multiplex gratia multiplicium suarum emanationum: sic quidem ignem videmus, constanter in eodem gradu & natura ardentem; & tamen idem ignis non mutata natura candelas accendere, domos comburere; puluerem bombardalem in malum animare, panem in bonum coquere, corporaque aut beneuole suo calore fouere, aut extremo suo æstu vrere atque consumere. Pariformiter eundem spiritum humanum in forma halitus ignem fere extinctum illuminare, iusculum nimis calidum refrigerare, manus admodum frigidas calefacere, bullas ex sapone vel re alia vnctuosa in aërem eleuare, aërem in aquam mutare, fistulam grauem grauiter, acutam magis acute sonare, verba tam bona quam mala edere, tam negare; quam affirmare; & tamen in eo est vnicus motor externus igneus, vnicum subiectum spirituale & aëreum; vnicum & solum organum vocale quod asperam vocamus arteriam. Sed ne à proposito meo diutius abertem, sic progredior.

Gen.1.
Sap.7.

I. *Gradus est Septentrionalis.*

À radice spiritus *Stuporis* præternaturaliter descendunt meteora { Spiritualia. / Humoralia. / Corporalia. } Quorum caput & principale est *Lepra*.

Vt videmus, quòd vita & sensus consistat in humido radicali & calido innato; ita quidem necesse est, quod illud quod obtundit ista vitæ & sensus fundamenta inducat *Stuporem*, qui est primus mortificationis gradus. At frigus plagæ Borealis fixum; mobilem calidi innati actum fixum reddere & immobilem facere tentat per viam naturæ oppositam; atque etiam eius siccitas coarctat & constringit fluxilem & mouentem humidi conditionem, vnde fit vt flatus Dei congelans, contra quem nemo consistere potest, producat stuporem tam in spiritu, quam humore & solido cum macro, tum microcosmi imperio.

Hinc producuntur ab isto stuporis afflatu in humano {
- Spiritu { Tristitia. / Pauor, seu Timor. / Amentia, &c. } Suntque meteora magis spiritualia.
- Humore & spiritu simul { Paralysis. / Catalepsis. / Apoplexia. } Atque hæc sunt meteora magis humoralia.
- Corpore, seu membris solidis *Lepra*, sub qua continentur { Cancer. / Podagra. / Hæmorrhoides. / Omnis scabiei species. } Quæ sunt meteora magis solida.
}

De spiritualibus spiritus siue afflatus stuporis meteoris Scripturæ sacræ hæc habent.

Expauit Isaac stupore vehementi, &c. Vbi pauorem à stupore & cum stupore euenire indicat. Gen.27.33.
Et *alibi. Vestimenta sua varia abijcient, & induentur stupore.* Atque de istiusmodi spiritu Ezek.26.16
intendit sermo iste. *Ecce ego indam ei spiritum vt audito rumore reuertatur in terram suam*; id 2.Reg.19.7.
est timor perculsus.

Pro tristitia hæc. *Contritus & contristatus stupor obtinuit me, &c.* Et reuera tristitia est nihil aliud,

aliud, nisi fixatio, & quasi congelatio spiritus humani, vnde fit, vt circa hoc idem semper fixus manet ipse. Hinc ergo vt plurimum oculos diu in terram vel alium locum fixos adhærere percipietis.

Spiritum autem istum à Iehoua procedere arguunt hæc:

Isai.29.9. *Obstupescite, fluctuate, vacillate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis.* Et alibi. *Percutiet*
Deut.28. *te Iehoua amentia, cæcitate & stupore cordis. Percutiam omnem equum in stupore & ascensa-*
Zach.12.2. *rem eius in amentia, &c. Amentia autem definitur ipsius mentis paralysis.*

De morbis autem cæteris tam humoralibus, quam solidis alibi satis, videlicet in imperij septentrionis regno secundo & tertio, quare vos ad illa remittemus. Hic vero solummodo de morbo plagæ septentrionalis principali atque capitali *Lepra* videlicet, verba licet pauca, tamen vtilia (vt spero) effundam.


Lepra.

Videmus siquidem, quod in stirpe, planta, vel herba, verbi gratia in ipso fœniculo, radix (& præsertim eius internum) sit admodum dura, eius vero trunculus magis mollis & tener: at vero eius folia & rami adhuc molles & subtiles; atq; in ipsis seminibus quæ in summitate crescunt præcipua totius plantæ virtus, videlicet vis ignea manet: ita vt videmus quod ipsa in suis partibus elementorum dispositionem ordine imitetur, quorum radix est Terra, truncus quasi Aqua, folia tenera Aër, & semina Ignis. Pari siquidem ratione in ventorum effectibus capitalibus res sese habet: nam eorum radix terrea seu Borealis & magis dura & compacta; quare capitale eius meteorum videlicet Lepra à scriptis sacris toties allegata in dispositione sua solida locum inter morbos principalem sibi vendicat, in qua, tametsi sit solida, corporea & dura, tamen omnes alios videtur sui Imperij Borealis morbos non aliter comprehendere quam corpus in se possidet omnia hominis meteora insalubria, siue sint spiritualia, siue humoralia, siue corporalia: imo vero, quemadmodum truncum sine radice, & ramos sine trunco, & semina absque ramis non posse existere, ita quidem vnum elementum sine alio, siue alterius mixtione & concatenatione vnius cum altero nullo modo in rerũ natura durare queat: tanto enim nexu naturali vniuntur & commiscentur ipsa inter se, & consequenter necesse est, quod venti qui sunt elementorum radices, nexu reciproco sint ad inuicem ligati, videlicet septentrionalis ad occidentalem, vt terra ad aquam, occidentalis ad meridionalem vt aqua ad aërem, & meridionalis ad orientalem vt aër ad ignem. Quibus colligere fas est quod *Lepra* cum sit radicale septentrionis meteoron, omnium membrorũ non modo illius imperij septentrionalis vim & virtutem in se habet, verum etiam scintillam quandam specierum illarum quæ in aliarum trium imperiorum regnis concipiuntur: quoniam omne solidum ex quatuor elementis, & consequenter ex ventis quatuor qui ipsis sunt radices constare necesse est. Est ergo *Lepra* radix terra in septentrione plantata, truncus vero aqueus est *Epilepsia*, seu morbus Lunaticus, ramus tenerrimus aëreus *Pestis*, vtpote qui quasi ignis malignus nebulis seu aëre corrupto inuoluitur, atq; seminarium igneũ à quo ista omnia, est *Febris Ardens*, *Causos* dicta. Hinc igitur liquet, quod contagio sit in radice, videlicet *Lepra*, contagio in trunco, *Epilepsia* nempe, contagio in ramis, *Peste* scilicet, ac deniq; in semine contagio, vt in febre ignea pestilentiali demonstratur. At non sequitur, quin materia Lepræ, & consequenter Epilepsiæ, atque et Pestis & febris Causos possit esse sine contagione, vt in nodis septentrionalibus, cuiusmodi sunt Cancer, Scirrhus, Podagra, videre licet, qui ex eadem substantia Boreali melancholica videlicet, conflatur, ex qua *Lepra*, tantummodo ipsis deest spiritus infectio; vnde liquet, ꝙ cætera meteora septentrionalia ab ipsa *Lepra* comprehendantur, & tamen Lepra ab ipsis non comprehenditur. Lepra ergo in humorem dissoluta arguit humorem in se esse melancholicum, ex quo omnes morbi regni humoralis ex plaga septentrionali scaturiunt. At quod spiritum etiam Borealem in se contineat & in illum etiam resoluatur eius humor ex eo constat, quoniã contactu inficere assolet: at vero actus contagiosus sine spirituali vehiculo nocere nequit, vnde euidens est, quod Lepræ substantia cõprehendat sub se non modo omnes morbos ex parte Boreali contagiosos, cuiusmodi sunt Porrigo, Glabrities, Psora, Impetigo, Scabies, Pruritus, sed etiam non contagiosos qui tam in regno spirituali & humorali quam corporali comprehenduntur.

Quod autem morbus capitalis sit à spiritu *Stuporis*, in eo primum arguitur, quod sit quædam profunda mortificationis species, vtpote à qua videtur caro viua in stuporem in-
Leuit.13.31. curabile reduci; vnde Textus. *Ecce tumor albus est in cute, & ipsa mutabit pilum in album, si aliqua*
& 4. *sanitas carni viuæ sit in tumore illo.* Et alibi, *Ne sit Miria similis mortuo cuius dimidia caro excisa est.*
Num.12:10. Quibus liquet, quod accidit sæpe cum mortificatione. Porro quod sit morb. ex melancholico humore testantur ipsi medici ethnici experientia instructi: similiter niualis in ipsa candor arguit frigiditatem & siccitatem, nam Borealis dispositio est niues & grandines & glacies mutare in illum colorem.


Deri-

Denique hæc est ratio, cur solidum tale meteoron assignauerimus plagæ septentrionali pro Capitali & radicali, quoniam scilicet vltima septentrionis perfectio est in coarctando & consolidando, cuius solida perfectio si calore relaxatur migrat in occidētalem hoc est magis laxam mollemq; dispositionem, vnde fit pituita spissa & lenta, quoniam adhuc non plene dissoluta: at si adhuc materia illa calore liquescat magis in naturam paulatim meridionalem & aeream tendet & erit substantiæ subtilioris, catarrhosq; subtiliores faciet & de facile in putredinem vergentes. Cùm vero substantia ista meridionalis magis adhuc calore orientali subtiliatur, tandem in igneam migrare naturam & substantiam animaduertitur. Vnde euidens est quod morborum in materiæ densitatis & rarefactionis ratione se habet, vt ignis in suo motu, hoc modo




Vt ergo ignis flamma in suæ pyramidis basi habet ligna solida in gradu secundo fumum grossum & densum & fuliginosum, in tertio aerem fumo mixtum, & in summitate aerem accensum; & tamen ipsorum vnum sine altero existere nequit; ita quidem se habet in nexu ventorum, elementorum & consequenter in nexu meteororum principalium ab ipsis ortorum. Pro Lepra legite *cap. 2. & 3. Membri primi particulæ 3. libri istius tertii*, vbi de isto subiecto reperietis plura.

Gradus secundus est Occidentalis.



Arboris ventorum generalis truncum in occidente esse positum affirmauimus, quoniam vt plantæ truncus grossitie & duritie est proximus, ita quidem elemētum aquæ (quod est immediatus venti occidentalis effectus) est in sua consistentia solida illi ipsius terræ (quæ est proximus venti septentrionalis effectus) proximum: vnde liquet, quod cum spiritus tum humor ipsius plagæ est densior illo Meridionali, & vice versa illis septeutrionalibus tenuior & magis subtilis.



De istis abunde in tribus regnis imperii occidentalis egimus: quare de ipsis plura hoc in loco breuitatis gratia non discurremus.

Epilepſia.


Ideo ipſam Epilepſiam quaſi truncum ad radicem ſeptentrionalem fecimus, quoniam partim à Boreali partimq; ab occidentali natura conſtare obſeruatur: nam fieri ſolet (vt ipſi Ethnici obſeruatione didicerũt) ab humore partim phlegmatico partimq; terreo, ac ſi quis diceret ex aqua magis ſicca & denſa quæ obturare ſolet meatus. Virtute igitur iſtiuſmodi meteori nexus in ſerie (meteorologica præter naturã cernitur inter ſeptentrionẽ & occidentem; vnde fit vt hic morbus non ſine notabili ſtupore fieri ſoleat. Hinc ergo eſt quod gratia contagioſæ ſuæ conditionis affinitatem & quaſi conſanguinitatem habet cum Lepra, atque reſpectu naturæ ſuæ ſtupidæ & turbidæ ex vno latere videlicet ex parte Cori amplecti & comprehendere videtur ſub ſe Scotomiam, vertiginem, ſuffocationes matricis, lethargiam, paralyſim aqueam, quę à relaxatione magis quam ſtupore fit, ſoporem, & huiuſmodi alia: ex altera parte Rheuma, ſiue Catarrhum, hydropem & ſimilia alia meteora quæ à pituita magis diſſoluta accidunt, & ad meridionalem cardinis occidentalis alam, Africum nempe, ſpectare videntur. Ita vt ſi naturam illam pituitoſam in Epilepſia nullo ad Borealem conditionem reſpectu habito conſideremus, à ſpiritibus magis aquatilibus prouenit, & congregatur eius madida ſubſtantia: vnde Pſellus ait *Epilepſiam eſſe à dæmonibus aquatilibus*. Atque ita iſtius capitalis meteori occidentalis natura madida ad omnia quartæ occidentalis meteora humida & aquea ſe extendere poteſt. At ſi iſta materia madida non ſit adeo laxã, ſed gelida & congelata magis, tunc innuere videtur Pſellus quod dæmones ſubterranei vel lucifugi etiam ad meteoron iſtud producendum agant. At vero quod ſpiritus quidam immundus & mutus ſit in iſto negotio præcipuus agens teſtantur ſcripturæ ſacræ.

Pro pleniori huius morbi explicatione, & ad probandum quod ſit morbus, ſequens notabiles Lunæ ſtationes, vnde à Matthæo ægrotantes lunatici ſunt dicti, & quod à dæmonio ſeu immundo ſpiritu efficiatur, &c. videatis velim *cap. 1. membri ſiue Regni primi Imperii ſeptentrionalis, particulæ ſecundæ*: atque etiam *caput quartum illius imperii & regni particulæ primæ*, in quibus de iſtis vberius & plenius.

Gradus 3. eſt Meridionalis.

A ſtirpe ſpiritus *Fœtoris* ſiue *putredinis* deriuantur meteora
{ Spiritualia.
Humoralia.
Corporalia. }
Atque iſtorum magis eminens & capitale credimus eſſe *Peſtem*.

De ſpiritu putredinis more Ethnicorum abunde *capite ſecundo particulæ quartæ, libri* iſtius ſubiecti *ſecundi* mentionem fecimus. Similiter de aere corrupto iuxta ſacrarum literarum ſenſum *capite tertio & quarto regni ſpiritualis in Imperio Meridionali* ſermonem ſatis copioſum fecimus: quare de iſtis iſto in loco plura non loquemur.



Peſtis.

Peſtem morbum haud inconſulte vocaui huius Imperij Meridionalis magis Capitalem & principalem, quoniam in regno putredinis contagioſæ ſceptrum gerit & coronam. Quod enim inter omnia meteora contagioſa Peſte ſubtilius, quodnam venenoſius aut lethalius excogitari poteſt? Vnde ſat liquido conſtat ipſam rite non modo omnes huius imperij morbos contagioſos ſub ſe comprehendere, cuiuſmodi ſunt Variolæ, morbilli, febres peſtilentiales, phthiſis, morbus Gallicus cum omnibus aliis ex iſtis meteoris dependentibus, videlicet gonorrhea, vlceribus Gallicis & Ægyptiacis &c. verum etiam omnes alios morbos meteorologicos qui ex parte putredinis Meridionalis ſe habent. De quibus omnibus more Ethnicorũ, ſed ratione certiori per *totam particulam quartam libri ſecundi de meteoris Meridionalibus* tractantem abunde: atque etiam vniuerſum *libri tertij membrum tertium* ſiue imperium meridionale affluenter. Hiſce ergo locis vos libenter refero ſi placeat.

4. *Gradus eſt Orientalis.*

A propria ſpiritus *Ardoris* ſiue aduſtionis & conſumptionis exurgunt meteora inſalubria
- Spiritualia.
- Humoralia.
- Corporalia.

Quorum principale ſeu Capitale eſt *Febris Ardens.*

Pro ſpiritu ardoris videte *caput primum & ſecundum membri* ſiue Imperii *orientalis, particulæ primæ* ſiue *regni ſpiritualis*, in quibus de iſto fuſius.

Meteora inſalubria & morboſa ex radice ſpiritus ardoris, quæ in regno orientali producuntur ſunt, vel
- Spiritualia, qualia ſunt
  - Iracundia.
  - Furor.
  - Temeritas.
  - Quæ ſunt meteora animi.
- Humoralia cuiuſmodi ſunt
  - Febris.
  - Morb. regius.
  - Siccitas ignea ſeu inflãmatio
  - Atque iſta magis ex humore conſiſtunt.
- Corporalia cui⁹ generis exiſtunt
  - Carbunculus, ſeu Anthrax.
  - Eryſipelas.
  - Herpes erodens
  - Et hæc ſunt ſolida.

Atque de iſtis copioſe in regnis ſiue particulis tribus Imperii orientalis diſceptauimus; quare vos ad eas referendos velim & cupio.

Febris Ardens.

Febris ardens ſeu Cauſos eſt quaſi ſummitas illorum meteororum quæ ex arbore ventoſa exurgunt: eſt enim intemperies febrilis agens vel magis vel minus ſenſibiliter, quæ cætera cæterorum ventorum meteora ad malitiam ſuam peragendam agitat atq; animat: nam ſine ſeminali virtute nihil creſcit augeturue: iſtud igitur meteoron vt eſt in natura ignea, ita quidem eſt ipſum admodum tenuium partium more ſui elementi quod repræſentat. Hinc ergo ipſum fecimus & ratione iuſta exiſtimamus eſſe meteoron huius plagæ oriẽtalis Capitale & magis generale, ſub cuius ditione omnia iſtius Imperij meteora ardentia, ſiue ſint ſpiritualia, cuiuſmodi ſunt Furor, delirium, intemperies calidæ, ſiue inflammationes omnes, ſiccitates, ſitis, &c. ſiue humoralia, qualia ſunt omnia febrium exquiſitarum & verarum genera, morbus regius, &c. ſiue corporalia, qualia exiſtunt Eryſipelas, Anthrax, herpes erodens. De quibus verba tot *in membro tertio*, ſiue *Imperio orientali* fecimus.

Concluſio.

Ex his quæ in abbreuiatione hac noſtra, eſt lucide licet breuiter narratum atq; explicatum videre poteſtis quatuor meteora illa morboſa capitalia, quæ principalem in ventorũ cardinalium imperiis locum atque ſedem ſibi vendicant. Quod quidem eo magis animo meo comprehendi, & ratione mea firmius impreſſi, quoniam diligenti hac de re conſideratione (præterquam quod generalem in ipſis ſuper alia nocendi facultatem ineſſe obſeruaui) hos notaui quatuor morbos vbique in ſcripturis ſacris pro principalibus Iehouæ iraſcentis flagellis ſeu ſagittis vſurpari. Verbi gratia de leproſa quartæ ſeptentrionalis ſagitta ſeu flagello hæc legimus.

Lepra.

2.Chron.26 19. *Orta est Lepra in fronte Oziæ, vnde ipse perterritus accelerauit egredi, eo quod sensisset illico plagam Iehouæ.*

Num.12.10. *Lepra percussit Iehoua Miriæ manum, adeo vt alba erat vt nix, quoniam aduersus Moysem murmura sua effudit.*

Deut. 8.24. Quod sit etiam plaga inficienda pro peccato contra legem ex his colligimus. *Obserua diligenter ne incurras plagam Lepræ.*

4.Reg.5.27. Similiter quod sit plaga maledictionis in eo patet, quoniam maledictione Elishæ per translationem *Lepra Nahamani transfertur in Gethazam & posteritatem suam.* Similiter Iehoua

Exod.4.6. ita quandoque plaga vtitur loco signi siue testimonij. Sic dixit Moysi, *Mitte manum tuam in sinum tuum; quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.*

Epilepsia & Scotomia.

Gen.19.11. Sodomitæ Scotomia & cæcitate ab Angelis percussi sunt propter iniquitatem suam.

2.Reg.6.18. Et alibi. *Percute quæso gentem istam subito Scotomate, & percussit eas scotomate, &c.* Et autem Scotomia Epilepsiæ præcursor. De spiritu Epileptico intelligere videtur textus iste. *Spiritus potentiæ & spiritus virtutis stabit contra eos, & tanquam procella, vel turbo venti iactabit eos.* Tali enim

Sap.5.24. spiritu maligno iactatus erat Saul. Talis etiam erat passio pueri, qui dæmonio erat iactatus, de qua *Matth.17.a.15. Marc.9.a.14. Luc.9.*

Pestis.

Psal. 91. *Ne timeto à peste in caligine peruadente, à negotio in tenebris perambulante, à lue vastante in meridie, &c.* Ergo est meteoron à meridie. *Deus ab Austro veniet, operuit cælos gloria eius: anteiuit*

Abakuk.3.3 *eum pestis & lues vastans in meridie, &c.* Ergo pestis est capitale illud flagellum, seu instrumentum morbidum, quo vtitur ipse in proprietate sua meridionali.

Gen.12..14. *Peste & plaga afficiebat Deus domum Pharaonis propter vxorem Abrahæ.*

Exod. 5.3. *Ne Iehoua nos cædat peste aut gladio,* ait Moyses.

Deut.28.20 *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consumpserit te.*

Deut.32.23 *Sagittas meas consumam in eos exesos Anthrace & lue amarissima.*

Deut.28.22 *Percutiet te Dominus æstu & aere corrupto, &c.* Atque ita in pluribus aliis sacrarum literarum locis.

Febris.

Deut: 28.a. 20. *Pertutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrente febre, & siccitate & vrigine, & morbo regio, quæ persequentur te donec pereas.*

Leuit.26.16 *Efficiam vt dominetur in vos terror cum tabe & cum æstuante morbo, conficientes oculos, & cruciantes animum, &c.*

Quibus bene consideratis, non quidem adeo absurdum à nobis esse factum existimamus, quod insignes & præcipuas has Iehouæ plagas ab inuicem differentes pro capitalibus & principalibus ventorum quatuor cardinalium morbis meteorologicis æstimauerimus, & quod sub ipsorum consequenter imperiis omnia alia meteora à vento suo peculiari orta sub vnico istorum, tanquam subditi plurimi sub rege vnico, comprehendantur.

At ita laus Iehouæ Deorum Deo Opt. Max. istum nostrum de meteororum morbosorum differentiis tractatum, testimoniis sacræ paginæ explicatum atque confirmatum Anno isto 1628. Die ...... Februarii feliciter (vti spero) pertexui.


F I N I S.

DE



DE METEORORVM MORBOSORVM CAVSIS.

Proœmium de causis in genere.



Causa morbi seu meteori morbosi in genere cōsiderara, est aut
- Accidentalis, estque causa ratione cuius, vt peccatum, quod haud iniuria vocamus causam sine qua non efficeretur morbus, nec in mundum introduceretur mors.
- Per se & realis, estque hæc quadruplex videlicet
  - Materialis, estque causa ex qua morbi fiunt.
  - Formalis, atque ista est causa per quam.
  - Efficiens, à qua morbi fiunt, & est, vel
    - Principalis & increata, estque ipse Deus in iracundia sua.
    - Organica siue instrumentalis & creata quę est, vel
      - Supernaturalis, atque ista est Angelus seu Cacodæmon percutiens.
      - Naturalis, vel
        - Cœlestis, vt stellarum insalubrium influxus.
        - Sublunaris cuiusmodi sunt
          - Venti maleuoli & insalubres.
          - Meteora ex vētis morbosa.
          - Victus ratio seu alimentum à meteororum ventosorum seminariis contaminarum.
  - Finalis propter quam.



Os quidem causarum morbi diuisionem, more Galenico, in procatarcticam, antecedentem, & coniunctam (vtpote minime realem atque essentialem) relinquentes, methodo nostra consueta, & in discursu nostro Meteorologico à nobis vsurpata, incedemus; quoniam vt in eo discursu de meteoris macrocosmi tam salubribus quam insalubribus, atque de ipsorum causis realibus egimus, ea conferendo cum illis Microcosmi, ita quidem in isto nostro de illis Microcosmi insalubribus ea cum ipsis macrocosmi comparando) verba efficiemus satis ampla. Causa morbi generaliter sumpta, est res præternaturaliter morbum antecedens ex qua, per quam, à qua, & propter quam, morbus seu meteoron morbosum quasi effectus necessario consequi debet. Qua definitione liquet, quod conditio quadruplex morbi soleat præcedere effectus, videlicet materia seu substantia, ex qua, quam generaliter fecimus tenebrosam aquarum inferiorum molem, ex cuius abysso tam substantiæ spirituales, quam humorales, & corporales corruptioni & impressionibus malignis

Causa in genere quid.

Causa materialis quid.

Causa formalis quid. *subiecta & obnoxiæ, emergunt, & de hac* liber huius secundus. *Deinde forma per quam morbus hic, aut ille, hoc, vel illo nomine, secundum essentiæ & speciei suæ proprietatem nuncupatur, quam causam formalem dictitamus, sic pleuritis suam habet speciem ab illa Lepræ diuersam, sic Apoplexiam per istiusmodi suam causam à peste differre cernimus, nam morbus quilibet per hanc causam formalem suam habet essentiam, & appellationem, non aliter quam domus, barbiton, & homo suam, vtpote per* Causa efficiens quid. *quam ab aliis differre cognoscitur. De ista causa tractabit* liber tertius. *Tum postea requiritur ad effectus productionem effector aliquis, siue causa efficiens à qua morbus talis ad suam perfectionem & complementum moueatur, atque de ista causa* liber quartus. *Denique vt natura dicitur nihil frustra fecisse, ita quidem nihil est, quod Deus, effector principalis, per causas excitauerit, nisi quod propter aliquem finem* Causa finalis quid. *producitur: verbi gratia, ex ferro & chalybe efficit faber ferrarius vomerem, ad secandam & præparandam terram: similiter carnes elixat coquus, vt comedantur, tunicam effingit sartor, ad corpus à frigoris inclementia præseruandum. Atque pari ratione Deus per similes causas ordinauit morbum, vt loco flagelli esset rebellibus, inobedientibus, & peccato contaminatis, & circa causam istam propter quam totus huius* Sectionis liber quintus *versabitur.*

Causa sine qua non. *Hisce ergo sat liquido percipere possumus, quod peccatum sit sola causa illa sine qua non, vel ratio cuius, malum & morbus atque mors accidit creaturis, nam absque impuritate, tenebris mendacio, figmento, seu peccato, morborum infortunium in mundum irrepsisset nunquam. At vero quod istud malum seu peccatum sit causa per accidens, non aliter quam tenebræ sint lucis ablationis occasio, & consequenter quod non sit res aliqua à Deo creata, quatenus per se nihil sed præstigatrix quædam existit, per totum librum istum per speciem explicabitur. Interea libri cuiuslibet contenta in ipsius frontispicio melioris methodi causa, expressimus.*



SECTIO-



SECTIONIS PRIMÆ, PARTIS QVARTÆ, LIBER PRIMVS.

Libri Primi contenta.

Liber hic primus diuiditur in 7. capita, quorum

- **Primum** — Vnionem creaturæ rationalis cum Deo, Peccati primi rationem. Legis diuinæ à creatura Angelica tranſgreſſæ eſſentiam. — deſctibit.
- **Secundum** — Regnorum contrariorum, Boni nimirum & mali in mundo inſtitutionis, Principium — Finem; Rationem cur Deus contrarietatem in hoc mundo ordinauit. — aſſignat.
- **Tertium** — Peccati naturam ſeu Eſſentiam, Legis æternæ violationis actû — depingit.
- **Quartum** — Peccati malum, non fuiſſe rem à Deo creatam, & conſequenter nihil reale, ſed præſtigioſum & Accidentale arguit.
- **Quintum Adami** — A ſtatu Iliaſtrico ſeu Deali, in ſtatum Cagaſtricum ſeu monſttoſum & beſtiale. — Mutationem exprimit.
- **Sextum, malum peccati** — Ante ſecula à Deo fuiſſe ordinatum & conſequenter Luciferi lapſum volunrate diuina factum. Morborum & mortis cauſam, ſine qua non extitiſſe. — oſtendit
- **Septimum.** — Cognitionem ſui ipſius, eſſe imaginis Dei in ſeipſo inueſtigationem; quæ eſt optima rerum. Effectus pios, quos ſui ipſius cognitio producit. — docet

CAPVT

CAPUT I.

Vnio cum Deo quid sit, ipsius perfectio, & primæ alterationis siue ab vnione diuinæ recessus ratio, in capitulo isto describuntur.



AXIMA profecto in verbis hisce Moysaicis immediate post lucis creationem prolatis, comprehenduntur mysteria; *Et factũ est ex vespere & mane dies vna:* nam omnia quæ in ea creata erant, vna dies, vel lux cũ Deo erant facta, quippe in qua omnes creaturæ Angelicæ spiritui diuino firme adhærebant, & in voluntate Dei permanebant, atque ita factæ sunt dies vnica cum ipso qui solus est lux & dies æterna, perfecta & infinita. Nam teste Apostolo, *qui adhæret Deo spiritus vnicus est factus cum eo* : Et hoc intelligendum est, tam de creatura humana post diem primam, quam de illa Angelica in diei primæ instantia: In qua die nulla Spagyrica verbi operatione facta est in mole materiæ primæ, puri ab impuro, seu lucis à tenebris separatio, præter quam sola lucis in aquis tenebrosis accensio, nam omnia vnum & idem in Deo & cum Deo extiterunt, cum ipsorum quodlibet verissima diuinæ naturæ imago existeret, & consequenter nullum inter Angelos in substantia & forma sine fœlicitate & infœlicitate discrimen percipiebatur, omnia inquam, bona nihil malum creatur, vel potius nihil in principio bonum dicendum quatenus nullum adhuc extaret malum, sed quæ sunt mala à peccato talia sunt facta, post creationem, vnde & bonum suam habebat denominationem, Causa ergo lapsus Angelorum, hoc est mali peccati originis, erat imprimis quoniam obedientiam principatui suo minime præbuerunt, vnde liquet quod non essent originaliter creati mali sed in bono principatu constituti, tum postea quia non seruauerunt suam originem, quæ erat bona & non mala, intentio autem creationis diuinæ erat quod creaturæ istiusmodi rationales essent imago Dei, eique in omnia humilitate seruientes & non sibi ipsis viuentes, per Deum, cum Deo, & in Deo omnia habentes, scientes, possidentes potentes, volentes, & facientes & nihil ex seipsis audentes. Nam imaginis vera proprietas est, terminos suos non excedens, sed seipsam penitus introspiciens, & cognoscens inuenire & percipere quod sit suiipsius imago, & quod non sit à seipsa, sed à Deo, nec per seipsam sed per Deum, nec in seipsa sed in Deo. Atque istiusmodi conditionis erat magna Angelorum in illa vna die creatarum portio, in hac suiipsius consideratione liquescens, seque ex nihilo reputans nihil quicquam sibi de luce, de bonitate, de virtute, de vita, de sapientia, de felicitate de voluntate, de potentia Dei in ipsis vigente, lucente & operante arrogauit, omnia se habere & accepisse à Deo suo creatore agnouit; quapropter mansit ista portio Angelica in humilitate in simplicitate, in timore Domini, & hæc est vita beata, tam in cœlis, quam in terris, quæ in ista perfectissima & inuiolabili creaturæ rationalis, cum suo creatore vnione & nexu in hunc vsque diem continuatur: Hinc laudauit creator lucem istam & *vidit quod esset bona.*

Hæc ergo erat lex illa, in qua, & secundum quam creatura tam humana quam Angelica debet ambulare; quæ quidem lex siue mandatum erat nihil quam vel hodierna voluntas Dei tam in cœlis regens angelos bonos, quam in terris homines pios. Atque ista lex, siue voluntas Dei est vt vniuersa creatura rationalis sit Dei imago, speculum, organon, vas, &c. Deo in multiplici sua sapientia, volunrate potentia & virtute seruiens & ministrans: ita vt sciat Deum omnia in se esse, velle, scire, facere, operari, siue sit in supernaturalibus, siue naturalibus, & nihil omnino sibi arroget, nec sibi ipsi placeat in iis quæ diuinitus per ipsum sunt effata Tales (inquam) erant omnes creaturæ Angelicæ illius vnicæ diei ante lapsum: verumenimuero quando ipsorum portio altera diuinæ legi oppugnauerit, ex isto ipsius conatu peccatum incrementum in hoc mundo, atque initium sortiebatur suum, quod tantam habet cum lege relationem, vt *sine illius transgreßione* (teste Apostolo) *nullum oriri queat peccatum*, nullus error, nulla inobedientia, nulla culpa, denique pœna, aut afflictio nulla.

Hic ergo habetis mandati diuini efficaciam, quod Iehoua in vnica illa creationis die Angelis suis, immediate; post eorum creationem adhibuit, & nisi in illud peccauisset ipsorum pars magna, non plures quam vnica illa lucis æternæ numerarentur dies, vtpote in qua vnio cum Deo, hoc est nexus atque alligatio creaturæ cum creatore erat, ad perpetuam,

petuam ipsius fœlicitatem æternumque gaudium completa. Tunc quidem nec malum, nec tenebræ, nec peccatum cum lugubribus & atris suis euentibus in mundum introducerentur; sed proh dolor! vitiata & violata sunt legis istius diuinæ vincula, vnio (dico) angelica cum Creatore suo fracta & corrupta, nam cateruæ istius Angelicæ pars haud minima, se ipsam decipiens, cum vidit se esse in forma & imagine Dei & cõsequenter ipsi Deo similem, se non more portionis humilium & obedientium examinauerunt, sed sibi ipsis omnia arrogantes, pro præda quasi & rapina, neglecto & spreto creatore à quo omnia acceperunt, in proprium traxerunt atque vindicauerunt. Hinc vnionis diuinæ fractio atque diuisio, hinc confusionis, siue dualitatis initium, hinc inimicitiæ, iniustitiæ & malorum atq; peccati exordium, hinc contrariorum & oppositionis in hoc mundo scaturigo, hinc denique miserrima & infœlix illa dierum in spagyrica materiæ primæ separatione subsequentium, diei benedictæ vni additio; vnde factum est quod in mundo tam spirituali, seu æuiali, quam materiali seu temporali fierent res natura & conditione variæ, imo vero & sibi inuicem contrariæ.

Hinc (inquam) dies succedit secunda, infausta illa dies, in qua per limbum firmamenti facta est vnionis illius diuinæ separatio, videlicet aquarum superiorum ab inferioribus seu materiæ primæ, pari ab impuro, lucis à tenebris, subtilis à spisso, & cœli lucidi à terra caliginosa, vt tali vnius in dualitatem partitione & fractione Angeli à lege diuina deficientes & ab eorum obedientia lapsi ab illis humillimis & in vnione manentibus taliter ab inuicem distinguerentur, vt nullum imposterum foret inter ipsos commercium aut societas, vtpote quorum illi in tenebrosam detruderentur aquarum inferiorum regno abyssum, hi in lucidissimo & purissimo aquarum superiorum regno dominarentur & coram creatoris sui facie in iustitia gubernarent, omnesque suas actiones fœlicitates & exaltationes Deo suo attribuentes agnoscentesque se nihil de proprio possidere, sed omnia ab ipso cuius sunt imagines accepisse, seque organa atque vasa ad voluntatem & placitum perficiendum atque peragendum ordinata, atque creata existere.

Capvt II.

Quomodo per fractionem vnionis prima die inter sanctos confirmatæ, duo in mundo regna ab inuicem oppositissima sunt producta, & de contrariis ipsorum effectibus.

LVce meridiana clarius est, quod ante prædictam separationem, vnionisue diuinæ in dualitatem fractionem, nec bonum nec quidem malum essent in mundo cognita aut semel nominata, nam absque lucis à tenebris diuisione omnia erant vnum, & vnum omnia. At vero huius vnitatis in numerum binarium reductione materia illa prima res omnes complicite in se comprehendens in regna duo contraria, videlicet lucem & tenebras est disposita, quæ quidem regna conditione oppositissima, si recte disponemus & simul conferamus, optime collatione illa nobis fiet perspicuum, quod reuera sit lux & tenebræ, dies & nox, quid bonum & malum, quid vita & mors, quid sanitas & morbus, quid cœlum, quid infernus, quid iustitia, quid iniustitia, quid purum, quid impurum, & quam ob causam finaliter hæc à Deo sint ordinata & instituta, vt omnia quæ sunt in toto rerum vniuerso in mutuam contrarietatem & pugnã videantur esse posita, adeo vt nihil sit ex parte Boni quod non habeat suum contrarium in parte Mali: in quibus siquidem duobus regnis oppositis recte intelligendis non modo philosophiæ, verum etiam ipsius Theosophiæ fundamentum consistit: de quibus Syrach. in his: *Gemina sunt omnia, quorum alterum contrarium est alteri, nec quicquam factum est quod mancum sit.* *Syrach.41.*

Rationem vero cur Deus in sacratissimo suo sensu ac intento talem sibi materiam fecerit, ex qua hæc duo contraria produxit, & quæ sit causa contrarietatis illius finalis, partim *in capite præcedenti* explicaui, & partim à mortalibus absconditur, est enim hoc profundissimum mysteriorum Dei mysterium, nulli viuentium nisi alicui immediate diuinitus contingat reuelandum. Aperto igitur sigillo septimo patebit illius mysterium summum, videlicet ad quem finem prouidentia diuina per hæc duo se manifestam facere, easque in vniuerso inimicitias ponere instituit. Finem habitura videtur ista contrarietas *1.Cor.1.5.*

Gg (iuxta

(iuxta literatum sacratum intenrionem) cum *filius tradiderit regnum suo patri, postquam debellauerit omnem principatum & potestatem & virtutem, oportet enim eum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis: Nouissima autem inimica detinetur mors, omnia enim subiiciet pedibus eius.* Tunc iterum fractionis istiusmodi vulnera tandem erunt consolidata & contrarietatis fissura in vnionem conglutinata, tunc adueniet quod Deus fuerit omnia in omnibus. Nunc autem videmus in isto contrarietatis seculo omnia non esse subiecta ei iuxta D. Pauli opinionem.

Seminatum ergo est, ab instante casus atque lapsus Luciferi cum suis associatis, hoc est post firmamenti creationem seu aquarum superiorum ab inferioribus diuisionem, tam bonum quam malum, sed tamen gradus ipsorum extremus nondum adest, oportet ea crescere & multiplicari vsque ad terminum messis, nihil enim est tam absconditum quod non reuelabitur.

Nulla interim concordia, pax & vnio horum duorum contrariorum statuenda aut expectanda est, sed manet subinde inimicitia, pugna, bellum, & militia mutua boni contra malum, & mali contra Bonum, donec veniat ad aperturam septimi sigilli, quod erit renouatio totius vniuersi, in qua creator nouæ creaturæ dicit, *ecce ego omnia noua facio vetera transierunt. Ego facio nouum cœlum & nouam terram.* Horum autem duorum regnorum bonum vocatur *regnum Dei*, quod est regnum lucis in spiritu consistens, quoniam Deus est spiritus & lux: eius vero ministri sunt spiritus boni, casti & clari; quorum opera in luce hac supercœlesti versantur, ipsorum potestas & proprietas est in omnes bonorum spiritus qui in toto regno lucido viuunt atque mouentur. E regione vero malum *Regnum Diaboli* dictitatur, estque regnum tenebrarum, quod etiam consistit in spiritu, quoniam diabolus est spiritus & tenebræ, subiecta eius sunt spiritus mali, impuri incasti, tenebrosi, & omni immunditie & impietate pleni: Horum operationes, vtpote qui in tenebris aquarum inferiorum informalibus, spiritualibus, & visibilibus sunt malum: eorumque proprietas & potestas se extendunt per omnes malorum spirituum mansiones in toto regno tenebroso: *Prius* regnum in quod Deus habet dominium, vocatur etiam Regnum boni, Regnum cœli, Regnum cœlorum, Regnum cœleste: Cœlum regnum iustitiæ, potestas lucis, claritas Domini, claritas cœlestis, mundus perpetuus, in quo quilibet Angelus siue spiritus bonus est stella siue lumen spirituale; suam habens propriam virtutem ministerio Dei conuenientem. *Posterius* vero regnum nominibus effectui prædictorum oppositissimis nuncupatur, videlicet regnum mali, regnum iniquitatis, potestas tenebrarum, regnum inferni vel infernale, abyssus inferni, &c. In quo regno spiritus quilibet malus est stella spiritualis, flamma, sidus tenebrosum & opacum sine luce, sine candore, suam habens proprietatem & naturam ad seruiendum principi suo in malitia.

Quibus sat liquido declaratur, quod vt regnum boni consistat in vnione cum Deo, ita quidem regnum mali in auersione à Deo ad seipsum est positum: Cum igitur *timor Domini sit principium sapientiæ*, ita quidem contemptus & despectio Domini est initium omnis erroris, ignorantiæ, stultitiæ, cæcitatis, confusionis & tenebrarum, non modo in Angelis auersis, sed etiam in hominibus qui Angelos auersos imitantur.

His igitur clarissimum redditur, quod istorum duorum regnorum ad inuicem oppositorum medulla sit solidissimum illud Literarum Sacrarum subiectum, vtpote quorum vnum vnione cum Deo construitur & fide statuminatur, aliud auersione à Deo seu vnionis atque legis diuinæ fractione ædificatur atque fragilis istius sustentaculi columna est peccatum, cuius radix est infidelitas.

CAPVT III.

Peccatum quid sit, atque vnde oriatur, quid inter ipsum malum & tenebras intersit.

IN *primo huius Cap.* Legem siue mandatum fuisse nihil aliud asseuerauimus, quam vel hodiernâ Dei voluntate tam bonos in cœlis regens Angelos, quam pios in terris gubernantem homines: effectumque eiusdem esse diximus, quod rationalis creatura siue sit Angelus siue homo, creatoris sui imago, speculum, organum & vas permaneret, imago

(inquam

(inquam) vt vltra proportionem essentiam & limites ipsius cuius est imago, non procederet, ne à perfecta bonitatis imagine, siue icone in speciem coincideret monstrosam deformem & à Deo alienam; atque ita per talem à legis limitibus egressionem cum malo participans fractionem & diuisionem in vnione bonitatis faceret, deque arbore Boni & Mali violato præcepto diuino gustaret, atque ista speculum maneret bonitatis diuinæ exactum & organum, atque vas illius humile & obediens ad voluntatem & mandatum creatoris cui assimilatur, complendum & perficiendum paratissimum: & consequenter naturæ ipsius veritatis vnicæ, quam repræsentat, coniunctissimum. Atque prædictum legis seu præcepti subiectum est, vt creatura rationalis, tam cœlestis quam terrestris amore prosequatur bonum, & odio habeat malum, tam extra se & in aliis quam intra se in seipso: At cum Deus creator sit summum & absolute bonum, necesse habemus concludere, quod totius legis illius pondus & efficacia consistat in adhæsione & vnione cum Deo: nam boni & cum Deo vniti, omnia volunt, cogitant, optant, proponunt, incipiunt, operantur & finiunt, ex Deo, in Deo, per Deum, cum Deo, ad Deum & propter Deum. Hinc id commodi & vtilitatis habent, quod in pari sint perfectione, innocentia, beatitudine & fœlicitate cum Deo, & sunt vna dies cum Deo ipso: Mali vero vel à Deo disiuncti contrariam sortiuntur sortem, vti *infra* apparebit. Hæc est ergo lex diuina quæ creaturam geminæ conditionis rationalem, à nullo nisi à seipso cauere iubet, videlicet ne ab obedientia & amore Dei cadat ad amorem sui per bonorum à Deo participationē acceptorum sibi arrogantia: hæc enim est causa siue occasio lapsus in peccatum tam apud Angelos nonnullos, quam apud homines.

Hic vero vlterius vos certificare gestio, quod imago Dei in re qualibet creata est nihil aliud quam radicalis voluntatis seu verbi illius lucidi in creatura radicis, emanatio seu impressio talis qualis erat mens, intensio, seu proprietas creatoris dum rem illam creare vel prædestinare voluit, vnde factum est quod si mentis seu voluntatis Dei sit hunc Angelum, vel illum hominem in hoc, vel illo ordine, siue conditione creare, atq; ita per secretum suum spiritum efficere vt talem retineret principatum, & in hisce limitibus contineretur & minime eos excederet, atque iuxta leges suæ voluntatis liberæ non mandatum diuinum præteriret, sed per omnia & in omnibus se actori diuino subiiceret, necesse est vt creatura talis voluntatis regulam seu imaginis diuinæ ordinum obseruet diligenter.

Quare si creatura rationalis maneat in sua origine, seu statu in quo creatus est, & principatum suum retineat; si non exit de domicilio suo, tunc Deus est in illa, & per illam, & illa in Deo & per Deum, id quod ipsi creaturæ summam confert fœlicitatem & beatitudinem, est enim, & habet, & potest in Deo cum Deo omnia, sine Deo vero nihil. Atque hoc est supremum cum Deo præmium.

At vero è contra vbi ab istiusmodi bonitatis & felicitatis fastigio & culmine fit lapsus, videlicet vbi lex illa diuina fuerit à creatura rationali violata, vnioque illa sancta cum Deo disiuncta & plane fracta, hoc est, vbi imago suam radicem in contemptu habens suum motum, suam virtutem initium & fœlicitatem sibi ipsi ascribit suam originem ignoranter vel pertinaciter non obseruat, atque principatum suum in contemptu habet, ac officii sui margines excedit, timoremque atque obedientiam Deo debitam obiiciens sui ipsius amatrix esse mauult, & hac ratione extra vnionem cum Deo versans, in instante sibi facta est contraria & molesta, seque ipsam Deo creatori inimicam reddit, vt qui iam nihil amplius nisi mere contraria & aduersa possint velle, cogitare, operari, ibi inquam necesse est quod talis collapsus creaturæ aduersus legem & mandatum Dei sibi oblatum prauissima sit transgressio, & quod istiusmodi transgressio primum introducat in mundo malum, nam quicquid contra legem diuinam patratur illud solummodo est malum & peccatum, & consequenter sine lege & mandato nullum existit peccatum, quippe quod ex sola legis transgressione contingit: nam lege minime præeunte nullus error, nulla inobedientia, nulla culpa, nulla offensio, nulla denique pœna, aut afflictio sequi potest.

Fit ergo propter legis diuinæ (antea descriptæ) transgressionem, quod malum est peccatum, primarii tenebrarum effectus, cum suis pedissequis monstrosis & deformibus (cuiusmodi sunt, inobedientia, contumacia, discordia, mala concupiscentia, vindicta, ira, furor, immisericordia, crudelitas, impietas, calumnia, blasphemia, mendacium, dolus, fraus, ignorantia & omnis error) notabiles tenebrarum filiæ primum ex tenebrarum abysso emerserint atque inter lucis & veritatis filios irrepserint.

Nam hæc sunt illa tenebrarum opera, malique ex iisdem fructus, qui remanserunt ex separatione lucis ex prima materia, ea die qua Deus mediante firmamento, aquas grossas, opacas & impuras à mundis & subtilibus siue lucidis, ob malorum Angelorum defectionem, diuisit & destruxit: quæ mali & peccati spermata non possunt ab ipsis tenebris distingui, quia tenebræ, & malum & peccatum, & impurum, & mendacium, & odium, & iniquitas, seu iniustitia vnum & idem in sua natura existunt.

Atque hinc est quod tam Angeli lapsi quam homines peccatores vocantur non mundi, puri & lucis filii, sed è regione immundi, impuri, atque tenebrarum proles, quippe in quibus dominatur malum, peccatum atque iniustitia siue iniquitas: hoc est, errant contra veræ imaginis diuinæ legem, quæ est vt creatura, ea imbuta in statu sinceræ imaginis illius maneret cuius est imago, & illius imaginis terminos nullo modo excederet, sed seipsam penitus introspiciens & cognoscens, se non esse sui ipsius imaginē & à se ipsa sed à Deo, nec per seipsam sed per Deum, nec in seipsa, sed in Deo perciperet, intelligeret, atque ingenue fateretur, & consequenter se ex nihilo reputaret nihil quicquam de luce, de bonitate, de virtute, de vita, de sapientia, de fœlicitate, de voluntate, & potentia Dei in ipsa vigente, lucente & operante, sibi arrogaret, omnia se habere atque accepisse à suo creatore, ad cuius imaginem est formata, agnosceret: Quapropter manebit fœlix ista creatura rationalis, siue sit cœlestis, siue terrestris, in humilitate, in simplicitate, in timore Domini. Atque hæc est vita beata in cœlis & in terris: & creatura eam ducens vocatur *lucis filia*, vtpote in luce & non in tenebris ambulans: Talis in cœlo erat Lucifer, talisue Adam super terram in statu suæ innocentiæ degens.

At vero illa Angelorum atque hominum pars qui mentem & opinionem legi diuinæ contrariam sumunt & induunt, volentes experiri in semetipsis an meliores vel fœliciores esse queant, & non contenti erant sua origine & principatu, sibi ipsis omnia arrogant, & quasi pro præda & rapina; (neglecto interim & spreto datore à quo, per quem & in quo omnia acceperunt) in proprium traxerunt, atque ita seipsos decipientes cum viderunt se esse in forma Dei, in imagine Dei, & similes Deo, atque hac ratione se æquales esse in virtute cum suo creatore existimantes, minimeque credentes suam fælicitatem & fortunam consistere in manibus vnius, qui eos in imaginem suam efformauit, lapsi sunt, & vnionem suam cum Deo violauerunt, legem obedientiæ seu salutiferum vitæ præceptum sunt transgressi, atque ita immediate subsequutum est peccatum, quod nihil est aliud (vt dictum est) *quam legis seu mandati violatio*; ita vt colligere fas est, vt Lucifer, qui erat Angelus in lucis regno quondam clarissimus, fuisset primarius legis diuinæ fractor, & consequenter principalis peccati in hunc mundum introductor, vnde ab Angelo in lucis regno quondam regali, nunc in obscurum tenebrarum principem est mutatus.

Hinc ergo mysterii iniquitatis & iustitiæ origo, hinc mortis & morbi, atque vitæ & sanitatis initium; denique ab ista diuisione rerum omnium in lucem & tenebras ortæ sunt in mundo tot oppositiones & contrarietates, quæ radices indies profundius immergere obseruantur, (vt supra expressum est) quovsque per Christi spiritualis virtutem & sanguinem pretiosum omnes peccati labes & iniquitatis vestigia à mundi memoria tollantur atque abluantur atq; omnia in effigiem nouam puram & mundam ac in æternum duraturam renouentur atque transfigurentur.

Capvt IV.

Quod malum & peccatum non sit à Deo creatum, & consequenter, quod in se, & per se sit nihil, præterquam legis transgressionis, & violationis effectus.

Textus Antistitis Moysis ita currit in primæ diei creatione. *Et vidit Deus lucem quod esset bona*, sequitur ergo, quod Angeli omnes prima vel vna die creati cum essent luces de

essentia

essentia lucis increatæ, in eorum creatione fuissent omnes boni, & consequenter, quod nec essent mali priusquam contra legem fuerint transgressi, nec esset peccatum quatenus ante lapsum nulla legis transgressio. Quid ergo est peccatum, cum ex creatis sit nihil? Certe aut monstrum quoddam horrendum, chimæreum, imaginatione magis vana quam realiter conceptum; atque reuera, vt verbo dicam, mere mendacium seu figmentum quasi nomen quod à sono fingitur.

Probatur hoc modo, quoniam quod minime creatur reuera esse aut existere non potest, at peccatum non creatur, ergo sequitur quod sit erroneum quid ex tenebrarum vtero more litigii exurgens atque ab erroris caligine emergens. Hinc ait Mercurius Trismeg. *Ab ipso profecto factore nihil malum nihilq; turpe, hæ quidem passiones sunt, creata sequentes opera, quemadmodum æs ærugo, animata corpora limus, at neque faber ferrarius induxit rubiginem, neq; animati corporis cœnum, eodem modo nec Deus malum.* Quibus vir iste profundus innuere videtur cum scripturis, quod neque malum neque peccatum sit à Deo creatum. At vero contra istum tam Mercurii Trismegisti, quam præcedentem à nobis prolatum sermonem hunc Prophetæ textum in persona omnipotentis loquentem, allegare nobis liceat, *Ego Dominus & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malũ, &c.* Quibus videre liceat quod Deus sit creator tam tenebrarum, quam lucis, tamque mali quam boni. Quare in profundo isto literarum sanctarum sensu colligere debemus Dei patentis & latentis dispositiones oppositas, in quibus qualitate seu proprietate sua priuatiua quoad nos male agit & producit in mundo morbos, mortem atque corruptionem; atque in ista sua proprietate dictitatur Dionysius, vtpote illas partes dilacerans nocturno tempore quas composuit sub nomine Apolline diurno; sed quoniam de his plura, idque copiose in *voluminis præcedentis principio* disceptauimus, (vbi etiam de proprietate Dei latentis sub titulo Dionysii, & patentis sub illo Apollinis more Emblematico tractauimus) multa hoc in loco non dicemus, sed solummodo in hoc insistemus, quod Deus in patente sua natura omnia creauerit bona, nihilque fecerit mali, sed omnia fecit vt essent in viuifica sua virtute, quæ est ipse Christus spiritualis, seu verbum, seu spiritus incorruptibilis, vitam & existentiam & consequenter bonitatem cuilibet creaturæ attribuens. Hinc ait D. Ioan. *In eo erat vita, & illa vita lux hominum* in latente vero sua proprietate, in statu priuatiuo, hoc est, morbo, corruptione, & morte atque quiete delectatur, & gestit, quæ omnia sunt filiis vitæ oppositissima & summa mala, suntque profunda ipsarum tenebrarum stigmata, ex peccati visceribus emergentia.

Pim. 14.

Isai. 45. 6.

Quo euidens est quod licet malum quoad nos dicatur, tamen Deo, vtpote tam volenti quam nolenti, nihil malum, quippe (teste Dauide) *tenebræ non tenebræ ipsi.* sed tam claræ & puræ sunt tenebræ coram eo ac ipsa lux: Hinc ergo in vtraque sua proprietate præparauit & creauit sibi angelum conditione contrarium videlicet Christum spiritualem seu sapientiam æternam, bonorum angelorum seu lucis ac vitæ filiorum ducem & principem à fonte lucido ortum, qui vt est imago Dei volentis, seu patentis, ita quidem opus erat, vt omnes angeli lucidi primo die creati & eandem imaginem præseferentes simili humilitate subiiciantur ipsi cuius sunt imagines, quali subiiciebatur princeps ille æternus, qui patri suo edixit: *Non mea sed tua tam in cælis quam in terris fiat voluntas.*

Hanc autem vitæ legem qui non obseruant, sunt filii Dei latentis qui principem etiam angelicum in imperium suum tenebrosum ordinauit, qui iniustitia, afflictione, tentatione & morte legem principis Imperij lucidi omni momento violare tentat, idque cum monadis diuinæ siue Dei radicalis consensu, cuius est tam velle quam nolle, tam percutere quã sanare, tam vita beare quam ipsam corruptione tollere, quorum hoc positiuum per Iesum Christum vitæ & lucis æternæ principem, illud vero priuatiuum & destructiuum per tenebrarum principem complere & perficere solet: Nam vtrumque auctorum ordinem ordinauit in administerium suum, hoc est, aut voluntatem suam tam in malum quam in bonum ad exitum perducendam: nam vt Christum lucis principem atq; angelorum bonorum summum ordinauit ad salutem & saluationem, vnde nomen eius *Iesu*, ita quidem Diabolum tenebrarum principem creauit atque prædestinauit ad mortem; quod etiam testatur Propheta in his. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum*: Dicimus ergo; quod tametsi Deus patens in principio creauit omnia bona, & in vnione cum se ipso formauit omnes angelos, tamen ab ipso in secreto suo consilio ordinatum est, quod pars illarum creaturarum, ad proprietatem suam latentem tenebrosam & priuatiuam inclinaret, atque ita contra proprietatem suam lucidam more quidem rebelli se gereret, ac à boni & lucis principatu laberetur, atque ita per legis lucidæ transgressionem, mediante peccato in principatum mali & tenebrarum se immergeret;

Matth. 1.

Isai. 4. 16.

ret; nam hac ratione ordinatum est à monade æterna & radicali vt contentio in cælo & in terra sempiterna in angelos atque homines aduersarum harum proprietatum fieret.

Quibus concludimus, quod bonum, vel malum, fiunt, & dicuntur respectu nostrûm, nam proculdubio Deus, qui est summum bonum, malum aliquod & sibi contrarium creare noluit, sed quicquid ipse errauit, in conspectu suo bonum erat, vtpote cui tenebræ se habent vt lux, & tamen ipsum creasse tenebras, & malum, quoad nos intelligendum est & non Deo: sic quidem bonum videbatur Deo creasse interfectorem ad disperdendum, quod nihilo minus ipsi creaturæ quæ eius inclementiæ subiicitur, pro summo existimatur malo, vtpote peccati authore, & consequenter omnis afflictionis & infirmitatis ac ipsius mortis & destructionis effectore, atque productore.

Porro etiam sciendum est, Deum solummodo pro absolute bono esse habendum: vnde sequitur, quod licet creaturæ rationales dicantur bonæ, non tamen ex creatione nuda

Iob. 4.17. absolute dici possunt bonæ vel malæ, vnde Iob: *Ecce, qui seruiunt Deo, non sunt stabiles & firmi, & in angelis suis reperit Deus prauitatem, &c.* Liquet enim, quod nisi creatura rationalis vtriusque ab origine esset particeps extremi, impossibile esset quod de arbore Boni & Mali potuisset participare, quatenus enim ipse angelus in sua constitutione de subtili tenebrarum materia, quoad eius externum & de deiformi lucis portione, quoad eius formā internam conflatur, eatenus certum est ipsum tam ad potentiam diuinam seu tenebras quam actum diuinum seu lucem esse in sua natura procliuem & consequenter, ad vtramque mentis diuinæ proprietatem, videlicet tam priuatiuam, quam positiuam iuxta mentis diuinæ conditionem, paratum. At vero si Angeli vel homines ad priuatiuam Dei naturam respiciant, atq; vitę seu conditionis positiuæ legibus sint oppositi (sic volente Deo) tunc ipsi, vtrunque creati boni, in naturam mali, ex sua propria inclinatione vergunt, ac tandem per legis vitæ violationem, ex peccato facti sunt mali, & à filiis lucis in filios tenebrarum sunt translati.

Deut. 30.19. ti. Quod quidem ex istis Moysaicis clarissime est intelligendum. *Contestor hodie contra vos cælum & terram, me vitam & mortem proposuisse vobis, quare eligite vitam vt viuatis.*

Capvt V.

Qualis erat Adam in statu suæ innocentiæ, & ante lapsum, & de status & effigie eius mutatione post ipsius lapsum; & quomodo diuina eius imago per errorem, & ratione peccati, in sui ipsius obliuionem, & in carnis seruitutem redigeretur.

IAm vero in peccati creaturæ terrestris mysterium paucis descendam, & de ipsius imprimis causa, ac tum postea tremendis eiusdem effectibus verba (spero) haud inutilia efficiā: Certe illius non erat natura alia via, aut alio modo producta, quam illo in præcedentibus allegato, videlicet legis, siue mandati diuini fractione, hoc est, extra veræ Dei imaginis limites egressione, atque ita creatura humana inobedientia sua, se in peccati voragine more temerario, præcipitauit: Nam si stetisset in simplici sua vnione cum Deo, differentiam illam inter bonum & malum gustasset nunquam, sed incredulitate deceptus Adam, fidemque mandato diuino adhibere contemnens, de arbore boni & mali comedere minime recusauit; optato igitur suo pro voluntate effecto, in peccati abyssum, temporis momento est lapsus, & de statu suo lucido & immortali, in tenebrosum & mortalem magia quadam Diaboli præstigiosa est mutatus. Nam tametsi creatura rationalis cælestis non sit lux tam pura, & simplex ac est eius creator, cuius est imago, & cui si habet respectu perfectionis sui creatoris quæ est æterna, & ineffabilis, vt vespera ad mane, & vmbra ad veram imaginem; tamen adeo perfecta, completa, & lucida est ipsa à Deo creata, vt pro luce bona, sancta, magnifica, beata, sapiente, potente, & purissima, omnia sua subtilitate permeante, omnia sua potestate efficiente, haberetur: verum enimuero hæc creatura tam excellens & tam spiritualiter radiis diuinis exaltata, peccati glutine semel inuoluta, & aeris tenebrosi velo obfuscata, in monstrum transformabatur horrendum, terribile, & inuidia atque odio turgens, vnde more leprosi, à bonorum angelorum consortio expellebatur, & in tenebrarum abysso, more exulis, vitam degit: Pari siquidem ratione res se habebat cum Adamo qui erat creatura rationalis terrestris ad imaginem Dei creatus, atque in puritate efformatus, de quo tradiderunt atque scriptis mandauerunt sapientes, quod homo ab ore Dei oriundus, facie esset duplici præditus, vna ad imaginem, altera ad similitudinem:

dinem: Imaginem faciunt faciem maculi, similitudinem vero faciem fœminæ: idque ex istis verbis colligunt: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, similitudinem suam &c.* Persona autem est vna, & vocatur nomine Homo. Sunt enim *duo in carne vna*: nondum ab inuicem separati, vt apparet ex verbis *capit. 1. Genes.* At vero hæc imago & similitudo postea *capite secundo* est vestita corpore naturali, ex limo terræ, hoc est ex macrocosmo extracto, & composito; limum autem istum, qui erat extracta quinta essentia ex omnibus elementis & elementorum creaturis, Deus disposuit ad formam imaginis & similitudinis illius, quam ex ore suo creauit in primo capite. Hæc imago, est illud ipsum numen diuinum homini è terra creato communicatum siue inspiratum, secundum quod illi viuendum erat, de quo Iehoua hæc: *Non disceptabit spiritus meus cum homine in seculum, eo quod sit etiam caro: Spiritus meus dicit:* At si spiritus Dei, ergo Deus est, etiamsi sit creatus nihil refert, quoniam quod natum est, est ex Deo, Deus est, quod natum est ex limo, limus est, quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Hæc imago & similitudo Dei ante formationem hominis è limo terræ, fuit homo diuinus, spiritualis, diuinum quoddam numen homini à terra formato tradendum ac inspirandum, fuitque imago & similitudo hæc masculus & fœmina, nesciens peccatum, non labens, non errans, sed spiritus aduersus peccatum pugnans; atque in statu hoc suo Iliastrico, hoc est, in forma deali, Homo imprimis est intelligendus atque cognoscendus; quippe qui integra cum existit in eo imago & similitudo Dei, est speculum totius Trinitatis, in quo speculo omnis Sapientia diuinitatis relucet. Genes. 5.

In vera huius inquisitione & perscrutatione latet omnis prudentiæ atque intelligentiæ profunditas, circa quam quidem essentialiter versati sunt tot docti, & profundi, tam in philosophia, & Cabala, quam Theosophia homines: vtpote ex cuius abysso infinitam cognitionem atque scientiam certissimam, atque sanctissimam sunt expiscati. Haut enim parum erat considerare, quod per hæc creatoris verba, *faciamus hominem ad imaginem* siue *similitudinem nostram. Et creauit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem suam, &c.* quod videlicet illud ipsum verbum ab ore omnipotentis egrediens, transiit in essentialem creaturam, atque ita verbum tum postea erat caro factum. Quo liquet, quod istiusmodi imaginis & similitudinis Dei fruitione, homo ante eius lapsum omnino diuinum quiddam existeret; & in natura mere diuina exaltaretur, & consequenter diuinum prorsus opus, diuina creatura, Deus creatus, atque filius deitatis, Deus humanus, integer vitæ scelerisque purus, nescius mortis, à morbis securus, vitiisque prorsus omnibus expers; denique sine labe aut macula quacunque. Atque hæc omnia sibi in eo vendicauit homo, quod imagine ditatus esset diuina, quæ ab omni inquinatione aut pollutione mortali non minus existimatur esse libera quam ipse Deus, cuius est imago, atque ita videtis, iuxta textus sacri sensum *hominem fecisse Deum Angelis paulo minorem*; imo vero ipsi Deo vnione illius imaginis firma more admirabili, erat alligatus, & vinculis æterni amoris diuinitati quam coniunctissimus, priusquam à statu, malitia diaboli, inuidia hominis atque exaltationis generis humani excitati, ab vnione illa miserrime in peccati gurgitem est lapsus, atque à specie deiformi & angelica, in effigiem deformem Cagastricam, monstrosam & bestialem peccati pollutione fuerit alteratus, quemadmodum iam existit figura posteritatis Adami. Psal. 8.

Nam sciendum (est iuxta nonnullorum mysterii profundi sententiam) quod corpus hominis è limo terræ formatum, fertur & creditur ante lapsum fuisse omnino perfectum, purum clarum, & Rubini instar lucidum, atque diaphanum instar Angeli corporalis & valde subtile, vtpote quod dicitur esse quinta essentia, siue extractum quintum è corpore macrocosmi: vt & anima eius extractio nobilissima ex anima mundi, seu spiritu firmamenti. quæ est tabernaculum spiritus diuini faciesque eius tam masculina quam fœminina, habuit radios & splendorem claritatis instar Solis vel Lunæ plenæ, & totum corpus rubeo alboq; colore mixtum, fuit essentia carnis & sanguinis diaphana, pellucida, transparens, clara, subtilis, sine omni macula aut impuritate tam intus quam extra, nō creditur habuisse cutem pilosam, non cornutos pedes, ac digitos, non dentes, nec viscera, aut intestinorum mēbrorum molem, non vmbilicum, nō stomachum, non excrementorum orificia, non pudenda, neque quicquam tale Cagastricum more bestialium corporum sicuti iam sunt corpora nostra. Hęc enim omnia sunt ęgritudines, morbi, corruptio, & mors per esum vetiti factus, quem peccatum in instanti sequutum est) demum sunt orta & facta in illo ipso corpore. Esus enim ille valde mutabit corpus quod erat tam nobile in sua essentia & fecit illius cagastricum, brutum, monstrosum, quod ab initio se habebat longe aliter. Hæc illi.

Hinc ergo humana anima in totius creaturæ syncerritate & innocentia pura, libera, per-

perſpicua,& minime impedita,per peccati pollutionem,& propter tenebrarum caliginem iam orbata oculis corporeis ſeſe paſſionibus implicat, & cacodæmonis ritu corrupta ſeipſam ignorans,abiectis corporibus monſtriſque deformibus ſeruit, & corpus, velut onus ſuum infeſtum circumfert,non præſidens corpori,ſed ob ignorantiam ſubiugata. Quibus liquet,quod anima tenebris ita immerſa more Cœci quandoque mala pro bonis capit atque ita plerumque tam circa mala quam bona ignorantia ſeducta verſatur. At vero ante lapſum, aut peccati à legis tranſgreſſione introductionem, ab actu diuino penitus eſt anima hæc gubernata; Verum cum ſe ipſam poteſtati diaboli & ſerpentis ſubiecisset, tam apta erat bonos Dei influxus ſuſcipere, quam malis Satanæ ſeminariis contaminari: Quod Mercurius Triſmeg. in his quam exacte. *Mens omnes notiones concipit; bonas quidem quoties à Deo ſemen infunditur, contrarias autem cum à dæmonibus quibuſdam ſpermata iaciuntur.* Nulla profecto mundi pars eſt dæmonum præſentia deſtituta: horum lumen ab ipſo Deo totum deſcendit. Dæmon denique transfuſus in hominem, ſemina propriæ notionis inſpergit, mens autem conſperſa ſeminibus prægnans, inde parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, ingulationes, euerſiones vrbium, peſtes hominum & reliqua omnium quæcunque ſunt opera malorum dæmonum: Dei autem ſemina pauca at illa quidem magna, pulchra, bona, virtus ſcilicet temperantia, pietas, aut Dei cognitio: Atque hæc omnia accidere ſolent, ob ignorantiam & obliuiſcentiam ſui ipſius. Hinc ergo Apoſtolus de ipſis loquendo, quibus animæ myſterium reuelatur; *Contendimus non contra carnem & ſanguinem, ſed contra principalitates, contra poteſtates, contra gubernatores huius mundi, principes tenebrarum huius mundi, contra ſpirituales impietates*; quæ ſunt in aliis locis. Et propter hanc cauſam, aſſumite completa Dei arma *quibus poteſtis reſiſtere in die infauſto.* Nec mirum eſt ſi poſt peccatum, humana noſtri Adami anima tenebroſo ſuo corpori eſſet obnoxia, nam propter inobedientiæ peccatum erat in tenebroſam materiæ primæ portionem cum dæmonibus immerſa, & conſequenter à tenebroſo ſuo corpore oppreſſa atque occæcata; quod quidem Sapiens in his arguere videtur. *Corpus infeſtum corruptione aggrauat animam & terrena habitatio deprimit mentem multis curis plenam: vt vix coniicimus ea quæ in terris ſunt, quæ autem in cælis ſunt, quis perueſtigauit niſi cui Deus dederit ſapientiam, & inſerit Spiritum ſuum ſanctum è locis altiſſimis: ſic correctæ ſunt viæ eorum qui in terra verſantur, &c.* Per quem ſermonem arguit Sapiens miſeram oppreſſionem animæ à corpore tenebroſo propter peccatum: Atque iterum veram animæ ita in tenebras præcipitatę regenerandi rationem expiſcari videtur, videlicet, mediante ſpiritu Sapientiæ: quippe cuius eſt vincula peccati ſoluere, eiuſque ſeruitutem tollere: Nam vt iniquitates ſuæ capiunt impium, qui finibus peccatorum ſuorum conſtringi aſſolet, quia *non habuit diſciplinam, & multitudine ſtultitiæ ſuæ* teſte Salomone deceptus eſt: ita quidem Sapientiæ, ſeu verbi diuini præſidio & virtute facilime abſoluetur ille nodus, nam ſapientia docet ipſam mentem ſuæ proſapiæ æternæ reminiſci, tollendoque ſua claritate corporis tenebras, efficit vt ſe ipſam cognoſcat, & ſui ipſius cognitione, vt corporis vanitates carnis fallacias in contemptu habeat, inſtruit & docet, vt quo homo minime in peccatum incidat: atque tales ſunt veri Chriſtiani, de quibus Apoſtolus hæc; Chriſtus & Chriſtiani ſeu *filii Dei non ſunt ſerui peccati, nec ſinunt in ſe dominari & regnare peccatum.*

Pim. 10. *Pim. 9.* *Ephes. 6.12.* *Sap. 9.15.* *Prou. 5.* *Galat. 2.*



CAPVT

CAPVT VI.

Deus operatur omnia in omnibus. Quomodo, & quod peccatum sit actus quidam præstigiosus, Diaboli astutiis in mundum (monade radicali sic volente) introductus: Et quod sit morborum, & Mortis causa, ratione cuius, siue, sine qua non.

QVOD peccatum non sit res à Deo creata, non minus quam rubigo in ferro polito, & per consequens; figmentum & præstigiosum quid, tenebris Chimæreis inuolutum: quod Angeli lumini rebelles, sint priores illius figmenti in mundum introductores, (vnde ipsorum princeps, *mendacij pater* dictitatur) quod malum sit peccatum, & peccatum malum, imo vero quod tenebræ, & malum, & peccatum, & impurum, & mendacium, & odium, & superbia, & iniquitas, seu iniustitia in sua natura vnum & idem sunt: videlicet, illum impurum quod tam angelos lapsos, quam homines in peccato viuentes inquinauit, & commaculauit, deniq; quod in voluntate monadis radicalis esset, vt angeli nonnulli à sede lucis, in abyssum tenebrarum caderent, vt ministerio illorum in vtraque sua proprietate in hoc mundo operaretur; (vnde dixit, *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & ego creaui interfectorem ad disperdendum*) in *prædictis huius capitibus* explicatum est. At vero angeli sunt creati, atq; etiam lapsi ante Adami formationem, & consequenter nihil Deo, seu monadi radicali malum, cum ipsi angeli tenebrarum ad ipsius voluntatem priuatiuam complendam sint admodum necessarij, & ad illud munus obeundum ordinati, multo minus peccatum, quod per lapsum angelorum illorum in mundum est introductum, quod etiam virtuti potentiæ diuinæ priuatiuæ, seu Dei latentis, & quasi nolentis est requisitum, cum sine diabolo & peccato, contraria, infirmitates, & ipsa mors in mundo non existerent: sed mala sunt ista filiis vitæ & lucis, videlicet, tam angelis bonis, quam hominibus; & aduersus mandatum & legem principis vitæ & lucis, cuius est operari in hoc mundo secundum ordinationes Dei patentis, volentis, creantis, facientis, formantis, generantis, & salutem donantis: vnde concipere debemus, quod qui sunt istius legis viuificæ transgressores, siue sunt angeli, siue homines, dicuntur filij tenebrarum & non lucis; & sunt ex parte principis tenebrarum, cuius est operari sub legibus in proprietate Dei latentis, nolentis, atque seipsum in se contrahentis, ad insalubritatem, conturbationem, priuationem, corruptionem, & mortem ducentis. *Isai. 54. 16.*

Atque hæc quidem est consideratio profundissima, sine qua scripturarum sensus minime intelligi potest: nam (inquit textus) *Deus operatur omnia in omnibus, & ab eo, per eum, & in eo, sunt omnia*; Et alibi omni conamine admonemur à peccato abstinere, & tamen dicitur *Deus omnia operari*: Et Apostolus ait; *Deus conclusit omnia in incredulitate vt omnium misereatur:* atque iterum, *Deus amat bonum & malum odio habet*: Ac alibi. *Deus omnia creauit bona*: Et tamen *Rom. 11. 33.* alibi ait textus: *Ecce ego Dominus formans lucem, creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*: In- *Isai. 45.* finita quidem in textu sacro istiusmodi contraria inuenire possumus, quæ quidem nullo modo scholari doctrina, vtcunque distinctionibus infinitis vanis & inutilibus statuminata, resolui queant, absque debita istâ duarum vnius monadis æternæ radicalis proprietatum virtute oppositarum consideratione, & seria contemplatione: Quis enim negare potest, naturam diuinam modis in isto mundo contrarijs operari? cum sit idem ille spiritus flans ab Austro, qui spirauit ab Aquilone; idem ab Oriente, qui ab Occidente: Illa ipsa essentia vna & trina, condensat suo frigore, tenebrarum filio, qui rarefacit Calore, lucis propagine: Illa ipsa est quæ percutit; & sanat, quæ morte & corruptione afficit & viuificat, atq; resurgere facit: & tamen horum omnium, quæ facit & operatur, nihil prorsus malum, nihil magis tenebræ, quam lux; quippe cui omnia vnum, & vnum in essentia sua radicali omnia, vtcunque in proprietatis suæ diuersæ actu; in creatis differentia videtur adesse haud parua:

Hinc quidem Psaltes regius, *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: Sed hoc quidem aliquantulum profundius speculantibus & intuitu paulo accuratiori intuentibus duplicem menti diuinæ adesse proprietatem experientia docti percipient; nam si imaginis Dei in nobis infusæ naturam in proprietatem binam contrariam distingui cernimus non est dubium, quin etiam ille ipse cuius est imago, sit etiã conditionis Bipartitæ videlicet vel volentis vel nolentis: at quod mens diuina nobis insita; sit istiusmodi dispositionis, patet. Nam cum teste Apostolo, *in Deo mouemur, & sumus*: necesse est, vt mens in nobis non sit nostra, sed Dei. At in mentis vnius in Dei imaginem efformatæ natura est petenti & suppliciter oranti vel velle, vel nolle, videlicet, vel affirmare, vel negare, hoc est dare; & concedere petitionem eius vel *Psal. 139. 12.*

negare, seu tollere & abstrahere voluntatis suæ bonæ radium: & tamen non est ista proprietas negatiua mentis negantis mala, sed bona, vtcunque illa petenti videatur esse mala, & fortasse summum ipsius infortunium; verum enim vero negatio menti neganti, bona apparebat, vtpote circa finem aliquem bonum ordinata: Pari siquidem ratione se habet proprietas monadis radicalis tam noluntatis quam voluntatis, quippe, quæ ambæ in ea proprietate ab ipsa pro bono approbantur, quatenus ei, sicut tenebræ eius, sic & lumen eius: hoc est, eius proprietas priuatiua, & illa positiua, ipsi sunt vnum & idem. Sed quoniam in *voluminis præcedentis libro primo*, plenius de illis egimus, plura de ijs hoc in loco, non dicemus: Verũ imprimis hoc notatu dignum existimamus, quod Deus in patente, & positiua sua natura & proprietate, seu in specie emanationis sanctæ à sua radice factæ, & ab ipsa minime diuisæ, (hoc est) suo verbo fulgido fiat, quod & ipse erat Deus, emisit spiritum suum beneuolum, vt mediante eo omnia faceret, crearet, atq; formaret, nec quidem otiosus, aut in se contractus manebat, vt in proprietate priuatiua, in qua latebat: In ista ergo sua proprietate, Deus erat verbum, & in illo verbo erat vita, quæ erat lux hominum, atque illud verbum fuit sapientia æterna, & *Christus Iesus spiritualis omnia implens, omnia viuificans*, vt testatur Apostolus: quare certum est, hoc verbum, hunc spiritum sapientiæ æternæ, hoc Angelorum lucidorum, bonorum & positiuorum caput, & summum vitæ, salutis, & saluationis principẽ fuisse Deum, qui legem vitæ, lucis filijs tam cœlestibus, quam terrenis obseruandam, & minime, sub pœna mortis & damnationis abrogandam dedit; nam ista diuinæ monadis proprietas, lucida & viuifica in omnibus, illi priuatiuæ, & tenebrosæ est tã opposita, vt lux est tenebris vita morti, & sanitas morbo. Hinc ergo sequebatur, quod qui legem istam vitæ abrogauerit, mutatus est statim per peccatum à lucis filio, in illum tenebrarum, migratq; à salutifera Christi Iesu subiectione, in Diaboli & principis tenebrarum seruitutem, atque ita seruus & captiuus est factus peccato & tenebris & consequẽter, eius anima corporeis vinculis inclusa, ignorantia corrumpitur, est n. corpus ipsius ignorantiæ vmbraculum vt testatur Mercurius Trismeg. denique impietas illa, qua capitur, animam illius miserabiliter laniat, vt fera corpus.

Hinc ergo proueniunt omnia illa secura moralitatis documenta à Moyse, Prophetis, atq; à Christo, & Apostolis mundo publicata, vt videlicet caueat anima rationalis ab operibus tenebrarum, vtpote quæ ad mortem deducunt æternam, atq; itidem vt adhæreat Deo creatori, (hoc est) in patente sua natura, cum simul per creationem ab ipsa vita & luce præditi, ac ornati, & consequenter vt principis tenebrarum tentationes & adulationes euitemus, quippe qui in sua natura est lucidæ Dei proprietati, & vitæ oppositissimus atq; aduersissimus, iniustitia præstigiosa plenus, & peccati atq; mali fons; hic deniq; in proprietate Dei priuatiua, & negatiua spiritus supremus, atq; omnium lucifugorum, atque aliorum dæmonum malorum princeps & patronus: Hinc Moyses *loco antea citato. Testor Deum me hodie vobis proposuisse vitam & mortem, eligite vitam vt viuatis*: Hoc est, inclinate ad legem vitę, quam creaturæ Iehoua in viuifica sua proprietate tradidit, & euitate præcepta principis tenebrarum, quæ Deus in latente sua natura ordinauit, ne moriamini. Hinc ergo luculenter Sapiens, in hæc verba loquitur. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminij. nec inferorum regnum in terra: est enim iustitia perpetua & immortalis, iniustitia autem, mortis acquisitio: im-*
Sap. 13. *pij autem manibus & verbis accersiuerunt illam, & æstimantes illam amicam defluxerunt. &c.* Quibus verbis, intelligere videtur de Deo in positiua benefica, & viuifica sua dispositione, qua omnia per verbum seu Spiritum sapientiæ sanctum creauit, ac fecit, vt essent & non vt morte plecterentur, aut interitu corriperentur. At vero in priuatiua & latente sua proprietate, opus contrarium, & quasi retrogradum instituit, quippe, in qua lucem vertit in tenebras, operante eius Angelo, seu ministro tenebroso, vitam in mortem, esse in non esse, aliquid in nihilum: ob istius igitur opus complendum, dixit Iehoua: *Ecce creaui interfectorem ad disperdendum*: quod etiam luculentius ex hisce Salomonis patet: *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terra-*
Isaias. 54. 16 *rum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius, &c.* In quo Sapientis sermone, bini monadis
Sap. 2. 23. radicalis effectus declarari videntur, videlicet ille patentis, & positiuæ, in eo quod, asseverauit Deum creasse hominem inexterminabilem & immortalem, quatenus ipsum ad imaginem suam effecit; atq; iterum ille latentis, & priuatiuæ, in eo quod imprimis creauerit diabolum, seu tenebrarum principem ad disperdendum, eumque animauerit inuidia & malitia armauerit vt mortem & interitum per peccatum in mundum introduceret, vt igitur peccatum diximus, minime fuisse à Deo creatum, sed sub angelis imprimis lapsis, & iũ postea ab hominib. propter legis fractionem in lucem partu quasi litigioso editum, ita quidem sequitur, quod non sit essentiale quid, quippe increatum, sed aliquid per accidens, & tamen ob-

seruaa-

seruatur esse tam necessaria morborum & mortis pedissequa,& præcursor,vt nisi peccatum ipsos præcedat, impossibile erit vt ipsi succedant. Et quamuis ipsum pro nulla ex causis per se, (cuiusmodi sunt materialis, formalis, efficiens, & finalis) haberi queat, quod tamen sit causa sine qua non(vt ita dicam) pro concesso quidem habemus: Nam vt omne peccatũ sit absolute malum,& malum reale sit,ita quidem necesse habemus credere,quod omnes aliæ passiones prauæ, quæ sequuntur peccatum, non pro malo reali, sed saltem pro eius effectu,pœna, & pretio mali, peccatum consequente æstimantur. Cuiusmodi sunt pestes,fames,bellum,morbi,ægritudo,aër corruptus,venena,mors,dolores,omnesq; tam corporis, quam animi cruciatus: de quibus *infra* latius. At vero quod peccatum sit morbi, ac mortis causa sine qua non,seu ratione cuius; ex pluribus Scripturarum locis videtur Christus proprio suo ore cõfirmare: verbi gratia,dixit Paralytico: *Remittuntur tibi peccata,nam filius hominis habet potestatem remittendi peccata: & surrexit & abijt domum suam*: Et mulieri peccatrici & in animo perturbatæ ait: *Remittuntur tibi peccata,fides tua te saluam fecit,vade in pace*;& in multis alijs: Quibus euidens est in primo loco,quod ablato peccato,tolluntur morbi; & consequenter, quod morbi causa sine qua non,sit peccatum: deinde, quod sit in hominis diuino spiritu ditati, potestate peccata tollere, eaq; tollendo morbos vtcunque à medicis incurabiles sanare: vnde alibi, *vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum*. Sed me adhuc parumper profundius in hoc negotio immergam. Primum ostendam vobis explicationem istorum Sapientis verborum *superius* expressorum, *Malitia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum,imitantur illum qui sunt ex parte illius,&c.* Sciendum est ex prædictis, quod peccatum fuerit ab æterno præuisum,& per consequens ineuitabile. Quod aperte in his videtur Apostolus confirmare,dicens. *Omnia conclusit Deus in incredulitate,vt misereatur omnium:* Peccatum autem iuxta Augustini sensum, *Est dictum, aut factum, aut concupitum, contra Dei legem*,(hoc est)aberratio ex veræ imaginis conformitate,in monstrosæ & caliginosæ desertum,& solitudinem: atque huius radix in Adamo erat inobedientia, principium superbiæ, quæ ex auaritiæ radice germinarit; terminus autem huius fuit gula: quare euidens est, quod eius peccatum fuerit inobedientiæ vitium, radicatum in auaritia, initiatum à superbia,& tandem in gula completum. Hinc ergo eliciendum est,quod notatu dignum, videlicet, quomodo, quaue ratione, diabolus per suam astutiam & malitiam introduxerit morbum;& mortis initium in terram: nam Deus creauit hominem sanabilem & inexterminabile: Imprimis procedebat concupiscentia;& complebatur eius ardor mediante gula: operatur princeps ille aëris in spiritum humanum, qui & aër est animumq; humanum ad hoc, vel illud, etiam contra naturæ & sanitatis leges appetere; suis suggestionibus occultis incitare & suis insensibilibus susurrationibus suadere non desinit; distemperantur enim humores, vnde infirmitates oriuntur, ac tandem mors sequitur, non tantum ex superflua, diminuta & alterata materia,sed sæpius quia ab animo male regitur corpus,si enim superfluo cibo pascitur,vnde superflui oriuntur humores, culpa est animi non frenantis ingluuiem, similiter si cibi insalubres & nociui comeduntur, in culpa est animi imprudentia. Et si homo aliquid perpetrat vnde oriatur tristitia,aut augeatur atrabilis,quia humores in deterius euadant,&c.doleat homo& tristetur atq; melancholia afficiatur,hoc est,ab animo diaboli suasionibus male se habente,vnde tristitia,desperatio,metus,&c. Nam dolis Satanæ aut angelorum suorum decipitur animus, efficitur vt clauso & contracto corde, incarcerentur eius spiritus,& tenebris timidis obfuscentur: Hoc(inquam)totum fit à peccato animi ducis humani,qui suasionib. diaboli ab imaginis veritate præuaricatus, distemperatur,& ab exacto imaginis lucidæ & viuificæ circulo aberrat: vnde fit,vt male, & irregulariter gubernante ipso, rebellant omnia & distemperantur in sui Domini perniciem. Tunc animales spiritus amisso fræno; in pugnam congrediuntur; insurgunt humores malia dæmonis seu maligni spiritus intrudentis seminario contaminati, & vicissitudine quadam segregati; ab inuicem vexant, & torquent corpora: & tunc quidem aduersantur & nocent influxus cœlestes, tunc Dei lictores in torquendos homines sese expediunt,iuxta illud Psalmistæ: *Immisit in eos indignationes,iram & tribulationem,per angelos malos:* Et Moyses ait; *percutiet te peste & aëre corrupto.* Hinc dicit Dauid, *miserere mei Domine; quoniam infirmus sum, sana me, quoniam conturbata sunt ossa mea* (id est) vires,& virtutes meæ,vel spiritus meus,qui est radix salutis vel morbi: Quib. liquet; quod morbi non proueniunt radicaliter, à fictis illis causis naturalibus à Galenistis imaginatis: videlicet inanitione, repletione,cibi vel aëris infectione, somno, vigilia, exercitio,vino,veneno,&c. Sed potissimum ex accidentibus animi, videlicet à tristitia,ira, gaudio, & similibus: hæc enim ab animo corrporis duce reguntur, quippe in potestate cuius, cuncta sunt posita.

Matth 9.2.
Luc.7.48.
Matth.1.21.
Sap.2.23.
Rom.
Psal.77.47.
Deut.28.

Nec criminetur quisquam cum Galeno complexionem, nam(iuxta Sapientis institu-

 tum)

Eccleſiaſtes. tum, *Deus hominem fecit rectum & temperatiſſimum*: namque eum ad imaginem eius qui eſt abſolute & permanenter in ſe temperatus, & iuſtus, efformauit: At vero ſpiritus humanus aberrans à veræ imaginis latitudine, quæ eſt ſimplex, & vnica, ſe infinitis dubiis immiſcuit, hoc eſt, in multitudinem, ſeu cogitationes malas, tam mali, quam boni ſe immerſit, vnde ſui ſtatus perfectione & innocentia, in quo creator eum poſuit non contentus vagatus circa multa, atque ita in labyrintho illo multitudinis ſe perdidit; atque ob iſtam cauſam, animi corporiſque perturbatio, malorum, & morborum atque mortis fons, & ſcaturigo, primum irrepſit in hunc mundum, videlicet per eiectionem hominis interim, à ſtatu ſimplicitatis, perfectionis, & rectitudinis in qua fuit in innocentia ſua, videlicet quando omnes imaginis diui-
Epheſ.6.12. næ in ſe comprehenſæ latitudines obſeruaret, in multitudinis & obliuionis profundum: At iſta erga hominem fallacia aſtutiis diaboli erat affecta, qui ſemper paratus eſt ſeducere animum ſeu ſpiritum humanum à via recta; vnde ait Paulus, *Induite arma Dei vt poſſitis ſtare con-*
Epheſ.2.1. *tra Diaboli inſidias, quoniam non eſt nobis luctatio contra carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualem nequitiam in cœleſtibus.* Et alibi: *Quando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris eius, ſpiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Quibus euidens eſt, quod diabolus cum ſit aeris princeps, facilime dolis ſuis tendit ad deſertionem & ſeductionem ſpiritus humani à via veritatis, in ignorantiæ & caliginis abyſſum, ex cuius viſceribus exurgunt omnia mala, & con-
1.Chron.21.1. ſequenter tam morbi quam mors, & vexatio tam animi, quam corporis in homine. Sic quidem dictum eſt Diabolum incitaſſe Dauidem ad numerandum populum non aliter quã
Sap.2.23. Euam ad guſtandum fructum vetitum: ſed de his impoſterum plura: *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Iuſtitia eſt perpetua & immobilis: Iniuſtitia vero eſt morbi & mortis acqui-
Sap.1.13. ſitio, &c. At per iuſtitiam intendit ſapiens illam temperiem exactam, quam per imaginem illam quam Deus homini largitus eſt, vt ſanabilis exiſteret, & inexterminabilis maneret: atque ita ſemper in vitæ ſemitis permaneret fixe homo habebat. At ſi ſpiritus humanus, gradum ſuum à Deo deſtinatum exeundo & tranſgrediendo hos imaginis diuinę limites excedat, atque ita à forma Iliaſtrica & diuina, in cagaſtricam & monſtroſam recedat, tunc quidem, iuſtitia lucida neglecta, in iniuſtitiæ tenebroſæ carcere vinculis ignorantiæ firmis, & obliuionis ſui ipſius compedibus erit captiuus: & in hoc ſtatu animus & corpus intemperię corripientur, & fracta vnionis lege vtriuſque perturbatio ſequetur.

CAPVT VII.

In quo effectus cognitionis ſui ipſius fœlices, videlicet, ſcientia certa, quod in ſe habeat imaginem Dei enumerantur. Quomodo lucida iſtiuſmodi cognitione peccatum & tenebræ expellantur, timor & reuerentia Dei, & conſequenter, vera ſapientia acquiratur, & quod ipſe qui cadit ab iſta cognitione ſui ipſius, & à timore illius cuius eſt imago, peccare ſolet contra Spiritum ſanctum.

NON ſiquidem erat abſque bona ratione, quod tam Philoſophi quam Theoſophi cantum iſtũ tanta diligentia nobis cecinerint: *Noſce teipſum*. quippe, qui vltra communem hominum ignorantiam & captus eorum tenebroſos, ipſum hominem internum ad imaginem & ſimilitudinem Dei eſſe creatum perceperunt: Hinc ergo humano generi nihil eſſe magis requiſitum putamus, quam vt ſumma ope & induſtria noſcere nitatur, quid ſit illud tam glorioſum eius internum, ſuper cœleſte (dico) illud donum ipſi ſoli inter omnia mortalia tam opipare à Deo conceſſum, mediante quo, naturalia tam ſubtili indagatione inueſtigat, cœleſtia tam profunde cogitat, atque ad Angelorum diſcurſum ſuſcipiendum, & ad Dei opera & naturæ progreſſus concipiendos; ad bonorum malorumque iudicium intelligendum, atque ad varium bonorum artificium inueniendum incitatur; imo vero gemma tam pretioſa eſt iſta diuinitatis imago, homini conceſſa, vt quicunque eam more debito & à ſacris Scripturis nobis deſcripto, atque aſſignato inuenire queat, ipſe eâ fultus, *de mortali immortalis habebitur,* (vt teſtatur Mercurius Triſmeg.) vtpote qui intelligentia ſua cuncta quæ in terra ſunt, & quæ in mari, & ſi quid eſt præter ea ſupra cœlum complecti, atque adeò ſeipſum erigere poteſt, vt ipſum quoque bonum intueatur, cumque vnione cum ipſo firma,

ma, idem cum eo fieri & in eandem transformari imaginem testantur Scripturæ; vnde & prædictus antistes; ***Magnum miraculum est homo, animal adorandum & honorandum, ipse enim transit in naturam Dei, & quasi sit Deus.***

At dicet quispiam, vbi inueniemus istam Dei imaginem, aut in quo loco eam quæramus, cùm sit omnium rerum maximè inuisibile, & incognoscibile? Certè à Philosophis secretioribus docemur ipsam non esse rem peregrinam, nec longè quærendam, cùm sit animus, seu mens illa nostra, mediante qua, prædicta omnia compleri possunt, semper est nobiscum, adest, tractat, loquitur, & intus nascitur, & tamen paucis datum est istum spiritum Deiformem cernere: nam fieri non potest diuinâ quadam prouidentiâ, vt ipsius inueniendi facultas religiosis animis seipsos, & Deum suum piè, ac castè, ac diligenter quærentibus desit: quod quidem vt meliùs perficiatur, necesse est vt diligens scrutator reddat se sibi, imò verò domino suo, cui maximè se debet, vt vnione cum Deo ita facta, vulnus ab Adami plaga, ad ipsum scaturiens, ipsique à natiuitate irrepens, regenerationis lauacro securè consolidetur, oculique eius spirituales virulento Adamici peccati glutine occlusi, nectareo spiritus huius diuini iam tandem inuenti opobalsamo illinantur; atque iterum quò occulta & latentia discernant, aperiantur: locus & vehiculum istius mentis diuinæ & spiritus in homine, qui est anima omnium sensitiuarum & non sensitiuarum rerum sub cœlo. Mediante igitur isto spiritu introducitur imago mentis diuinæ in hominem; in hunc modum, vt testatur Hermes: *Purissima materiæ humanæ portio aër, aëris anima, animæ mens, mentis denique Deus, Deus verò circa omnia, mens circa animam, anima circa aërem, aër circa materiam humanam.* Et *alibi: Beatus Deus, dæmon bonus animam in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronunciauit*; quibus liquet, quòd anima vel aër sit amicus corpori, (vtpote) cui dona tam pretiosa confert; vnde quidam in mysteriis humanis profundissimus, hæc dicit in persona corporis Christi humani: *O spiritus! adduxisti mihi nobilem quandam essentiam: Vidi enim Deum in Sacramentis per animam, &c.* Propterea potest homo per animam cognoscere & intelligere omnes res arcanas & occultas in hominibus, si modo illa non impediatur à corpore. His igitur cum prudentia & discretione ponderatis: certissimum est, quòd anima corporeis vinculis inclusa, corrumpitur ignorantia, quippe quod corpus est ignorantiæ vmbraculum, vt antea dictum est; vnde sequitur, quòd quanto magis augetur & crescit virtus corporis per naturale nutrimentum cibi & potus, tanto magis infirmatur & decrescit intellectus spiritus. Hinc ait quidam sapiens: *Quæris lucem tuam (hoc est) animam tuam? Quære eam in vitreo vasculo, hoc est, in corpore non saginato nimis.* Ita enim poterit intellectus comprehendere arcana & mirabilia opera Dei; nam quantò magis debilitatur corpus, tanto magis augentur animæ vires, spiritusque ipsius est magis rarus & à ligamentis corporis tenebrosi liberior. At verò quando intellectus hominis est subtilis, tum ipse potest comprehendere res subtiles: cæterùm, si ipsius intellectus sit grossus & rudis, ignorantiæ pedicibus & vinculis videtur plus minusve impediri. Pim. 10.

Velim ergo, vt Christianus quilibet (tametsi actuali animi visione non fruatur,) intelligat tamen Iesum vile suum corpus inhabitare, hoc est, vt ipsius internum, sit imago & similitudo illius qui eam & omnia creauit, & consequenter, vt (iuxta Apostoli sermonem) intelligat & pro certo credat, *quòd membra sua sint templum Spiritus sancti.* Et quòd *omnis eius actus & motus sit ab ipso, per ipsum, & in ipso, qui operatur omnia in omnibus;* quippe *in quo viuimus, mouemur, & sumus*; & quòd sit inspiratio Omnipotentis qui viuificat omnia, & consequenter ad voluntatem eius mouemur, vt hac ratione cognita & intellecta radicali sua origine, non sui ipsius amore & philautia adeò sit captus, vt credat suum totum sibi & non Deo esse ascribendum, aut se per se & sine Dei animatione sibi viuere, velle, operari, intelligere, ratiocinari, sentire, moueri, falsò existimet, quoniam eius anima ignorantiæ retibus capta, & corporis tenebrosi velo obducta, corporis passionibus consopitur, & per sensibiles formas extra se abducta quid sit aut quid fuit oblita est, & quod nihil aliud se fuisse meminit, nihil quod videtur esse, credit, solo sensu circa corpora & imaginatione circa corporum & locorum similitudines versatur, & in iis vigilando siue dormiendo exercetur. At verò cùm ab hac distractione, in puram intelligentiam ascendit, colligit se, & rationalis dicitur: est enim ratio animi aspectus quo per seipsum verum intuetur, ratiocinatio verò est rationis inquisitio; quare illa scilicet ratione opus est ad spiritualiter videndum, ista scilicet ratiocinatione ad inquirendũ; vt tandem ad ipsam sapientiæ & veritatis metam pertingat. Denique animus sapientia illustratus, suum quidem principium respicit, & seipsum cognoscit, videlicet, quòd sit solummodo Dei sui creatoris imago ac similitudo, & quòd nihil habeat ex proprio, sed suũ totũ ad Actor. 17.

Deum spectat, non aliter quàm imago arboris ad ipsam arborem: & consequenter, quòd suum totum per idoneam sui ipsius cognitionem Deo cum timore & reuerentia attribuatur.

Nec certè quis sibi constans replicare queat, quòd si Deus cognoscatur esse omnia in interno homine, & quòd operatur omnia in omnibus, tunc non est creatura humana quæ peccat aduersus vitæ leges sed ipse Deus; cui ego respondeo non esse Deum, sed creaturæ siue organi peruersi, & corporis ignorantiæ velo obducti; cæcitatem quæ est erroris occasio, nam Deus est semper & permanenter vnus & idem, vtcunque ipsius effectus respectu subiecti in quod agit, sint diuersi. Sic idem ignis, in sua natura minimè alteratus, quandoque vrere & destruere, nonnunquam fouere & nutrire suo calore, interdum coquere, & pro creaturæ necessitate præparare; aliquando mediante puluere bombardali; res ponderosas in altum eleuare, candelas accendere, aquas euaporare, res humidas exiccare, & infinitas alias operationes conditione diuersas perficere; semper vno eodemque permanente ipso animaduertitur.

Pariformiter (si magna cum paruis aut increata cum creatis comparare fas est) essentia quidem diuina siue æternæ sapientiæ spiritus, agit in nobis vniformiter, non vt quicquam malè inde sequatur, sed subiectum organicum malè dispositum, & tenebris commaculatum, puros diuinæ imaginis actus peruersè recipit, & ignorantia ductum in sensum & actionem contrariam eos conuertit. Ita quidem videmus, quòd licet ignis accendat puluerem bombardalem, non tamen ea facit intentione vt domum aliquam labefactaret, aut quempiam interficeret, similiter non propulsat globum bombardalem eo intento, vt quempiam destrueret, sed vt sibi resistens viamque ad apertum aërem denegans expelleret; vnde patet, quòd quicquid accipitur pro ratione accipientis, subiecta ergo & organa pollutione & immunditie onerata, more polluto recipiunt impressiones vtcunque in se bonas; effectusque impuros producunt, quæ piis & obedientibus atque humilibus habentur pro benedictionibus, malis, rebellibus, & superbis, in maledictiones conuertuntur; quercus, scopulus & palatia principis robustissima terræ motu præcipitantur, cùm arundo & domus pauperum magis humilis inconcussa manent; sic etiam tenera & molli vaginæ vel bursæ substantia intacta manente rebelles ipsius gladii & nummorum materia fulmine penetratur atque destruitur: Sunt ergo tenebræ & earum filia ignorantia, quæ bonas Dei dotes conuertunt in peccata; at verò qui fide certa imaginem Dei esse ipsorum totum cognoscunt, hi quidem corpus suum tenebrosum menti subiici percipiunt totumq; suum attribuentes Deo, seipsos vnione firma coniungunt cum Deo. Hinc ergo oritur timor & reuerentia Dei, qui est *sapientiæ principium*; hinc viam legis, seu vitæ lucidam, in qua debemus coram Deo nostro ambulare, patefactam habemus, hinc ergo limitum veræ imaginis mensuram quos non debemus transcendere graphicè, atque ad iustitiam videmus delineatam: cuius fructus tam ad animi; quàm corporis salutem conferentes, sunt huiusmodi:

Imprimis, cognitione nostrûm genuina, scientia quòd in Deo viuimus, mouemur, & sumus; præsentia illius actus diuini quo fruimur, timore pio incutimur illius cuius est actus ille, & ad imaginem atque similitudinem cuius essentia & existentia nostra est formata, ipsum ab integro cordis meditullio amantes, qui nos tanta gratia & fauore est dignatus, vt inter omnia alia animalia nos ad tantam dignitatem elegerit, mediante quo, regni cœlorum hæredes sumus facti; & quatenus in eo solo mouemur, & in eius verbo est vita & lux nostra, eatenus spiritus noster ei sit obediens, & non more peruerso & rebelli; sed prout ipse vult, hoc est, iuxta voluntatis eius leges obedienter incedamus, & vt omnia ab ipso accipiamus, sedulò agnoscamus, & quod semper pauore & timore, gaudio & lætitia mixtis teneatur spiritus noster, ne à benedicta ista semita aberremus. Atque talis Dei Optimi Maximi timor est ille, quem sapientes esse principium sapientiæ prædicauerunt.

Secundò, cognoscentes nostrûm internum & centrale esse imaginem Dei, à qua, & secundùm quam, mouemur, viuimus, & sumus, simul etiam rapimur, vt ad iustitiam ipsius Dei iusti, cuius sumus imagines, collimemus; nam impossibile est, vt cognoscamus nos esse imagines rei; nisi etiam obseruemus proprietatem maximè essentialem illius cuius est imago; at. Deus ad imaginem cuius sumus facti, iustitia & æquitate excellit, ideò in hac sua virtute præcellente à nobis imaginibus eius est ipse imitandus: vt hac ratione nos in terris eum qui regnat in cœlis in iustitia æmulantes, possimus iustè; & in æqualitate, & non iniuriosè nos gerere erga proximos; sed beneuolè, iustè, & in timore Dei, non aliter fratres nostros tractantes, quàm vt ab ipsis tractari velimus. Atque ista

que ista est præcipua lucis & moralitatis lex, atque documentum à pio Christiano minimè spernendum.

Tertiò, illa ipsa consideratio, nobis firmum patientiæ characterem imprimere solet, videlicet cùm Deus sit solus ille internus in nobis operator & actor, intelligamus & firmo modo nobiscum colligamus, quòd si quid nobis aduersi vel infortunii vel in corpore aut animo afflictionis acciderit, totum illud quicquid est patienter comportemus, considerantes cum viro illo patiente Iobo; quòd *sit Deus solus qui vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.* Iob.5.18. At verò vt est ipsius solius flagellare & saluare, deducere ad inferos, & reducere, & non est qui manum suam effugiat, ita quidem sit hoc nobis cum bono Tobia solatium, quòd vt *ipse castigat nos propter iniquitates nostras, ita ipse saluabit nos propter misericordiam suam.* Tob.13.5. Hac consolatione nixus Iob in omnibus tribulationibus suis, vsque ad finem constanter & patienter (misericordiam diuinam exspectando) perdurauit, ac fide hac sua, in itinere tam calamitoso atque ærumnali comitante, tandem gaudii sui exspectati, & patientiæ tam diuturnæ mercedem accepit. Et si quis ex fratribus tuis tibi damnum afferat, animam tuam tuis precibus coram ipso actore pro fratre tuo effunde, eum rogando vt fratris spiritum conuertat in melius, aut dicendo cum CHRISTO, si iniustè tibi iniuriam obtulerit: *Condona ei, nescit enim quid facit.*

Quartò, habebis firmam fidei tuæ anchoram & stabilem fixationem ad bonitatem Dei tui; nam quando pro certo percipies, Dei tui imaginem & similitudinem esse in te, exinde considerare & colligere possis, quòd si fueris lapsus & peccato contaminatus, tamen si fide certa credis & pœnitentiâ debitâ spiritum tuum humiliaueris Deo tuo, atque actus ipsius non peruersè imposterum receperis, facilè vnione cum Deo noua fractionem consolidabis, eò quòd DEVS tuus bonus non reliquit te, sed semper est tibi proximus, modò si ipsum seriò quærere & inuentum timere, atque (vti æquum est) adorare non desistes. Est enim firma spei anchora in Deo suo optimè confidere, & fides erit eo validior, & magis completa, quo Deum animæ suæ propinquiorem intelliget; nam auersio spiritus seu faciei diuinæ à peccatore, ignorãtia ipsius Deum suum adeò sibi esse propinquum, est desperationis origo.

Quintò, quilibet se esse ad imaginem Dei factum, & eius omnia esse à Deo intelligens, probitatem & bonitatem in se ipso inde procreare solet, quippe, quòd cùm imago sit natura ab illo cuius est imago minimè diuisa, sed eò modo ei coniuncta quo radius Solis Soli, sequitur quòd si fons istius imaginis sit summum illud & vnicum bonum, necesse est vt imago seu scaturigo sit etiam talis, & consequenter, quòd nemo se esse Dei imaginem directè & fideliter intelligere potest, qui bonitatem omni conamine non venatur, atque fontis lucidi, à quo est ortus, iustitiam & probitatem non induit, & in operibus suis illam non demonstrat.

Sextò, Qui cognoscit Deum esse amorem summum & purissimum, (vt testatur pagina sacra) necesse habet, vtpote ad imaginem eius factus, vt amore etiam tam erga principium quàm erga proximos & fratres ardeat, & accendatur, & per consequentiam, vt charitatem suam ad fratrem per effectus ostendat. Sed quòd talis amor & charitas debeat inter homines perpetuum regnare, in eo liquet, quia vnus Deus est nostrum omnium Pater. Nam Christus ait: *Vnum Deum Patrem habemus nos*; ex fornicatione non sumus nati. Si Ioan.8.42. ergo Deus esset Pater vester, diligeretis vtique me: quo innuere videtur, quòd, vt Pater omnium sit Deus, qui est fons amoris & charitatis, nos etiam qui sumus imagines seu riuuli illius fontis, debemus etiam amore ad inuicem abundare. At videtur ipse arguere, quòd ipsi Iudæi non essent lucis filii, sed tenebrarum, quoniam ignorantia talis rei capti, in odio habuerunt illum qui ad imaginem Dei cum ipsis erat factus: at verò lucis filios, quos & *Dei filios* vocat, suum internum intellexisse, & consequenter omnes hominum imagines fuisse vnicam solummodo vnius Entis æterni iconem, vnde si vnius entitatis, essentiæ, atque naturæ, sequitur, quòd vnio & concordia atque amor non aliter fieri debeat in omnibus hominum imaginibus, quàm omnes partes vnicum conflare totum, vel infinitæ guttæ aquæ vnicum mare integrum, vel innumerabiles Solis radii & atomi vnicum integrum solem conflare notantur. Si igitur Deus sit omne in omni, & illud omne sit amor & charitas, vnde ergo ista in rerum natura, & præcipuè in creaturis rationalibus diuisio, & ab vnitate in dualitatem fractio? vnde odium, malitia, & discordia, cùm reuera nihil sit nisi amor & charitas vbique centraliter regnans & imperans? Nam *si Christus* (vt ait Apostolus) *omnia implet, si Deus sit vbique*; atque ille Deus sit vnitas, amor, pax, & charitas; vnde (inquam) ista

in mun-

in mundo dualitas, odium, contentio, atque inimicitia? Certè à figmentis principis tenebrarum chimæreis ortum suum ducunt, velo ignorantiæ obducuntur, videntur & non sunt, & rei veritate præstigiosa sunt, & non à veritatis fonte orta, cùm veritas sit amor, & amor sit lux, & lux verbum, & verbum Deus, & Deus sit omnia rei veritate se habentia, & sine eo nihil.

Qui ergo se imagine Dei indutos sciunt, non nisi vnam veritatem intelligunt, & amore illius ardent, & charitatis vinculo ad inuicem vniuntur: cuius verò anima ignorantia corrumpitur & corporis opaci atque tenebrarum vinculis ligatur, hæc tenebris obruta, non discernit aut intelligit quid sit eius internum, aut vnde illud oriatur, atque ob istam caussam, tenebras pro luce, malè accipiens dualitatem inducit, legem lucidam corrumpit, amoris casti limites violare non hæsitat, ac denique more cæcorum, vel ebriorum in tenebris palpat, malumque pro bono, tenebras pro luce, noctem pro die, & odium pro amore accipit, & eligit, sibi ipsi omnia vendicat, Deo verò nihil ascribit, cùm nec à Deo, sed à seipsa, nec per Deum, sed per seipsam, nec in Deo, sed in seipsa omnia sua permanere, atque ortum suũ duxisse agnoscit, anima corporis & tenebrarum vinculis ligata, atque captiuata. Hinc ergo est, quod (iuxta Christi doctrinam) *filii mundi seu tenebrarum odio habent filios Dei siue lucis.*

Septimò, seipsum cognoscens gratia imaginis diuinæ, qua adornatur, oculis apertis distinguere potest veritatem à mendacio, atque hac ratione, in veritate gratiosa ambulare, mendaciumque monstrosum effugere, & euitare omni nititur conamine.


Denique ex istis filios Dei misericordia elucescentis ab illis diaboli in tenebris furentis, distinguere possumus, atque summam illam beatitudinem percipere, qua fruantur ipsi qui reuera seipsos cognoscũt; quippe qui percipient se ad imaginem & similitudinem Dei esse creatos, & quòd vile eorum corpus inhabitet preciosa illa gemma Iesus, omnia viuificans, omnia ad salutem dirigens, & saluans, verissima sui patris imago, lex vitæ, semiram fœlicitatis omnibus piis, & fide certa in ipso habentibus, clementer, & pacificè, indicans.

His ergo intelligere potestis, quid sit peccatum, & quid sit caussa morbi & mortis præstigiosa & chimærea, vtpote non creata; nam quicquid creatum est, bonum est; & consequenter per accidens, & tamen ad morbum & mortem ita necessariò concurrit, vt nisi ipsum præcedat, impossibile est, vt morbus sequatur; quare euidens est ipsum pro caussa morbi & mortis sine qua non seu ratione cuius haberi posse.

At verò quoniam plurimæ sunt peccati species, ita quidem iuxta ipsarum singulas, singulos & peculiares videtur textus sacer applicare morbos: Verbi gratia: Saul ob inobedientiam suam malo spiritu seu dæmonio erat vexatus: Et *morbi Ægyptiaci* ob legis violationem, (*Deut.* 28.) pestis, febris ardens, amentia, cæcitas, stupor cordis, vlcus malignum, timor, tristitia, & multi alii, vtpote quòd peccatum est generale: Ob concupiscentiam plaga afficiebat Iehoua domum Pharaonis, & Sodomitas scotomate: ob præsumtionem & superbiam; percussit ipse regem Hagarium & Miriam leprâ & Ieroboamum exarescentia manus: Ob sacrilegium Aschdodæos hæmorrhoidibus: ob violentiam & vanam confidentiam scotomate Assyrios; ob impietatem & superbiam Regem Israëlis, & Antiochum vti in Maccabæis habetur; & Herodem in Actibus, infirmitate intestinorum, ex quâ mortui sunt propter apostasiam & perfidiam ad patriam suam, Paralysi, vt 2. *Maccab.* Denique ob superbiam & blasphemiam, peste affecit ipse Assyrios, vt 2. *Reg.* 17. Infinita quidem exempla de hac re proferre potui, sed quia alia me auocant, ad caussarum morborum magis essentialium descriptionem descendam, atque in primo loco cum illa materiali incipiam.

(*Genes.* 12. 2. *Reg* 5. *Num.* 12. 1. *Sam.* 5. 2. *Reg.* 6.)

SECTIO-



SECTIONIS PRIMÆ, PARTIS QVARTÆ, LIBER SECVNDVS,

De causa morborum materiali.

CAPVT I.

Quomodo Aqua sit vniuersale rerum omnium tam naturalium, quàm præternaturalium, & contranaturalium subiectum, siue materia ex qua.



CVm in Archetypi animo erat rerum omnium condendarum exemplar, imprimis curare voluit aptum eligere atque creare subiectum siue materiam ex qua ipse tum postea faberrimè vniuersi mundi structuram conderet, & ad exitum fœlicem produceret. Ex potentiæ ergo ipsius infinitæ abysso (quam Paracelsus vocauit mysterium magnum) videlicet, ex confusa materiæ primæ, seu chaos caligine & tenebris obducti mole, immensam aquarum vniuersalium massam, spagyrica sui verbi ignei operatione, extraxit, hoc est, à potentia tenebrosa, seu nihilo inuiso, in manifestum & lucem siue actum visibilem edidit, quemadmodum sæpius in *antescriptis meis voluminibus, & in principio istius*, exprimitur plenius atque lucidius; super generalem hanc aquarum molem spiritus Dei lucidus vehebatur, igneumque ipsi impertitus est vigorem. Ex quibus colligere fas est, quòd creatura ista catholica, vt è tenebrarum vtero seu visceribus emersit, ita quidem naturali sua inclinatione & complexione ad quietem, frigiditatem, & ad tenebrarum formam inducendam est aptissima; ex altera verò parte de suo patre lucido participare, & formæ lucidæ & pulchritudinis speciem, non aliter quàm mulier virum appetere dignoscitur, atque ita mediante actus diuini seu Dei patentis virtute, contra originis suæ maternæ dispositionem, agilis, mobilis, pellucida, & clara, idque magis vel minus secundum lucis in ipsa dominantis portionem, efficitur.

Hinc ergo liquet, quòd Aqua in medio ponitur inter hæc duo extrema, quorum vnum est ipsius mater, alterum verò genitoris loco se habet ad ipsam. Atque vt nobis qui sumus lucis filii, tenebræ vtpote vitæ & motui oppositissimæ, pro mali, erroris, atque mendacii, & consequenter peccati factæ habentur, ita quidem quo magis natura ista humida seu aquea tendit ad tenebras, & à natura lucida est remotior, eò etiam peior, & malignior, atque insalubrior à nobis æstimatur. Hinc quidem à terra, quasi tenebrarum valle, ad cœlum transitus, omnium nobis fœlicissimus habetur, ac si quis diceret à tenebris in lucem, à nocte in diem, à peiori in melius, à malo in bonum, à morte in vitam, ab infirmitate in sanitatem progressio. At verò, quòd ambo hi loci ex vnica & eadem sint materia hac constituti, & creati, testatur Apostolus, vbi ait: *Quòd cœli essent priùs, & terra de aqua, & per aquam, consistens Dei verbo*; &c. Ergo totus mundus, & quicquid in mundo existit, & à mundi partibus seu elementis conflatur, ex vnica eadem materia est conflatum, atque constitutum. Quo manifestum redditur, quòd aqua sit generale illud subiectum, in quod Deus (mediantibus suis ministris) diuerso modo agit & operatur, tam ad creaturarum malum, quàm ad ipsarum bonum; nam vt naturalis est aquarum instinctus, ad materna tenebrosi Chaos viscera respicere, & ad opacitatem, frigiditatem, atque quietem ex innata sua proprietate inclinare, ita quidem quando Deo in priuatiua & latenti sua proprietate in ipsis operari placuerit, ad priuatiuam, caliginosam, terream, & quiescentem ipsius proprietatem induendam, & ad corruptionem vel mortificationem reduci præstò adsunt; è regione verò, quando Deus in positiua & patenti sua natura in eas agit, ad viuificam & salubrem, lucidam, aëream, & mobilem, conuertuntur conditionem; sed vt rem istam à sua radice seu origine altiùs adhuc deriuemus, sciendum est, quòd in principio, tota aquarum moles esset homo-

2. Pet. 3.

genea,& tametsi in ea esset potentialiter tenebrosum & impurum quid, tamen bonitas Dei patentis lucida, ita in ipsis præualebat, vt illius impurum & tenebrosum fuerit actu purum & lucidum factum; nam certum est, quòd aër purus, & perfecte lucidus, possit suo dominio conuertere aërem impurum,& peccantem in suam naturam bonam; quod ni esset, impossibile foret, vt peccatum semel in spiritu humano, contractum posset expurgari, atque spiritus ille iterum ad statum suæ innocentiæ & puritatis (iuxta sensum literarum sacrarum) conuerti. Certum igitur & pro concesso est, quòd per lucem vnica die creatam, atque aquis vniuersis vndique permistam, omnes illæ aquæ fuerunt vinculis diuinis in bonitate æquali mixtæ, nullaque erant tunc temporis in natura aquarum aut inæqualitas aut heterogeneitas, sed tenebrosa earum natura in potentia, & occulto existens, luce ita correcta & depurata erat, vt ipsa illa lux eam reddiderit sibi æqualem in bonitate; vnde dicit textus: *Facta est vespera & mane dies vnus*, videlicet, Tenebræ & lux ita in vnione cum Deo iunctæ faciebant vnicam diem catholicam, in qua omnes creaturæ, tam angelicæ, quàm cæteræ quæ complicitè, quamuis non explicitæ erant in aquis vniuersalibus illa die creatæ, non aliter in vnione cum Deo erant iunctæ atque ligatæ, quàm vespera & manè, seu tenebræ & lux ad conformationem illius vnius diei benedictæ, in qua omnia erant cum creatore vnita.

In quo etiam diei vnius statu, Lucifer qui ex tenui aqua aërea erat conflatus, tanta virtute vnionis illius claritate resplendescebat, vt cæteris prima die creatis, splendore atque coruscatione antecelleret; & quamuis aër ille præclarus, qui ad ipsius compositionem concurrebat, naturam in se opacam, & impuram in suo profundo contineret, siue in potentia haberet, tamen propter naturæ in ipso lucidæ dominium adeo corrigebatur, & in perfectionem eius angelicam resurgebat, vt non esset malus, sed eius malitia in bonitatem erat redacta: atque ita tam diu permanebat eius bonitas, quandiu in vnione & obedientia staret, & in iustitia & humilitate coram Deo suo persisteret, vt statim latiùs declarabitur.

CAPVT II.

Quòd materia, seu substantia aquarum ante illius visibilis creationem, esset inuisibilis, & quòd esset nihil aliud, præterquam aër vniuersalis. In hoc etiam primæ materiæ mysterium enucleatur, & probatur, quòd non sit absolutè nihilum, sed aliquid in ipso Deo ab æternitate existens atque delitescens.

QVòd aquarum illarum substantia antè earum diuisionem seu separationem esset inuisibilis, & nihil quasi aliud quàm aër quidam vniuersalis, testari videntur ista Apostoli verba: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, &c. (Hebr. 11.) Ita vt patet, quod omne posterius sit emanatio quædam & figura sui prioris: (Hoc est) credere debemus quòd iste mundus visibilis & temporalis ex aëre in quatuor elementa redacto constans, cum omnibus quæ in eo sunt & versantur, sumit atque habet suam originem, essentiam, naturam & proprietatem ex mundo spirituali & inuisibili, qui stat in æuo; & quicquid etiam habetis in mundo æuiali, hoc etiam in mundo temporali est reperiendum. At verò mundus temporalis est saltem effigies, speculum, vmbra & figura æuialis, sicut etiam mundus æuialis, est pictura, icon, & speculum spiritualis mundi æternitatis, in qua est ipsius veritatis tam materialis quàm formalis radix.

Quo quidem liquet, quòd nihil sit in toto mundo nostro, videlicet, in rebus naturalibus, quod non habeat suum simile in mundo spirituali, inter supernaturalia, siue id sit, vel appellatur bonum siue malum; nam sicut in mundo nostro habemus quod vocatur lux & tenebræ, dies & nox, cœlum & terra, vita & mors, verum & falsum, amabile & odiosum, dulce & amarum, salutare & perniciosum, humile & superbum, lætum & triste, sanitas & ægritudo, medicina & venenum, denique purum & impurum: ita quidem multo magis se habet res in mundo spirituali, ex quo, & propter quem mundus hic factus est: nam certum est, quòd inferiora ista descenderint & orta fuerint ab illis superioribus, quod in eo patet, quoniam omnis essentia est vitacior, potentior, & solidior quàm sua vmbra & figura, vt gladium suam vaginam virtute excellere videmus.

Hisce ergo certiores fieri potestis, quòd lux angelica inuisibilis sit imago Dei, & consequenter, mundus æuialis illius æterni est icon seu imago, qua oculis nostris sensibilibus non est expositus aut subiectus, sicut est mundus iste stellaris atque elementaris cum creaturis eiusdem visibilibus, quæ omnia sunt lucis angelicæ & visibilis exemplaria: & consequenter verissimum esse debet, quòd omnia visibilia, & corporalia ex inuisibilibus & spiritualibus extant, & non econtra. Atque ob istam rationem sequi debet, quòd inuisibilia sunt priora, maiora, nobiliora, & magis interna (nam quæ faciunt talia, sunt magis talia) visibilia verò sunt posteriora, minora, viliora, & magis externa.

Iam verò animaduertendum est, quod vbi de raro & denso, seu subtili & spisso (hoc est, de inuisibili & visibili verba facimus) totum illud de materia, & non de forma intelligi debet; tametsi necesse est inferre, quod omnis in materia catholica spissitudo, & subtilitas in spagyrico verbi formalis seu spiritus qui ferebatur super aquas, actu & operatione sunt effectæ; iuxta istud Psalmistæ: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* At quòd subiectum in quod agebat ille spiritus ad mundi in suas sphæras seu regiones diuisionem, & præcipuè in cœlum atque terram fuisset aquæ. D. Petrum *loco antea citato* habemus testem, sed vt ipsam rem à radice melius intelligatis, vos scire velim, quod tametsi quorundam sit opinio, vt nihilum illud ex quo Deus dictus est omnia creasse, sit absolutè & omnino nihil negatiuum, carens esse, & quòd non cadit sub intellectum aut rationem, tamen re vera Scripturæ videntur aliud per hoc nihilum intelligere; videlicet primam rerum omnium essentiam siue materiam, quæ æternaliter in Deo, & apud Deum, & cum Deo in latente sua natura vnum & idem sunt.

Quod quidem sic probare aggredior: *In principio creauit Deus cœlum & terram:* hoc principium pro negatiuo NIHILO minimè capiendũ esse existimamus; cum scripturis, quoniam ex ipso, & per ipsum, & cum ipso omnia. Certè si omnia ex ipso summo Ente Deo creatore: Ergo nequaquam ex negatiuo nihilo, sed & hoc à Sapiente verbis quidem expressis sic confirmatum habemus: (ait Salomon) *Manus tua, Domine, creauit orbem terrarum ex materia inuisa:* Hæc ergo materia inuisa non erat nihil negatiuum. Porrò dicit textus antea allegatus: *Fide intelligimus apta esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Et idem Apostolus alibi sic: *Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt,* (id est, visui non subiiciuntur) *vt ea quæ sunt, destrueret;* vnde sequitur, quod res omnes non sint factæ ex negatiuo Nihilo.

Præterea, si Deus non ex seipso omnia essentialiter genuisset, produxisset, creasset & separasset, sed ex vano & negatiuo nihilo, tunc creatio non pertineret ad Deum, nec possit quoad materiam ad Deum referri, si scilicet omnia originem suam essentialiter non duxisset à Deo, tunc quidem sequeretur, quòd etiam omnia non ab ipso facta sunt, sed à nihilo, non per ipsum, sed per nihilum, nec in ipso, sed in nihilo extiterint, verum res ita se non habet. Creatio est opus Dei, non opus nihili, & ipse est omnium Entium Ens, omnium viuentium vita, omnium principiorum principium, omnium aquarum fons, quoniam sine ipso nihil est factum. Quocirca attende: Deus nihil aliud genuit, produxit, fecit, creauit, nisi id quod æternaliter in ipso fuit. Nam ab intra fluxerunt & processerunt omnia, ex abscondito in manifestum, ex incognito incognitum, ex simplicitate in similitudinem, ex fonte in mare, ex puncto in circulum. Atque hoc iuxta aliorum in mysteriis Dei abditis versatissimorum sententiam, sic demonstro: Omne genitum, principiatum, creatum, productum atque separatum, venit ex ingenito, infinito principio incipienti non producto, in separato vno; omne inferius ex superiori, omne corporale ex spirituali, omne visibile ex inuisibili, omne temporale ex æuo, omne æuiale ex æterno, non aliter quàm omnis figura Geometrica ex linea, omnisque linea ex puncto, quod est principium illud indiuisibile, ex quo, per quod, & in quo consistit cuiuslibet rei materialis imago; non aliter quàm arbor in ipsius sementillæ meditullio complicitè delitescit, sic quidem in ipso Deo res cunctæ.

Atque hinc est, quod sicut de Deo dicitur quòd ex ipso, & per ipsum, & de ipso omnia, ita etiam dicitur, quòd ipse super omnia, & per omnia, & in omnibus. Concludimus ergo cum Apostolo, quòd *in Deo, & de Deo sunt omnia:* & quòd *ab ipso sunt omnia per Iesum Christũ.* 1 Cor. 8.
Et tamẽ *ipse Deus vnus, in quo omnia, & ipse in omnibus.* Deniq; dicimus, quod materia omniũ 2. Cor. 5.
prima esset æternaliter in ipso, videlicet in latenti & potentiali sua dispositione, in qua à Cabalistis Aleph dictitatur tenebrosum, seu principium illud, quod אין seu nihilum vocant,

hoc est, respectu nostrûm, & non suiipsius, cui tenebræ in eodem gradu se habent vt lux; at verò in natura sua patente, in qua tenebræ à lucida sua præsentia repelluntur, materiæ incognitæ & æternè in Dei monade existentes, in formatione in aquarum effigie transformantur: & in hac sua apparitione à Cabalistis Aleph lucidum nuncupatur, vtpote in qua proprietate sua omnia occulta patefacit, & se in creatura sua manifestat. Hinc à Mercurio Tris. *mundus* haud ineptè dicitur *Dei imago*, vtpote cuius totum est quasi speculum, in quo Omnipotentis icon seu effigies inspicitur. Sed quoniam de hoc subiecto, videlicet de creaturarum ex fonte diuino extractione, in particula de causa efficiente principali abundiùs discurremus, de ipso hoc in loco non plura; sed de Aqua quasi vniuersali rerum subiecto ex penu, & promptuario primæ materiæ, seu principii producta, sermonem satis amplum faciemus: vtpote in qua tam seminaria mali & peccati quàm boni & iustitiæ regnare cognoscuntur.

CAPVT III.

In quo declaratur, quòd aquæ illæ catholicæ, ex quibus mundus tam æuialis, seu angelicus, quàm temporalis & sensibilis est formatus, essent in prima creationis die in forma aëris inuisibilis purissimi & lucidissimi à peccato, aut malo, & tenebris actualibus immunis: & quòd angeli de eodem subiecto essent primitus creati; similiter de peccati seu tenebrarum in ipsis origine.

AQuarum igitur istarum moles chymia diuina ex tenebrarum seu primæ materiæ abysso iam extracta, & in lucem edita, in substantiam lucidissimam, & speculum, quasi faciem seu vultum Dei manifestans, eiusque effigiem præ se ferens mutatur, non aliter quàm ipse Sol visibilis in creaturam omnium lucidissimam & clarissimam præsentia lucis increatæ seu spiritus æternè lucidi transfiguratur: atque hac quidem ratione, iuxta mandatum illud diuinum: *Facta est lux prima die.* Nec tamen erat lux ista, seu aquæ catholicæ sic illuminatæ magis visibiles quàm ipsi spiritus angelici, qui sunt quasi astra cœli istius empyrei seu æuialis inuisibilia: ita quidem vt tota ista regio lucida, atque etiam vniuersa hæc aquarum moles, esset nihil aliud quàm immensa aëris vnius limpidissimi, purissimi, simplicis, homogenii atque lucidissimi abyssus, super omnia se extendens, quæ tum postea per legis transgressionem, in duo erat diuisa, videlicet, in aquas inferiores & tenebrosas, atque illas superiores & lucidas, de quibus *infrà*. Vt ergo Deus in radicali sua natura, erat tam latens, nolens & priuatiuæ proprietatis, & consequenter tenebræ & res occultatæ seu in potentia, in ipso in tali sua proprietate delitescerent, & pro nihilo quasi, atque ideo pro malo, vtpote vitæ & creationi, atque etiam generationi contrarius, habebatur, quàm patens, volens & positiua proprietas, ac consequenter lux, & res patefacta & manifestata; atque à potentia in actum producta, & à malo quasi in bonum conuersa in ista sua proprietate; ita quidem aqua seu aër catholicus, à potentia tenebrosa, mediante luce, seu verbi lucidi virtute in actum productus, tam olet de proprietate Dei seu monadis occulta, quàm de illa manifesta; videlicet vtcunque in lucem mediante spiritu diuino coruscante illuminatur, tamen in suo profundo & occulto tenebras & consequenter potentiam ad malum & peccatum in se habet.

Quod quidem in Luciferi creatione, atq; tum postea in ipsius lapsu optimè demonstratum habetis: nam ex aquis seu aëre isto, prima die tanto lumine ornato, & clarificato, creauit Deus Luciferum cum ipsius sociis siue consortio, ita vt ipse esset lucens quidam aër, imò verò & clarior quam reliquus aër, & lux illa more stellæ coruscantis lucebat in illo aëre, & ob eius in luce excellentiam dictus est Lucifer, sic ergo omnis illa caligo potentialis in aëre; præsentia lucis diuinæ, quæ erat summum bonum, creabatur seu reddebatur bona & clara, sine peccato actuali, nam hac ratione in principio malum compescebatur seu subigebatur atque corrigebatur sub bono, potest enim malus & tenebrosus aër per aërem bonum & lucidum corrigi & emendari: verum enim vero hoc non fiebat in Lucifero cum eius socijs & consortio, nam iuxta aliquorum virorum in Dei arcanis profundorum sententiam, ratio manifestationis & patefactionis illius caliginis & malitię quæ potentialiter delitescat, in aëre Luciferi cum suæ farinæ alijs, erat quod percipiens ipse vt lux illa occulta in prima materia aquarum luceret & separaretur & eleuaretur supra ipsas creaturas Angelicas, odio ac liuore protinus aduersus creaturam humanam accendebatur, atque transgressa hac

ratione

ratione lege seu mandato diuino, ad imaginem Dei pertinente, & peccato protinus succedente, confestim & oppido prodebat & aperiebat sese aër ille tenebrosus in Lucifero, qui in aëre claro potentialiter delitescebat, & aër illud tenebrosus superabat & vincebat aërem clarum & purum, atque ita summa Luciferi claritas tenebris obfuscabatur, & ex angelo bono & lucido factus est Angelus malus & tenebrosus; superbia ergo & inuidia erant in causa quod Lucifer vnionis cum Deo seu imaginis diuinæ quam possidebat, leges seu amoris diuini limites violaret.

Nam vt quidam vult, primus istius angeli à statu imaginis diuinæ lapsus, occasio erat, quod in principio offenderetur, in eo quod videbat sacrosanctam Trinitatem depingere seu delineare clarum quoddam speculum, vbi admirabatur quem concerneret illud quod ita formaretur quidam quasi circulus circumquaque ambiens hanc sanctissimam Trinitatem, in quo erat sol clari istius speculi continens in se omnes virtutes ipsius Trinitatis.

Proinde cogitabat in se quod si Deus in sese occlusas habet omnes hasce insignes virtutes, vtique etiam ex aduerso ego Lucifer habeo in me omnia vitia, adeoque ego illi per istud ipsum quod in me comprehensum est, non sum inferior. Si igitur omnia mea vitia produxero seu emisero, fugient vtique ab illis omnes hæ virtutes Dei, eaque ratione ego eleuabor supra consilia Dei altissimi, locoque eius constituar, etenim ille est Deus & fugiet meam malitiam. In hunc igitur modum omnia Deo debita in seipso sibi ipsi superbia ductus arrogabat ex seipso, per seipsum, & in seipso, & nullo modo à Deo per Deum, & in Deo viuere, moueri, agere aut cogitare volebat Lucifer iste cum suis, atque seipsum post hoc rite cognoscere desijt, imo vero & iam tenebris obrutus ignorat, vnde factum est vt ipse cum consortio suo peccati & tenebrarum lepra sic contaminatus, à cœlo lucido est expulsus, nam vt primum induxisset vitia, tunc cecidit exinde per omnes angelorum choros, cum omnibus suis consortibus: nam cœli non poterant eum diutius retinere, atque in expulsione ipsius à mundo beatorum, Deus separauit aquas grossas siue inferiores, videlicet illas tenebrosas, à subtilibus, puris & superioribus, lucidis nempe per limbum firmamenti, vt hac ratione, nullum foret inter angelos peccantes & innocentes commercium aut societas; quare angelis obedientibus & in vnione cum Deo perseuerantibus aquæ superiores pro habitaculo, sunt assignatæ, illis vero lapsis aquæ inferiores ascribuntur pro loco exilij. Hoc itaque modo, fiebat seu committebatur primum peccatum in cœlo: attamen Deus creauerat Luciferum sine peccato cum claro & puro aëre, peccatum autem erat aër tenebrosus & impurus non sic creatus, sed accidentaliter sic contingens; non aliter quam rubigo contingenter aduenit ferro politissimo: Sed hic angelorum istorum lapsus & à cœlo expulsio non erat sine actu & operatione diuina, qui nihil male facit, sed nobis lucis filijs videtur illud malum & peccatum, vtpote aduersus leges vitæ introductum. Hoc vero ab ipsa Dei monade erat in æternitate & ante omne initium statutum, & in secreto suo Consilio determinatum, vt ministros in mundo crearet vtrique sui proprietati videlicet latenti & tenebrosæ, atque patenti & lucidæ inseruirent, nihil enim Deo malum, cum tenebræ sint ei vt lux, & nox vt dies; sed hoc est secretum Deo ipsi reseruatum, & nemini mortalium ante sigilli septimi reserationem propalandum, cum Deus hæc duo contraria in vnicam illam incluserit materiam, ex qua mundum cum æuialem tum temporalem, videlicet, tam aquas superiores quam inferiores, atque etiam ipsum firmamentum (quod est quasi limbus quidam) aquam ab aquis distinguere; fabricatus est.

CAPVT IV.

De mundo naturali, seu temporali, & quomodo ex ordinatione aquarum inferiorum in regiones & sphæras distinctarum fiat: similiter facti generationisque atque corruptionis ratio in hoc explicatur.

EX prædictis siquidem patet, quod ante Luciferi cum suis angelis lapsum, non esset actu aliquid malum, & per consequens nihil dici potuit bonum, quatenus nihil habuit ei actu contrarium, quare nec pro puro quid æstimari potuit, quoniam nihil actu impurum, & tamen videmus hæc omnia per Luciferi transgressionem, ex vnica eademque materia (sic volente Deo) exurgere, omnia (dico) ex materia vna fiunt, quæ tamen est nihil omnino.

Omnia erant in abscondito, sed iuxta illud Saluatoris nostri; *Nihil est tam absconditum, quod non oporteat manifestum fieri, & in conspectionem venire*, penetrante mirifico verbo. Postquam igitur Lucifer suo peccato tenebras seu malum in sua compositione seu substantia delitescente, atque in sola potentia existente, patefecisset, materia aquarum vnica in duo protinus (per verbum) erat diuisa, & vtrique portioni nomen suæ naturæ conueniens, vt extremum ab extremo, melius intelligatur, impositum est, vnum vocatur Lux, ex qua portione constitutus Paradisus Angelicus, aliud vero tenebræ, ex quo ordinatus est angelis cadentibus sui exilij, seu habitationis locus; atque vt prius à Scripturis vocabatur *Dies*, ita quidem posterius dictiratur *Nox*: Ecce separationem Dei spagyricam puri (videlicet) materiæ vnius aqueæ ab impuro: quæ quidem separatio, seu diuisio in regna tum postea bina constituitur contraria, videlicet in regnum lucidum, quod *Bonum* nuncupatur, & illud tenebrosum, quod est *Malum*, vt hac ratione cœli & inferni, vitæ & mortis, saluationis & damnationis, valetudinis & infirmitatis seu sanitatis atque morbi, fontem atque originem melius discernere queamus; de istis duobus regius paulo copiosius, *in libro nostro præcedente*, vbi de peccato disceptaui, atque libro de causa morbi efficiente, de eis vberius (Deo volente) discurremus: hoc vero in loco, vt ad rem me arctius accingam, de aquis solummodo inferioribus ex quib. mundus iste visibilis est conflatus, pleno, licet succincto, orationis filo, loqui mihi quidem est propositum.

Quemadmodum ex naturali quidem instinctu atque operatione percipimus, quod omnis materia seu substantia pura, nitida, clara, lucida, subtilis & leuis semper sursum tendat, & superiores amet regiones, vt scilicet ad libertatem perueniat, & ab omni inquinamento, textu, amplexu, & vinculis impuritatis & caliginis suæ naturæ omnimodo contrariæ, secura fiat: ita quidem omnis natura impura, grauis, molesta, dura, densa, caliginosa, opaca, tenebrosa, vilis, ignobilis, turpis & ignominiosa fugit lucem, & è regione petit fundum naturaliter, & labitur violenter ad centrum; quod quidem per spagyricam verbi lucidi separationem, die creationis secunda & tertia luculenter indicatur: eratque firmamenti officium diuidere & separare prædictas duas aquarum primæ materiæ portiones, tam exerte & manifeste ab inuicem inter se differentes, nimirum subtiles à crassis, puras ab impuris, supernaturales à naturalibus, incorruptibiles à corruptibilibus, lucidas à tenebrosis, veras à falsis, bonas à malis, ac denique æuialis & angelici materiam ab illa mundi temporalis & visibilis substantia, vnde videre liceat, quod aquæ inferiores, seu mundi temporalis, sunt quasi fæces, & excrementa superiorum siue mundi æuialis, ex inferioribus ergo aquis, mediate post separationem factam, sequuta est mundi visibilis creatio seu fabricatio: nec quidem ita de istis aquis inferioribus viliter & ignobiliter iudicare debemus, quin vt æqualibus trutinis cum bonitate etiam ponderetur & temperetur eius malitia: namque Bonum & Malum æqua luce ad inuicem in istis aquis numeratum, ponderatum, & mensuratum est, ita vt numerus, pondus, & mensura boni in natura & virtute sua, non excedat numerum, pondus, & mensuram
4. Esd. 4. mali, nec è contra, iuxta istud Esdræ; *Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, &c. Quoniam in statera ponderauit seculum, & mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora & non commouit nec excitauit, vsque dum compleatur prædicta mensura, &c.*

Hæc

Hæc ergo (voluntate diuina) sunt ita in hoc mundo temporali comparata , vt neutrum sit maius neutrumque altero minus , sed æqualiter proportionata , vt per omnes gradus vtrimque crescant , & multiplicentur vsque ad messem , hoc est , vsque ad pondus , numerum , & mensuram diuinitus destinatam , idque solummodo propter admirandam Dei monadis in vtraque proprietate sua virtutem , cui per impercustigabilem prouidentiam suam , tali progressu id facere visum fuit , vt in mundo hoc propter Angelorum peccatum , vel potius quia sic voluit , in vtraque sua proprietate, videlicet tam potentiali , tenebrosa , priuatiua , & negatiua ad punitionem & destructionem , quam actuali , lucida , positiua , & affirmatiua ad misericordiam , saluationem, & benedictionem & salutem : Quare certum est, quod istæ inferiores ex quibus mundus iste naturalis est conflatus , non sint absolute malæ , sed comparatæ ad illas superiores, quæ in puritate sunt completæ , malæ & impuræ dictitantur : (verbi gratia) si cum aqua purissima , terræ pars limosa permisceatur, turbida, & impura, atque immunda dicetur illa aqua , respectu aquæ puræ & limpidæ, tametsi nihilominus sit certum quod eadem aqua per limi terrestris separationem, erit adeo pura atq; erat illa purissima & mundissima: pari siquidem respectu , varijs verbi lucidi separationibus purum ab impuro in istis aquis inferioribus distingui videmus, (videlicet) cœlum purum limpidum ; diaphanum , & subtile à terra tenebrosa , grossa , & impura : similiter inter elementa , ignem in dignitate super aërem eleuari cernimus ; vt aër super aquam , & aqua super terram : Quo videre liceat , quod plures existant in aquis hisce inferioribus puritatis gradus : tametsi summa cœlorum visibilium in puritate perfectio si comparetur ad illam aquarum superiorum sit longe ipsa ignobilior ; vnde sequitur , quod vtcunque sint depurati , tamen hoc certum est, quod & suas in se habeant impuritates , tametsi admodum sint ipsæ spirituales , & haud perceptibiles : at quilibet locus in hisce aquis habet in se tam suos cacodæmones quam bonos spiritus qui malorum insultibus resistere queant: atque spiritus istiusmodi sunt suis locis iuxta naturam suam , à Deo destinati , videlicet, Olympici in Æthere , ignei in elemento ignis, aërei in aëre, &c.

Verum dicet, (scio) quis; cum mali angeli excludantur à bonis mediatione diaphragmatis firmamenti , vnde fit , quod boni angeli permisceantur in istis aquis maledictis cum malis ? Hinc ego sic : Necesse est vt bono iudicio capias verborum meorum præcedentium sensum , spiritualiter nimirum & non ad imaginationem externam : Nam quamuis mundus ille angelicus extra circulum firmamenti spiritualis sit eleuatus , tamen ita est supra firmamentum ; vt sit etiam infra illud hoc est , ita est extra , vt sit etiam intra , spiritualia enim illa duo chaos sine mutua mixtione , seu contingentia , sine impedimento vtrisque possunt esse simul , & semel , iuxta, in se , & per se ; imo & extra se & intra se , supra se , & infra se , & tamen cum magna contrarietate & discrimine suæ naturæ à se diuersæ & auersæ: Ita vt non sit possibile ijs qui in lucido chaos versantur ; posse intrare tenebras infernales , quamuis illis sint proximæ & præsentissimæ : Nec illi qui in tenebroso chaos sunt, possunt intrare & transponere se in lucem cœlestem; quamuis illi luci sint quam proximi & spiritualis substantiæ : spirituales enim substantiæ non distinguuntur ab inuicem ratione loci , aut localis interualli , possunt enim esse vna in vno eodemque loco, & tamen ratione mentis , intellectus , voluntatis & effectuum internorum manere possunt à se diuersissimæ & aduersissimæ : Imo vero sicut mundus diuinitatis siue spiritus Domini est super omnia , nimirum altitudine , excellentia , virtute , eleuatione spirituali , est tamen ita super omnia , vt nihil minus sit per omnia penetrabilis, & in omnibus præsentissimus , proximus , & intimus , præsentia nimirum & penetratione spirituali , diuina , immobili : Hinc ergo Apostolus : *Deus pater omnium qui super omnia* , *&* *in omnibus*. Et alibi. *Nonne cœlum & terram impleo* (*dicit Dominus*) ? Et Salomon ait, *spiritum* *Domini implere orbem terrarum*. *Ephes.* 46. *Sap.*1.

Quare certum est chaos spirituale , angelicum , siue supercœleste licet sit extra firmamentum eleuatione spirituali , & sine omni attingentia , permixtione , aut contaminatione cum chaos infernali, tamen totum vniuersum aquam vnicum habere circulum , & vnicum centrum commune. Omnia (inquam) sunt , stant , viuunt , ambulant , versantur & mouentur in vno circulo , spiritualia spiritualiter , corporalia corporaliter : salus igitur creaturæ rationalis & damnatio , non pendet ex præsentia & inhabitatione spiritus Domini , nec consistit in vlla locali propinquitate , aut remotione corporea, sed tantum in vnione & adhærentia creaturæ cum Deo , seu in auersione vel abalienatione à Deo (vt *supra* declaratum est. Atque ita plane prædicto dubio (vti opinor) satisfeci.

His

His igitur consideratis, certum est, cum bonum, tum malum, spiritualiter posse tam in cœlo mundi visibilis spiritualiter reperiri, quam in aqua & terra eiusdem cum humoraliter, & corporaliter, tum spiritualiter, & quod sint ministri vtrique diuisioni à Deo ordinati, tam ad operationibus malis resistendum, quam ad illas bonas repellendas atque impediendas, in vtraque regione: Hinc ergo euenit, quod à cœlo huius
Pim. 1. mundi fatalitas seu fatum procedit; quod Mercurius Trismegistus dicit *esse dispositionem septem stellarum erraticarum gubernatorum, qua qui fato subijciuntur, pati dicuntur, & in malum atque peccatum*, (hoc est) morbos spirituales corruere, vnde *alibi. Fato de retum est quosdam adulteros, quosdam fore sacrilegos, &c. Omnia sunt fati opera, absque illo nihil est, corporalium non bonum sine illo quicquam potest, non malum fieri sine illo: decretum est enim qui turpe quicquam commiserit pati, &c.*

Quo sermonis filo arguit tam bonum quam malum à mundo visibili superiori impluì in inferiora: & nisi ipse homo rationalis menti diuinæ adhæreat & vniatur, non potest ipse euitare infaustorum cœli influxuum effectus; verum (iuxta Salomonis sensum) *Vir sapiens dominabitur astris*: nam qui dæmonibus malis Olympicis subijcitur, ipse inueniet mundum hunc ex aquis inferioribus nihil præter malum esse, in quo sensu Mercuri-
Pim. 6. us Trismegistus sic: *Mundus est congeries malorum, vnde ingentes Deo gratias ago, qui de natura boni cogitanti mihi sententiam hanc certam infudit, quod in mundo Bonum esse non possit, &c.* Hoc est in hac aquarum portione, nisi spiritus humanus Deo vbique diuinis suis radijs penetrandi vniatur, nihil bonum: Quo videre liceat, quam subiectus sit homo malo, morbis, infirmitatibus, & alterationibus corruptibilibus à spirituali & cœlesti mundi visibilis tenebrosa abysso deorsum emissis, per malos & corrumpentes angelos quorum est tam corpus & humores, quam spiritum creaturæ malis & morbis afficere: Et tamen (vti diximus) adsunt diuino nutu in cœlo isto visibili Angeli etiam boni, qui benedicente Deo, faustas & viuificas quandoque impluunt mortalibus influentias, vt hac ratione, tam bonum quam malum, tam dulce quam amarum, tam fortunium quam infortunium, trutinis æqualibus in isto mundo ponderentur iuxta istud dictum Anti-
Pim. 9. stitis: *Mundi reuolutio generationes exagitans qualitates efficit, quasdam inficiens, maloque fœdans, quasdam defensans, bonoque purgans, &c.*

Ratio autem, cur homo vtrique extremo sit subiectus, videlicet, tam malo quàm bono; tam tenebris, quàm luci, tam morti & corruptioni, quàm vitæ & generationi, inde est, quòd ex vtroque extremo est conflatus, videlicet corpore tenebroso ignorantiæ vmbratili animam facilè corrumpente, & anima lucida, in se clara, pura, & ad imaginem creatoris effecta. Hinc ergo ex parte tenebrarum sibi attrahit corpus malos & tenebrosos effectus, qui per dæmones in regno tenebrarum spirituali regnantes corrumpunt, sensus & malo & peccato afficiunt spiritum, de quibus dictus Sapiens in hæc: *Purga sensus corporis, solue te ab irrationalibus materiæ ipsius vltoribus, vltores sunt in te non pauci, sed horribiles:* atque vltores hi sunt numero duodecim, qui à Zodiaco procedunt, à quo corpus humanum quod ex duodecim partibus constat, sed de istis in causa morborum efficiente organica regni tenebrarum spiritualis affluenter.

CAPVT

CAPUT V.

Quomodo tam morbi spirituales, quam humorales & corporales ex, & in istis aquis spiritualibus inferioribus procreari assoleant: Et quod venti, seu spiritus ventosi sint causæ alterationis istius aquarum inferiorum, seu Aeris massæ, in statum morbosum, vel salubrem, seu meteora tam insalubria, quàm salubria.

QVod sit nexus continuus, atque firmus inter cælum imprimis & elementa, atque tum postea inter ea & ipsam terram nemo quidem iuste inficiari potest; nam cum omnes res peculiares ex materia vnica exurgant, & cum ipsa vniantur, non aliter quàm partes cum suo toto; necesse est considerare quod cum cæli materia atque illa elementorum sint vna & eadem genere, ita quidem numero ab inuicem non minus separantur quam radii solares à sole; quod autem terra sit aquæ continua, vt & aeri aqua, & ignis aeri, ac denique ignis substantiæ cæli, in eo declaratur, quod attractione aeris ex scypho in vas aqua plenum immisso aquam statim assurgere percipiemus. Hæc autem conclusio pluribus Heroicis experimentis spiritalibus confirmatur, sed præcipue plantæ siue arboris vegetatione atque incremento, nam ex semine in terra putrefacto primum sursum versus suam patriam tendit lux illa cælestis, quæ vitam & incrementum dare solebat plantæ in semine occultatæ. At verò quoniam ignis est spiritu cælesti continuus, & naturali nexu vnitus, ergo non permittit Spiritum illum cælestem discedere sine ipso, quare ignis glutine naturali ætheri adiunctus ipsum mediate sequitur, pari etiam ratione sine aere non ascendit ignis, nec aer sine aqua, sed quia ipsa terra est omnium grauissima: ideo planta per radices suas fixe agglutinatur terræ, atque hac ratione spiritus ille cælestis ita per elementorum nexum in optato suo itinere impeditus attrahit suum simile è cælo & ita speciei semina multiplicari cernuntur, vt & ignis flores, & aer folia & fructus, & aqua stipitem & denique terra radices.

Per eandem plane similitudinem certum est, quod cælum mundi sensibilis sit elementis continuum, atque iterum elementa terræ, At vero certum est propter rationes antea à nobis ex sententia Apostoli allegatas, quod *visibilia fuissent prius ex inuisibilibus*, vnde sequitur quod elementa ex cælo seu aere & elementata ab elementis suam sortita sunt originem, quoad materiam; At vero quod essentiam suam formalem à ventis hauriant ipsum superius satis superque declarauimus. Sic quidem certum est, quod spiritus aereus ex prauorum spirituum ventosorum seminariis infici, & corruptas in homine pure imaginationes, sensumque humanum deprauare soleant, ita morbos non modo ad peccatum tendentes verum etiam tum spiritum tantum, tum spiritum & corpus simul male afficientes, procreari animaduertunt. Hinc ait Mercurius Tris. *loco antea citato. Purga sensus corporis, solue te ab irrationabilibus materiæ ipsius vltoribus, vltores sunt intra te haud pauci, sed horribiles ac multi: nam vna vltrix est Ignorantia, secunda Tristitia, tertia Inconstantia, quarta Cupiditas, quinta Iniustitia, sexta Luxuries, Deceptio septima, octaua Inuidia, Fraus nona, decima Ira, vndecima Temeritas, duodecima Malitia, &c.* At vero quod isti morbi spirituales siue peccati filiæ sedem habeant in spiritu exinde declaratur, quoniam sunt istæ omnes pessimæ in animo passiones. Et *alibi* ait: *Dæmon trāsfusus in hominē, semina propriæ notionis inspergit, mens autem conspersa, seminibus prægnans inde parit adulteria, stupra, homicidia, atque etiam pestes, & morbos, & quæcunque malorum sunt opera dæmonum, &c.* Quibus arguit, quod Cacodæmones in locis regni tenebrosi spiritualibus versantes, suis seminariis improbis non modo peccati fœtum, sed etiam morbos spirituales in spiritu humano parere solent.

Pim. 13.

Pim. 6.

Sed quoniam visibilia solent ab inuisibilibus, vt ab aere inuisibili meteora visibilia fieri, idcirco si aer microcosmicus ab istiusmodi nunc Lucifugi olim Luciferi infantibus seu subiectis inficiatur morbis, necesse est credere quod non sit iuxta Galenistarum opiniones, humores corrumpentes esse qui corpus hoc vel illud morbo afficiunt sed potius corrupta & maligna dæmonum spermata spiritum humanum imprimis afficientia ac in humoribus illis corporis centraliter agentia & mouentia, ad corruptionem; nam aer afflatibus contagiosis corruptus & in meteora tam macro quam microcosmica redactus, mundum vtrumque morbose afficit. Ita quidem euidens est, quod non sit humor, aut spiri-

tus seu ventus in humore, sed malignitas afflatus dæmonis instinctu diuino spirantis qui hunc vel illum morbum proferre conatur, quoniam teste Reuelatore, *quatuor Angelis in quatuor terræ angulis stantibus datum est, mediantibus ventis nocere cum mari, tum terræ, atque arboribus, &c.* At cuius est suo afflatu nocere, est proculdubio malus angelus quoad filios vitæ, tametsi ipsi Iehouæ sunt angeli boni vtpote ministerio suo ordinati, nam quicquid est ab angelicis istis percussoribus effectum siue ad plagam, & morbum, siue ad mortem & de-
Eccles. 5. structionem, illud quidem est Deo bonum & approbatum: imo vero ab ipso Iehoua in iracunda sua proprietate patrari dicitur: Nam teste Sapiente, *Bonum & malum, vita & mors, honestas & paupertas à Deo sunt: Sed de istis alibi vberius.* Nunc vero ad causam morborum formalem accedemus.



SE-




SECTIONIS PRIMÆ, PARTIS QVARTÆ, LIBER TERTIVS.

De causa morborum formali.

PROOEMIVM.



Riusquam plenum libri istius subiectum ingrediamur, haud fore inutile putamus, idque methodi certioris causa, si præparationem quandam imprimis faciamus, non aliter quàm hortulanus quidam expertus ante horti cuiusdam cum floribus decorationem ipsum more primum geometrico in regiones quatuor proportionales, videlicet triangulares distinguit: hoc modo pariformiter nos hoc in libro istam sectabimur viam, & delineabimus metam: illum in membra seu particulas quatuor distinguentes, quarum quælibet causam morbi illius cardinalis siue generalis atq; imperatorii formalem tractabit, qui cuilibet mundi vento seu imperio ventoso refertur, seu respectum aut rationem habet: Verbi gratia, Lepra ad septentrionem: Epilepsia seu morbus Lunaticus ad occidentem, Pestis ad meridiem, & Febris causos siue ardens ad Orientem: Et quemadmodum in plantæ seu arboris consideratione primus à radice ad truncum quasi à terra ad aquam, seu septentrione ad occidentem, atque tum postea à ramis & foliis teneris, ad fructus & semina eius: quasi ab aere ad ignem, seu à Meridie ad Orientem, ita quidem in formali hac nostra morborum principalium descriptione à terra, septentrione, radice, videlicet Lepra, (quippe quæ videtur esse radix omnium aliorum morborum tam contagiosorum, quam non contagiosorum, non aliter quam radix arboris est trunci, ramorum, foliorum & ipsorum fructuum atque seminum origo; & initium) ordiemur. Nam in se habet Lepra pestiferam naturam quæ est ex parte Meridiei, calidam & siccam aut æstuosam quandoque dispositionem orientis vti ex Leuitici capite 13. videre fas est; quandoque ob quandam suam humiditatem occidentalem carnes relinquit viuas, & quasi crudas, vt ex dicto loco confirmatam habemus. Tum postea Epilepsia ex vna parte deorsum versus terram septentrionalem respiciendo ex aqua viscosa & crassa, ortum suum ducit, atque



aliquantulum de natura contagiosa tam lepræ ex parte septentrionis, quam pestis Meridiei participat, vnde liquet, quod partes etiam subtiles in sua crassitie habet, non aliter quam in aqua aerem & terram occulte comprehendi cernimus: Porro ventum Corum esse pestiferum agnoscunt Philosophi. Deinde Pestis videtur esse subtile illud contagiosum, quod in Lepra, & Epilepsia habitat: & quoniam ad subtilem ipsius contagionem requiritur natura tam ignea quam aquea, nam sine humiditate corruptio nulla fieri potest, ergo igneam suam naturam habet ex parte orientis, & aqueam ex parte Occidentis, quorum contrariorum vnione fit assidua illa in vna compositione spirituali seu aerea contentio, quæ tandem in corruptionem resultat. Denique febris ardens & vrens si vel tantillum in se humiditatis aqueæ habet in naturam etiam pestilentialem vertitur, vti in Febribus pestilentialibus & purpuratis videre liceat, quæ ab Euro vel euro austrio ortum suum potius ducunt; at vero vbi humiditas aquea abest, ibi quidem Febris est exquisite ardens causos dicta, quæ est admodum calida & sicca secundum naturam venti Cæciæ: atque in istiusmodi febribus adest scabrities & nigredo linguæ, constipatio ventris non absque siti extrema, vt infrà latius: Membrum ergo huius primum incipiet cum parte septentrionali, & iuxta textus sacrati leges & testimonia in hunc modum procedet.



MEM-


MEMBRI PRIMI

CAPVT I.

De Lepræ speciebus, cum accidentibus nonnullis, ipsis naturaliter appropriatis.



QVONIAM à terrestri machinæ sublunaris plaga nimirum septentrionali vt gradatim ad superiora & subtiliora, per aquam seu occidentalem plagam, per aerem plagamue meridionalem, atque per fastigium ignis siue plagam orientalem ascendamus; necesse erit, vt naturam imitando, non in ascendendo à terra in cœlum, cum subtili, sed cum morbo grosso, terrestri & magis corporeo & tumido incipiamus, tum quoniam ex Melancholia septentrionali sit compactus & ex frigore boreali in duritiē constrictus; tū quia ex partibus heterogeniis, (videlicet) ex aliorū ventorū naturis cōponi videtur, non aliter q̄ est certū, q̇ terra in se contineat cætera elementa quatenus ipsa sit eorum matrix & nutrix: Nonne videmus nos, quod ipsa glacies flatu septentrionali orta, secum habeat & rapiat naturam terræ, aquæ & aeris; & ignem aeri occulto more inesse nemo Philosophus ambiget. Similiter in lapide Ceraunio, qui ex simplici nubis substantia & vtero productus, cum ex officina sua Cyclopica in quacudebatur, prius esset partus, admodum erat more picis resolutæ liquidus & ductilis, at vero postquam frigidum & siccum septentrionis spiritum senserit, Medusæ quasi aspectu in lapidem constrictus atque contractus est durissimum; vnde liquet, quod quamuis ipse ex partibus subtilibus fuerit originaliter conflatus, tamen frigoris borealis dominio in naturam duram, compactam & terream redigitur: Tali plane ratione substantia leprosa se habet quæ ex vaporibus multiformibus à corporis interioribus ad exteriora cutis superficiem versus expulsis, frigore externo cœli & præcipue boreali operante & indurante (cuius est poros vehementer obturare) confirmatur, atque consolidatur: vt ergo in rei duræ resolutione rem ipsam contractam & compactam prius tractare debemus: ita quidem ipsam lepram, quam facimus omnium tumorum, sed præcipue borealium patrem, in primo loco cum sibi in imperio boreali subditis describemus, quod vt melius perficiamus, ipsam ante omnia in suas species iuxta textus sacri leges distinguere intendimus, ad quod nihilominus negotium priusquam accedamus de ratione illa cur omnes corporis humani ægritudines sub quatuor istis morbis capitalibus reducemus, paucis in *conclusione libri tertii* seu *vltimi de Morborum differentiis* explicauimus: Ad Lepræ vero in suas species diuisionem iam descendimus.



Leuit.13. 2. 3. Lepra incipiens ex his paginæ sacræ locis confirmatur: ait Moyses, *Cum in cute hominis est tumor, vel scabies, vel macula alba: ita vt cutis carnis sit similis lepræ, & pilus in plaga versus fuerit in alborem & aspectus plagæ profundior erit cute carnis illius, lepra est. &c.* Quibus verbis arguit Lepram recenter radicatam, sed his luculentius: *Si macula alba fuerit in cute carnis, & profundior non fuerit aspectus eius cute, neque pilus eius versus fuerit in alborem, si postquam recluditur* *Ibid vers. 4.5.6.7.8.* *à sacerdote 7. diebus, ac post diem illum septimum, septem aliis diebus, scabies ad oculum discernitur creuisse & pilum in alborē fuisse conuersum, tunc plaga Lepra est, &c.* Quo arguere videtur expresse lepræ incipientis speciem: quod in eo apparebat; quoniam ab imperfecta Lepræ cognitione in Lepram perfectam completam diebus vel 7. vel 14. perueniebat; vt ex textu videre liceat: ita vt eo temporis spacio à puncto lepræ incipientis ad primum confirmationis gradum ascendebat seu crescebat. Atque ita primam lepræ confirmatæ speciem, cum forma eiusdem eam incipiente vel præeunte descriptam habetis.

Leuit.13. 10. & 11. Lepram vero inueteratam videtur textus in talibus exprimere, *si tumor albus fuerit in cute: & is verterit pilum in alborem, & substantia carnis viuæ est in tumore. Lepra inueterata est in cute carnis illius, &c.* Verba sunt clara, videlicet quod præter Lepræ nouiter radicatæ signa, in ista

in ista inueterata additur carnis viuæ apparitio in plaga. Quod etiam ista plagæ seu lepræ species sit quandoque in corporis parte, & nonnunquam in toto, ex pluribus *textus eiusdem locis* constat. In parte (inquam) vnde textus: *si steterit plaga in oculis & non creuerit, &c.* Ergo non erat plaga per totum. *Ibid. 5. 6.*

Porro erat manus Mariæ & frons Huzziæ quæ erant lepra percussæ: In toto, vnde Textus sic, *Si effloruerit Lepra in cute & operuerit lepra totam cutem à capite vsque ad pedes eius. quo die in conspectu fuit caro viua immunda, est plaga seu lepra, &c.* Porro ex his quæ iam dicta sunt, patet quod accidat lepra talis vt plurimum sine vlcere, abscessu vel Apostemate: At vero quod post vlceris, vel abscessus seu apostematis curationem quandoque appareat lepra in loco vbi abscessus erat, testatur paginæ sacræ locus iste: *Cum fuerit in cute carnis eius vlcus; & sanatum fuerit, fueritque loco vlceris tumor albus aut macula alba subrufa, si aspectus eius humilior fuerit cute, & pilus eius versus fuerit in candorem, plaga lepræ est quæ in vlcere germinauit.* *Ib. 12. 13. 14. 15.* *Leuit. 13. 18. 19. 20.*

Porro, lepra potest etiam quandoque esse inueterata sine vlla carnis crudæ apparitione, vt per debitam textus prædicti examinationem percipere potestis.

Iam vero ad secundæ lepræ speciei examinationem procedemus, quam mundam sacratum literarum consensu dictitauimus: inquit textus. *Si in cute carnis hominis fuerit tumor, vel scabies, vel macula alba, fueritque cutis in carne lepræ similis, & profundior non fuerit eius aspectus cute, si post eius reclusionem per 7. vel ad plus 14. dies, plaga non creuerit in cute, scabies est, & plaga erit munda.* Quod etiam istiusmodi lepræ species sit vel partis vel totius, constat: Partis dico quia non creuerit nec germinauerit per totum, vt ex præcedentibus: Totius, ex isto loco: *si germinauerit lepra in cute & operuerit totam cutem à capite vsque ad pedes eius, tunc mundam declarabit lepram seu plagam, nam tota versa est in candorem, propterea munda est.* Porro etiam declarat textus, quod *Lepra munda partis accidit vel sine vlcere*, hoc est, nullo vlcere, abscessu, seu apostemate præeunte, aut post vlcera. Hinc à versu 30. *si plaga adorta fuerit in capite, vel barba viri aut mulieris, & plaga non est cute profundior & pilus nigricans non est in ea, nec se perfundit plaga per cutem, nec factus est in ea pilus fuluus, atque ista post dies 7. vel 14. permanserit plaga, porrigo seu lepra munda est, sin minus porrigo leprosa immunda.* Post vlcera etiam accidit istiusmodi lepræ mundæ species, quandoque: vnde textus: *Cum fuerit in cute carnis eius vlcus & sanatum est, fueritque loco vlceris tumor albus aut macula alba subrufa, &c. sit pilus albus in ea, nec demissior cute reliqua, & c. post septimum diem non creuerit, vstio vlceris est, & munda erit plaga, &c.* At vero, quod hæc species fuerit in toto, post carnis viuæ apparitionem, testatur textus iste. *Quo die conspecta fuerit in ea plaga, caro viua immunda erit, & lepra est, cum vero reuersa fuerit caro viua, & conuersa in candorem, munda declarabitur plaga: sine carnis crudæ apparitione.* vide versus 12. 13. *Leuit. 13. 2. 3. 4. 5.* *Leuit. 12. 30. 31. 32.* *Leuit. 13. 21. & 4. 5. 6.*

Ad accidentia vero plagæ leprosæ vt plurimum contingentia quod spectat, tumores ipsam concomitari testantur Leuitic. 13 *versus* 2. 10. 11. 21. 22. &c. Pro ipso albo ei adiuncto lege *versum* 3. 4. 10. 20. 25. pro fuluo 29. 33. 34. pro nigro 37. Quod vero potest sine pilo existere, arguere videntur *versus* 12. 13. 14. 15. 6. 17. 21. 22. 23. 24. 26.

Pro maculis albis *lege Leuit. 13. versum* 2. 4. 19. 23. 24. 25. 26. 28. 38. &c. Ex istis videre possumus quomodo textus sacer in causæ formalis lepræ descriptione Ethnicorum methodo, & doctrina multis gradibus excelluerit, & quanta facilitate ex ipsius documentis imprimis mereorum leprosum ab aliis, & tum postea quaslibet ipsius species à se inuicem per suas causas formales distinxerit, non minus quam pluuia à grandine, aut fulgur à niue, aut turbo à vento simplici in genere meteorologico, aut cometa barbatus à crinito, &c. in specie cometarum distinguitur. Quod quidem vt luculentius percipiatis, Lepræ descriptionem Galenicam cum illa è textu sacro depromptam ad inuicem in sequenti comparabimus.

CAPVT

Capvt II.

In quo formalem Lepræ immundæ descriptionem, cum causis eius reliquis coniunctam, atque compactam more tam Galenico, quam ratione sancta reperietis explicatam.

IAm vero ad formales illas Galeni, & paginæ sacræ de Lepra descriptiones, quæ etiam cum causis cæteris sunt coniunctæ descendam, quo vtrasque ad inuicem comparanda, harum super illas excellentiam atque supereminentiam facilius discernere queatis: Nam si descriptiones Galeni paulo accuratius obseruaueritis, percipietis quidem quam sint superficiales & à veritatis centro remotæ; idque (ni fallor) oculis apertis atque perspicuis: Describit autem Galenus lepræ plagam in hunc modum.

Fin. med. cap. 12. Aphor. 7. 40.

1. *Lepra est cutis mutatio in habitum, qui præter naturam sit cum asperitate & pruritibus, nonnunquam & squamis decidentibus ab humore melancholico siue atra bile orta, atque producta.*

Vel alibi sic:

Introd. cap. 24.

2. *Lepra cutis est vitium quod magis subalbidum; asperiusque apparet, à succo multo crasso, salso & immoto effectum.*

Symph. caus. lib. 3. 6.

Et alibi sic.

3. *Lepra est Melancholicus affectus solius cutis.*

De Tum. præter Naturam.

Et iterum.

4. *Elephas est melancholica affectio ex sanguine melancholico orta, quæ cutem crassam atque inæqualem reddit.*

De Tum. præter Nat. Finit med. 12.

Quibus Galeni de Lepra definitionibus, seu potius descriptionibus colligere fas est, quod causa ipsius materialis sit sanguinis succus, formalis, habitus cutis in asperitatem cum pruritibus, atque inæqualitate, & quandoque cum squamis decidentibus, mutationem; efficientem facit vel dispositionem melancholicam seu atrabiliariam, vel salsedinem succi multi, crassi & immoti, nam illius effectum vocat vitium illud cutis quod lepram appellat, finalem denique causam minime ponit ipse, quoniam vt erat Ethnicus atque infidelis, ita quidem morbos contingenter & nulla ratione à Deo præcognita euenire putauit, non minus quam Aristoteles ventos fingit aduentitia exhalationum, (accidentaliter operante calore solis & cæterorum astrorum) versus mediam aeris regionem eleuatione: & quamuis Galenus librum quendam de peccato scripserit, tamen illum tam inscienter & male ad propositum composuit, vt quidem melius esset pro eo, nihil scripsisse quam ad propositum nihil. Nam qua ratione (obsecro) potuit ipse de peccato recte disceptare, qui quid sit re vera peccatum, aut vnde illud ortum suum duxerit, penitus ignorauit? Morbum quidem pro peccato erga Deum hominibus fuisse inductum nesciebat, quoniam ipsum Deum atque diuinā ipsius omnipotentiā omnino eum latuisse in eo videbatur, quod ait ipsum tot pilos vel tali ordine & longitudine si voluisset efficere non potuisse, nec vltra naturæ motum, seu vestigia incedere valere. Quomodo ergo de peccati subiecto bene scribere, aut recte discurrere ipsi possibile est: qui nec immensam Dei virtutem, nec Angelorum nouiter creatorum cum Deo vnionem, atque legis diuinæ notiones, & sigillorum illius fractionem intellexerit vnquam? si (inquam) mandati vitæ, effectus & legislatoris excellentiæ esset nescius, anne de peccati essentia, quæ legis illius abrogatio seu transgressio est, recte diuinare queat? Quid? An cæcus de coloribus indicare queat? Ad voluntatis etiam medullam, seu verbi vel sapientiæ æternæ arcanum aut Aristotelem, aut Galenum penetrasse vnquam, quis rationis compos, aut nisi mentis inops asseueraret aut imaginaretur? Desinamus ergo nos Christiani, existimare ipsum quicquam de peccati natura veritatis scribere potuisse, qui mandatum seu legem non modo ignorauit, sed etiam diuinum illum vitæ legislatorem in contemptu & derisione quasi habebat, quemadmodum libro Sectionis præcedentis secundo de differentiis morborum luculenter ex proprio eius ore comprobauimus. Quid igitur ab Atheis amplius est expectandum? Anne quod in eorum cerebro caderet, finalem morborum causam esse punitionem mortalibus à Deo Iehoua pro peccatis emissam? minime vero sed quod morbus sit potius contingens quidquam, & consequenter

Gal.


quenter causa finali destitutus, non aliter quam niues, grandines, pluuiæ & tonitrua fortuito (vt fingunt) prouenientia, nullam certam & statutam habent causam, cur à natura in mundum, seu ab occulto in manifestam producantur. At replicare potest quis cum Galeno super Hippocratem, Lepras, vitiligines, pustulas, verno tempore ideo creari, quoniam illo tempore excitatur natura ad expellendos humores melancholicos à centro ad circumferentiam seu superficiem cutaneam, atque ob istam causam concludere potuit, quod finalis causa creationis lepræ in exterioribus, erat liberatio interiorum à tetricis illis monstris quæ subito fortasse potuerunt interficere, & quod de duobus malis leuius est potius eligendum. Huic ego, certo non sibi constare videtur ista ratio, nam si satis bene & intra limites sanitatis se habent patientes verno tempore antequam vapores illi leprosi efflorescerent in cute, tunc quidem liquet quod pessima esset ista mutatio vernalis à statu sanitatis ad ægritudinem istam omnium immundissimam & odiosissimam, sed dicimus audacter (vtcunque non sine leges Galenicæ violatione sit hoc dictum) quod dispositio illa leprosa magis ab extrinsecus atque à flatibus Borealibus, seu boreali Mensis Martii natura frigida & sicca prouenit, vtpote quæ vaporis salsi substantiæ in cutis superficie occurrens, se miscet cum ipso, & eum congelat seu coagulat, atque ita natura vaporis Meridionalis contendens cum illa Boreali, tandem corruptionem non sine contagione in cutis superficie parturire solet, idque propter dominium dispositionis Borealis, quæ constringit ista heterogenea simul & agit in massam confusam, minime interea quiescente sed reagente natura calida seu vitali creaturæ, non aliter quam in lapidis Ceraunii creatione naturam Australem ex vna parte humidam, & calidam, atque igneam, seu fulguream, orientalem, liquefacientem materiam instar metalli, ex alia & vt primum ad nubis superficiem veniat, à frigore Boreali quod est intensissimum, subito induratur, omnesque substantiæ heterogeneæ in vnum conglomerantur, comprehendente, & resistentia reagente proprietate Boreali, sed ad propositum.

Causa ergo Galeni materialis est humor, videlicet vel sanguis vel pituita salsa, & tamen negari non potest, quin immediata Lepræ causa materialis sit vapor, nam aliter in forma sanguinis aut pituitæ à centro ad circumferentiam facile expelli non potuit, præterquam quod certum est, quod sit caloris interni officium subtiliando & rarifaciendo operari, at aqua siue humor in vaporosa caloris resolutione vertitur: Ergo dicerem fuisse potius aerem proprietate ventosa mouente sole microcosmico animatum, cum aeris sit proprietas, facilius penetrare, quam illa humoris. Nos enim affirmamus humores fieri à spiritibus coagulando, & corpora ab humoribus quare causa materialis istius morbi primaria erat aer vaporosus, qui subito in humorem, & ab humore in corpus leprosum erat spiritu Boreali frigido transformatus: atque hanc esse rationem asseueramus, quod lepra sit massa quædam melancholica, hoc est, in proprietatem Borealem conuersam, videlicet terrestrem, frigidam & siccam, &c. Non talis esset in suo principio, sed talis afflatu Boreali partim microcosmi videlicet à liene, & partim ab illo macrocosmi, qui in superficie cutis fortificat lienis proprietatem, cum vis vnita sit fortior.

Quare vt ipse facit humorem causam materialem lepræ radicalem, ita quidem nos facimus commune tam macro quam microcosmi medium, videlicet, aerem radicalem eius materiam ex qua.

Tum postea pro causa sua agente seu efficiente, per quam ipse sine alio respectu eam facit salsedinem, vel actum melancholicum seu atrabiliosum, seu qualitatem elementi terræ frigidam & siccam salsedine & acrimonia mixtam, non aliter quam Aristoteles, venti actum seu causam efficientem fecit duplicem eamque externam, videlicet, calorem cœli euocantem, & frigiditatem mediæ aeris regionis propulsantem, nec quidem in Dei atque naturæ penetralibus profundius potuerunt inspicere, vnde errauerunt & alios errare fecerunt in imaginationibus, nam si magis intrinsecus in rei centrum introspexissent, inuenirent quidem ex vna parte, quod venti essentia non prouenirет à causis tam aduentitiis & externis, sed à principiis internis & essentialibus, nam aliter, spiritus non potuisset spirare vbi vult, nam voluntas arguit rem internam, quare profundiori atque magis radicali consideratione, agnoscimus etiam testantibus scriptis sacris, quod aer sit materia venti, actus eius seu causa efficiens organica est Angelus, quippe afflatus cuius est anima venti, vti rota vis angelica centralis à Deo sola causa efficiente principali procedit, & de increata ipsius essentia est, ita vt res se ha-

bet in vento vt rota in rota, & rota seu punctum centraliter agitans in medio rotatum, hoc modo.



Sic etiam in lepra res se habet, causa materialis simplex est aer qui omnium morborum atque aliorum instrumentorum est fundamentum materiale, qui à vento boreali alteratu (concurrentibus etiam ad eius compositionem seminariis venti oppositi) in statum terreum & siccum, in ventis istis Angelica organa operantur, & in ipsis causa principalis efficiens voluntas scilicet diuina, centraliter ad determinatum effectum operans, videlicet ad peccati punitionem, quæ est causa finalis. Quibus recte consideratis, facillimum erit discernere quam superficialis & minime centralis sit ars Galeni medica, & quam manca naturalis illa Aristotelis Philosophia; respectu illius à sacro fonte haustæ: vtpote quæ ambæ circa sensibilia & externa & non circa interna atque intellectualia versatur, at Deus solus & vnicus actus actuum, in cœlo cœlorum seu regno spirituali ac imperio intellectuali & empyreo sedet sceptrum vniuersi tenens. Quare qui ad eum non respicit, qui est sola & vnica mundi lux, necesse habet, vt in tenebris more vagabundi erret, atque instar cæci post colorum inquisitionem palpet. Tales erant Ethnici isti, qui tametsi lumine singulari ab ignoto isto suo creatore ornabantur, tamen quia tenebris insignibus erat illud obscuratum, per tenebrarum principem sunt operati, atque ita ipsius ope sapientiam humanam (sola opinione innitentem, quam ideo Apostolus *stultitiam* vocauit) in isto mundo primum cudebant, atque per eam ipsius veritatis obscurationem seu velum, atque aulæum tragicum ad beneficium atque exaltationem sui principis tenebrosi texere atque perficere aggrediebatur. Hinc ergo extrema illa atque tam immanis inter sapientiam mundi fictam, inuentionibus humanis fabricatam, atque illam Dei veram atque ab omni æternitate creatam differentia, & contrarietas; hinc erroris primi inter homines atque etiam angelos introducendi ratio atque origo, cum mediantibus istis hominum figmentis cortex loco nuclei, & vmbra loco substantiæ in hoc mundo, imo vero inter homines Christianorum nomine insignitos accipiuntur.

At replicabunt (sat scio) Christiani Galeni sectatores; si istæ Galenicæ vitii leprosi descriptiones formales tibi non arrident, reddas tu si possis sacrarum literarum testimoniis stipatus, nobis definitionem, qua fidem meliorem hisce tuis asseuerationibus adhiberemus, quibus ego. Fiet pro optato vestro, sic ergo exordior.

1. *Plaga Lepræ est quædam carnis ab aere corrupto, & deprauante defectio, homini à Iehoua propter peccatum inflicta, in qua aut tumor, aut scabies, aut macula alba cum pilo vt plurimum candido, ipsa cute profundior apparet.*

In qua quidem descriptione causa lepræ materialis est aer seu spiritus malignus cutem & carnes deprauans, nam vt ex arca Dei Thesautaria, videlicet cœli seu aeris visceribus deprompta sunt omnia macrocosmi meteora, videlicet bona ex aere bene disposito & mala ex ipso in malum mutato; ita quidem res sese habet in microcosmo, vtpote cuius spiritus ex aere macrocosmico dependet, & ab ipsius dispositione bona vel mala alteratur. Hinc ait textus sacer: *Aperiet Deus thesaurum suum optimum, cœlos ad dandam*

Deut. 28. *pluuiam terræ tuæ suo tempore.* Similiter agit Deus pluuiasque infaustas extrahit ab eadem

Iob. 12. 15. cisterna ob peccata hominum: vnde Iob: *Aquas ita emittit, vt subuertat terram, &c.* Et alibi

Deuter. *Iehoua accensus est ira, & claudit cœlos, vt non sit pluuia, & terra non edat prouentum suum, &c.* Et

Eccles. 43. Syriacus: *Aperti sunt thesauri & euolauerunt nubes sicut aues, &c.* Ab eodem etiam fonte ex-

14. tracti sunt præsteres illi sulphurei, quibus Sodoma & Gomorra sunt destructæ. Iidem

Iob. 35. 32. etiam sunt thesauri niues & grandinis, de quibus Iehoua hæc. *Peruenisti ne in thesauros niuis aut in thesauros grandinis, inspectionem habes?* At vero quod iuxta voluntatem Iehouæ & proprietatem ipsius variam, medium hoc spirituale Catholicum variformiter se habet, & secundum dispositionis suæ varietatem varios producit effectus meteorologicos, ex

Eccles. 43. his colligimus. *Frigidus ventus Aquilo flauit & gelauit Crystallus sub aqua, super omnem congrega-*

22. *tionem aquarum quiescit, & sicut lorica induit se aquis, &c. In voluntate eius spirauit Notus, vox to-*

Iob. 17. *nitru eius reuerberauit terram, tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus, &c.* Vbi per spiritus

con-

congregationem intendit aeris in nubes condensationem. Porro quod niues, & pruinæ ab Aquilone, & quod pluuiæ & tonitrua à meridie, & quod igneus calor ab oriente procedit, & quod horum ventorum quilibet suas in aere impressiones parit diuersas, vel in forma spirituali & ventosa, vel in forma humorali, vt meteora vel nubilosa vel fulgurea vel niuosa, &c. Vel in forma corporali; vt illa vel lapidea, & fulminosa vel grandinosa, vel glacialia, testantur in locis plurimis Scripturæ. At quod aer corruptus in macrocosmo inficit aerem microcosmicum, pestiferam in eo constitutionem pariens, & quod ipse spiritus microcosmicus ab impressionibus aeris borealis à Iehoua factis opprimi solet: nam (inquit Psaltes) *contra frigora eius quis consistit:* & quod aer macrocosmicus à vento Euro adeo æstu accenditur vt fructus & herbæ adurantur, & consequenter, quod spiritus humanus febrili more inflammantur, vt post ortum stellæ canicularis de natura Martis apparet, & per afflatum venti Euri super Ionam, mediante qua, ita est incensus æstu vt mori exoptaret. Denique quod Pestis & Lues à vento Australi ortum suum habet, mediante quo inficitur spiritus humanus, confirmant scripta sacra haud paucis in locis vti in præcedentibus vberrime declaratur. Quibus sat liquide declaratur, quod vt aer sit omnium Elementorum subiectum, ita quidem & omnium elementorum siue imperfecte mistorum, cuiusmodi sunt meteora, siue perfecte mistorum quæ ex meteoris progrediuntur, est communis materia multiformiter à ventis disposita atque alterata. Non ergo vobis mirum videatur, nec abs re dictum si in prædicta Lepræ descriptione aerem vento meridionali corruptum & dominio illius borealis carnis deprauantem, causam lepræ materialem asseuerauimus, imo vero & omnium aliorum morborum seu meteororum morbosorum vtpote elementorum, cum ipsa elementa communem suam materiam à spiritu hoc sublunari sibi vendicent.

Causa vero formalis per quam Lepra suam habet denominationem ab aliis meteoris morbosis differentem, se explicat in hoc descriptionis illius membro. In qua aut tumor, aut scabies, aut macula alba, cum pilo vt plurimum candido, ipsa cute profundior apparet, &c. Probatur expresse hisce textus sacri: *Cum in cute carnis hominis sit tumor vel scabies, vel macula alba, & profundior fuerit eius aspectus cute, & pilus eius fuerit versus in albo-rem, lepra est.* *Leuit* 13. 2.4.5. 6.

Causam efficientem principalem à qua perficitur, exprimunt ista homini à Iehoua inflicta: Et sic scriptum est: *Iehouam lepra affecisse manum Moysis, adeo vt candida esset tan quam nix, sic irascente Deo, apparuit Mariæ candens lepra sicut nix:* sic *Exorta est in fronte Huzziæ regis lepra alba sicut nix,* in indignatione Dei, vbi verbis perspicuis dicitur, quod plaga hac afficeretur à Iehoua. *Exod.* 4. 6. *Num.* 12. 10. 2. *Chorn.* 18.

Causa finalis propter quam, in eo notatur, quod homini infligeretur plaga ista à Iehoua propter peccatum. Quod autem peccatum sit legis diuinæ transgressio, & quod illa lex sit ipsa Dei voluntas, quæ in hominibus est ipsius imago secundum cuius dimensiones necesse est, vt homo ambulet, si vnionem suam primogenitam cum Deo obseruare voluerit, *in libro huius Sectionis primo* declarauimus: Propter istam causam, videlicet, rebellionem, superbiam & inobedientiam, lepra percussa est Maria, & Rex Huzzia: nam de illa Mariæ, ait textus: *Irascente Domino apparuit Mariæ candens lepra vt nix*: Iratus autem ipsi erat Iehoua ob eius inobedientiam & superbiam aduersus leges Moysis, qui ambulabat in semitis Iehouæ vnde Aaron ad Moysen: *Ne quæso imponas nobis peccati pœnam quo stulte egimus & quo peccauimus.* At de Rege Huzzia hæc habet Scripturæ locus: *Huzziæ seu Osiæ auxiliabatur Dominus, sed quum corroboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum.* *Num.* 12. 10. 2. *Paralip.* 26. *a.* 15.

Denique haud inepte diximus, lepram esse carnis defectionem, si verba scripti sacri consideremus, nam dixit Elisæus: *Laua te septies in Iordane & restituetur tibi caro tua,* vel vt Hieronymus habet, *Caro tua deficiens sanitatem recipiet:* Apparet etiam ex verbis sequentibus, fuisse defectum maximum in carne ab ista plaga, nam ait textus: *Lauauit se septies & restituta est caro eius sicut pueri paruuli.* 4. *Reg.* 5. 10. *Iob.* 14.

Hæc autem descriptio ad lepram recenter confirmatam, siue radicatam pertinere videbatur, quoniam testatur locus ille in *Leuit.* 13. 2.3.4.5. quod incertus esset sacerdos an reuera plaga esset leprosa necne, priusquam ægrum per dies septem vel 14. inclusisset.

Lepram ideo inueteratam in hunc modum describimus.

1. *Lepra est quædam aut tumida, aut scabiosa aut maculosa, (pilo frequenter comitante albo) in cute defectio. instar niuis vt plurimum candida, & cum carne viua haud raro apparens, quam Iehoua afflatu suo Boreali propter hominis peccatum immittere solet.*

In qua habetis flatum Iehouæ borealem, qui causam cum materialem, tum efficientem includit. Materialem dico, quoniam ventus sine aere esse nequit, ergo spiritus vitians est aer proprietate boreali in siccum & terreum conuersus, qui etiam coniunctus cum spiritu humano eum suo more mutat in dispositionem terream, cuius mixtione cum humido & calido, seu salso meridiei, (spiritu diuino sic volente) terrestre illud metereon immundum siue contagiosum producit.

Causam formalem viuæ depingunt verba ista. *Est quædam aut humida, aut scabiosa, aut maculosa. (pilo frequenter comitante albo) in cute defectio, instar niuis vt plurimum candida, & cum carne viua haud raro apparens, &c.*

Ex prædictis confirmantur prima descriptionis istius formalis membra, vltimum
Leuit. 13. 10.11. vero sic concludit Textus: *Si tumor albus fuerit in cute, & is verterit pilum in alborem, & substantia carnis viuæ est in tumore, lepra est, &c.* Talis videbatur esse status lepræ Mariæ, vt *infra* apparebit.

Efficiens duplex videtur in membro isto (*Quam Iehoua afflatu suo Boreali immittere solet*) comprehenditur videlicet illa organica, seu Angelica, cuius est efficere verbum Dei à plaga illa mundi, nam Deus dicitur spirare à ventis mediantibus organis suis ange-
Psal. 103. licis: vnde Psaltes. *Qui fecit angelos suos ventos, &c.* Ac tum postea illa principalis denotatur, videlicet ipse Iehoua, qui est actus primus, centralis & increatus, mediante quo omnes rotæ exteriores quasi à centro mouentur, vt sine quo earum nulla.

Denique causa propter quam est, & creatura puniatur propter ipsius à lege præuaricationem, vt *supra* relatum est: nam peccatum est causa sine qua non, hoc est, nisi eo præeunte nec fieret morbus, nec mors, nec vlla alia in mundo afflictio; quod quidem in his testatur pagina sacra: *Creauit Deus vt omnia essent, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferiorum regnum in terra, ad imaginem similitudinis suæ fecit hominem inexterminabilem: Iniustitia autem mortis est acquisitio: Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, &c.* Quibus patet, quod peccato & iniustitia per malitiam diaboli in mundum introducta mors & consequenter peccatum irrepsérit in mundum. Vel aliter eam definimus sic.

3. *Lepra est quædam in carne cutis plaga, aut tumida aut scabiosa & colore candido niuis instar commaculata, cute carnis profundior, & pilo vt plurimum albo cum carne quandoque viua & cruda comitante prædita, à Iehoua in proprietate sua boreali, ad peccatorum pœnam præparata atque emissa.*

Omnia huius membra à præcedentibus explanantur, excepto eo causam efficientem indicante, videlicet proprietatem Iehouæ borealem exprimens; pro cuius meliori enucleatione, sciendum est quod tam Ethnici quam Christiani medici agnoscant, lepram esse à causa melancholica, causam vero melancholicam seu atrabiliariam esse frigidam, siccam & consequenter terream fatentur; at vero quod istius naturæ fons, & origo, sit plaga septentrionalis, testatur experientia; si textum sactum hoc idem confirmantem non haberemus, cum oculati demonstratione probatur niues, grandines, à constri-
Aph. 3.14. ctiuo flatu boreali prouenire. Hinc eadem experientia doctus ait Hippocrates: *Statu anni Aquilonio & sicco, nonnullis atræ biles adueniunt:* Porro, & *alibi. Quotidianæ constitutiones A-*
Aph 3 17. *quilonia, exiccant, oculos mordent.* Denique *alibi* agnoscit, *quod lepræ, vitiligines, pustulæ vlcerosæ & biles in vere generantur*, & non vt Galenus ait, quia *tunc temporis natura expellit à corporis*
Aph. 3. 20. *centro eius circumferentiam versus*, nam hac ratione ista expulsio procrearet etiam biles atras, & loco assistentiæ & præsidii vitæ in peius tenderet, sed quia vapores naturæ Australis calidi ab interiore corporis assurgentes, boreali Mensis Martii dispositione cuti carnem ambienti occurrentes, ibi loci eorum dominio deprauantur, atque in crustosam seu squamosam, & quasi glacialem seu pruinosam lepræ formā reducuntur. Hinc textus:
Ecclef. 43. 21. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit Crystallus sub aqua, super omnem congelationem aquarum quiescit, &c. Flante Deo* (ait Iob) *concrescit gelu, & superficies aquarum coarctantur.* Et Dauid: *Emittit niues sicut lanam & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu tanquam frusta, &c.* At si
Iob. in macrocosmo hæc facit, quid ni & in microcosmo? cum ait Textus: *Coram frigore eius quis consistit? &c.* Hoc est, quando ipse iuxta voluntatem suam, spiritum humanum suo
Psal 147. rigore multiformiter alterate vult, quis potens est actui illius resistere? multiformiter dico, videlicet cum ipse proprietate sua astringente frigida & sicca vel spiritum illud, vtriusque mundi, iuxta alia aliorum ventosorum seminaria per illud diffusa, reddit Apoplecticum, Epilepticum, Paralyticum, Lethargicum, aut Leprosum, vitiliginosum, Impetiginosum, pruriginosum, Alopecicum, &c.

Vel ipsam hoc modo definire licet.

4. *Lepra*

4. Lepra est tumida quædam aut scabiosa carnis defectio & tanquam mortificatio, à Iehoua iracundo ad peccatoris pœnam & flagellum emissa, in qua membrum, plaga percussum, apparet candens quasi nix, & vt abortiuum quod eiicitur de vulua matris suæ, medium carnis suæ quasi deuoratum habet.

Confirmatur hæc definitio ex verbis Aaronis Moysi. *Obsecro mi Domine: ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum quod proiicitur de vulua matris suæ, ecce iam medium carnis eius est deuoratum Lepra, &c.* Et Galenus ait, quod *in Elephantiasi* (quæ est vltima lepræ inueteratæ species) *exedantur partes manuum, & summæ pedum:* Et *alibi* ait *Lepram squamis præditam, plures corporis partes depasci.* At vero caput hoc cum vnica hac Lepræ descriptione complebo, in qua mysticam totius plagæ leprosæ immundæ essentiam enucleare aggrediar. Num. 12. 10 Finit. med. 12. Ibid.

Lepra est plaga tumida, scabiosa, & vt plurimum candida, cutis humanæ defectio, à Deo Elohim per ministros suos boreales Been Elohim dictos, peccatoribus loco flagelli inflicta.

De causis materiali & formali in hac descriptis antea plene loquuti sumus, restat, vt de profundiori causæ efficientis tam organicæ quam principalis mysterio paucis hoc in loco agamus; atque in primo loco, rationem cur pro causa principali efficiente, cognomen Dei Elohim vsurpauimus verbo, & succinctè his referam: Imprimis scire conuenit, quod decem numerationes Cabalisticæ sunt diuersa lumina ab vna radice descendentia, quorum fauore cuncta creantur, creata fouentur, atque iterum post creationem seu generationem corrumpuntur, atque vita deprauari videntur: Horum ergo radix est tantum vnica diuina essentia, tametsi ipsa in decem istiusmodi lumina natura seu proprietate diuersa & opposita diuidatur; & ob istam rationem Cabalistæ diligenti literarum sacrarum lectione non obseruauerunt, nisi vnicum solum nomen Deo reuera appropriatum, quod significat ipsam Dei creatoris essentiam siue substantiam puram, estque illud ineffabile Tetragrammaton, sine vllo ad creaturas respectu: reliqua vero eius nomina gloriosa (quæ decem esse deprehenderunt) respectum habent ad res creatas, quippe quæ res denotant cum participatione, quatenus sunt deriuata ab actionibus & operibus: Sic enim Dei agnominatio *Adonai*, sumpta est à nomine Adon, id est, Dominus, atque ita dictum est: *Loquutus est homo Dominus terræ:* Sic liquet quod Adonai dicitur causa gloriæ, & honoris, vnde Abraham Angelo: *Adonai si inueni gratiam, &c.* Sic etiam omnia alia decem eius cognomina sicut Iudex, iustus, gratiosus, pulchritudo, procedunt ab operibus, & consequenter sunt nomina à proprietate & nō essentia: At vero vt vnitas est fons à quo multitudo emanat, & in quo continetur ista quidem totius arboris sephiroticæ siue numerationis, aut dimensionis sephiroticæ virtus in nomine Iehoua continetur. At vero videmus, *Iehouæ* nomen in actione contraria à literis sacris vsurpari, videlicet tam in seueritate & punitione, atque iracundia, quam beneuolentia & beneficentia: verum enim vero omnes hæ proprietates in Deo vatiæ aliis distinctis denominationibus in variis scripturarum locis animaduertuntur, videlicet *Ehieh. Iah: El: Eloah.* vbi exercere solet misericordiam, & bonitatem erga creaturam, & *Elohim, Gibbor, Adonai*, vbi seueritate pollet. Sed quoniam proprietas Dei irascentis obseruatur in scriptis sacris esse conditionis binæ, vtpote in quarum vna, aufferendo suum vultum, & se in se contrahendo, punire solet: nam seipsum abscondendo sequuntur tenebræ, atque tenebræ sunt frigiditatis & stipticæ quietis sedes: (vnde Dauid: *Deo dante creaturis, colligunt, aperiente manum satiantur bono, abscondente faciem suam perturbantur*) vnde liquet, quod hac sua proprietate mala creaturæ frigida inducit, similiter ipse se nimium in ignea & consumente sua proprietate aperiens & reuelans luce ignea, & flamma, deuorare solet, vti in castris Israelitarum accidebat in deserto, atque etiam more inuisibili, peste & febribus, atque æstu inobedientes percutere solet: testante pagina sacra: Ita quidem harum proprietatum quælibet habet suum proprium attributum quo distinguatur ab inuicem: agnomen ergo ei attributum in frigida sua natura seu proprietate in qua vultus sui lucem distrahere gestit est *Elohim*, vti illud illius, in qua igneam & consumentem suam proprietatem manifestat, est *Elohim Gibbor*: Ratio & organa, per quæ operatur hæc diuini numinis proprietas in mundo, sunt huiusmodi. *Elohim* est voluntas, seu emanatio illa à fonte lucido quæ penetrat per portam seu Canalem sephiroticam lucidam, *Binah* dictam, seu prudentiam, à qua descendit ad infimum supremæ hierarchiæ ordinem, videlicet, ad thronos, inde arguens proprietatem Dei seueram, & iudicio plenam, qui influxus tum postea ab isto ordine commendantur Archangelo *Zadkieli*, vel vt alii volunt *Oriphieli*, angelo sphæræ Saturni præsidenti, qui eos ad suum regnum Saturnium conducit: vnde vt Saturnus est planeta grauis fixus, melancholicus, terrestris, frigidus & siccus atque congelationibus obnoxius, ita quidem seueros in frigiditate, congelatione & mortificatione & ad iudicium Psal. 104. 29. Deut. 28.

cium triste, & punitionem frigidam & algorosam dicitur in inferiora impluere effectus; quare & infortunium maius ab Astrologis haud inconsulte dictitatur.

Locus autem in mundo sublunari in quem eius recipiuntur influxus est plaga septentrionalis; quod quidem testantur non modo textus sacri, sed & ipsi quotidiani in hyemali tempore effectus, vtpote à qua plaga, frigidissimi & siccissimi procedunt afflatus: Et quamuis *Iehouæ*, hoc est essentiæ diuinæ vbiq; in scripturis applicantur Borealium flatuum actus, tamen respectu proprietatis illius *Elohim* dictitatur: nam Saturnus suum in plaga mundi sublunaris regnum tenet, sibique præsidem & imperatorem summum agnoscit *Elohim*, qui mediantibus Angelis illius plagæ, quorum princeps est *Orifiel*, vel vt alii dicunt *Gabriel* cum ipso. Et eius vices gerens *Egyn*, qui est vnus ex illis Angelis nocentibus, quorum meminit Reuelator *cap.* 7. At quoniam huius plagæ imperator est *Iehoua* in illa sua proprietate, qua dictus est *Elohim*, ideo omnes eius angeli huic plagæ assignati à Cabalistis dicuntur *Ben Elohim:* Nam in Archangeli *comm. in Cabalist.* dogmata hæc legimus.

Archangel. in Cabal. Dogmate. *Vnicus est Deus, maximè vnus, multis tamen vocatur nominibus, non quidem vt illis exprimantur plures essentiæ aut Deitates eius, sed proprietates: quæ licet ab eodem fonte deitatis emanant, ibidem tamen radicatæ semper sunt vnum, sed plures dicuntur ratione ad nos habita, in quos multa beneficia, diuersaque munera per diuersos canales distillant: quapropter ipse diuersa nomina sortitur: ita tamen quod eorum quodlibet influxum sibi appropriatum habet. Vt hoc nomen El, quod nos Deum habemus interpretatum: nam omne foret, & omnibus succurrit summa pietate & clementia, id quod est illi proprium, & ideo illi gratia arttibuitur. Nomini vero Elohim, quia per ipsum veniunt seueræ punitiones & strages, belligerique viri, & Deus exercens potentiam suam puniendo flagitiosos vir belli dicitur. De quo Ieremias, Dominus mecum tanquam bellator fortis & tanquam robustus confractor:* iudicium ergo sibi *contribuit. Et Angeli ei seruientes dicuntur Ben Elohim id est filii Elohim; Elohim ergo terrorem significat ac pauorem: hinc locus Aquilonis ei assignatur, à quo procedit omne malum culpæ per legis transgressionem, & pœnæ ex peccati punitione.*

Hæc ille: quibus imprimis arguit vnicum esse Deum, vnicam diuinam essentiam nomine generali *Iehouæ* seu Tetragrammaton insignitam, diuersas tamen spiritus illius vnius proprietates; iuxta Canalium siue portarum per quas descendunt solis istius vnius radii: nam videmus quod vnico igne permanente varieformiter iuxta organa, in quibus, & per quæ agit, & operatur diuersosque producit effectus, vel in comburendo, vel in fouendo, vel in coquendo &c. Sic etiam idem diuinitatis viuus spiritus in proprietate opposita spirare animaduertitur à variis mundi sublunaris quartis: iuxta illud Prophetæ: *Veni spiritus à quatuor ventis*: id est Iehoua, qui sub eodem nomine, quasi essentia vnica spirare dicitur in scripto sacro, à qualibet plaga, sed proprietate diuersa. *Ezech.*

Nec mirum vobis videatur si dixerim *Elohim* mediantibus suis angelis seu filiis *Ben Elohim* creasse Lepram, vel alios morbos quoscunque Boreales produxisse, cum teste Dauide *Angeli sunt ministri Dei qui efficiunt verbum eius*: nam *ipse angelos suos fecit ventos, & ministros suos ignem vrentem:* Et *alibi, ventus procellosus efficiens verbum Dei:* De huiusmodi percussoribus mentionem facit scriptura pluribus in locis: de quibus vno loco Propheta regius: *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos angelos*, sed de istis *alibi* plenius. Iam vero ad illam lepræ speciem quam mundam dictitamus.


Psalm. 148. *Psal. 78.47.*

Capvt III.

De Lepræ mundæ speciebus, atque de ipsarum descriptionibus.

QVando Scriptura loquuta est de morbo istiusmodi immundo intelligere videtur, ipsam non esse contagiosam ac est illa confirmata; & consequenter non ita periculosam quin vt sine infectionis damno aut inclusione, possit æger in hominum societate viuere.

Lepra,



Lepra munda, vniuersalis est, cum Iehoua in proprietate sua Boreali, vel *Elohim* mediantibus spiritibus suis *Ben Elohim*, cutem peccatoris à capite ad pedes vsque, macula tumida, scabiosa, albescente & porriginosa, idque sine carnis viuæ apparitione, leuiter percutit.

In qua Lepræ mundæ descriptione, pro causa materiali habemus spiritum mundanum, in quo proprietas *Iehouæ*, seu *Elohim* per suos spiritus *Ben Elohim* operatur: vti in superioribus: Formalis in istius sermonis concatenatione exprimitur. Lepra est cutis vniuersalis macula tumida; scabiosa, albescens & porriginosa, idque sine carnis viuæ apparitione. Probatur hoc, ex hisce textus sacri: *si effloruerit & germinauerit Lepra, & operuerit Lepra totam cutem, sine carne viua à capite eius vsque ad pedes, tum munda est plaga, &c.* Leuit. 13. 12.13.

Efficiens est *Iehoua* in proprietate sua Boreali, si integram Dei essentiam omnia in genere operantem respiciamus: at si ipsum nominamus agnominatione ei conuenienti, & proprietati huic suæ propria, *Elohim* eum dicemus, qui operatur suis spiritibus, seu afflatibus ab ipso in ista sua proprietate tenebrosa & gelida procreatis; ratio antea allegata. Ita vt *Elohim* est efficiens principalis, illa vero organica, eius spiritus ventosi ex aere & per aerem Borealis conditionis creati.

Finalis & causa sine qua non, exprimuntur & subintelliguntur sub vocabulo peccatoris: quoniam vt peccatum est causa sine qua non, seu ratione cuius ita quidem effectus illius necessarius, videlicet punitio siue flagellum Lepræ: At quia *Elohim* non ita grauiter plagam istam infligit, vt sit lepra immunda & contagiosa, sed in gradu remissiori imprimitur, ideo *Elohim* peccatorem leuiter percussisse diximus: Lepram mundam partis, duplici insigniuimus descriptione, quarum prior est ista.

Lepra munda particularis est, cum pars, seu membrum peccatoris aliquod, vel tumore, vel scabie, vel macula alba, minime latius in cute quam post septem vel 14. dies deserpente aut crescente, à Iehoua, seu Elohim in proprietate sua septentrionali, irascente leuiter & cum fauore percutitur.

Atque ex ista lepræ mundæ definitione intendimus, quod aer microcosmicus ab *Elohim* afflatu maleuolo alteratus, sit commune istius & aliorum morborum subiectum materiale.

Causæ vero formalis virtus in hoc sita est, videlicet quod sit affectio membri tumida, vel scabiosa vel commaculata albedine, sine vllo incremento euidenti. Confirmatur hoc isto textu: *Si macula fuerit in cute carnis, & profundior non fuerat eius aspectus cute: nec pilus versus fuerit in alborem, si post 7. vel 14. dies, ita sine incremento permanserit, plaga munda est.* Leuit. 13. 2.4.5.

Pro causis efficienti, & finali, atque sine qua non: in ista expressis respiciatis velim ea quæ supra.

Posterior est ista.


Lepra capitis & barbæ munda, est illa porriginis species, leniter à Iehoua peccatoribus inflicta, in qua, post 7. vel 14. ad magis dies plaga non crescit, aut se diffundit per cutem, nec ipsa cute apparet profundior, nec pilus, vel nigricans, vel fuluus, in ea adesse cernitur.

Causa formalis in ista sic confirmatur dicto Moysis: *Si plaga lepræ capite vel barba viri, aut mulieris fuerit adorta; & aspectus eius non fuerit profundior cute, & pilus nigricans vel fuluus non fuerit in ea, si post 7. dies, vel 14. ad plus non diffundat se plaga per cutem, porrigo, siue lepra est munda.*

Per debitam harum descriptionum considerationem, facillimum etiam erit cæteras illas species definire, aut cum suis causis explicare quæ sub lepræ mundæ seu non conta-

contagiosæ genere comprehenduntur. Atque iterum Lepra immunda habet sub se suas species immundas: verbi gratia: Ophiasis, Porrigo, Scabies, Psora, pruritus, & huiusmodi aliæ plagæ, quæ sunt tam contagione præditæ, quam à contactu contagioso immunes.

Conclusimus ergo, morbos corporales sub leproso genere comprehensos, in distinctione ista subsequente.



Pro ampliori huius distinctionis enucleatione, vos ad *cap. 2. & 3. Membri primi, particulæ tertiæ, libri tertii,* de morborum differentiis iuxta intentionem nostram, in qua particula de regno Imperii septentrionalis corporali agitur; referendos esse velim.


Denique quod prædictæ plagæ dicantur à textu sacro à percussione diuina prouenire, ex istis colligimus: *Percutiet te Iehoua* (ait Moyses) *vlcere Aegypti, & hæmoroidibus, & scabie, & prurigine, quibus non poteris sanari: & percutiet te vlcere maligno, in genibus & cruribus quo non poteris sanari, à planta pedis vsque ad verticem tuum:* Porro quod Iehoua operatur in ista actione per malos suos ministros, arguit Biblion sacrum in his: *Percussit Satan Iobum vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem:* Et tamen totum hoc referebatur Iehouæ, quasi causæ efficienti principali: vnde tum postea dicit: *Ipse vulnerat, & medetur, percutit & manus eius sanabunt, &c.*

CAPVT IV.


In quo indicatur, quod corpus meteori leprosi non aliter in humorem melancholicum resoluitur, quam gelu siue glacies terræ limo permixta in aquam turbidam & limosam: & qui morbi ex tali humore procreantur.

IAm vero quoniam plaga septentrionalis se habet ad cæteros mundi angulos vt terra ad elementa, & cum certum sit rationibus sæpius antea allegatis quod visibilia & densa fuerint prius ex inuisibilibus & tenuibus composita atque orta, vt ad aqueam primum regionem, & ab ea ad aream, & ab ipsa in igneam regionem securius tendamus, gradatim procedendum est more pyramidis, videlicet ab eius base conum versus.

Pyramis



At vero quoniam quælibet pyramidis pars sit eiusdem substantiæ cum suo toto, igitur constat eius portionē densam, siue septentrionalem & terream posse resolutione se præbere in liquidam portionis aqueæ siue occidentalis speciem, vt & illa iterum aquea in volatilem & ventosam aëris seu proprietatis meridionalis conditionem. Vnde euidens est, portionem illam septentrionalem & solidam in se speciem imprimis aqueam, atque etiam illam aëream & ventosam in potentia comprehendere: Sed quatenus vel humor ille, vel spiritus talis non excedit suum imperium; eatenus etiam tam humor ille quam spiritus ventosus ille induunt & non deponunt illius Imperij proprietatem: verbi gratia, quandiu flat Aquilonius ventus, tam aëris seu spiritus illius quartæ stipticam seu frigidam, & siccam; atque terream, quam aqua seu vapor niualem induit naturam quæ ambæ in glaciali corpore terminantur & continentur, quod si iterum flante eodem vento aliquo accidente; videlicet calore solis; in vapores resolueretur; iterum illi vapores facillime iterum in niues conuerti possunt, & illæ niues maiore resolutione in aërem frigidum & siccum; idque imperante proprietate septentrionali: Ob istam ergo rationem Imperium quodlibet in regna tria distinguimus, videlicet corporale, humorale, & spirituale semper in motu à termino ad quem, nimirum corporali consistentia, ad illum à quo; spirituali nempe; per humorem: quod etiam in qualibet Pyramidis portione sic demonstratur; verbi gratia, in illa grossiori quæ est septentrionalis & terrea à basi sursum mouente sic.



Flatus melancholicus	C	Spiritus ſiccus de natura ſeptentrionis.
Humor melancholicus	B	Aqua ſicca de natura ſeptentrionis.
Corpus melancholicum	A	Corpus ſiccũ de natura ſeptentrionis:
Septentrio		*Terra*

Atque vt horum trium vnum eſt ſubtilius alio, ita quidem videmus, quod in iſta Pyramidis proportione quo ab eius Baſe fit aſcenſus, gradus in magis anguſtantur: nam regio C. eſt anguſtior & ſubtilior B. atque iterum B. tenuior quam A. ſic igitur ſe habet meteori leproſi ſubſtantia, vtpote quæ reſolutione fit humor talis naturæ & conditionis; qualis erat eius corpus ante ipſius reſolutionem: Atque hoc confirmat Galenus, qui experientia doctus, hæc loquitur: *Elephas eſt affectus qui cutem craſſam & inæqualem reddit, &c.*

In quo arguit corpoream Lepræ conſtitutionem: Tunc ſic pergit: *Liuor adeſt tum cuti tum oculorum albis, &c.* Quo portionem ſpiritualem, hoc eſt, ſpiritum melancholicum tenebroſum ſeu terreum in nubem fuſcam vento ſeptentrionali contractum & cutem at-
Finit. med. 12. que oculorum albedinem obfuſcantem denotat. Denique regionem ſeu regnum intermedium in conſiſtentia humorali expirimit in his, prædictæ verborum ſeriei concatenatis: *Exeduntur partes manuum & pedum ſummæ, ex quibus ſanies liuida & fœtida emanat, &c.* Atque in hoc innuere videtur, quod humor procedens à leproſo corpore diſſoluto, ſit talis conditionis qualis erat ſolida morbi illius maſſa, videlicet, melancholicus, denſus, liuidus, non aliter quam glacies ex aqua cum luto fœculento vel cœnoſo vi afflatus ſeptentrionalis conflata, in illud reſolutione reuertitur ex quo fuit prius: Talis etiam erat fluida & ſanioſa abſceſſus, ſeu vlceris leproſi ſubſtanria, de qua mentionem facit textus ſacer. Taliſque Pſoræ atque ſcabiei ſanioſæ conditio. De quibus *Leuit. 13. & Ibid. 21. verſ. 20. & 22. verſ. 22. & Deut. 28. Exod. 9. 10. & alibi in locis multis.*

His ergo cognitis; & bene intellectis, facilime diſcernere poſſumus, quomodo ille ipſe humor qui in corporea lepræ conſiſtentia in potentia deliteſcit, & per reſolutionem in actum producitur atque manifeſtum redditur, eſt eiuſdem naturæ atque ſpeciei cum illo quem Galenici vocant atram bilem & melancholiam: ſeu humorem melancholicum, qui meteora quamplurima morbida ex parte & proprietate Boreali producit, cuiuſmodi ſunt: Mentis alienatio, Paralyſis, Apoplexia, cõuulſio, Febris quartana, Icteritia nigra; Amentia, de quibus copioſe, *libri tertij, de morborum differentijs membri primi particulæ ſecundæ c. 1. 2 & 3.* diſceptauimus.

Hic vero operæ pretium fore exiſtimaui, vnicam ſolummodo harum infirmitatum deſcriptionem generalem, paginæ ſacroſanctæ teſtimonio confirmatam in lucem proferre; quæ ab illa meteori leproſi in effectu non differt: vt hac ratione meliori fiducia fidem huic noſtræ doctrinæ certiorem adhibere perſuadeamini.

Sed imprimis cum humoris melancholici deſcriprione exordiar.

Humor melancholicus eſt liquida quædam ſubſtantia ex aëre condenſata, procreata, atque afflatu ſeu proprietate ſpirituum Borealium maleuola (maledictione Iehouæ præeunte) contaminata, & in diſpoſitionem atram, triſtem, lentam ac terream, propter peccati pœnam mutata atque ordinata:

Vel breuius ſic.

Humor melancholicus eſt liquor quidam aëreus, maleuolo ſpirituum Borealium afflatu in conſiſtentiam lentam, terream, atram & triſtem, (maledicente Iehoua) ad peccatoris flagellum alteratus.

In qua quidem deſcriptione, habetis cauſam materialem in his deſcriptam: Eſt liquor quidam aëreus, &c.

Nam

Nam vt *supra* expressimus, aër est arca Dei thesauraria, meteororum tum malorum tum bonorum omnium, tam in micro quam macrocosmo; considerare debemus (vt dictum est) quod visibilia essent prius ex inuisibilibus.

Similiter formalem istius humoris conditionem colligimus ex istis, *est liquor aëreus in consistentiam lentam, terream, atram & tristem alteratus, &c.* Hinc Galenus, *Atra bilis est frigida & sicca, & si sanguine mixta illa crassior, ignaua & digestu difficilis redditur.* Atque *alibi* ostendit, quod si ista atra bilis ob suam crassitiem, è proprijs suis vasis fuerit profusa in membrum aliquod, cancrum faciat, hoc est, in corpus Boreale durissimum redigatur. *Finit. med. cap. 2. Hipp. Plat. Dogm. lib. 8. c. 7.*

Causa efficiens principalis in hac verborum serie cernitur: *maledicente Iehoua*, vel vt in priori habetur. *Maledictione Iehouæ praeunte:* Hinc dicit Moyses. *Emittet in te Iehoua maledictionem, vexationem & exitium donec exscindaris & pereas cito.* Atque hæc maledictio Iehouæ, est maleuola eius erga creaturam peccantem voluntas, mediante qua in organo suo angelico, percutere dicitur: vnde sequitur: *percutiet te Iehoua frigore, & aëre corrupto, & faciet vt adhæreat tibi Amentia & Cæcitas, & stupor cordis, &c.* Quæ omnes sunt affectiones Boreales, vt in *libro nostro tertio de differentijs morborum*, est indicatum. Causa vero efficiens organica primi ordinis exprimitur in his: Afflatu seu proprietate spirituum Borealium maleuola, hoc est, virtute Angelica ventum Borealem animante: Et de his angelis *in præcedentibus* verba fecimus satis ampla: Hinc ait Dauid: *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos angelos, &c.* Hoc est, morbos furibundos, melancholicos, & spiritum humanum perturbantes. Nam spiritus tenebrarum sunt audaciores & validiores in exequutione suæ malitiæ, vbi lucidus Dei vultus absconditur: tunc enim creaturæ spiritum perturbare gestiunt & velociter se accingunt: iuxta hoc Psaltis. *Deo aperiente creaturis manum suam satiantur bono, abscondente faciem suam perturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, &c.* Hoc est, quando Iehoua relinquit peccatorem, tunc quidem spiritibus lucifugis vexari solet: Atque hic est sensus superioris textus. *Emittet in te Iehoua maledictionem, vexationem, &c.* Sed *alibi* planius exprimit Moyses hoc in talibus; *Deus malos relinquit & abscondet faciem suam ab iis vt obueniant iis multa mala & angustiæ, &c.* Quid hoc planius? Nonne pluribus in locis, *lætificabis eum lætitia vultus tui, requirit te vultus meus, faciem tuam Domine desidero; ne abscondas faciem tuam à me, ne auerseris per iram seruum tuum. Tu tribueras pro tua bonitate robur menti meæ, protinus vt abscondebas faciem tuam, conturbabar: cur vultum tuum abscondis, &c.* At vero, quod in sui occultatione à peccatore ipsum relinquit seueritati angeli percutientis ex hoc declarat: *Fiant sicut puluis vento oppositus, Angelo Domini iactante eos; sint viæ eorum obscuræ & lubricæ: Angelus autem Domini vrgeat eos.* *Deut. 28. Psal. 104.25. Deut. 31.18. Psal. 22.6. 27.20.30.7. Ps. 44.24. Psal. 35.a.5.*

Denique causa finalis in eo declaratur, quod talem humorem maledictione Angelorum Borealium plena animauit & præparauit Iehoua, propter punitionem vel ad flagellum peccati.

Nunc vero vnius meteori humoralis ex parte Boreali orientis, descriptionem aperiamus, vt per eam rationem omnium fere aliorum eiusdem proprietatis humoralium conditiones intelligamus, nam ad exemplar ipsius reliqua definire possumus per omnia, præterquam quod in forma eorum ab inuicem parumper differunt: Eritque illud Apoplexia.

Apoplexia est aëreum quoddam nubis niualis meteoron venti Borealis afflatu in cerebri ventriculis ita (ordinatione diuina ob peccati punitionem) contractum, impactum & quasi congelatum, vt facultatis animalis vsum, seu actum penitus obtundat, ægrumque quasi mortuum reddat.

In qua Apoplexiæ descriptione, imprimis causa ipsius materialis denotatur esse aëreum quoddam meteorum more nubis niualis in spiritu animali condensatum. Formalis in eo declaratur quod spiritus animalis quasi congelat, & taliter implet atque occupat, vt facultatis ipsius, vsus & actus penitus obtundatur, ægrumq; tanquam mortuum & immobilem cum stertore tamen nonnunquam efficiat.

Efficiens principalis est Iehoua, nomine essentiali sic dictus vel Elohim agnominatione à proprietate septentrionali. Vnde liquet quod sit eius organon primarium spiritus angelicus borealis, qui animat meteoron prædictum aëreum & halitu suo frigido ipsum instar nubis niualis congelat seu condensat: Atque hoc est idem, quod Psellus testimonio Marci verificauit dicens: *Subterranei qui in locis habitant profundissimis valde frigidi sunt, sed humore carentes:* vnde fit, vt calorem humidum (cuiusmodi est ille vitalis) summopere appetant, quem vt assequantur, in animalia irruunt ratione carentia, & ad balnea foueasque *Psellus de dæmonibus.*

que aduolant: sed præ omnibus illum humanum ob exactam ipsius temperiem diligunt, quare hi hominibus se insinuantes non mediocriter eos perturbant oppletis videlicet meatibus & impletis, in quibus spiritus insidet animalis, ipsoque spiritu dæmoniorum corporum crassitudine coacto, intusque concusso, ex quo accidit vt vibrentur, concutianturque corpora, viresque principales male in actionibus se habent & motiones stupidæ: sin autem lucifugorum aliquis homini se clam ingesserit, segnitiem adducit, cohibetque vocem, hominemque obsessum quasi mortuum reddit: diciturque hoc dæmonum genus esse summopere frigidum atque aridum, atque ob eam rationem cuicunque latenter irrepserit, vim omnem animalem obtundit & hebetat, obfuscat & delet, atque hoc proculdubio genus est illud, quod Christus vocauerit *mutum & surdum*: Hoc (inquam) Dæmonum genus permittit Deus per auersionem faciei ipsius à peccatoribus, potestatem habere in ipsos: iuxta illud quod *supra* ex Moysis sententia erat allegatum, *Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab ijs vt adueniant ijs multa mala & angustiæ.*

Denique finalis Apoplexiæ emissionis, seu creationis erat propter peccati punitionem. Hæc ergo definitio inseruire potest omnibus cæteris meteoris Borealibus humoralibus, quæ cum stupore & oblatione sensus accidunt, cuiusmodi sunt Paralysis, Amentia, Catalepsis: Epilepsia, & huiusmodi alia, quæ cum humore boreali spiritum malignum borealem quasi nube obtegente contingunt. Anne sit hoc contra Galeni vestri doctrinam (ô vos Galenistæ?) cum ipse agnoscat Apoplexias, conuulsiones, Tremores, Tetanos & huiusmodi alios morbos procreari, dum Aquilo principaliter cum Austro per vices flare animaduertitur, sed in his (ô vos Galeni sectatores?) falsus est vester præceptor, quod nimirum ipse ad humorem meum respiciens, & ventorum flatum experientia animaduertens, ad causam nec efficientem organicam primariam, multo minus ad Iehouæ Dei deorum seu Elohim efficientis principalis notitiam pertingere non potuit, atque ita ignorato principali morborum fundamento, in omni vera medicinæ scientia mancus extitit, atque imperfectus. Sed iam ad summum portionis, seu Imperij in pyramide borealis regnum peruenimus.

Gal. lib. 1. Com. Morb. vulg. 8.

Capvt V.

Quomodo spiritus Melancholicus, seu borealis contineatur in humore leproso, & subtiliatione, seu rarefactione ab ipso exurgat, & de ipsius effectibus.

Extracto iam, seu conuerso corpore leproso in humorem melancholicum qualis erat prius, restat iam vt dicamus de mutatione humoris illius in primam & inuisibilem suam materiam aërem nimirum proprietatis septentrionalis, siue spiritum borealem, ex quo humor ille erat prius, non aliter quam pluuia, vel nix, vel grando, vel glacies erant prius aër, nam omne visibile erat prius ex inuisibili: Vt igitur corpus glaciale in humorem quasi niualem resolutione transit, ita quidem ille humor in spiritum frigidum & siccum in Imperio septentrionali subtiliatione euadere certum est: Pari etiam respectu lepra vel aliquod aliud meteoron corporeum sub ea comprehensum proueniet prius ab humore melancholico, vt & humor ille à flatu siue spiritu tali frigido & sicco.

At hic obiter vos scire velim, quod tametsi Galenistæ soleant omnes melancholiæ species nuncupare Atram bilem, tamen in hoc inconsulte satis faciunt; nam illa sola Melancholiæ species quæ accidit ab adustione re vera dici potest Atra bilis, videlicet ea quæ tendit ad nigredinem & ad colorem carbonis, vel quæ à bile adusta nimis procedit; at vero est alia eius species quæ à mortificatione & congelatione venit, quæ bilis adusta dici recte non debet; qualis est fæx sanguinis terrestris, atque humor ille glacialis incrassatus, &c. Sed ad rem: Si humor melancholicus (quem spiritus Angelicus ex parte Boreali talem suo afflatu fecit) secundum suam materiam esset prius ventus frigidus & siccus, non est dubium quin in ventum talem resolutione à calore corporis possit euadere; atque hæc est causa quod in melancholicis videmus flatum hypochondriacum, atque ructus tam frequentes generari, ita vt vbi humor talis in corpore adest, ibi quidem ventus talis ei adest tanquam comes sodalis, atque vice versa: nam caloris actio spiritum in humore delitescentem de facile exagitat & excitat, & in fumum euolare facit Imo vero, ipse spiritus malignus, & infestans in humore vel fumo delitescens, per paroxysmos solet spiritum & corpus humanum crudeliter vexare & dilaniare non aliter quam spiritus igniti in nube

nube Septentrionali,seu à Septentrione veniente inclusi,spiritum macrocosmicum perturbare,& æstuosis suspiriis præternaturaliter afficere quandoque cernuntur, & sonis tonitruosis ipsum pauore & quasi reuerberatione percutere. Haud aliter cernimus rem se habere in melancholicis & hypochondriacis, vtpote in quorum spiritus nebulosi vapores spiritus æstuosos includentes, volant & per paroxysmos eum æstuosis famis, rigore & frigore permistis non sine sonitu & rugitibus,seu viscerum murmure microcosmum perturbare animaduertuntur.

Nec satis est,vt quis replicet quòd Borealis flatus producit boreales effectus,videlicet frigidos & siccos; vnde ergo tantus in melancholicis æstus? Nam si rem intuitu paulò subtiliori respiciant inuenient quidem,quòd tonitrua & fulgura procedant quandoque à nube grandinosa & niuali;quod etiam Scripturæ nos docent (etiam si experientia non essemus confirmati) ex quibus hæc: *Ignis in niue, & glacie ipsis minimè liquefacientibus.* Et, *Ignem facit Deus ardere inter aquā, vt terræ ministræ fœtus corrumperet*, &c. Sed vos considerare velim,quòd vbi flatus melancholicus,seu humor melancholicus,seu corpus tale,cum æstu & inflammatione accidunt,vt in quibusdam lepræ,vel meteororum Boreæ tam humoralium,quàm spiritualium speciebus contingit,ibi quidem est duorum ventorum seu flatuum angelicorum proprietatum oppositarum conuentus,sed præualet flatus borealis,non aliter quàm in spiritu macrocosmico videmus nubem glacialem seu grandinosam vel niualem spiritus æstuosos venti Australis includere,atque hinc eueniunt fulgura & tonitrua à plaga boreali prouenientia. Nam pro certo statutum est,tam inter Philosophos, quàm ipsas Scripturas sacras,quòd *Aquilo per se pellat nubes & pluuias, & quòd ab Aquilone veniat frigus.* At verò nihil naturaliter gignit rem sibi natura & essentia oppositam; quare nec Aquilonis seu Boreæ est naturam igneam,vel nubilosam procreare: Vnde certum est,quòd isti spiritus ignei sunt aliunde quàm ab Aquilone qui est ventus tenebrosus eiusque plaga spiritibus Lucifugis apta & connaturalis sedes: vnde sequitur, quòd si nubes, & igneæ coruscationes sint effectus proprietati Boreali oppositi,quòd à loco ipsi opposito proueniant,videlicet ab Austro; nam vbi Auster in gradu remissiori flare cernitur,& Boreas in vehementiori,ibi nubes partim compressione aëris seu medii ab vtroque vento, & partim coagulatione proprietatis Borealis frigidæ apparere notantur; at si in vno Horizonte ventus vnus sit fortior, in alio verò alius,ibi quidem in puncto seu margine cœli vtrique horizonti correspondenti nubes tonitruosas congregari cernimus,atque spiritus ignis in nubibus à ventis calidis quasi aues versus Boreæ plagam festinantes,atque ventis ipsis fortioribus & natura oppositis occurrentes reuerti coguntur, non sine pugna immensa inter spiritus oppositarum proprietatum. Hinc strepitus in aëre tantus,hinc fulgura,à plaga Boreali, hinc tam horrenda inter spiritus niuales seu grandinosos & fulgureos atque ignitos contentio; ac denique naturarum contrariarum,videlicet ignis & aquæ, atque aëris & terræ in inimicitia mixtio. Haud quidem secus accidere solet in spiritu humano, nam vbi spiritus Meridionalis hepatis seu cistis bilis præternaturales, & illi lienis Borealis concutiunt, ibi gelidos cum igneis parere assolent effectus;at si flatus hepaticus cum suis spiritibus æstuosis præualeat,febres quidem excitat per vires, & præcipuè vbi lienis virtus æquipollet, quartanas non sine flatu ingenti: at verò si effectus lienis sit præualens, flatus melancholici cum omnibus effectibus qui ex illis oriuntur, causari obseruantur. Verùm vbi solummodo præest lien, ibi quidem spiritum microcosmicum reddit melancholicum & Borealem, clarescente nihilominus spiritu humano,& à nubibus seu nebulis tetris immuniter existente eo: at verò sine eructationibus atque diaphragmatis & ventriculi viscerumque distentionibus non accidit: verùm in tali casu, frigescet patiens, & ad melancholiam terream & non æstuosam erit procliuis, atque non aliter se habere videbitur aër microcosmicus quàm ille microcosmi dum Boreas per se flare assolet; atque hisce vrina est admodum tenuis & remissa. Ad istum ergo melancholiæ statum vergunt ipsi vt plurimùm qui sunt naturaliter melancholici: nam vt talis est naturalis Boreæ flatus sine aliqua euidente aliorum ventorum additione in naturali, ita quidem naturale est lieni humores melancholicos recipere, & consequenter eorum subtile per porosum suum corpus in cætera corporis membra per spiritum dispergere.

Sap.16.a.18.
Prou.25.23.
Iob.37.9.

His igitur seriò contemplatis, ne in sequenti nostra melancholiæ spiritualis descriptione exceptio vlla iniuria capiatur, spiritus iste simplex quid sit, in loco priori sub tristitiæ descriptione ostendam: ac tum postea ipsum in mixta sua natura definiam: cum nonnullis ipsius mœroris cùm animum tum corpus malè afficientibus.

Quoniam triſtitia eſt affectio quædam ſumma quæ in animo ſeu ſpiritu humano radices ſubtiliores & altiores imprimit, atque ſubiectum ipſius cognoſcitur ab effectu eſſe ſpiritum in contractiua ſeu Boreali Iehouæ proprietate, ad mortalium pœnam præparatum: ideo ipſam fecimus haud ſine fundamento ſufficiente principem ſuper alios morbos ſpirituales plagæ Septentrionales; quare eum in hunc modum cum aſſenſu literarum ſacrarum deſcribimus:

Triſtitia eſt ſubtilis animi oppreſſio ſeu ſpiritus fractio, cordis contractio à Iehoua per afflatus Boreales fixos; propter peccati pœnam ordinata, quam cordis pauor, horror, & tremor, mœror conſtans; curæ, ſolitudo, ſuſpiria, & fixitas oculorum terrea, atque animi etiam per viſiones & ſomnia vana perturbatio, ſequuntur.

In qua deſcriptione cauſa materialis eſt ſpiritus humanus cum illo Boreali mixtus. Formalis verò eſt expreſſa in his, videlicet, quòd ipſam concomitentur cordis pauor, horror & tremor, mœror conſtans, curæ, ſolicitudo, ſuſpiria, & fixitas oculorum, &c. Hoc totum ſic
Pſal.69.20. confirmant Scripturæ: *Fractio animi ægritudine afficit. Animus meus dolet in me, timor & tremor*
Pſal.55.5. *inuadit me, & obtegit me horror: oppreſſiones meæ dilatant ſe, Indignatio & mœror facit deficere vi-*
Pſal.25.17. *tam. Terrebis me ſomniis, & per viſiones horrore concuties, quare elegit ſuſpendium anima mea, & in*
Pſal.31.11. *cutem oſſa mea.*
Iob 7 14.
Pſal.31.10. Quòd verò cauſa efficiens principalis ſit Iehoua hiſce docemur: *Omnipotens* (ait Dauid)
& 3.11. *conturbauit me, indignatio & mœror facit vitam deficere, cor meum conturbatum eſt in me.* Et ali-
Leuit.26.35 bi: *Pauorem dabo cordibus eorum.* Et alibi: *Percutiet te Iehoua amentia, cæcitate & ſtupore cor-*
dis. Dabit tibi Iehoua cor trepidum, hebetationem oculorum, & mœrorem animi, eritque vita tua ſu-
Deut.28.28 *ſpenſa è regione, pauebisque noctu & interdiu, & non eris certus de vita tua*, &c. Et alibi: *Animam*
& 65. *impii emollit Deus, & perturbat eum.* Iob.23.16. At verò quòd hæc operatur Iehoua, per ſpiritus ſuos Boreales, ipſa experientia docemur, qua aquam fixam, & vaporem in niues immobiles conuerſum, & ipſum aërem in proprietate Boreali ad fixitatem procliuem eſſe cernimus; at hæc omnia operatur Iehoua per ſuos ventoſos miniſtros, vt teſtatur textus ſacer multoties antea in macrocoſmo aſſignatus. Quomodo ergo in microcoſmo aliter poſſit res ſe habere, penitus ignoro. Denique ex præcedenti teſtimonio liquet, quòd Deus iniuſtè homini non faciat, ſed propter punitionem.

Iam verò ad deſcriptionem morbi illius communis quem flatum melancholicum ſiue hypochondriacum communiter vocant, accedimus, quæ eſt iſtiuſmodi:

Melancholia hypochondriaca eſt flatuoſa quædam ſpiritus humani perturbatio, à Iehoua ſeu Elohim per angelos ſuos à Boreali vel binis ſimul oppoſitis mundi plagis ſpirantes, ad peccatorũ flagellum producta, quam ſequitur, indignatio, mœror, viſcerum eleuatio, cordis palpitatio, ſtupor & conturbatio, timor, oculorum caligo, & haud rarò virtutis, & vitæ defectus, interdum & furor cum præcordiorum æſtu.

In qua aër flatulentus & turbidus eſt cauſa materialis: Cauſa formalis facilimè ex tota
Pſal.31.11. deſcriptionis ſerie diſcerni poteſt. Et confirmatur ſic: *Indignatio & mœror vitam deficere fa-*
Iob.30.22. *cit.* Et Iob ait: *Eleuaſti me in ventum; & quaſi ſuper ventum ponens, eleuaſti me valde. Debilitatus & attritus ſum valde, rugio præ fremitu animi, ſuſpirium meum à te non eſt abſconditum;*
Pſal.38.a.4. *cor meum palpitat, dereliquit me virtus mea & lux oculorum meorum*, &c. Quibus verbis optimè deſcripſit Pſaltes paſſionem iſtam. Denique ait alibi: *Anima mea turbata eſt in furore, & factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens, in medio ventris mei aruit ſicut teſta virtus mea, lingua adhæſit faucibus meis*, &c.

Pro cauſa efficiente principali & organica primi ordinis ſimul atque illa finali, in hac vt in reliquis cenſendum eſt: præterquam quòd in æſtuoſa plaga hypochondriaca ſpiritus Meridionalis virtus in aëre humano magis præualet, &c.

Vel flatum hypochondriacum in nuda deſcriptione formali iuxta prædicta Prophetæ verba ſic depingimus:

Pſal.38.a.4. *Eſt plaga flammoſa in qua ſpiritus humanus debilitatus & attritus eſt valde, præ fremitu animi rugit patiens, & ſuſpiria effundit, necnon & rugitu ſeu murmure corrumpuntur eius viſcera, cor palpitat, derelinquit eum virtus eius, & lux oculorum.*

Vel cum totis ſuis membris in iſtum modum:

Melancholiæ flatus eſt actus quidam in ſpiritum microcoſmicum, ab Angelis ſeu ſpiritus Septentrionalis afflatu ordinatione Iehouæ præternaturaliter ob peccati pœnam impreſſus, in quo timor, tremor, & quandoque horror, non ſine mœrore, triſtitia, gemitu, ſuſpiriis, animi oppreſſione atque ſomnis & viſionibus terribilibus apparent.

Hic

Hic causa efficiens principalis est Iehoua in proprietate magis mixta; vnde Moyses: *Percutiet te Iehoua frigore, æstu, & corrupto aëre,* &c. Deut. 28.

Atiam quoniam est aliud regnũ & capitale meteororum quod est plagæ Septentrionali & proprietati ipsius magis consanguinitate vnitum, vtpote à frigore sicco radicitus procreatum, stupor nimirum, de ipso, subsequenti descriptione pertractabo:


Stupor est plaga quædam spiritualis gelida & soporosa, per stupidum suum in proprietate Boreali ministrum ob peccati punitionem inflicta, in qua neruorum virtus, motusque facultas, in suo actu & officio quasi impotens, & ad quietem ferè præparata videtur.

De causa huius efficiente principali hæc Biblion sacrum: *Percutiet te Iehoua stupore cordis.* Deut. 28. Et alibi: *Percutiam omnem equum stupore.* Zach. 12. 4. Atque iterum: *Ego dedi vobis stuporem dentium.* Amos. Quòd aũt causa hæc principalis efficiens vtatur spiritu angelico loco sui organi, patet ex his Prophetæ, &c. *Obstupescite, fluctuate, vacillate, quoniam miscuit vobis spiritum soporis.* Et quamuis hæc verba spiritualiter sint ibi loci intelligenda, tamen sciendum est etiam, quòd Deus agit similiter in peccatores per similes suos spiritus ad sensibilem corporis & membrorum eiusdem stupefactionem.

Infinitum quidem foret omnia istius Imperii meteora particulari sua definitione depingere. Atque etiam quoniam videtis ea omnia in tribus causis ad inuicem conuenire; materiali nempe, efficiente duplici & finali, ita vt in sola formali consistant, qua species vna ab alia distinguatur: Ideo in meteororum Imperii Occidentalis descriptionem formalem leuiter descendam:



MEM-




MEMBRVM HVIVS LIBRI SECVNDVM:

In quo meteora Occidentalia formaliter describuntur.

CAPVT I.

In quo ventorum coitus, aurea & pacifica naturæ in ventorum circulo catena & nexus, superiorum in ipsius partes influxus & actus, Meteori Epileptici ex Luna & spiritu mundi Occidentali ortus, & Meteororum denique omnium Occidentalium præternaturalium ad illius relatio pertractatur.



N *præcedentibus* videlicet *Tractatus huius, Sectionis primæ, libro secundo*, esse binos in mundo hoc sublunari mares ventosas & totidem fœminas mediante coitu; quorum meteora in cœlo gignuntur tam fœminina seu humida, quàm masculina seu sicca. Sunt autem ambo mares sicci, atque horum vnus est frigidus atque Borealis, alter est calidus atque hic est Orientalis. Ex humidis verò & fœmininis Meridionalis est vxor Orienti connaturalis, vnde naturaliter est calidus, & concubinæ Boreæ, quare per talem coitum effectus spurii, & præternaturales, nimirum putredines & corruptiones producuntur. Occidentalis verò est vxor Borealis; quare partum producere solet patri non multum dissimilem, videlicet pluuias frigidas & quandoque niuibus & grandine mixtas, at hic spiritus est Orientali quasi concubina, vnde per coitum Euri cum Coro partus editur nothus & adulterinus, videlicet, ex mixtione naturarum contrariarum, atque itidem subsolani Fauonio, & Cæcias cum Africo; atque tunc oriuntur in nubium vtero perturbationes tonitruosæ. Est ergo coitus Septentrionalis cum Occidentali magis naturalis, vtpote qui cùm sint in frigiditate similes sese respiciunt, vt mas & fœmina. Hinc ergo hi duo venti à nobis haud iniuria tenebrosi dictitantur, quoniam ignea in ipsis supprimitur & diminuitur facultas; vt è regione duo illis contrarii lucidi & ignei nuncupantur, quippe in quibus vis ignea magis dominari cernitur:

Hæc ergo est causa, cur de ventorum Occidentalium effectibus ordine sequenti post illos ventorum Septentrionalium agimus. At verò cùm in cursu naturæ Aquæ elementum situm suum inter terram & aërem vendicare videmus, ita quidem ipsius in pyramide prædicta portionem, in regna sua, & partitiones tres diuidimus:

Occidens. 

Aqua.

F. Aërea seu spiritualis.
E. Aquea seu humoralis. } Consistentia in Imperio Occidentali seu aquatili.
D. Terrea seu corporalis.

Sciendum est igitur, quòd quælibet cuiuslibet pyramidis portio imperio aliquo ventoso seu elementari correspondens, tria elementa ipsi conuenientia habet; vti aër participat de igne ex suprema parte, & aqua ex infima, sit aqua de aëre & terra. Atque itidem terra de aqua & igne; similiter ignis de terra & aëre, per quam naturalem participationem, quodlibet eorum excludit suum contrarium; sic ignis munitus ex vna parte ab aëre, & ex altera ab aqua excludit suum contrarium aquam: cum aquâ & igne stipata terra descenditur ab aëre suo aduersario: sed hæ elementorum leges pacificæ procedunt à symphoniaca suarum radicum ventosarum ordinatione: nam videmus quòd ventus quilibet habeat suas alas; vnde euidens est, quòd eius alæ sint de natura Elementorum quas quilibet ventus, iuxta naturæ leges se habens, in se comprehendit. Sic quidem in Imperio Septentrionali Aquilo se habet ad Boream, vt ignis ad terram: nam participat Aquilo de ignea Cæciæ proprietate, vt vicissim Cæcias de terrea Aquilonis siccitate aliquantulum sibi vendicat; sic è regione, Circius se habet in latere Occidentali ad Boream, vt aqua ad terram, nam Circius inclinat parumper ad aqueam Occidentis dispositionem. Deinde in imperio Occidentali Corus se habet ad Fauo-

ad Fauonium, vt terra subtilis aquea ad aquam mediocriter spissam; nam Corus proprietatem terream à Circio mutuatur, atque iterum Africus, qui est ala Meridionalis ipsius cardinalis Fauonii, se habet vt aër nubilosus ad aquam: nam Africus aëream quodammodo naturam ab Austro-Africo habet. Tum postea in Imperio Meridionali Austro-Africus se habet ad Austrum, vt aqueus aër ad aërem mediocrem, nam ipse participat de aquea Africi dispositione, vt vice versa Euro-Auster taliter suum cardinalem Austrum respicit & munit in latere Orientali, vt ignis spissus aërem, nam ipse in naturam Euri parumper inclinat.

Denique in imperio Orientali Eurus se habet ad suum cardinalem Subsolanum vt aër ad ignem; nam Eurus participat de aërea Euro-Austri natura: vt ex latere Septentrionali Cæcias in eodem statu se habet cum suo principali seu cardinali Subsolano seu Apeliote, vt ignea terra ad purum & simplicem ignem: nam Cæcias communicat cum terrea Aquilonis conditione, vnde oritur extrema ipsius siccitas quam habet ex vna parte à natura ignea Orientis, & ex altera à proprietate Septentrionis terrea. Atque hoc modo habetis vnionem & catenam auream in naturæ ambitu periphericè delineatam in his sublunaribus, ad cuius perfectionem & præseruationem atque animationem agunt stellæ superiorum cum suis influentiis viuaciter: nam ☾ coniuncta cum Sole in Oriente terminare videtur primam suam quartam in Meridie, estque hæc eius quarta calida & humida, sed magis calida quàm humida: quarta verò eius secunda in Occidente finitur, eritque magis humida quàm frigida, nam ibi dominatur plenilunii dispositio: tertia eius quarta ad cardinem vsque Septentrionis se extendit, estque magis frigida quàm sicca: quarta verò in puncto coniunctionis eius cum Sole, in Oriente, à quo termino incrementum suum accepit, completur, estque magis sicca, sed minus frigida. Atque ita videtis, quomodo ipsa Luna, vtpote humorum seu naturæ mundi humidæ domina vires suas varieformiter extendat per vniuersum ventorum circulum.

Iam verò sciendum, quòd iuxta aliorum Planetarum in cœlo dominium & actum cum Luna & Sole varium, effectus à ventis producuntur varii: verbi gratia, Mars suum dominium non aliter in Oriente habet cum Sole quàm Luna in suo plenilunio cum Venere in Occidente. Hinc ergo orta est ignea ventorum Orientalium vis: hinc aquea & humida ventorum Occidentalium facultas. At verò in Meridie dominatur Iupiter, qui si Martis prædominantis insultibus & inuasionibus supprimatur, vel tristibus Saturni in Borea prædominantis intrusionibus impediatur, effectus quidem mundo infelices parturire cogitur. Saturnus ergo suam in plaga Boreali cum tristibus, rigidis & atris suis spiritibus in Septentrione sedem habet, & tunc temporis suas in aëre suo more vices agit, quando est in cœlo potentior & pluribus dignitatibus exaltatus. Denique versipellis Mercurius omnibus pro maiori cuiuslibet eorum in cœlo dominio se applicat, sed præcipuè se applicat Occidenti. Sed de his in causis efficientibus cœlestibus plura, Deo fauente.

His ergo ritè perceptis facilimum erit intelligere triplex esse cuiuslibet Imperii ventosi regnum, videlicet crassum, mediocre & tenue, & quasi terra, aqua & ignis, vel corpus, humor & spiritus. At quoniam à terra sursum factus à nobis est ascensus in Imperio Septentrionali; hic quidem in illo Occidentali, quod ad elementum aquæ respicit, meteorum aqueum cardinale & principale eligemus, vt in Imperio terreo Septentrionali meteoron terreum aliis præposuimus, videlicet Lepram, quàm fecimus omnium reliquorum meteororum morbosorum ex parte Septentrionis tam humoralium & spiritualium; quàm corporalium fontem, seu arcam thesaurariam. Pariter in isto Imperio Epilepsiam; seu morbum Lunaticum eligimus pro fonte seu radice meteororum insalubrium; idque propter eius in sua malitia excellentiam, & parentis seu prosapię à qua vitam & virtutem suam haurit nobilitatem: propter malitiam dico, quoniam præ omnibus aliis ex fonte aqueo seu Occidentali natis dispositionem quandam contagiosam præ se fert: nam quis ignorat Epileptici siue Lunatici spumam aliquid secum contagionis habere? & quod mediante ea quispiam sibi contagionem eandem contrahere possit? Deinde propter parentis à qua partus est hic morbus, videlicet Lunæ, dignitatem, à qua spiritum suum, siue dæmonium, ægrotum tam seueriter affligens, accepit.

Quod quidem in eo arguitur, quoniam spiritus possessum magis vel plenilunio vel nouilunio, sed præcipuè plenilunio inuadere atque affligere solet: quo demonstratur, quòd spiritus iste suam vitam, motum & virtutem hauriat à Lunæ præside: vnde haud inconsultè ab Euangelista ægrotus est nuncupatus *Lunaticus*. Vt igitur se habet fulgur ad nubem quam contrahit & format ex aëre pro suo vehiculo, seu tabernaculo, ita etiam se habet spiritus hic immundus ad vaporem crassum seu humorem aqueum viscidum, quem in spiritu humano fabricatur ex succo aqueo alimenti, & spiritu tam macro quàm microcosmico; qui


Nn quidem

quidem humor maiori condenſatione à natura mediocriter aquea in ſubtilem terream migrat, & ex iſta tumor, Oedematoſus & Leucophlegmaticus ortum ſortitur ſuum; mitiori tamen ſpiritu Lunati, & ad terræ ſiccitatem parumper inclinante in hoc meteoro quàm in illo Epileptico, operante. At verò ſi humor ille Epilepticus in ſua conſiſtentia permanſerit, ad Cori ſpiritus conſiſtentiam inſpiſſatur, atque ab eo non modo Epilepſia, ſed Apoplexia, Lethargia, Paralyſis, Conuulſio, Catalepſis, Sopor, & huiuſmodi alia meteora in ſpiritu microcoſmico inſalubria & periculoſa producuntur. Denique ſi in conſiſtentiam aquæ mediocrem euadat reſolutione ſubſtantiæ humoris Epileptici, facillimè aſſidua multiplicatione in naturam hydropicam euadet, & ſpiritu magis pacifico, licet magis guloſo & liquido, gubernatur. Denique ſi vlteriori adhuc reſolutione à ſpiritu magis æſtuoſo & Meridionali tractatur, in Rheumatis tenuis ſubſtantiam & defluxionem ſubiectum, & putrefactioni obnoxium reducetur.

Quare ipſam Epilepſiæ materiam eſſe omnium prædictorum morborum ſubiectum, tametſi effectus in operatione & formali differentia ſit varius, iuxta varietatem ſpirituum malignorum in ipſis operantium, vtpote quorum alii ſunt ſicciores, alii frigidiores, alii calidiores, alii magis aquei, alii terrei magis, alii rapaciores, & magis tempeſtuoſi, alii ad quietem & ſtupiditatem inclinati, &c. At omnes hi ſunt ſub ditione Lunæ, tametſi alii magis exactè de Luna participant vti ſunt illi Epileptici, qui non aliter ſe habent in ſuo phlegmatico tabernaculo in hominis ſpiritu fluctuante, quàm maris in plenilunio fluctus alicuius turbinis tempeſtuoſi rabie exagitatus. Alii de aliorum Planetarum natura participant. Hinc ergo vt Lunam fecimus fortiorem in cardine Occidentali, quippe in quo ipſa ſuo plenilunii ſtatu fruitur; & conſequenter cardinem iſtum elementi aquei ſedem non modo experientia, ſed etiam ipſa ratio eſſe ſuadet; ideo Epilepſiæ cùm ſpiritum immũdum, tum materiam quaſi nubem ipſam continentem Lunæ, & loco ſeu ſedi potentiæ Lunæ referre haud à nobis ineptè factum exiſtimamus.

Verùm videtur iſtiuſmodi dæmonium eſſe de natura Cori, & ex Angeli illius caterua in mundum inſpirari, & à mundi ſpiritu in illum humanum attrahi, vbi & quando Iehoua pro peccati punitione ei licentiam ingrediendi dederit. Sed hoc ab effectu ſic comprobamus, quoniam nimirum humor à ſpiritu illo in patiẽte collectus eſt quaſi ſemicongelatus, quemadmodum ex ipſius euomitionibus ſæpius animaduertimus. At experientia docet, quòd Cori afflatus producere notantur niues & grandines pluuia mixtas, hoc eſt, aquam craſſam & quaſi terream. Hîc ergo expreſſimus materiam Epilepſiæ in ſuas regiones ſeu regna, videlicet ſecundùm denſam Cori naturam, pluuiam grandine & niue mixtam producentis: deinde ſecundùm Fauonii diſpoſitionem temperatam, in qua ſpiſſa Cori natura ſeu conſiſtentia in mediocrem aqueam redigitur: denique in Africi conditionem magis calidam, qua mediocris Fauonii conſiſtentia magis adhuc attenuatur, & in Rheumatis magis ſubtilis & penetrantis conſiſtentiam reſolutione alteratur.

Quàm latè ſe extendat materiæ Epilepticæ dominium.



His

His itaque in istum modum dispositis ad Epilepsiæ seu morbi comitialis, siue Lunatici descriptionem saltu quidem leui sic descendimus.

CAPVT II.

De Ethnica Epilepsiæ descriptione, & quàm sit illa à veritate hac in re longinqua: denique quænam sit inter descriptionem illam sacram, atq; istam Ethnicam discrepantia, hoc in loco expressum reperietis.

ADmiratione haud exigua rapi possum, quòd Medici Ethnici, qui in profundo Philosophię meditullio seu abysso immergi videntur atque iactitant, ipsam causam morbi materialem atque formalem assignantes, de iis magis essentialibus, videlicet de efficiente principali, aut de ipsius organo Angelico ne curauerint quidem. Verbi gratia: Epilepsiam in hunc modum definire videtur Galenus cum consensu Platonis & Hippocratis:

Morbus Comitialis est qui circa neruorum à capite descendentium, motumq; ac sensum vniuerso corpori distribuentium originem consistit, à pituita frigida, crassa & viscida factus, sed pituita cum atra bile mixta, in quo homo qui hoc malo detinetur concidit, quoniam ei mouendi sentiendiq; meatus obturantur, spumat iis os ob humorum commotionem, quæ à neruorum conuulsione prouenit; qua de causa quandoq; etiam vrina sine voluntate prorumpit. Hæc ille. *Introd. c 14. Loc. affect. l. 4 c. 2.*

Vel alibi sic:

Morbus Comitialis est qui fit à pituitosa materia, siue humore lento, crasso, frigido & pituitoso partes neruorum replente. *In Aph. 5. 8.*

Conuulsionem autem describit sic:

Conuulsio fit à repletione partium neruorum, qualis in morbo comitiali, quam faciunt humores lenti ac pituitosi, qui in partibus neruosis inserti sunt. *Aph. 5. 70.*

Porrò etiam Scotomiam siue caliginem oculis offusam & vertiginem agnoscit ipse esse vitia cognata morbo comitiali, & ab iisdem causis procedere, easdemque sedes possidere: hoc tamen dicit interesse, quòd *hæc superficie corporis, non intus consistunt.* *Introd. 14.*

Præterea propinquitatem Apoplexiæ & Soporis tam vigilantis quàm non vigilantis cum morbo comitiali in his exprimere videtur: *Inter soporem* (inquit) *& Apoplexiam est morbus comitialis medius; conuulsionem afferens vniuerso corpori, sed in Paralysim non finitur. Horum trium morborum frigidus, crassus & viscidus humor est causa: verùm in morbo Comitiali ventres magis, cerebri corpus minus, in Apoplexia corpus eius magis affici solet, & in sopore anterior pars magis: in Apoplexia & Epilepsia vtraque: in Catalepsi verò, & vigilanti sopore Catoche dicto posteriora cerebri magis molestantur: per soporem palpebræ clauduntur; in Catoche manent apertæ, &c.* Quibus denotare videtur, quanta sit ipsorum ad Epilepsiam relatio: at verò eminentior est Epilepsia, quippe in qua agnoscit ipse inesse vim quandam contagiosam; imò verò vim quandam diuinam huic morbo adesse, tametsi è longè & quasi per obscuram nubem percepit; vnde inquit alibi: *Morbus Comitialis, qui & morbus sacer dicitur, &c.* Atque *alibi* quid diuini inesse Epilepsiæ est fassus. Quo videre licet, quòd cùm eadem sit horum omniũ morborum causa vnica materialis & sede haud differens, atque quòd Epilepsia etiam dignitate ipsis præcellat; necesse habemus credere, ipsum in hoc imperio Occidentali principis titulo insigniri, & super omnes istos respectum habere, atque sedem superiorem sibi haud iniuria vendicare. *Loc. affect. l. 4. c. 2. Introd. c. 14.*

Nec quidem ab ipsius subiectione distraxit Lethargum, quem sic descripsit Galenus:

Lethargus est profunda in somnum dilatio & inexcitabilis, ex pituita seu humore frigido orta, in qua omnia quæ dicunt obliuiscuntur, febrisque concomitari solet: locus autem affectus est in membranis cerebri. *Introd. 17.*

Hîc ergo videtis atque percipitis, Lethargum conuenire cum Epilepsia in causa eadem materiali, in communi loco affecto, in obliuione vtrique morbo contingente.

Similiter stupor atque Paralysis haud dissimilem habent cum morbo Comitiali relationem, vtpote qui ex eadem causa, & cum motus membri sensusque ablatione prouenire solent, de quibus Galenus sic:

Stupor & partis resolutio fieri potest propter humoris crassitudinem, videlicet ex crassa & lenta pituita: fit ergo ex pituitoso simul & melancholico humore. *In Aph. 7. 40.*

Et *alibi* agnoscit, quod torpor sit leuis Paralysis.

Hanc eandem causam materialem, pituitam videlicet vel crassam & lentam, vel mediocrem & in forma aquæ vel subtilem & magis vaporosam esse reliquorum morborum in distinctio-

stinctione supradicta expressorum subiectum, videlicet Oedematis & Scirrhi plegmatici. *De tumor. prćt. nat. cap.* 10. Leucophlegmatiæ *in Aphor.* 7. 71. Rheumatis & Catarrhi *Introd. c.* 16. *Aphor.* 3. 16. &c.

Quibus ritè contemplatis, facillimum erit percipere, quàm superficialis sit Galeni atque etiam Hippocratis doctrina in verâ morborum causarum inquisitione, vtpote qui circa sensum magis versantes nihil pro morborum causis posuerunt, præterquam quod aut contactui, aut visui, aut gustui apparebat: videlicet ideo pituitam causam Epilepsiæ solam fecerunt cum frigiditate sua, atque etiam cæterorum morborum: de mystico verò in ipsis actu seu effectore, vel organico, seu Angelico, vel principali, mediante quo pituita talis conditur in illam formam, aut magis in hac hora perturbat quàm in illa, aut qua ratione post talis pituitosæ materiæ euacuationem iterum immediatè in corpore reconditur, seu more telæ araneæ retexitur; aut quo actu vel impulsu tam violenter atque vltra expectationem humanam mouetur, ægrotive spiritum iactitare assolet, ipsos penitus latere videtur. Nec quidem fictæ eorum de spumæ Epilepticæ ortu opiniones satis existunt validæ, vt earum allectationibus Philosophus aliquis maturiori & magis seria consideratione fundatus, ipsis fidem solidam adhibere persuadeatur: nam quis sibi constans adeo stolidus euadere potest, vt credat spumam istiusmodi posse ob humorum commotionem, quæ à neruorum conuulsione prouenit oriri, atque generari? Certè requiritur ad talem actionem effector magis internus, ac momenti longè excelsioris, quàm est illa actio magis occulta & interna.

Nec quidem in hoc minus est Galenus deceptus, quàm Aristoteles, qui facit nubium causam agentem ipsum frigus mediæ aëris regionis vapores à terra & aqua ascendentes in talem formam congelans, & ipsa fulgura in nubibus comprehensa ex exhalationibus igneis per antiperistasim & nubium concussionē, hoc est fortuitò accensis: quum rei veritate Scripturæ sacræ agnoscant, hoc totum à Iehoua mediantibus suis Angelis ventosis & ministris igneis ad exitum produci.

Sed quidem hoc idem quodammodo asseuerare videtur Galenus, in morbi Comitialis ortu agnoscens ipsum dici à Platone & Hippocrate *morbum sacrum.* Et quare? Anne sine causa iusta & idonea? Quid? Nonne etiam fatetur ipse *alibi*, quòd in hoc morbo sit aliquid diuinum? At si quicquam diuini, ergo ab illo proculdubio debet centralis, imò verò vnicus istius morbi actus procedere: at Deus corpus ægrotantis percutere & affligere solet mediãtibus Angelis suis, quorum est tales Dei ordinationes exequi; qui tametsi nobis appareant mali, tamen à Deo ad istam suam voluntatem obeundam creati sunt, iuxta illud Esaiæ: *Ego creaui interfectorem ad disperdendum.* Anne putat quispiã, quòd in mortuo humore phlegmatico, vel in frigore humoris pituitosi sit animalis tanta virtus, & quasi rationis instinctu prædita, vt hominis spiritum per paroxysmos & iusto temporis momento actionem quasi vitæ deficientis nouam induere queat? Si hoc ita se haberet, cur non etiam ratione tali afficiuntur similes in aliis corporibus humores, qui sunt eiusdem speciei spissitudinis & frigiditatis gradus cum illo? Nec sufficiet quidem ob istam eãdem rationem, vt quis dicat hoc propter Lunæ influentias fieri: nam si hoc esset, videlicet quòd aliquis Lunæ status possit exsuscitare quasi rem mortuam & vita destitutam, cuiusmodi est humor in corpore lentus & viscidus, tunc quidem quodlibet corpus eandem Lunæ proprietatem mediante tali Lunæ operatione gustaret, quod nihilominus non accidit.

Et licet quis fortasse maris in plenilunio cursum allegaret, diceretq; aquam marinam esse quasi rem mortuam, & tamen à Luna viuificari. Respondemus hoc ab illa mundi anima fieri quæ in Lunæ plenilunio efficit, vt generalis mundi humor vigeat & augeatur in suo fluxu, quod quidem in stagnis & fluminum latice non accidit. Nec quidem fit ille maris fluxus tam elatus nisi ob spirituum Lunariorum actiones, qui in plenilunio sunt in suis fortitudinibus & exaltationibus. Atque est quidem Epilepticus iste spiritus, seu vnda Comitialis quæ eleuatur & fluctibus tantis iactatur mediante aliquo ex istis spiritibus, qui in humores hominis clanculum permissione diuina irrepserit; vti ex descriptione ista nostra fontis sacri testimonio statuminata apparebit luculentiùs.

In primo verò loco vos scire velim, quòd morbum illum quem Galenus vocat morbum Comitialem, morbum sacrum, Epilepsiam, &c. nos iuxta textus sacri leges morbum vocamus Lunaticum; idque haud inconsultè, quoniam Lunæ cursus obseruare solent ipsius motus (vt dictum est.) Hinc ait Euangelista: *Domine miserere filii mei, quia Lunaticus est, & malè patitur.* Sic ergo eam describimus: *Matth. 17. 15.*

Morbus Lunaticus est plaga à Iehoua per spiritum aquat. lem, seu de ordine Occidentis immundum, spiritui humano ob peccati pœnam inflicta, in qua dæmonium allidit, dissipat, dilaniat, & in terram sternit patientem cum spuma, stridore dentium, & ariditate.

Vel

Vel in hunc modum.

Morbus Lunaticus est meteoron quoddam turbinosum, ab Adonai, per afflatum spiritus immundi & aquatilis in proprietate Occidentali spirantis, tempestuosum, propter peccatoris punitionem productũ, in quo ægroti spiritus certis Lunæ statibus, sed præcipue plenilunio, instar turbinis à dæmonio iactitantur & conturbantur, & ipsi percussi & elisi in terram, spumantes, & cum stridore dentium quasi mortui volutantur.

Vel ipsum sic describimus.

Morbus Lunaticus est quædam peccatoris diuina permissione percussio à spiritu surdo, muto, immundo, atq; ex proprietatis Occidentalis ordine aquatili facta, in qua vbicunq; ægrum apprehenderit spiritus seu dæmonium allidit illum, & spumat, & stridet dentibus & arescit, caditq; instar mortui in terram, & frequenter in ignem vel aquam proijcitur vt inde perdatur.

Pro confirmatione harum trium ipsarum vnam atq; alteram vicissim examinabimus. Ad primum primæ membrum quod spectat, non vobis videatur alienum si istum vocamus Lunaticum, quia ab Euangelista ægrotus nuncupatur *Lunaticus*, idque haud inepte aut sine maturo iudicio, cum morbi istius paroxysmi sequantur nouilunij & plenilunij status, deinde plaga recte dicitur quatenus est percussio quædam à ministris Dei facta. At membrum eius secundum statuminare videtur iste textus. *Spiritus potentiæ Dei, seu spiritus virtutis stabit contra eos, & tanquam procella venti iactabit eos.* Sic malus spiritus Iehouæ dictus est fuisse in Saule. Et ad hoc etiam pertinere potest iste prophetæ sermo. *Ecce turbo Domini, furor indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos, &c.* Sap. 5. 24. Ierem. 30. 23 Psal. 78. 45.

Vnde liquet, quod à Iehoua fit ista plaga per Angelos malos quasi organa: quod autem causa materialis sit aër de natura & proprietate Occidentis, ex membri consequentia liquet. Quod autem causa efficiens organica sit spiritus immundus per quem Deus agit, & imprimis quod sit de proprietate aquatica, innuere videtur dictum Matthæi, quo patiens dicitur *Lunaticus*: at Luna est planeta aqueus, frigidus & humidus: ergo necesse habemus credere quod spiritus sub ipsius ditione sint tales.

At quod spiritus immundus Epilepticus sit talis in eo notatur, quia à Lunæ fortitudine suas deriuant atq; hauriunt vires. Quod autem sit in conditione spirituum aquatilium procreare febres, patet ex ista Pselli assertione. *Aquatilis generis dæmonum est morbo comitiali dementiaque vexare.* Et *alibi, Dæmonum genera aquatilia nihil excogitant sapienter vt illi aerei, nec quicquã astu, vt illi, facile peragunt, nisi quod molesta tamen & valde turpia sunt, & Charonæi spiritus more lædunt, & naturales habitus peruertentes sæpe etiam igne, aqua, præcipitio perdunt. Hoc genus cum illo terrestriũ mutum, surdumq; vocatur, neq; discedit ab occupatis nisi diuina potestate propulsum, oratione videlicet, ieiunioq; accedentu. Et quamuis medicorum sectatores asserunt paßiones eiusmodi non esse affectus dæmonum sed humorum, vaporumq; & venti male sese habentium, tamen nihil mirum est hæc medicos dicere, qui nihil nouerunt præter sensum, sed corporibus tantum incubuerunt cognoscendis. Illa fortasse decebat malorum humorum putare incommodi, capitis somniferam grauitatem, atræ bilis angustias, phrenitidis deliramenta, &c.* Hæc Pselli & Marci sententia. Psell. de dæmon.

Sed & totum hoc ex sententia Euangelistarum, simul ac reliqua descriptionum nostrarum formalium membra confirmata atq; demonstrata habemus. Ait Euangelista Matthæus, *Domine, filius meus est Lunaticus & male patitur, nam sæpe cadit in ignem & crebro in aquam, &c.* Quo arguit quod hic sit morbus caducus, communiter dictus morbus comitialis seu Epilepsia; tum quia sequitur cursus Lunæ, tum quia inuadente paroxysmo cadunt. Nota autem quod in hoc Euangelista dæmonium factum est causa efficiens organica supernaturalis. At Euangelista Marcus de curationis morbi istius historia hæc addidit, *Attuli ad te filium meum habentem spiritum mutum, & vbicunque eum apprehenderit allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & cum Christus vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans, & frequenter eum in ignem & in aquam misit vt eum perderet: & comminatus est Christus spiritui immundo, dicens, surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, &c.* In quo loco integram causam formalem nudis & expressis verbis habetis. Denique istam historiam videtur Lucas in istis commemorare; *Ecce spiritus apprehendit filium meum & subito clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma & vix discessit dilanians eum. Et cum accederet, elisit eum dæmonium, & dissipauit, &c.* Ex dictis ergo Marci patet quod spiritus Epilepticus sit spiritus mutus & surdus: de quo dæmonum genere egit Psellus *in supra dictis*. Deniq; integram prædictarum descriptionum nostrarum vim ex hisce scripturarum locis intueri fas est. Matth. 17. 15. Marc. 9. a. 21. Luc. 9. 42.

In secunda vero descriptione Deum istius mali, seu morbi authorem *Adonai* dictitauimus, eo quod Adonai sit agnomen Dei seueritati assignatum, & quasi in dominio & oppressione versatum: quod nomen à proprietate iuxta Cabalistarum doctrinam præest numerationi Sephiroticæ, seu emanationi lucidæ decimæ, cuius influxus penetrant & feruntur

ad ſphæram Lunæ, cui cum ſuis legionibus, quarum princeps eſt Gabriel, præeſſe putatur à Cabaliſtis: vnde etiam nomen *Adonai* ſpirituum aquaticorum præſidem & imperatorem fecimus.

Verum enimuero dicet (ſcio) aliquis, Imo vero hic morbus non eſt Epilepſia, ſed poſſeſſio quædam dæmoniaca: nam ſi hic morbus eſſet ille medicorum comitialis, quare etiam non numerauit Scriptura alios morbos quibus dæmonia pro cauſis eorum internis efficientibus aſſignantur? Huic ego ſic. Certe plurimi numerantur in textu ſacro morbi quibus dæmonia aſcribuntur pro cauſis efficientibus: verbi gratia, *Obtulerũt ei omnes dæmonia habentes, & Lunaticos, & paralyticos, & curauit eos:* at vero Lunatici habebant dæmonia pro ſua cauſa efficiẽte ſupernaturali, teſte diſcurſu præcedenti; Ergo & paralytici. Porro *alibi, de ſpiritu infirmitatis quem habebat mulier annis* 18. *& erat inclinata, nec poterat ſurſum reſpicere: cui Chriſtus, Mulier dimiſſa es ab infirmitate, &c. Et confeſtim erecta eſt.* Iterum videtur *alibi* textus aſſerere, quod *per dæmonia homines muti & cæci ſint facti. Tunc oblatus eſt dæmonium habens cæcus & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur & videret.* Quibus patet, quod homo fit mutus & cæcus à dæmonio. At vero ſi peccatum ſit per immũditiem immundorum ſpirituum, certum eſt ipſam Paralyſim eſſe etiam à dæmonio ſeu ſpiritu immundo: vnde Paralytico dixit Chriſtus, *Remittuntur tibi peccata.* Denique quod ipſa etiam febris fiat à malo ſpiritu, videtur ex his textus verbis, *Increpauit Chriſtus febrem & reliquit illum.* Sic in Epilepſia ſeu Lunatico morbo, *Increpauit Ieſus dæmonium & reliquit eum.*

Matth. 4. 24. *Luc.* 13. 10. *Matth.* 12. 22. *Luc.* 4. 38. *Matth.* 17.

Sed iam de illis morbis, qui ſub Epilepſia comprehenduntur, verba faciam perpauca.

CAPVT II.

De illis meteororum Occidentalium ſpeciebus, quæ ſub morbo Lunatico, ſeu Epileptico comprehenduntur.

CÆteræ meteororum morboſorum ſpecies quæ ſunt ex parte Occidentis & ſub Epilepſia ſeu morbo Lunatico comprehenduntur, quoniam à ſui principis natura in cauſa materiali, efficiente & finali non differunt multum, præter quam quod ſpiritus immundus agens, formam & ſpeciem morbi ab ipſa Epilepſia, iuxta differentiam aquatilium dæmonũ aliquantulum variare facit: haud plane modo diſſimili reſpectu materiæ, actus & finis deſcribi poſſunt. At vero quoniam Conuulſio vniuerſalis eſt ipſa Epilepſia, ergo vna eademq; definitio facile vtriq; conuenire poteſt: verum ſi iſta conuulſio ſit ſpaſmus quidam particularis, tunc quidem in cauſa formali ponenda eſt differentia: nam ambæ hæ infirmitates ab vna eademq; cauſa materiali, & agente ſeu efficiente tempeſtuoſo & turbinoſo procedunt, ſic volente Iehouâ.

Vt ergo cum regno Imperij Occidentalis corporali incipiam, vos ſcire atque intelligere velim, quod quo magis ſpiritus percutiens conſtringit & ligat humores in maſſam ſolidam, eo quidem eius proprietas tendit ad Septentrionalem naturam & diſpoſitionem: & ſi in Imperio Occidentali talem efficit effectum, certe vel ad Circium partim & Corum ſpectat: nam vt humor afflatu Cori inſpiſſatur, ita quidem Circij proprietas eſt inſpiſſatum indurare. At hic obiter conſiderandũ putamus, ꝙ vt in mundo ſunt tria elementa materialia, videlicet terra, aqua, & aër, ita quidẽ quodlibet eorum eſt in quolibet, & forma ignita in omnib. In imperio ergo Boreali, vtcunq; in ipſo manifeſte prædominatur terra, adeſt tã aër q̃ aqua, & conſequenter in eo tanquam peregrini inhabitant ſpiritus tam aërei & aquei, q̃ terrei, qui ſunt de iſto Imperio quaſi populi connaturales. Hinc ergo eſt, quod iſtud Imperium diuiſerimus in regna tria; videlicet in regno ſpirituali ſpiritus Boreales aërei præualent, in illo humorali, aquei Boreales, & in terreo ſeu corporali, terrei, quos Pſellus cum ſcripturis conueniens vocat *terraneos, ſubterraneos & lucifugos, ſeu ſpiritus tenebrarum.* Quare dicimus, quod ſi ſpiritus aquatiles plagæ Occidentalis ſint de proprietate Borealium, tunc conſtringunt & indurant ſuo more; vt ipſis accidit qui ſub Coro ſunt & ſpirant: at ſi cum aliquo terrenorum communionem habent, congelant ſine magno ſenſu vti in Oedemate, Scirrho phlegmatico, & Leucophlegmatia patet. At ſi cum Lucifugo, qui in frigiditate extremus eſt; cum ſtupore & torpore afficit. Hinc ergo Oedema in hunc modum deſcribimus.

Oedema eſt plaga ex ſubſtantia aquea à Iehoua per ſpiritum Occidentalem ad proprietatem Septentrionis vergentem leuiter coagulata, quam comitatur tumor mollis, laxus, & doloris expers, & ſic in cæteris.

At vero ratio cur Apoplexiam, Paralyſim, ſtuporem, & ſoporem in iſtud Imperium intro-

introduxerimus, cum sint antea in Imperio Septentrionali prolata, est quoniam eorum quæ ex melancholia terrestri Septentrionis, quædam ex aqua crassa & viscida Occidentis fiunt quoad materiam per spiritus tales. Quod autem spiritus efficientes sint talis naturæ, in qualem dicta meteororum illorum substantia redigitur, videlicet in sua proprietate magis astringentes seu relaxantes, quoniam materia in quam agunt est magis astricta, compacta & coagulata, vel relaxata, resoluta & mollis, in eo liquet, quoniam quod facit tale est magis tale: at materia aquea in formam talem est redacta: ergo euidens est quod spiritus taliter materiam alterantes sint vel magis Septentrionales vel Occidentales in sua natura & proprietate. Hinc ergo est quod si materia Paralysis sit ex melancholia magis terrea, referri debet ad Septentrionem; & ad actum spirituum talium: at si præualet in ea gelida & liquida Occidentis materia, tum ipsam Occidenti ascribimus. Sed hoc expresse arguunt ista Galeni verba. *Stupor & partis resolutio fieri potest propter humoris crassitudinem, videlicet ex crassa & lenta pituita: fit ergo ex pituitoso simul & melancholico humore.* Hæc ille; ac si dixisset, quod si aqua seu humor Occidentalis cum illo Boreali misceatur, stuporem vel paralysim procreare potest, hoc est vnione substantiæ regni masculini siue Borealis cum fœminina seu Occidentali. Atq; hoc idem de Epilepsia, Apoplexia, sopore, cum huiusmodi alijs est intelligendum. *In aph. 7.40*

Paralysim vero in hunc modum describemus.

Paralysis est impedimentum operum seu functionis motiuæ à Iehoua per spiritum Occidentis relaxantem propter peccati flagellum procreatum, in quo vt plurimum occlusum est os, & ita dissolutus est æger, vt ne verbum possit loqui, & haud raro cum tormento magno mortem affert.

Hæc descriptio tam Apoplexiæ quæ est Paralysis totalis, quam Paralysi seu hemiplegiæ conferri potest.

Probatur ergo ista ex textu sacro sic. *In illo tempore percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi nec vltra potuit loqui verbum, & mortuus est in tempore illo in tormento magno.* Et alibi textus ait, *Domine, puer iacet in lecto Paralyticus & male torquetur.* *1. Macab. 9. 55.* *Matth. 8.6.*

Denique in regno huius magis spirituali, & quasi ex subtili substantia morbi Lunatici est Reuma cum suis associatis, vt in regno mediocri Hydrops: de quo agit *Luc.* 14. 2. De quibus omnibus hic formaliter agere foret & nobis & lectori tædiosum: quare ad Imperij Meridionalis descriptiones descendam.



MEM-

MEMBRVM HVIVS LIBRI TERTIVM,

In quo meteora Meridionalia formaliter cum suo toto describuntur.

CAPVT I.

De meteori Imperialis in plaga Meridionali electione; & quod Pestis, siue Pestilentia primum inueniatur, in seuera vindictæ Iehouæ exequutione, locum possidere: quid Galenus de plaga ista meteorologica existimauerit.



AD tertiam pyramidis antedictæ portionem, seu Imperium mundi sublunaris Australe, iam accedimus, quam portionem in tria distinximus regna seu portiunculas sic.

Meridies



Aer. I. Aërea, seu spiritualis. H. Aqua, seu humoralis. G. Terrea, seu corporalis. } Consistentia in Imperio Meridionali seu Aëreo.

Atque ratione loci & dignitatis istius Imperij, à summitate est incipiendum, & in eo regno princeps meteorologicus spiritualis inueniendus, quemadmodũ in illo Occidentali in regno aqueo seu medio inter aërem & aquam, meteoron medium, videlicet morbũ Lunaticum, qui est meteoron humorale seu aqueum: atque in illo Septentrionali in regno terreo seu infimo, meteoron conditionis seu constitutionis infimæ, seu corporale, videlicet Leprã, inuenimus. In hoc ergo Imperio Meridionali meteoron illud magis eminens & reliquis illius Imperij fortitudine præponendum serio quæsiuimus, ac tandem nullum tam ab ipso Iehoua pro punitione peccati magis esse acutum, efficax & penetrans, & se in populum ingerere magis aptum, atq; ipsis hominibus formidabile atq; horribile inuenimus quam est Pestis, siue Pestilentia, quæ ex summo montis Meridionalis, quasi supremus malignitatis & cõtagionis flosculus colligitur, seu ab ore afflatu dæmonij maligni venti Australis custodis expiratur:

Est ergo Pestis principale, imo vero Imperiale omnium meteororum Australium caput, vtpote in quo cætera insalubria tam contagiosa quam non contagiosa tanquam in arca reseruantur: nam vt ex aëre seu vapore corrupto nubes pluuiasq; fulgure mixtas corruptione & contagione plenas oriri, atq; tum postea ab ipsis sanguinem, ranas, muscas vel alia animalia ex corruptione in nubibus præter naturæ rationem generari quandoq; cernimus, quorũ corruptionem contagio pestifera sequi animaduertitur, vti in plagis Ægyptiacis testabatur experientia, atq; et à recentioribus exemplis habemus confirmatum; ita quidem vapor pestilentialis quandoq; concrescit in humore purulentum, cuiusmodi est sanies vlcerum pestilentialiũ, & fluor virulentę gonorrheæ, & pus in phthisicis, & sanies vel ichor vlcerũ morbi Gallici, &c. Atq; ille iterum humor in carbunculos, vel bubones quasi in corpora venenata atq; contagiosa coagulatur. Vnde sat euidens est, quod visibilia ista posteriora fuerint prius ex inuisibili corrupto procreata, videlicet ex peste siue aëre pestilentiali & corrupto.

Videamus ergo in primo loco quid Galenus de isto Imperiali & belligeranti tyranno atque de ipsius ortu est opinatus, & qua definitione ipsum definire aggreditur.

In definitionibus ipsius medicis hoc meteoron malignum & inuisibile multis descriptionib. insignire aggreditur, Verbi gratia; in vno eodemq; loco has Pestilentiæ definitiones protulit.

Finit. med. cap. 7. *Pestilentia est morbus qui in omnes aut plurimos grassatur ab aëris corruptione proueniens, & fit vt quamplurimi intereant.*

Quam

Quam sterilis & pauperrima sit ista à viro tanto, qualis est Galenus in æstimatione medicorum Christianorum, vestro (Lectores) relinquo commendoque iudicio: cum etiam hæc eadem descriptio aliis morbis etiam Epidemicis, cuiusmodi est febris purpurata, variolæ, & morbilli, lippitudines, pleuritides, conuenire queat: atque tanta etiam incertitudine, & sine certa limitatione eam *alibi* in his paucis definit.

Pestis est Epidemia perniciosa. — In Hipp. de vict. rat. comm. 1.9.

Ac sic tales etiam non erant Hæmorrhoides, videlicet populariter grassantes, quas Iehoua misit & posuit inter Azotios, ex quibus mortui sunt magna multitudo hominum. Tum *in prædicto loco* sic pergit. — 1. Reg. 5.

Pestilentia est communis affectus plurimorum qui sub idem tempus per vrbes, nationesq́; acuta pericula mortesque infert acutas. — Finit. c. 7.

Hæc ergo est adeo vniuersalis, vt aliis etiã prædictis morbis conuenire queat. Deinde sic.

Pestilentia est versura aeris, qua de re nec ordinem proprium seruent anni tempora, simulque plures ab eodem morbo intereunt. — Ibid. c. 7.

Aeris ait esse versuram, sed quo agente, seu efficiente hoc in loco non narrat. Verum *alibi* confiteri videtur istam aeris in peius mutationem fieri à diuturnis venti Australis flatibus qui sunt calidi & humidi. Verba eius sunt hæc. *Si totus annus sit calidus & humidus, necesse est magna pestilentia succedat.* Et Galenus *supra hoc Hippocratis. Annus Austrinus à ventis in totum silens*, sic. *Erant Cranone carbunculi æstiui, pluerat per æstum largo imbri, idque assidue, &c.* Quibus ventum Australem Pestilentiæ esse causam primordialem & agentem asserit; sed quia huius rei tam occultæ rei rationem nullam præter solam experientiam, neque ipse, neque eius magister Hippocrates intellexerunt, istud in sua definitione exprimere noluerunt, sed solummodo aeris mutationem siue versuram nominat. Verum enim vero in alio loco agnoscit Hippocrates cum Galeni assensu, quod *temporum mutationes magnæ soleant magnos morbos gignere.* At vero Galenus super eum locum dicit, *temporum mutationes fieri vel caloris vel frigoris, vel humiditatis vel siccitatis ventorum præsentia, aut horum defectu.* — De temper. l. 2. c. 4. Morb. vul. l. 3. com 3. Aph. 3. 1.

Aliter (vt mihi videtur) magis viriliter Pestilentiæ descriptionem aggreditur in hunc modum.

Pestis existit quædam tanquam bellua quæ haud paucos intermit, & ipsas ciuitates quoque totas depascens male conficit, quippe cum praua quædam aeris ad corruptionem promptam mutatio efficitur, homines cum inspirationis necessitate pericula euitare nequeant, ipsum aerem velut venenum quoddam ad se per os attrahunt. — De Theriaca ad Pisonem cap. 28.

In quo sermonis filo haud inepte dicit Pestem esse tanquam belluam, sed quia arcanum illud non intellexit, spiritum illum immundum & malignum hanc belluam animantem non expressit: non est enim satis dicere nubem tonitrua & voces dedisse, sed spiritum fulgureum & igneum nubem animantem hoc fecisse: sic enim transit subtilis & vix perceptibilis nebula venenoso maligni dæmonis afflatu referta, atque instar bestiæ rapacis animata, quæ tamen nebula nisi anima maligna afficeretur, neque moueri, neque malo contagioso tam lethaliter afficere potuit.

His ergo percipere potestis, quam mancæ sint istæ Galeni definitiones, vtpote quę rem ita se habere ostendunt, videlicet aerem in venenum conuersum esse, atque ita mutatum lethaliter ciuitates & nationes lædere, & plurimos interficere: sed internum tantæ malignitatis effectorem, aut causam eius rei efficientem tam principalem & primariam, quam organicam ideo ipsum minime exposuisse videmus, quoniam ad tanti mysterii fundum nunquam peruenere isti Ethnici. At quomodo (vos obsecro) possibile est vt quis morbum illum medicari queat, cuius causam primariam penitus ignorat? Nec satis est dicere aerem corruptum esse causam in isto morbo agentem, cum neminem mente sanum latere possit aerem esse causam morbi materialem, in qua lux maligna & venenosa agit & mouet, iuxta voluntatem diuinam, non aliter quam fulgur in nube, massa meteorologica ad mala in macrocosmo perpetranda animatur. Quare impossibile esse existimamus per humoris aut flatus ablationem morbum hunc curare, nisi causa eius interna agens prius auferatur, vtpote qua in corpore adhuc remanente nouum subito sibi aerem pro suo domicilio colligere potest, more araneæ, quæ vna tela ablata nouam protinus retexere solet.

Ad fontem ergo sacrum pro certiori istius mysterii enucleatione properabimus, vt ex ipso plenam Pestis, seu Pestilentiæ descriptionem hauriamus.

CAPUT II.

In quo Pestis, siue Pestilentia more certo & à sacris literis confirmato; describitur.

IAm vero ad sacrarum literarum sensum accedemus, vt exinde quænam reuera sit Pestis natura, & à quo principio interno proueniat, facilius elicere queamus. Ex ipso igitur sacrario hæc descriptionis membra collegimus.

Pestis est quædam sagittarum Iehouæ in proprietate sua Meridionali irascentis grauium & venenatarum in peccatorum pœnam, aere corrupto mediante, emißio, quarum æstuosum & contagiosum virus spiritum percußi ita ebibit & consumit, interiora sine vlla requie (Anthrace, Carbunculo, vel aliquibus vlceribus malignis quandoq; comitantibus) efferuefacit, & ventis seu flatibus elidit eleuat: imo vero & quandoq; sine sensu euidenti contaminat & dilaniat, vt marcescat in eo anima; ipsumque dies afflictionis non sine eminenti vmbra lethali poßidet.

Hic descriptionem habetis admodum largam & spatiosam, & quamuis quantitas videatur nimis turgida, tamen in ea nihil inuenietis nisi verum atque cognitu admodum necessarium. Verum dico, quippe ex literarum sanctarum authoritate confirmatum atque comprobatum.

Causam ergo materialem esse aerem sagittis seu spiritibus Iehouæ in proprietate sua Meridionali vulnerantibus & contaminantibus patet. Hinc ait Moyses, *Percutiet te Dominus æstu & aere corrupto &c.* Vbi videtis aerem esse causam materialem ex qua, vt Iehoua causa efficiens principalis, & sagittę eius organica à qua: Causa vero formalis per quam explicatur in his, *Quarum æstuosum & contagiosum virus &c.* ad finem vsque.

Deut. 48. 22

Efficiens vero principalis in his, *Est quædam sagittarum Iehouæ in proprietate sua Meridionali irascentis, &c.* Porro illa organica est sagitta Dei; vbi per sagittas intendit textus spiritus malignos & contagiosos, aereos, ex parte seu quarta Meridionali se habentes, quippe quæ est sedes dæmonum corruptione & putredine infestantium. Quod autem hi spiritus pestiferi in multis paginę sacræ locis sagittę Iehouæ irascentis sint, elicimus; vt infra latius & adamussim declarabitur.

Denique hoc membrum, *In peccatorum pœnam*, causam introducit propter quam.

Sed vt ipsius definitionem aliquantulum arctius adhuc contrahamus, eam sic describimus.

Pestilentia est plaga quædam mortifera ex aere corrupto orta, & à Iehoua in proprietate sua Meridionali (quæ Elohim Gibor dici potest) irascente, per mali sui Angeli seu dæmonis Meridiani afflatum homini ob peccatum inflicta, in qua ægrotans vt plurimum æstu contagioso laborat, interiora sine vlla requie feruent, ventisq; malignis (Anthrace vlceribusve aliis quandoque comitantibus) eleuantur atque eliduntur.

Sed ne vobis videatur adhuc ista definitio tædiosa, eam adhuc arctius in istum modum restrinximus.

Pestilentia est sagitta Dei volans in tenebris ab occursu seu dæmonio Meridiano proueniens, atque in peccatorum flagellum eiaculata, cuius toxico spirituali & æstuoso, plagaque seu ictus inuisibilis virulentia multa millia hominum hic atque illic cadere animaduertuntur.

Sed adhuc sic contractius.

Pestis est æstus seu iræ diuinæ in gentes peccatrices effusio, mediante qua consumptor instar ignis consumit eas.

Deut. 28. 22 In harum prioribus duabus causa materialis declaratur verbis expressis esse aer, idque probatur ex loco antea *Deuter.* 28. citato, vbi docemur ipsum Deum percutere improbos aere corrupto.

Iob 30. a. 16. Causa formalis in ipsis duabus primis expressa authoritatibus istiusmodi confirmatur:
Ibid. 10. *Nunc in meipso marcescit anima mea, & poßidet me dies afflictionis. Eleuasti me & quasi super ven-*
Ibid. a. 24. *tum me ponens elisisti me valde. Ad consumptionem meam emittis manum tuam; interiora mea effer-*
Iob. 6. 4. *buerunt absque vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis. Sagittæ omnipotentis in me sunt grauio-*
Deut. 32. 22 *res, quarum virus ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Atque alibi. *Igne ac-*
Iob. 2. 7. *censa est ira mea, impendam in eos mala, sagittas meas consumam in eos exesos antbrace & lue amarißi-*
Exod. 9. 10. *ma. Porro vlcus peßimum erat Iobo.* Atque vlcera & pustulæ malæ in afflictione & lue Ægyptia-
4. Reg. 20. 7 ca. Similiter vlcus seu carbonem Ezechiæ curauit Propheta massa ficuum.

Gen. 12. 17. Causa efficiens principalis ex his colligitur. *Flagellauit Iehoua Pharaonem plagis maximis,*

ximis, &c. Adiunget tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, &c. Immisit Iehoua pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, &c. *Si plaga afficiat Iehoua Aegyptum, plagis afficit & sanat*, &c. *Decede à populo isto, etiam nunc delebo eos. Iam vero egressa est ira, & plaga desæuit, fueruntque qui percussi sunt 14000. hominum &c. Ecce furor concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis*, & sic in cæteris multis. Vnde à nobis haud inepte dictum est in prima & tertia descriptione, quod Pestis *sit sagitta Iehouæ*; in secunda quod *sit plaga à Iehoua*, in vltima quod *sit effusio iræ diuinæ*. Quibus denotaui ipsum Iehouam, hoc est Deum essentialiter sumptum esse causam efficientem principalem à qua meteoron pestiferum initium suum sortitur, & *Elohim Gibor* in nomine diuino ad proprietatem æstuantem, in proprietate eius Meridionali & Orientali, vt mox clarius. Deut.28.21. 3.Reg.14.15. Isai.19.22. Num.16.45. Num 11.33.

Ex altera parte causa efficiens organica, seu instrumentalis est Satan quandoque, & nonnunquam spiritus Angelicus, mediante quo & per quem percutere solet: atque hæc causa organica à scripto sacro pluribus nominibus insignitur, videlicet quandoque dicitur æstus, seu Ira, Furor, Manus, Consumptor & Percussor Iehouę. Pro Ira sic. *Iam vero egressa est Ira, & plaga desæuit*; atque iterum, *Iehoua ira sua absorbet eos, quasi consumat eos ignis, &c.* Pro furore hæc. *Ecce Furor Dei concitatus in populum percussit eum plaga magna*. Pro manu ista. *Ecce manus mea erit super eos valde grauis, & erunt in hominibus vlcera & vesicæ turgentes, &c.* Sagitta. *Sagittæ omnipotentis in me sunt, quarum virus ebibit spiritum meum*: Consumptor. *Effunde æstus tuos in alias gentes quæ non cognoscunt te*: nam *Consumptor consumpsit Iacobum*. Percussor. Dicti sunt Angeli illi boni Iehouæ, quorum vnus percussit omnem robore validum in castris Assyriorum: & ille qui extenderat manum suam super Ierusalem vt disperderet eam. *Percussores, Angeli Domini percutientes & perdentes*. Atque etiam ipse qui percussit omne primogenitum Ægypti; & Satan qui percussit Iobum vlcere pessimo; *Percussores & deuastatores* quandoque dicuntur. Sed hoc melius ex istis Prophetæ verbis notatur. *Deo à Meridie veniente operuit cælum decor eius: antenit eum Pestis, & præcessit Anthrax ad pedes eius*: vel vt Hieronymus interpretatur, *Ante faciem eius ibit mors, & egredictur diabolus seu dæmonium Meridianum ante pedes eius, &c.* Quibus expresse arguit, ipsum Iehouam in proprietate sua Meridionali per diabolum, pestem seu anthracem lethaliter & mortaliter cum rebellibus agere. Sed & hoc *alibi* sic à Psalte quam clarissime. *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine seu tenebris vastante, ab occursu & dæmonio Meridiano, cadent à latere tuo mille & decem millia à dexteris tuis, &c.* Quo sermone arguit ipsam Pestem maligniter & lethaliter (aspirante dæmonio Meridiano à Iehoua ad hoc officium animato) à plaga Meridiei seu vento Australi procedere. Num 16.45. Psal.21.20. Num.11 35. Exod. 9.10. Iob. 6.4. Psal.79.5. 4.Reg.19. 3.Reg.14. a.15. Exod. Iob 2. Abakuk.3.3 Psal.10.11.

Porro etiam descriptio tertia expresse eodem contextu approbatur, & per pręcedentes etiam statuminatur.

Similiter quartam illam hoc loco ex Dauide confirmamus. *Irasceris in æternum? Ardebit velut ignis zelus tuus? Effunde æstus tuos in alias gentes quæ non cognoscunt te: nam Consumptor consumpsit Iacobum, &c.* Ex quibus solis verbis vltimam nostram descriptionem quam oculatissime depromsimus. Psal.79.5.

Denique quod causa finalis ipsius Pestis sit propter peccati punitionem seu correctionem, & quod sine peccato mortalibus nunquam accidisset tale flagellum, ex istis sequentibus colligere fas erit. *Flagellauit Iehoua Pharaonem plagis maximis propter concupiscentiam, &c. Si non facias & custodias omnia mandata Iehouæ, ipse adiunget tibi Pestilentiam donec consumat te de terra, &c. Immisit Iehoua Pestilentiam in Israel per Angelum suum deperdentem propter punitionem peccati Dauidis, qui suasu diaboli numerauit populum, &c. Manus Iehouæ erat aduersus Aegyptios propter inobedientiam Pharaonis, &c. Angelum suum mittit Iehoua ad excidendum omnem validum robore in castris Assyriorum propter peccati blasphemiæ, & superbiæ punitionem, &c.* Et Iob agnoscere coactus est peccatum fuisse afflictionis suæ causam. *Peccaui* (inquit) *quid faciam ô custos hominum? Quare posuisti te contrarium mihi? Quare non auffers iniquitatem meam?* Et alibi, *Qui operantur iniquitatem & seminant, dolores metunt, flante Deo perierunt, & spiritu iræ eius consumpti sunt.* Quod autem plaga Iobi esset Pestis ex istis patet. *Nunc venistis & modo videntes plagam meam timetis, &c.* Hisce ergo patet, quod non inconsulte dixerim in prima hac nostra definitione, in peccatorum pœnam. In secunda, Plaga ob peccatum inflicta. In tertia, Ob peccatorum flagellum. Atque in vltima, in gentes peccatrices, &c. Gen. 12.17. Deut.28.21. 3.Reg.14. a.15. 1.Chron. 21. 1. 4.Reg.19. Iob.7.20. Iob.7.8. Iob.21.& 23

Atque hac ratione omnia prædictarum nostrarum descriptionum membra testimonio literarum sacratum confirmata atque approbata habes.

Caput III.

De meteoris nonnullis principalibus ex parte Meridiei contagiosis, quæ humoralia sunt, atque ex aere corrupto seu contagioso producuntur.

DE capitali ipsius regni in Imperio Meridionali spiritualis meteoro, videlicet Peste, seu Pestilentia, & de ipsius Toto, *in præcedenti* fecimus mentionem: restat nunc vt de illis humoralib. ab aere corrupto, seu spiritu Pestilentiali, tam in suo latitudinis gradu contagiosis, verba faciamus nonnulla: nam vt *in supradictis* probauimus, Epilepsiæ spumam seu spumosam partem esse aquam subtilem pestiferam siue contagiosam; ita quidem terra immunda & contagiosa est Lepra immunda. Consistentia ergo Pestis terrea est de natura Leprosa, cuiusmodi, vbi vincit corrupta Meridionalis natura, est Anthrax seu Carbo, quæ quoniam in iis putrida & corrupta ignis dispositio plus viget quam illa terræ, admodum sunt pestifera, & ad distans contagiosa: horum enim spiritus iam coagulatus resolutione fit aer contagiosus: at si in humorem purulentum vel saniosum resoluantur, tunc aer ille pestifer ante resolutionem seu reserationem corpori coagulato inclusus & retentus iam redditur liberior, & facile ad distans inficere solet propter suam leuitatem & ignis pestiferi in eo exuberantiã. Hinc ergo est quod maius præsentibus imminet periculum dum saniosa sunt vlcera seu apostemata pestilentialia, seu papulæ variolarum purulentæ, quam ante ipsorum maturationẽ, & in humorem venenosum solutionem. At vero si vlteriori resolutione subtilientur & rarefiant, in aeris pestiferi consistentiam reuertuntur, ex quo erant prius coagulatione facta.

Nota autem obiter, quod illa coagulatio prima spiritus pestiferi in liquorem saniosum fit frigore Occidentali, vtpote cuius gradus est aeri proximus: at si fortior sit humoris illius constrictio & induratio, requiritur virtus Septentrionis constrictiua, & fit terra contagiosa, cuiusmodi est Lepra: sed quia in Carbunculo est plus ignis quam in Lepra, ideo ad distans magis contaminat. Pari respectu res sese habet in Bubone Venereo seu Gallico, in quo quoniam plus est aeris aquei quam ignis, is non lædit aut afficit ad distans, sed per solum contactum, etiamsi sit purulentus, cuius puris natura & consistentia est ipsa gonorrhæa, & sanies vlcerum Gallicorum, quæ non lædunt nisi per solum contactum, quoniam nimis tarda est ipsius virtus, & ad aerem inficiendum nimis obtusa, non minus quam ipsius Lepræ sanies quæ est magis liuida, melancholica & terrea. Gonorrhęam autem definimus sic.

Gonorrhæa est passio quædam ex sanguine corrupto (Iehoua in proprietate sua septica & Meridionali propter peccati plagam sic volente) producta, in qua semen patientis per singula momenta virgæ glandi adhæret, mentulaq; ipsius summitati concrescit humor.

Leuit. 14. a. 2. *Vir* (inquit Leuit.) *qui patitur fluxum seminis, immundus est:* & tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cum per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor.

Quod autem sit plaga à Iehoua pro peccati pœna, ex isto sequenti sermone colligere fas

Ibid. 15. Leu. 14. 19. & 25. est. *Qui faciet* (inquit textus) *vnum turturem pro peccato, & alterum pro holocausto, rogabitq; pro eo coram Domino vt emundetur a fluxu seminis sui &c.* Deniq; sanguis corruptus (qui in microcosmo est idem, quod aer corruptus in macro; nam sperma nihil est aliud, quã aer coagulatus) est causa materialis ex qua: formalis vero ex descriptionis consequentia elicitur. Atque hæc definitio conuenit tam Gonorrhææ illi virulentæ, quam non virulentæ.

Mulieris fluxum sanguinis facit etiam pagina sacta morbum immundum: at iuxta eius obseruationem distingui videtur in eum, quem patitur mulier quolibet redeunte mense, atque in illum quo infestatur multis diebus non in tempore menstruali: quem sic definimus.


Sanguis in mulieribus fluxus non naturalis est plaga quædam immunda ex sanguine vitiato a Iehoua in fluxili & penetrante sua proprietate Meridionali ob peccati flagellum ordinata, quã mulier patitur multis diebus non in tẽpore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinẽ fluere non cessat.

Ad confirmationem huius lege *Leuit.* 14. à 25. ad 31.

Quod autem hę duę passiones sint contagiosæ certum est & experientia comprobatum, videlicet Gonorrhæa Gallica & virulenta, atq; menstrua mulierũ, vtpote quorũ interna per potionum adhibitionem intoxicare solent, & quandoque Leprosum reddere, vt testantur authores fide digni. Est etiã morbus hęmorrhoidalis eiusdem conditionis, vt in prędictis est declaratũ abunde. Deniq; affirmamus solam putridam & corruptam aeris pestiferi constitutionem nullo ad naturam ipsius contagiosam habito respectu, esse omnium morborum putridorum fontẽ & originem, videlicet Pleuritidis, Empyematis, Anginæ, Peripneumoniæ, Lienterię, febrium omnium putridarum, quarum dispositio ex natura Meridionali dependet, Vermium, Apostematum, Vlcerum, &c.

Atq; ita in hunc modum leuiter & succincte meteororum Meridionalium descriptiones, & præcipue illorum principis (quem Pestem siue Pestilentiam statuimus) pertransiuimus.

MEM-



MEMBRVM HVIVS LIBRI QVARTVM,

In quo meteora Orientalia formaliter cum suo toto definiuntur, seu describuntur.

Capvt I.

Imperii Orientalis in sua regna diuisio: Principis, seu capitis istius Imperii meteorologici electio, seu inuentio, sub quo reliqua meteora microcosmi ignita subiiciuntur.



Am vero ad pyramidis ventosæ portionem, supremam, ad eius Conum vsque assurgentem pertigimus, in qua Imperium Orientale, seu elementum igneum suam sedem connaturalem habet. Atque hanc quidem portionem, vt prædictas tres alias in portiones tres in istum modum diuisimus.



Oriens — Ignis purus in Subsolano. / Aerea ignis pars, in Euro. / Terrea ignis, in Cæcia. — Ignis.

Vt ergo in Imperio Meridionali putredinem contagiosam sedem suam ideo habere asseruimus, quoniam illa plaga est calida & humida, & consequenter præcipua putredinis & contagionis parens, (nam putredo generari non potest nisi vbi est mutuum inter calidum & humidum commercium, nam actione calidi in humidum parturitur putrefactio) ita quidem vbi pura adest vis ignea, hoc est, vbi flat Subsolanus, contagio nulla aduenire potest, nec in terra ignea, seu afflatu Cæcii propter defectum humiditatis. At vero afflatu Euri, in quo aliquid humiditatis aereæ inest, febres quandoque purpuratæ seu maculatæ generari animaduertuntur. Iam vero diligenti de istius plagæ conditione consideratione præeunte inquirere debemus, quodnam ex meteoris fortius in ista plaga dominium habeat, atque supra cætera istius quattæ igneæ in suæ malitiæ dignitate eleuetur.

Seria igitur de hac re inquisitione facta inuenimus quidem *Febrem Ardentem*, seu *Causon* esse in isto Imperio supra omnia alia meteora insalubria dominum. Atque hoc in eo magis confirmatur, quoniam vt Lepra in proprietate sua seu septentrionali, & Epilepsia in Occidentali, & Peste in Meridionali quasi plagis præcipuis & electis ad vindictam pro peccato capiendam vtitur Iehoua; ita quidem ex parte huius, seu in proprietate sua Orientali, seu æstuosa atque iracunda, Febre ardente impios pro eorum inobedientia percutere assolet. Quod quidem testatur Moyses in his. *Percutiet te Iehoua tabe calida & æstuante ac vrente febre, & siccitate ac vrigine, &c.* Est ergo febris ardens ignea & sicca atque sitibunda, caput seu dux ille, sub cuius ditione reliqua ignei Imperii meteora, siue spiritualia, cuiusmodi sunt febres omnes in spiritibus, & illæ flatuosæ, atque etiam meteora omnia in regno humorali, tam febrilia, vt Phrenitis, Delirium, &c. quam nulli febri coniuncta, vt est morbus regius, inflammatio partis, intemperies sicca, &c. Denique ea quæ regno corporali subiiciuntur, siue sint cum Febre, siue sine febre, cuiusmodi sunt Deut. 28.20.

Carbo non pestilens, Erysipelas, Herpes erodens, Parodires, & omnia alia vlcera & apostemata ex spiritu igneo procreata. Ad istius ergo in Imperio Orientali Domini inquisitionem vt reuertamur, quæ sit Galeni & Hippocratis de ipso sententia, & qua ratione eum describere sint aggressi, paucis declarabimus.

De Meth. Med. c. 1. l. 8. In generali sua febrium descriptione hæc ait Galenus.

Febris est intemperies illa in qua ita immodice in homine acutus est calor vt hominem offendat & actionem lædat.

At vero *in Introductione sua medic. & Finit. med.* plures febrium descriptiones generales profert, quarum præcipuas hoc in loco repetemus.

Introd. c. 12. *Febris est natiui coloris in ardentiorem conuersio, eo quod intro auersus perspirare prohibeatur, vnde calor intensus & intolerabilis ei accidit, pulsusque in principio accessionis languidus, inæqualis, creber, in statu vero vehementissimus.*

Vel sic:

Finit. 10. *Febris est cordis arteriarumque caliditas præter naturam, vitalem facultatem lædens.*

Ibid. 10. Vel sic:

Febris est redundantia caliditatis morbosæ sese efferentis, cum pulsuum id genus mutatione vt frequentiores & vehementiores euadant.

At hæc sunt magis generales: illam vero febrem capitalem quam elegimus super meteora huius Imperii cætera principem sic efficacius & liquidius.

Ibid 10. *Causus, id est Febris ardens, est quæ cum feruore multo fit, nullam requiem corpori præbet, linguam desiccat, denigrat, frigidæ desiderium affert.*

Hæ sunt descriptiones Galenicæ quas sequi videnrur Medici in Christiana religione enutriti, minime percipientes suum præceptorem nullam essentialem in hisce omnibus causam exposuisse, aut proposuisse vnquam efficientem, sed solummodo per effectus & quemadmodum experientia & obseruatione rem esse comperit, ita eâ descripsit: ac si quis dixisset, Ignis est calidissimus, rationem vero actus interni in igne quia ignoro prætermittam, sed solummodo eam aperire aggrediar, quæ sensibus meis sunt pro veris comprobata. Verbi gratia, quod in febrili intemperie calor natiuus, sit tam immodice auctus vt hominem offendat, vt in prima & secunda, & quod calor ille sic auctus ob eam rationem sit intolerabilis, pulsusque inæqualis, creberque in principio illius, at in vigore vehementissimus, vt in secunda & quarta; & quod arteriæ, cordisque caliditas ob inflammationem illam sit præternaturalis, vnde necesse est quod functionem vitæ male afficiat, vt in tertia: & quod febris illa in summo gradu ardens nullam requiem corpori præbeat, linguam desiccet & denigret, rei frigidæ desiderium afferat, vt in quinta. Et quomodo scis hæc omnia? Experientia etiam stultorum magistra me docuit; sed vnde hæc omnia radicaliter procedant, siue à ventis siue à profundiori radice penitus ignoro, præterquam à calore humoris biliosi aut à putredine.

Hæc videtur Galenus innuere & respondere pro se, nam vlteriori demonstratione à priori docere non videtur, videlicet vnde radicaliter sit iste febrilis actus depromptus atque deriuatus. At si causas primordialiter, tam principaliter quam instrumentaliter efficientes ignorans, in illis organicis solummodo versatur, & ad effectus solos respicit, quomodo possibile est ille effectualiter & per veram & infallibilem scientiam curare, hoc est, causam morbi radicalem tollere, qui causas maxime internas efficientes nescire animaduertitur? At si quis respondeat, ipsum Galenum & Galenistas morbos curasse & assidue curare, ipsi asseuerare haud erubesco quod tales curationes sint aduentitiæ & nullo certo fundamento fundatæ, vnde fit vt si quandoque curant multoties curare nesciunt. Quid? anne sufficit affirmare Galenum cum suis rationalibus (vt dicunt) morbum hunc vel illum quandoque curare, licet non semper? ô admirabile. Nonne quiliber Empyricus, imo vero & ipsa vetula hoc quandoque, & quod magis est, ipsos ægrotos à Galenicis relictos curare animaduertitur? Sed ad propositum.

Est quidem & aliud Philosophorum genus qui ad febris mysterium propinquius quam Galenus aut Galenistæ accedunt. Vnde Erasistratus sic eam describit.

Febris est motus sanguinis conceptacula spiritus subintrantis, nullo febrientis assensu factus.

Ratio eius est talis, quoniam vt mare cum nullis ventis infestatur quiescit, cum aliquo vento præter modum impellitur, vndique fluctuat; sic in corpore cum sanguis excitatur spiritus receptacula subit, ibique calefactus totum corpus incendit. At si istam Erasistrati definitionem acute examinemus, inueniemus quidem eam adhuc satis mancam, vtcunque vlla illarum Galenicarum validiorem: nam tametsi agnoscit sanguinis spiritus conceptacula subintrantis motum esse causam febris; tamen nec narrat ipse causam illam

illam sanguinis inquietudinem efficientem, aut modum seu naturam rei spiritus inflammantis, vtcunque comparationem faciat inter mare quietum & turbidum, atque ipsum sanguinem talem. Ipsum ego scire vellem (si adhuc inter homines esset superstes) quod maris atque etiam sanguinis aut quies aut perturbatio in voluntate manet diuina, qui mediantibus suis ministris vel bonis vel malis eum vel pacificat vel perturbatum reddit. At vero cum vtrosque in ira sua commouere gestit, hoc quidem efficere solet tum vento suo turbinoso à Septentrione, vt in Epilepsia in homine & frigido Boreæ seu Aquilonis afflatu in mundo: tum vento Euro calido & vrente, de quo ait textus, *Eurus confringens naues Oceani.* Et Eurum misit, quando Ionam æstuare faceret Iehoua. Nec erat vel Aquilo, vel Eurus, qui hoc faciunt in mari tam macro, quam microcosmico, sed Iehoua per ministros suos ventosos. Vnde Iob, *Potentia eius quiescit mare, & intelligentia sua percutit eleuationem.* Et Psaltes. *Descendentes ad mare nauibus, ipsi vident opera Dei, & mirabilia eius in profundo, dicit & flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus eius, ascendunt vsque ad cœlum & descendunt, &c.* deinde *flare facit turbinem in silentium, & silent fructus eorum, vt clamantes in angustiis suis celebrent Iehouæ misericordiam, & mirabilia eius filiis hominum prædicent, &c.* Psal. 48. 8. Ionas. 4. Iob. 26. 12. Psal. 107. 6. 33.

Pari ratione necesse habebat Erasistratus intelligere Iehouam mediante spiritu turbinis fuisse causam perturbationis tam in mari, quam spiritu seu sanguine humano. Ob similem etiam rationem Philosophi Aristotele ipso longe consultiores, postquam mirabiles & stupendas tonitruum & fulgurum operationes percepissent, eas non (vt Aristoteles finxit) res naturales aut more aduentitio contingentis perceperunt, sed ipsius Dei opera esse stupenda agnouerunt. De quibus Margarita Philosophica hæc. *Quidam autem Philosophi considerantes mirabilem fulminis operationem; ipsum non opus naturæ, sed summi Dei effectum immediate arbitrati sunt.*

Sed quid verbis opus, cum totam Scripturæ massam hoc idem stipulanten habeamus? Vt autem se habent radii fulminares in aere mundano, ita & in aere microcosmico, vtraque enim meteora istiusmodi ignita à Deo quasi causa efficiente principali radicaliter descendunt, & à ministris ipsius ignitis & vrentibus in actum immediate producuntur, vt testatur Dauid, cui etiam assentiuntur & astipulantur quamplures alii sacrarum literarum loci. Nos ergo Galenum minime imitando aliquantulũ in febrilem descriptionem nos immergemus atque ita secundum Bibliorum diuinorum sensum febrem multiformiter definire aggrediemur.

Capvt II.

In quo febris describendæ formula explicatur; & quod solum numen diuinum; mediantibus suis ministris, illi in proprietate sua Orientali seu ignita inseruientibus, sit radicalis febrium incitator, atque author; luculenter indicatur.

Qvamuis cuiquam fortasse res alicuius difficultatis apparebit, definitionem febris genuinam & sacri scripti authoritate confirmatam producere, tamen si intuitu paulo accuratiori rem introspiciamus, eam non adeo difficilem & arduam ac prima fronte apparet, percipiemus. Ad hoc igitur negotium me velociter sic accingam.

Febris est Iehouæ in æstu & ardore suo per percussorem aere Orientali indutum propter peccati plagam visitatio, in qua ægroti spiritus æstu consumitur.

Hic aer est causa materialis febris; quo vtitur spiritus seu percussor Iehouæ ignitus loco vehiculi, vt fulgura itidem nube. Formalis est spiritus ardor & consumptio, non aliter quam quo maior est flamma eo citius deuoratur oleum. Causa efficiens principalis est Iehoua in proprietate sua Orientali irascens, & per ministrum suum organicum illi proprietati seu voluntati inseruienrem peccatorem percutiens. Denique finalis est propter peccati pœnam. Probatur autem sic ex confirmatione textus sacri.

Si in præceptis meis non ambulaueritis, & mandata mea non custodiueritis, sed spreueritis leges meas, visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiet oculos vestros, & consumet animam vestram, &c. Hic materialis causa est aer, nam subintelligendum est; quod ardor non potest existere nisi sit in medio aereo; nam aer calefactus est nihil aliud quam illud Philosophorum calidum; Leuit. 26. 3. & 15.

Tum

Tum postea formalis causa in his, Confictio oculorum & consumptio animæ, seu humidi radicalis; iuxta illud Iobi. *Virus sagittarum Iehouæ ebibit spiritum meum, &c.* vt infra. Deinde causa efficiens principalis est Iehoua, qui Israelitas est alloquutus. Causa finalis est, propter inobedientiam, vnde ait, si in præceptis meis non ambulaueritis, &c. At causa efficiens instrumentalis, videlicet quod sit ex ministrorum percutientium numero, qui dat nomen & esse febri, ex his constat. *Socrus Simonis* (ait Euangelista) *tenebatur magnis febri-*
Luc.4.38. *bus, & Iesus stans super eam imperauit febri & dimisit eam, &c.*

Si non esset vita istius febris spiritus quidam igneus, cur diceret textus, *Imperauit ei*, atque tum postea *ipsa febris dimisit eam?* nam si non esset rationale & intelligens quid (vti est tota dæmonum turba) cur imperaret Iesus ei imprimis, & tum
Marc. 9. postea ipsa obediens eius imperatui redderetur? Nonne eadem ratione ad spiritum mu-
Iob 5.18. tum & surdum dixit Iesus, *surde & mute spiritus præcipio tibi exi ab eo, & exiit ab eo.* Hinc illud
3 Reg.14.15. Iob. *Ipse vulnerat & medetur, percutit & sanat.* Sic Iehoua dixit Angelo qui suo mandatu percussit Ierusalem peste, *& ait Angelo percutienti populum, sufficit nunc, contine manum tuam, &c.* Hoc idem dixit in effectu Christus qui, & Deus erat, malo Angelo, *Exi, &c.* quasi, sufficit enim.

Quibus euidens est quod febris sit ex numero ministrorum Dei vrentium & ignitorum in aere microcosmico, ex quorum serie & ordine sunt fulgura in aere macrocosmico, de quibus Dauid: *Qui fecit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem.* Sed ad
Psalm 104. secundam.

Febris est æstus conturbatio, & iræ igneæ consumptio, quam omnipotens spiritui peccanti in furore suo impertitur.

Psal.88.17. Hinc ait Psalmista, *Ira tua absumimur, & æstu tuo conturbamur.* Et Iob, *De furore omni-*
Iob.21.20. *potentis bibit impius.* Vel sic.

Febris est increpatio quædam Iehouæ in lectulo, quæ omnia peccatoris ossa marcescere, carnemque ipsius feruescere tabescereque facit, ita vt abominabilis sit in vita eius panis seu cibus antea desiderabilis, & appropinquat corruptioni anima eius.

Iob.33.14. Ista est præstantissima & elegantissima formalis meteori febrifacientis descriptio à viro patiente optime in his confirmata. *Increpat Deus per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, abominabilis fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antea desiderabilis, tabescit caro eius & ossa, appropinquat corruptioni anima eius, &c.* Ex qua verborum serie totam descriptionis prædictæ virtutem elicere potestis: ac si ipse vir patiens vniuersam febris, seu febris pestilentialis vim atque efficaciam in verbis prædictis expresse & scienter ~~in~~clusisset. Vel in hunc modum.

Febris est gladius irae Iehouæ fulgurans, quæ cibum & panem impii in fel aspidum & venenum viperæ lethale conuertit, ita vt cum satiatus fuerit æger, arctabitur, æstuabit, & consumetur seu deuorabitur igne qui non succenditur.

Hæc est aptissima febris pestilentialis descriptio, vbi causa materialis est victus ratio à Iehoua maledicta. Formalis, ita vt cum satiatus fuerit, &c. Efficiens principalis Iehoua, instrumentalis spiritualis ira vel gladius, nam Angeli dicuntur gladii, manus & sagittæ Dei. Finalis comprehenditur in vocabulo Impii, quasi peccatoris.

Iob.20.14. Hoc totum à viro patiente in istis confirmatur. *Panis impii in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ: cum satiatus fuerit arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum; deuorabit eum ignis qui non succenditur, &c.* Hic ergo expressa inuenietis textus sacri verba, totum prædictam nostram febris definitionem au-
Exod.23.25. thorizantia. Quæ quam planissime de febre pestilentiali intelligi potest. *Et Moyses ait: Colito Iehouam, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui, &c.* Vnde patet quod maledicente Iehoua pani & aquæ morbi impiuuntur abunde.

Possumus etiam febrem more metaphorico in ista verborum serie describere.

Iob.27.21. *Febris est ventus quidam ab Elohim Gibor vrens, seu tempestas ab eo æstuosa, nocte* (hoc est, tenebris & occulte) *opprimens, quæ peccatorem infirmum tollit, & velut turbo rapit eum de loco suo.*

Iuxta illud Iobi, *Nocte opprimet eum tempestas, tollet eum ventus vrens, & auferet & velut turbo rapit eum de loco suo, &c.* Quod sic intelligi potest, in caligine & abscondito more perturbabitur, & interficiet eum Euri proprietas, & quasi spiritus turbinosus ab *Elohim Gibor*, hoc est, in seueritate Dei Orientali emissus, rapiet ipsum de isto mundo.

Atque hic causam principalem nomine Deo à Cabalistis assignato in hac sua proprietate ignea & Martiali haud inconsulte insigniuimus: nam volunt ipsi quod ista Dei proprietas descendat à porta lucida, seu numeratione Sephirotica *Gebureth*, quæ intendit puni-

punitionem in proprietate ignea: cui portæ seu emanationi præest agnomen Dei *Elohim Gibor*, cuius influxus ab Archangelo *Samael* dicuntur accipi, qui ad sphæram Martis eos transfert, à quo sydere tum postea ad spiritus plagæ Orientali præsidentes impluuntur, & mediantibus ventis illius quartæ in campum aeris apertum ad voluntatem *Elohim Gibor* exequendam disperguntur: nam vt quarta mundi sublunaris Orientalis est Solis quasi domicilium, in qua præparat Apollo bonas Dei *Eloach* à Sephirota *Tiphereth* seu gratia emissas influentias, quæ naturaliter in elementis ad vitæ beneficium agunt: ita quidem illa ipsa quarta est Martis officina, in qua influxus seueros & præternaturales ab *Elohim Gibor* emissos cudit, eosq; in mortalium pœnam in spiritum sublunarem expandit. Quare sciendum est, quod vt nomen Iehouæ arguit essentiam Dei, & consequenter vnitarem spiritus diuini, ita quidem plagæ cuiuslibet venti ad ipsum sub illo generali nomine referri possunt. Hinc Propheta, *Veni spiritus à quatuor ventis*. At respectu differentiæ proprietatem diuinarum quælibet plaga refertur ad peculiare nomen.

Verum istas prædictas febris definitiones missas faciendo in hisce duabus subsequentibus insistere statuimus; quarum prior testimonio Psalmistæ regii erigitur; vltima verbis Iobi atque aliorum paginæ sacræ locorum authoritate statuminatur. Harum prior est ista.

Febris est plaga in qua interdiu & noctu admodum grauis est in peccatorem manus Iehouæ, quippe qua conuertitur præstantissimus eius humor in siccitates æstuosas, consumuntur vt focus dies eius, ossa eius vt ignis exardescunt, percussum tanquam herba cor eius, ita vt obliuiscatur comedere cibum suum.

Probatur ex ista Prophetæ regii loquela, *Interdiu & noctu grauis erat super me manus tua, conuertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstuosas: consumuntur vt focus dies mei, ossa mea vt focus exardescunt, percussum tanquam herba cor meum, quia obliuiscor comedere cibum meum: præ voce gemitus mei adhæresčit os meum carni meæ, &c.* Ex quibus verbis quam exactissima febris ardentis, Causus dictæ, natura explicatur. Nam causa materialis exprimitur esse humor, seu spiritus aut sanguis: vnde dixit etiam Iob, *Virus sagittarum tuarum ebibit spiritum meum*: quare euidens est quod spiritus seu humor in homine sit subiectum illud, in quo est ira Iehouæ exardescens. Causa formalis exprimitur ex his, quippe qua conuertitur, &c. & confirmatur per prædictas duas Dauidis assertiones, idque verbatim. *Psal. 32. 4.* *Psal. 102. 9.* *Iob 6. 4.*

Quod etiam Iehoua sit causa huius febris efficiens principalis eo declaratur, quod effecta est manu Iehouæ: vnde etiam Moyses, *Percutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrenti febre ac siccitate, si non feceris mandata & præcepta sua.* At vero ipse hoc efficit per instrumentum suum Angelicum prop ietati ipsius æstuanti inseruiens, quod Propheta intendit per manum Iehouæ. Sic Satan dixit ad Deum, *Extende paulum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, & in facie maledicet tibi*, cui respondit Iehoua, *ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum, &c.* Quo sermone expresse denotatur ipsum percussorem Satanam vocari manum Dei, hoc est organon per quod Deus solet percutere. *Deut. 28. a. 20.* *Iob. 1. 11. & 2.*

Denique causa finalis in illo vocabulo (Peccatorem) includi videtur, inde arguendo quod procreata est acuta & æstuans ista plaga propter pœnam peccatoris. Hinc ait textus, *Si non feceritis mandata & præcepta, percutiet te Iehoua febre vrente, &c.* hoc est propter inobedientiam vestram. *Deut. 28.*

Vltimam febris ardentis descriptionem totalem ex verbis & passionibus viri patientis congregauimus; estque huiusmodi *Causus, siue febris ardens est grauis quædam atque æstuans peccatoris à sagittis Iehouæ Orientalibus seu igneis percussio, cuius virulentia spiritus ægroti ebibitur, cum substantiæ fluore efferuescunt flatibusque siccis eleuantur viscera, cutis lingua est denigrata, ossaque præ nimio æstu arescunt, pulsusque velociter & præter naturæ solitum sine requie laborant.*

Istam febris ardentis describendi formulam sic ferè verbatim confirmat Iob. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum: nocte os meum perforatur doloribus, pulsus mei non requieuerunt. Eleuasti me ad ventum, imponis me ei, efficis vt effluam substantia, viscera mea efferuefacta sunt adeo vt non quiescant, cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ nimio æstu, &c.* Hic ergo ex viri patientis afflictione & experientia dictam nostram descriptionem habetis probatam atque stabilitam. *Iob. 6. 4.* *Iob. 30. 17.* *Ibid. 26.*

Denique hæc verba in præcedenti, Plaga est in qua interdiu & noctu admodum grauis est in peccatorem Iehouæ manus; atque ista in præsenti seu vltima, Pulsus sine requie laborant, vel vt textus habet, viscera mea efferuefacta sunt, adeo vt non quiescant, & pulsus mei non requieuerunt, arguunt quidem, quod febris qua laborabat Iob esset continua & sine intermissione, & consequenter Febris ardens Causus dicta.

CAPVT III.

Vbi paucis tractat Author de cæteris meteoris ex parte Orientalis præternaturalibus, tam humoralibus, quam corporalibus, quæ comprehenduntur sub dominio Febris.

IN *capite præcedenti* egimus de principali & imperatorio plagæ Orientalis meteoro præternaturali, cuius substantia se habet ad ipsa, quæ sunt sibi inferiora, vt spiritus ad humorem & corpora. At vero si spiritus iste febrilis & igneus condensetur, in humorem igneum (quem Galenici bilem vocant) condensatione migrat, non aliter quam ex spiritu igneo & sulphureo pluuia illa ignea procedit quam præsterem vocant, seu fulguris pluuiam: ex quo tandem humore igneo coagulatione Boreali fit lapis fulminaris seu Ceraunius. Pari scilicet respectu & spiritus humanus fulgure quasi cœlesti diuinitus accensus migrare solet inspissando in humorem igneum vel sicciorem vel humidiorem, iuxta naturam venti à quo deriuatur, vt si sit spiritus inflammatus de proprietate Euri, tunc igneus ille spiritus, & consequenter humor ex spiritu ortus, debet de humiditate maiori participare, vnde producuntur morbi ignei de humida Meridiei proprietate aliquantulum participantes: atque istum humorem Galenistæ bilem vocant non super assatam. At vero vbi humor iste de spiritu seu afflatu Cæcii participat, ibi est magis crassus & siccus, ratione siccitatis venti qui de igne Orientali & terra Septentrionali participat: atque talem humorem Galenistæ vocant bilem supra modum assatam, cuiusmodi est illa rubea & æruginosa, &c. Ambo ergo istiusmodi humores ignei ex vario ventorum plagæ Orientalis diuersorum spiritu seu afflatu inspissatione procreantur: nam aliter axioma illud ab Apostolo citatum (videlicet *visibilia fuerunt prius ab inuisibilibus*) non esset verum. Pari siquidem consideratione debemus concludere, quod meteora istius quartæ corporalia si sint magis sicca, cuiusmodi sunt carbunculi, Erysipelas, Herpes corrodens, spectant ad ventum Orientis magis siccum & terreum: at si sint humidi magis, cuiusmodi sunt herpetes miliares, phlegmone humida, & huiusmodi alia, ad Eurum pertinent, & ab afflatu, seu spiritu ei appropriato proueniunt. Morbus autem regius de his duobus participat, quem pagina sacra inter plagas Iehouæ pro inobedientia numerat. *Percutiet te* (ait Moyses) *Iehoua morbo regio, qui persequetur te donec pereas, si præcepta & mandata non seruaueris, &c.* Deut. 28. 20.
Quid plura? Si ista meteora morbosa tam humoralia quam corporalia definire aut describere velitis, ad sui principis antea descripti exemplar hoc faciendum, idque absq; difficultate putaris, ea tamen lege vt *Iehoua* seu *Elohim Gibor* pro causa efficiente principali, & minister eius aliquis pro illa organica accipiatur; & si sit spirituale, spiritus seu aer igneus spirituali sua natura & consistentia, si humorale, spiritus igneus vel humidior vel siccior condensatione in humorem alteratus; denique si corporeum, humor igneus humidior vel siccior coagulatus sit semper causa materialis. Finalis demum semper erit propter peccati pœnam. Ac in vltimo loco considerare debetis, quod causa formalis oculari experientia, atque diligenti morborum in suis signis pathognomonicis obseruatione exponi debet atque in descriptione exprimi: vt morbus regius ab vniuersa superficiei corporis citrinitate formaliter describitur & nomen ab aliis morbis distinctum sibi vendicat.

Atque ita habetis, & ex his quæ dicta sunt facilime colligere atque intelligere potestis quadruplicia morborum mundanorum genera in suas species, cum dignissimis eorum ducibus, & ob malignitatem eorum summam metuendis, distincta, atque formali descriptione ab inuicem diuisa.

EPILOGVS.

COncludimus igitur, quod sit haud exigui momenti negotium, & res à sapiente non respuenda, serio & summa ope & conamine catenæ in rota ventosa iunctuas seu portiones respicere, atque mirabilem ipsarum nexum, & in harmonia elementari vnionem continuam obseruare, quippe vt totus ventorum circulus in quatuor diuiditur inprimis quartas, nimirum Septentrionalem, Occidentalem, Meridionalem & Orientalem, ita quidem inter Meridiem & Septentrionem, quasi inter terram & aerem, qui sunt omnimodo contrarii, vnicum tertium amicum, videlicet Occidentem, siue aquam, quæ humiditate sua conuenit cum aere, & frigiditate cum terra. Pari etiam ratione inter duo con-

contraria Orientem scilicet & Occidentem, tanquam inter aquam & ignem, posuit natura diuina Meridiem quasi aerem qui respectu suæ caliditatis est amicus igni seu Orienti, & per suam humiditatem conuenit in amicitia cum aqua seu Occidente. Pariformiter etiam Oriens ex altero mundi latere, quod est amicus Meridiei in caliditate & septentrioni in siccitate, interponitur inter hostiles Meridiei & Septentrionis insultus. Atque ita percipere potestis quanta diligentia natura prouida, seu sapientia diuina; hæc quatuor mundi sublunaris regna concordi pace in suis sedibus distinctis ordinauerit.

Iam vero exprimere fas erit, qua astutia ipsa illorum Imperiorum quodlibet in regna tria sine vllo discordiæ seu litis vestigio subdiuiserit; videlicet quamlibet plagam in tres partes, quarum centrum possidet venti Cardinalis Genius; in cuius latere vtroque stipatus est ventis duobus collateralibus. Hos ergo tres ventos seu regna continet Imperium quodlibet in tali statu vt nullum inter ipsos inuentum sit odium, propter centralem imperatoris cardinalis præsentiam, qui est inter duos ventos circumferenter oppositos mediator. Sic igitur vt cardo Borealis situs est inter Circium & Aquilonem, ita quidem cum ille cardo sit proprietate maxime terreus (cui ob istam rationem Lepram ascripsimus) & Aquilo de ignea Cæcii seu Orientis proprietate aliquantisper gustat; vt & Circius de aquea Occidentis propter eius cum Coro commercium; ideo in Imperio Boreali seu terreo pars eius magis ignita erit Aquilo, pars vero magis aquea erit Circius; terræ vero puræ vices agit Boreas qui à cardine flat: & quamuis hæc tria vnius Imperii regna sint proprietatis reuera terreæ, tamen Circius arguit terram magis liquidam, Aquilo terram magis igneam, Boreas terram magis naturalem.

Ad Circium igitur spectare videtur regnum Septentrionis humorale, ad Aquilonem magis spirituale, & ad Boream illud corporale. At quoniam medium, videlicet terra, participat de vtroque extremo, videlicet aqua & igne, ideo Boreas ex vtraque natura opposita, videlicet ex illa Circii & illa Aquilonis, constat, vnde fit vt Lepra quandoque sit magis vrens & ardens, vbi proprietas Aquilonaris magis abundat, & quandoque saniosa & cum abscessu, vbi ad Circium magis spectat: at verò si in medio cii Boreæ natura consistat, non est ita sensibilis aut æstuosa aut vlcerosa. Porro sciendum est etiam quod Aquilo animatur calidis & humidis Austro-africi flatibus, qui est ipsi oppositus. Infinitum foret omnia istius rei mysteria hoc in loco enucleare, sed ne me ab isto meo negotio longius distraham, breuiter concludo quod terra Septentrionis est Boreas, aqua est Circius & ignis est Aquilo: ita vt Boreas spirat conditione mere terrea, nam est terra quasi terrea, Aquilo terra ignea, Circius terra aquea. Sic in Imperio Occidentali spiritus Cori est aqua terrea, Fauonii est aqua aquea, Africi est aqua aerea: meteoron eius radicale & princeps est Epilepsia. Similiter in Imperio Meridionali Aer aqueus est spiritus Austro Africi, aer aereus est ille Austri; atque aer igneus est flatus Euro-austri: meteoron eius regium seu summum est Pestis siue Pestilentia. Denique in Imperio Orientali ignis aereus est in Euro, ignis igneus in Subsolano, & ignis terreus in spiraculo Cæcii: huius meteoron principale est Febris ardens.

Atque ita librum istum tertium de formali meteororum morbidorum descriptione fæliciter, laus Deo æterno, Anno 1619. April. 1. compleui.



TOMI PRIMI,

TRACTATVS SECVNDI SECTIONIS PRIMÆ, PARTIS QVARTÆ


LIBER QVARTVS.

De Causa Meteororum morbosorum Efficiente, in membra diuisus.

Procemium libri huius, quod agit de Causa Efficiente in genere, & quomodo in suas species satis concinne diuidatur.



Vod necesse sit, vt causa efficiens ad cuiuslibet rei creationem seu complementum accedat, siue res illa sit præternaturalis, siue naturalis, siue contra naturam, seu denique arte efficiatur, in istius Tractatus secundi initio luculenter explicauimus, atque ibi loci quid sit ista causarum species, nimirum quod sit illa à quo quodlibet ex termino à quo ad illum ad quem mouetur & tendit. Verum enimuero quoniam istius genus in diuersa etiam membra seu species distinctum obseruamus, ipsum in rei præternaturalis productione cum suis ramis, paucissimis sic expressimus.



LIBRI

LIBRI QVARTI, MEMBRI PRIMI,
CAPVT I.

In quo Author rationem, quomodo Deus vnus & trinus sit sola illa causa principalis, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, & quod operatur omnia in omnibus, & quod sit omne in omni; ac deniq; quod nihil est, in quolibet mundo, quod ipse non est, luculenter demonstrat.



QVicunque considetatione seria atque contemplatione matura in profundis Dei atque naturæ eius mysteriis se immerserit, apertis oculis euidentiq; intuitu ipsum Deum Triunum esse vnicam & solam rerum omnium causam primariam, principalem, & sola ac simplici virtute imbutam deprehendet, & consequenter quod nihil sit reuera quod ipse non est, quippe sine quo aut extra quē nulla in vniuersa rerum serie veritas. Nam ipse est principium principiorum, sine principio, à quo omne principiatum, natura naturans non naturata, à qua omnis natura, numerus numerans non numeratus, à quo omnis numerus, seu vnitas primaria omnium vnitatum fons, in quo omnis est multitudo, punctus punctorū sine puncto, in quo omnis dimensio, infinitudo sine mensura, in qua sunt omnia finita, fons aquarum vniuersaliū sine fonte aut fundo, *ex quibus*, teste Apostolo, *facta sunt cælum & terra & omnia*: lucis æternæ scaturigo à qua omnis lux, actus, & formalis essentia. In potentia eius diuina, dum in tenebris delitescit, consistunt aquæ causa materialis omnium: in actu ipsius, dum in proprietate sua lucida se è tenebris reuelat, se patefacit atq; detegit forma: ita vt Deus latens, & se in se recondens, est materiæ vniuersæ tenebrosæ myrotheciū, Deus patens, & seipsum ex sua bonitate è se emittens, est formæ vniuersæ lucidæ sacrarium: sic vnus idemq; Deus, æterna monas, lucis atq; tenebrarum parens, idem materiæ aquaticæ formæq; ue igneæ fons atq; scaturigo est. Quid ergo concludendum? An quod nihil sit quod Deus non est? At si sit certum materiam vniuersam à potētia diuina, formamq; catholicam ab ipsius actu radicitus procedere, quid de iis quæ ex istis componuntur est existimandum? Si inquam certum sit atq; infallibile, quod omnes à diuina entitate procedant partes, quid de integro est cogitandum? Nonne ergo sequitur ipsum vniuersum mundum in Deo consistere & à substantia diuina fuisse abstractum, à Deo ortum suum habuisse, per Deum fuisse factum, & in ipso Deo consistere? Nonne (dico) haud iniuria ad diuinam imaginem creatū esse mundum, atq; etiam hominem à Mercurio Trismegisto, imò verò sacrarum literarum consensu dictitatur? Quid si non à substantia Dei, tunc aut aliunde originem suam duxit, aut à puro & absoluto nihilo, cuius rei impossibilitatem *c.* 2. *li.* 2. *sect.* 2. demonstrauimus. At vero vt in profundū istius rei mysterium aliquātulum profundius me adhuc præcipitē, dico equidem cum Abrahamo profundissimo Cabalista, quod personę in Trinitate tres tam in mundi creatione q̄ in hominis constitutione se habent in hunc modum. Sciendum ergo imprimis iuxta literarum sacrarum doctrinam, quod secundum horū verborū differentiam, videl. creationis, formationis & factionis, à Propheta in hac serie publicatorum (*Hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, &c.*) personarum in Trinitate discrepantia, earumque in mundo proprietates facilime à diligenti speculatore dignoscuntur: nam creatio proprie pertinet ad materiæ vniuersalis potentiam, cui pater attribuitur, vnde à nonnullis definitur creatio, quod sit materiæ primæ, hoc est, aquarum, & per consequens cuiuslibet indiuidui ex aquis dispositio; vnde postea formæ educitur potentia: nam Dei omnipotentia, quę est vnitas, cogit primū res ipsas in suam materiā, siue indiuidui vnitatem, quæ reuera est patris actus & officium, quippe in quo magis eminet quam in filio siue sapientia. At vero formationis vocabulū ad formam pertinet, estq; ipsius formæ cōstitutio siue exterius & ex nihilo suscitetur, & in res ipsas adueniat, siue diuino imperio de materiæ educatur potentia. Atq; hæc formæ dispositio, secundum quam latissime diffunditur naturæ potentia ad sapientiam diuinam (quam nos filium & patris prolem, seu à patre emanationem vocamus) maxime spectat: nā ab ista emanatione lucida, seu verbo, in quo est vita & lux, hoc est in cuius centro est vitæ spiritus, à quo omnes cælorum virtutes procedunt. Faciendi denique operatio ad mutuam materiæ & formæ connexionem spectare videtur: atque iste quidem symbolizans nexus est summus ille affectus & amor igneus qui facit vt res cunctæ existant & constituantur, eo quod ex æquo de potentia is à patre seu monade radicali, & sapientia hoc est filio procedit, ad cuius progressus exemplar creatura ad creatoris imaginem, & in creatoris trini existentia comprehenditur & existit, quatenus ex materia, quæ à potentia diuina elicitur, & à semine patris, & ex forma quasi virtute filii, per vnionem Spiritus sancti in figuram seu *Isai.* 45.

 speciem

ſpeciem creaturæ aptam efficitur. Sic haud incongrue cecinit Pſaltes: *Verbo Domini firmati ſunt cæli, & ſpiritu ab ore eius omnes virtutes eorum* Dominus pater adminiſtrat materiam ex ſuo ſinu tenebroſo, verbum, filius, emittit formam quæ cæli lancibus iuſtitiæ ponderantur & firmantur, & ſpiritus fabricatur creaturas ex amborum influentiis ſimul iunctis.

Quibus rite conſideratis facillimum erit imaginari omnia à Deo radicaliter eſſe orta, omnia per Deum eſſe eſſentialiter formata, omnia in Deo eſſe realiter conſtituta, collocata, vnita, nexa, continuata atque præſeruata. Verum vt ne iſta à nobis prolata cum illo à Poëta prolato (quod in hæc verba tendit, *Iuppiter eſt quodcunq; vides, quocunq; moueris*) ficta atq; falſa viderentur, ad hanc meam opinionem adhuc firmius ſtatuminandam aliquorum patrum antiquorum ſententias proferre in animum venit. D. Auguſtini mens eſt, quod *Ideæ ſint formæ æternæ & incommutabiles in mente diuina*, vel, vt Scotus ait, *res obiectiuæ cognitæ ab intellectu diuino*: quare ſequitur, quod cum ideæ ſint æternæ, & in Deo nequeant eſſe niſi ipſe Deus, quatenus plura non ſunt æterna. At vero omnium rerum ſunt Ideæ, quia omnia obiectiue à Deo cognita ſunt. Quod etiam agnoſcere videtur Euangeliſta Iohannes. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. In ipſo vita erat.* At ſi in Deo vita ſit, vita vtiq; Deus exiſtit, quippe in Deo nihil eſt, quod non ſit Deus, quoniam Deus eſt vnus, idem & indiuiduus ſpiritus. Ideæ itaq; in Deo licet ſint plures (nam alia ratione conditus eſt homo, alia equus) omnes tamen vnus Deus ſunt. Quod etiam in loco alio ſic probare aggreditur D. Auguſtinus. *Primus* (inquit) *& ſummus intellectus eſt ars quædam omnipotentis atq; Sapientis Dei, plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno cum quo vnum.* Et *libro Soliloquiorum. Tu es Deus mens & Dominus omnium quæ creaſti, & apud te omnium ſtabilium ſunt cauſæ, & omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines, & omnium rationabilium & irrationabilium atque temporalium ſemper viuunt rationes.* Hinc ait Boetius,

Lib. de 80. quæſt. 9 46.
Lib. 1 diſtinct. 3.
De trin. l. 6. c. vlt.
Libr. 3. de conſ. 9.

——— Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens ſimilique in imagine formans.

Analyſ nu. ternarii.

At modum progreſſionis cuiuſlibet rei exemplaris à veritate ſic exprimit Anſelmus. *Forma rei in anima artificis eſt Archetypa & veritas, & dum à potentia in actum reducitur motus eſt, in materia vero iam producta eſt ſimilitudo & imago.* Ob iſtam rationem Odo Abbas ait, quod *numerus ternarius fuerit principale in animo conditoris exemplar condendorum.* Deniq; ipſi Cabaliſtæ huic opinioni aſſtipulari videntur, vtpote qui *omnes res inferiores eſſe ſuperiorum repræſentatiuas* aſſerunt, voluntque quod *vt ſit inferius ita etiam agatur ſuperius*: atq; *de hoc* (inquit Reuchlinus) *omnes Cabaliſtæ ſedulo approbant.* Et Apoſtolus agnoſcit *omnia viſibilia fuiſſe prius ab inuiſibilibus*, hoc eſt denſiora fuerunt prius à ſubtilioribus gradatim aſcendendo. Quod cum ita ſit, nemo inficiari poteſt, quin & completa ſummitas ſit in Deo; ita omnia inferiora ſunt à Deo, & Idealiter in Deo: quam quidem creaturarum ex arca Dei theſauraria egreſſionem ſiue in multitudinem effuſionem, atque iterum creaturarum in eandem arcam per reſolutionem recollectionē in iſtum modū deſcribere, haud inconſulte aut ratione deſtitutus me accingā.

Reuchlin. de arte Cab.

Ex prædictis apparet, quod in Deo omnia erant nihil niſi mere Deus, ex Deo omnia veniebant in principium, & tum omnia nihil niſi mere Deus, manente tamen Deo, non aliter quam filius ſine patris interitu produci ſolet. Ex principio omnia procedebant in verbum, & tum omnia nihil erant niſi merum verbum, manente tamen principio. Ex verbo omnia procedebant in ſpiritum Domini, & tum nihil erat niſi merus ſpiritus Domini, manente tamen verbo. Ex ſpiritu Domini omnia procedebant in aquas, ſcilicet ſuperiores & prima die creatas, & tum omnia nihil erant niſi meræ aquæ, manente tamen ſpiritu Domini. Ex aquis ſuperioribus ſeu primæ diei omnia deſcenderunt in aquas inferiores, & tunc omnia nihil erant niſi aquæ meræ inferiores, manentibus tamen ſuperioribus. Ex aquis inferioribus, hoc eſt ex ſpiritu elementari & æthereo cum ſuis aſtris inuiſibilib. omnia procedunt in corpora viſibilia, & tunc omnia nihil ſunt niſi mere corpora viſibilia, manentibus tamen elementis mundanis & aſtris inuiſibilibus. Atque ita habetis progreſſionem emanationis diuinæ à monadis æternæ radice in multitudine, æternitatis throno, permanente ipſa; quam demonſtrationem à priori vocamus.

Iam vero retrogreſſionis à multitudinis creatæ circumferentia ad ſimplicitatis æternæ centrum gradus, per demonſtrationem à poſteriori ſuccincte, verbiſque haud pluribus vobis recitare aggrediar. Mundus cum omnibus in ipſo contentis non ex nihilo eſt factus, ſed ex aquis ſuperioribus ſeu prima die creatis, hoc eſt ex mundo Angelico extitit, & antequam hoc fieret mundi inferioris materia in ſuperioribus aquis nihil aliud erat niſi ipſiſſimę aquæ ſuperiores vel mundus mere Angelicus. Angelicus mundus, ſiue aquæ ſuperiores non ex nihilo extiterūt, ſed ex ſpiritu Domini qui eas ex ſeſe effudit, & ſuper eas ferebatur, & antequam hęc effuſio fieret, omnes aquæ ſuperiores, ſeu Angelicæ ſubſtantiæ in ſpiritu Domini-

ni nihil aliud erant nisi ipsissimus spiritus Domini sine omni distinctione aut multitudine. Spiritus Domini non ex nihilo venit, sed ex ipsissimo verbo ex ore primogeniti prolata, & antequam spiritus Domini distingueretur, seu procederet ex verbo in proprium esse seu personam, tum ipse in filio & cum filio nihil aliud erat nisi filius sine distinctione aut multitudine. Verbum siue filius non ex nihilo venit, hoc est non à seipso, sed ex principio, iuxta illud *Verbum erat in principio:* & antequam hoc verbum ex principio in propriam personam nasceretur, tum ipsum verbum quod erat in principio hoc est in virgine, nihil erat aliud nisi principium in & cum principio essentialiter vnum sine distinctione aut multitudine. Principiũ vero in quo erat verbum, etiam non ex nihilo nec ex seipso ortum est, sed ex Deo; ex ore enim altissimi prodiit; & antequam prodiret, tum principium in Deo nihil erat quam ipsissimus Deus, essentialiter, æternaliter & simpliciter vnum & idem sine distinctione.

Hic ergo videtis quomodo Deus omnia ab æterno in sese habuit, & qua ratione ab Apostolo dicitur esse *omne in omni*, ac deniq; *omnia*, sed sub tali cõditione vt ipsemet in se maneret permanens, absq; vlla sui ipsius aut inutatione aut diminutione. Sic pater luminum de se exiens per gradus descendit ad inferiora, & communicat se illis, atq; ita essentialiter transit desuper omnia, emittitque ex sese vaporem & verbum virtutis suæ, emanationem claritatis suæ, & format se in personas, fit primogenitus, & manet in illis, & illa in eo, ea tamen ratione vt quodlibet in suo proprio esse constare videatur. Facit omnia ex seipso, per seipsum & in seipso, fit spiritus omnia viuificans, & manet in spiritu & spiritus in illo: deinde fit cęlum, fit terra, fit aqua, fit lux, fit dies & omnia & manet in omnibus, & communicat sese omnib. & singulis cuilibet ordine suo secundum sapientissimam suam dispositionem. Atq; ita ex seipso omnia disponit, per gradus effundit, & ordine collocat, quæ sunt nihil nisi explicatus Deus: ex seipso, dico, quoniam prima omnium rerum essentia & materia erat æternaliter in Deo & apud Deum & cum Deo vnum & idem, propter rationes à nobis antea allegatas: nã aliter in principio hoc non esset verbum, nec in ipso creasset Deus cælum & terram.

Hinc ergo est, quod Deum omnia ex seipso creasse diximus, vtpote qui est entium ens, omnium viuentium vita, omnium principiorum principium, & aquarum vniuersalium fons, vti *suprà* expressimus: quoniam sine ipso nihil factum est, nec ipso inuito aut inscio quicquã in esse vnquam venit, vel aliunde suum esse accipit, nisi ex solo ipso, & per ipsum, nec in aliquo alio quicquam consistere potest nisi in ipso. Quapropter Deus nihil aliud genuit, produxit, fecit, creauit nisi quod æternaliter in ipso fuerit: nam ab intra omnia fluxerunt & processerunt, ex abscondito in manifestum, ex incognito in cognitum, ex simplicitate in similitudinem, ex fonte in mare, ex puncto seu centro in circulum seu circumferentiam. Denique ex his quam clarissime apparet quod omne genitum, principiatum, creatum, productum & separatum venit radicaliter ex ingenito, infinito, incipienti, improducto, inseparato, vno: omne inferius ex superiori, omne corporale ex spirituali, omne visibile ex inuisibili, omne temporale ex æuo, omne æuiale ab æterno, deniq; omne in omni à Deo. Hinc ait Syriacus, *Diximus multa nec tamen ea assecuti sumus* Summa dictorum est *ipsum esse omnia.* Concludimus igitur cum Apostolo, quod sicut Deus dicitur quod *ex ipso & per ipsum, & in ipso omnia*, ita etiam dicitur quod *ipse super omnia, & per omnia & in omnibus nobis.* *Eccl.14.5.*

Ex istis ergo lucide patet, Deum ex seipso per Filium in Spiritu emisso primo omnium fuisse vniuersalem materiam, in qua tota rerum creandarum existentia simul & semel quidem reuera adfuit, sed complicite, coniunctim, confuse, indistincte, inseparate, informiter, innominatim & incognoscibiliter, sicut in simplici grano seminis omnia essentialiter quidẽ adsunt quæ inde sunt crescitura, at non explicite sed complicite, incognoscibiliter & confuse. Vnde quando dicit textus sacer, *Creauit, &c.* intelligit, essentiali productione ex seipso desumpsit, coniunxit, conseminauit, complicuit & fecit ineffabilem materiam, ex qua tam cælum quam terram per separationem vnius ab alio producere & disponere volebat; Vnde hic est Deus, iuxta D. Pauli doctrinam, *ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia facta sunt:* ipsius est essentia vniuersi, ipsius est vita vniuersi, ipsius est lux, cognitio, Sapientia, potentia, vigor, virtus & motus vniuersi; & sicut sine ipso factum nihil est, sic etiam extra ipsum nihil consistere, esse, viuere & moueri potest, quippe in quo solo est vita.

Hæc ergo est ratio, quod ipsi creatori nostro (cuius nomen æternum sit benedictum) merito & iuste causæ principalis titulum ascripsimus, vtpote qui est solus numerus numerans, actus radicalis vnicus agens, primus in rebus omnibus motor atque operator, lux illa centralis sincera viuificans omnia, natura infinita sua voluntate omnia entia finita permeans & penetrans, tam præternaturaliter & contranaturaliter quam naturaliter cum creaturis ab ipso productis operans, tam percutiens & vulnerans quam sanans & vulnera ægrotantium medicans, tam malo peccatores affligens & castigans quam

bono

bono & beneuolentia pios & iustos prosequens, tam de nouo generans & creans, quam vetera corrumpendo destruens & morte afficiens: quoniam vt ipse est summus lucis & proprietatis vitalis imperator ter maximus, ita quidem in tenebrarum & mortis imperio sceptrum quoq; tenet: vnde certum est ipsi soli radicaliter attribuendos esse vtriusque imperij actus, quorum illi tenebrarum ad malum & peccati errorem, hi vero lucis ad bonum & iustitiæ semitam dirigunt, vt *infrà* plenius.

Caput II.

De nominis Iehouæ mysterio, quod sit nomen Dei essentiale, & ex consequenti generale, quod sub se omnia alia eius agnomina à proprietate comprehendit, & per consequens, virtutem suam per vniuersam arborem Hebræorum Cabalisticam extendit. Deniq; quod in ipso continetur tam eius iracundi & per morbos & mortem punientis, quam benigni & miserescentis effectus.

SEct.1.Port.2.Part.3.ca.7.*Tractatus mei Cabalistici*, vbi agitur de principiis Tertianis, tum per discursum satis copiosum, necnon per speculum quoddam causarum vniuersalium, declaraui luculenter quod nomen Iehouæ sit vnicum illud Tetragramma essentiale, quod integra Cabalistarum Sephiroticorum secta occupat & implet, & sub quo omnia decem Dei nomina à proprietate comprehenduntur: atque itidem, *Sect.*1.*Port.*4.*Part.*2.*lib.*4.*Memb.*1.*Tractatus mei meteorologici c.*10. vbi de causa meteororum efficiente egimus; de hoc eodem subiecto copiose egi cum demonstratione hieroglyphica. Verum quoniam ad istud nostrum subiectum præcipue attinet exquisitior istius rei enucleatio, vt facilius intelligatis modum quomodo Iehoua Deus fortis noster tam vulnerare quam sanare & mederi soleat, rem istam clariori atque ampliori modo hoc in loco pertractare mihi proposui.

Sciendum ergo est, quod omnia Dei nomina, quæ vel in textu sacro, vel alibi ab aliis vsurpantur authoribus, sunt ab ipsius operibus deriuata, præterquam hoc vnicum, videlicet יהוה seu Tetragramma: & ob istam rationem ab Hebræis mysticis dicitur nomen separatum, quippe quod vt significat substantiam creatoris significatione pura, ita quidem in eo non fit cum creatura participatio: at vero quatenus se communicat cum creaturis varieformiter, hoc est in proprietate diuersa, atq; cum illis & in illis operatur, eatenus plurima sortitur eadem essentia agnomina. Sic quidem Adonai est agnominatio alterius nominis Dei simplicis & essentialis, & sumitur ab hoc nomine Adon, quod est Dominus. Sic dicitur, *Loquutus est homo Adon, seu Dominus terræ.* Dicitur autem Adonai causa honoris & gloriæ. Sic est loquutus Abraham Angelo in hæc verba, *Adonai, si inueni gratiam. &c.* Est ergo Adonai agnominatio creatoris. Omnia vero alia, vt iudex, iustus, gratiosus, pius Hela, manifestum est quod deriuentur ab operibus. Nomen autem ipsi coessentiale & appropriatum quod non scribitur & non legitur, est honorabile & super rationem gloriosum, vtpote cuius ratione nihil aliud participat cum creatore. Hinc ergo erat, quod nomen hoc erat grande & in pronuntiatione timendum, & non pronuntiabatur inter Iudæos, nisi in sanctuario à sacerdotibus sanctis Domini tantummodo in benedictione sacerdotali, & à maiori sacerdote in die ieiunii, &c. quatenus per ipsum significabatur substantia creatoris: quare in ea significatione non participabat cum aliqua suarum creaturarum. At vero omnia nomina ab operibus significant, atque denotant rem creatam, quæ non est de essentia hac prima, hoc est se habent & dicuntur secundum comparationem operis ad ipsum. Cum autem multiplicata fuerunt hæc nomina ab operibus sumpta, induxerunt hominem ad credendum quod creatori ascribuntur agnominationes multæ, secundum multitudinem operum à quibus sumuntur. Denique hoc vnum nomen quod substantiam seu essentiam Dei denotat, antequam crearetur mundus erat creator, & nomen eius solummodo, quare omnia alia eius nomina fuerunt data post creationem: nam intelligendum est quod cum substantia Dei simplex sit, sine vllo respectu ad aliquod opus, sequitur, quod nullum aliud Dei nomen sit reuera cognitum, præter solum Tetragramma, quod est sanctum & pretiose dicitur nomen separatum, nisi illud quod ab operibus est sumptum. De decem præcipuis Dei nominibus seu attributis, quæ à proprietate seu ab operibus oriũtur, *inferius* dicemus plura: hoc enim in loco de illo essentiali, Tetragrammate videlicet, verba effundam copiosa, vtpote quod cum ipsissimam Dei substantiam importat, est illud Cabalistarum *Ensoph*, seu infinitudo omnia cõtinens, omnia implens, ex qua, per quam & in qua omnia; vnde Biblion sacrum ipsius actui ascribit omnes in mundo effectus, siue tendant ad punitionem & malum, siue ad misericordiam & beneficientiam vt statim luculentius. Hinc haud absurde & sine bono fundamento dicebat vir Sapiens, *Spiritum Sapientiæ sanctum simplicem & multiplicem*, simplicem quatenus ipse in se est ipsa natu- *Sap.* 7.

natura & substantia diuina, multiplicem, quatenus multiplices induit proprietates, vnde &
plurima ei assignantur attributa, quatenus opera infinita, eaque proprietate varia proferre
solet.

Hinc etiã satis apte dixit, *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos, &c.* Quo *Ezekiel.*
intendit textus, quod sit spiritus tantũ essentia vnicus, cui etiam nomen assignatur non nisi
vnicum, ei essentialiter appropriatum: at quatenus à ventis quatuor venit, inde arguitur,
quod in hoc vnico spiritu sita est multiplex horum ventorum virtus, adeo vt ratione ad vir-
tutem suam Septentrionalem habita dicitur *Elohim*: at in plaga opposita, seu Meridionali,
Elohim Gibor: sic in Occidente, vbi fit pleniluniũ, Adonai. Quare certum est, quod non sit nisi
vnicus spiritus essentialis & in se indiuiduus & indiuisibilis, qui operatur omnia & in omni-
bus, & est omne in omni, & ratione varietatis in opere varia iuxta captum humanũ creditur
sortiri nomina, tametsi reuera vnicũ solum nomen essentiale ipsi conueniat: nã vtcunq; pa-
gina sacra eũ quandoq; vel *Ehieh*, vel *Iah*, vel *Elohim*, vel *El*, vel *Elohim gibor*, vel *Elohah* vel *Iehoua
Sabaoth*, vel *Sadai*, vel *Elohim Sabaoth*, vel *Adonai, &c.* ipsũ vocat respectu negotij & effectus cir-
ca quos illa vnica essentia versatur, tamẽ non est nisi vnicus Deus essentialiter Iehoua dictus,
qui sub generali hac sua denominatione ea omnia operatur, quippe cuius nominis à pro-
prietate virtus per totum arboris Cabalistarum Sephiroticæ expansum diffunditur, & per e-
manationes seu attributa varia quasi Angelos seu intelligentias ei loco instrumentorum seu
organorum inseruientes, voluntatem suam tam in cœli virtutibus quam in habitatoribus
terrę operatur: vnde factum est, quod nihil possit illis diuinæ istius monadis ascribi siue sit in
mortalium flagellum siue in beneuolentiam, quod non sub nomine Iehoua vtiquam com-
prehendatur: atq; hoc quidem radicaliter & quam planissime comprobare aggrediar. Deus
in radicali sua natura simplicissimæ essentiæ monas in se & ex se & per se sine vllo ad alium
respectu, in nolũtate sua nobis & mundo latens est: & ista eius natura dicitur potentia diui-
na, quatenus tale videtur nobis eius esse priusquam in actum creationis esset producta, atq;
tunc dicitur iste eius actus voluntas, seu emanationis suæ emissio, seu verbi prolatio, quasi
affirmatio. Probatur sic, quia antequam Deus se ad creationem applicauerit, capacitati no-
stræ videtur esse nihil, seu principium, iuxta Cabalistarum doctrinam, hoc est, *Aleph tenebro-
sum*, & quasi negans creaturæ suam existentiam seu præsentiam, seq; in se includens. At vero
quando ex ipsius misericordia sua creare voluit, ex nihilo, quoad nos, se in actum & essentiã
manifestam reuelauit mundo deformi: atq; tunc actus diuinus dictitatur *Aleph lucidum*, qua-
si per affirmationem seu concessionem sui ipsius ad creaturas efficiendas & creandas ex sei-
pso: atq; ita tam priuatiuam quam positiuã habuisse monas ista æterna (cui nomen ab essen-
tia est Iehoua) proprietatem à radice demonstratur. Nec quidem (tametsi in sua beneuolen-
tia mundum creare est dignata) in fonte suo potentiali vel reliquit vel disposuit monas ista
radicalis suam negatiuam vel priuatiuam proprietatem, qua mediante non aliter in iracun-
dia sua perturbat, atq; totaliter priuat creaturam vitæ suæ priuilegio, quam in positiua & af-
firmatiua conditione eam vita & sanitate ditare cernitur. Hinc dixit Iehoua, *Ecce ego mitto* *Exod. 23. a.*
Angelum meum ante te ad seruandum te in hac via, caue tibi à facie eius, & ausculta voci eius ne exacer- *20.*
bes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo, &c. At nomen Dei essentia-
le *est Iehoua*: ergo in eo nomine includitur tam salus & præseruatio quam punitio extrema &
exitium.

Quod autem Angelus iste, in quo erat hoc Dei nomen essentiale & ineffabile esset æ-
terna emanatio illa & sancta quæ ab ore Iehouæ est egressa, testatur pagina sacra istis: *Ex ore* *Eccles.a. 3.*
Altissimi prodij & tanquam nebula cooperui terram; thronus meus columna nubis, &c. Et alibi, *Fuit ijs* *Sap.10.17.*
sapientia tegumentum interdiu, & lux stellaris noctu, &c. Quibus euidens est quod spiritus sapi-
entiæ sanctus esset Angelus ille quẽ misit Deus ante Israelitas, vtpote quem Scriptura vocat *e-
manationem seu fluxum claritatis omnipotentis sinceram, & candorem lucis æternæ, & speculũ sine ma-* *Sap.7.*
cula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, &c. At omnes huius Angeli actiones siue ad seuerita- *Leuit.10.2.*
tem & punitionem, siue ad beneuolentiam tendentes ascribuntur Iehouæ: sic dictum est, *I-* *Num.11 1.*
gnis exiens à conspectu Iehouæ exanimauit filios Aaronis, Et alibi, *Ira accensus est Iehoua, & exardescens* *Num.16.35.*
in eos ira eius consumebat eos qui fuerant in extremitate castrorum. Et iterum, *Ignis à Iehoua egressus* *Deut.4.24. & 9.3.*
consumpsit 250. illos viros qui admouerant thus: Sic etiam sub prædicto Angeli nomine Iehoua *Exod.11.4.*
dicitur ignis consumens; similiter Iehoua percussit eos peste qui murmurauerant contra *Exod. 4.24.*
Moysen pro morte illorum trium cum familiis quos terra deglutiuit. Et alibi, *Ecce* (inquit Ie- *Exod. 9.14.*
houa) *media nocte ingrediar Ægyptum, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne pri-* *Deut. 31.17.*
mogenitum in terra illa. Imo vero de suo electo dictum est, *Cum esset in diuersorio suo occurrit ei
Iehoua, & volebat occidere eum.* Et alibi, *Ecce manus mea erit super equos, & asinos, & camelos, pestis
valde grauis.* Atq; iterum, *Hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum & desuper seruos, vt sci-*

as quod non sit similis mei in omni terra. Atque iterum, quia *Iehoua abscondit faciem suam & ira eius*
Iud. 2.5. *est accensa.* Sic in alio loco. *Manus Iehouæ fuerunt contra illum in malum.* Et iterum, *Percutiet te Ie-*
Deut. 28. *houa peste, tabe calida & æstuante, febre ardente, &c.* Denique Deus sub nomine isto ineffabili Ie-
1. Sam. 2. 25. houa morte afficit & vitam restituit, demittit in sepulchrũ & reducit. Et morte quos Deus
1. Sam. 2. a. 3 afficere voluit cor eorum indurat; nam Deus Iehoua contra bonos esse nequit. Hinc textus,
1. Sam. 22. 27. *Iehoua bonus cum bonis, purus cum puris, & luctatur cum impuris.* Infinita profecto huius rei testimonia proferre possum probantia, nomen hoc Dei essentiale omnes actus & operum effectus in se comprehendere: sed quoniam textus sacer huius rei exemplaria vbique per totum scripturarum filum exhibet, vos ad seriam ipsius lectionem referendos esse velim.

Hoc ergo modo rationem expressimus haud pluribus, cur Deus imprimis dicatur causa efficiens principalis, & tum postea quomodo sub nomine ipsius essentiali & ineffabili vt plurimum tam saluare quam damnare, tam percutere quã mederi, tam malo persequi, quam bono afficere, idque per vniuersam scripturarum sacrarum seriem dictitatur. Iam vero ad varia ipsius essentiæ diuinæ attributa, seu multifarias Dei agnominationes à proprietate desumptas, mediantibus quibus dicitur idẽ Deus, eadem essentia diuina, simplex (dico) virtus illa in mari diuinitatis magno Ensoph dicto vbique natans, multiformiter in mundi natura operari, descendam.

CAPVT III.

De variis vnius essentiæ diuinæ sub nomine Dei generali Tetragrammate comprehensæ attributis, & quod sint, iuxta Cabalistarum doctrinam, numero 10. *& quomodo hoc nomen ineffabile & essentiale* יהוה *illa omnia Dei agnomina in arbore Sephirotica continet in se.*

IN operibus meis *præcedentibus* fuse mentionem egi de varijs Dei à proprietate nominibus, vbi verba de numerationibus Cabalisticis fecimus, videlicet, quod principium siue radix arboris Cabalisticæ adhiberetur agnomini Dei *Elohim*, & quod canalis, seu numeratio per quam emanaret ista proprietas dicta esset *Cheter*, seu corona: secundum *Iah*, cuius meatus seu porta dicitur *Hochma*, seu sapientia: tertium *Elohim*, emanans per numerationem seu portam *Binah*, siue sapientiam: quartum *El*, penetrans per portam *Chesed*, clementiam arguendo: quintum *Elohim gibor*, descendens per *Geburah*, hoc est punitionem; sextum *Eloah* virtutem suam lucidam impluens per foramen *Tiphereth*, id est, gratiam: septimum *Iehoua Sabaoth*, proprietatem suam effundens mediante porta seu ramo *Hetzeth*. triumphum significante: octauum *Elohim Sabaoth*, influxum suum per transitum *Hod*, seu laudem emittens: nonum *Sadai* quod impluit suam emanationem per meatum seu Sephirotam *Iesod*. quæ arguit redemptionem: deniq; *Adonai*, quod est nomen Dei à proprietate in arbore Cabalistica vltimum, per *Malchut*, hoc est, regnum, suam proprietatem dominantem instillat in inferiora. Atque ita videtis quod agnomen Dei *Ehieh*, incipit arboris Cabalisticæ dimensionem, *Adonai* vero eam concludit. Quibus videre licet, quod arbor ista incipit & definit cum proprietatibus oppositis, vt statim declarabimus.

Iam vero re in isto statu se habente sermone breui audietis, quomodo alij istas numerationes 10. in membra tria contraxerint: nam volunt quod tria sint præcipua nomina diuina, quorum prius est *Ehieh*, nomen simplicis & totius clementiæ, fons primus omnium gratiarum, omnibus parcens, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quem docemur à Christo in nostris necessitatibus precari, dicentes, *Pater noster qui es in cœlis, &c.*
Sap. 1. 13. Hinc dixit ipse etiam alibi, *Pater non iudicat quenquam.* Atque in ista sua proprietate creauit
Gen. 1. ipse omnia vt essent (iuxta Sapientis dictum antea allegatum) *& sanabiles fecit nationes orbis terrarum:* in hac creauit ipse hominem ad imaginem suam. Tertium, nomen est *Adonai*, quod de se est totius iudicij, nihil gratiæ continens, nisi vt gratificatur à primo Ehieh, mediantibus tamen medijs dimensionibus: atque istud Adonai, vt dictum est, in vltima locatur Sephirotha, sicut Ehieh in prima. Nomen autem secundum siue intermedium inter illa duo extrema est nomen *Tetragramma* יהוה ineffabile, quod respectu particularis proprietatis *Eloah*, nuncupatur: at vero quatenus vtraque extrema continet, non minus quam centrum circuli integram diametrum, ita quidem nomine Dei essentiali nuncupatur Sephirotarum centrũ, videlicet *Iehoua*, quippe quod nomen est centrum & circumferentia cuiuslibet

libet rei, cuius peripheria est nullibi. *Iehoua* ergo in media linea *Tiphereth*, locatur: quare certum est, quod participat de natura vtriusque extremi, vtpote cuius est vtraque extrema, videlicet in latere dextro & sinistro sita, simul connectere: quare haud inconsulte à Cabalistis nuncupatur *Pulchritudo*: nam proportionaliter influxus omnium generum continet. Vnde certum est Tetragramma esse nomen clementiæ quatenus ad *Ehieh*, respicit, atque tunc agnomen tale à proprietate ista induit: at vero si ad proprietatis nomen *Adonai*, spectat, tunc iudicij titulum, vtpote seueritatis proprietatem induens sibi vendicat. At vero si Iehoua seu substantia Dei à centro Sephirotico seu abysso *Ensoph*, ad vtraque respiciat arboris Sephiroticæ extrema, notandum est, quod gratia magis in eo; quam iudicium & seueritas elucet, plus enim ergà creata gratia & clementia vtitur quam iudicio. Quod etiam arguit vir sapiens in istis. *Quin vno afflatu cadere potuerunt à iustitia persequente, & ventilati à spiritu potentiæ tuæ: verum omnia mensura, numero & pondere disposuisti, nam multum potes quod tibi semper adest: quandoquidem tanquam momentum è lancibus est totus mundus coram te, & tanquam gutta roris descendens mane in terram. Misereris autem quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum vt resipiscant: nam diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum quæ fecisti, nec enim comparasti quicquam quod haberes odio. Parcis omnibus, eo quod tua sunt Domine animarum amans, &c.* Sap. 11. a. 21.

In quo verborum filo aperte significatur Iehouæ sub proprietate sui agnominis Ehieh natura & virtus, & quod in creaturæ vitæ & sanitatis præseruatione, hoc est, in benignitate atque misericordia versatur, vtpote in qua & per quam eius virtutem & voluntatem, efficit vt omnia sint talia qualia sunt creata, & in sua specie permaneant, atq; eosdē sanitatis limites in quibus creantur non excedant. At vero è regione si ad proprietatem illam se absolute vertat in qua respicit terminum ad quem, vel per quem nomine Adonai insignitur, tum quidem ad seueritatem & iudicium atq; punitionem inclinatur. Hinc ait textus, *Iehouæ manus fuerant contra illum in malum*. Et *alibi* in persona Iehouę, *Erit stupor gentibus eum fecero in te iudicia in feriore & indignatione & in increpationibus iræ; quando misero sagittas meas pessimas in eos, quæ erant mortiferæ, & quas mittam & disperdam eos.* Et *alibi*, *Flagellauit Iehoua Pharaonem plagis maximis*, Et *alibi*, *Furor Iehouæ concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Et Psaltes hæc agnoscens ad prophetam ait. *Ira tua absumimur & æstu tuo conturbamur.* Et vir patiens, *De furore omnipotentis bibit impius, &c.* Quibus euidens est, quod *Iehoua*, tam afficit morbis & morte per proprietatem suam sub agnomine suo seuero *Adonai*, comprehensam, quam sanitate & vita per proprietatem sitam sub agnomine suo *Ehieh*: vnde dixit Moyses, *faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consumpserit te. Percutiet te Iehoua tabe calida, æstuante ac vrente febre. Percutiet te Iehoua vlcere Ægypti & hæmorrhoidibus, & scabie & prurigine quibus non poteris sanari. Percutiet te Iehoua Amentia & cæcitate & stupore cordis.* Denique per naturam Angeli quem misit Iehoua in præseruatione Israelitarum in itinere suo, in quo erat nomen Iehouæ, declaratur vtrasque proprietates extremas esse in nomine Iehouæ. Iud. 2. 5. Ezek. 5. a 15. Gen. 12. 17. Num. 12. 10. Psal. 88. 17. Iob. 21. 20. Deut. 28. 20 Ib. 27. Ib. 28.

His igitur sat liquido constat, iuxta Biblij sacri testimonium, quod Iehouæ sit solius occidere & viuificare, quippe qui dixit, *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere, &c. Ipse est* (inquit Iob) *qui vulnerat & medetur, percutit & sanat.* Et Psalmista ait; *Deus in ira indignatur, in voluntate viuificat.* 4. Reg. 5. Deut. 32. Iob. 5. Ps. 30. 5.

Verum vt in nominum diuinorum, seu attributorum à proprietate Iehouæ varia desumptorum enucleatione aliquantulum diutius insistam; inueniemus quidem ex hominum in mysterijs Dei profundorum sententia; quod nomen Dei *Iah*, secundæ Sephirotæ præsidens sit à Iudæis propter beneficia inuocatum: nam vt *Adonai*, ab ipsis æstimatur pro sæculo seueritatis, ita quidem *Iah*, pro illo clementiæ habetur, vt in portæ lucis *cap.* 8. Similiter *El*, quod est nomen Sephirotæ quartæ, est à proprietate benefica deriuatum, vtpote sub qua Deus Iehoua omnia fouere, & omnibus sua pietate & clementia succurrere traditur: atque ob istam rationem Iehouæ propter istam suam conditionem gratia attribuitur. Imo vero est nomen curationis & sanationis: nam quando Moyses orauit Deum pro curatione Mariæ leprosæ, sic dixit *El, na, rapha, na, la*, id est; *Deus gratiæ sana illā quæso.* Hinc ait Reuchlinus, quod *tum diuino nomine El, appropriantur hæc, videlicet gratia, misericordia, brachium, innocens, oriens, sacerdos, Angelus in specie electri, aquæ superiores &c.* Sic etiam *Eloha*, quod est cognomen portæ *Tiphereth*, ex proprietate & inclinatione præsidens, ad gratiam, pulchritudinem, lætitiam inclinat, & arguit lignum vitæ, denotatq; sacerdotem magnum. Denique *Sadai*, arguit quod Deus omnipotens aut sibi sufficiens est, hoc est; non est ei opus alterius adiutorio: arguit ergo sufficientiam Dei in creando & pręseruando, in quo vsu *El Sadai*, dicitur, hoc est, qui in se sufficit miracula & prodigia facere.

Iam vero restat inquirere, quæ sunt nomina illa, quæ ex parte alterius lateris seu extre-

mitatis inclementiæ & ſeueritatis ſunt. Imprimis ſciendum eſt, quod agnomen Iehouæ proprietati numerationis ***Binah***, conueniens, videlicet *Elohim*. ſit nomen inclementiæ, per quod (teſte Archangelo Cabaliſta) veniunt ſeueræ punitiones, iuſtitiæ & ſtrages, &c. Porro etiam ***Elohim gibor***, quod eſt nomen cuius proprietati ſubijcitur numeratio ſeu Sephirota ***Geburah***, ſeueritatem arguens ex conditione ſua importat punitionem, pœnam, timorem, rigorem atque ignem egredientem ab aquis, quemadmodum accidebat in creatione. Deniq; ***Adonai Sabaoth***, arguit etiam ſeueritatem: nam vbicunque *Elohim*, vel *Adonai*, recitatur, ibi quidem ſeueritas & pœna in Iehoua eſt expectanda. At *Iehoua Sabaoth*, arguit quietem & lætitiam: imo vero in ipſa mundi creatione tonitrua & fulgura mediante verbo *Elohim*, tremenda, idque actione contentioſa ſunt producta. Quibus videre licet, quod ex iſtis attributis alia ſunt negatiua ſeu priuatiua, alia poſitiua & affirmatiua; & quod ſacra ſcripta ſeu teſtamentum vetus per dictas numerationes in 10. nomina, & per ea in vnum Tetragrammatis nomen redigunt & reducunt, affirmando quod Enfoph ſit a quo, qui dixit *Ego ſum primus & nouiſſimus* Hinc ergo habetis ſcaturigines hic canales proprietatum differentium, ab vno fonte æterno & infinito emanantes, quibus tam morbi & mors quam ſanitas & vita aſſidue ad inferiora impluuntur & effunduntur; & quamuis omnes hi influxus boni ſunt bonis, tamen malis etiam boni redduntur quandoque propter malam recipiendi rationem mali, & multo magis qui à fontibus ſeueritatis deſcendunt, vt *in ſequentibus* dicemus vberrime.

CAPVT IV.

De binis illis Iehouæ proprietatibus, in quarum vna ſub agnomine Elohim ſe contrahit & abſcondit, in altera ſub agnomine Elohim gibor ſe dilatat, & manifeſtat, in iracundia ſua, & de morbis varijs ex ipſis exorientibus.

QVAMVIS variæ in arbore Cabaliſtica proprietates ad Iehouæ ſeueritatem tendant, & conſequenter agnomina Dei ad rationem effectuum varia ſortiantur: tamen earum quædam ad iſtam, aliæ ad aliam mortalium perturbationem tendunt: verbi gratia Adonai arguit proprietatem Dominij, & inſultationem per rigorem, aut brachij fortitudinem, vti per gladium, famem, & peſtem. Sic & triumphus. At vero duæ numerantur proprietates Iehouæ inſignes quibus inſigniter & notabiliter agit Iehoua ad mortalium perturbationem, videlicet vel contractione ſui in ſe, & dilatatione, ſiue emiſſione ſui à ſe in iracundia & furore ſuo: nam vt Deus, monas, naturam in ſe potentialem habet, in qua actum ſuum reuelare non vlt (in quali diſpoſitione manebat ante mundi creationem) ita quidem proprietate & conditione fruitur in qua potentiam illam (emittendo ſe à ſe hoc eſt, manifeſtando ſe) in actum & manifeſtam eſſentiam reducere poteſt; atq; in ſua diſpoſitione extitit in actu creationis: nam mediante iſta ſua proprietate omnia ſunt ex re inuiſa creata. Deniq; his vtriſque proprietatibus vtitur ipſe poſt creationis complementum vel ad mortalium flagellum vel ad eorum beneficentiam. De iſtis igitur duabus proprietatibus diſcurrere, ipſas fundamentaliter & radicaliter diſcutere mihi hoc in loco propoſui, & imprimis cum illa contractiua, & ad potentiæ diuinæ naturam tendente exordiar.

Certum eſt ergo, quod Deus monas ante mundi creationem ſe in ſe contrahens, atq; ad centrum ſuum recurrens, & non extra illud circumferentiam verſus emanans, tam materiam ſuam quam formam abſcondit & continet in ſe: atq; iſte diuinitatis latentis ſtatus dicitur potentia diuina, in qua dominantur tenebræ: atq; ob iſtam rationē à Cabalæ & Theologiæ occultæ peritioribus Aleph tenebroſum, & quaſi Nihil: nam ſic ſcribunt. *Infinitudo ipſa trium ſummarum Cabaliſticæ arboris numerationum, quas vos tres in diuinis perſonas appellare conſueuiſtis, abſolutiſſima eſſentia, cum ſit in abyſſo tenebrarum retracta, & immanens, otioſaque vel vt aiunt, ad nihil reſpiciens idcirco dicitur* אין *id eſt, Nihil, ſiue non ens, ac non finis, quia nos tam tenuis erga res diuinas ingenij paupertate mulctati, de ijs quæ non apparent, haud ſecus ac de ijs quæ non ſunt iu-*
Sap. 11. 18. *dicamus.* Hinc dixit ſapiens, *Manus omnipotentes mundum ex informi materia effecit*; vel ſecundum Hieronymi expoſitionem, *ex materia inuiſa. At vbi* (ait Reuchlinus) *ita ſe oſtenderit vt ſit aliquid, tunc Aleph tenebroſum in Aleph lucidum conuertitur*: nam ſcriptum eſt, *Sicut tenebræ eius,*
Pſal. *ita lux eius.* Sic ergo Deum latentem habetis, cuius exiſtentia, reſpectu noſtrûm potentia diuina, nam in iſta diuinitatis proprietate, formam ſuam lucidam in ſuo centro recondit, non aliter quam omnis numerus in vnitate & omnis dimenſio in puncto latet: in quo ſtatu tenebræ erant in ſuperficie abyſſi. At tenebrarum filia eſt quies, vt & quietis proles & agoniſta

eſt

est frigiditas, cuius proprietas ob hanc causam est omnia attenuata suo contactu per caloris priuationem contrahere & contractione inspissare & obtenebrare, atq; ita indurando aut condensando ea ad quietis leges reducere, quæ est tenebrarũ vita. Sic quidem videmus aërem diaphanum & pellucidum in densas nubes, de nubibus in niues opacas & haud pellucidas, atq; grandines, & pluuias atq; aquas in densas & caliginosas, minimeq; perspicuas glacies contractiuo frigoris Borealis contactu redigi; qui tandem hac ratione à natura mobili & volatili gradatim in fixam, immobilem & quiescentem istiusmodi frigoris amplexu reducitur cum suis indiuiduis meteorologicis. Hîc ergo videtis, quòd condensatio, induratio, opacitas & immobilitas procedat à frigida Boreali proprietate, q̃ est quietis & consequenter tenebrarũ agonista, & Dei latentis minister quasi Angelicus, mediante quo in proprietate sua Boreali agit in hoc mundo: nam in hac proprietate Iehoua dictus est à Propheta, *emittere niues sicut lanam & pruinã quasi cineres dispergere & deiicere gelu tanquam frusta*: imò verò (inquit) *coram frigore eius quis consistat*? Et Iob: *Iehoua edit glaciem & latitudinem aquarum coarctat. Flante Deo concrescit gelu, &c.* Quibus certum est ipsum Deum ab hac parte, in hoc mundo, per eandem proprietatẽ contractiuam agere qua ante mundi creationẽ egit, dum erat latẽs, hoc est, in se & ad suum centrum contractus: q; etiam quàm planissimè per speculi nostri experimentalis obseruationẽ demonstratur: nam quò magis frigus intenditur in aëre mundano, eo altiùs eleuatur aqua in canali matracii: quo arguitur quòd aër in instrumenti testudine contentus à frigore versus suũ centrũ contrahitur, & coarctatur, & per consequentiã ab existentia tenuiori in densiorem & à re dilatata in rem magis contractam mediante frigoris actione redigitur. Sed vt istius operationis diuinæ rationẽ ab origine & paulò profundiori inquisitione perquiramus: diximus quidẽ *in præcedentibus*, quòd Deus vnus & idẽ in essentia sua, & in se permanẽs & constãs, in voluntate & noluntate ꝓ suo placito versatur; quemadmodum in principio voluminis mei immediatè præcedẽtis, per quoddam emblema hieroglyphicũ, & per integram sermonis pleni seriem, clarũ atq; perspicuum fecimus: quando non vult tunc priuare solet creaturam de illo bono q; ipsa expectat, vnde ei obuenit malum: *Derelinquam eos* (inquit Iehoua) *& abscondam faciẽ ab iis, vt obueniant eis mala multa.* Vnde Psaltes: *Emittente Iehoua spiritum suum recreantur creaturæ, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum expirant, &c.* Hîc ergo habetis expressè significatas tam noluntatem quàm voluntatem, siue proprietatẽ tam affirmatiuam quàm negatiuam in eadem vnitate expressam. At verò magis radicali huius rei expressione inuenimus diuinitatẽ Ensoph esse per se & in se, in qua nihilominus omnia: q̃ identitas quando proprietatis est cõtractiuæ, tunc per portam Binah sub agnominis Elohim virtute impluit proprietatis illius suæ influxus, quos recipit Archangelus ex ordine Thronorum, qui mundo seu sphæræ Saturni præsidet, vnde hi ipsius influxus in Saturni orbem quasi arcam thesaurariã, stipticos & frigidos atq; cõtractiuos influxus cõtinentem, & ab ea per spiritus seu intelligentias illi orbi appropriatas effunduntur in plagam mundi Septentrionalem, vbi ab Angelo illius anguli custode & ad tales influxus in aëris expansum dispergendos à Deo ordinato, more legionũ suæ ditionis vndiq; per spiritum sublunarem ad ordinatoris voluntatem complendam disseminantur: quod quidem eo præcipuè tempore accidere solet, dum Saturnus seu stella Saturnina dominium habet præcipuum in cœlo, aut se potenter per aspectus miscet cum luminaribus. Hinc ergo euenit quòd Iehoua sub nomine Elohim soleat frigore atq; morbis frigidis ab ista plaga vi contractionis affligere; vnde Psalmista: *Coram frigore eius quis consistat*? Sub agnomine (inquã) Elohim, nam iuxta Cabalistas nomen *Elohim* attribuitur Septentrioni: vnde Archangelus, Elohim seuerus, punitiones, terrorem & pauorem significat. Hinc locus Aquilonis ei assignatur, à quo procedit omne malum culpæ & pœnæ, & peccati punitiones. Hinc ergo tot mala tam corporis quàm animæ, à causa & rigore frigido & sicco.

Psal.147.a.16.

Iob.37 a.9.

De sanitatis mysterio.

Deut.32.17.

Psal.104 29

Arch.com. ex Cab. dog.

Nec quidem adeo contractum est istius proprietatis frigidæ imperium vt in sola quarta Septentrionali præualeat, cùm etiam suas margines vltra cardinem Occidentalem extendat, tametsi in gradu non ita valido & stabili, sed magis liquido & mobili, vnde conditionem in ea plaga aqueam statuit, in qua etiam dominatur nomen Elohim, quippe quod in creatione omnium ex aquis illud solummodo nomen in vsu erat: erat enim *Elohim Ruach qui ferebatur super aquas*, mediante quo diuisio aquarum ab aquis est facta, & cõsequenter cœlum & terra creata. Nec quidem ex altera hemisphærii Borealis plaga immunis à frigore & terrea siccitate existit plagæ Orientalis ala, videlicet Cæcius, vnde ipsam terram igneam & siccam alibi dictitauimus: sed in illa parte non *Elohim Ruach*, sed *Elohim gibor* proprietatem suam exercere dicimus.

Hinc igitur liquet, quòd in contractiua Dei proprietate non modo ab Aquilone seu Septentrione stat Iehoua sub nomine Elohim, quod est nomen seueritatis, sed etiam ab Occidente: vnde euidens est, quòd sub frigida & contractiua sua proprietate tam morbos terre-

stres quàm aqueos ad impiorum flagellum pariat atque producat: nam ipsa aqua licet non sit adeò densa ac terra propter defectum siccitatis, tamen satis est compacta propter frigiditatis in ea exsuperantiam; nec quidem adeò in ea abundat frigus septentrionale seu terreum, quoniam ventis Dei calidis & humidis propinquior est aquea Occidentis positio, quàm illa Septentrionalis, vnde moderata liquefactione & dissolutione dispositionis Septentrionis à caliditate humida Meridiei procreatur medium quoddã inter terram & aërem, quod est aqua, quæ ob prædictam causam est frigida & humida: vnde liquet, quòd in aqua adhuc restet aliquid proprietatis Dei cõtractiuæ, mediante qua oculis adhuc nostris subiicitur, & corporeum quid redditur. Atq; ita videtis, quòd secundùm magis & minus spiritus Elohim à Septentrionali plaga, & *Elohim Ruach* ab Occidentali spirat virtutẽ in mari aëreo constrictiuam: nã licet aqua sit mobilis & fluida, tamẽ est magis contracta, & nõ ita humida vt est aër. Hinc ergo euidens est, quòd dimidia maris aërei pars sit proprietati Dei latentis contractiuæ subiecta, vt eiusdẽ pars altera est igneo & dilatãti Dei patentis actui obedientissima, videlicet plaga mundi Meridionalis, & illa Occidentalis, vt ex *sequentibus* percipietis clariùs.

Cùm verò Deus, seu monas latens, seu potentia diuina in se contracta seipsam ad mundi & creaturarum eiusdem gratiam releuare voluerit, à dispositione sua priuatiua in illã positiuam, ab occulto in manifestum, à nihilo quoad nos in aliquid euidens, à conditione tenebrosa ad illam lucidam, à natura contracta in illam dilatantem, à quiescente in mobilem, ac deniq; à potentia informi in actum formalem se conuertit, atq; ita vt in proprietate precedenti seipsam à circumferentia in centrum contraxit, ita quidem in ista se per suam emanationem à centro ad rerum omnium circumferentiam, tenebras potentiales fugando dilatando, iuxta illud Mercurii Trismegisti Pimand. *Mens diuinæ potentiæ, quasi quoddam immẽsæ magnitudinis corpus seu chaos, mutauit formam, & vniuersa subitò reuelauit, vnde omnia in lumen conuersa sunt suaue nimium atq; iucundum, & paulò pòst vmbra quædam horrenda obliqua reuolutione subterlabebatur, in humidamq; naturam migrabat*, &c. Hinc ergo Cabalistæ eum vocarunt in ista sua proprietate Aleph lucidum, seu Aleph tenebrosum in lucidum conuersum; atque tunc facta sua emanatione à termino à quo, ad quem dicitur à Reuelatore α & ω. Vt igitur effectus Dei latentis erant tenebræ, tenebrarumq; filia quies, quietisque proles & agonista frigiditas: frigiditatis autem effectus condensare tenuia, obtenebrare pellucida, torpida & stupida reddere mobilia, eaq; ad quietem reducere, ita quidem in ista sua proprietate patẽti, formali seu positiua, effectus immediatus est lux deiformis, lucis filia motus, motusq; soboles & athleta caliditas, caliditatis autem effectus attenuare grossa & densa, illuminare purificatione opaca & tenebrosa, quiescentia reddere mobilia, eisq; motus actiuitatem tribuere. Ambas autẽ istas proprietates in vnico spiritu æterno hisce videtur Propheta agnoscere: *Iehoua emittente sermonem suum in terram quàm celerrimè excurrit, qui niues emittit sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Emittit verbum suum & liquefacta ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ*, &c.

Pim. 1.

Psal. 147. a. 16.

Quibus innuere videtur Propheta, quòd flante Deo in contractiua sua natura, hoc est ab Aquilone seu Septentrione, tenebræ, quies & frigiditas congelans dominium habent in aëre. At è regione flante eo à plaga opposita ea destruere solet quæ flatu priori composuit, videlicet congelata dissoluit, sicca liquefacit, frigida gradatim conuertit in calida, ac deniq; terrea, grossa, & cõgelatione compacta in tenuia, aquea, atq; iterum aquea in aërea ac ignea dissolutione conuertit. Et tamen est iste in vtraque proprietate actor non nisi vnus & idem spiritus, vna monas, simplexque essentia multiformiter ad voluntatem suam tam in cœlis quàm in terris complendam à quatuor ventis spirans, iuxta illud Prophetæ: *Veni spiritus à quatuor ventis & insuffla interfectos istos*, &c. Quo arguit, quòd vnus & idem spiritus varieformiter agat in hoc mundo: vnde etiam ista diuina emanatio cuncta creans à sapiente dicitur spiritus simplex & vnicus, & tamen multiplex, vnicus, dico, respectu suæ essentiæ, & multiplex respectu diuersitatis suæ proprietatis: vnde in æstuosa ista sua proprietate agnomine *Elohim gibor* à Cabalistis, authoritate literarum sacrarum tam ex parte Orientis quàm Occidẽtis nuncupatur: quod quidem vt intellectu magis radicali colligatis ante omnia vos scire velim, quòd vt ex infinita æternitatis abysso emanatio tertia per numerationem *Binah* fuit facta sub nomine *Elohim*, quatenus proprietatẽ contractionis Septentrionali plagę assignatã importabat, cuius influxus ab Archãgelo ex ordine Thronorũ & sphæræ Saturni præside ad sphærã eandẽ Saturni quasi arani Dei thesaurariã pro talibus influxibus ordinatam deferũtur, ita quidẽ emanatio quinta (cuius porta est *Geburah*) ex eodẽ essentiæ fonte emissa ab Archangelo æstuoso *Samael* ordinis potestatũ & globi in cœlo Martis præside recipitur, à quo per angelos vel sincerè igneos ad plagã Orientalẽ infunditur, & ab angelo vento Orientali præsidẽti per legiones seu afflatus suos æstuosos vbiq; per aëra disseminatur, atq; effectus vrentes & calidissimos sub specie aliqua meteorologica producit; aut prædicti *Samaelis* influxus

Ezechiel.

Sap. 7.

influxus cum illis Iouialibus se miscentes bonos & salutares eorũ à cardine Meridionali expiratos effectus contaminãt, corrũpunt, & quandoq; pestiferos reddunt, idq; præcipuè vbi infortunati Martis insultus super illos Iouis fortunatos dominiũ habẽt. Hinc ergo putrefactio à mala humiditatis Iouialis passione, & caliditatis Martialis actione preter naturali. Atque hoc totũ originaliter procedit ab vno eodemq; fonte diuino in proprietatẽ seueritatis effusum per portã Sephiroticã *Geburah*, q̃ significat punitionẽ seu seueritatẽ: sedes autem siue sanctuariũ horũ influxuum est vel in plaga mundi Australi, quando videlicet Iehoua, seu integra diuinitatis essentia aërem ob peccatorũ pœnam corrumpere intendit: & in isto sensu expressis verbis sic loquitur pagina sacra: *Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius, ante faciem eius ibi pestis & lues vastans in meridie.* Et Psaltes ait: *Ne timeto à lue vastante in meridie*; vel vt alii volunt à dæmonio meridiano. Et Moyses: *Percutiet te Iehoua aëre corrupto, & persequetur donec pereas.* At nomen Dei à proprietate in ista persequutione est *Elohim gibor*, vti nos docent Cabalistæ, vtpote à quo descendunt per foramen *Geburah* influxus æstuosi, atq; per viam dilatationis & examinationis peccatoribus nocentes, atq; consumentes. Hinc Psaltes: *Iehoua ne in ira tua reprehendas me, neq; in æstu tuo corrigas me*, &c. *Consume æstu impios*; *Pluit laqueos super peccatores; ignis, sulphur, procella, tempestas, poculum sunt quo eos potat*, &c. Sic, *Iehoua acuet iram pro gladio procedent directa tela fulgurum ex nubibus*, &c. *Ignis à Deo æterno in eam ciuitatem ad multa tempora immittetur*, &c. *Ira tua absumimur, & æstu tuo conturbamur*, &c. *Iehouæ ira absorbet eos quasi ignis*, &c. *Consume improbum igne non accenso flatu*, &c. atq; infinitos alios ex literis sanctis locos proferre possum exequutionem Iehouæ in proprietate Orientali seu ignea sub agnomine Cabalistico *Elohim gibor*, cõfirmantes. Vnde in pluribus locis *ignis consumens* dictitatur: At quando spiritus Iouiales, vitæ ordinati, à plaga Meridionali emissi; maleuola istiusmodi *Elohim gibor* influẽtia cõtaminãtur, tunc sic loquitur textus: *Ne Iehoua nos cædat peste*, &c. *Manus mea erit super equos & asinos & camelos, pestis valdè grauis*, &c. *Percutiet te Iehoua peste & aëre corrupto*, &c. Iam verò ꝓ meliori vestrûm illuminatione atq; certiori in medullã huius rei introductione velim ego vt retrogradè respiciatis *ad Sect. 1 part. 3. libri. 1. de Morborũ quoad nos differentiis.* In quo libro de morborũ tam supercœlestiũ quàm cœlestiũ differentiis disceptatur: nam in eius *cap.* 3. opiparè descriptum inuenietis quomodo Deus faciei suæ auersione morbis frigidis afficiat & perturbet creaturas, & qua itidẽ ratione, emanatione sui vultus prout est in suo esse, omnia æstuare atq; consumi facit, quatenus nihil impurũ Deus videre aut intueri potest prout est, quoniã eius aspectu omnia examinat & ꝓbat, mediante qua examinatione *montes sicut cera* dicuntur *liquescere.* Atq; in tali eius ꝓprietate dict⁹ est *ignis consumens*: & in tali suipsius manifestatione dicitur in ignea sua proprietate afficere peccatores. *Sic ignis à Iehoua egressus consumpsit 250. illos viros qui admouerãt thus.* Et iterũ: *Ira accensus est Iehoua, & excãdescens in eos ira eius cõsumebat eos qui fuerant in extremitate castrorũ, sed Moyse supplicante Iehouam compressus est ignis ille, ideo locus dictus est Tabbera, quia exarserat eos ignis Iehouæ.* Similiter *ira extens à conspectu Iehouæ exanimauit filios Aaronis Nadab & Abihu, & mortui sunt corã Iehoua.* Sed etiam magis lentè, æstuq; inuisibili, vt in febribus vrentibus & peste cernitur, operatur Deus quãdoq; hac sua ꝓprietate; vnde Psaltes: *Irasceris in æternũ? Ardebit velut ignis zelus tuus? Effunde æstus tuos in alias gentes quæ nõ cognoscunt te, nã consumptor consumpsit Iacobũ.* Et Iob: *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.* Similiter illud à Moyse: *Percutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrente febre ac siccitate & vrigine, ac morbo regio, quæ persequentur te donec pereas.* &c. Porrò si prædictum illud *in præcedenti meo tractatu capit.* 3. bene animaduertatis, ibi totã rationẽ percussionis diuinæ, tam in proprietate sua contractiua quàm dilatatiua vberrimè pertractauimus.

Abak. 3. 3. *Psal.* 91. *Psal.* 6. 2. *Psal.* 19. 14. *Psal.* 11. 6. *Sap.* 5. 24. *Baruch.* 4. 35. *Psal.* 88. 17. *Psal* 21. 10. *Iob* 20. 26. *Exod* 5. 3. *Exod.* 9. 3. *Deut.* 28. *Deut.* 4. 24. *Iob.* 41. 18. *Num.* 16. 35 *Num.* 11. *Leuit.* 10. *Psal.* 79. 5. *Iob.* 6. 4. *Deut.* 28. *a.* 23. *Vide lib.* 1. *de differ. morb. secundùm nos, c.* 3.

Concludimus igitur, quòd in binarũ istarum proprietatũ Iehouæ mysterio vniuersa naturę tam salubris quàm morbosę arcana delitescunt, atq; diligenti inquisitione explorantur & enucleantur, videl. condensationis atq; attenuationis tam secundùm quàm preter naturã initiũ, lucis & tenebrarũ, boni & mali, solutionis & congelationis, actionis & passionis, spiritus & corporis, systoles & diastoles, cordis contractio & dilatatio: imò verò ex duplici ista proprietate formantur omnia creata q̃ ex materia & forma cõponuntur: nam nisi hoc esset non foret vlla in creatura contrarietas: sed quoniã mundus, & cõsequenter q̃ in mundo sunt cõponuntur ex potentia diuina, respectu materiæ, & actu diuino, gratia formę, ideo necessẽ est, vt sint participes proprietatũ cõtrariarum: vnde sequitur tanta in mundo alteratio, & de vna in aliam rem vel corruptione vel transfiguratione mutatio. Sed hoc ex pręcipuis in animali functionib⁹ discerni potest, quoniã eius vita seu facultas vitalis cõsistit in cordis dilatatione & cõtractione simul, eius passiones bonæ, cuiusmodi sunt lætitia, spes, amor, charitas, &c. à sola cordis dilatatione quasi luce, passiones verò malæ, cuiusmodi sunt tristitia, desperatio, timor, odiũ, &c. à sola cordis cõtractione quasi tenebris. Porrò etiã si animalis somnũ & vigiliã respiciam⁹, inueniem⁹ quidẽ somnũ esse ex parte tenebrarũ & quietis, & ꝙ sit nihil aliud,

aliud, quàm quædam quasi contractio spirituum mobilium & vigilantium à circumferentia ad centrum vt ibi requiescant: cum è regione vigilia sit quædam illorum spirituum ad centrum contractorum & in centro requiescentium versus circumferentiam emissio, vt ibi motu quodam circulari laborent & pro animæ necessariis moueantur. Atque hoc etiã perceperunt Philosophi & Medici ethnici, vtpote qui somnum in istum videntur definire modum: *Somnus est animæ delatio secundùm naturam à finibus ad principium*; ac si dixisset, est spirituum sensibilium seu animalium à circumferentia ad centrum contractio vt ibi requiescãt: vnde ibidem sic aliter definit: *Somnus est quies, vacatioq; ab animalibus actionibus*, &c. Ergo est ex parte tenebrarum, quarum filia est quies. At verò è regione vigilia est dilatatio spirituum animalium à centro circumferẽtiam versus, vt circa animæ negotia efficaciter agant & moueantur. Hinc ergo Galenus ait, *Vigilia est animæ à principio ad corporis partes extentio:* ac si diceret est mutatio & liberatio animalium spirituum à proprietate tenebrosa, quiescente & contractiua, in lucidam, mobilem & dilatatiuam: nam testatur ipse Galenus, quòd *vigilantia fit propter siccitatem & caliditatem primi sentientis* id est, cerebri. Ergo est ex parte lucis & ignis. Somnus verò ex contrariis, videlicet humiditate & frigiditate, & quandoque sicco stupore. Ergo ex contractiua natura. His ergo debito modo consideratis euidens est quòd omnes morbi stupidi, somnolenti, insensibiles, & cum ablatione sensuum, cuiusmodi sunt Apoplexia, Catoche, Catalepsis, Sopor, Lethargus, Paralysis, morbus comitialis, passiones hystericæ, syncope, & huiusmodi alii sunt à cõtractione spirituum præternaturali à circumferentia corporis centrum versus: at morbi acuti in quibus vigiliæ præternaturales, Phrenitis, delirium, febres acutæ, aliæ infirmitates æstuantes cerebrum siccantes à nimia fiunt spirituum à centro ad circumferentiam emissione, atque ibidem in actione retentione, adeò vt ad centrum iterum contrahi, vt in eo requiescant, nequeant: atque istiusmodi sunt morbi ferè omnes qui ex dilatatione nimia ignea causantur.

Galen. Fin. med. c. 4. — *Fin. c. 4.*

CAPVT V.

Exempla exprimit permulta ex pagina sacra deprompta, quibus Deum Iehouam quadruplici in mundo afflatu cardinali, partim in contractiua sua proprietate, & partim in dilatata illa morbos tam in macro, quàm microcosmo producere, atq; procreare probatur.

INfluxus illi styptici qui fiunt à porta Binah sub proprietate nominis Dei Elohim in sphæram Saturni, & ab ea in illum mundi sublunaris angulum qui in Septentrione est situs, virtute afflatus Angelici verbum Dei efficientis ab area Boreali in Catholicum aëris expansum expirantur, vbi effectus gelidos tam in regno spirituali, quàm humorali & corporali proferre solent. At verò quoniam tota vis actusq; centralis est in Elohim, à cuius essentia & operatione consistit Angeli motus, vt & globus Saturni ab eodẽ Angelo circumuoluitur, & ventorum Septentrionalium actus in eodem vigore diuino centraliter hæc omnia ducente exagitatur: ideo omnes euentus tam beneuoli quàm maleuoli ab ista quarta procedentes dicuntur prouenire ab effectu Iehouæ seu essentia diuina in proprietate sua contractiua sub agnomine Elohim comprehensa, vtpote quæ Dei essentia dicitur operari omnia in omnibus, quippe à quo, per quem & in quo omnia. Hinc ergo ait Propheta (vt antea) *Deus emittit niues sicut lanam, & pruinam sicut cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?* Et Iob: *Niues & pruinam Deus fortis edit flatu suo, flante Deo concrescit gelu.* At verò si ipsa experientia non testaretur, etiam nos docerent scripta sacra asserentia frigus ab Aquilone prouenire. At effectus frigidi à flatu Dei oriuntur: ergo flatus Aquilonares sunt flatus Dei in contractiua sua proprietate. Hinc ergo Dauid *loco antea citato: Coram frigore eius quis consistat?* Hoc est, spiritus humanus ex calido & humido creatus flatus Dei frigidi & sicci insultibus non est potis resistere, si ipse illum cõtra eum intendat. Porrò etiam dicit Moyses: *Iehoua percutiet te frigore*, &c. hoc est, afflatu suo congelante ab Aquilone seu plaga Septẽtrionali: at flatus Dei congelans efficit soporiferos morbos, cuiusmodi sunt Catoche, Catalepsis, Sopor, Lethargus, Scotomia, Vertigo, Epilepsia, matricis suffocatio, atque etiam stupidos, cuiusmodi sunt Torpor, Timor, Grauedo, Amentia, &c. Nam aiunt scripturę: *Obstupescite, fluctuate, vacillamini, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis.* Et alibi: *Percutiet te Iehoua Amentia, cæcitate & stupore cordis, adeò vt palpes in meridie vt cæcus palpat in caligine*, &c. *Dabit tibi Iehoua cor trepidum, hebetationem oculorum, & mœrorem animi; eritq; vita tua suspensa è regione, pauebisq; noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua: vnoquoq; mane dices, ô si esset vespera, & vnaquaq; vespera dices, ô si esset mane præ pauore cordis tui quo pauebis, & præ visu oculorum tuorum*

Psal. 147. 11 — *Iob 37. 9.* — *Ibid.* — *Deut. 28. 22* — *Isai. 29. 9.* — *Deut. 28. 28* — *Ibid. 62.*

quo videbis, &c. Quibus verbis luculenter describit antistes dubiam & mœstam melancholici vitam, qui hoc malum à proprietate & conditione Septentrionali mutuatur. Et iterum: *Percutiam omnem equum, & ascensorem eius in Amentiam.* Et alibi: *Ego dedi vobis stuporem dentium.* Zachar.12.4.
Pro caligine oculorum ait Propheta: *Percute quæso gentem istam scotomate, & percussit eos Deus.*
Denique pro Lepra dicitur, quòd Iehoua plaga lepræ percusserit Huzziam regem, adeò vt Amos 4.6.
lepra subitò exorta sit in fronte eius. Sic etiam manum Moysis reddidit leprosam instar ni- 2.Reg.6.
uis: necnon Mariam percussit Iehoua lepra adeo, vt esset alba quasi nix. Infinita sunt alia te- 2.Chron.26
stimonia morbos à Iehoua irascente sub proprietate sua Boreali & contractiua in peccatorum pœnam esse procreatos arguentia, quæ hoc in loco exprimere, ne tædiosum fortasse & superfluum esset legentibus, recusabimus.

Influxus verò non ita contractiui, sed magis aquei & inter dispositionem Meridionalem & Septentrionalem se habentes emittuntur à Iehoua sub proprietate agnominis Elohim à prædicta porta Binah, qui cum influentiis Lunæ se permiscentes, Lunæq; distillationes humidas in guttas coagulantes, naturam aqueam in spiritu mundano procreare solent, quæ sub proprietate *Elohim Ruach* regitur & gubernatur: Hinc in seueritate Iehouæ dictum est: *Iehoua ita emittit aquas quandoq; vt subuertat terram, atq; iterum aquas ita cohibet vt arescant*, &c. Iob.12.15.

Quibus verbis proprietates Dei contrarias significat, videlicet illam Orientalem calidam, siccam & igneam, & Occidentalem frigidam, humidam & aqueam. Inde igitur est, quòd morbi aquei, quos Galenistæ pituitosos & phlegmaticos vocant, ortum suum ducunt à fonte aquarum spissarum, qui est in plaga Occidentali: nam cùm peccatum sit causa morborum sine qua non; vnde dixit Saluator Paralytico (qui morbus à plaga aquea prouenit:) *Peccata tua remittuntur, Surge & ambula*; certum est omnem morbosam percussionem esse à Iehoua propter peccati pœnam ordinatam; vnde ablata causa, id est, peccato, necesse est vt effectus cesset.

Quòd verò Deus mediante hoc quandoque operari soleat docemur à texto sacro: *Euro* Exod.15.
(inquit Moyses) *vehemente Iehoua abegit ipsum mare tota nocte, & redegit mare ipsum in siccum, & flatu narium eius coaceruatæ sunt aquæ*, &c. At de vento opposito hæc: *Vento tuo flauisti & operuit eos mare*, &c. Vnde patet, vt in proprietate sua Orientali sicca ligauerit aquas in cumulo & desiccauerit viam: at in proprietate sua Occidentali madida relaxauit aquarum vincula; atque in suo alueo iterum fluere effecit. Et alibi: *Iehoua adduxit ventum Orientalem siue Eu-* Exod.10.13.
rum tota die illa & tota nocte, manè autem erat cùm apportasset Eurus ille locustas. At è regione: *Ventum Occidentalem vehementem immisit Iehoua, qui sublatas locustas illas defixit in mare algosum.* Quibus intueri fas est, quomodo Deus per contrarios ventos struit & destruit, præseruat & vastat: non aliter etiam agit Deus cum homine, vtpote in cuius spiritu tam meteora morbida quàm salubria, mediante sua proprietate Occidentali procreare solet, videlicet Paralysim, Hydropem, Catarrhum, Epilepsiam, & omnes alios morbos qui ab aqueo humore suā sortiuntur originem: Atque ita cernimus Deum in proprietate sua Occidentali operari omnia in omnibus Occidentaliter, hoc est in aquatili sua natura. Contraria planè ratione in proprietate sua æstuosa & dilatante operatur Iehoua in duobus suis imperiis lucidis, siue igneis, videlicet Oriente & Meridie: nam congelata opera Septentrionis atque Occidentis, seu in tenebrosa Iehouæ seu Dei *Elohim* proprietate creata mediantibus proprietatibus eius Meridionali & Orientali, sub agnomine *Elohim gibor*, subtiliatione seu rarefactione destruuntur: nam lucis dominium omnimodo contrariatur illi tenebrarum, & è contra. Vt ergo in proprietate simplici *Elohim gibor*, qui per Archangelum Samaelem in mundum seu globū Martis, impluit suos influxus, & ab eo à cista Dei Orientali recipiuntur atque reseruantur, insistam, dicimus quidem Iehouam in hac simplici sua proprietate à Scripturis vocari *Ignem* Deut.4.24.
consumentem, vtpote qui in tali natura conuertit spiritum mundi sublunarem in naturam e- Iob.41.18.
lementi ignis, qui spiritus ita inflammatus nuncupatur ignis, quo vtitur ipse cùm in macro tum microcosmo, tam pro mortalium pœna & flagello quàm eorum beneficio, iuxta illud Sapientis: *Ignem mitefacit Deus ne comburat*; modo ignem facit ardere inter aquam vt terræ iniustæ fœtus corrumperet. *Nam creatura* (ait textus) *tibi qui fecisti omnia interueniens ad puni-* Sap.16.22.
tionem contra iniustos intenditur & remittitur in beneficentiam pro iis qui confidunt in te. Hic autem spiritus ab halitu diuino irascente adeò inflammatus, vel in sua simplici natura lædit, vel in meteoron coagulatus seu in sulphur & Cometas factus terræ inhabitatores quandoq; malo afficit: nam, teste Psalmista, ministros suos varieformiter indutos ignes efficit vrentes, in quorū centro seu meditullio actus Iehouæ irascentis seu *Elohim gibor* agit & operatur. Hinc ipse sic: *Depluit super improbos prunas, ignem & sulphur, ventusq; vario præstere coniunctus portio po-* Psal.103.
culi eorum erit. Ac iterum: *Ignis accensus est ira mea qui ardebit vsq; ad sepulchrum.* Et alibi: *Ieho-* Psal.11.6.
ua ira sua absorbet eos, quasi consumat eos ignis. Sic dictum est, quòd *ira accensus Iehoua & exarde-* Deut.32.22

Rr *scens*

stens in eos, consumebat eos qui erant in extremitate castrorum, vt antea. Infinita quidem huius rei
exempla alia proferre possum, quæ omnia breuitatis causa omittam.

Quòd autem Deus æstuosos suos euentus, mediante vento suo Orientali, producere so-
Exod 15. leat (quem ventum alibi *flatum narium Iehouæ* vocat textus) ex multis Biblii sacri locis colli-
gimus: & primùm notamus, quòd cùm voluisset Ionam affligere æstu & calore, non vsus sit
Ion. 4 8. aliquo alio ex ventis in ministerio ad tale negotium obeundum; sed (ait textus) *præcepit Do-
minus vento calido & vrenti* (vel vt Tremellius interpretatur) *parauit Eurum silentem, vt percu-*
Ezech. 19. 12. *teret Sol caput Ionæ, adeò vt æstuaret, & peteret animæ suæ vt moreretur.* Et Propheta ait: *Ipsa pes-
sundabatur in ira: ventus Orientalis,* seu *vrens*, seu *Eurus* (vt vult Tremellius) *desiccabit eius fru-*
Genes. 41. 6. *ctus.* Et alibi sic: *Turbo furtim improbum abripit asportante ipsum Euro.* &c. Et Iehoua per os
Iob. 37. 20. Prophetæ dicit: *Percussi vos in vento vrente, & in aurigine multitudinem hortorum vestrorum &*
Amos 4 9. *vinearum.* &c. Et Hozea: *Postquam veniente Euro vento Iehouæ è deserto ascendente exaruit scaturi-*
Hozea 13. 15 *go eius & siccatus fuerit fons eius* Et Hagæ. *Percussi vos vento vrente & aurigine, & grandine omnia*
Hag. 2. 18. *opera manuum vestrarum.* Atque sic in cæteris. Quibus clarum est, Iehouam in proprietate
Elohim Gibor simplici solere spiritum suum quasi ministrum Orientalem ad proprieta-
tis suæ effectus tam in macro quàm microcosmo producendos atque procreandos eligere,
Deut. 28. 22 tam in maleficium quàm in beneficium creaturæ. Hinc ait Moyses: *Percutiet te Iehoua tabe
calida & æstuante ac vrente febre & siccitate & rubigine & morbo regio, quæ sequentur te donec pereas.*
Leuit. 26. 3. Et iterum: *Si spreueritis leges meas, visitabo vos velociter in egestate & ardore, quod conficiat oculos*
Iob. 6. 4. *vestros, & consumat animam vestram.* Et Iob: *Sagittæ Omnipotentis in me grauiores sunt, virus ea-
rum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei, quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.* Atque ita
Deus Iehoua in ista sua proprietate dilatante, operatur omnia in omnibus in Imperio suo
Orientali.

Denique, si *Elohim gibor* sit potens, & proprietatem suam igneam exerceat in imperio
Meridionali, hoc est, si Iouis virtus humida & calida contaminetur infortunatis Martis in
cœlo prædominantis influentiis, tunc quidem corrupti, putridi, atque sæpius contagiosi &
pestiferi pariuntur in spiritu tam macro quàm microcosmi effectus, quorum radix est es-
Abakuc. 3. 3 sentia diuina sub nomine Tetragrammatis comprehensa: vnde Propheta: *Iehoua opus tuum
conserua, in commotione iræ misereri recordare. Deo à Meridie veniente operuit cœlum decor eius, an-
teiuit ipsum pestis, & præcessit anthrax ad pedes eius. Vbi autem constituit, ibi mensus est terram, vidit
& disturbauit gentes,* &c. Vel vt Hieronymus interpretatur, *Deus ab Austro veniet, operuit cœles*
Deut. 28. 20 *gloria eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Et alibi: *Faciet Iehoua*
Ibid. 27. *vt adhæreat tibi pestis, donec consumpserit te. Percutiet te Iehoua aëre corrupto, vlcere Aegypti & hæ-*
Exod. 9. 3. *morrhoidibus, & scabie & prurìtu vt non poteris sanari.* Et alibi: *Ecce manus mea erit super equos,*
Exod. 11 12. *& super asinos pestis valde grauis. Ecce dicit Dominus, media nocte ingredior Aegyptum, & percutiam*
Num. 12. 10 *omne primogenitum. Et transiuit Dominus percutiens omne primogenitum,* &c. *Furor Iehouæ concita-*
Exod 5 3.
1. Sam. 5. 6. *tus in populum percussit eum plaga magna nimis,* &c. Et alibi: *Ne Iehoua nos cædat peste & gladio.
Hæmorrhoidibus percussit Deus Aschdodæos.*

In ista ergo proprietate Deus æstuosam suam naturam abscondit in nubibus densis in aë-
re macrocosmico, & in nebulis æstuosis in spiritu microcosmico, vnde aërem & nubes ex
aëre conuertit mediantibus suis Angelis in naturam corruptam & putridam, vnde febres
oriuntur putridæ: hinc vlcera corrupta, hæmorrhoides contagiosæ, pestis, variolæ, morbil-
li, pthisis, febris purpurata, empyema, morbus Gallicus, Gonorrhæa, &c.

Epilogus ad Membrum istud.

Ex his ergo quæ in hoc libro comprehenduntur, certum est Deum multiformiter secun-
dùm variam ipsius proprietatem à ventis explicatam operari. At verò vt Platonis est opi-
nio, *forma talis à cœlis effunditur qualis est materia in quam infunditur:* ita quidem influxus hi
diuinitus creaturis vel ad eorum pœnam, vel ad eorum beneficentiam emissi opera seu
effectus multiformes secundùm recipientis meritum siue dignitatem producere solent,
nam Dei dona bonis bona fiunt, malis in malum conuertuntur: vnde scriptum sa-
1. Sam. 2. 3. crum: *Iehoua bonus cum bonis, purus cum puris, at luctatur cum impiis, seuerus contra re-
belles, mitis cum pœnitentibus, aduersus bonos nihil potest mali:* vt *Ezechiel. 14. 14. Genes. 19. 22.*
Isai. 19. 22. Vnde alibi, *Plagis afficit & sanat cùm conuersi fuerint vsque ad Iehouam.* Quare alibi: *Mor-*
1. Sam. 2. 6. *te afficit Iehoua & in vitam restituit, demittit in sepulchrum & remittit,* &c. Hinc Psal-
Psal. 18. 26. mista: *Erga electum electus, & erga peruersum peruersus es, tu enim populum humilem
saluas, & supercilium fastiuorum humilias.* Atque hic notare debemus; quod quos
DEVS morbo vel morte afficere vult, illorum corda obdurare solet, vt pecca-

to ita contaminentur; quemadmodum ex historia Pharaonis, & 1.*Sam.*1.25. euidenter videre liceat: nam percussor iustos lædere non potest: vnde Propheta: *Si fuerint tres iusti in medio eius Noë, Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* *Ezech.*14. 14.

Denique infinita sunt scripti sacri testimonia alia, quę expresse probant, Deum esse morborum causam efficientem primariam & principalem, quorum nonnulla hîc expressimus:

Beatus homo qui corripitur à Deo, increpationem verò Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt. *Iob.*5.17.

Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? Nonne ego? *Exod.*4.10.

Mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos, vt scias quòd non sit similis mei in omni terra. *Exod.*9 14.

Iehouæ manus fuerunt contrà me in malum. *Iud.*2.5.

Diebus meis medius ne auffer me. *Psal.*102.25

Cùm impius esset repleturus ventrem, in eam Deus iram suam æstuantem emittit, quàm impluit in eum loco cibi eius. *Iob.*20.23.

Deus increpat per dolorem in lectulo. *Iob.*

Manus Iehouæ percutit morbos lethiferis. *Exod.*9.10.

Deus increpat gentes, perdit improbum. *Psal* 9.6.

Consume æstu impios, *Psal.*17.14.

Dolore afficiunt homines manus Dei quæ eos fecerunt. *Iob.*10.8.

Deus fortis emollit animum hominum impiorum, & Omnipotens perturbat illum. *Iob.*23.10.

Tu vitæ & mortis potestatem habes, & deducis ad portas inferni & reducis. *Sap.*16.13.

Atque ita causam morborum efficientem principalem, naturam videlicet naturantem, numerumve numerantem, principium principiorum, actiuorū actum, hoc est, Deum Optimum Maximum, Tetragramma, qui est cuiuslibet rei centrum, cuius circumferentia est nullibi, cuius est solius operari omnia in omnibus, vtpote à quo, per quem & in quo sunt omnia, luculenter descriptum habetis, cuius nomen sit benedictum, eiusque potentia & virtus timenda atque reuerenda in sæcula sæculorum: mihique creaturæ seruoq; humillimo adsit gratiosus, clemens, faustus, propitius & salutaris, ad vitæ huius testimonium, & in vitæ sequentis seu secundæ sempiternitate. Amen.





LIBRI QVARTI MEMBRVM SECVNDVM,

De causa Morborum efficiente organica primi ordinis.

CAPVT I.

Quòd Deus, qui est causa efficiens principalis, immediatè operetur per organa sua Angelica, tam ad mortalium beneficentiam, quàm ad eorum flagellum. Causa efficiens organica quid: similiter Angeli essentia in hoc leuiter pertractatur.



Vòd essentia diuina sit catholicum illud centrum, quod radicaliter cuiuslibet rei circumferentiam, imò verò eius integrum ad suam voluntatem complendã exagitat & rapit in *Membro præcedenti* luculenter satis expressi. At verò, quia nullus actus suos solet producere effectus sine medio tali actui conuenienti, ideo Deus, secundum voluntatis suæ proprietatem organis vtitur Angelicis, vt per ea possit verbum & velle suum in quocunq;
Psal. 104. patiente efficere: iuxta illud Psalmistæ regii: *Angeli Dei validissimi robore efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, exercitus eius, ministri eius, facientes placitum eius*, &c. Et consequenter, si Angeli Dei efficiant verbum, sunt Dei organa primaria, mediantibus quibus facit omnia, quippe quæ à verbo fiunt. Sic alibi: *Ventus procellosus efficit verbum Dei.* At ipse creator *efficit Angelos suos ventos.* Sed vt hæc aliquantulùm clariùs intelligatis, elicere & colligere debetis ipsius Angeli materiam spiritualem esse quasi speculum clarissimum quod à creatore ideo politum atque depuratum est, vt ad radios seu emanationes ipsius æternas recipiendas dignum reddatur: vnde à Theologorum patribus sanctus Dei nutus, Diuinus vultus, Deus, atque Agalmata, seu specula politissima appellantur, in quibus vultus, seu verbum, seu imago Dei resplendet. Atque hinc est quòd Salomon de summo Angelorum Angelo, *æterna* nimirum *sapientiæ spiritu*, à quo omnes alii Angeli dependent, sic loquitur: *Spiritus intelligentiæ sanctus est vapor virtutis Dei, & emanatio, seu fluxus claritatis omnipotentis Dei sincerus, & candor, seu splendor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, &c. Nam est spiritus aquæ limpidissimus, & arte verbi spagirica summa exaltatione præparatus, qui recipit in se radium Dei catholicum, quem tum postea omnibus aliis formis Angelicis, cuilibet nempe, iuxta suum gradum & ordinem effundit atque communicat. Atque hinc dicta est *sapientia omnium creaturarum prima.* Similiter de isto Angelo summo & imperatorio sic loquitur Iehoua: *Ecce mitto Angelum meum ante te ad seruandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparaui. Caue tibi à facie eius, ne exacerbes eum, quia nomen meum est in eo*, &c.

Psal. 148. Psal. 104. Sap. 7. Syrac. 1. Exod. 23. 20

Quo euidens fit, quòd radius Dei, qui est de essentia eius, & consequenter magnum nomen Iehoua, vtpote quod est nomen essentiæ, est illud quod intendit textus per (*Nomen meum est in eo*) videlicet maiestatis & potentiæ meæ radius est in eius substantia spirituali creata. Hinc ergo erat, quòd per totum peregrinationis Israeliticæ filum quandoque Angelus ille magnus respectu alteritatis suæ creatæ Angelus dicitatur, & quandoque respectu vultus quem in se comprehendebat, hoc est, respectu suæ formæ æternæ, Iehoua nuncupatur: sub quo nomine tam benefecit Israelitis in eodem itinere, quàm plagis & infortunio eos affecit, vt per totam historiæ illius seriem obseruare licet.

Quibus videre est, quòd eadem essentia diuina, sed proprietate diuersa, modo affligit malo, modoq; beare sua misericordia gestit: & quòd vbicunque Angelus percutere dicitur, ibi reuera Iehoua in sua proprietate irascenti mouens per Angelum, & in Angeli centro, mouere & percutere soleat: quare non est Angelus qui hoc facit, sed Deus per Angelum quasi percussoré mediante gladio qui vulnerat, nam vt gladius per se est res planè mortua & immobilis, ita quidem substantia Angelica sine radio Iehouæ qui eam informat, est planè res stupida,

stupida, & motui nulli obnoxia. Dicimus ergo, ne quis vana superstitione ductus putaret ab Angelis omnia humanæ mortalitati cælitus conferri, quod omnia fiant nobis & mundo in istis inferioribus non ab Angelo, sed potius à Iehoua seu ipsa maiestate diuina per Angelos, idque non in inferioribus modo, verum etiam in cælestibus, atque etiam Angelis ipsis, iuxta istud Danielis, Secundum voluntatem suam facit in exercitu cœli & habitatoribus terræ. *Dan. 4.*
Vnde Apostolus, *ipse operatur omnia in omnibus.* Sed hoc ab ipso *alibi* expressius sic significa- *1. Cor. 12.*
tur. *Dij quidem sunt qui dicuntur in cœlo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater à quo omnia & nos* *1. Cor 8*
in illum, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. &c. At Christus est *4. Ephes. 8.*
æterna illa sapientia seu verbum omnia implens, seu Angelus vniuersalis mediante quo & per quem Deus omnia facit; verbum autem est Deus: quo liquet quod ex ipso, per ipsum & in ipso sunt & fiunt omnia, siue ad creaturæ infortunium, siue ad ipsius fortunium se extendat ipse.

Quomodo autem Deus per instrumenta sua Angelica agat ad salutem & beneficentiã creaturæ, per *totum librum primum & secundum Tomi præcedentis, sectionis primæ, partis secundæ*, vbi de Angelica salutis ratione agitur, vberrime disceptauimus, vbi etiam de Angelico mysterio plenius, & filo magis terso egimus. Hoc vero in membro de Angelica morborum & mortis ratione (Iehoua in ipsis quasi suis organis primarijs operante) verba facere satis copiosa in animo institui.

CAPVT II.

Quomodo Deus in sua Noluntate, (vt ita dicam,) seu proprietate priuatiua, Angelo tenebroso pro ministro organico vtatur, quo morbo & morte mortales percutiat, non aliter, quam in sua voluntate, seu positiua proprietate in Angelo lucido ad sanitatem & vitam præseruandam mouere assolet: & quod idem diuinitatis actus sit non aliter in vtrisque dictis Angelis, quam eadem monas sacrosancta in Deo tam latente quam patente.

IN *præcedentibus* ipsum Deum in natura seu proprietate sua priuatiua atque contractiua dupliciter morbos & mortem producere solere demonstrauimus, videlicet seipsum contrahendo in tenebrosa & frigida sua proprietate, qua Deus làtens dictitatur, vel in lucida & æstuosa sua conditione, atque in ista ignis consumens nuncupatur à pagina sacra. In illa vtitur Angelis inuisibilibus, quos fecit ventos, mediantibus quibus morbis affligit tam terreis quam aqueis; in hac mediantibus, ministris suis visibilibus, *quos* facit (teste Propheta) *i-* *Psal. 104.*
gnes vrentes, morbis aëreis & igneis affligere solet: in contractiua enim sua proprietate congregat spiritus igneos vbique in aëre dilatatos atque expansos, qui dum in aëre dilatantur, non nocent neque vrunt, sed cum in ignem congregantur spissum consumunt & comburũt: sic etiam niues & grandines atque pruinas pluuiasque ipsius aëris ventosi congregatione, seu contractione atque occultatione sui, in nube efficit per ministros suos ventosos: quemadmodum è regione contractione sui in se in ignea sua proprietate, cometæ, fulgura, coruscationes & presteres generantur: quæ omnia meteora à ministris suis ignitis animantur atq; viuificatur ad mentem seu verbum creatoris in terris, in aquis atque in aëre complendum. Vnde euidens est, quod aër, seu commune regionis sublunaris medium assidue secundum voluntatem creatoris, siue sit in proprietate sua lucida & æstuosa, vel contrahente, vel dilatante, siue in illa tenebrosa & frigida, ab vno statu in alium transmutetur; quam quidem mutationem philosophi Elementa dictitarunt. De ministris autem Dei vrentibus sic loquitur Iob. *Numquid mittes fulgura, & reuertentia dicent tibi adsumus?* Similiter spirituum *Iob. 38. 35.*
horum potentiam actus in nubibus cum flamma & tonitru (quos *populum robustissimum* vocat) optime describit propheta Ioel. Hinc inde agnoscit etiam Reuelator, quod *fulgura pro-* *Ioel. 2.*
cedant de throno; hinc inde arguens quod sint spiritus à præsentia diuina emissi ad voluntatem diuinam perficiendam: At quicquid à Deo emittitur nuntius est, & consequenter Angelus, quorum est proprietas tam in spiritu humano quam mundano (sic volente creatore) meteora ignita conseminare.

At vero, quod vnicus sit princeps aëris in malignitate versatus qui habet dominiũ su-

Ephes. 2. 1. per omnes huius mundi dæmones qui in malignitate sunt positi, & ad detrimentum humanum proni, testatur Apostolus in his. *Christus vos viuificauit cum essetis mortui in delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, spiritum qui operatur in filijs diffidentiæ, &c.* Atque istum principem in secretis Agrippa. naturæ peritiores *Meririm*, id est, spiritum æstuantem, & dæmonem furentem in Meridie dixerunt, qui præcipue creditur habere Dominium in dæmones sexti ordinis, quorum est tonitrubus & fulguribus misceri, aëraque peste inficere: imo vero hic est ille aëris princeps qui potestatem habet (creatore sic volente) in omnes ventos, eorumque duces ad mala tam in aquis quam in terris perpetranda impellit atque exagitare gestit: non aliter quam ad beneficijs atque gratiis suis mundum ornandum suum bonum Angelum Michaelem huic principi maligno dominum ordinauit, vt ipsius imperatu ventorum duces impedirentur Apoc. 7. a. 1. atque corrigerentur in sua malitia, iuxta illud Apocalypsis, *Vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis stantibus super quatuor angulis terræ, quatuorque ventos terræ tenentibus ne spirarent, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quousque signauimus seruos Dei in frontibus eorum, &c.*

Quibus imprimis certum est quod omnia terræ & maris nocumenta, cuiusmodi sunt morbi, &c. à ventis procedant, & quod hi venti ab Angelis nocentibus disponantur, & quod ipsorum imperator sit princeps aëris, ac denique quod horum omnium potentia sub-Sap. 1. & 2. ijciatur imperio magni Angeli Michaelis, seu *spiritui æternæ sapientiæ* omnia in hoc mundo dominanti & gubernanti, quippe cuius cura circa vitarum præseruationem versatur, est enim actus diuini, seu proprietatis Iehouæ positiuæ virtus, quæ ideo in mundum erat emissa, vt omnia essent & permanerent in æternum: at malitia Diaboli, seu principis aëris, qui operatur in filijs diffidentiæ, est causa morbi, mortis & mali, est enim ipse potentiæ diuinæ, seu proprietatis Iehouæ latentis, & seipsum à creatura abscondentis seu priuatiuæ virtus. Vnde clarum est vtrosque hos ministros Angelicos vnicæ essentiæ, seu eidem monadi radicali, sed proprietati duplici inseruire, vtpote quorum vnus est à Deo creatus vt efficeret Dei misericordiam eius in vitæ & sanitatis præseruatione, idque per spirituum malignorum à suo officio & exequutione ligationem, quippe mediante quo fecit Deus omnia vt essent: alter à Deo est creatus vt creata destrueret, & vt morbis atque morte mortalia afficeret. Hinc dixit Ie-Isai. 54. 16. houa, *Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & ego creaui interfectorē ad disperdendum.* Hunc ergo cum suis legionibus in proprietate seueritatis eligit ad impios vel morbis vel morte puniendos atque affligendos: illo autem cum suis turmis in proprietate sua benigna & benefica vtitur ad pios & iustos vel humiles, vita, sanitate & gratia afficiendos atque stipandos: nam ex ijs quæ à Iehoua *loco antea citato* pronuntiata sunt, (videlicet, *Ecce ego mitto Angelum meum ante te ad conseruandum te in via tua, noli exacerbare eum, quia non feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo,*) certum est, ipsum nomen Dei ineffabile & essentiale tam de seueritate quam misericordia participare: de seueritate (inquam) per hoc textus membrum, *Noli exacerbare eum quia non feret defectiones vestras:* denique de misericordia & gratia, vnde textus, *Ecce mitto Angelum meum ante te ad conseruandum te in via tua, &c.*

CAPVT III.

Quo demonstratur, quod influxus Dei à qualibet porta Sephirotica varius sit cuilibet Archangelo, stellis tam fixis, quam erraticis, præsidenti quasi vita & anima: & quod superiores Angeli vim & animam inferioribus infundant atque impluant. Deniq; radicalis vitæ & morborum, atque mortis ratio in hoc enucleatur.

IN *præcedentibus*, idque pluribus in locis, probauimus, quod quælibet ex decem numerationibus Cabalisticis habeat peculiarem Archangelum ei assignatum à creatore, qui omnes recipientes dictas numerationes, emanationes seu influxus proprietatum diuinarum multiformium ijs prædestinatarum, ab ijs informantur, viuunt, & proprietatem talem induentes quales sunt illæ voluntatis diuinæ quas recipiunt, in eadem versantur, & naturali quodam instinctu ad eandem naturam exercendam rapiuntur, quando, vbi, & quandiu cer-

creatori, qui eos animat & exagitat, placuerit, & quando ipsos cessare & quiescere vult à suo officio seu opere, tunc radium illius proprietatis sistit in se; aut non nisi parce eum depluit, vnde fit vt talis Angeli actus debilitatur, & emanationis potentioris influxui subijcitur, atque ita in sua exequutione impeditur, Verbi gratia, influxus portæ Cheter recipit Archangelus *Metattron* ex ordine Seraphin, virtute cuius circumuertit primum mobile ab ortu in occasum: vnde mundus vita & motu inuoluntario est præditus: quare iste Angelus magnus à Cabalistis creditur esse ipse quem Platonici vocarunt *animam mundi*, vtpote per quem non modo mundus, sed etiam res in mundo omnes generali anima imbuuntur. Emanationis diuinæ fluxus per portam *Hochma*, descendens recipitur ab Archangelo *Renziele*, seu *Iophiele*, ab ordine Cherubim, virtute cuius sphæra octaua seu stellata motu naturali & magis peculiari ab occidente orientem versus voluitur, & stellæ fixæ quadam vita & virtute ditatæ sunt: similiter & omnes orbes planetarij suos situs & positiones motusque ab occidente videlicet ad orientem sibi vendicant. Atque hoc est Hochma, seu æternæ sapientiæ opus primum per quod stellæ fixæ sunt creatæ in dicto firmamento; & præcipue constellationes illæ Zodiaci signa dictæ, per quæ omnes cuiuslibet Dei proprietates descendunt, & in ipsa impressiones omnes suas multiformes faciunt, vti suo loco explicabitur.

Similiter influxus portæ *Binah* recipitur ab Archangelo *Zaphkiele*; ab ordine Thronorum, qui postquam dictum Archangelum animauit à prædicto spiritu, imprimis per signa Zodiaci Capricornum & Aquarium, quæ ideo sunt Saturni domus, ad globum Saturni transfertur, eumque specificat, atque fixa & contractiua, hoc est, frigida & sicca natura eam ornat; vnde factum est vt virtus & forma fixa & constans cuilibet in mundo creaturæ mediante eo imprimatur. Hinc ergo est, quod Saturnus habeat summam eius virtutem dum inest Capricorno & Aquario. Quibus videre liceat integrum mundum virtute prædictorum trium influxuum, quasi virtute *Ehieh*, patris, *Iah* Filij, & *Elohim*, spiritus Sancti compleri, iuxta illud Dauidis, Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.

Denique in arbore Sephirotica progreditur ad 6. alios Angelos, qui dicuntur stare coram facie Dei, quorum est influxus recipere à Deo peculiares, eosque creaturis mundi iam à trinitate formatis communicare: videlicet imprimis creaturis Angelicis inferiorum duorum graduum; videlicet primum ijs quæ fixis stellis præsunt, deinde alijs cœlestibus, ac tandem elementaribus, quæ proprietatibus suis subiiciuntur. Sic per portam seu canalem *Chesed*, egreditur emanatio, cuius virtus ab Archangelo *Zadkiele*, ex ordine Dominationum recipitur, atque primum conducitur ad domus Iouis in Zodiaco, videlicet ♐ & piscibus, & ab ijs quasi promptuarijs Iouis ad globum Iouis conducitur, vt mediante clementi & benefica sua proprietate informaretur ipse cum Angelicis suis inhabitatoribus. Hinc Iupiter haurit tantam vim à suis domibus dum in ijs existit, tunc Angeli eius è suaui ipsius influentia spiritibus mundi inferioris affluenter influunt, vt tum postea ipsi ad vitæ & sanitatis creaturarum beneficium liberaliter ipsis impertirentur. Emanationes verò *Elohim Gibor*, per portam *Geburath*, descendentes ab Archangelo *Camael*, seu *Samael*, per ordinem Potestatum imbibuntur, & ad ♈ & ♍ primum, deinde in globum Martis, vt enim cum suis creaturis seu intelligentijs informent, impluuntur. Hinc ergo est quod Aries & Scorpius sunt domus Martis, in quibus existente Marte tum potens redditur ipse. Deinde à globo Martis ad ignitos mundi inferioris spiritus tum postea effunduntur, qui ob istam rationem potestati *Samaelis*; & suis Angelis Martialibus subijciuntur. At verò aurei, atque gratiosi illi influxus qui per portam Tiphereth emittuntur à potenti & magno Angelo *Michaele*, ex ordine virtutum amplectuntur, vtpote quibus animatur ipse & splendore diuino adornatur. Hos primum ad signum Leonis, quod est virtutis Solaris promptuarium, conducit, & tum postea ad gloriosum Solis orbem confert, vt mediantibus ipsis gloriæ æternæ vas efficeretur; vtpote in quo æternus posuit tabernaculum suum.

Hinc veteres obseruarunt signum Zodiaci Leonis esse domum Solis; quippe in qua existens suam præcipuam virtutem habet. Ab isto vitæ tabernaculo tum postea vitæ spiritus cuilibet creaturæ in genere impluuntur, vt experientia annua videre licet. A porta autem *Netzeth* egreditur numerationis illius virtus quæ communicatur Archangelo *Hanael* ex ordine Principatuum, qui vt primum ab ea informatur imprimis eam ad signa Zodiaci Libram & Taurum, quasi myrothecia Veneris; & ab ijs in globum Veneris transfert;

fert, eum cum benignis ſuis intelligentijs animans & informans, à quo tum poſtea ſpiritib. benignis in aëre mundi inferioris verſantib. effundit, vt cum mortalium vitis beneuole & ſuauiter agat. Tum poſtea per portam *Hod*, impluuntur influxus diuini ad Archangelum *Raphaelem*, ex ordine Archangelorum, qui virtutem ſeu proprietatem illam conducit primum in ſignum Virginis & Geminos, qui ſunt domus Mercurij, deinde in ſphæram Mercurij; eam iuxta illius proprietatis diuinæ naturam cum ſuis intelligentijs animans atque informans, qui tum poſtea diſtillat ipſam ad inferiora, in quibus per ſpiritus ſuæ naturæ competentibus recipitur, qui eam creaturis huic proprietati ſubiectis communicat, vt ita dotibus planetæ Mercurialis reficiantur. Porro etiam influxus Sephirotæ *Ieſod*, recipiuntur ab Archangelo *Gabriele*, in ordine Angelorum, atque tum poſtea in ſignum Zodiaci Cancrum, ac tum poſtea in globum Lunæ emittuntur, à quo per ipſius intelligentias Gabrieli ſubmiſſas ad ſpiritus ſphæræ aquæ effunduntur, vt per eos circa res naturæ eorum appropriatas exerceantur atque applicentur. Hinc Cancer agnoſcitur ab Aſtrologis eſſe locus in quo Luna ſupremam creditur habere virtutem.

Denique emanationis per portam *Malchut*, diſtillantis virtus ab ipſis ſpiritibus & animabus aërem, aquam & terram poſſidentibus recipiuntur: & quia eſt emanatio ſæculi ſeueritatis, ideo tot & tantæ in mundo fiunt mutationes, & de ſtatu in ſtatum per corruptionem alterationes: hincinde naturam Iehouæ tam in Dionyſij quam Apollinis proprietate denotando, vtpote in qua tam aptus eſt deſtruere & corrumpere, quam reficere atque generare: atque iſtius influxus comprehendit omnem fatalem ſuperiorum virtutem. Horum omnium figuram ſic expreſſimus.

Vide ſis adiectum

CAVSARVM VNIVERSALIVM SPECVLVM.


Hæc ergo vobis innoteſcere velim; vt videatis rationem iuxta Cabaliſtarum doctrinam imprimis quomodo Deus ſua propria eſſentia informet & viuificet quemlibet Angelum, & conſequenter qua ratione rapiantur ad voluntatem ſui creatoris perficiendam: deinde vt percipiatis quo medio Angeli cœleſtes, vt & ipſæ ſtellæ; accipiant ſuas virtutes & vires à ſuperioribus, atque itidem elementares à cœleſtibus; ac tum poſtea vt ſitis facti certiores quod varietas in proprietate Angelorum cuiuſcunque mundi, qua res quælibet ab alia differre ſolet, procedat radicaliter à varietate proprietatum diuinarum. Denique vt intelligatis, quomodo ſubſtantiæ Angelicæ dicantur organa illa primaria, mediantibus quibus Deus quaſi ab eorum centro dicitur operari omnia in omnibus: & quod organum iſtud ſine actu diuino ſit res quædam mortua & immobilis.

At vt ad propoſitum hoc noſtrum iterum redeamus, certum eſt, quod vt proprietates horũ Angelorum ſunt variæ, imo quidem ſibi ipſis oppoſitæ, vtpote quarũ aliç in Noluntate diuina, ſeu conditione eius priuatiua verſantur, aliæ circa illã volentẽ atq; poſitiuam ſe exercent, neceſſe eſt credere ꝙ quando illæ proprietatis Dei priuatiuæ & contractiuæ (voluntate diuina) ſint in cœlo potentiores, tũ morbi & meteora inſalubria eo magis vigere dignoſcũt in ſpiritu vtriuſq; coſmi. At vitæ animaliũ in humido moderato ac radicali & calido innato

ſuaui


Ortus Solis vitam et gloriam dantis:
Incrementum:
Decrementum:
Diei finis, Vita
occasus
Deus Pater Aleph lucidit, Sapientiæ diuinæ actus
1 2 3 4 5 6 7 8 9
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 200 300 400
400 300 200 100 90 80 70 60 50 40 30 20
10 9 8 7 6 5 4 3 2
Simplices Emanationis Archetypica gradus ab Aleph potentiali.
Iod
Primus Archetypi pater agens et coiens cum matre Aleph ad Naturæ humidæ partum.
Aleph Prima Mater de Mem: seu Pane hoc est vniuersa natura humida grauida.
Mem
he
Crepusculum Diei Creationis.
A
B
C
D
Ehieh: pater
Iah. Iehoua.
Elohim.
Cheter: corona
Hochma Sap:a
Binah: prudentia.
Seraphin
Cherubin.
Throni.
Metattron
Iophiel.
Zaphkiel.
Primū Mobile
Cælum Stellat:
Sphær:
Esse material:
Esse formale:
Nexus cum
Aqua.
Ignis.
Vitæpabulū
Vitæ act.
Spiritus.
Elementa.
Anima Messiæ.
Animæ.
Malchut regnū
Adonai.
Angeli.
Iesod: Redemptio.
Sabaoth
Sadai.
Mem Seu Matris secunda pars posterior seu Mem clausum seu Natura humida. omnia finiens.
he Secundus pater imprimens dispositionem tinæ lem et corruptibilem in fine secundæ mat
Solis occasus seu noctis et priuationis initium.

CAVSARVM VNIVERSALIVM SPECVLVM.



ſuaui conſiſtunt: quorum patroni ex agnominibus Dei eſt *El, Eloah, Iehouá Sabaoth*. Ex Angelis *Zadkiel*, vtpote influxus *El*, receptaculum, atque omnes aliæ intelligentiæ ipſius influxui ſubiectæ: Michael vitæ amicus, vtpote virtute *Eloah* plenus cum ſuis ſubiectis Angelicis; & *Hanael*, quippe qui emanationem ſuam à *Iehouá Sabaoth* recipit, hoc eſt à Deo propitiato & quieſcēte, cum ſuis ſubditis. Ex ſtellis erraticis Iupiter, quatenus ipſe virtutem ſuam ab organo Dei *El*, videlicet *Zadkiele* habet, hinc fortunium dicitur maius, nam eſt vitæ amicus quatenus eſt calidus & humidus, vt amplius & latius membro proximè ſubſequenti declarabitur, vbi de Dei organis ſtellaribus mentionem faciemus. E regione verò proprietates Dei quæ à Sephirotis ſeu portis Cabaliſticis *Binah*, *Geburah* & *Malchut* impluuntur, ſeueritatem ideo arguunt quoniam omnimodo conditiones vitæ oppugnant: nam proprietas *Elohim* parit effectus contractiuos, terreſtres, frigidos, & ſiccos, & conſequenter ipſius Angeli *Zaphkiels* virtus ſeu influentia cum ſuis ſubditis Angelicis haud minus pollicetur, vti per triſtes & graues influentiarum Saturniarum effectus teſtatur experientia, qui ſolent eſſe frigidi, ſicci & congelantes, & per conſequentiam caliditati atque humiditati vitæ contrarii. Sic etiam proprietatis *Elohim Gibor*, vtpote extreme igneæ & ſiccæ, cuius arcâ theſauraria eſt globus Martis, ipſius vero cuſtos Archangelus *Samael* cū ſuis ſeruis ſpiritualibus qui tali etiam virtute exuberant, eſt abſorbere & deſtruere humidum vitæ radicale; vnde Iob iſtiuſmodi Dei proprietate oppreſſus, in ſui animi anguſtia hæc verba exſpirauit, *Sagittæ omnipotentis in me grauiores ſunt, virus earum ebibit ſpiritum meum.* Denique in proprietate eius quam ſub agnomine Adonai emittit, potenter atque inſtar Domini dominantis agit per nationes, non morbis longis, ſed gladio, fame & peſte impios eradicans, vti in pluribus ſcripturarum locis videre fas eſt. Ad duas ergo ſeueras proprietates, videlicet ad illam ſtipticam, extreme gelidam & contractiuam quam effundit *Elohim* è porta *Binah* in globum Saturni, & illam vrentem atq; igneam quæ ſuos actus ex porta *Geburah*. ſic volente *Elohim Gibor*, ſeu Iehoua in ira & æſtu ſuo, per Archangelum in orbem Martialem influit, totam morborum atque mortis à cauſa morboſa pręcipue exurgentis rationem referimus: nam Aſtrologi Ethnici experientia ſola docti peſſimas & infortunatas ſanitati & vitæ influentias à planetis Saturno & Marte prouenire atq; deſcendere perceperūt: quare obſeruatione ſola & nulla alia ratione magis radicali docti concluſerunt Saturnum eſſe infortunium maius, Martem vero infortunium minus dictitarunt. Ego hoc idem de intelligentiis dicendum eſſe cenſeo, quoniam quod facit tale eſt magis tale. Deniq; quilibet horum Archangelorum plurimas ſub ſe turmas & cohortes ſui principis proprietati correſpondentes habet, quæ vbique per mundi ſpiritum natant, ſiue volitant, quemadmodum in capite ſequenti clarius.

Capvt IV.

De malorum Angelorum, ſeu dæmonum multitudine, qui non aliter voluntati Iehouæ iraſcentis ſeueræ, quam illi mali ipſius benignæ & clementi inſeruiunt: & quomodo eorum turmæ qualibet Archangelo ex prædictis cuidam ſubiiciantur.

VT ſunt plurimæ Angelorum bonorum cohortes, de quibus hæc Propheta; *Dei curruum duæ ſunt myriades, multa millia Angelorum, Dominus cum illis eſt; Dominus Sinai in ſanctuario habitans*: ita quidem cacodæmonum, ſiue malorum Angelorum multitudo eos æquiparare videtur: vnde Chriſtus de legionibus tam patris ſui quam Satanæ eſt loquutus: & Auguſtinus atque Gregorius volunt, quod Angelorum bonorum numerus omnem humanum captum tranſcendat, quibus contra reſpondent innumeri ſpiritus immundi, tot exiſtentes in mundo inferiori quot mundi ſpiritus ſunt in mundi ſuperiori. At, teſte Porta lucis, *à terra ad firmamentum vſq; non eſt locus vacuus, ſed omnia formis plena, ex iis puræ, ex iis capaces gratiæ, ex iis fœdæ, noxiæ & tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aere; quarum aliæ ad pacem, aliæ ad bellum, aliæ ad bonum, aliæ ad malum, aliæ ad ſanitatem & vitam, aliæ ad morbos & mortem, & omne id in habitatione inferiori in qua nos ſumus.* Hæc Ioſephus Caſtalienſis. Quæ autem ſunt malæ, ſeu Angeli aut dæmones ſquallentes & turpiſſimi ſunt generis humani hoſtes, & dicuntur Angeli contrariæ fortitudinis, quippe qui priuatiuæ Dei proprietati inſeruiunt, vitæq; ſunt oppoſitiſſimi. Atq; horum alii ſuperiorē mundi elementaris regionem peruagantur, vtpote ignei, & qui propinqui nobis aerem oberrant: alii ſunt terreni qui terreſtria territant, alii lacus & fluuios habitant, ac ſæpe ipſum mare quatiunt: alii ſub terra illos inuadunt qui puteos

Pſal. 68.10.

effodiunt & metalla, hiatus terræ prouocant, flammiuomos ventos agitant, fundamenta conceutiunt, qui omnes lucis veſtigia euitant & lucifugi nuncupantur. De his copioſe & lucide Pſellus *de dæmonibus*, & Reuchlinus *in arte ſua Cabaliſtica.* Sed ad Angelorum cæleſtium inquiſitionem iterum reuertemur, vt tum poſtea magis methodice à ſuperioribus ad inferiores deſcendamus.

Quamuis à ſapientibus ſeu Theologis ſecretioribus non niſi nouem numerentur Angelorum ordines, tamen innumerabilis eſt ſingularium ſiue indiuiduorum cuiuſlibet illarum ſpecierum ſeries, quam ipſorum exercitus nominauerunt, quorum duces ſunt Archangeli variis Iehouæ proprietatibus aſſignati, de quibus antea. Quemlibet ergo horum ordinum imprimis iuxta Zodiaci cæleſtis partitionem in partes duodecim diuiſerunt nonnulli ſcrupuloſi, quarum primum in diuiſione membrum *Mizaloth* dixerunt, deinde horum duodecim membrorum quodlibet in portiones triginta ſunt partiti, quas cohortes nuncupauerunt; atque iſtam ſubdiuiſionem appellarunt *El*, quod conſequenter ſub ſe continet cohortes triginta pro quolibet illorum duodecim, quæ faciunt in vniuerſum trecentas ſexaginta Angelorum cohortes. Tum poſtea aliam aſſignant ſubdiuiſionem quæ multiplicat illam 360. per 30. & numerum 10800. producit, atq; hoc membrum ſubdiuiſum vocant Legionem. Deinde numerum hunc in 30. ducunt, atque ita *Rihaton* (vt dicunt) proferunt, conſtans ex 324000. Porrò iterum hunc numerum per 30. multiplicant, & reſultat numerus quem dicunt *Chiton*, qui conflatur ex 972000. Denique iſtum productum iterum in 30. ducunt, eritque reſultans numerus 2916000. Vnde horum omnium ſumma eſt vnum millium, millia ſexcenta & quinquaginta quinque millia, centum & ſeptuaginta duo, idque iuxta Cabaliſtarum doctrinam, qui hos omnes Angelos fecerunt ſpiritus adminiſtratorios.

Platonici vero volunt, quod dæmonum inferiorum tot ſint numero legiones quot in cælo ſunt ſtellæ, dicuntque totidem eſſe in qualibet legione dæmones, quot in cælo ſtellæ. Porrò etiam ſunt Cabaliſtarum nonnulli qui ſtrenue defendunt, quod Angeli non ſolummodo conueniant cum hominibus in multis rebus naturalibus, ſed etiam numero, aſſerentes tot eſſe homines ſaluandos quot Angeli rebelles à cælo in conflictu & pugna inter Michaelem & Luciferum ceciderint, atque tot itidem fore damnandos, quot Angeli ex parte Michaelis victoriam in Angelos caducos obtinuerunt.

Sed miſſas iſtas hominum nimis ſubtilium & puncticuloſorum imaginationes; vtpote incertas, atque plane incognitas faciendo, ad ſpecies Angelorum magis generales me conſtringam.

Diuiduntur Angeli ſupercæleſtes à
- Theologis recentioribus in hierarchias, ſeu choros tres, quorum
  - Supremus, *Epiphania*, cuius ordo triplex, videlicet
    - Seraphin.
    - Cherubin.
    - Throni.
  - Medius, *Epiphonomia* cuius tres gradus
    - Virtutes.
    - Poteſtates.
    - Dominationes.
  - Infimus, *Ephionia* quę diuiditur in
    - Principatus.
    - Archangelos.
    - Angelos.
- Doctorum Hebræorum antiquioribus in ordines vel ſedes nouem, quorum vocant illos
  - Primi, *Haioth, Kadosh*, hoc eſt animalia Sanctitatis, ſeu vitas.
  - Secundi, *Ophanim* formas, ſeu rotas.
  - Tertij, *Aralim*, Angelos fortes & robuſtos.
  - Quarti, *Chaſmalim*, ſeu Hashmalim.
  - Quinti, *Seraphim.*
  - Sexti, *Malachim.*
  - Septimi, *Elohim*, ſeu Deos.
  - Octaui, *Ben Elohim*, hoc eſt filios Deorum.
  - Noni, *Cherubim.*


De

De *Seraphin* mentionem facit Isaias, & Moyses, & Scriptura *alibi* in locis pluribus. *Che-* *Isai. 6.*
rubin assignatur custodia Paradisi: & Psaltes ait, *Ascendit Deus super Cherubin, & volat super alas* *Psal. 14.*
venti. De *Thronis* etiam loquuntur plurimi paginæ sacræ textus, videlicet Ezechiel. c. 1. *Coloss.* 1. Reuelat. *in multis.*

De *Virtutibus, Potestatibus,* & *Dominationibus* Apostolus Paulus in diuersis locis, nimirum *Roman. Ephes. Coloss.* 16.

De *Principatibus, Archangelis,* & *Angelis* vbique in scripturis sparsim.

Sed quoniam diuisio ista à Theologis recentioribus facta est de Angelis supercælestibus, qui stant in conspectu Dei, atque idcirco boni sunt, nos ad spirituum cælestium differentiam descendemus, agnoscentes cum Mercurio Trismegisto, quod Angeli (quos ipse vocat Deos) in Astrorum Idæis cum signis eorum conspiciantur, & quod dinumeratæ sunt stellæ secundum eos qui inhabitant illas dæmones, seu Angelos. *Pim. 2.*



Intelligentiæ, quas Olympicas vocamus quatenus ipsarum sedes creditur esse in Astris, habent ex earum officio fata decernere, & fatales casus inferioribus administrare secundum

voluntatem illius qui eas ſpiritus ſuos adminiſtratorios fecit; vnde fit vt neque malus dæmon, neque malum fatum ei qui reſtat in adiutorio altiſſimi nocere poteſt: nam vere ſapiens dominabitur Aſtris.

Hi dæmones, ſeu Angeli principales ſuas virtutes recipiunt ab influxibus diuinis, vti ſuprà eſt relatum, mediantibus ordinibus ſupercæleſtibus: ſic quidem à porta *Hochma* recipiunt *Cherubin* virtutem quam per Angelum *Reuzielem* ſeu *Iophielem* infundunt in ſphæram octauam ſeu ſtellatam, à cuius radiis infinitis infinitæ in ſtellis fixis proprietates exurgunt. At per Hebræorum ſapientum traditionem videtur iſte Archangelus eſſe quidam princeps illius ordinis quem *Haioh Kadoch*, id eſt, Animalia ſanctitatis vocant, vtpote quæ vita dicuntur: ſic quidem Zodiacus à Ζῶον, id eſt animal, quippe qui animalibus impletur, quæ in animalia terreſtria influxus ſuos faciunt.

Sic à *Binah* recipiunt *Cherubim* influxus *Elohim*, eoſque *Oriphieli* commendant, qui illos ad ſuam manſionem Saturninam defert, ibique per eos, illis quaſi vitam & virtutem qui orbem Saturni inhabitant impertitur, vt tandem ab ipſis ad inferiora impluantur. Sic à *Cheſed* recipiunt *Throni* influxus *El*, eoſque committunt Archangelo *Zadkieli*, qui eos ad regnum ſuum Ioniale confert, eoſque habitatoribus ipſius diſtribuit, vt eorum portio ad inferiora impluatur. Sic à *Gebura* accipiunt Virtutes influentias *Elohim Gibor*, eaſque conferunt Archangelo *Samaeli*, qui ipſas ad regnum ſeu globum Martialem conducit, atque intelligentiis ipſius ei ſubiectis diſtribuit, vt eas tum poſtea ad inferiora ſuo tempore diſtillent.

Sic à *Tiphereth* accipiunt *Poteſtates* influxus *Eloah*, qui eos commendant Archangelo *Michaeli*, vt ipſe eos globo Solari conferat, ſpirituſque ipſius lumine & vita ditet, quo ipſi vigore magis valido influentiam vitæ atque multiplicationis ad inferiora effunderent. Sic à *Netzet* recipiunt Dominationes emanationem beneuolam à *Iehoua Sabaoth*, eamque effundunt in Archangelum *Hanaelem*, qui eam tandem ad regnum ſuum Venerium transfert, à cuius tum poſtea ſpiritibus Veneriis illa in aerem apertum inſtillatur.

Sic ab *Hod* recipiuntur fluxus virtutis *Sadai* ab Archangelis, qui eos committunt *Raphaeli* vt ipſos ad mundum ſeu ſphæram Mercurialem conferat, à quo mediantibus ſpiritibus Mercurialibus in inferiora ad voluntatem diuinam implendam effunduntur.

Sic denique à *Malchut* recipit Angelorum ordo influxus *Adonai*, eoſque *Gabrielis* curæ atque cuſtodiæ committunt, vt ad regnum ſeu orbem ſuum Lunarem eos deferat, quo ab ipſius regni Angelis in campum aeris ſublunarem impluantur.

Atque hac ratione videtis quomodo cæleſtes dæmones recipiant vitæ ſuæ influxus à ſupercæleſtibus, non aliter quam ipſi radicaliter illas proprietates omnes à fonte diuino hauriunt, & quod Archangeli illi ſeptem magni, qui ſunt organa intermedia per quæ influxus diuini transferuntur ad cæleſtia, ſunt illi ſeptem Angeli ſeu principes qui dicuntur ſtare coram facie omnipotentis, de quibus pagina ſacra hæc. *Ego ſum Raphael Ange-*
Tob. 12 15. *lus vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Iehoua. Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, & iuſſus ſum vt*
Luc 1.19. *loquar ad te.* Et Angelus Gabriel ad Danielem. *Ecce Michael vnus de principibus venit in adiu-*
Dan. 10.13. *torium meum.*

Quibus liquet quod ſeptem ſint Angeli, qui adſunt in conſpectu Dei, atque immediate recipiunt influentias ipſius, eaſque conferunt ad inferiora: deinde quod ſint principes narrant Gabrielis verba ad Danielem. De iſtis ergo cum Angelis ipſis ſubiectis intelligit
Pſal.103 20 textus iſte. *Benedicite Iehouæ Angeli eius valentiſſimi robore efficientes verbum eius, auſcultantes voci verbi eius. Benedicite Iehouæ omnes exercitus eius, miniſtri eius facientes placitum eius.* Quo ſermonis filo denotare videtur, tres Angelorum in mundo gradus ſeu ſtationes, videlicet *ſummum*, im membro eiuſdem iſto, Efficientes verbum eius, auſcultantes voci eius, &c. Inde arguens illos Angelos qui immediate auſcultantes voci Dei recipiunt verbum eius: *medium* in hoc. Benedicti Iehouæ omnes exercitus eius, videlicet Angeli cæleſtes: *infimum* in iſto; miniſtri eius facientes placitum eius, hoc eſt ſpiritus Elementares qui immediate feriunt: de quibus Pſaltes: *Qui facis Angelos tuos ventos, & miniſtros tuos ignem vrentem.*

His igitur decernere poteſtis, idque oculis (ni fallor) apertis, quomodo influxus varij in proprietate à Deo eſſentia vnico per intelligentias diſpoſitione & natura variantes ad inferiora deferantur, & qua ratione ſit à gradu Angelorum ſuperiori ad inferiorem proprietatum iſtatum infuſio. Iam vero de infortuniis & nocumentis ab influentiis inſalubribus agemus, quæ mediantibus iſtiuſmodi ſpiritibus fatalitatis miniſtris ad mundum inferiorem (iraſcente Iehoua) impluuntur.

Inquit

Inquit Mercurius Trismegistus, *Omnia sunt fati opera, absque illo nihil est corporalium non bonum sine illo quicquam potest, non malum fieri sine illo.* Pim. 12. *Decretum est eum qui turpe quid commiserit fati, ille ob id committit vt patiatur inde quodcunque patitur quando commiserit.* Et alibi in hæc. Pim. 12. *Homines cuncti fata generationi & transmutationi subiiciuntur, initium quidem & finis est fati duo hæc, generatio scilicet & transmutatio: & homines quidem id patiuntur quod instituit fatum: verum rationales homines quibus mens seu gubernatrix assistit, non eodem modo quo cæteri patiuntur, &c.* Hinc illud, *Sapiens dominabitur Astris.* Quod autem ista fatalitas à septem dictis mundi, seu cœli intelligentiis principalibus gubernetur, *alibi* paucis concludit. Pim. 1. *Fatum* (inquit) *est dispositio gubernatorum septem qui circulis mundi adaptantur.*

His igitur ita explicatis; de malignis cœli octaui, sed præcipue cinguli ipsius, Zodiaci dicti, effectibus in primo loco discurremus. Inquit Iob, *Stillant ab alto pœnæ in die Iræ.* Et *alibi, Cum impius esset impleturus ventrem, Deus in eum iram suam æstuantem emittit, quam impluit in eum loco cibi eius, &c.* Iob. 20. 28. & 23. Sed quoniam hæc sunt nimis adhuc generalia, ad magis particularia accedemus. Vt quidem iuxta magni Iehouæ Angeli conditionem siue naturam duplicem (cuius vna erat benefacere israelitis & eos conducere & præseruare in via sua, altera exacerbari & malis affligere) tam male quam bona mundo eueniunt, ita quidem fati ab eo ordinati dispositio est tam mala & morbis atque morte intoxicare quam bono creaturas inebriare. Hinc ait Mercurius Trismegistus: *Vltrices duodecim à zodiaco, à quo corpus humanum afficitur, qui ex duodecim partibus constat. Vltrix prima est Ignorantia.* Pim. 13. *secunda Tristitia, tertia Inconstantia quarta Cupiditas, quinta Iniustitia, sexta Luxuries, Deceptio septima, octaua Inuidia, Fraus nona, decima Ira, vndecima Temeritas, duodecima Malitia. Purga igitur sensus corporis, solue te ab irrationalibus materiæ ipsius vltoribus, quippe quorum sunt intra te haud pauci, sed horribiles.* Hæc ille. Hinc ergo Antistes iste deno at fatales peccati authores, quibus immenso more patitur anima, & dilaniantur spiritualia spiritus humani membra, quam à dictis vltricibus (Satanæ filiis) in homine alterationem peccatricem & impiam sequuntur ægritudines multæ, atque ipsa mors; vnde ipse *alibi. Impietas miserabiliter dilaniat animam, vt fera corpus, vtpote quæ corporeis vinculis inclusa facile ignorantia corrumpitur.*

Denique de morbis & afflictionibus, quas intelligentiæ impluunt in hæc inferiora, dicemus infra latius, vbi de dæmonum, seu Angelorum inferiorum effectibus verba faciam ampliora. At vero in genere apparet ex sententia Reuelatoris, quod cuilibet ex istis septem Angelis fatalibus stellis erraticis præpositis assignatum sit officium & licentia tam ad terræ creaturis malefaciendum quam benefaciendum: verba eius hæc sunt. *Vidi septem Angelos quibus datum est stare coram Deo, quibus datæ sunt septem tubæ, quorum primus clanxit & facta est grando & ignis mixto sanguine, & tertia pars arborum exusta est, & omne fœnum viride: secundus clanxit, & quasi mons magnus igne ardens protectus est in mare, & tertia pars facta est sanguis: Tertius clanxit & cecidit è cœlo stella magna cadens velut fax in tertiam partem fluminum & in fontes, & vertetur tertia pars aquæ in absinthium & amarum, & multi homines mortui sunt ex aquis. Quartus Angelus clanxit & obscurata est tertia pars Solis & Lunæ & stellarum, & vidi stellam cadentem in terram, cui data est clauis abyssi, aperuit igitur puteum abyssi & obscuratus est sol & aer, & egressæ sunt locustæ habentes potestatem scorpii terrestris, his data est potestas lædere tantummodo homines qui non habent signum Dei in frontibus: datum est autem iis vt non occidant eos, sed vt crucient eos per quinque menses, sitque cruciatus eorum cruciatus scorpii cum percusserit hominem. Habent autem Regem ipsis præpositum Angelum abyssi Abbaddon, Græce Apollyon, id est, perdens dictum. Sextus Angelus clanxit, & soluti sunt quatuor Angeli qui vincti sunt ad magnum Euphratis flumen, & parati sunt omni hora vt occidant tertiam partem hominum: eratque numerus equestris exercitus bis mille centena millia. Vidi equos & ipsorum sessores habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos, & ex ore eorum exibat ignis, fumus & sulphur, & ab his tribus occisa est tertia pars hominum, nempe ab igne, fumo & sulphure quæ prodibant ab ore ipsorum.* Apoc. 8. & 9.

Simpliciter de istis septem Angelis hæc *alibi. Primus Angelus effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum & malum in homines.* Apoc. 16. *Secundus effudit suam in mare, & omnis anima viua mortua est in illo. Tertius effudit super flumina & super fontes aquarum & factus est sanguis. Quartus Angelus effudit suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & æstuauerunt homines æstu magno. Quintus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est eius regnum tenebrosum, &c. Sextus effudit suam in flumen illud magnum Euphratem & siccauit aquas eius. Septimus effudit suam & facta sunt fulgura & voces & tonitrua, &c.* Atque hæ phialæ dicuntur phialæ iræ Dei. Quibus hæc sequentia debent obseruari. *Primum* quod Deus vtatur his Angelis septem cœli principalibus tam ad iram, quam beneficentiam suam exercendam, vbi etiam per phialas quas infundunt in inferiora, arguuntur influxus eorum infœlices, Iob. 20. 28. de quibus Iob *stillant ab alto pœnæ in die iræ.* *Secundum*, quod horum influxuum effectus

producuntur in inferiora, videlicet in aerem, aquam & terram. *Tertium*, quod ipsorum Angelorum vnus proprietate ab alio differat, & consequenter plagam distinctam in regione sublunari parere soleat. *Quartum* quod horum quilibet habet Angelorum siue dæmonum turbam in infimis, qui vires & virtutes suas recipiunt ab influxibus eorum, adeo vt exagitantur & quasi exsuscitantur, atque è locis ipsis destinatis ad officia sua, iuxta placitum diuinum, perficienda euocantur: nam *clanctu quarti Angeli cecidit stella quasi influentia fulgurea in terram quæ aperiebat puteum Abyssi, & egressæ sunt locustæ habentes potestatem scorpii terrestris, quibus datum est priuilegium nocendi hominibus, &c.* Similiter *clangore buccinæ sexti soluti sunt quatuor Angeli vincti vt possent occidere tertiam partem hominum.* De his *alibi* mentionem

Apoc. 7. facit; vbi agnoscit ex horum quatuor Angelorum officio esse, *tenere ventos ne flarent, atque itidem nocere terræ & mari, nisi à forti illo Angelo, qui ascendebat ab ortu Solis, & sigillum habebat Dei viui, ipsi vinculis quasi ligati tenerentur.* *Quintum* quod isti quatuor maligni seu spiritus ventosi habeant principem, videlicet illum quem Apostolus vocat *principem aeris*, qui subtilitatibus suis agit in filiis diffidentiæ, quippe qui versantur in perturbatione aeris; vnde circa morbos spiritus humani præcipue agunt: vt è regione spiritus terræ tenebrosi suo etiam fruuntur principe, qui *Angelus Abyssi, Abaddon*, & Græce *Apollyon*. i. perdens dicitur, de quibus *capite sequenti*. *Vltimum* quod quilibet istorum principum perdentium suos habeat sub se exercitus, mediantibus quibus populariter & vniuersaliter percutiunt, vt per locustas principis tenebrarum seu Abyssi, & per exercitus equestris numerum quatuor Angelis qui custodiunt ventos inseruientem euidens est: vbi etiam per exercitum equestrem intelligere videtur Reuelator spiritus emissorios, qui vehuntur & volant, seu equitant super alas venti, seu aeris.

CAPVT V.

De Angelo percussore principali, & de duobus ipsius vicesgerentibus, videlicet principe aeris, & rege dæmonum terrestrium: similiter quatuor principis aeris duces, simul atque tria illius Abyssi regna hoc in capite pertractantur.

IN *libro de morborum caussis primo*, secundum nos, de Luciferi, cum suis sociis lapsu, atque etiam de primaria illius lapsus ratione verba fecimus satis copiosa, quod etiam Angelorum rebellium à cœlis in terram & mundum aereum collapsus atque præcipitatio esset in secretissimo diuinitatis conclaui ante vllam creaturam ordinata, vt Lucifer cum suis circa priuatiuam Dei latentis siue potentiæ diuinæ proprietatem in hoc mundo inferiori versaretur, hoc est vt ipsi in iracundia sua loco flagellorum & percussorum inseruirent: imo vero vt hominum animos tentationibus & dolis subtilibus inducerent in peccatum, & tum postea ratione illius morbis & plagis sine vlla pietate ab ipsis

Isai. 54. 16. 17. afficerentur. Quod quidem istiusmodi Prophetæ sermone probare atque confirmare sumus aggressi. *Ecce* (ait Iehoua) *ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum, &c.* In quo verborum ordine tria sunt imprimis elicienda. Primum quod Diabolus sit creatus à Deo, contra absurdam & irrationalem illam Manichæorum opinionem: deinde quod ad occasionem peccati mortalibus præbendam per suas tentationes & dolos, & tum postea ad peccatores perdendos, morbisque ac morte afficiendos sit à Deo creatus cum suis. Denique quod sit administratorius Angelus, & fidelis voluntatis illius qui eum creauit executor, impiorumque & diuini luminis rebellium persequutor & percussor, & per consequentiam in conspectu diuino bonus, vtcunque nobis mortalibus ob extrema illa nocumenta quæ afferre solet, pro omnium pessimo & humano generi periculosissimo haud iniuria æstimetur.

Vt igitur Deus mortalium vitæ & sanitati angelum suum bonum & ter maximum (æternam videlicet sapientiam quæ in magno Angelo Michaele inesse creditur) custodem præposuit, (de cuius excellentia & beneficiis *Section. 1. Port. 4. Part. 2. lib. 4. Membr. 2. cap. 7. historiæ Meteorologicæ*, vbi de Meteororum caussa efficiente agitur. Et *Tract. 1. Sect. 1. Part. 2. Lib. 1.* vbi Angelica salutis ratio pertractatur, *cap. 1. 3.* abunde sumus loquuti) ita quidem Deus morborum, mortis & priuationis Angelum suum malum & supremum maligni-

malignitatis fastigium occupantem, principem videlicet tenebrarum, summum Angelum perdentem nuncupatum, authorem fecit primarium, cuius in malitia excellentiam *cap. 8. lib. prædicti 4 de causa Meteororum, efficiente secundum nos*, patefecimus.

Cuius Angeli malitiam, atque extremum erga hominem odium vt melius intelligaris, vos ante omnia intelligere velim quod quemadmodum potentiæ diuinæ proprietas, vtpote priuatiua, est illi actus diuini opposititissiam (vnde tenebræ & lux, mors & vita malum & bonum, &c. inimicitiæ suæ & contrarietatis initium ducunt) sic more haud dissimili princeps ille æternæ lucis, cuius imago est Michael, atque ille æternarum tenebrarum sunt in bello & lite perpetua: at ab eo tempore quo Michael (qui est vitarum atque corporum præseruator, & naturæ ac generationis fautor, assiduusque pro animabus apud Deum intercessor, vtpote ex parte Dei parentis in proprietate ipsius positiua) Satanam siue Draconem, hoc est, principem istum tenebrarum, vitarum deuastatorem, exterminatorem, apertum salutis hostem, generationis nimium, assiduum animarum coram Deo accusatorem, in campo cœli aperto, prælio belloque crudelissimo vicisset, & cum triumpho illum è cœlis seu aquis superioribus ad mundum inferiorem in exilium relegasset (de quo conflictu seu victoriæ trophæo hæc cecinit Apocalypsis, *Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco & Angeli eius non valuerunt, neque locus inuentus est eorum in cœlo amplius: proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt*) ab eo, inquam, tempore, Satanas, seu princeps ille tenebrarum, principi lucis redditus est obediens, & nihil potest mali contra genus humanum patrare, nisi sit cum venia & permissione Angeli illius triumphantis. *Apoc. 13.*

Apoc. 7.

Hinc dixit Michael more imperatorio quatuor principibus nocentibus in angulis quatuor terræ egentibus, in quorum potestate sunt venti, *Nolite nocere terræ quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*: Et *alibi, Locustis datum est lædere tantummodo homines qui non habent signum Dei in frontibus. Et percussor non tetigit domos eorum in Ægypto, quibus postes ostiorum essent sanguine illiti & signati*, atque ita in malis aliis. Quibus videre fas est, quod Diabolus seu princeps ille tenebrarum neminem percutere queat nisi eos quos Deus dereliquit. *Ecce*, inquit Deus Satanæ de Iobo loquens, *in manu tua est*; *Egressus est igitur Satan & percussit Iobum, vlcere pessimo.* *Apoc. 9.* *Exod.* *Iob. 2.*

Antiqui Theologiæ mysteriorum scrutatores *nouem* principis huius mundi tenebrosi potestates seu principes tenebrarum effinxerunt quos nouem illis Angelorum in regno supercœlesti ordinibus respondere volunt, intelligentes de illis de quibus in genere mentionem fecerunt verba Apostoli ista, *Certandum vobis est non cum carne & sanguine sed cum principibus & potestatibus, & dominis tenebrarum in hoc mundo, cum principibus malitiæ sub cœlo, &c.* *Ephes. 6.*

Horum ergo ordinum *superiori* præponunt *Beelzebub* hoc est, vetustus Deus, sub cuius ditione sunt dæmones *Pseudothei* dicti, vtpote qui pro diis haberi atque coli volunt: vnde hi dicuntur Idololatriam disseminare in humano spiritu vt eum ad peccatum alliciant. Talis erat ille qui Christum tentauit. Ordini *secundo* præponitur *Python* id est, serpens, sub quo putantur esse spiritus seu legiones mendaces, hic creditur suis mendaciis sedux isse Adamum & Euam ab eorum erga creatorem suum obedientia. *Tertio Belial*, quod redditur, sub iugo, inobediens, præuaricator & Apostata: atque dæmones sub eius imperio nuncupantur *vasa iniquitatis* à Iacobo in benedictionibus Simeonis & Leui, à Dauide *vasa iræ* & *vasa mortis*, ab Isaia *vasa furoris*, à Ieremi. *vasa iræ*, ab Ezechiele *vasa interfectionis & interitus*. *Quarto* præest *Asmodæus*, hoc est, faciens iudicium, & sub huius imperio dicuntur esse *vltores scelerum*. *Quinto Satan*, sub cuius imperio sunt dæmones præstigiatores; de hoc principe hoc intendit Reuelator; *Qui seducat vniuersum orbem faciens signa magna, & ignem faciens coram hominibus descendere in terram, atque ita seducat eos. Sexto Meririm* id est, spiritus furens & æstuans, cui subiiciuntur illi spiritus qui tempestates producunt in aere, hominésq; spiritus peste & aere corrupto inficiunt. *Septimo Apollyon*, seu *Abaddon* Hebraice faciunt præsidem, hoc est, exterminans & vastans, atque sub huius gubernatione supponunt furias, & seminatrices malorum, discordiarum, bellorum, vastationum. *Octauo Astaroth*, hoc est, explorator, Græce *Diabolus*, id est, criminator & accusator, qui in Apocalypsi vocatur fratrum accusator, accusans eos die nocteque in conspectu Dei. *Vltimo* præponunt *Mammonem*, qui significat Cupiditatem; hic sub se habet insidiatores, tentatores, atque hi cuilibet homini dicuntur esse præsentes. *Gen. 49.* *Psal. 7.* *Isai. 13.* *Ierem. 50.* *Ezeck.*

Hiſce (inquam) cacodæmonum ſpeciebus, vtpote qui ſunt poteſtates aeris, iuxta prædictorum ſententiam, affligitur Aer humanus variis modis, nam ad humanum cœlum penettare nequeunt cacodæmones, vtpote à cœlo expulſi.

Verum (vt mihi videtur) omnia hæc officia vnico generali ptincipis tenebrarum nomini, videlicet Diabolo adſcribuntur in textu ſacro.

Nos ergo viam aggrediemur aliam, nam cum Lucifer ſeu Draco eſſet expulſus à cœlo in terram, vel ab aquis ſupra fitmamentum ad ipſas ſub firmamento, quæ aer dicuntur, tunc quidem princeps dictus eſt tenebrarum qui dominium habet in aere, iuxta hunc D. Pauli ſenſum. *Qui ambulaſtis ſecundum vias principis illius qui dominium habet in aere*; hoc eſt, in iſto mundo inferiori. At vero vt Creator omnium *mundum* in cœlum & terram dictus eſt *ex aquis creaſſe*, iuxta D. Petri ſententiam, ita quidem aquas iſtas inferiores in cœlum ſeu aerem & aquam, atque terram diuiſas ſubiecit poteſtati huius magni iniquitatis & malitiæ regis, qui habet ſuos ptincipes ſeu poteſtates diſtinctas tam in Imperio Aeteo & Aqueo, quam in illo Terteo.

Spiritum autem ſublunarem à cœlo ſeu conuexa Lunæ ſuperficie ad tertam vſque Aerem vocamus, nam aqua eſt nihil aliud quam denſus aer: At vero vt aer eſt ſpiritualis, ita quidem dæmones magis ſpirituales vires ſuas exetcent in iſta regione, & conſequenter in ſpiritu hominis aereo varios motbos in eo ſpirituales, & ſubtilitates, doloſque aſtutos & inuiſibiles inueniunt quibus homines ad peccatum (quod eſt ſpiritualis morborum origo) afficiant. E regione vero ſpiritus terreſtris more magis groſſo & beſtiali, ſeu
Epheſ. 6.12. irrationabili malo aſpiciunt & lædunt. At vero quoniam ſecundum iſta Apoſtoli verba: *Contendimus contra principalitates, contra poteſtates, contra gubernatores huius mundi, principes tenebrarum huius mundi.* Ideo certum eſt tam cœlum, quam terram ſublunares ex quibus mundus hic conflatur habere vatios principes & poteſtates quaſi maximo tenebrarum principi ſubiectas, quibus per pottiones gubernantur: vnde vt imperator iſte tenebrarum magnus vocatur à Paulo *princeps Aeris huius*, ita quidem neceſſe habemus inquirere quinam & quot ſunt in aere ipſius vicesgerentes ſeu vicereges, mediantibus quibus aer variefo miter ab vno in alium ſtatum ſeu temperiem quotidie alterari animaduertitur: atque tum poſtea ad principes ei in imperio ſuo terreo ſubſtitutos inquirendos ſedulo procedemus.

Cacodæmones principales ſeu poteſtates quæ immediate imperio principis tenebrarum ſummi ſubſeruiũt, à ſapientibus recenſentur eſſe numero quatuor, videlicet

- Oriens ſiue Vriens, quem rectius Hebræi vocant *Samael*, regnat ſuper
  - Plagam. } Orientales.
  - Ventos. } Orientales.
  - Elementum Ignis.
- *Amaymon* ab Hebræis *Azael* dictus gubernat
  - Plagam. } Meridionales.
  - Ventos. } Meridionales.
  - Elementum Aeris.
- *Paymon* ſeu *Azazel* ab Hebræis imperat ſuper
  - Plagam. } Occidentales.
  - Ventos. } Occidentales.
  - Elementum Aquæ.
- *Egyn* alio nomine *Mahazael* qui dominium habet ſuper
  - Plagam. } Septentrionales.
  - Ventos. } Septentrionales.
  - Elementum terræ.

Nam volunt Cabaliſtæ atque Hebræorum doctores, quod vt quatuor recenſentur in

in exercitu Dei antesignani, qui præsident cardinibus mundi, eorumque afflatus in bonum conuertunt, videlicet *Michael, Gabriel, Vriel & Raphael,* qui medianribus suis legionibus bonis creaturarum vitam, commiserescente Deo, gubernare solent, ita in exercitu Satanæ ratione contraria latissime dicuntur quatuor signiferi vltores gerere vela, videlicet *Samael, Azael, Azazel, Mahazael,* quos alii, *Oriens, Amaymon, Paymon* & *Egyn* vocant, qui non aliter sunt principes malum morbos & corruptionem generi humano inducentes, quam prædicti quatuor bonitate, sanitate & gratia illud afficere gestiunt: vt igitur prædictis bonis regibus *sapientia æterna* seu *Christus* spiritualis hoc est Deus in patente sua natura est summus & imperator: ita quidem malis princeps tenebrarum, seu potentiæ diuinæ, seu Dei latentis actor supremum occupat locum. De istis quatuor Angelis principalibus malis mentionem facit & intendit in contextu isto Reuelator. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos terræ, quibus datum est nocere terræ & mari, &c.* Apoc. 7. De quibus etiam in his *alibi* intelligere videtur, *Sextus Angelus clauxit buccinam suam, & soluti sunt quatuor Angeli qui vincti sunt ad Euphratis flumen, & parati sunt omni hora vt occidant tertiam partem hominum. Eratque numerus equestris exercitus bis mille centena millia, Vidi equos & ipsorum sessores habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos, & ex ore horum prodibat ignis, fumus & sulphur, & ab his tribus occisa est tertia pars hominum, nempe ab igne, fumo & sulphure quæ prodibant ab ore ipsorum, &c.* Apoc. 9. Vbi per flumen Euphratis intendere videtur magnam nubium in aere congeriem, cui Angeli dicti ligati, quasi & inclusi voluntate Archangeli fatidici seu cœlestis liberati sunt, & cum legionibus suis spiritualibus igne vndique coruscantibus flatu sulphureo, seu fumo & igne percutiunt homines. De hisce sic Propheta, *Veniet dies Domini, prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubes & turbinis, ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi aspectus equorum aspectus eorum, sic current sicut sonitus quadrigarum, à facie eius cruciabuntur populi, sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius, &c.* Ioel. 2.

At Tremellius in sua interpretatione spirituum horum potentum actus in nubibus cum flamma & tonitru in die Iehouæ, quos populum robustissimum vocat: de quibus etiam Dauid hæc: *Spiritus procellarum facientes verbum eius.* Et Euangelista, *Mittet filios hominis Angelos suos à quatuor ventis cœli vt colligant omnia scandala de regno eius,* hoc est, vt separent purum ab impuro, vel veritatem à falsitate. At vero de istis spiritibus à quatuor ventis venientibus clarius sic Propheta. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in magno mari, &c.* Vbi per ventos intelligere videtur, idque verbis expressis, commentator, quatuor Angelicas intelligentias quæ præsident quatuor mundi cardinibus. Similiter de his quatuor Angelis more quatuor quadrigarum in campo aeris aperto venientibus Propheta Zacharias hæc. *Ecce quadrigæ quatuor venientes de medio duorum montium & montes aerei; in quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, & in quarti varii & fortes. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me, & respondit Angelus, isti sunt quatuor venti cœli qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis terræ, &c.* vbi per montes duos, intendit duplicem densatum nubium congeriem à diuersa mundi plaga prouenientem, & in vnum concurrentem, per montem aereum nubem flamma & fulgure vndique ornatam. Psal. 148. Matth. 24. Dan. 4. Zach. 6.

Hic ergo luculenter demonstratum habetis prædictorum quatuor Angelorum principalium sedes & actus in nubibus, & quod sunt *ministri Dei*, quippe spiritus procellarum *facientes verbum eius*: imo vero nihil faciunt per se, sed Deus per ipsos quasi instrumenta sua primaria efficit quicquid vult, quod etiam fateri visus est Satan in Iobi tentatione, inquit Iehoua ad spiritum, *Tu commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra, &c.* Et tamen in *textu præcedenti* ait Satan, *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: Cui Iehoua, Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, &c.* Vbi Satan agnoscit suum actum nihil esse nisi actum Domini, & non proprie & essentialiter ad se pertinentem: quod etiam *capite sequenti* in his verbis fatetur. *Alioquin mitte manum tuam & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in facie maledicet tibi.* Iob. 13. 11. Iob. 2. 5.

Iam ad Imperii Satanæ seu principis tenebrarum terrestris inquisitionem parumper me conuertam. Inquit Paulus, *Contra principalitates, & potestates & gubernatores huius mundi, principes tenebrarum huius mundi, &c.* Ephes. 6. 12.

Quibus verbis nimirum per principes tenebrarum huius mundi significare videtur alios esse tam in terra quam in cœlis: nam teste Reuelatore, *proiectus est Draco ille magnus,*

serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli cum illo missi sunt. Vox de cœlo dixit, nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, qua eiectus est accusator fratrum nostrorum: propterea lætamini cœli, & qui habitatis in iis. Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, &c. In quo sermonis filo imprimis notandum est, quod Christus cum suis antesignanis (quorum Michael est dux) dominium habeat in Diabolum cum suis signiferis, ita vt nihil valeant sine eorum venia præstare: deinde quod ipse cum suis legionibus admodum sit in regno terrestri & aquatico potens, & propter iram suam malitiosus: quare sequitur quod vt aquæ superiores ab eius malitia sunt liberatæ, & consequenter in ipsis pax sempiterna regnat, ita quidem mundus iste ex aquis inferioribus compactus sit omnium miserrimus, & tyrannidi Diaboli admodum obnoxius: vnde vt de principalitate eius in aere hæc dicit Paulus: *Vos fuistis mortificati in peccato, in quo ambulastis secundum cursum mundi & secundum vias principis illius qui dominium habet in aere*; ita quidem principalitatem eius in aquam & terram arguunt hæc Iohannis ante dicta, *Væ terræ & mari quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnum.*

Apoc. 13.

De principatu autem ipsius in terra cum legionibus suis nocentibus sedem habentis ista ex textu sacro colligimus. *Quartus Angelus clanxit tubam, & obscurata est pars solis & vidi stellam cadentem in terram cui data est clauis Abyssi, aperuit igitur puteum abyssi & obscuratus est sol & aer & egressæ sunt locustæ habentes potestatem scorpii terrestris, his data est potestas lædere tantummodo homines qui non habent signum Dei in frontibus: datum autem est iis non vt occidant eos, sed vt crucient eos per quinque menses, sitque cruciatus eorum cruciatus scorpii cum percusserit hominem: habent autem regem ipsis præpositum, Angelum abyssi Hebraice Abaddon, Græce Apollyon id est, perdens dictum, &c.*

Apoc. 9.

Quibus colligimus terram etiam spiritibus nociuis & lædentibus esse repletissimam, & quod eorum dux sit Rex quidam subterraneus, cuius imperium est in puteo Abyssi, atque ob illam rationem dicuntur lucifugi, quia in odio lucem habent. Atque hoc in loco intelligendum atque significandum sentio, quod vt Oriens suam recipit virtutem ab influxu Solis & Martis, Meridies à Ioue & Marte, Occidens à Luna, & Venere, atque Septentrio à Saturno & Luna, seu potius ab intelligentiis eorum: ita quidem ignei spiritus ab iis Orientalibus, Aerei à Meridionalibus, Aquei ab Occidentalibus, atque terrei à Septentrionalibus (vnde à Zacharia Angelo nigri equi assignantur Septentrioni vtpote spiritus terræ nigros arguentes) vim & virtutem suam hauriri dignoscuntur; nam omnia inferiora à superioribus vitam & potentiam suam formalem accipere certum est: quare constat quod spiritus hi terreni dependent à flatu Boreali, & naturaliter ad frigidam & tenebrosam ipsius conditionem inclinant.

Ex prædictis ergo percipere potestis, quod sint boni dæmones in magno numero, de quibus intelligit Christus in hoc, *Anne putas, quod non possim rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim Angelorum legiones?* Atque pariter in cœlo & in mundo elementari abundant legiones malignorum, de quibus meminit dæmonium in suo ad Christum responso, dicens, *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* In quo eius responso obiter est notandum, quod dæmonii substantia sit valde minuta instar atomi solaris, & consequenter, quod sint infinita dœmonum vndique in aere volantium, in quo natantium & terra vagantium multitudo: Imo vero & in ipsa regione ætherea: vnde etiam Mercurius Trismegistus ad Asclepium. *Dæmones ob nimium breuitatem à multis creduntur non esse, quos credo communicare nobiscum.*


Matth. 26. 53

Marc.

Asclep. 12.

In hunc ergo modum dæmones seu Angelos tam bonos, quam malos distinguimus.

Priuati



CAPVT VI.

Quomodo Iehoua percutiat sua maledictione, seu auersione naturæ suæ benignæ à creatura, & quod abscondendo se tenebrosis suis spiritibus libertatem & vigorem ad proprietates suas malignas in creaturam exercendas præbeat, similiter vultus sui iracundi emissione spiritibus suis lucidis potestatem vulnerandi tribuat.

QVemadmodum benedictio diuina est causa totius boni salutis & vitæ, vnde Deus ad Abrahamum: *Noli timere quia ego sum tecum, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum.* Et *alibi, Colito Iehouam qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui:* ita quidem maledictio diuina est causa mali, morborum & mortis. Sic dixit Deus, *Quia comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c. Et alibi, maledictus eris super terram quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui.* Denique beati benedictionis effectus, in eis qui auscultant voci Iehouæ, & infelices maledictionis fructus, cum morbosis percussorum Iehouæ afflictionibus, quæ eam sequuntur optime per *tota capita* 27. & 28. *Deuteronomii* explicatos inuenietis. Iam vero vos sciatis velim quod benedictio diuina consistit in Dei beneuolencia seu benignitate: at vitæ prolongatio est benignitas Dei, videlicet dum *amænitas Iehouæ nobis adsit*, vt restatur Psalmista, & *alibi* ait, *Vita adest benignitate Iehouæ.* Et Iob, *Visitatio tua cõseruauit spiritũ meũ.* Et Dauid, *Beneuolentia prosequitur Deus populũ suũ, & salute sua; Benignitas Dei melior est vita.* De his ergo dicitur, qui Dei benedictione fruũtur, *Castra figit Angelus Domini circa eos qui ipsum timent, & eripit eos.* Et *alibi, Angelis suis mandauit de te & in manibus tollent te, & custodient te in omnibus viis tuis, &c.* E regione vero maledictio Dei est auersio faciei Iehouæ irascentis à creatura, hoc est, mutatio benignitatis suæ in seueritatẽ: atque hoc fit vel contractione sui in se, siue occultatione vultus sui placidi à creatura, vel suiipsius in forma ignis consumentis reuelatione.

Genes. 26. 24. *Exod.* 23. 25. *Genes.* 3. 17. *Genes.* 4. 11. *Psal.* 90. 14. *Psal* 96. 9. *Iob* 20 12. *Psal.* 106. *Psal.* 106. 4. *Psal.* 33. 7. *Psal.* 90.

In priori sua proprietate creaturæ maledictæ apparet in priuatiua & tenebrosa sua natura : atque in isto statu Angeli ipsius percutientes tenebrosi animantur, & à potentia in actum reducuntur, atque ita libertatem & vigorem à Deo iam Dionysii statum induente ad percutiendum accipiunt, & ad illud faciendum à verbo in eorum centro habitante animantur atque exagitantur : quod etiam testatur ipse creator in hisce verbis,
Deut 32.17. *Accensa est ira mea contra eos die illa, derelinquam eos & abscondam faciem ab eis vt obueniant eis multa mala atque angustiæ, &c,* Hoc est, aufetendo vultum suum, seu beneuolentiam & benignitatem ab iis quasi maledicendo ipsis efficiet vt malum ipsis obueniat per suos tenebrosos Angelos, qui auersione faciei ab ipsis animantur & fortificantur, ad malitia & crudelitate ipsos afficiendum; Vnde in hæc verba prorumpebat Psaltes, *Im-*
Psal.77.47. *misit in eos iram indignationis, iram & tribulationem per Angelos malos.* Hinc etiam ipse hostibus suis maledicendo ait, *Fiant sicut puluis vento expositus Angelo Domini iactante eos, fint viæ*
Psal. 35.5. *eorum obscuræ & lubrica, Angelus autem Domini vrgeat eos, &c* Ac si dixisset, derelinquat eos Iehoua & abscondat faciem suam ab iis vt obueniant iis mala multa per Angelum suum malum.

1 Sam. 16. 15. Sed istiusmodi faciei à creatura auersio & spiritus maligni ad creaturam, eius absentia, accessio optime & expressis verbis depingitur in textu isto: *Spiritus Iehouæ recesserat à Saule, perturbabat atque eum spiritus malus à Iehoua, &c.* Quo sermone colligimus imprimis, quod Iehouæ sit eius benedictio eiusque visitatio, de qua intendit Iob loco *supra* alle-
Psal.31.17. gato. Et Psalmista, *Lux, salus iustorum robur vitæ meæ: luceat facies super seruum tuum, serua me benignitate tua. Luce faciei Iehouæ saluabimur, &c.* Deinde quod eius maledictio crea-
Psal.80.4. Psal.84. 12. turæ est ablatio seu auersio sui boni spiritus seu lucis faciei suæ ab illa; vnde Psaltes,
Psal. 104. 29. *Emittente Deo creaturis spiritum suum recreantur, abscondente faciem suam perturbantur, recipiente spiritum eorum expirant.*

Denique quod vt primum bonus Iehouæ spiritus quasi benedictio abstrahitur à creatura, malus immediate spiritus mandato & agitatione Iehouæ introducitur; vnde
Iob.1.10. textus, *Perturbabat que eum spiritus malus à Iehoua,* ac si dixisset, aliquis ex tribu Satanæ, iuxta illud Iobi: *Non vallabo eum ac domum eius per circuitum, nec operibus manuum eius benedicam*
2 Reg. 24. 16. *amplius, sed ecce in manu tua iam est*; *hoc est percute eum tuis plagis.* Sic *auertente Iehoua faciem suam ab Israele extendit Angelus Domini manum suam super Ierusalem vt disperderet eam, & mortui sunt de peste ex populo septuaginta millia virorum.*

At vero si in alia sua proprietate seipsum in forma ignis consumentis reuelat, tunc quidem non occultando se & in forma tenebrosa & in seueritate ignea apparendo mediantibus suis ministris ignitis atque vrentibus creaturas vulnerare solet: nam vt Angelos suos facit ventos, vt mediantibus illis occulto & tenebroso more malo afficiat: in latenti sua natura, ita quidem fecit ministros suos ignem vrentem, vt in proprietate fulgida flagellis igneis & æstuosis mediantibus ipsis percutiat. Sic Iob. *Fulgura nunquid mittes*
Iob. *& ibunt, & reuertentia dicent adsumus?* Et Dauid, *Irasceris in æternum? ardebit velut ignis ze-*
Psal.79 5. *lus tuus? Effunde æstus tuos in alias gentes quæ non cognoscant te*; *nam consumptor consumpsit Iacobum, &c.*

Quod quidem de igneo Iehouæ percussore intelligi potest, qui etiam vt supra narratum est, peste vastauit magnam populi portionem. De ministris etiam talibus æ-
Sap.5. 24. stuosis Dei proprietati inseruientibus intendit iste locus. *Acuet Iehoua iram pro gladio & belligerabit ipse contra insipientes, procedent directa tela fulgurum ex nubibus tanquam ex arcu bene in orbem obducto, spiritus potentiæ & spiritus virtutis stabit contra eos & tanquam procella vel turbo venti iactabit eos, &c.*

Hic ergo videtis, quod spiritus Dei ignei in forma fulgurum & coruscationum sint ministri illi percutientes quibus vtitur Iehoua ad impiorum punitionem. Mediantibus
Psalm. 11.6. ergo istis meteora ignita emittit super creaturas in proprietate sua æstuante. *Pluit* (inquit Propheta) *laqueos super peccatores, ignis, sulphur, procella, tempestas poculum sunt quo eos potat, &c.*
Psalm 83. 17. Et quamuis dicitur, quod ira Iehoua consumamur & æstu ipsius conturbemur, & quod *ignis egrediens à conspectu Iehouæ exanimauerit filios Aaronis, & mortui sint coram Iehoua,* & quod
Leu. 10. 2. Num. 11. 1. *ira esset Iehoua accensus & exardescens in eos, ira eius consumeret eos qui fuerant in extremitate castro-*
Num. 16. 35. *rum, & quod ignis egressus consumpserit 250. viros illos qui admouerant thus* : tamen hoc totum perfecit Iehoua mediantibus suis ministris vrentibus, videlicet ipsis in fulgure & coruscatione mouentibus, vipote quorum est officium efficere verbum tam in proprietate sua manifesta & ignea, quam ventorum Angelicorum non vrentium & inuisibilium illud in proprietate Dei latentis & à creatura absconditi, iuxta illud, *Ventus procellosus effi-*
Psalm. 146. *ciens verbum Dei.*

Hic

Hic igitur vos certiores facere velim, quod tametsi de Angelo illo magno, quem misit Iehoua ante Israelitas ad custodiendum eos in via sua, cuius voci ipse monebat Israelem vt auscultaret & non exacerbaret eum, *quia non feret defectiones eius, quoniam nomen eius erat in eo, &c.* tametsi (inquam) attribuuntur omnia illa mala quæ passi sunt Israelitæ ob inobedientiam eorum in itinere per desertum : imò verò tametsi omnes plagas quas ducebat Moyses per istum Angelum sub nomine Iehouæ in Ægyptios quæ *cap.* 7.8.9.10. *Exod.* enumerantur: tamen hęc omnia fecit Iehoua, & magnus eius Angelus per ministros inferioris ordinis percutientes: vnde ait Psalmista regius in earum plagarum relatione, *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos, &c.* *Psal.* 77.49. Inde arguens, quod Deus maledicens Ægyptiis, spiritus statim maligni eos vexare & perturbare sint admodum proni.

CAPVT VII.

Quomodo dæmones induant quandoque creaturarum visibilium species & in abstracto, seu statu suo spirituali & inuisibili non aliter lædant & veneno inficiant, quam in forma eorum visibili: Similiter, quod omnis creatura tam perfecte, quam imperfecte mixta, nocens seu venenosa sit à dæmone maligna talem speciem induente. Denique qua ratione Deus ita moueat in iis, eosque gubernet, vt ad certum tempus & in proposito subiecto lædant & percutiant tam in inuisibili, quam visibili forma.

SI intuitu paulo acutiori & subtiliori Apostoli Pauli verba introspiciamus quæ arguunt, quod omnis res visibilis fuerit primum ab inuisibili : si sapientum Hebræorum sensum respiciamus qui omnes in hoc conueniunt quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum, & quod vti fit inferius sic agatur superius: si sit infallibile quod cuiuslibet rei Idæa sit in Deo, & consequenter quod verbum Dei esset primitus in Deo, & spiritus Domini in verbo, & aquæ, atque etiam omnes ipsarum formæ in Spiritu Domini, vt & mundus vniuersus visibilis in aquis inuisibilibus, iuxta illud Sapientis, *Manus omnipotentis creauit mundum ex materia inuisibili*) & cælum atque terra ex materia & forma mundana, & res mixtæ tam spirituales quam corporeæ in cælo & terra : tunc quidem aliter res se habere nequit, quin quod res corporeæ quælibet & visibilis esset ex re spirituali & inuisibili; atque vt iuxta effigiem rei inuisibilis res illa visibilis efformetur, non aliter quam vagina ad gladii imaginem, vel corpus ad animæ humanæ effigiem, vel testa ad nuclei, vel nucleus ad seminis interni iconem depingitur atque delineatur. Sic quidem ex Sapientum relatione videmus Deum in verbo, verbum in mente, mentem in spiritu rationali, rationem in anima, animam in spiritu aereo, & spiritum aereum in corpore sedem suam habere: quare certum est quod corpus sit imago, & quasi vehiculum & vagina spiritus aerei, spiritus aereus ipsius anima seu spiritus ætherei, spiritus æthereus illius intellectualis seu Empyrei, qui est mensis diuinæ imago seu icon, vt mens verbi, atque itidem verbum Dei, vltra cuius monadem non est progressio in nullo mundo. Atq; ita intueri fas est, quomodo in hoc mundo visibili omne inferius seu crassius atque visibilius ex superiore & ad superioris exemplar non aliter quam corpus ad animæ, atque iterum anima ad mentis, ac denique mens ad illud Ideæ diuinæ est creatum. Haud dissimili quidem ratione in mundo Angelico res se habet: nam Deus est in Angelo magno qui est Angelorum caput, videlicet *spiritus Sapientiæ sanctus,* quippe *qui est emanatio, emissio seu fluxus maiestatis diuinæ, & candor* *Sap.* 7. *lucis æternæ, & speculum sine macula Dei; qui est à patre primitus emissus vt omnia crearet atq; efficeret vt essent:* vnde est *Angelus princeps & omnium Angelorum caput;* nam omnis radius ab ipso e- *Sap.* 7. missus est quidem virtus Angelica, nec quidem plures sunt in mundo Angeli quam quos viuificat iste summus Angelus, qui tametsi *in se* atque sua essentia est *simplex & vnicus,* tametsi respectu proprietatum variarum quæ procedunt à voluntatis diuinæ variatione *multiplex* *Ioan.* 1. dicitur. Hinc dicit D. Iohannes, *In eo erat vita, &c.* Sic ergo procedimus. Vt Angelus magnus est in patre, seu Ensoph diuinitatis non aliter, quam lumen in Sole & pater in eo, vt & Sol in suo lumine, ita quidem in ipso immediate sunt omnes illi Archangeli qui dicuntur stare coram Iehoua, videlicet illi Empyrei, atque iterum ipse in illis omnibus quasi intra & extra

omnia: similiter omnes Angeli Olympici seu cælestes sunt in illis Empyreis vtpote à quibus creantur, & effluxibus quos infundunt existunt & animantur; atque itidem illi Empyrei seu intellectuales existunt in his æthereis seu vitalibus sed non inclusiue. Pariter spiritus seu Angeli elementares seu sublunares in illis æthereis comprehenduntur, quippe à quibus immediate recipiunt suam formam & esse, vnde sequitur quod ipsorum radii sint in istis inferioribus, sed non inclusiue: nam vt Deus immediate vitæ suæ influxum in Angelum suum supremum emittit, ita ille de viuifica sua natura communicat cæteris spiritibus regni supercælestis, & hi iterum de ipsius doni portione impluunt ipsis æthereis, at tum postea illi ætherei immediate illam cum spiritibus ipsis in regione mundi inferiori subiacentibus communicant, qui tum postea eam vel ad beneficium vel ad flagellum creaturarum vndique per aera, per aquas & per terram dispergunt. Vnde euidens est, quod spiritus sublunares induant substantiam sublunarem, quandoque aeream, videlicet quando in ventis mouentur, & venti dicuntur, igneam quando in fulgura, cometas & alia meteora ignita multiformia vertuntur, aqueam, cum in nubes pluuiasque immutantur, induendo nebulosa aeris & cæli indumenta contractione, atque etiam in marium & fluminum molem penetrantes, eorumque substantiam induentes, tempestates faciunt horrendas, modo eleuando ad cæli quasi verticem fluctus, modo ipsos voragine & imo abysso depressiores reddendo: denique terream cum in grandines, gelu, niues, imò verò & in ipsorum animalium, vegetabilium, & mineralium consistentiam se constringunt, vel saltem ordinatione diuina in iis ligantur atque incarcerantur: nam omnes omnium rerum tam visibilium quàm inuisibilium formæ ab influxu Angelico prouenire neminem sapientem mortalium sibi constantem (nisi sit taliter ignorantia vesana captus, qualiter est Monachus ille immorigeratus, atque tam malignitate quam inscitia refertissimus, nimirum Marinus Mersennus ordinis Sanctæ Paulæ, qui gubernationem à bonis spiritibus inconsulte satis abnegare videtur in suo Babylonico Chaos, Celeberrimæ quæstiones in Genesim, dicto) latere potest.

Reuchl. l. 3. art. Cab. Hinc haud inepte Rabbi Moyses loquendo de Angelo illo magno (quem Platonici nominauerunt *animam mundi*, Cabalistæ *Metattron*) Intellectus agens à quo formæ influunt vocatur Angelus; atque hunc præfectum vniuersalitati vocauerunt Metattron, à quo quidem gubernantur omnes virtutes singulares humanæ tam animales quam naturales, quæ pariter & Angeli dicuntur, quorum multitudo est infinita quoad nos: *nam* (inquit Rabbi Bresith) *creator quotidie creat cætum Angelorum quos alÿ vocant formas, vtpote qui sunt substantiæ formales quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero plena est.* Hæc ille; vnde etiam Hesiodus hæc. *Ter decem mille sunt super terra multos pascente immortales Iouis custodes hominum mortalium, aerem induti vbique euntes super terram, &c.* Atque ob istam rationem in porta lucis legimus, quod à terra vsque ad firmamentum non est locus vacuus, sed omne plenum formis, ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ & miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdę, noxię, tentatrices, & omnes volantes & commorantes in aere, ex iis ad pacem, ex iis ad bellum, ex iis ad bonum, ex iis ad malum, ex iis ad vitam, ex iis ad mortem, & omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus. Hæc habet Iosephus Castaliensis. *Porro etiam Hebræorum Doctores dicunt, quod ille Angelorum ordo qui Malachim, id est, Angeli dicitur, sunt illi per quos Deus Eloha metalla producit; & quod ille ordo qui Elohim, seu dii dicitur, sunt ipsi per quos Iehoua Sabaoth creat vegetabilia, vt etiam nomen Dei Elohim per ordinem Ben Elohim dictum, id est, filii deorum, animalia edidit, &c.* Ac si voluisset, quod mineralium, vegetabilium & animalium formæ ab influxibus qui dant istiusmodi Angelis suam vitam & esse, dependerent, & consequenter, quod quodlibet illorum trium regnorum esset formæ illorum ordinum Angelicæ corpora elementaria, vel mineraliter, vel vegetabiliter, vel animaliter induentes, quæ iterum resolutione talia corpora exuere, aliaque induere videntur siue sint inuisibilia siue visibilia.

Archang. Com. In Cab. dog. Hinc igitur concludit Archangelus Cabalista, quod *vt sint infiniti Angeli, ita eorum quodlibet habet suum peculiare officium à creatore ei assignatum*: *nam Angeli, teste Apostolo, sunt spiritus quibus officia peculiaria sunt concredita, vtpote, quorum quidam ordinantur vt assistant Deo, alii vt ministrent ei, alii præsunt noctis custodiis, alii præsunt quatuor anni custodiis per quatuor Solis stationes, alii Planetis præsident, alii duodecim signis: nonnulli sunt addicti tutelæ hominum, alii præsunt animalibus, alii plantis, alii lapidibus, alii belli, alii pacis præsides sunt. alii regionum, alii prouinciarum curas habent, &c.* Imo vero in mysteriis naturæ peritiores audacter pronunciare haud erubescunt, quod *non sit vlla herba, planta, minerale aut animal inferius quod naturali inclinatione non percutiat stella aliqua ei appropriata, hoc est à cælo non habeat influentiam sibi peculiarem, &c.* Ergo ab An-

ab Angelo aliquo ipsi à Deo assignato, quippe à quo stella illa integram suam adipiscitur virtutem.

Quibus euidens est, quod vt Angeli sublunares aeri naturaliter incorporantur, ita quidem facillimum erit intelligentibus credere, quod vt aer in nubes, quandoque in fulgura, nonnunquam in aquam, atque iterum illa aqua in terram, ac denique quodlibet compositum animale, vegetabile & minerale ex hisce omnibus compactum; ita quidem spiritus tam ventosi quam fulgurantes seu aquei, seu terrei, hoc est siue sint Meridionales, Orientales, Occidentales vel Septentrionales facillime in spermata generanda, sibi in natura propinquiora, penetrant, eaque regunt & moderantur iuxta fati leges, nisi summo illo spiritu quem Deus homini inflauit temperentur ipsorum actiones, idque in solo homine: nam certum est, & ab Astrologis comprobatum, quod etiam ex hominibus (multo magis in cæteris animalibus, quæ fato totaliter subiiciuntur) alii sunt complexione & inclinatione Saturnini, alii Iouiales, alii Martiales, Solares, Venerii, Mercuriales & Lunares, inde arguentibus, quod spiritus à cæli intelligentiis influxi ipsis inhabitant, & iuxta leges naturæ ipsos informant & inclinant, imò quidem influxus Angelici se incorporant in dictorum compositorum spermatibus, atque ea ad suos mores & conditiones inclinant, de quibus ob istam rationem iudicant physiognomici ab aspectu tam animalium rationalium, quam irrationalium.

His ergo profundiori speculatione sedulò ponderatis, ad propositum venimus, atque affirmamus, quod dæmones naturæ humanæ conditione aduersi quando speciem aliquam inhabitant illam reddunt homini pernitiosam, & venenosam, atque odiosam, vti inter mineralia est Arsenicum, Rosalgar, Antimonium &c. inter vegetabilia Aconitum, Flammula, Opium, &c. atque inter animalia Vipera, Dypsa, Aranea, Bufo, &c. vnde fit vt cacodæmoniaca harum specierum virtus lædit in tota sua compositione, atque iterum earum spiritus inuisibilis in aerem dispersus eum corrumpit insensibiliter & contaminat, vti ex spiritu è Catablepæ seu Basilisci oculi emisso videre liquet. E regione vero boni Angeli influxus formales speciem reddunt homini salutarem, vt auream, argenteam, atque illam perlarum inter mineralia, vitis, tritici, & pomorum seu fructuum bonorum inter vegetabilia, & pullorum, arietum, & Lucii piscis inter animalia, quæ ob bonorum in iis Angelorum influxum salutem creaturæ afferunt. Atque obiter intelligendum est, quod quinoct cuiuslibet Angeli, siue boni siue mali influxus sit non aliter Angeli illius pars à quo emanat quam radius Solis ipsius Solis portiuncula à corpore Solari, vt ait Mercurius Trismegistus, nullo modo diuidenda. Ob istam ergo rationem rectissime hæc Reuchlinus, *Est Angelus tanquam inter Deum & naturam virtus media, a qua fiunt operationes in rebus quas natura earum vel non faceret, vel sic faceret, quas alij dicunt prouenire à facultate occulta, & alii, quia tale.* *Reuchl. art. Cab. l. 3.*

Propter istas ergo rationes clarum est diligenti scrutatori, quod sint Dypsæ infinitæ tam spirituales & inuisibiles, quæ siti interficiunt, & ebibunt spiritum humanum, quæ sunt dæmones de Orientali fortitudine participantes, quibus vtitur Deus quando Iehoua creaturam extrema siti, febre ardenti & æstu intolerabili inficere solet, de quibus pagina sacra intendit sub his. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, &c.* vbi per sagittas ministros suos occulte in aerem humanum immissos quos facit ipse ad voluntatem suam perficiendam, ignem vrentem, intelligit. Vnde alibi, *Increpat Deus per dolorem in lectulo, & omnia ossa, carnemque marcescere facit.* Atque per eiusmodi ministros occulte vrentes patrare solet hæc mala, quæ in his verbis Moyses contra inobedientes. *Percutiet te Iehoua tabe calida & æstuante ac vrente febre & siccitate.* Haud aliter videmus, quod talis spiritus incorporatus, & quasi cacodæmon corpori aut dypsæ, aut scorpionis, aut colubri seu viperæ, aut basilisci incarnatus visibiliter ad mandatum & iussum creatoris sui, vtpote cuius radius est in eo actor seu motor primius & centralis, mouetur in suo toto atque exagitatur, secundum istius loci dictum; *Et emittam in vos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem. &c.* *Iob. 6. 4.* *Iob. 33. 24.* *Deut. 28.* *Ezek. 5. 17.*

Sed hoc à Sirach melius in hac verba; *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos, Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt, bestiarum dentes & scorpii & serpentes vindicantes in exterminium impios. In mandatis eius epulabuntur, & supra terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præteribunt verbum.* *Syrach. 39. a. 33.*

In quo sermone optime exprimit in prima serie cacodæmonum naturas in spirituali consistentia, qui ad percutiendum sunt ordinati, deinde quatenus indumentis meteorologicis incorporantur; ac tandem quatenus speciem animalem suæ naturæ ex proprietate

conue-

conuenientem assumunt; quibus tam visibiliter vulnerare solent, quam in consistenti a sua aerea inuisibiliter lædere percipiuntur.

Quod autem dæmones in forma animalium nocentium visibilium inuisibili & spirituali, videlicet vel scorpionis vel basilisci, vel draconis, vel leonis rapacis, vel similium, hoc est sub forma spirituum illarum bestiarum à corpore separatarum, & quasi manium, morbis contagiosis male afficiant, ex istis scripturarum locis colligimus. In Apocalypsi hæc. *Apoc. 9.* *Apertus est puteus abyssi, & obscuratus est Sol & aer, & egressæ sunt locustæ habentes potestatem Scorpii terrestris, his data est potestas lædere non vt occidant, sed vt crucient eos; sitque cruciatus eorum vt cruciatus Scorpij cum percusserit hominem: habent regem ipsis præpositum Apollyon, id est, perdens, dictum, &c.*

Quo sermonis filo clarum est, quod spiritus mali in spirituali sua natura speciem corporalis scorpii habent, atque quod in spirituali etiam sua consistentia non aliter vulnerent, licet clanculum & inuisibiliter, quam quando corpora scorpionum induunt. Similiter spirituales istiusmodi dæmonem in specie serpentum spiritualium apparentium effectus optime in his viri patientis. *Iob. 20.* *Panis impii in vtero illius vertetur in fel Aspidum intrinsecus, caput Aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ, cum satiatus fuerit arctabitur, & æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* *Iob. 26.* *Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus, &c.* Quibus innuere videtur quod species aspidis, viperæque atque colubri spiritualis, & quasi spiritus istorum exutis corporibus se misceant cum nutrimento impii, & spiritum ipsius suo veneno contaminent.

Quod autem res se ita habeat ab effectu probatur: nam imprimis noluit textus sacer hos serpentes nominare nisi ob venenosam spirituum inficientium naturam quæ appropinquat ad proprietatem malitiæ illorum animalium; ac tum postea effectus arguit quod venenum morbi conueniret cum lethifera veneni illorum animalium specie corporea indutorum; nam (ait textus) *cum satiatus fuerit arctabitur & æstuabit:* ac si dixisset, aere corrupto & pestifero, de natura veneni fellis aspidis, aut viperæ, aut colubri erit percussus. Sed *Psal. 91. a. 5.* hoc quidem alibi clarius sic. *Non timebis à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano, quoniam Angelis suis mandabit de te; super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: quoniam in me sperauit liberabo eum; &c.* Ex quo verborum nexu elicimus in loco priori pauorem nocturnum dici tenebrosorum & occulte nocentium dæmonum qui territanr nocturno tempore sic volente & agitante Iehoua; vnde Iob, *Iob. 13. 21.* *Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.* Et *alibi*, *Leuit. 26. 35* *Pauorem dabo cordibus eorum.* Deinde per sagittam volantem in die, mala visibilia & manifesta; cuiusmodi sunt malæ bestiæ, seu spiritus maligni in corpore visibili nocentes, de quibus antea. Tum postea per negotium ambulans in tenebris (quod alii interpretantur pestem in caligine inuadentem) intelligi dæmones pestiferos corpore exutos, atque in spirituali venenatarum bestiarum effigie inuisibiliter, & quasi in caligine nocentes: vnde postea dicit, *Super aspidem & balisicum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* hoc est, tota venenata contagiosorum dæmonum caterua, à meridiei mysterio emissa sub duce maleuolo, quasi spiritus corpore aspidum, basiliscorum, leonum famelicorum atque rabidorum, & draconum, qui in aere occulte vagantes & aerem non modo macro, sed & microcosmi contaminantes, atque pestiferum reddentes, vulnerant & lædunt inuisibiliter, & quasi nocte & in tenebris, non aliter, quam aspides, basilisci & dracones corporei & contactu visibili; imò verò more basilisci visibilis ad distans inficiunt. Hinc ergo magni horum dæmonum meridionalium ducis meminit in conclusione illius membri immediate; postquam de lue seu peste aut negotio ambulante in tenebris verba fecisset, in talibus: *ab occursu & dæmonio meridiano:* & tunc pergit recitare naturas dæmonum illorum contagiosorum per ipsorum proprietatum ad sua inter visibilia & corporalia animalia similia comparationem, dicens, *super aspidem & basiliscum ambulabis, &c.* hoc est, inuictis talibus creaturis malignis tam in statu corporali quam spirituali triumphans: nam Angelis meis bonis & salutaribus præcepi vt in tutela aduersus illorum malorum insultus tibi adsint. Hinc ergo immediate postquam mentionem fecisset de dæmonio meridiano, vtpote diuinæ seueritatis in forma contagiosa & pestilentiali exequutore summo, sic procedit, *Quoniam Angelis meis mandaui de te, &c.*


De isto Iehouæ irascentis percussore cum suis subditis Meridiano sic loquitur Propheta; *Abakuk 3. 3* *Deus ab Austro veniet, operuit cælos gloria eius, &c. ante faciem eius ibit pestis & mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Hæc iuxta Hieronymi interpretationem, vel vt Tremellius vult, *Anteiuit pestis & lues vastans in Meridie.* Quibus euidens est primum, quod Iehoua vtitur malis suis Angelis in negotio suæ seueritatis, deinde quod pestiferi spiritus procedant,

dant; sic flante Deo, qui operatur omnia in omnibus, à Meridie, tum effectus venti ab ista plaga, irascente Deo, fiunt tonitrua cum fulgure, cum halitu pestifero atque æstuoso. Hoc dæmonium Meridiei principem vocant magi *Meririm*, hoc est; spiritum æstuantem & dæmonem furentem in Meridie, dicuntq; dæmones sexti ordinis esse illos qui tonitrubus fulguribusque miscentur, aëra pestilentia afficientes. *Agrippa.*

Hinc ergo est, quod vt vitæ & sanitatis custodes quatuor bonos Iehouæ antesignanos fecimus, videlicet *Michaelem*, *Gabrielem*, *Raphaelem* & *Vrielem* (quos ob istam rationem quatuor munimenti mei sanitatis propugnaculis ad Orientem, Septentrionem, Occidentem & Meridiem tendentibus præposui) vtpote, quorum virtutes sunt sanitatis & vitæ humanæ hostibus à quatuor ventis scaturientibus (quorum duces sunt quatuor Satanæ signiferi vltores, *Samael*, *Mahazael*, *Azazel*, & *Azael*) viriliter resistere, & eorum insultus atque inuasiones propulsare: ita quidem spiritus malignos à qualibet mundi plaga, vel vento emissos, iuxta animalis visibilis, quod in malignitate & proprietate sua imitantur, effigiem eorum quemlibet depinximus; videlicet *Samaelem*, finximus supra serpentem Dypsa dictam equitantem, atque munimenti propugnaculum acriter cum suis spiritibus flammiculosis oppugnantem: nam Dypsæ proprietas est talis, vt qui ab ipsa mordentur seu vulnerantur calore & siti extrema vitam finiant, qualiter in febre ardente seu Causo accidere solet: deinde *Azaelem*, seu *Meririm*. (quem Abakuc vocat *diabolum ante pedes Iehoua*, & Dauid *dæmonium meridianum*) super Basiliscum in aëre equitantem; atque scorpionibus, aspidibus, & dracunculis vndique stipatum fecimus, in quo statu, contra Meridionalem munimenti sanitatis aggerem seu propugnaculum mouetur, illudque toto suo conamine inuadere, præcipitare atque destruere aggreditur. Tum postea *Azazelem*, seu dæmonium principale Occidentis super cetum equitans depinximus cum suis turmis aquaticis, quod vim suam integram contra munimenti propugnaculum Occidentale inferre gestit. Denique *Mahazaelem*, descripsimus supra Salamandram equitantem cum turmis suis frigidis niuis & grandinis effigiem induentibus, qui summa ope propugnaculum munimenti Septentrionale tentat illudque pessundare molitur. Supra Salamandram (dico,) quippe quæ supra omnia animalia nocentia ignis violentiam ob extremam ipsius frigiditatem tolerare, eique resistere animaduertitur. Ob istam ergo rationem est quod Psalmista regius de viri iusti sanitatis tuendæ ratione loquens ait, *Non timebis à pauore nocturno*, quasi tenebrosis septentrionis spiritibus *à sagitta volante in die*, hoc est; à flammis coruscantibus, seu ministris lucidis & igneis, de quibus Iob, *Virus sagittarum omnipotentis ebibunt spiritum meum: à negotio ambulante in tenebris*, quasi spiritibus tenebrosis aqueis & Occidentalibus; nam Occidentales venti sunt aquei & tenebrosi ex secundo ventorum tenebrosorum ordine: ab occursu seu dæmonio Meridiano, vel vt alij interpretantur, à luc vastante in Meridie, hoc est, à spiritibus contagiosis & pestiferis, qui procedunt à Meridie. Atque tum postea Propheta rationem ostendit, videlicet, quoniam Angelis suis bonis mandauit de illo qui ipsum conseruabunt in omnibus vijs suis; adeo vt inuito diabolo Meridiano ambulabit super aspides & basiliscos, leones truculentos, atque dracones immanes suos; & nullo modo erunt potentes ei nocere aut malo afficere.

Vu *Muni-*

Munimenti noſtri ſanitatis effigiem cum quadruplicibus dæmoniorum caſtris, à ventis quatuor circa illud poſitis (cuius expoſitionem latiorem in principio voluminis noſtri præcedentis de ſanitatis myſterio tractantis inuenietis) hic iterum expreſſam habetis.



Pro propugnaculi huius labefactatione à parte Meridionali vide iſtius præſentis voluminis initiũ. Deniq; ꝙ ſpiritus iſti maligni ſpirituales corpora induere poſſint, quandoq; nubiloſa ſeu ſaltẽ nebuloſa, quandoq; humoralia & nonnunq̃ corporalia experiẽtia docemur; nã à multis audiui, & inter alios à Gulielmo Fitzero, qui eſt iſtius voluminis impreſſor, quod graſſante vehementer apud Coloniẽſes peſte, cõmune eſſet tã inter ciues, q̃ nautas indiciũ, ꝙ quando nebula quædã rubicunda viſa eſſet volare in aëre à ciuitate verſus nauiculas in flumine manentes tum diligenti intuitu obſeruarent, in q̃ partem tenderet, aut ſuper q̃ nauem cade-

caderet, nam vbicunq; descenderet crassus ille vapor, pro certo haberent, quod illius nauis aliquis die crastina ægrotaret & peste laboraret. Et nobilis quidã huius regni Baro & Comes Mulgrauiensis affirmauit pestem à quibusdam tempore pestis obseruatam fuisse in forma vaporis visibilis volare in ædibus infectorum. Nonne in ipso macrocosmo videmus fulgura venenosa & mortifera fecisse densam nubem suum vehiculum, atque etiam cometas contagione plenos à specie spirituali in massam igneam & visibilem mutari, qui tum postea resolutione in formã inuisibilem, ex qua prius erant, euadunt: nam contractione materiæ igneæ in aere dilatatæ citius operatur, & maiori cum violentia, & in nube, seu corpore quasi in vase concoctionis citius ad pernitiosæ suæ naturæ perfectionem, siue maturationem peruenit: imo vero quod contractio est res eo vehementior; nam vis vnita fortior. Hinc ergo in eadẽ nube fulgura volatilia, sed cõpressione lædentia subito dilatatione longiori tempore & inuisibiliter morbis afficientia videmus: at vero in vase tali concoctione qualis est nubes paululo temporis interuallo duros lapides ab ipso formari cognoscimus, quod in multis annis, imo nunquam, in aere aperto contingeret. Sic nisi ignei spiritus in aere delitescentes in corpore cometæ congregarentur, pernitiosos tum postea in aere effectus, quales sunt pestis, fames & gladius producerent nunquam: & nisi terra & aqua inseruirent, cœlo quasi mundi masculo, loco vteri suæ matricis fœmineæ, tot in mundo res tam bonas quam malas parturiret natura nunquam.

Concludimus ergo, quod vt omnia procedunt à Deo quasi ab vno in abyssi multitudinẽ paulatim magis magisque se immergendo, sic quidem spiritus tam bonus, quam malus quoad nos (nam omnes spiritus sunt Deo boni, quippe cui nihil quod fecit malum) vnus ab alio fieri solet, non aliter quam millenarius numerus, seu spiritus infimi ordinis seu elementaris, à centenario, & centenarius quasi spiritus medii ordinis seu ætherii à denario, seu spiritibus primi ordinis, seu Empyreis, qui omnes denique recurrunt in punctum vnitatis à quo suum initium, existentiam atque formam & actum acceperunt: vnde reuera dictum est *Deum operari omne in omnia.* esse omne quod est, vtpote *in quo omnia, & quod ab eo per eum & in eo sint omnia.* Angelicus ergo spiritus se submergens in fundum materiæ, hoc est in materiam, seu millenarii numeri profunditatem incorporatur magis profunde aut remisse, at quo magis ad naturam spiritualem seu naturam cæli, seu centenarii numeri ordines appropinquat, eo redditur spiritualior, & ad consistentiam Angelorum Olympicorum proximior. Vt ergo videmus quod ab vnitate procedit numerus denarius, & à numero denario centenarius, & ab illo iterum millenarius, ita quidem vis & virtus existentiæ Angelorum sublunarium procedit immediate ab illis æthereis, & illi ætherei ab Empyreis, atq; ipsi iterum à Deo: quare si dæmones seu spiritus tam quoad nos boni, quam mali exuant gradatim multitudinis onus, migrant imprimis de natura elementari in æthercam, atque iterum de ætherea in Empyream quousque tandem in Deum reuertantur à quo originaliter sunt orti: nam tametsi spiritus quoad nos mali & punientes putantur non reuerti ad Deum, tamen cum percipiant ipsos esse spiritus à Deo in proprietate suæ seueritatis emissos, vt loco ministrorum percutientium ei inseruiant, & quod eorum essentia interna sit eadem cum Deo, qui tametsi sit varieformis in sua proprietate, tamen in forma sua essentiali identitas est, ipsos in sua essentia primordiali à Deo minime esse alienos sentient. Sic Samael tenens de proprietate seuera influxus Elohim gibor conuenit cum Deo in hoc, at quatenus lucidus ille influxus Dei est vitæ Samaelis fundamentum, eatenus essentia capitalis illius Angeli percutientis non separatur ab illa Dei: nam in *verbo erat* cuiuslibet *creaturæ vita*, & *spiritus Dei incorruptus in omni re.* His igitur cognitis nõ est mirũ, si idẽ spiritus meridionalis in forma scorpionis vel aspidis vel viperæ vel basilisci spirituali & inuisibili vulnerat & dilaniat spiritum hominis, vt diaboli ex puteo abyssi in forma seu effigie spiritualis locustæ. Sic etiam propheta Ioel, *Residuum comedet locusta, & residuum locustæ comedet bruchus, & residuum bruchi comedit eruca & residuum erucæ comedet rubigo. Expergiscimini ebrii, flete & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine quoniam periit in ore vestro. Gens ascendet super terram innumerabilis, dentes vt dentes leonis*, &c. Quibus denotare videtur spiritus voraces sub inuisibilibus dictarum bestiarum nocentium formis. Horum spirituum nocentium in exercitu Iehouæ irascentis apparitionem & mores narrat *capite sequenti*, vbi de his ait, *Castra Iehouæ multa, quia fortia & facientia verbum eius.* Et immediate postea horum animalium spiritualiter lædentium species quatuor ventis cæli quatuor attribuit, inde arguendo ea esse de ventorum natura, nam ait, *Et eum qui ab Aquilone est procul faciam à vobis, &c.* Tum sequitur, *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus & rubigo & eruca.* Et quandoque ille ipse, si profundius se immergat in molem corpoream sub forma corporea atque visibili hoc idem præstare assolet.

Ioan. 1. *Sap. 12.* *Ioel. 1. 4.* *Ioel. 2. 11.* *Ioel. 2. & 25*


Capvt VIII.

Quod cacodæmones nō modo præternaturales in aëre efficiunt mutationes meteorologicas, sed etiam multiformiter, iuxta eorum in mundo situm, habitationem, & consequenter proprietatem, homines à Deo relictos lædunt, morbisque variis affligunt.

QVEMADMODVM in macrocosmo animaduertimus, quod dæmones multiformiter voluntate diuina aganr maligniter quandoq; circa corpora & spiritus eiusdem; vnde in denso aëre accidere solent inflammationes à fulgure & præstere perturbationes à ventoso turbine, caligines à nebulis densis, &c. In nube ignis exardens seu fulgur, carbones seu lapilli accensi, tonitru, grando, & nix. In mari aquarum perturbatio, fluctuum exaltatio, spiritus interni agitatio; In terra tremor & concussio, flatus igniuomens, hiatus & fissura, inundatio, ariditas & sterilitas. Hæc autem omnia authoritate fide digna sic confirmamus. In ptiori ordine sciendum est iuxta D. Pauli doctrinam Luciferum à cœlo seu aquis superioribus expulsum in inferiores dictitari principem aeris huius: vnde vir quidem sapiens in mysterijs Dei admodum profundus, *in tractatu suo de Reuelatione maiestatis diuinæ hæc* scribit. *Cum aëre simul creauit Deus verbo suo Angeles & spiritus, qui in aëre circa directionem tempestatum tam malarum quam bonarum, pluuiæ, niuis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, fulminis, tonitru, lapidis Ceraunij, ignis Chasmatum, cometarum, aquarum, inundationum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, & aliorum id genus quam plurimorum munus suum ac officium obeunt & exequuntur; atq; hoc ipsum etiam nunc hodie fit in verbo eius. De hisce omnibus sæculares illi sapientes seu philosophi conscribunt mere inepte, in quibus ne punctum quidem vnum, nedum integra litera vera est.* Hæc ille. Et Psalmista. *Qui facit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem.* Hoc totum clarissime indicauimus *cap. 4. & 6. Sect. 1. port. 4. part. 2. lib. 4. memb. 2. De meteorologica nostra historia*, vbi hæc omnia à nobis relata authoritate sancta comprobantur.


Psal. 104. 4.

Iam vero ratione haud dissimili declarare aggrediar, quomodo cacodæmones tam spiritum quam corpus microcosmi seu hominis morbis etiam meteorologicis seu meteoris præternaturalibus cruciare soleant.



Hic ergo habetis morbos enumeratos quos producunt mali & percutientes spiritus in aëre & corpore humano ad exemplar eorum quos producunt in aëre & terra mundanis; quos omnes satis aperte, idque testimonio sacro, *capite prædicto 4. Sect. 1. port 4. part. 2. lib. 4. memb. 2.* expressimus. At vero aliter sic morborum à cacodæmonibus genitorū fascem compilauimus.

Spiri-



Quòd peccatum sit causa morborum sine quâ non, & de integro peccati mysterio *in libro huius primo* abundè egimus.

Quòd diabolus cū suis angelis est princeps tam in aëre macro quàm microcosmi liquet ex istis Apostoli verbis: *Ambulastis secundùm potestatem aëris huius qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, &c. Quare euidens est, quòd iste princeps est author peccati, vtpote qui cum angelis suis tentat omnimodo susurrationibus & persuasionibus occultis diffidentiam imprimis in spiritū humanū inducere, vt tum postea possit vim atq; potestatē habere hominē morbis & afflictione cùm animi tū corporis cruciare. At verò vbi est fides, ibi nulla adest ipsi potentia. *Ephes. 2. 2.*

Salomonem omnium sapientissimum seducebat Astaroth; vt tum adoraret, atq; ita contra mandatum Idololatria nefanda contaminaretur. Hoc faciebat diabolus sub agnomine Beelzebub, sub cuius ditione sunt Pseudothei, videlicet illi dæmones, qui pro diis coli volunt, & talis generis erat Astaroth.

Falsam imaginationem impressit spiritus mendacii (qui sub imperio erat diaboli sub nomine Pythonis) Regi Achabo, vt ex 1. *Reg.* 22. colligimus: *Spiritus quidam prodiens in conspectū Iehouæ dixit ei: egrediar spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum, & sic in cæteris.* Pro hisce à cacodæmonibus effectibus particulatim inspiciatis (si placeat *Section.* 1. *part.* 4. *part.* 2. *libri* 4. *membr.* 2. *cap.* 6. in quo omnia hæc ad amussim ex textu sacro comprobata inuenietis: quare vos ad illum locum referam, quoniam idem saxum in pluribus locis voluere opus fore frustraneum existimamus: præter quam etiam quòd *capite huius sequenti* posteriora istius distinctionis omnia explicata satis inuenieris.

Hic autem vos minimè latere velim, quòd vt in supremo aquarum superiorum imperio æternæ sapientiæ essentia vnica lucida varium iuxta multiformem suam proprietatē agnomen sibi vendicare videtur, videlicet *Ehieh, Iah, Elohim, El, Elohim gibor, Eloha, Iehoua, Sabaoth, Sadai, Adonai*, &c. Ita quidem in infimo aquarum infimarum imperio principis tenebrarum natura eadem vario iuxta varieformem suam proprietatem agnomine vtitur; videlicet in proprietate Pseudothei in qua Idololatriam disseminat Beelzebub, hoc est vetustus Deus. In proprietate qua mendacia falsasque præstigiosas imaginationes disseminat Python, i.e. serpens, sub qua effigie Euam decepit. In illa obedientiæ & præuaricationis Belial, cuius organa dicuntur *vasa iræ, vasa mortis, vasa furoris, vasa interfectionis & interitus.* In proprietate vltionis scelerum & iudicii Asmodeus. In proprietate seductionis per falsa signa & miracula præstigiatricia Satan, vt in Apocalypsi. In proprietate qua corrumpit aërem, Meririm, id est, spiritus furens & æstuans, cui subiiciuntur spiritus tempestatum, & ipsi qui homines peste inficiunt. In proprietate subitaneæ exterminationis & vastationis, vt in exercitu Assyriorum, Apollyon, seu Abaddon, i.e. exterminans. In proprietate accusationis seu criminationis, Astaroth, hoc est explorator, vt in Apocalypsi vocatur fratrum accusator. In proprietate cupiditatis & tentationis, Mammon, i.e. cupiditas.

Psal. 7. Isai. 13. Ezechiel.

Vnde euidens est, quòd vt Deus latens & Deus patens est in essentia non nisi Ens vnicū, sed ratione proprietatis occultæ & manifestæ res varia, & conditione opposita, vt in descriptione Apollinis & Dionysii expressimus in *voluminis præcedentis primordio*: ita quidem malus ille Angelus cum bono (qui tales respectu nostrûm non Dei dicuntur) sunt essentia vnici, vtpote de prosapia sacra, proprietate verò opposita. Nonne autem hoc idem videtis in proprietate Dei seuera & perdente, ac clemente ac saluante, videlicet quòd eadem sit monas æterna, vtcunque proprietate diuersa? Quid ergo impediat, quòd vtriusque proprietatis organa in identitate essentiæ non conueniant, cùm ambo ab vna essentia æterna animentur & exagitentur, tametsi voluntate contraria vel diuersa: sic eandem in vnico homine mentem res diuersas, imò planè oppositas efficere animaduertimus, non mutata mentis in essentia identitate: sic eundem ignem minimè mutata ipsius forma dura liquefacere, & liquida iterum indurare; quibusdam sui caloris suauitate solatium & salutem afferre, nonnullis destructionem atque interitum, &c.

Capvt IX.

Quomodo Angeli ventorum sint effectores omnium in hoc mundo sublunari, siue sit ad meteora morbosa, siue salutaria in vtroq; modo producenda: & quomodo elementa quatuor non sint aliud, quàm quatuor Angelorum à quatuor ventis spirantium in aëre, quasi communi & mercuriali medio effectus.

QVòd ventorum virtus & potentia in Angelorum diuersorum proprietatibus contrariis consistat, in præcedentibus clarissimè demonstratum habetis: similiter tametsi Angelis attribuatur ista virtus, tamen radicaliter illa in voluntate diuina in hac vel illa proprietate per verbum à fonte diuinitatis emissa atque emanans sita est: vnde dictum inuenietis: *Flante Deo concrescit gelu*, &c. Et alibi: *Ventum efflat suum Deus emittens verbum suum.* Atq; iterum, vocantur venti *flatus narium Iehouæ.* Et Iob appellat ventos *flatum Dei, Iob.* 37.9. At verò ait Psalmista regius: *Qui facit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem*: & quòd Angeli sint *validissimi Dei efficientes verbum.* Vnde & alibi: *Ventus procellosus efficiens verbum Dei.* His ergo probatur, quòd Angeli sunt instrumenta aërea, seu spiritualia ad vsum Iehouæ cōdita, quorum forma harmonica est lucida & viua verbi (in quo consistit Dei voluntas) emanatio, seu emissio, sine qua Angelus est planè per se immobilis, & nullius vsus: non aliter quā fistulam videmus esse rem planè inutilem & quasi mortuam, nisi à musici experti spiritu sine afflatu exsuscitetur, & in actum symphoniacum reducatur: eadem planè ratione aërea Angeli existentia nisi à spiritu Dei lucido inspiretur in forma venti non mouetur. Quare euidens est, quòd communis Angeli materia, quoad substantiam est spiritus mundi humidus, & consequenter omnia Angelorum externa sunt vnum & idem: vnde liquet, quòd in substantia materiali in genere conueniant omnes, tametsi specialis eorum differentia est in puritate & subtilitate: sic quò magis forma Angelica submergitur in materia, eò densior est eius existentia, & per consequens Angeli tenebrosi dispositioni propinquior: sic Angelorum sublunarium existentia, seu materia est illorum cœlestium crassior, & ad opacitatem proclinior, vt è regione illa supercœlestium excedit istam cœlestium in puritate & raritate.

Iob. Psal. 147. 18. Exod. 14. 21. & 15. 8. Psal. 104. Psal. 148.

Pari

Pari etiam ratione omnes Angeli in essentia seu formæ suæ identitate conueniunt, quatenus quilibet Angelus est quasi speculum aëreum vel clariùs vel obscuriùs suscipiens luminosum diuinitatis influxum, at verò vnum copiosiùs & affluentiùs alio, secundùm ipsius in puritate, subtilitate & perspicuitate dignitatem. Atque ista est ratio cur alii Angeli super alios honore & gloria exaltentur & sublimentur. Hinc ergo est, quòd vt numerus denarius, vtpote alteritas primi ordinis, vitam suam & esse ab vnitate immediatè recipit, vtpote à qua hauritur; ita quidem Angelus supercælestis à Deo: & vt numerus centenarius quasi quadratum à numero denario quasi à radice ortum suum immediatè ducit, ita quidem Angeli cœlestes vitam & existentiam accipiunt immediatè ab illis supercœlestibus. Denique vt numerus millenarius quasi cubitus initium suum immediatè sumit à centenario, multiplicatione suæ materiæ per radicem in quadrato, ita quidem Angeli elementares vim suam atque existentiam ab illis cœlestibus; sed licet copiosè in se habent isti Angeli de luce diuina, tamen in ipsis præualet materia aquea, vnde factum est, quòd cum Angelis tenebrosis communionem habeant. Atque hac ratione videre liceat, quòd Angeli omnes tam in substantia materiali quàm essentia formali inter se conueniant; sola autem differentia est in quantitate tam materiali quàm formali: nam quò dignior & subtilior, ac depuratior est materia, eò magis in radiis formalibus ditior, iuxta illud Platonis: *Datur forma secundùm meritum materiæ.* At (dicet quis:) vnde ergo euenit quòd Angeli variare videntur in conditione, officio & proprietate? Huic ego, A voluntate diuina multiplici, quæ est multiplex & secundùm multiplicitatem eiusdem Angelorum varietatem fecit; non aliter quàm eadem in homine mens inuenit artem mediante organo aliquo accendēdi per silicem ignem, atque iterum aliam qua illum ignem ita accensum iterum extinguat: similiter rhomphæam qua vulneret, & balsamum quo vulnera sanet. Eadem planè ratione iuxta textus sacri testimonium Deus per vnicam suam proprietatem vulnerat & morbis afficit, per aliam medetur & sanat.

Hisce igitur specialiter ponderatis, facillimè intelligere potestis, quòd angelica Dei organa proprietatum suarum diuersitatem à varietate voluntatis diuinæ accipiant, & quòd tametsi Deus sit pura & simplicissima lux formalis in se, tamen quando ipse vult in proprietate sua stiptica & frigida atque terrea operari: ita lucem suam per portam Binah emittit, vt tametsi sit lucida, tamen in proprietate luci contraria per suum organum Angelicum operetur; nam secundùm voluntatem suam mitescit ignis seu lucida sua emanatio, & in glacialem atque grandinosam mutatur, iuxta istud Sapientis: *Ignem mitefacit Deus ne comburerет &c.* nam vt omnis actus est quædam agentis à centro ad circumferentiam emanatio; ita quidem cùm in luminosa sua emanatione Deus contrahat se in se, necesse est quòd frigiditas constrictiua sequatur, quoniam omnis calor fit ab actu seu motu emanationis, vt è contra frigus contractione à circumferentia ad centrum, quam actionem quies sequitur, vt in somni proprietate obseruamus, qui fit spirituum ab externo in internum attractione; at quietis filia & agonista est frigus. Quare euidens est, quòd qualis est voluntas Dei per proprietatem portæ Sephiroticæ, à qua descendat significata, talis etiam est forma organi Angelici, & per consequentiam circa officia suæ naturæ conuenientia ipsum versari necesse est. Verbi gratia, per portam *Binah* ab agnomine *Elohim* descendunt influxus in Archangelum Saturni sphæræ prædominantem, frigidi & terrei, quos recipit intelligentia illa Septentrionali mundi sublunaris plagæ præsidens; quare effectus tales solet ipse suo afflatu ab illo mundi angulo in campum aëreum emittere, atque per vastum mundi sublunaris spiritum disseminare, videlicet extremè frigidos & siccos, terreos, gelantes, niuales, pruinosos, grandinosos, &c. E regione verò per portam *Geburah* ab eodem diuinitatis fonte, sed ratione & proprietate contraria sub agnomine *Elohim gibor* descendunt influxus in Archangelum Samaelem Martis sphæræ præsidentem calidissimi & ignei, quos in mundo inferiori recipit intelligentia illa quæ est venti Orientalis præses; quare effectus tales ipse suo in aëre afflatu, nimirum calidos, siccos atque igneos dispergere atque effundere animaduertitur. Atque in istiusmodi influxionis proprietate emanatio ista lucida dilatat se à centro circumferentiam versus; vnde actu suo creat motum, & motu suo calorem extremum producit, vnde fit vt ipsius violentia pulsa & exclusa frigiditate igneus calor in aëre notatur habere dominium, iuxta illud ex dicto Sapientis loco: *Modò Deus facit ignem ardere inter aquam vt iniustum terræ fœtum corrumperet; nam ista creatura tibi inseruiens exarsit in tormentum aduersus iniustos, & ad punitionem contra eos intenditur & remittitur in beneficentiam pro iis qui confidunt in te.* Quo verborum nexu patet, quòd Deus per fortiorem vnius organi angelici præsentiā destruit organi debilioris effectus: sic quidē quādo tres iusti in fornacē vehementer ignitā à tyranno fuissent iniecti, ab angelo ꝓprietati ignis cōtrario, vtpote

Sap.16.

Sap.16.n.22

cuius

cuius erat more Salamandræ supercælestis in igne vtcunque violento intactè cum iustis ipsi commissis permanere,ita vt ignis (etiamsi impios in momento deuoraret) super ipsos potestatem habere non potuit.

Ex quibus ritè consideratis luce clariùs diligenter intuentibus apparebit,quòd quatuor illa elementa ab antiquis Philosophis toties mundo ebuccinata,& à modernis in scriptis & disputationibus nominata longè aliter se habeant ac ipsi existimauerunt: non enim,vt ipsi volunt,sunt quatuor elemēta in puncto & in eodem instanti ordinata,nec simul creata;aut in mundo fixa in suis sphæris & non mutata;nec profectò sunt ipsa quicquā aliud quàm mutatio vnius spiritus mercurialis de vno statu seu forma in aliam multiformem,atq; iterū illarum in eandem rotationem materia omnium fundamentalis non est nisi spiritus materialis vnicus,quem Moyses vocauit ***aquas***, & Mercurius Trismegistus ***naturam humidam***,quæ quidem est in sua existentia vnica,tametsi proprietatem formalem induit multiplicem,mediāte qua quandoq; terra,nonnunquam aqua,aliquando aër,& haud rarò ignis à Philosophis dictitatur;hæc omnia existimantes simul & semel sic in distincta & cōtraria sua natura fuisse creata atque informata: sed errant & totaliter à via veritatis recesserunt; nam omnia quæ dicuntur elementa sunt substantia vnum & idem,videlicet spiritus catholicè expansus,qui de vna in aliam formam (vti diximus) mutatur; non,vt Philosophi quidā ethnici stultè existimauerunt,per frigiditatem, caliditatem, humiditatem aút siccitatem informantur,quatenus ipsa faciunt accidentia,quorum solummodo esse est inesse,& consequenter quatenus accidentia sunt res essentialiter informare nequeāt: nam quomodo est illud possibile essentiam alicui dare,quod per esse aut existere non potest? Quod enim facit tale necesse est vt sit magis tale;ergo non vt accidens dependet forma essentialis in inhęsione ad illam rem quam informat.Necesse est ergo formalem elementorum cōditionem iudicio magis maturo perscrutari. Sed quoniam vera huius rei inquisitio à paucissimis in hunc vsque diem est effecta,hinc inter Philosophos etiam Christianos oritur antiquissimum istud dubium , in quo tanquàm in tenacissimo ignorantiæ luto adhuc hæsitant Christianæ scholæ,vtpote sordidæ & spuriæ paganorum doctrinæ firmiter adhærentes;videlicet quænam sit vera & essentialis elementorum forma: vnde Marinus Mersennus,gloriosus ille Thraso,sic iactabundè.Ostēdat mihi si potest quisquam quænam sit vera elementorum forma? Certè mirum est,quòd tantus Catholicus & Theologus,tam excellens & supremus(vt ipse philautia ductus putat) in Genesis Mosaicæ mysteriorū enucleatione Philosophus,quippe super quam quæstiones (vt ait)celeberrimas(reuera nullius momēti)super fabulosam basim fundare haud erubuit, quænam sit vera elementorum forma ignorare possit: at si Genesim rectè intellexisset,imò verò si vel versum vnicum ipsius rectè & spiritualiter explicare valuisset, non sic quidem in tanta superbia postulatum mundanis,ipso fortasse millies doctioribus iniecisset;ac si neminem ipso in mysteriis Dei atq; naturæ profundiorē in hoc mundo inuenire liceret;sed quòd omnes istius quæstionis resolutio lateret,quoniam ipsi incognita & non reuelata. Verùm si magis matura consideratione intellexisset Deum omnia ex materia & forma creasse, mundum,& consequenter ipsius mundi compagines, & quòd materia sit desumpta à ventre ipsius potentiæ,forma verò ab ipsius actûs immensi sacrario;tunc affirmaret quidem ipsam sapientiam æternam à diuinitatis fonte emanātem esse formam eius atq; partium ipsius ca-
Sap.7. tholicam,quæ vt est ***spiritus in se vnicus & simplex***, tamen respectu proprietatum ipsius variarum ***multiplex*** dicitur à Sapiente. Atq; ita habes(Mersenne)formam catholicam tam mun-
Sap.12. di,quàm elementorum,atq; omnium,de qua dicit Sapiens: ***Spiritus Dei incorruptibilis est in omni re.*** Causa ergo efficiens est Deus;vnde Syrach: ***Primum omnium creata est sapientia***; ***deinde spiritus*** iste catholicus ***iuxta voluntatem Patris*** seu creatoris se in proprietates seu emanationes varias quasi radios diuersæ naturæ & voluntatis emittit; atq; omnes hæ emissiones cum spiritu mundano in quo sunt iunctæ vel mixtæ, Angeli dicuntur; quæ diuina sunt organa multiformia,mediantib. quibus voluntatem suam facit tam in cœlo quàm in terra. Vnde constat,quòd omnis forma sit lux Angelica & consequenter quòd iuxta Angeli siue organi diuini proprietatem est formæ cuilibet creaturę assignatæ conditio,& natura quæ se primùm catholicè,in aëre seu spiritu mundi sublunari extendit, & tunc spiritus ille sic mutatus dicitur elementum. Verbi gratia,si sapientiæ æternæ radius in proprietate Binah emittitur ad inferiora,tunc Angelus qui præsidet cardini Septenttionali animatur & fortificatur in suo actu,& fit princeps super omnes aëris potestates &principatus,& tunc efflat spiritum suum à quarta Boreali, qui spiritus est vita & virtus illius Angeli quam recipit à contractiua & frigida Dei proprietate,& consequenter forma eius est frigida & sicca: vnde fit vt forma frigida & sicca imbuatur spiritus mundi mercurialis ad eius afflatum,hoc est proprietatem Dei stipticam & contractiuam induit, atque ita in naturam illius elementi,quam vocant terram,

terram, mutatur ille mundi spiritus; & vt forma dicitur dare nomen & esse, ita quidem forma Angeli Borealis (qui iuxta talem Iehouæ proprietatem informatur) informat aërem forma terrea, dum viget & augetur in eo huius venti Angelici virtus: tunc enim aquæ coarctantur, guttæ nubis vel in grandines vel niues coalescunt, vel in gelu aut pruinas conuertuntur, hoc est ad terream consistentiam à spiritu mercuriali frigida fixatione creandam omni conamine nititur virtus illa Angelica vt verbi à Iehoua prolati effectum ad exitum certum & completum producat.

Haud dissimili ratione in proprietate sua operatur formalis Angeli Orientalis virtus & facultas, dum ad voluntatem diuinam in proprietate opposita in hæc inferiora complendam fortior & eminentior redditur aërem siue spiritum sublunarem mutando de dispositione aliorum elementorum in illam ignis, & tunc spiritus ille sublunaris fit illud quod vocant igneum elementum. Vnde facillimè decerni potest, quòd elementa non sint stabilia, sed omni die, imò verò & hora conuertuntur de statu in statum; de elemento in elementum, iuxta formalem illam proprietatem quam ab Angelo flante accipiunt: nam flante Angelo regali à ventorum cardine aliquo omnes Angeli ei subiecti, vtpote eadem proprietate diuina induti agunt & operantur, suis halitibus aërem vndiquaque suo more & conditione informando. Vnde concludimus, non esse nisi vnicum in mundo sublunari elementum radicale, videlicet Aërem, qui iuxta varium Angelorum principalium afflatum de vno statu in alium mutatur; quos status Philosophi elementa nuncuparunt.

Concludimus igitur, quòd frigiditas, caliditas, humiditas & siccitas sunt de forma Angelorum essentiali, & consequenter non accidentia, vt veterum est Philosophorum opinio: quod quidem sic probamus, quoniam scilicet vita Angeli cuiusque est influxus luminis diuini in hac vel illa proprietate iuxta voluntatem monadis æternæ ordinati: At proprietatum diuinarum virtus continet omnes sui actus proprietates in se; cuiusmodi sunt caliditas, frigiditas, &c. Sequitur ergo, quòd si influxus quilibet diuinus sit in Deo & à Deo, & si proprietas hæc vel illa sit in peculiari influxu, & si frigida, calida, humida & sicca natura sit à proprietatibus & in proprietatibus diuinis, omnia etiam hæc in diuina essentia quæ est vnica, non aliter quàm voluntas varia & noluntas multifaria existens in mente humana, omnes proprietates quæ exinde oriuntur in ipsis idealiter & essentialiter inesse dignoscuntur: Verùm certum est, & citra omnem controuersiam ab omnibus ferè tam Theosophis quàm Philosophis pro concesso habetur, quòd accidentia Deo (qui totaliter est essentialis) adesse vel inhærere non possunt: vnde sequitur, quòd si integra elementorum informandorum ratio à forma Angelica procedat, in ipso etiam Deo radicaliter & fundamentaliter tanquam truncus in sua radice & à sua radice permaneat, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

Nec dicant ampliùs Christiani, cum ethnicis Philosophis, quòd caliditas, frigiditas, &c. sint accidentia, quoniam ipsis admodum videtur durum & difficile prima fronte inuenire atque expiscari ipsorum essentiam: nam vt Deus reuera est omne illud quod est verum, siue sit materiale, siue formale: ita quidem Angeli tam externum quàm internum est à Deo, vnde alteritas ab vnitate orta dicitur. Si igitur quid sit frigidi essentia, quidve calidi quæratur, dicimus profectò eam non esse meram qualitatem taliter subiecto inhærentem, vt sine subiecti corruptione remoueri nequeat; sed potiùs de essentia Angelica ad voluntatem proprietatis diuinæ à qua formatur procreata atque infusa. Quare affirmamus, quòd spiritus ab ore Dei emissus est vel frigida vel calida quædam proprietas Dei, seu virtus essentifica à voluntate diuina essentialiter per verbum in organum Angelicum effusa, à qua Angelus fit conditione talis, qualis est proprietas diuinæ naturæ à qua emittitur influxus. Hinc ait Biblium sacrum: *Coram frigore eius quis consistit?* At si proueniat à Deo, est quidem virtus diuina ad flatum diuinum in proprietate Iehouæ Boreali exhalata. Vnde textus: *Flante Deo concrescit gelu*; sic etiam Deus in contraria sua proprietate vocatur ignis consumens: at calor est spiritus igneus in Deo, sed de natura diuina in ista proprietate seu voluntate ipsius in organum Angelicum infusa. Hinc, *Fecit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem.*

Maximum quidem de isto solo subiecto Volumen conscribere potui, sed quia huic nostro proposito minimè conuenit, non nisi succinctè, ad propositum tamen; de isto hoc in loco discutere haud inutile fore existimaui.

At dicet fortasse quispiam, Cur igitur alibi de elementis quatuor radicalibus, & de qua-

tuor eorum qualitatibus tot verba sine exceptione aliqua in Physica tua tam macro, quàm microcosmi historia fecisti, si reuera talia vel tales non existant? Respondeo: Quia me more vulgari & Philosophorum mundanorum, hoc est, Ethnicorum sapientiæ sectatorum, quò fundamentorum meorum sensus melius à quouis more communi intelligatur, explicaui. Hoc verò in loco, vt magis radicaliter & à vero rei fundamento scribam, me cogit subiecti istius necessitas, quo realiter vos instruam, quomodo omnia à Deo radicaliter, per Deũ in organis Angelicis, & in Deo (quippe in quo mundus & omnia existunt) procedant, & proinde in eum reuertentur; Cui sit laus, & honor, atque gloria in æternum.

CAPVT X.

In quo Angelorum plagæ Septentrionalis tenebrosorum actus, eorumq; effectus luculenter describuntur.

DE Angelorum maleuolorum ex parte Septentrionis dispositione quid putauerint Cabalæ peritiores, paucis explicabo. Nam vt ipsi cuilibet ex numerationibus decem Cabalisticis particulare nomen Dei proprietati illius maximè conueniens attribuunt, ita quidem Sephirotæ *Binah* nomen *Elohim* assignant, quod seueritatem & iram importat, quia per ipsum veniunt seueræ punitiones & strages, belligerique viri, non aliter quàm nomen *El* è regione arguit clementiam & misericordiam, vtpote in qua proprietate Deus omnia fouet, omnibusque succurrit summa pietate & clementia. Propterea vt huius influxus faciunt ipsi descendere, mediante Archangelo huic proprietati inseruiente, in beneuolam Iouis sphæram, qui est vitæ amicus, ita quidem illius effectus, ducente Archangelo alterius conditionis, transfundi credunt in maleuolam Saturni sphæram, à qua effectus Boreales, hoc est, frigidi & sicci, & consequenter vitæ contrarii in regiones elementares impluuntur, quorum præsentia & vigore spiritus seu Angeli Boreales animantur ad flatus suos per aërem, per aquas & per Orbem terrarum dispergendos. At Archangelus Cabalista Angelos huic nomini Dei inseruientes *Ben-Elohim*, id est, filios Dei vocat, *Elohim autem terrorem ac pauorem significat: hinc quarta Aquilonaris ei assignatur, à qua procedit omne malum culpæ per legis transgressionem, & pœnæ ac peccati punitionem.* Hæc ille. Sed vt per scripturas hæc confirmemus, legimus in Propheta de omnibus istis spiritibus *à quatuor ventis venientibus ad voluntatem Dei faciendam hæc. Iehoua edente vocem suam ante copias suas, quàm ampla admodum sunt castra eius, quàm robusta sunt quæ efficiunt verbum eius.* Quibus denotare videtur, spiritus Dei ex omnibus mundi quartis coram eo venientes. Quod versu 20. *sequenti* sic exprimit: *Nam ex eo Aquilonarem longè amouebo à vobis, & depellam ex eo in terram siticulosam & desolatam,* (hoc est, vt *in Annotatio. Tremellij* habetur in Meridiem) *& primum agmen eius in mare Orientale, & postremum in mare posterum, adeò vt ascendat fœtor eius, & ascendat putor eius,* &c. Annotatio in *illud caput* hæc habet: *Animalia depellam procul à vobis in quatuor cœli plagas, partim Aquilonem, partim Meridiem, partim Orientem, partimque Occidentem versus.* Verùm malè capit commentator nomen populi *vers. tertio, capitis eiusdem* pro animalibus *cap. præcedenti* nominatis, vbi dicit, quòd *reliquum erucæ comedet locusta, & reliquum locustæ comedet Melolontha, & reliquum Melolonthæ comedet bruchus:* sed potius ista animalia quatuor metaphoricè ad destructiuas spirituum è quatuor mundi quartis collectorum naturas comparantur & referuntur; Hinc vers. sexto: *Gens ascendet super terram robusta & innumera, cuius dentes sunt leonis,* &c. At verò per *totum caput secundum* describuntur, pro Angelicis spiritibus in tonitru & tempestate more equitum ante faciem Iehouæ currentibus: & vocantur *castra eius & populus robustus efficiens verbum eius: qui (iubente Iehoua) iterum in loca sua constringuntur & remittuntur;* vt idem Propheta testatur. De istiusmodi etiam Angelis percussoribus ab Aquilone missis Propheta sic: *Vidi sex homines venientes à via portæ quæ est obuersa ad Aquilonem; quisque cum instrumento dissipationis in manu sua, quibus edixit Iehoua, transite per hanc ciuitatem & percutite, ne parcat oculus vester, neque vtamini clementia,* &c.

Arch. com. in Cab. dog.

Ioel. 2. 11.

Ibid. 20.

Ezech. 9. 2.

At dicet fortasse quis, quòd isti spiritus, qui percussores sunt, & morbis ac plagis afficere solent homines sunt cacodæmones & diaboli, & consequenter Deo oppositissimi. Huic ego sic, vt *in præcedentibus.* Deus sibi aduersarium creare noluit; at diabolum cum pestiferis suis sociis creauit Deus, vt essent ministri tam ad perficiendam voluntatem sui creatoris in creaturæ malum, quàm Angeli lucis dignoscuntur esse spiritus administratorii pro creaturæ salute & conseruatione; hoc à Propheta loco

multoties

multoties antea citato sic confirmatum habemus: *Ecce, inquit Iehoua, ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendũ.* Nonne etiam hoc idem in Iobi historia confirmatum habetis? in quâ Satan agnoscere videtur, quòd ipsius Iehouæ sit actus totum illud, quod in malum & ruinam hominum patrare aggreditur ipse. De tali Angelo hæc habet pagina sacra: *Fiant quasi puluis vento expositus Angelo Domini iactante eos, sint viæ eorum obscuræ & lubricæ, Angelus autem Domini vrgeat eos,* Psal. 35. a. 5. *Isai. 54. 16.*

Denique concludimus, quòd cum Aquilo seu Septentrio sit tenebrarum sedes (quod quidem in eo declaratur, quoniam spiritus ipsius proprietas sit condensare & opacum atque tenebrosum reddere) necesse est vt spirituales eius incolæ sint tenebrosi, lucifugi, & admodum in sua natura frigidi & sicci atque terrei: cuiusmodi spirituum facit Psellus genera tria, quorum vnum est alio deterius; *vnum* facit terrenum, cuius est terrenis obuersari multis rationibus; *aliud* subterraneum quod habitat quidem sub terra, soletque inuadere eos qui puteos & metalla fodiunt, efficitque hiatus terræ, & fundamenta concutit, flammiuomosque quandoque ventos suscitat; & pestes atque corruptiones quandoque sequuntur: de cuiusmodi natura sunt illi spiritus, de quibus Reuelator hæc: *Aperuit stella cadens puteum abyssi, & obscuratus est Sol & Aër, & egressæ sunt locustæ, habentes potestatem scorpii terrestris his data est potestas lædere homines qui non habent signum Dei in frontibus, estque cruciatus eorum vt cruciatus scorpij cùm percusserit hominem. Habent autem regem ipsis præpositum Angelum abyssi Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, id est, perdens dictum,* &c. Quo sermone denotat spiritus malignos ex aëre terreo seu Septentrionali, & aëreo seu Meridionali compactos; vnde fit vt etiam contagioso more corrumpant. *Tertium* genus lucifugum, imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, passionibusque frigidis violenter res perdens: atque hæc genera cùm in locis habitent profundioribus ad summum quidem frigidis, sed humore carentibus, frigiditatem vt plurimùm contrahere humoris expertem, & consequenter de natura Septentrionali esse frigidissimos & siccissimos. *Hinc* (inquit ille) *isti hominibus se insinuantes non mediocriter eos perturbant, oppletis videlicet meatibus & impletis in quibus spiritus insidet animalis, ipsoq; spiritu dæmonicorum corporum crassitudine coacto, intusq; concusso, ex quo accidit vt vibrentur concutianturq; corpora, viresq; principales malè in actionibus se habeant, ac motiones stupidæ erraticæq; proueniant. At si dæmon qui irruit sit subterraneus, concutit & destruit occupatum: sin autem ex lucifugorum aliquis homini se clam ingesserit, segnitiem adducit, cohibetq; vocem, hominemq; obsessum quasi mortuum reddit: nam cùm hoc genus sit vltimum, terrestrius est summopereque frigidum & aridum, & cuicunque latenter irrepserit vim omnem animalem obtundit & hebetat, obfuscat & delet, atque somniferam capitis grauitatem atræ bilis angustias &c. facit.* Hæc ille. Quibus asseuerare videtur, quòd Stupor, Catoche, Apoplexiæ, Lethargiæ, Obliuio, & huiusmodi alii morbi per occultum istiusmodi spiritus maligni terrestris actum efficiantur; quorum dominium, vti diximus, est in Septentrione, & afflatu illius animantur & suscitantur: nam simile à suo simili nutritur, animatur & gaudet. Quomodo autem stupores, sopores, tristitiæ & timores creaturis à malis Angelis inducantur, in *libr. 3. part.* seu *membro primo,* vbi de Imperio Septentrionis spirituali agitur, affluenter egimus. *Apoc. 9.* *Psellus de dæmon.*

Sed hîc imprimis est considerandum, quòd vt sunt spiritus seu dæmones aërei, vt & aquei & terrei, ita quidem sunt alii spiritus aërei qui vigent & dominantur dum ventus Septentrionalis flat, mediantibus quibus aër in spiritus terrestris naturam, hoc est, in frigidam & siccam dispositionem ad flatum Septentrionalem conuertitur: atque horum officium est versari tam circa spiritum microcosmicum quàm macrocosmicum: de quibus intendit Psellus, vbi generaliter de omnibus spiritibus seu dæmonibus aëreis sic agere videtur: *Aërei autem & terrestres dæmones arte quadam & excogitatione inuadunt, & sic fallunt humanos animos, & ad perturbationes turpissimas & iniquas perniciosasque flectunt: non tamen dominantur, sed nobis clam commemorant, spiritui namque, qui in nobis est, phantastico propinquant, vtpote qui & ipsi spiritus sunt, verba perturbationum & voluptatum nobis insinuant, sermones suos absque sonitu immittentes: nam cùm possint cum ipso animæ spiritu copulari nullo sono egent, sed sermo eorum voluntate conceptus nullo penitus sono audienti illabitur. Hoc vtique modo nobiscum dæmones conuersantur, clam videlicet, adeò vt nec vnde quidem nobis inferatur bellum liceat persentire. Sicut enim aër præsente lumine colores ac formas accipiens traducit in illa quæ naturaliter accipere possunt, sicut apparet in speculis rebusque quasi specularibus, sic & dæmonica corpora suscipientia ab ea quæ intus est essentia phantastica figuras atque colores, & quascunque ipsi voluerunt formas in animal nostrumque spiritum transmittunt, multa nobis negotia præbent, voluntates & consilia suggerentes, formas subindicantes, suscitantes memorias voluptatum, simulacra passionum fre-* *Psellus de dæmon.*

quenter concitantes vigilantibus & dormientibus. Sed & hi Platonis galeam subinducentes perturbant animas arte quadam & sophistica fraude. Reliqua verò genera inferiora nihil excogitant sapienter, nec quicquam facilè astu peragunt, nisi quòd molesta tamen atque valdè turpia sint, & Charonci spiritus more lædunt, &c.

Hæc sunt Psellii. Cuius etiam opinioni facilè conueniunt D. Pauli verba, quæ faciunt tenebrarum principem aëris rectorem in his: *Contendimus non contra sanguinem, sed contra*
Ephes.6.11. *principalitates & contra potestates, cōtra gubernatores huius mundi, principes tenebrarum huius mundi, contra spirituales impietates, quæ sunt in altis locis. Et propter hanc causam assumite arma comple-*
Ephes.2.1. *ta Dei, quibus potestis resistere in die infausto.* Et alibi: *Vos visitauit Deus qui fuistis mortificati in peccato, in quo temporibus præteritis ambulastis secundùm cursum mundi, & secundùm vias principis illius qui dominium habet in aëre; hoc est spiritus illius qui iam operatur in filiis obedientiæ.* Hîc ergo habemus dominum horum spirituum malignorum & astutorum detectum atque manifestatum, qui iuxta ventorum maleuolorum afflatus in regiones & turmas suas distinguuntur, ita vt Septentrionales spirante illo vento in negotiis frigidis, siccis, melancholicis in animum seu spiritum vel aëre humanum agere sint promptiores. Hinc ergo pessimæ animi passiones à contractione, cuiusmodi sunt Tristitia, & omnes aliæ quæ sub ea comprehenduntur, cuiusmodi sunt metus, horror, suspiria, desperatio, curæ, & multa alia. Atque hæc est ratio, quòd Albohale existimauerit, melancholiam esse à dæmonio. Et Alzarauius dicit, quòd *ægritudines inuadant homines ex præuaricationum dæmonum & maledictis dæmonibus, qui dicuntur Albabinablis.*

Dæmones verò inferiorum ordinum Septentrionales, cuiusmodi sunt Aquatiles, Terreni, Subterranei & Lucifugi, magis sunt corporei & circa humores & membra solida more maleuolo versantur & congelant, obstruunt, & non tanta astutia in spiritu rem gerunt ac aërei, sed tam suo frigore quàm crassitie lenta premunt & obturant meatus, & Aquei in humores viscidos, Terreni in membra & humores melancholicos, Lucifugi in congelatione, exiccatione & frigefactione extrema versari solent. Non aliter quàm videmus aërem à Septentrionalibus spiritibus in spiritum siccum & vapores, à terrenis & aqueis Septentrionalibus (qui à spiritibus animantur) in substātiam mediocrem & niualem, & aquas in gelu & glacies à spiritibus tenebrosis & lucifugis conuerti.

Verùm vt rei veritatem fatear, spiritus hi inferiores ab illis superioribus procedunt, non aliter quàm niues ab aëre congelante, & glacies à niuibus vel pruina congelatis deriuari cernimus. Author primarius est Iehoua à penetralibus Arcturi spirans, vtpote qui spiritum illum Angelicum (cuius est ab illa mundi plaga nocere mari & terræ, iuxta Reuelatoris sensum) ad voluntatem suam in malum perficiendam mouet atque animat, frænaque illius relaxat; ad cuius spiritus motum tum postea tota Septentrionalis turma seu turba maledicta ad vires suas violentas & malè sanas tam in mare quàm terram exercendas exagitatur atque excitatur; videlicet tam aërea & aquea quàm terrea, quæ participant de dispositione Aquilonis: nam (vt antea diximus) *in porta lucis inuenimus, quòd à terra vsque ad firmamentum non ibi locus vacuus, sed omne formis plenum, ex iis puræ, ex iis capaces gratiæ & miserationum, & sunt inferiùs multæ effigies fœdæ, noxiæ, tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aëre: ex iis ad pacem, ex iis ad bellum, ex iis ad bonum, ex iis ad malum, ex iis ad vitam, ex iis ad mortem. Et omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus.* Hæc Ioseph Castaliensis. Quo sermonis filo intendit, quòd sint nonnullæ ex istis formis Angelicis quæ vitæ & sanitati hominum conferunt, vt & aliæ saluti & proprietati humanæ sunt oppositissimæ. Omnes autem inseruiunt ministerio Dei vel in malum & flagellum, vel in bonum & miserationem; vtpote quæ sunt *populus ille robustus*, seu *gens fortis Iehouæ* (quam Propheta loco antea citato vocat *castra Dei*) *quæ emittitur ad efficiendum verbum eius.*

Concludimus ergo, quòd Iehoua peccatores hoc modo puniat, videlicet contrahendo se in se, hoc est, abscondendo faciem suam à creatura, vt ipsa in tenebris manens relinquatur in potestate spirituum tenebrosorum, qui tunc animantur atque fortificantur magis, & grauiori inclementia persequuntur creaturam à Deo relictam, quò in maiori caligine & obscuritate lucidæ Dei præsentiæ absentia relinquatur: nam quò magis in vlla mundi parte vel creatura Deus se abscondit, atque ad circumferentiæ centrum contrahit se, ibi quidem fortius existit tenebrosum istud dæmonum genus; quippe quorum est non aliter voluntati & priuatiuæ Dei proprietati, hoc est potentiæ diuinæ inseruire, quàm spiritus boni & lucidi voluntati & positiuæ Dei proprietati seu actui diuino obedientiā præ-
Deut.32.17. bere dignoscuntur. Atq; hoc est idem, quod innuere videtur textus Mosaicus iste: *Quamobrē accensa est contra illos ira mea die illa, derelinquam eos, & abscondam faciem meā ab iis, vt obueniant iis*

mala

mala multa & angustiæ, &c. Ac si dixisset, abscondam lucem vultus mei, vt spiritus mei tenebrosi dominiū habeant in eos, & eos, me absente crucient. Sic Psalmista regius. *Emittente Deo* *Ps.104.29.*
spiritum suum expirant, &c. Hoc autem totum facit Deus mediantibus suis spiritibus, vel bo- *Psal.33.7.*
nis (sic dicitur, *Castra figit Dominus circa eos qui timent ipsum & eripit eos*) vel malis, sic scribitur, *Ps.77.47.*
Immisit in eos iram indignationis & tribulationem per malos Angelos.

CAPVT II.

De spirituum, siue dæmonum Occidentalium actibus, deque ipsorum effectibus morbosis, siue insalubribus.

SI (teste D. Ioanne) omnes quatuor spiritus seu Angeli principales, quibus commissum *Apoc.* est à Iehoua ventorum dominium, potestatem habent nocendi & mari & terræ & arboribus, &c. non siquidem cuiquam mirum aut alienum videri queat, si ventum etiam Occidentalem (vtcunque eius cardo Fauonij custodiæ committitur, qui sanitatem & suauedinem importat) morborum & insalubritatis effectus quandoque parturire videatur. Nam cum *Azazel*, vel vt alij volunt *Paymon* sit vnus ex illis quatuor nocentibus Angelis, qui dominium habet in ventos istius quartæ impossibile est, quin effectus suæ naturæ maleuolæ appropriatos producat, vtpote qui Angelus enumeratur inter illos quatuor qui sunt Satanæ, seu principis aëris huius, signiferi: quemadmodum *Azael*, alter illorum quatuor (quem alij *Egyn* vocant) dominium habens in ventos & spiritus Boreales, est sua malignitate morbosa præditus, vt *in præcedentibus* est declaratum. Et vt istius plagæ proprietas est naturam aqueam ad sensum producere, ideo sine vlla dubitationis alea certissimum est, illum Angelum principalem, cum suis turmis ac legionibus spiritualibus, humidę atque aqueæ esse proprietatis; quod si quidem in eo constat quoniam quod facit tale est magis tale: at humida illa ab Occidente temperies manifesta à causa spirituali procedit, quæ per consequens debet esse magis talis. Hinc ergo euidens est, quod proprietas diuina per Lunæ sphæram ad Angelos istius quartæ descendens sit grosso & aquatico more vel secundū naturę leges vel præter naturam humectare: nam tametsi sit Angeli qui habet dominium in istum ventum naturali sua inclinatione nocere; tamen à bono Angelo *Raphaele* cui etiam committitur salutaris huius loci cura ita supprimitur eius virtus vt nocere non valeat, nisi vbi Deus Angelum illum bonum ab officio detinens libertatem Angelo malo ad suam malignitatem in creaturam exercendam tribuerit. Angelus ille malus huic vento præualens plurimos, imo vero, innumerabiles habet sub se ministros madido ipsius officio subseruientes, qui Lunares dicuntur spiritus, vtpote quæ stella est receptrix influxuum ab humida & aquea Dei proprietate, quæ à subditis *Gabrielis*. Archangeli plagæ occidentalis Angelis impluuntur; qui influxus si in ira & maleuolentia Dei erga creaturam intenduntur, à maleuolis huius quartæ spiritibus in malam partem vsurpantur, & mediantibus ipsis peccator læditur; nam vel vltra naturæ leges & mensuram quandoque in aëre tam macro quam microcosmico emittitur influxus iste madidus; & tunc iuxta illud viri patientis, *Ita emittit aquas vt subuertat terram.* *Iob.12.15.* Sic in aëre microcosmi generant catarrhos, hydropes, atque varia distillationum genera; vel ita incrassatur mediantibus istis spiritibus malis ex parte Cori dominantibus & ad Septentrionalem naturam inclinantibus, atque ita perturbatur, fluctibusque eleuatur, & quatitur aqueus simul atque aëreus in corpore humor, vt ratione istiusmodi vexationis excitentur meteora Epileptica, Vertiginosa, Apoplectica, Paralytica, Hysterica, & huiusmodi alia.

Multa quidem testimonia istam nostram opinionem confirmantia non modo ex scriptis Philosophicis fide satis dignis, verum etiam à pagina totius veritatis depromere haud erit difficile. Exempli gratia, Pselli authoritate docemur, quod Aquatilis dæmonum generis sit in aquis suffocare, atque morbo comitiali dementiaq; vexare. Porro etiam Marcus testatur, homines dæmonum in corpora clanculum irrepentium perturbationibus mutos, surdos, in spiritibus animalibus hebetes, stupidos, atq; insensibiles fieri & euadere: Atque literæ sacræ hæc. *Spiritus potentiæ. & spiritus virtutis stabit contra eos, & iactabit eos* *Sap.5.24.*
tanquam procella vel turbo venti, &c. At quid (obsecro) est Epilepsia, suffocatio matricis & dementia aliud quam spiritus quidam turbinis in mari vel aëre microcosmi ipsum vndis vertiginosis & turbulentis præter naturæ rationem vexans. Talis erat illa perturbatio, quam induxit Iehoua in Saulem; nam ait textus, *Spiritus Iehouæ recesserat à Saul, perturbabatque* *1.Sam.16.*

cum malus spiritus à Iehoua. Similiter testantur Euangelistæ verbis expressis de Epilepsia (quam Matthæus *morbum Lunaticum* & percussum *Lunaticum* vocat) *Domine* (inquit) *filius meus Lunaticus est, & male patitur, sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Et Marcus, *Attuli ad te filium meum habentem spiritum mutum, qui vbicunque apprehenderit illum allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & cum Christus eum vidisset, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.* Et Lucas in his paucis historiam declarat. *Ecce spiritus apprehendit illum, & subito clamat & elidit & dissipat eum cum spuma, &c.*

Matt.17.15. Marc. 9. Luc.9.

Ex quibus Euangelistarum testimonijs signa Epilepsiæ, seu morbi caduci vel comitialis manifestissima habetis; nec quidem possibile est hunc morbum melioribus indicijs describere. At vero quod causa istius morbi essentialiter efficiens sit spiritus, spiritus mutus & malignus, non modo *in præcedentibus*, sed etiam in historiæ conclusione confirmant: nam Matthæus, *Increpauit Iesus dæmonium & exijt ab eo.* Marcus. *Et comminatus est Christus spiritui immundo dicens surde & mute spiritus ego præcipio tibi, &c.* Lucas. *Increpauit Iesus spiritum immundum & sanauit ipsum, &c.* Quid hoc clarius? Similiter quod homines sint balbi & muti atque surdi facti à spiritibus istiusmodi aquaticis & terreis immundis testatur hoc. *Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum; & cum eiecisset dæmonium loquutus est mutus.* Sic loquitur textus de spiritu infirmitatis, quem habebat mulier annis decem & octo, atque erat ipsa inclinata, nec potuit sursum respicere, quam Christus curauit. Et *alibi, Tunc oblatus est dæmonium habens mutus & cæcus, & curauit eum ita vt loqueretur & videret.*

Luc.11.14. Luc.13.10. Matt.12.22.

Porro etiam plurimos paralyticos curauit Christus, sed inter alios vnum præcipue condonatione peccatorum illius: at vero si peccatum esset causa morbi non modo illius, sed etiam omnium aliorum, certum est quod Deus commisisset illud in manus percussoris, seu spiritus cuiusdam maligni percutientis, vtpote qui est Dei minister non aliter ad malum quam Angelus bonus adest ei organum principale ad bonum. Vnde in codice totius veritatis ista. *In illo tempore percussus est Alcimus & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius & dissolutus est paralysi, nec vltra potuit loqui verbum, &c.* Hic vir impius perfidia sua erga patriam, & domum, seu templum Dei, erat à Iehoua tali morbo percussus. At Iehoua solet per organa sua Angelica percutere impios, vt in pluribus paginæ sacrosanctæ locis videre est: quare in pluribus locis percussores, vastatores, interfectores, deperditores, manus atq; sagittæ Dei nuncupantur.

1. Macchab. 2.55.

CAPVT XII.

De dæmonum, siue spirituum malignorum ex parte Meridionali actibus, deque ipsorum effectibus morbosis, siue insalubribus.

DIABOLI siue dæmonij Meridiani meminit Biblium sacrum diuersis in locis; nam Propheta Abakuck hæc. *Deus ab Austro veniet, ante faciem ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, &c.* Et Psalmista regius. *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à lue vastante in Meridie* (vel vt Hieronymus interpretatur) *ab occursu & dæmonio Meridiano.* Hunc ergo dæmonem principatum, seu principem nonnulli faciunt & vocant *Amaymon* vel *Mahazael*, qui est vnus ex quatuor signiferis vltoribus in exercitu Satanæ, vt Reuchlinus, iuxta doctorum Hebræorum sententiam affirmat. Alij vero istum principatum *Meririm*, hoc est, spiritus æstuans, dæmon furens in Meridie dictitant: atque volunt, quod sub ipsius ditione contineantur dæmones illi sexti ordinis, qui tonitrubus & fulguribus se miscent, aëremque pestiferum & corruptum producunt: ex quorum numero proculdubio sunt illi percussores primarij in pagina sacra recitati qui peste morteque subitanea atque vlceribus tam Ægyptios, quam scabie & vlcere vniuersali ex officio homines tam priuatos quam publicos percusserunt atq; affecerunt, de quorum vno hæc legimus. *Misit Dominus pestilentiam in Israël, & ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. Misit quoq; Angelum Deus vt percuteret etiam Ierusalem, cumq; percuteretur vidit Dominus & misertus est super magnitudine mali, & imperauit Angelo qui percutiebat. Sufficit iam, cesset manus tua, &c.*

Abak.3.3. Psal. 91. a.1. Reucl.3.art. Cab. Agrippa. 1. Chron. 21. 6.14.

Qua tragicæ historiæ portiuncula planum est quod Deus sit causa pestilentiam principaliter efficiens, causa vero eius organica primaria est Angelus percutiens, qui in sua proprietate ex parte Meridiei est: nam vt *superius* est ex verbis Prophetæ Abakuck relatum, *Deus ab Austro veniens habet diabolum seu dæmonium meridiei,* vt Dauid vult, *& luem atq; carbunculum ante pedes eius:* inde arguentes, quod ab illa mundi plaga proprie veniunt meteora contagiosa & pestifera afflatu dæmoniorum ab illa mundi plaga infæliciter spirantium. Deniq; prohibente

hibente Iehoua ſpiritum, ſeu nomen ſuum quod ineſt Angelo percutienti, Angelus ille malignus ita nictu quaſi oculi obtunditur, & quaſi mortificatur, vt vlterius in malitia perſeuerare nequeat, ſed in ſua actione ſeu perſequutione non aliter ceſſat quam rota molendini aquæ violentia circulariter commota repreſſa aquæ motione ſubito quieſcit. De alio hæc. *Tranſibit Dominus percutiens Ægyptios, & cum viderit oſtium tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere, &c.* His etiam ſat liquido declaratur, quod Deus ſit præſens cum & in Angelo percuſſore dum vulnerat, atque ab ipſo non aliter, quam nauis à nauta, aut corpus ab anima ad voluntatem ſuam perficiendam moueatur ille percuſſor, & conſequenter ne per Iota quidem limites ſui officij excedere poſſit. Exod. 12. 23.

Similiter de iſtiuſmodi conditionis Angelo intendit locus iſte: *Angelum mittens Iehoua occidit omnem valentem robore & anteceſſorem ac principem in caſtris regis Aſſyrij, &c.* Hic ergo habetis Angelum illum principalem cuius eſt ſubito perdere & deuaſtare: qui videtur eſſe ille locuſtarum more ſcorpionum vulnerantium princeps, quem Hebræi *Abaddon*, Græci *Apollyon*, id eſt, perdentem dixerunt, vel ſaltem alius eiuſdem dignitatis & proprietatis in aëre Meridionali habitans. De vltimo hæc: *Satan percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſq; ad verticem, &c.* Quibus clarum eſt, quod iſtiuſmodi Angelis Iehoua vtitur in ſuis exequutionibus Ægyptiacis quando eos ſcabie, pſora & vlcere percuſſit, atque etiam in iſtis ſuis plagis, quarum mentionem iſtam facit Moyſes. *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi peſtis donec conſumpſerit te. Percutiet te Iehoua vlcere Ægypti, & hæmorrhoidibus, & ſcabie & prurigine, & amentia, & cæcitate. Percutiet te Iehoua vlcere maligno in genibus & cruribus quo non poteris ſanari, &c.* Hoc eſt, percutiet te Iehoua plagis contagioſis per malos Angelos proprietatis Meridionalis; vbi etiam obiter notandum, quod ſpiritus iſti vel in ſpiritualibus beſtiarum venenoſarum formis quandoque percutiant, & nonnunquam corpora earum induant, nimirum ſcorpionum, aſpidum, viperarum, & ad producendam corruptionem, ſeu putredinem in aëre corporea muſcarum indumenta. Hinc Moyſes teſtatur, quod *terra Ægypti eſſet muſcis corrupta, &c.* Sed de iſtis *capite iſtius membri* 5. plenius diſceptaui. 2. Chron. 32. 21. Apoc. 9. Iob. 2. 7. Deut. 28. Exod. 8. 24.

Concludimus igitur, quod omnes morbi contagioſi, quos producit Iehoua in proprietate ſua Meridionali iraſcens, mediantibus cacodæmonibus, ſeu dæmonijs percutientibus illius ordinis in publicum edere atque parere aſſolet: cuiuſmodi ſunt peſtis, atq; omnes alij morbi contagioſi, ſiue inficiant ad diſtans, vt carbunculus, variolæ, morbilli, phthiſis, febris peſtilentialis, dyſenteria, vel per contactum, vt morbus Gallicus, gonorrhea, lepra ſanioſa, bubones vlceroſi, &c. Similiter omnes morbi à putredine etiamſi à contagione immunes à ſpiritibus Auſtralibus, ſed ſui ordinis magis mitis & leuis, prouenire dignoſcuntur.

CAPVT XIII.

De dæmonum, ſiue ſpirituum malignorum plagæ Orientali inſeruientium actibus, deque ipſorum effectibus morboſis, atque inſalubribus.

QVOD Iehoua ſeueram & terribilem quandoque proprietatem Orientalem induat ex pluribus ſcripti ſacri locis antea à nobis recitatis, luculenter expreſſimus: hinc enim dictus eſt *ignis conſumens*, in qua ipſius proprietate dictum eſt, ignem Dei deuoraſſe homines intactis veſtibus. Et *alibi, Ignis ille erat incendium quod incendit Iehoua.* Atq; iterum, *Ignis accenſus eſt in ira mea quæ ardebit vſque ad imum ſepulchrum.* Nec quidem externo ſolum modo, aut aërem macrocoſmicum accendendo tam afflatu ſuo in proprietate Orientali ſeu ignea; verum etiam aërem microcoſmicum mediante eo inflammat: vnde Deuteron. *Iehoua percutiet te tabe calida, & æſtuante ac vrente febre & ſiccitate: percutiet te febre & ardore & æſtu & aëre corrupto, &c* Hinc etiam Pſalmiſta, *Iehoua abſorbet eos quaſi ignis. Et alibi, Ira tua abſumimur, & æſtu tuo conturbamur.* Quibus euidens eſt, Deum in proprietate ſua Orientali, ſeu ignea eſſe cauſam afflictionum æſtuoſarum in ſpiritu cum macro, tum microcoſmico principalem. Deut. 4. 24. & 9. 3. Leuit. 10. 2. 6. Deut. 32. Deut. 28. 20. & 22. Pſal. 21. 10. Pſal. 88. 17.

Iam probare aggrediar Iehouam in iſta ſua proprietate agere mediantibus ſuis miniſtris Angelicis, qui huic proprietati diuinæ natura & conditione ſubijciuntur, atque ad mandata & voluntatem eius in iſta ſua proprietate obeundam & patrandam à principio ordinantur. Quod igitur ille Angelus princeps, cuius eſt officium, aut retinere aut emittere ventum Orientalem ad nocendum terræ & mari & arboribus, ſit à Deo in ſede illa conſtitutus ad ſeueritatem ſuam cum inferioribus exercendam, nemo ſibi conſtans, poſtquam intellexerit ſerio verba Reuelatoris, ambiget aut dubitabit: vt viceuerſa bonus ille

Archangelus Michael (qui est magni sigilli imperii cœlestis custos) habet ex officio Angeli il-
lius maligni, & afflatu suo plagis æstuantibus ferientis, malitiam, quando & vbi Deo crea-
tori placuerit, corrigere atque supprimere. Hic Angelus, iuxta nonnullorum Doctorum
Psal.104. Hebræorum sententiam, Oriens, à quibusdam vero *Samael* seu *Camael* dictitatur, cuius est
Iob. præcipue calidissimos & feruentes Dei fluxus ab *Elohimgibor*, hoc est Iehoua in proprietate
sua æstuosa per portam *Geburah*, id est, punitionem in sphæram Martis, & ab illa in prom-
ptuarium seu sacrarium plagæ mundi Orientalis conducere, eosque dæmoniis eam plagam
incolentibus communicare & infundere, quæ dominante in cælo Marte & Archangelo isto
vigorantur atque animantur, & hac ratione dominium in aere habentia mouentur & spi-
rant ab illa quarta mundi spiritu magis minusue maleuolo & feruente.

Hinc quidem dixit Psaltes, *Fecit Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem.* Nonne
ob istam causam dicit Iob, *Fulgura nunquid mittes & ibunt, & reuertentia dicent tibi. adsumus:* &
quandoque istiusmodi organa iræ clanculo percutiunt homines, & febre ardente & siccita-
te afficiunt, & tunc quandoque manus, sagittæ consumptor, Angelus vindicans, &c. in pa-
Iob 6.4. gina sacra dictitatur. Hinc Iob, *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus eorum ebibit spiri-
tum meum, &c.* Vbi per sagittas Angelos, seu ministros suos vrentes intelligit, videlicet illos
qui Satanæ, in cuius manu committebatur Iob, subiiciuntur, quos ibi loci *conturbationes
Dei* vocat, quas acie instructas dicit vt oppugnent eum. Vnde Dauid de istiusmodi spiriti-
Psal.32.4. bus & eorum effectibus intelligendo ait. *Interdiu & noctu grauis est super me manus tua, consu-
muntur vt focus dies mei, ossa mei vt focus exardescunt: conuertebatur præstantissimus humor in siccita-
Deut.32.22 tem æstuans.* Et de istis *alibi* sic. *Ignis accensus est ira mea, qui ardebit vsque ad imum sepulchrum, im-
pendam in eos mala, sagittas meas consumam in eos, &c.* Vbi per mala & sagittas suas intelligit
Moyses Angelos malos, qui in ignea Iehouæ proprietate tanquam radii iracundiæ eius æ-
stuosi emittuntur atque impluuntur ad peccatores. Quod etiam Propheta in his innuit.
Baruch 4.35 *Ignis à Deo æterno in eam ciuitatem ad multa tempora immittetur, diuque à dæmoniis habitabitur.* Et
Psal.77.47. propheta regius, *Immisit in eos iram & indignationem & tribulationem per malos Angelos.* Atque
Iob 20.23. hoc est, quod intelligere debemus ex istis viri patientis. *Cum impius esset repleturus ventrem, in
& 28. eum Deus iram suam æstuantem emittit quam impluit in eum loco cibi eius:* nam stillant ab alto in
die iræ pœnæ; hoc est cacodæmonica istiusmodi seminaria in cibum & potum impiorum
facillime mandato diuino irrepunt, eosque suo veneno clanculo inficiunt, quo fit vt cibus
& potus ille ab homine deuoratus, actione caloris sui naturalis, qui agit in naturam dæmo-
niacam, facillime ipsam à potentia in actum producit morbosum atque febrificantem: nec
cuiquam mirum videbitur hoc si verba ista Mercurii Trismegisti ad Asclepium recte con-
Asclep.12. sideret: *Dæmones* (inquit) *ob nimiam breuitatem à multis creduntur non esse, quos credo communica-
Exod.23.25. re nobiscum.* Porro hæc est ratio, quod Moyses in ista erumpit verba. *Colito Iehouam Deum
tuum, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ & amouebit quemuis morbum è medio tui, &c.* Hoc est,
non impluet in cibum & potum tuum sagittas iræ suæ, videlicet influxus cacodæmonicos,
atque ita præseruabit vos à morbis & à malo per dominium & custodiam bonorum Ange-
lorum, qui repellent impiorum dæmonum insultus. Denique istorum dæmonum, seu dia-
boli in morbis æstuosis producendis naturam sic ad amussim exprimere videtur Artesius ex
doctoribus Hebræorum doctissimis vnus. *Sunt quædam infirmitates quibus se adiungit diabolus,
humore scilicet egrediente à suo temperamento, atque sanitatem ipsam perturbante, & hoc maxime ac-
cidit in infirmitatibus ex cholera prouenientibus: atque huius rei causa est, quia natura choleræ est cali-
da & sicca vt ignis: substantia autem diaboli ex duobus composita est, scilicet ex igne & aere; eius ergo
apparens est aer, occultum vero ignis: atq; ob hanc causam facillime se iungit cum hominis spiritu aereo,
quando humor igneus dominium habet præter naturam, &c.* Hæc ille.

Quibus verbis quasi aureis luculenter videtur illud iam à nobis prolatum declarare.
Concludimus ergo, quod meteoron febrile sit nihil aliud quam spiritus ignei in aerem
humanum penetratio siue permixtio eum in igneam naturam conuertens: nam quomo-
do; obsecro; in simplici calore præter naturam accenso; aut in mera cholera in ar-
dentiorem naturam mutata possibile est vt talis insit animalis instinctus; imo vero
rationalis methodus; vt febris die vel omni; vel secunda; vel tertia; idque hora
vt plurimum certa humanum inuaderet spiritum; & quasi vndis Phaethonteis ipsam
iactitaret; nisi hoc esset à magis interno; sciente aut intellectuali principio, An-
gelico videlicet, quod quidem secundum dominationem proprietatis illius diui-
næ, diem & horam in cœlestibus; de nouo agere, atque in aere, seu spiritu hu-
mano laborare animaduertitur, idque secundum electionis diuersæ tempora à Deo ordi-
nata, iuxta illud Sapientis. *In die bona fruere bonis, & diem malam præcaue, sicut enim hanc,
sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo iustas contra eum querimonias.* Sed & alibi hoc
clarius.

clarius. *Assumite arma Dei completa quibus positus resistere in die infausta inuasionibus diaboli.* Quibus liquet, quod quædam assignantur dies, in quibus hæc vel illa dæmonum species magis vigeat in fortitudine, vt vice versa nonnullæ sunt aliæ in quibus eadem species debilitatur. Nonne hoc idem ab Astrologiæ peritioribus innotescit, quibus est familiare, quod cuilibet in cælo stellæ erraticæ adsit tam detrimentum & casus in quibus ipsarum vires debilitantur, quam exaltatio & dignitas in quibus potentiores & fortiores euadunt? Quidni ergo intelligentiæ, quæ in ipsis degunt? à quibus & præcipue à summo ipsius principe Angelico virtutis suæ tam decrementum quam augmentum accipiunt; & consequenter dęmones ipsi inferiores qui potentiam & vitam atque potestatem ab iis inspiratione recipiunt: quemadmodum ipsum dæmonium Epilepsiam efficiens tum magis viuum atque procellosum seu tempestuosum in spiritu humano esse animaduertitur quando Luna aut cum Sole coniungitur, aut lumine Solari grauidior & plenior existit. Deniq; per ista Euangelistæ verba sat liquido declaratur, febrem esse à principio longe magis interno & spirituali, atque à natura Angelica igne æstuante, quam est causa illa à Galeno aut Hippocrate assignata, videlicet calor præternaturalis, aut humor biliosus; qui potius pro effectibus quam causis centraliter in febre agentibus & efficientibus sunt æstimandi. Locus est talis. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, & Iesus super eam stans imperauit febri & dimisit illam, &c.* At quare diceret Euangelista, quod Iesus imperasset febri, si eius actor internus non esset de natura dæmonii? Nonne etiam planum est ipsum Christi mandato obtemperasse? Hinc ergo certum est principium illud febris internum fuisse rationale quid, atque intellectu non minus plenum quam dæmonium illud in Epilepsia agens quod increpatione Iesu exit à possesso; vel vt Marcus vult, imperante Iesu reliquit eum, *ego præcipio tibi* (inquit Christus) *vt exeas ab eo. Et febri* (ait Lucas) *imperauit Iesus, & febris dimisit illam.* Quare certum est, quod vt Angelus in genere dicitur meteoron ventosum & minister igneus, ita quidem magis specialiter dicitur spiritus febrificus seu febrifaciens, meteoron febrile, imò verò ipsa febris: nam ait textus, Imperauit febri & dimisit eam, vbi febrem vocat spiritum febrilem. De istiusmodi etiam febri textu in his, *Contigit autem patrem Publii febribus, & dysenteria vexatum iacere, ad quem Paulus intrauit, & cum orasset & imposuisset manus ei, sanauit eum, &c.* Quo euidens est, quod effecta est febris ex spiritu maligno non aliter, oratione enim non discessisset, & consequenter non curaretur æger. Denique Artefius in clave maiori Sapientiæ hæc. *Sunt quædam infirmitates in quibus se adiungit diabolus, humore egrediẽte de suo temperamento ac perturbante ipsam sanitatem, & hoc maximè accidit infirmitatibus ex cholera prouenientibus, cuius causa est ista, quia scilicet natura ipsius choleræ est calida & sicca vt ignis, corpus autem diaboli ex duobus est compositum scilicet ex igne & aere, eius vero apparens est aer & eius occultum ignis; manifestum igitur est ipsum contrariari & aduersari naturæ humanæ quæ est natura æqualitatis, cum ergo accidit corpori ægritudo de natura ipsius choleræ, quoniã diaboli occultum est de natura choleræ, adiunget se cũ cholera & ita augebitur eius Dominium super alios humores & tantum potest prædominium, quod recedet anima ex corpore.* Hæc ille.

Ephes. 6.12.

Luc. 4.38.

Matth. 17.
Marc. 9.

Act. 28.8.

Capvt XIV.

In quo Author doctrinæ istius suæ de cacodæmonum in morbis inducendis ratione vtilitatem sedulo pertractat; & probat, quod Christianis imprimis aures suas ad seriam istiusmodi documenti contemplationem, & considerationem, idque ob causas plures, in isto capite expressas, præbere conueniat.

CVm inuida diaboli erga genus humanum dispositio à mundi origine esset tanta, vt non hæsitauerit doloso atq; proditorio suo more serpentis astutissimi speciem induere quo illud suasionibus suis falsis deciperet, & à lege atq; statuto diuino seduceret, vt ita illud tandem infidelitatis hamo caperet, & peccati retibus mediantibus, tenebrarum suarum gurgite deuoraret, vnde & homicida ab initio dictus; haud est dubitandum, quin pertinaciter ipse (inuidia erga felicitatem humanam perpetuum captus) in illa sua malitia persistat, & toto suo conamine cum spiritibus eiusdem farinæ malignis persequatur homines non modo morbis atque afflictione insalubri multiformi, iuxta suam proprietatem, vel Borealem, Occidentalem, Australem, vel Orientalem afficere, opprimereque, verum etiam mortali poculo perimere: atque ita se omnino contra positiuam Dei naturam, quæ circa creaturarum vitam versatur, opponere gestit; iuxta istud viri sapientis, *Creauit Deus hominem inexter-* Sap. 2.23.

minabilem, & ad imaginem similitudinis ipsius fecit illum; inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, &c. Odio enim habuit diabolus Adamum, quoniam ipsum imagine diuina præditum percepit. Hinc ergo est quod ipse cum Angelis sibi substitutis omnes suos conatus & actiones contra Adamum & successores ipsius dirigit: hinc infinitis modis homines seducunt, à Deo auertunt, vt in fauces & potestatem suam ipsos redigant: atque ita vnice id agunt vt circumquaque hominem inde à terræ superficie vsque ad summum capitis eius fastigium, à calce nimirum vsque ad verticem tanta multitudine ac numero, qui etiam arenas in littore maris excedit, in aere circundent, & morbis afficiendi atque perdendi eius occasionem captent: ita vt (iuxta viri in mysteriis Dei profundissimi sententiam) *si aliquando homini vere oculi aperirentur, deprehenderet ille circa se multa millia millium legionum diabolicarum ac spirituum malorum; non secus ac emundato puluerulento aliquo hypocausto pulueres isti inter radios Solares circumagitantur; qua ratione etiam in vnum hominem tota legio dæmonum pridem intrauit & obsedit eum.* Quare non est mirum si dæmonia istiusmodi naturæ in pauciori numero per inspirationem (sic volente Iehoua) aut per victus rationem ingrediantur spiritum & corpus humanum, & illa conturbent, inficiant, & morbis variis contaminent, iuxta plagæ mundi conditionem quam inhabitant. Et quamuis hoc vel Aristotelici, vel Galenici Christiani sine dubio non credent, sed ridebunt potius; tamen ab Apostoli verbis expressis illud confirmatum habemus, vtpote qui in istam cadit sententiam, videlicet quod *decertandum nobis sit non cum carne & sanguine, sed cum principatibus & potestatibus, cum Dominis secularibus tenebrarum huius mundi, cum spiritibus malitiæ sub cælo, contra callidos diaboli insultus.* Quin imo etiam addit adhuc vlterius, *Mortuos esse Ephesios per vias peccatorum, in quibus deambulauerunt secundum spiritum qui operatur in filiis incredulitatis.*

Reuelat. maiest. diuin. lib. 7. c. 45

Ephes. 6.

Ephes. 2. 2.

Ephes. 6. 12.

Quare nos serio suadere atque admonere videtur Apostolus, vt *arma Dei completa quibus possimus cacodæmonum insultibus resistere in die infausta.*

Quæ quidem armatura Dei fide vera consignatur, precibusque ad Deum deuotis vinculis securis corpori & animæ fidelis confirmari assolet: nam Deus solet omnes suos vere credentes mediantibus illis armis ab hoc eorum hoste infensissimo & illius insidiis conseruare & protegere, atque in vitam æternam eos tandem clementer suscipere. Quapropter omnes Doctores & præceptores, siue in philosophia, siue medicina versantes, vt hæc omnia à me ingenue & fideliter iuxta scripturarum sanctarum sensum & intentionem, tam in physico, quam medico subiecto expressa, matura & sagaci consideratione perpendant suadeo, & considerent quod ipse Iehoua Deorum Deus in sua seueritate & ira sit causa meteororum morbosorum tam in macro, quam microcosmo principaliter efficiens, Angeli vero maligni ipsi in iracunda sua proprietate loco percussorum, & ad seueritatis ipsius ordinata exequenda inseruientes, sint causæ organicæ ea immediate efficientes; vt tum postea ad generale mortalium commodum possint in suis lectionibus discipulos suos à tot millibus millium legionum diabolicarum ad generis humani perturbationem, & tam animi, quam corporis ipsius infelicitatem producendam atque parturiendam aggredientium, imò vero & cuiuslibet hominis interitum aucupantium, præmonere, quo illi vanas Aristotelis & Galeni cæterorumque Ethnicorum imaginationes, de meteororum tam salubrium, quam insalubriū ortu & generatione (vtpote qui causas eorum aduentitias, & in naturæ cursu contingentes aduenientes faciunt) in obliuionem relegantes, mentisque suæ oculos à vana mundi sapientia mortalium paganorum inuentionibus effictа auertentes, ad illam diuinam & ab ore omnipotentis efflatam eos conuertant, quippe in qua tanquam in speculo veritatis politissimo immediatas Dei atque Angelorum seu ministrorum ipsius operationes, tam ad hominum piorum bonum & benedictionem quam ad impiorum malum, pœnam & maledictionem, intuitu aperto prospiciant, quo illi siue domi, rure, in syluis, campis, montibus, vallibus, terra mariue, interdiu noctuq; & singulis horæ momentis, ab hoc truci & sæuo tyranno diligentissime caueant, & omnia verba, opera, & cogitationes malas auersentur, & Deum atq; iustitiam eius semper ob oculos habeant; atque vti filios Dei decet, pie & sancte vitam agant, ne per immensam istam spirituum infernalium, & sine pietate percutientium multitudinem superentur.

Denique vt cum intelligant quod spiritus isti maligni tam bene habitent apud homines hic in terra quam Angeli boni, & quod hominis lapsum, detrimentum, infirmitates, insalubritatem, perturbationem & mortem siue interitum omni studio & conamine captent & aucupentur, nos vel in sanitate nostra Deum pro salutis præseruatione, & vt corpora & animos nostros Angelis suis bonis muniat atque contra malorum insultus secure defendat, humiliter oremus, vel in calamitate nostra morbosa, manu percussorum ponderosa pro peccatis imperatu diuino vulnerati, pœnitentiæ hamo ad peccatorum nostrorum agnitionem,

& iu-

& iustitiæ diuinæ commemorationem ducti possimus cum bono rege Ezekia Deum pro salutis recuperatione, malorúmque ipsius ministrorum violentiæ repressione suppliciter precari; vt tandem Iehoua oratione assidua sic defatigatus, & pœnitentia haud ficta propitiatus, dicat suo Angelo vulneranti, vel plaga illa sua perseueranti (vt loquutus est ad Angelum qui pro peccato Dauidis Ierusalem afficiebat peste) *Sufficit iam, cesset manus tua, &c.* 1. Chron. 21. 14.

Concludimus ergo, vt *in Meteorologica nostra historia* probauimus, quod vt Angeli à Deo creati circa directionem tempestatum & meteororum preternaturalium in aere macrocosmico, cuiusmodi sunt pluuiæ, nix, grando, pruinæ, nubes, fulgur, tonitru, ignis, chasma, fulmen, aquæ, calor, frigus, humiditas, siccitas, & alia id genus plura munus suum ac officium obeunt, & tam ad beneficentiam quam flagellum mortalium exequuntur (nam ob istam rationem *fecit* teste Psalte, *Angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem:* sic ventus procellosus dicitur alibi *efficere verbum Dei.*) Hinc etiam Iob, *Turbo, frigus, glacies, nubes, pluuiæ, fulgura, &c. quodcunq; præcepit Deus istis faciendum in superficie terræ, siue ad flagellum, siue ad faciendam beneficentiam, efficit vt præsto sint.* Vt (inquam) ista meteora omnia in mundi aere ab Angelicis Dei ministris, mouente in ipsis verbo æterno producuntur: ita quidem ratione compari in aere microcosmico meteora præternaturalia ab istiusmodi ipsius ministris generantur tam tentandi causa quam propter peccatum. Psal. 104. Psal. 148. 7. Iob. 77. 8.

Quare vt *in prædicto loco*, vbi de meteororum mundi causis Angelicis egimus, Christianos Aristotelis asseclas monuimus, ita quidem ipsis sectæ Hippocraticæ & Galenicæ notum fecimus, quod quamuis illud ipsum à nobis in eo discursu de causis meteororum vtriusque mundi Angelicis propositum leue & nullius plane momenti ipsorum haud dubie, nonnullis videri possit, esse tamen illud arduum & maximi momenti asseueramus: quatenus etiam concernit honorem diuinum, vt filij Dei vere & fundamentaliter sciant atque intelligant tempestatum præternaturalium in vtroque mundo procreatarum rationem, atque ipsarum effectus, non à motu proprio, aut casu fortuito, neque etiam tali modo imaginario qualem Ethnici prædicti ponunt & effingunt in scriptis suis, sed ex prouidentia & afflatu diuino, & thesaurorum spiritualium arce induci & prouenire, ac desuper in hos mundos inferiores, videlicet macrocosmum & microcosmum demitti: quod si quando tempestates periculosæ vel in aere mundi maioris suboriantur, inuocare possint Deum vt velit illud tempestatis periculum clementer auertere, & loco illius meteora largiri benigna, atq; simul etiam fructus terræ vnà cum hominibus & pecoribus ab omni malo defendere, tueri & præseruare; vel si in aere seu spiritu & humoribus mũdi minoris siue hominis perturbationes vel tempestuosæ atque procellosæ, vel æstuosæ atque inflammantes à ministris Dei flagellantibus procreentur, agnoscamus imprimis causas illas externas & ab effectu apparentes sola Ethnicorum medicorum opinione & imaginatione inuentas esse reuera spurias, contingentes, imaginarias & minime veras; & consequenter quod vt Deus est sola veritas, fons atque author omnium, vtpote qui operatur omnia in omnibus, & sine eo nihil; ita quidem quod sit ipse solus & non alius, qui principaliter vulnerat & medetur, percutit & sanat, & quod mouetur in instrumentis suis Angelicis, quippe mediantibus quibus percutit non aliter quam spiritus siue anima in corpore humano, dum pugno, vel gladio homo alicui plagam infligit, primario agere dicitur, mediante corpore vel brachio: vt ista consideratione nos reiectis illis vanis paganorum opinionibus, morbos & afflictiones atque mortem à Deo propter peccata hominum irascente, ipsis mediantibus organis Angelicis inflicta esse agnoscentes, & debito respectu percipientes, maiori tandem zelo & deuotione Deum precibus solennibus in afflictione nostra petamus, ipsum pro salutari suo præsidio seu auxilio inuocemus, & medicorum Galenisticorum medicamentis atque præsagiis incertitudine plenis non ita confidenter confidamus, sed ipsum Iehouam esse medicum medicorum intelligamus, & quod sine eius salubri beneuolentia nihil valeat in ipsorum recuperatione medicina, nihil medicus, nihil humana sapientia aut mundana inuentio: atque exemplo Asæ regis podagra laborantis, qui neglecto Iehoua, illumque in isto suo morbo minime requirens adhæsit solummodo medicorum consiliis, atque ita defunctus est, addiscamus soli Iehouæ eiusq; sermoni omnia infallibiliter sananti, & medici Christiani conatibus benedicenti, & certam curandi virtutem medicamentis conferenti, fideliter & confidentia inuiolata, omni mundana in exilium relegata, adhæreamus. At quamuis etiam pro certo Deum tam ad salutis quam ad morborum productionem centraliter per organa sua Angelica operari intelligamus, tamen Angelos & dæmones pro sanitatis nostræ amissæ restitutione neglecto Iehoua nullomodo consulere debemus, ne pro Azachiæ regis discipulis seu sectatoribus habeamur, qui morbo quodam affectus suis *Beelzebub Deum Hebronis* falsum, Iehoua Deo deorum neglecto an sanita- 2. Chron. 16. 2. Reg. 1. 16.

tem in ea ægritudine esset recuperaturus consulere imperauit, vnde factum est vt ira Iehouæ in eum excitata, nullo Dei falsi auxilio præualente exanimatus sit. Quare soli Iehouæ Deo deorum, medico medicorum ascribenda est tam vulnerandi quam medendi potestas; non Ethnicorum, seu Galenicorum frigus, aut calor, aut humidum, aut siccum, nec cholera, melancholia, pituita, aut sanguis, nec angeli vel boni vel mali, sed Deus Iehoua per instrumenta sua Angelica, quorum caput est æterna Sapientia seu Iesus. Sed & hoc ab Apostolo in his habemus confirmatum; *Dii quidem sunt qui dicuntur in cælo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* Nec ergo creatura corporea composita, nec meteoron imperfecte mixtum, nec stella, nec ventus, nec Angelus vel supercælestis, cælestis, elementaris, vel terrenus, sed Deus Iehoua per Iesum Christum æternam suam Sapientiam siue emanationem, mediantibus organis Angelicis, stellaribus, ventosis, meteorologicis, & perfecte mixtis operatur, teste Apostolo, *omnia in omnibus, cui sit laus, honos & gloria in æternum, Amen.*

1 Corinth. 8.

1. Cor. 12.



LIBRI

LIBRI QVARTI, MEMBRVM PRIMVM,

De causa Morborum efficiente stellari.

CAPVT I.

In quo stellam non esse, quatenus stella, causam morborum efficientem realem & simplicem, sed Angelum in stella potius, nec Angelum, sed ipsam reuera Dei essentiam, declaratur; & quod iste mundanorum error ob eorum de interno Agente seu principio centrali ignorantiam sit Idololatriæ primarius fons, & origo indicatur.



VM *in præcedentibus* quam aptissime & lucidissime sit à nobis declaratum, quod sit solus Deus qui variis suis emanationibus virtute & proprietate varia varie tam in cœlis quam in terris operatur, mediantibus suis organis Angelicis, in quibus Deus primario agit in hoc mundo, vt supra clarius: nunc vos scire velim, quod cæteræ mundi creaturæ sint solummodo vehicula dictorum Angelorum, videlicet stellarum seu influxuum Angelicorum, meteora ventorum, &c. quare inanem credimus in creaturis rationalibus esse errorem, actum essentialem in mundo quempiam creaturis mundanis, siue sit angelica, siue stellaris, siue ventosa, siue aliquo alio modo meteorologica, assignare, & non soli Deo, cuius reuera est operari omnia in omnibus, quippe à quo in simplici sua essentia radicali, per quem in natura sua alteritatis, nimirum quatenus induit speciem seu substantiam Angelicam, & in quo videlicet in dilatata sua natura, quatenus dicitur α. & ω. omnia comprehendens, omniaque actu suæ diuinitatis obsignans, virtutem suæ speciei cuilibet assignans per spiritum: de quo statu diuino his paucis Psalmista: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* Vbi Dominus Iehoua est pater à quo omnia, vbi agnomine illius proprietatis dictitatur *Ehieh*: Verbum est Filius seu emanatio Hochma, seu sapientia ab agnomine Iah: nam *à spiritu æternæ sapientiæ datur pondus aeri, & appenduntur aquæ in mensura*; hoc est, vt D. Petrus vult, *Cæli fuerunt prius & terra ex aquis & per aquas assistente siue operante verbo.* Denique à Spiritu ab ambobus effluente procedit omnis virtus, actus seu forma in mundo peculiaris. Quibus euidens est, quod nihil debeat creaturæ recte & iuste assignari sed creatori, qui vnice à sapientibus dignoscitur in creaturis agere & mouere, & seipsum in creaturæ multitudinem pluribus & diuersis gradibus se immergit, vt quælibet ipsius species pro suo placito, quo, quando bonum ei videbitur, ad voluntatem suam obeundam, exagitetur & ducatur. Sed hoc expresse arguitur & per istiusmodi textus sacri sermonem confirmari videtur. *Ascendit* (inquit pagina totius veritatis) *Iehoua super Cherubin, & volauit & lapsus est super pennas venti, & posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, & excelsus dabat vocem suam, misit sagittas suas & disparuit eos fulgur, &c.* In quo verborum nlo integrum istius dubii nodum dissolutum atque dilaca um habemus: non enim dicit quod Cherubin per se, seu organum Angelicum hoc fecisset, sed ipsum Iehouam ascendisse, hoc est mente quasi suo organo primario, illudque calcaribus sui actus instar equi animasse atque incitasse, ad cuius motum spiritualissimum aer, seu ventus, seu Angelus inferioris loco vehiculi siue currus exagitatur, & instar aquilæ vehit Angelicam illam natu-

Reuel.

Psal.

2.Reg.22.8.

naturam, in qua & super quam sedet essentialis Dei fluxus siue emanatio: deinde ventus cum his supercœlestibus suis dominis aera in nubes densas coagulat siue conglomerat, ex cuius lateribus pluuiæ cribrantur, & in eius ventre quasi officina Cyclopea seu Vulcanea sagittæ struuntur fulminosæ, telaque cuduntur lapidea. Vnde euidenter patet in toto isto Biblii sermone, Deum esse illum qui primitus mouebat & animabat virtutem Angelicam, atq; tū postea Angelus, sic volente & mouente in eo Iehoua, vento vsus est pro suo organo: deniq; ventus est fabricatus est tuguriū seu palatiū prægrande pro hospitibus illis supercœlestibus aptū vt in eo omniū horū imperator atq; moderator compleat suam voluntatem. Non ergo in tota prædicta verborum serie quicquam attribuitur creaturæ aut Angelicæ aut ventosæ aut nebulosæ aut pluuiosæ aut fulguranti, sed omnes creaturæ illæ attribuuntur actui diuino, atq; isti Iehouæ proprietati adaptantur, non enim dicit textus, quod aut Cherubin solus, aut Cherubin cum Iehoua hoc vel illud fecerit, sed totum attribuitur Iehouæ, Iehoua enim fecit Cherubin, hoc est, spiritus, ætheream suam sedem, ascendebat super Cherubin: nec dictum est Cherubin volasse super alas venti, sed Iehouam; nec Cherubin aut ventum posuisse tenebras in latibulum suum, sed Iehouam per Cherubim ventum animantem, hoc est, mediante vento; nec dicit aut Cherubim, aut ventum, aut nubem cribrasse aquas, sed Iehouam per Cherubin mediante vento ex substantia nubium: nam ait, Iehoua cribrans aquas de nubibus cælorum: nec dicit illas omnes creaturas simul, vel aliquam earum peculiarem tonasse aut fulgurasse aut sagittas misisse de cœlo, sed *excelsum edisse vocem suam, emisisse sagittas suas, &c.* Quibus liquet, quod nulla sit reuera in mundo causa efficiens præter solum Deum; & quod per consequens haud sit inconsulte ab Apostolo dictum, Deum operari omnia in omnibus.

His igitur ita se habentibus quam longe aberrauerint Doctores illi Ethnici à veritatis meta, qui tot causas efficientes subalternas posuerunt, videlicet calorem Solis, frigus mediæ aeris regionis, stellas, elementa, ventos, choleram, melancholiam, pituitam, sanguinem, vel vt alii volunt qui profundius in naturæ mysteriis se immerserunt, Angelos siue intelligentias, & dæmones siue influentias; neminem recte philosophantem aut theosophantem latere potest: cum certissimum sit quod certa veritatis meta sit actus illius vnicus & solus qui centrali sua luce seu lapide vero angulari statuminat omnia, viuificat cuncta & dat mouere omnibus: atque hic actus creaturæ centralis est spiritus ille incorruptibilis, qui (teste Salomone) *inest omnibus*, de quo sic Iudith, *Deo seruiat omnis creatura, quia misisti spiritum tuum & creata sunt.* Hinc dicit Apostolus *Deus viuificat omnia.* Et *alibi, In ipso Deo viuimus, mouemur & sumus:* hoc est, non ab vlla alia causa subalternatim agente, sed in solo Deo in qualibet creatura centraliter agente & operante.

Sap. 12. 1. *Iudith 16.* *1. Timot. 6.* *Act. 17.*

Nec quidem cum Orpheo & Pythagoreis credendum est ideo plures esse deos, quippe Deo omnia plena, sed vnicus tantum est Deus, licet in pluribus subiectis se diuersimodi patefaciens; quoniam omnibus Christianis constat essentiam diuinam esse indiuiduam & non diuisibilem, tametsi proprietate sit *multifaria*, vnicus actus, licet variefotmi proprietate distinctus: *simplex atque vnicus* sapientiæ æternæ spiritus, teste Salomone, licet alio respectu dictitatur *multiplex*. Atque hæc est occasio, quod D. Paulus videatur in hæc verba Ethnicos reprehendere. *Dii quidem sunt qui dicuntur in cælo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in illum, & vnicus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum, &c.* Ac si dixisset, licet Orpheus, Hesiodus cum Pythagoreorum secta dicant omnia diis plena, tamen reuera hi omnes non sunt nisi vnicus Deus, seu sola monas vnica, à qua radicaliter omnia, per quam omnia, videlicet per Angelicam ipsius emanationem, siue sapientiam æternam, quæ inest omnibus, efficitque vt in ea, quasi verbo, existant talia qualia sunt omnia.

Sap. 7. *1. Cor. 8.*

Vnde certum est quod vt emanatio à Deo sit eadem essentia cum Dei monade, ita quidem omnes emanationes, quæ spiritualiter fiunt à primaria illa emanatione à Deo emissa, sunt eiusdem cum ipsa essentiæ, & consequenter minime in substantia à fonte diuino diuisæ. Quare pessime ab Ethnicis dii in rei veritate dicuntur, sed ipse Deus vnicus & solus in omnibus suis creaturis operans, vnicus (inquam) spiritus Dei incorruptibilis in omnibus.

Verum enimuero tametsi Ethnici illi lumine tanto fuissent illustrati vt agnouissent omnes illos deos relationem habuisse ad vnicum Iouem; vt etiam Platonici omnes mundi animas particulares ad generalem mundi animam referebant; tamen in hoc erat ipsorum error, quod cuilibet illorum dierum particulatim diuinos cultus & honores statuissent, & cuiq; eorū in proprietate sua varia more paganico sacrificia præbuissent: ac si omnes illorum radiorum essentiæ à fonte illo è quo scaturiebant vllo modo vel ratione ab inuicem discrepassent, aut entitate sua diuersæ & distinctæ fuissent.

Hinc

Hinc ergo erat, quod Idololatria primum in orbem terrarum misere irrepserit; vnde factum est, quod dæmones seu intelligentias, Solem, sub nomine Apollinis & Titanis, Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem, Lunam sub nomine Dianæ cum super terram appareret, & Proserpinæ cum à nobis occultaretur, honore diuino & titulis Deorum insignuerunt gentiles. Hinc Isidis, Osiridis, Vestæ, Cereris, imo vero & ipsorum animalium, nimirum, Ibis, Vaccæ, Tauri, Crocodili & huiusmodi aliorum cultus diuinus & profana adoratio.

Quæ quidem Idololatria & falsorum deorum adoratio ideo mundanis accidebat, quoniam gentilium sapientes creaturam pro creatore, externum pro interno, vmbram pro substantia, reali corticem pro nucleo, ac denique figmentum & imaginem pro veritate & realitate male & ignoranter acceperunt; atque hac ratione per sua scripta spuria plurimos deos, variumque dæmonum & pseudotheorum cultum mundo proposuerunt; iuxta istud Moysis, *Dæmonibus sacrificarunt non Deo, diis quos non nouerunt.* Sic etiam nomen est, quanto honore Apollinis templum, & ipsius apud Delphicos oraculum, celeberrimum Dianæ apud Ephesios fanum, atque illa Iouis, Apollinis, Veneris, Cupidinis, Iani, Martis, Mercurii apud Romanos atque cæteros gentiles & ethnicos celebrabantur: nec non & famigerabile erat inter Ægyptios ciuitas illa Soli dicata: imo vero ob istam rationem finxerunt Israelitæ Idololatræ in domo Domini currum & equos solares, vt testatur textus in his, *Solis currum & equos ante templum Domini fuisse ablatos.* Et in alio loco testatur *Scriptura* quod *Solem & Lunam & alia creauerit Deus in ministerium cunctis gentibus sub cœlo,* atque ideo prohibuit lex Mosaica ea adorari aut coli, mandatque Israelitis vt non respiciant Solem, Lunam aut stellas, aut vllam rem exercitus cœlestis vt incuruantes se eos colant. Quibus docemur, quod vt Deus est solus & principalis atque vnicus author efficiens & actor essentialis in hoc mundo, ita quidem ipsi soli & non rei creatæ cuipiam est laus, honor, adoratio & cultus præbendus; ipsi soli sit cuiuslibet in hoc mundo actionis effectus & non creaturæ, siue sit ad mortalium pœnam siue beneficentiam, attribuendus. Vnde pro certo statuendum est, quod quicquid nobis in hoc mundo eueniat, illud non à creatura aliqua, sed ab ipsius creatoris virtute seu proprietate, hoc est, ab aliquo emanationum ipsius actu deriuatur atque procedat, cum ipsa creatura absque creatoris actu sit res plane mortua, immobilis, & nullius momenti. Agit ergo Deus in Angelum primum, hoc est, vestimentum quasi Angelicum induit, vt per illud stellas informando, mouendo stellarumque formas ad inferiora implueudo, tandem in ipsos dæmones sublunares, ventos & elementa centraliter agat: induit (inquam) Deus lucidam Angeli catholici formam; vnde ait textus: *Nomen meum est in eo.* Et alibi, *Vestitur Deus lumine tanquam vestimento.* Deinde Angelica illa essentia induit substantiam massæ stellaris, iuxta illud Psalmistæ, *Posuit tabernaculum suum in Sole; & tum postea massam illam iuxta proprietatem suam animat.* Sed quod cœlum & omnis in cœlo stella gubernetur, inspiretur & animetur à Deo vestitum Angelicum induente & consequenter in proprietatem illam qua in instanti suæ creationis prædita est, voluntas diuina mutatur, ex istis subsequentibus colligere fas est. Ait Mercurius Trismegestus, expresse denotans, quod spiritus diuini afflatu vectum sit primum mobile, *Ambitus* (inquit) *amplior cursu suo aereo circulo conspirante diuino spiritu vectus, &c.* Et Dauid, *Verbo Domini firmati sunt cœli*, Et Iob. *Deus extendit cœlos, facit Arcturum, Orionem & Pleiades.* Quibus patet, quod principium motus cœli sit à Deo. Ad internum autem stellarum principium quod spectat, hæc accipite ab Hermete. *Contrariorum amicitia, dissimilium commixtio lumen instituit ab actu Dei bonorum omnium genitoris, totius ordinis principum septem mundanorum ducis æterni.* Et pagina sacra, *Stellæ fundatæ sunt in verbo, & nouit numerum earum.* In quo luculenter demonstratur, quod Deus sit tam cœlorum quam stellarum animator & actus primus. At vero quod creatura Angelica sit medium illud organicum per quod in cœlo & in stellis agit, sic probat antistes prædictus. *Dinumeratæ sunt stellæ secundum eos qui inhabitant illas deos; Ambitus amplior cursu suo aereo circulo conspirante diuino spiritu vectus. Quisquis deorum ex interna virtute ascriptum sibi opus explenit.* In qua verborum textura tria sunt elicienda, videlicet primum est quod quælibet in regione ætherea stella peculiarem sibi vendicet spiritum Angelicum quo regitur: nam per deos intelligit radios à Deo emanantes, qui sunt nuntii voluntatis ipsius qui eos emisit, & consequenter Angeli. Secundum, quod virtute spiritus sapientiæ sancti in sphæra suæ ætherea stella quælibet moueatur; vnde textus conspirante diuino spiritu vectus, hoc est motus ab ortu in occasum. Tertium quod actus ipsius, Angelo mediante, qui mandata diuina pro officio suo exequitur, sit virtus diuina.

Deut. 32.17.
4. *Reg.* 13.
Deut. 4.
Pim. 3.
Iob. 9.
Pim. 11.
Exod. 16
Pim. 3.

Sed

1.Cor. 8. Sed de hoc à loco Apostoli antea citato optimo confirmatur. *Dii sunt qui dicuntur in cœlo & in terra, nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum, & vnicus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum, &c.* Ex istis arguere videtur D. Paulus, quod quamuis istiusmodi stellarum præsides Angelici à quibusdam dii vocantur, tamen reuera non est nisi vnicus solus Deus, qui immobilis & permanens in se euidens per emanationem suam sanctam ab ipso quasi centro fluentem & scaturientem omnia animat & moueri facit, ita tamen vt omnia sint in ipso, iuxta illud eiusdem Apostoli: *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Rom. 11. 32.

Concludimus ergo, quod vtcunque de stellarum virtutibus egerunt Astrologiæ peritiores vel Magi & Cabalistæ de Angelorum, siue vt gentiles volunt de deorum potestatibus seu actibus, sit tamen hoc in mentibus omnium verorum Christianorum reseruatum, quod non agit Angelus, sed Deus per Angelum, nec agit stella in cœlo aliqua, sed per Angelum, nec ventus aliquis, sed per stellam, vnde venti Titanis & Astrææ, seu Auroræ infantes dicuntur, quatenus ab actu Solis calido creduntur procreari: hinc etiam
Eccles. 1. testatur Sapiens, quod *ad motum Solis aer circumgyretur.* At verò in Sole posuit spiritus diuinus seu emanatio sancta suum tabernaculum, vnde fit quod ipse in cœlo quasi imperator regnat. est enim sedes Angeli illius magni quem Platonici mundi animam vocauerunt, quippe à quo & in quo vita. Atque ob hanc rationem hæc effundit Hermes verba. *Sol*
Pim. 5. *Deus Deorum cœlestium præstantißimus, Soli cœlites reliqui veluti regi parent, &c.* Et hoc sibi vendicat decus à virtute sua Angelica, cui omnes omnium stellarum virtutes obediunt, & pro eorum capite agnoscunt. Denique nec meteoron agit, sed ventus seu spiritus in meteoro, nec corpus sed spiritus in corpore. Quare concludendum est omnia à Deo solo, per Deum solum, & in Deo solo, emanare, compleri & existere; cui sit ergo soli æterna laus, atque honos summus attribuendus à mortalibus.

Et quamuis more vulgi dicamus in posterum Angelum, vel stellam, vel ventum, vel meteoron hoc vel illud ad mortalium perturbationem operari, quod quidem mundanis (vtpote Ethnica Philosophia in hunc vsque diem enutritis) melioris intentionis nostræ apprehensionis atque intellectus causa tam in præcedentibus fecimus, quam sequentibus haud inutiliter faciendum putamus, vos sciatis velim, vt serio agnoscamus Deum solummodo in mundo omnia facere, & à prædictorum omnium centro versus rerum omnium circumferentiam mouere, & quod ipse, quo profundius in materia mouetur, seu in multitudinem se immergit, eo plura (metaphorice loquendo) existimatur induere vestimenta; verbi gratia, formam Angelicam induens dictus est vestiri lumine quasi vestimento, nam Angeli dicuntur luces, vtpote ex luce prima die creata formatæ: sic in *eodem capite Exodi* dicitur Angelus quandoque Iehoua, respectu simplicis emanationis, & nunquam Angelus, respectu alteritatis, quatenus scilicet est creatura conflata ex
2. Reg. 22. materia creata & forma seu luce increata quæ est Deus: vnde dixit Iehoua, *Nolite exacerbare illum, quia non feret defectiones vestras, quoniā nomen meū est in eo.* Deinde induit corpus stellare in forma Angelica; sic dicitur, *Posuit tabernaculū suū in Sole.* Tū postea profundius adhuc se in materiæ abyssum demittendo & inclinando cœlos, in aerem venit & *labitur super alas venti, & posuit tenebras in circuitu suo latibulum, &c.* Porro profundius adhuc penetrans in ipsam terram proiecit lapidem angularem, & teste Salomone, *repleuit orbem terrarum,* & specialiter induebat carnem humanam, quoniam incarnatum erat verbum, fecitque membra humana templum spiritus sui sancti qui est idem cum eo. Denique implet omnia, *quippe cuius sedes est cœlum, terra vero scabellum pedum ipsius.* Quare certum est, iuxta Apostoli rudimenta, ipsum esse omnia in omnibus, & consequenter non creaturæ, sed soli creatori sit omnis potestas atque virtus assignanda, quippe sine qua nihil, sed omne inane, vacuum & plane præstigiosum, falsumque atque imaginatium simulachrum: est enim sola essentia diuina veritas & ipsissima virtus.

CAPVT

Capvt II.

Quod in vera Astrologiæ consideratione non sit Ars, sed Artista spurius condemnandus: quid inter verum & falsum Astrologiæ professorem intersit.

EX præcedentibus etiam à *volumine* nostro *primo* ad istud, & in isto satis plane declaratum atque explicatum inuenietis, quod regionibus cœli inferioris elementis appropriatis debita à spiritu diuino proportio, quippe *cuius est solius aptare pondus ventis, & appendere aquas in mensura, & facere pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum.* Atque etiam quod illud ipsum *verbum Domini*, iuxta Psaltis doctrinam, *firmauerit cœlos superiores*, quorum hoc stellatum in sphæras diuisit octo, illud Angelicum in stationes siue ordines nouem. Denique diximus quod in cœlis cœlorum habitet sincera maiestas diuina in plenissima luce, vbi est *thronus Dei, terra scabellum pedum illius*, vt in *Ezechielis cap.* 1. & Reuelatione luculentius est explicatum atque demonstratum, nec tamen illum comprehendere possunt cœli cœlorum, quippe qui est taliter extra omnia vt in omnibus. Quod cum ita sit, quid nobis Astronomica Ethnicorum doctrina ad talem veræ cœlorum scientię scrutationem, vtpote vltra quorum omnium est captum suis inuentionibus aut schola mathematica cœlos istos atque hunc thronum & habitationem Dei dimetiri? At si hoc aggredi velitis, vos, ô Magistri & Astronomi Ethnici, aut Christiani ipsorum discipuli, à quo centro incipietis? Quousque acies oculorum vestrorum pertinget? Quibus numeris exprimetis gradus distantiæ à terra vsque ad thronum Dei?

Et quamuis dicet quispiam vestrûm, harum rerum cognitionem non esse necessariam, negare tamen non potestis quod ad honorem maiestatis diuinæ spectet, cuius altitudinem quamuis nemo mortalium, nec vlla creatura sit dimensa, tamen nihilominus ille filiis suis, qui vere in Astronomia sunt instructi, reuelauit quod ipse hæc omnia fecerit, & manu sua ea sit dimensus. Quare cesset omnis circinorum vestrorum actio ô spurii Astronomi, & reliqua vestra instrumenta mathematica inutilia, & nullius momenti restent: quoniam hoc certum est quod nullum stabile habetis artis vestræ Astrologicæ fundamentum, quatenus reuera ignoratis cœlorum & stellarum eorundem numerum, & aptam ipsarum in cœlo positionem & proprietatem, præterquam quod contingenter, & ab effectu seu experientia, cum vestro Ptolemæo, Guidone, Alkindo, Haly, &c. id genus genus aliis, more brutorum inueneritis: & tamen pro fragili istiusmodi doctrina firmari pro Astrologis primi ordinis haberi vultis; in tantum etiam vt ex astris quoque vaticinari & futura prædicere conemini. Hinc ergo est quod ars (qua non est præstantior vlla) à mundanis cōdemnari & pro falsa haberi traditur, cū rei veritate nō ars sed artista sit accusandus, aut à sapientibus damnandus. Atque propter hanc causam tantam inter sapientiam humanam atque illam diuinam fecit Apostolus discrepantiam, quarum illam meram stultitiam & vanitatem facere videtur; quippe emanationem splendoris omnipotentis omnia veraciter electos docentem. Ob istam euenit rationem, quod inter Ethnicos Astrologiæ inuentores nunquam audiuimus verum in Astronomia eo modo artificem quo Adam, Noah, Abraham, Moyses, Elias, Iosua, Salomon & alii Patres pii fuerunt, qui vocē Dei perceperunt, mandato eius obtemperauerunt, cœlū & sydera aspexerunt, atque scalā Iacobi vna cū Angelis ascendentibus & descendentibus viderunt, quibus numerus cœlorū & altitudo eorundē vna cū numero Astrorū & sydérū non fuit incognita, vtpote qui horum scientiam à Deo impetrauerunt, neque præter eum quæsiuerunt vllum alium doctorem. Quod etiam Salomon verbis istis absolutis cōfiteri videtur. *Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum & virtutes elementorum, & initium consummationum & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporū, anni cursus, & stellarum dispositiones, & vires ventorum & cogitationes hominum, & quæcunque sunt abscondita & improuisa didici; omnium enim artifex me docuit sapientia, &c.* Sap. 7. 17. Agnoscit Sapiens se non à mendacibus Ethnicorum libris suam artem Physicam & Astronomiam, sed à fonte totius veritatis scientifico, videlicet spiritus sapientiæ sancti documentis extraxisse, mediante quo de rebus futuris non coniecturam incertam & fallacem, more Astrologorum Ethnicorum, & eorum imitatorum Christianorum fecit, sed è regione infallibile futurorum edidit præsagium, imo vero omnia tam occulta

Zz quam

quam manifesta perscrutatus est, & quod mirandum est dicere, ipsæ hominum cogitationes eum minime latebant. Non ergo frustra iussit Deus Patriarchas cœlum ac sydera contemplari, sed vt exinde eorum naturas, proprietates, virtutes & operationes, ac simul etiam præterita, præsentia & futura cognoscerent, atque ita vere omnia ex fundamentis scirent: etenim cum semetipsum illis manifestauerit, ac præterea etiam ipsis præclara sua eximia atque polita opera ostenderit, quid illis circa eorundem altitudinem, magnitudinem, longitudinem, latitudinem, naturas, proprietates, virtutes atque operationes celasset? Quando Deus rem quandam alicui indicat, non fit illud more humano, ita nimirum vt ex forma exteriori tantum eam possit homo agnoscere; sed simul etiam illi per hanc demonstrationem omnes rei interiores essentiæ, virtutes atque operationes deteguntur, ita vt manifeste eas videre atque intelligere valeat: sic enim intellexit primum Adam nomina cuilibet creaturæ tàm inferiori quā cœlesti iuxta suam proprietatem imponere. Verum enimuero non modo mundani Ethnici, verum etiam Christiani insigniti à Deo doctore tali nondum volunt quicquam addiscere, neque illum more Salomonis pro hac scientia inuocare, multo minus spirituali intellectu scrutari Biblia sacra, & quā ratione ipse docuerit Patriarchas indagare: quin potius à fonte omnis sapientiæ atque artium recedunt, & ad Ethnicorum scholam & paganorum Idolum faciem suam conuertunt, & omnis generis corruptelas, figmenta, falsitatem & mendacia inde hauriunt, in quibus etiamnum collo tenus hærent, Prophetæ documentum respuentes, quō docemur, quod non conuenit deserere fontem omnis sapientiæ, & in regionibus extraneis quærere artem, scientiam & intellectum, vti faciebant Agareni & qui erant in Theman,
Baruch. 7. quippe qui viam veræ sapientiæ agnouerunt nunquam.

At vero vt vobis Ethnicorum in Astrologia errorum rationem paucis aperiam, dicimus profecto, quod etiam belluinum est rem ab externa effigie decernere, sic canis cognoscit dominum suum, atque experientia doctus baculi ictum veretur. Ita quidem Ptolomæus Astrologorum Ethnicorum princeps cum suis discipulis perceperunt quidem longa obseruatione alios in terra & mari & aere procedere, Luna cum Sole vel aliis planetis in hac vel illa positione, vel in hoc aut illo signo, alios in isto aspectu, alios in illo, & quandoque planetam vnum dominium super alios habere, & consequenter quod tales vel tales tunc temporis effectus in inferioribus sequi debent, experientia sola sunt edocti: vnde factum est quod quoniam interna horum effectuum principia ignorauerunt, & sola praxi seu experientia sunt innixi, sæpius in suis prognosticis seu præsagiis decipiuntur: nam ille qui est rerum omnium & virtutum & operationum stellarium authot primarius potest pro voluntate sua conuertere influentias maleuolas Martis vel Saturni (qui pro infortuniis à dictis Astrologis accipiuntur) in creaturarum beneficentiam, nec quidem est Canis cœlestis ortus adeo pestilens, aut febribus ardentibus stipatus (vt à Galeno & Hippocrate esse traditur) quin & permultis è mortalium ordine beneficium afferat quando & cui Deo placuerit, qui stellas ligat, & ignem mitefacit electis, & laxat atque intendit eas quandoque ad peccatorum pœnam. Nonne etiam testantur Scripturæ, quod Deus per Angelum suum, qui est magni cœlorum sigilli custos, electos in suis
Apoc. 7. frontibus signare soleat?

Ezechiel Porro etiam agnoscunt medici Ethnici, quod pituitosi melius se habeant in æstatis extremo, vt è regione bilosi hyeme. Infinitis si quidem modis decipi possunt Astrologi, qui ab externa sola obseruatione iudicium suum capiunt: cum vice uersa qui ab interno & radicaliter stellarum mysteria inspicit, atq; ad speculi maiestatis diuinæ inspectionem hoc est, ad sapientiæ Dei visionem pertingere queat, quæ tabernaculum suum posuit in Sole, ipsi quidem omnis stellarum proprietates, naturæ, imo vero & voluntatis diuinæ in operibus suis sensus detegi atque reuelari assolent: nam teste Salomone, ipse mediante sapientia, quæ erat ei doctrix, omnia tam stellarum quam inferiorum arcana at-
Sap 7. que abdita didicit; vnde & alibi ait, *Sensum tuum quis sciet nisi dederis sapientiam: sic correctæ*
Sap. 9. 17. *sunt viæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerunt homines.* Hæc ille. Ratio autem est quoniam *sapientia* (teste Scriptura) *nos veraciter omnia docet.*

At quia Ethnici doctores, & Christiani eorum asseclæ sapientiam magis mundanam, spuriam & in circumferentia versatam, atque humanis inuentionibus innitentem, quam istam diuinam & solummodo veram & in centro permanentem, & regula certa & lineari operantem venati sunt; ergo in iudiciis suis toties decipiuntur, & consequenter mundanos fallunt, artemque in seipsa minime damnandam pro spuria & fallaci æstimari faciunt. Creaturæ solummodo visibilissimam imponunt & committunt fiduciam, vnde creatorem in eius centro operantem

penitus

penitus ignorantes, si ipsius oraculum *Vrim & Thumim* minime consulant non est mirum. Multo minus quod creator ille per Angelicos suos ministros à portis suarum proprietatum variis virtutes illas quibus fruuntur sydera impluat, intelligunt, aut ad talia profunda in sacrario diuino abscondita penetrare possunt. At quis ignorat quod idem nauta nauem vnicam suam in istam vel illam mundi quartam dirigere, aut auriga currum vnicum suum in hanc vel illam prouinciam conducere queat? Nonne Deus valet per eandem suam proprietatem sub agnomine suo Elohim à porta Binah influentem, tam salubria quam insalubria procreare, tam à Septentrione quam meridie spirare, idque multis sub formis, ratione que varia? Nonne Saturnum variis aliorum planetarum virtutibus moderari & contemperare? & per consequens varios & inexpectatos, imo quidem Astrologis ipsis incognitos producere euentus?

Verum scio nobis ab omnibus obiectum iri tam Ethnicis quam ipsorum discipulis Christianis, Quid est quod per istam sapientiam intelligis, quam dicis esse scientiæ Astrologicæ centrum tam absconditum, vbi ipsam inueniemus? Anne in cœlis vel in terris? Si in cœlis sit quis ipsam potest ad ista inferiora euocare? Et quomodo est ipsa in terra inuenienda quæ sanctos cœlos fecit suum habitaculum? Aut si ipsam nobiscum permanentem habuissemus, qua ratione Astrologiæ profunda ab ea perciperemus? At talibus ego sic paucis respondeo. Scrutamini scripturas, & ista omnia in ipsis reperietis. arcana enim Dei prognostica è scriptis Ethnicis elicere est impossibile; iuxta istud Prophetæ: *Dominus mutat tempora, & ætates, dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam, iisque reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Mysterium quod rex interrogat, sapientes, magi & arioli & aruspices nequeunt indicare regi, sed Deus est in cælo reuelans mysteria, &c.* Inde denotans quod sit in sola sapientiæ diuinæ potentia & non illa humana & ab Ethnica superstitione deriuata, arcana Dei elicere atque enucleare. Dan.2.21. 27.

Porro quid sit sapientia sacrosancta, & quod non sit imaginaria illa ab hominibus vulgaribus excogitata, in his depingit Salomon. *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, & candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Quod autem sit Astrologiæ fons in eo constat, quod posuerit suum tabernaculum in sole, vbi regnat quasi imperatrix & domina super omnes Angelos stellares, & consequenter stellas gubernat prout bonum ei videtur: *est enim* (inquit Salomon) *speciosior Sole & super omnem dispositionem stellarem, luci comparata inuenitur prior.* Sap.7.25. Psal. Sap.7.28.

Ad locum vero eius quod attinet, non ideo inclusiue in sole quia tabernaculum in eo posuit, sed vbique in mundo, atque etiam in omni creatura, vtpote in verbo est vita: sic ait Sapiens. Spiritus incorruptibilis inest omni rei. Et Christus agnoscit quod sapientia ista sit nobis propinqua; similiter ait quod qui terrestria negligit cœlestia quomodo respiciet. Et Propheta ait, *Aperiatur terra, & pariat Saluatorem.* Et Sapiens, *Spiritus disciplinæ sanctus implet orbem terrarum*, & Apostolus, *Christus omnia implet.* Et iterum *vnus Deus pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, &c.* Nec quidem disputandum est, an cœlum sit in terra necne, cum sit certissimum, quod vbicunque Deus est ibi quidem cœli etiam adsunt, non quidem illi visibiles qui transibunt, & ignis iudicii examen sustinebunt, sed cœli cœlorum, quorum meminit pagina sacra: si quidem certum est quod cum homo sit templum spiritus sancti, tales etiam cœli ipsi insunt. Anne etiam creditis lapidem illum angularem à Deo in terræ bases proiectum suis sanctis cœlis carere? Imo quidem certum est omnia cœlis ideo esse ornata, quoniam Deo omnia plena, denique discimus quod si homo se recte cognoscat, & suiipsius cognitione Deum per animam in sacramento gratia diuina intueri queat, tunc sine dubio speculum illud sapientiæ omnium politissimum intelliget, in quo omnia pro velle suo prospiciat atque cognoscat, videlicet tam quæ in cœlis quam quæ in terra acta sunt; nam qui sapientia fruitur omnia possidet, quippe in qua comprehenduntur omnia, & per quam Deus operatur omnia in omnibus. Isai. Sap.1. Ephes.4.6.

Nec dubitet quisquam quin sit Astrologia terrestris & Geomantica ab ipsa æterna sapientia nobiscum habitante ordinata, & tam exacte disposita & consequenter nobis propinqua, quam illa cœlestis & à nobis remota, quæ omnia Astrorum vtriusque cœli per relationem arcana, eorum operationes, situs, numerus & euentus multo certius explicare queat, ob ipsius propinquitatem & sapientiæ præsentis reuelationem quam illa cœlestis quæ circa externa versari videtur, & cuius subiectum à nobis est admodum longinquum, & difficulter oculis nostris decernendum.

Concludo igitur, quod quamuis ista Astrologiæ arcanæ praxis mihi quidem sit adhuc incognita; tamen quia talem esse reuera Astrologiæ speciem quæ fallere non potest sed in viam cognitionis regiam conducere, à quibusdam vere sapientibus in Christiana religione viuentibus, & in illa scientia à Deo ipsis ex sua gratia concessa optime & fæliciter insistentibus, certior sum factus, illius laudes hoc in loco paucis ebuccinare, vulgarisque atque communis illius ab Ethnicorum inuentionibus ortæ insufficientiam & incertitudinem mundo publicare nitar, quo artis Astrologiæ veræ scandalum ei ab illius Ethnicæ erroribus imputatum abstergam, & honorem ipsi iuste assignandum omnimodo (si queam) plumæ istius meæ argutia redimam.

Denique quoniam erit nostrum hoc in loco de morborum causis à stellarum origine procedentibus via & more Astrologiæ vulgaris discurrere (in qua licet plerumque aliqua per naturarum planetarum atque stellarum fixarum ad inuicem comparationem, excidat veritas, tamen multoties etiam ob incerta scientiæ fundamenta errores permulti, & consequenter prognostica fallacia & inconstantia perringunt) de ipsis tanta constantia & iustitia quantam subiecti illius scopus mihi permittet, hoc in membro agere mihi quidem proposui, in qua nihilominus inquisitione meæ quidem experientiæ talentum, quo me in istiusmodi morborum perscrutatione rectius & commodius geram, libenter adiiciam.

Caput III.

In quo de morbida stellarum conditione, seu influxu Astrorum insalubri verba facit Author.

Sed vt ad morborum à causa cœlesti prouenientium demonstrationem perueniamus, sciendum est imprimis, quod vt Dei voluntas & proprietas in Angelis est morbo mortales afficere mediantibus vehiculis stellaribus, iuxta magorum & Cabalistarum traditionem; ita quidem corpora stellaria dicuntur morbo percutere mediantibus vehiculis ventosis siue elementaribus, iuxta Astrologorum documenta: vnde euidens est, quod stellæ sunt causæ efficientes instrumentales ad Angelos, qui respectu illorum dicuntur magis principales, vt iterum substantia Angelica est causa instrumentalis efficiens immediata respectu ad Deum habito; qui est causa efficiens maxime principalis, à qua, per
Iob. 20. quam, & in qua omnia. Hinc de istiusmodi stellaribus influxibus infaustis à Deo ordina-
23. 28. tis hæc vir patiens: *Cum impius esset repleturus ventrem, in eum Deus æstuantem suam iram emittit,*
Ephes. 6. *quam impleuit in eum loco cibi eius.* Et *alibi*, *Stillant ab alio pœnæ in die iræ.* Hinc ergo monet nos Sapiens diem infaustam præcauere, dicendo quod *sicut hanc, sic illam fecit Deus.* Et Apostolus, *Induite arma Dei vt possitis resistere diei infaustæ*; hoc est in qua influxus infausti im-
Pim. 12. pluuntur ex stellis in aerem, vtpote mediantibus quibus princeps aeris huius nostri fortificatur in sua malitia: vnde Hermes in hæc loquitur. *Sine fato* (quod vocat dispositio-
Pim. 11. nem gubernatorum septem) *nihil operatur in mundo inferiori: malum enim sine illo non fit nec bonum sine illo quicquam.* Et iterum, *Respice mundos septem suppositos, ornatu mirifico fabrica-*
Asclep. 2. *tos, ordine sempiterno, cursu suo indifferenter complentes æuum, plena sunt luminum singula; ignis vero in illis nullo modo. Amicitia enim contrariorum dissimiliumque commistio lumen instituit illustratum ab actu Dei bonorum omnium genitoris, totius ordinis principis, septemque mundanorum ducis æterni. Sol autem & Luna ad rerum ortus & obitus, ad rerum augmenta & detrimenta diuinitatis organa sunt, &c.*

Quibus arguere videtur, quod omnis mutatio, siue sit ad morbos & interitus, siue
Baruch. 3. ad sanitatem & vitam, fit ab Astris varia proprietate & actu diuino indutis, & quod ipsa sint organa eius secundaria, vt eorum præsides pro instrumentis ipsius primariis æstiman-
Iudith. 5. tur, de quibus Baruch. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt ad iussum Dei.* Nonne etiam (sic volente Iehoua) dicuntur contra Sisaram quælibet suo ordine pugnasse?

Psal. 121. 5. Porro etiam agnoscere videtur Dauid sydera tam nocere quam beneficium afferre in istis. *Deus est custos tuus, Sol non te percutiet diurno tempore, nec luna nocte, Deus te præseruauit ab omni malo.*

Quo

Quo euidens est, quod illi ipsi planetæ qui ad vitæ mortaliũ beneficiũ à Deo sunt ordinati, & à quib. inferiora viuificantur & reficiuntur, quandoq; ad mandatum Dei vulnerare solent, vt per Ionæ historiam lucide declaratur. Sed hoc totum lucidius terminis magis generalibus in hunc modum exprimitur ab Hermete. *Mundi reuolutio generationes exagitatas qualitates efficit quasdam inficientes & malo fœdantes, quasdam defensantes, bonoque purgantes. Diuinum hoc voluntatis diuinæ organum hac potißimum ratione constructum vt à Deo semina suscipiens, vniuersa, ea toto sinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rursus auferat diuidendo, atq; instar agricolæ periti quodcunq; nimis adultum est, amputat, vt statutis temporum interuallis reuiuiscat.* Hæc ille. Vbi de generali mundi cœlestis natura egisse videtur. Pim. 9.

Verum hoc idem etiam agnoscere videntur medici Ethnici sola obseruatione experimentali instructi; vnde Hippocrates. *De cœlestibus autem rebus & sublimibus mihi nihil dicendum videtur, nisi quatenus homines, animaliaque cætera quæ in terris degunt & gignuntur, nataque sunt, principium & originem inde habere demonstrabo, & quod anima de cœlo est, quodque dolere, languere, mori, & denique quicquid boni maliue in homine est de cœlo proficiscitur, &c.* In qua eius sententia naturam illam fati à Mercurio Trismegisto antea recitatam optime confirmauit; Vnde Ptolomæus etiam Ethnicus, *Vultus huius sæculi subiecti sunt vultibus cœli.* Hipp de carnibus. Serm. 9. centiloq.

Verum quid nobis authoritate scriptorum plurium opus est, si rem intuitu paulo accuratiori introspiciamus. Nonne videmus nos tam in regno animali, quam vegetabili & minerali multa reperiri, quæ vitæ & sanitati humanæ sunt natura & conditione oppositissima & venenosissima? Quid ergo dubitatione vlteriori rapiamur, An influentiæ procedant à cœlo quæ vitæ & saluti creaturæ sint contrariæ? præsertim cum certum sit quod omne animal & omnis planta, & omne minerale habeat peculiarem suum influxum à cœlo quo foueatur, præseruetur, & multiplicetur, atque quotannis renouetur in sua specie. Verbi gratia, Scorpio & vermes venenosi ab impressionibus in cœlo sibi similibus naturam & proprietatem suam venenosam hauriunt, Cicuta, Flammula, & Aconita suas à stellis suis speciebus appropriatis: Atque iterum Arsenicum, Rosalgar, & Antimonium à suis. Hinc ait Cichus Esculanus author seu scriptor de sphæra in loco, vbi loquitur de 12. signis Zodiaci, quod *quodlibet ex 12 signis nomen particulare & speciale de natura & proprietate alicuius animalis habet, quoniam natura vnius videtur symbolizare cum alterius natura.. Porro etiam Moyses Arabicus dicit, quod omnis res animata habeat à cœlo stellam influentem, hocq; diuino iussu & voluntate, ita vt stellæ existentes in ♈ cœlesti, gubernent & influant in ♈ terrestrem, & Scorpio in Scorpionem, & cancer in cancrum.* Hæc ille. Et Reuchlinus ex sententia Cabalistarum ait, quod *nulla sit herba aut planta inferius cui non sit stella in firmamento quæ percutiat eam.* Quibus liquet, quod si sint influxus tam contrarii in cœlo, necesse est quod vt est amicitia & inimicitia inter stellas secundum Angelorum qui ipsis præsident conditionem seu proprietatem variam, ita quidem necesse est quod illi qui sunt natiuitatis Domino in qualitate aduersi, etiam malo afficiant in terris natum quando sunt in cœlo potentiores. Reuchl. art. Cab. l. 3.

Porro etiam ex sententia Hermetis considerandum est, quod corpus animale à zodiaco sit constitutum: verba sunt hæc. *Corpus seu tabernaculum hominis a circulo zodiaci est constitutum.* Atque hinc *alibi* concludere videtur, quod *totidem vltrices horribiles irrationales à Zodiaco in corpus humanum facile impluuntur quot sunt in Zodiaco signa: quarum primam vltricem ait esse ignorantiam, secundum tristitiam, tertiam inconstantiam, quartam cupiditatem, quintam iniustitiam, sextam luxuriem, deceptionem septimam, octauam inuidiam, fraudem nonam, decimam iram, vndecimam temeritatem, duodecimam vero malitiam, &c.* Quo denotare videtur, quod morbi spirituales à locis superiotibus descendunt, atque ob eam causam sunt fixiores, & animæ magis radicitus inhæreant. Porrò ibi loci ait, quod sub istis plures aliæ continentur, quæ per corporis carcerem inclusæ tristem hominem sensibus pati cogunt; ait vero quod absunt istæ ab eo qui est Dei fretus clementia, hoc est fide indutus. Sed de stellarum tam fixarum quam erraticarum infirmitatibus *in sequentibus* latiori filo. Pim. 13. Ibid.

CAPUT IV.

De morbis quos tam signa Zodiaci, quam septem Planetæ, ex obseruatione veterum, in simplici sua dispositione naturali in peius versa producere solent.

VT *Arieti* caput totum & facies, *Tauro* collum & guttur & fistula, *Geminis*, brachia, manus, *Cancro* pectus, ventriculus, costæ, thorax atq; lien, *Leoni* dorsum cor, hepar, latus & scapulæ, *Virgini* venter, epiploon, graciliaq; intestina, *Libræ* lumbi, renes, crassa intestina, pecten & vmbilicus, *Scorpio* inguina, vesica, testes, vulua, anus & nates, *Sagittario* femora, coxæ, *Capricorno* poplites, *Aquario* crura & tibiæ, ac denique *piscibus* pedes subiiciuntur, ita quidem morbi capitis & faciei, quales sunt Epilepsia, Apoplexia, Aurium, Dentium atque Narium & oculorum passiones ad constellationis *Arietis* dominium spectant, morbi colli & gutturis, cuiusmodi sunt Angina & aliæ eorum infirmitates ad illud *Tauri*, morbi humerorum, brachiorum, manuum ad constellationem *Geminorum*, infirmitates pectoris, costarum, pulmonum & lienis, vt pleuritis, Tussis, &c. simul Pruritus, Scabies, Profluuium capillorum, Pustulæ, Impetigines & Serpigines ad *Cancrum*, illæ dorsi, cordis, hepatis, lateris, & scapularum ad *Leonem* referuntur, ventris, epiploi, atq; intestinorum gracilium ad constellationem *Virginis*, similiter lumborum morbi, renum, crassorum intestinorum, pectinis atq; vmbilici, cuiusmodi sunt Fluxus ventris, Vrinæ retentio, imperio *Libræ* submittuntur: at vero *Scorpii* dominationi subiiciuntur morbi inguinum, vesicæ, testium, vuluæ, ani & natium, Sagittario infirmitates femorum, coxarum; genuũ ac poplitum morbi *Capriconi* regno cõmittuntur; prouenientes cum scabie, pruritu, pustulis, impetigine, serpigine, scorbuto, *Aquario* illi qui in tibiis oriuntur; porro etiam denotat morbum melancholicum atque icteritiam nigram: sub *Piscium* denique imperio subiiciuntur morbi pedum cum scabie, pruritu, lepra, impetigine, &c. Hæc habent medici & Astrologi vulgares. At vero partes corporis quibus præsunt planetæ & ad morbos quos producunt quod attinet, *Sol* ex membris affligit Cerebrum, cor, medullam, neruos opticos, oculos, & latus dextrum viri, & mulieris sinistrum: ex morbis, oris affectus, oculorum defluxiones, omnesq; morbos calidos & siccos, non tamen à bili nisi raro genitos producit quando maleuole est in cælo dispositus, cuiusmodi sunt syncope cardiaca, & quandoq; cholera rubra, ophthalmia, fluxus oculorum, catarrhus frigidus stomachi, hepatis, matricis, *Luna* vterum seu vuluam, cerebrum, oculũ sinistrum, viri, dextrum mulieris, gustum, membrum virile, stomachum, ventrem, & in omnibus latus sinistrum, intestina, vesicam regit. Ex morbis Paralysin inducit, torturam, membrorum commotionem, apostemata phlegmatica, lienteriam, hydropem, epilepsiam, colicam passionẽ, catarrhum, menstrua, reliquosq; morbos ex neruorum & venarum obstructione à materia crassa & humida, Saturnus occupat dextram aurem, ossa, dentes, splenem & vesicam; Morbos iuxta antiquorum obseruationem producit varios, videlicet febrem quartanam, epilepsiam, elephantiasin morphæam, icteritiam nigram, cancrum, scirrhum, hydropen, iliacã passionem, paralysim, hęmorrhoides, dysenteriã, colli & renum dolores, & istiusmodi alios ab humore melancholico, quorum author & motor est *Saturnus* deniq; omnes morbos frigidos qui ex catarrho oriuntur, vt sunt podagra Tussis, catarrhi pituitosi, morbi melancholici. *Iuppiter* sibi vendicat hepar, arteriam, pulsum semen, pulmones, costas, cartilagines, Anginam, pleuritidem, peripneumoniam, hæmoptysin, calculum, exanthemata, gonorrhęam, lienteriam, lethargiam, apoplexiam sanguineam, spasmum, cephalalgiã, cardiacam, stuporem, inflammationem hepatis, passiones spinæ dorsi, ventositates, febres sanguineas, & reliquas ægritudines à flatu, & alias quæ à sanguine qualitate vel quantitate, à plethora vel cacochymia, necnon obstructionibus, putrefactione & febre proueniunt.

Similiter *Marti* assignant veteres Aurem sinistram, renes, cystim seu folliculum fellis & humorem biliosum, venas, pudenda. Quod autem ad morbos attinet huic planetæ familiares & congeneres, talem de priscorum obseruatione illorum habeto catalogum. Pestis, apostemata virulenta, acutæ febres, tertiana, icterus, phrenitis, causus, erysipelas, carbunculus, hæmoptoe, dysenteria, vrinæ ardor, hemicrania, & alii qui de bile flaua dependent vel in quantitate vel qualitate peccante. *Venus* sibi hepar inter alias corporis partes simul cum Ioue vendicat, & iuxta nonnullos alios matricem, genitalia & renes gubernat. Hic planeta peculiares etiam suos morbos habet, videlicet catarrhum, coryzam, bronchum, lethargum, paralysim, apoplexiam, gonorrhæam, morbũ Gallicum, obstructiones renum, vesicæ, vteri suffocationem & pudendorum dolores, hepatis & stomachi debilitatem ex causa frigida & humida, quotidianas febres, capitis affectus, lienteriam, diarrhoeam, hydropem, diabetem,

tem, frigus stomachi, salsuam stomachalem, & huius farinæ alios, qui de cruditatibus, cacochymia, abundante nimis pituita, flatibus, imbecillo calore, perfrigeratione, & similibus procedunt.

Deniq; *Mercurio* subiiciuntur lingua, cerebrum, cerebri nerui, memoria, cogitatio; manus, digiti & crura, ossa, fel. Morbi vero quos stella ista agnoscit & suis immitrit sunt epilepsia, mania, phrenitis, balbuties, linguæ impedimentum, raucedo, tussis, cholera morbus, & quandoq; causus, melancholia & omnes morbi melancholici, dysenteria, Angina, phthisis, pleuritis, tenasmus, vertigo, oppilatio fellis, vomitus, catarrhus ex abundantia humorum capitis, & in summa effectus omnes, qui partim sunt Saturnini partim Martiales.

CAPVT V.

De Trigonis, siue triplicitatibus quatuor, atque de ipsarum mutationibus de statu in statum, iuxta veterum Astrologorum communium obseruationes.

TRiplicitas Ignea conflatur ex ♈ ♌ & ♐ quorum dispositiones & de natura in naturam mutationes atque ipsorum in humore hominis impressiones in hunc modum descripserunt medici Astrologici veteres.

Sunt hæc tria signa signa Orientalia, calida, sicca, cholerica, amara, leuia vrentia, atque humidi radicalis consumentia vt ignis, respiciuntque ex mundi plagis Orientalem ex ætatibus Iuuentutem. Ad ♈ quod spectar, iuxta Guidonis Bonati sententiam, agit ipsum in elementum igneum, imprimendo illud caliditatem & siccitatem, vnde naturali sua inclinatione creditur bilem flauam procreare, temperatam & naturalem, sed præcipue 18. primi ipsius gradus, quippe qui sunt temperate calidi & sicci; at 12. vlteriores ipsius gradus sunt magis intense calidi & ignei, atque ob istam rationem choleram intemperatam gignunt, quæ est intemperiei calidæ occasio.

♌ Leo est calidus & siccus in primo gradu satis intenso, vnde generat bilem flauam intemperatam, proximi 18. gradus efficiunt vitellinam choleram, vltimi ipsius gradus 6. calidi sunt in tertio gradu, & procreare solent choleram rubram.

♐ Sagittarius traditur etiam pariter cum ♈ agere in ignem imprimendo in illum caliditatem & siccitatem, remouetur que ab omni temperamento, & facit desttuctionem seminum & herbarum; est enim longe calidior & siccior quam ♌. Primi eius gradus 12. sunt calidi & sicci in gradu tertio, atque ob istam rationem admodum est ad choleram rubram procreandam pronus: quare euidens est quod sit causorum & febrium ardentium, pruritium & morborum regiorum author seu potius fons, à quo æstuosi Archangeli Samaelis effectus impluuntur. At vero eius gradus 18. posteriores creduntur esse calidi & sicci in gradu quarto, vnde sunt gradus isti consumptiui, & humidum radicale absorbentes, vnde pestes vrentes, febres extreme ardentes, noli me tangere, procreant. Hinc ergo ob venenosam horum graduum naturam medicos suadere conātur dictorum horoscopicorum medicorum nonnulli vt non sine graui consideratione suscipiant morbum à gradu alicuius signi quarto genitum; volunt enim talem morbum esse incurabilem & mortalem.

Hic obiter animaduertere potestis quod venti calidi & Orientales animentur ab ista triplicitate, & quod iuxta nostram intentionem ♐ propter extremam suam siccitatem & caliditatem sit venti Cæcii præses, vt ♌ qui est domus Solis. Subsolani, & ♈ Euri, nam secundum proprietates horum signorum sese habent venti Orientales, qui spiritum suum æstuosum ab ipsis, sic volente Deo, accipiunt.

Triplicitas Aerea conflatur ex tribus istis signis aereis ♊ ♎ ♒ quæ in aerem naturam temperate calidam & humidam imprimere putantur; ex mundi plagis respiciunt Meridiem, ex complexionibus sanguinem, ex ætatibus pueritiam, & adolescentiam, ex saporibus dulcedinem. Gradus autem 18. ♊ Geminorum sunt temperate calidi & humidi, sanguinemque procreare apti sunt satis bonum: at gradus ipsorum 12. vltimi sunt calidi & humidi in primo gradu; quare gignunt sanguinem suauem parumper à naturæ cursu recedentem.

Libra ♎ agit in aerem inferendo in eum calorem & humorem remotum à temperamento, densando & inspissando indiuidua: huius autem constellationis gradus 6. primi sunt calidi & humidi supra naturæ leges, idque in gradu secundo, vnde generant densum sanguinem atque copiosum: vltimi vero 6. ipsius gradus sunt calidi & humidi in principio gradus tertii, vnde procreare dicuntur multam grossi sanguinis quantitatem.

Denique

Denique Aquarius agit in aerem inferendo in illum caliditatem & humiditatem distemperatam, nociuam, destruentē indiuidua specierum, & omnia nocumenta quæ animalia vel vegetabilia recipiunt ab aere, fiunt ab impressionib. quas ♒ facit in aere. Primi eius grad. 12. sunt calidi & humidi in tertio gradu; vltimi grad. 18. sunt calidi & humidi in quarto, generātes multum intemperati, damnosi, crassi atq; putridi sanguinis admodū calidi & humidi.

Ex istis etiam confirmari videtis nostram de ventis Meridionalibus opinionem, videlicet quod ab Angelis istis signis præsidentibus scaturiant ipsorum vires; nam, vt natura Geminorum est aerē reddere temperate & naturaliter humidum, ita quidem illa Libræ aerem inspissat in nubes satis densas & æstuosas: at vero conditio Aquarii (vtpote qui est domus Saturni) admodū aerem condensat & coarctat, nō modo eum in nubes, sed & æstuosos in illo vapores ita suffocat, vt fulgura & vapores putrescibiles proferat. Sit ergo signum ♊ ad Euro austrum relatum, illud vero Libræ ♎ ad Austrum, & ♒ ad Austro-Africum.

Triplicitas tertia, quæ est Aquea constat ex signis ♋ ♏ ♓. Est autem hæc triplicitas frigida & humida seu aquea, expulsiua, & aliquantulū in gustu salsa, Septentrionalis, vt ex opinione Ptolomei Astrologi communiter volunt, mea autem me fert sententia quod Occidentalem potius plagam respiciat, quippe quæ est naturaliter aquea, quare verisimile est quod ad signa aquea maximè spectet: est enim iuxta omniū sensum Triplicitas aquea, & nocturna, vnde verisimile est quod ad quartam mundi tenebrosam, aqueā & fœmininam se applicet, quæ est Occidentalis. Huius ergo Trigoni proprietas est agere in aquā. Hinc ergo est quod alii Astrologi magis sibi constantes hanc triplicitatem respicere ex mundi partibus Occidentem, ex complexionibus phlegma, ex ætatibus senectutem viridem dixerunt.

Primi grad. 18. Cancri ♋ sunt frigidi & humidi temperate, quare apti sunt procreare pituitam naturalem: vltimi vero gradus 12. sunt frigidi & humidi in principio primi gradus, vnde fit quod gignant pituitam frigidam excedentem parumper gradum naturalem.

♏. Scorpius est frigidus & humidus in altiori gradu quam ♋ tenebrosus, salsus, ponderosus, nociuus, directus, agitq; in aquam, imprimendo in illam frigiditatem & humiditatem, estque à vero temperamento elongatus, vnde fit vt facilius moueat ad corruptionem quam ad nutritionem & salsedinem, quam infert actus Scorpii in aquam, paucissimis rebus valens nutrimentum præstare. Primi gradus ipsius 6. sunt frigidi & humidi in primo gradu, post quos reliqui gradus 18. sunt frigidi & humidi in gradu secundo, vltimi vero gradus 6. sunt frigidi & humidi in principio tertii, & hi gignunt plurimum pituitæ non naturalis, & salsi phlegmatis, & substantiam aqueam, crassam atq; putridam: nam vt hoc signum est domus Martis nocturna, ita quidem stellæ in ipso Martiales adurunt, & condensant terream aquæ naturam, & ob istam rationem spissitudinem, salsedinem, atque putridam pituitam ex naturali sua inclinatione parere solet.

Pisces est signum frigidum & humidum, aquaticum & ad salsedinem vergens, & agit in aquam, in illam inferendo frigiditatē & humiditatem distemperatam & nociuam, per quā fit motus in natura ad destruenda animalia & semina, & cuncta vegetabilia propter amaritudinem & fœditatem quam inducit actus Piscium in aquam. Primi gradus Piscium 12. sunt frigidi & humidi in tertio gradu: vltimi vero 18. sunt frigidi & humidi in gradu fere quarto, facitq; hoc signū ob illam causam phlegma fœtidum, corruptum, aquamq; destructiuam, qualem ex parte Occidentis Meridionali prouenire cernimus: nam Piscium natura per ventum Africum in aerem disseminatur, vnde defluxiones putridæ, hydrops, &c.

Cancer in angulum Occidentis suam naturam pituitosam seu aqueam dulcem effundit, vt ♏ Scorpius malignum suum succum in Cori promptuariū impluit, vnde fit vt ab ea parte aquæ seu nubes grossiores & quandoq; contagiosę, salsæ & fulminosæ in aere emittuntur: hoc est spiritus sublunares horum signorum dæmonibus interuientes actus tales solent per istiusmodi ventos in mundo hoc sublunari, voluntate diuina parturire, quando triplicitates istæ in cælo malignis malignorum planetarum in cælo dominantium influxibus contaminantur.

Denique Triplicitas Terrea constat ex ♉ ♍ & ♑ est frigida sicca, melancholica atque terrestris, dura, nocturna & acuta vt acetum, sed remisse in gustu, ac fœminina: ex mundi plagis respicit Septentrionem, ex complexionibus, melancholiam, ex ætatibus decrepitam senectutem.

Guido Bonatus ait, quod ♉. Taurus imprimat in terram suam frigidam & siccam temperaturā, quę temperatura est causa creationis plurium rerum sensibilium. Huius signi gradu 18 priores sunt frigidi & sicci, & procreare solent melancholiam naturalem: reliqui vero gradus 12. sunt frigidi & sicci in principio primi gradus, & gignunt melancholiam aliquantulum à naturæ lege declinantem.

♍ Vir-

♍ Virgo est magis frigida & sicca quam ♉ & magis melancholica & grauis, estq; acuta sed remissa in gustu; agitq; in terram imprimendo in eam frigiditatem & siccitatem minus temperatam, & parumper ad destructionem inclinantem. Huius gradus 6. primi sunt frigidi sicci in gradu primo, gignuntque melancholiam naturalem frigidam & siccam in primo gradu. Reliqui ipsius gradus 18. sunt frigidi & sicci in gradu secundo, creantque melancholiam frigidam & siccam in gradu secundo. Denique sex ipsius gradus vltimi sunt frigidi & sicci in principio tertij gradus, pariuntque melancholiam præternaturalem frigidam & siccam in principio tertij gradus.

♑ Capricornus est magis frigidus & siccus quam ♉ aut ♍ & magis melancholicus, nociuus ac infortunatus, quatenus est domus nocturna Saturni qui est infortunium maius; est signum mobile & ponderosum, & de facile producit vlcera, tumores, porriginem, surditatem, scabies furfureas, cuiusmodi sunt impetigo, lepra, &c. Est autem hoc signum eo deterius, quoniam præterquam quod est domus Saturni, est exaltatio ♂ & casus ♃ atque detrimentum ☾. Vnde liquet quod eius natura sit conflata ex pluribus infortunijs, videlicet tam frigidis & siccis quam humidis oppressis & vnico frigido. Hinc ergo vlcera & siccæ scabies, &c. At quoniam est terreum signum, & in Septentrione habet dominium, ergo vento Circio ipsum esse applicandum sentio, vt ♍ Boreæ, & ♉ Aquiloni. Imprimit signum hoc frigiditatem & siccitatem intemperatam terræ, vnde animalium & fructuum incremento obest. Huius ergo constellationis 12. gradus primi sunt frigidi & sicci in gradu tertio, & gignunt melancholiam in gradu tertio, facitque hos morbos, videlicet dolores, inagilitatem & difficultatem in motu genuum, spasmum, podagram calidam, tabem, lepram, scabiem, possessiones malignorum spirituum, maniam, desperationem, atrophiam, qui omnes morbi sunt Septentrionales.

Ex istis igitur Astrologorum vulgarium obseruationibus facillime potestis colligere quod ab effectu prædictam nostram doctrinam de ventis confirmauerint, & quomodo spiritus Astrorum cœlestium generaliter suis influxibus agant in ventoso sublunari genere obseruatione sola perceperint; iuxta istud Asclepiadis; *Angeli seu dij cœlestes vniuersis dominantur; terreni incolunt singula.* Sed quoniam Astrologi illi in spirituale Angelorum dominium penetrare non potuerunt, ideo omnes has proprietates non stellarum seu constellationum istarum intelligentiis seu Dominis, sed ipsarum habitationibus ascripserunt. Quomodo autem venti quatuor cardinales hisce triplicitatibus respondent, ex figura ista præsenti colligere fas est.

Asclep. 14.



CAPVT VI.

In quo morbi à Saturni natura & mutationibus à ſigno in ſignum factis procreati explicantur; & primum de ipſius motu in ♉ ♍ ♑ ſeu triplicitate Terrea.

♄ *in* ♉.

SAturnus in gradib. primis 18 Tauri eſt frigidus & ſiccus in primo gradu: in 12. vltimis eſt frigidus & ſiccus in principio ſecundi, & producere ſolet in hoc ſigno melancholiam & morbos exinde orientes, & pituitam ſuperfluam cor & cerebrum poſſidentem, efficitq; vt ægroti videant multas phantaſticas viſiones; & vt malis cogitationibus, deſperatione, paſſionibus melancholicis, videlicet triſtitia, ſolitudine, vexatione & inquietudine, mania & mœſtitia obſideatur animus ipſius. Cancrum efficit, fiſtulam, podagram, conuulſiones ſeu ſpaſmos, paralyſim, ſtuporem membrorum morbillos, variolas, alui duritiem, flatum hypochondriacum, tumorem lienis, tympanitim atque plagas vlceroſas. Si ♄ retrogradus fuerit prima-

primarius morbi significator, gignit tumorem gutturis, squinantiam & morbillos. ♄ in ♉ retrogradus in domo quarta facit indigestionem hepatis, debilitatem retentiuæ virtutis ventriculi, vomitum propter nimiam melancholiæ phlegmaticæ copiam in hepate & stomacho. At ipse in ♉ in sexta facit stipticitatem alui ob nimiam melancholię in intestinis copiam; similiter colicam passionem & dolorem gutturis, ita vt patiens cum facilitate deglutire nequeat. ♄ directus in nona domo, existensq; simul Dominus horæ, & Dominus domus sextæ facit fluxum melancholicum, & colli dolorem seu constrictionem. At si in ♉ in octaua retrogradus producit alui duritiem. Si ♄ in ♉ in 12. retrogr. facit tumorem lienis & siccitatem ex vento & melancholia.

♄ in ♉ in decima in ☌ cum ☿ existente Domino horæ ☾ separata ab ☍ ☉ in ♊ facit variolas, phrenitidem & maniam. Ipse in ☌ cum ☿ generat maniam.

♄ in ♉ ☾ sep. a ☉ in ♊ arguit variolas.

♄ in ♉ in domo sexta ☾. in △ ad ♄ ex ♍ & in □ ♂ in ♊ efficit variolas.

♄ in ♉ direct. in 12. cum □ ad ♌ facit vlcera saniosa in gutture & brachijs, fistulas, & ossium corruptionem.

♄ in ♉ in ☌ cum ☾ gignit Epilepsiam, icteritiam flauam, lepram, fistulas, morphæam, podagram, spasmum.

Nota quod dominum sextæ domus vocamus morbi significatorem, quare respiciendus est locus in quo ipse in figura reperitur.

Si ♄ reperiatur in primis 6. gradibus ♍ erit frigidus & siccus in secundo gradu, facietq; intemperiē à frigore & siccitate. At si in gradibus vilis ex 18. erit frigidus & siccus in gradu. 3. In vltimis vero 6. gradibus erit frigidus & siccus in principio 4. grad. & generabit multum melancholiæ & phlegmatis viscidi: quod si occupauerit hepar efficiet indigestionem & ventriculum frigidum & siccum: At si illa materia transeat ad lienem, faciet tumorem & dolorem eiusdem, & in hypochondrijs dolorem ventosum & icteritiam nigram. At si melancholica illa intemperies ad cor penetret, efficit mœstitiam, & prauas gignit in animo imaginationes propter diuturnam cordis contractionem, cuiusmodi sunt desperatio, timor, & istiusmodi aliæ passiones melancholicæ. Si vero illa ascendet ad cerebrum, tristitiam, solitudinem visionesque terribiles & phantasticas parit, cum vigiliis & pauco somno propter vaporis siccitatem. Hinc ergo talibus ægris dæmones & maligni spiritus apparere videntur cum huiusmodi alijs spectris timendis. Si intemperies hæc in ventrem & viscera cadet, generat colicam passionem cum magno dolore & siccitate intestinorum. At si ad renes permeat cudit calculum, facitq; obstructiones in ipsis. Si ad matricem peruenit est in causa quod menstrua retineantur; matricis suffocationem agitat, flatumq; in ea nimium recondit, similiter molam matricis, falsasq; conceptiones profert. Si in vesicam tendat, calculum in ea producit & strangutiam. Si vero in extremas corporis partes veniat, videlicet in brachia manus, tibias vel pedes, obstruit in ijs venas, & ita atrophiam gignit in ipsis cum doloribus, podagra, nodis & simlib. Si cadat super longaonem seu rectum intestinum, hæmorrhoidas tam occultas quā manifestas parit. Si autem habeat dominium suum in vniuersum corpus, efficit consumptionem seu tabē, & quandoq; tumorem totius. Si in particulari interno quiescit, parit febrem quartanā, conuulsionē, paralysim, maniam, cancrum, tympanitim, stuporē membrorum, consumptionem membri in pueris, dolorem iuncturarum. Si in visceribus desiderium cum magno conatu egerendi & cum minimo effectu, & quod egeritur durum & concretum existit, adestque dolor lumborum & coxendicum, & flatus in ventriculo.

♄ dominus horæ & morbi effector & ☾ separans à ♄ & ☾ sit in angulis efficit insaniam seu maniam à nimia melancholia in cerebro.

♄ significator morbi in ♍ & ☾ se separans à ♄ ad ☿ in ♍ retrog. in sexta efficit desperationē & melancholiam & maniam; & patiens canet, ridebit, & plura loquetur, manusq; suas circumrotabit, scandet in altum, erit timidus, & pauore dæmoniorum percutietur atque veneficarum, & multū de re luxuriosa loquetur, & cantilenas venereas atq; luxuriosas edet.

♄ in ♍ in sexta domo ♃ dom. in ♓ retrog. aspiciat ☾ in ♒ separata à ♀ in ♎ denotat febrem volatilem in muliere ex sanguine, aqua & melancholia mixtis, ardorē & æstum quandoq; in ventriculo, quādoq; in dorso, & nonnunq̄ in lumbis & tibijs quæ tumore inflantur.

♄ in ♍ existens dominus horæ ☾ separās à ☿ in ♎ post applic. ♄ facit colicā ventosam, & frigiditatem magnum intestinorum, ita vt patiens prouocabitur ad secessum seu ad ventris euacuationem multoties in die sine aliquo fere successu, sed ventum in intestinis murmurantem, & præcipue infra vmbilici regionem, qui sursum versus humeros patet, doloremq; in lumbis gignet: atq; hic ventus ex viscida pituita & melancholia nigra prouenit.

♄ in ♍ retrog. in sexta ♃ in ♈ dominus horæ in ♉ separatus à ♀ in ♒ efficit hæmorr-

rhoides in partibus secretis mulieris, & in ano viri, à melancholia & cholera cum sanguine.

♄ in ♍ retrog. ☍ ad ♀ ♃ dom. horæ in ♈ & ☽ separata à ☉ in ♒ efficit suffocationem matricis & dolorem magnum in latere dextro: fitq; hoc ex nimia melancholia cum sanguine menstruo in matrice mixta.

♄ in ♍ ☉ dom. horæ in ♒ ☽ separata à ♄ applicat ad ☉ mulier habebit febrem & tremorem in corpore, & vexatione siue cura afficietur, aderuntque hæmorrhoides, & flatus multus in matrice.

♄ in ♍ retrog. asc. ☽ dom. horæ in ♎ separata à ☿ in ♑ existente in sexta applicante ad ♀ in ♒ gignit morbum Gallicum cum nodis & multo dolore pungente in capite à frigida & sicca melancholia sanguinem inficiente.

♄ in ♍ in septima ☽ in ♓ separata à ♀ in ♏ octaua sitq; inter ♀ & ♄ efficit in muliere magnum fluxum, & dolorem in dorso.

♄ in ♍ in sexta ☉ dom. horæ in ♑ ☽ in ♒ separata à ☉ in ♑ applicante ♀ in ♐ denotat pestem in homine & carbunculum in inguine, & quod eius hepar sit infectum, & dolore cordis & renum laborat.

♄ in ♍ in septima ☿ dom. horæ in ♑ applic. △ ♄ ☽ in ♓ separata à ☉ in ♒ facit phrenitidem, & plagam mortuam, & hæmorrhoides, à nimia melancholia & phlegmate sanguinem inficiente.

♄ in ♍ retrog. in septima & in △ ad ♀ in ♐ ♂ dom. horæ in ♑ ☽ in ♈ separata ♂ applicante ☿ in ♑ at à △ ad ♄ efficit plagã mortuã, hæmorrhoides, dolorẽ stomachi & renũ, & magnum rheuma, & tumorem in tibijs, ex nimia melancholia, cholera & phlegmate.

♄ in ♍ ♂ Dominus horæ in ♉ ☽ separata à ♄ efficit ventũ & dolorem in ventre & vẽtriculo, & catarrhum & oppilationem in pulmonibus à phlegmate & melancholia.

♄ in ♍ ☉ dom. horæ in ♌ ☽ separata à ♃ in ♊ facit multum dolorem capitis & vexationem animi & apostema in capite, & indurat ventrem, menstruorum obstructionem & catarrhum mulieri inducit.

♄ in 12 grad. ♑ est frigidus & siccus in quarto gradu, quare gignit in isto suo statu melancholiam extreme frigidã & siccam, cum phlegmate superficiali viscido, vnde podagram frigidam & nodosam in pedibus & iuncturis, maniam, atrophiam, desperationem, cancrum, lupum, febrẽ quartanam, conuulsionẽ, paralysim, passiones splenis, & neruorũ contractiones. At vero ipse in gradib. 18. vltimis ♑ est frigidus & siccus in extremitate grad. quarti supra vllum naturæ terminum vel ordinem, adeo vt ipse sit plane mortifer & venenosus, vtpote in isto statu gignens morbos melancholicos incurabiles, & plane possessiones facit eũ varijs spirituum Borealium vexationibus, cuiusmodi sunt desperatio, mania, idque in tanta vehementia vt seipsos fune, aqua vel gladio interficere tentent ægroti: similiter elephantiasim, lepram, lupum, cancrũ, conuulsiones mortales, paralysim periculosam, quartanã & calculum cineritium in vesica, colicam passionẽ cum flatu & tortura in visceribus rebelli, siccas oculorum infirmitates, tophos seu nodos, molam seu carnis superfluæ excrescentiam, callos pedum materiam gypseam in digitis & iuncturis, gangrænam membra mortificantem, per nimiam frigiditatem calidum innatum extinguentem, & extremam siccitatem humidum radicale voraciter absorbentem vel congelantem.

Hic obiter vos notare atq; diligenter considerare velim, quod qui nascuntur sub ♄ in ♑ quando ☿ est in ♍ in nona Dominus horæ, ita vt ♄ sit principalis constellator in natiuitate, talis erit aut propheta, aut dominium habebit super dæmones & spiritus, sæpissime cadet in exstasin aut in furorem diuinum, & ratione communi tales priuari solent, in quo statu prophetabunt, & de rebus diuinis loquentur, resq; profundæ scientiæ, cognitionis & momenti proferent sermone, nam in ijs inest naturaliter plenitudo cognitionis; amant vitam solitariam & in locis desertis seu solitudine viuere gestiunt, non delectantur rebus mundanis, ipsarum vanitates in odio habent, precibus, ieiunijs, & profundis contemplationibus sunt addicti, & ad perscrutanda atq; indaganda rerum occultarũ mysteria toto studio incumbunt. Istius ergo conditionis homines sunt inter cæteros homines quasi dij, quippe qui sunt naturaliter melancholici in quarto gradu; atque ob istam rationem diabolus nullam habet in tales potestatem: sed ipsi ex proprietate constellationis suæ dicuntur habere dominium & imperium super omnes dæmones & spiritus.

Verũ si quis nascatur melancholicus in secundo vel tertio gradu, ac tum postea propter abundantiã melancholiæ præternaturalis euadat melancholicus in quarto gradu, super talẽ habent dæmones potestatem, ipsumq; tentationibus & vexationibus persequi, ingredi atq; possidere, efficereq; vt manum in seipsum violentã inferat, vel fune, vel gladio, vel aqua, vel seipsum ab alto præcipitando destruat, omni conamine tentant, vti antea est dictum.

Atque ex istis quam exacte elicere potestis morborum septentrionalium radicem cœlestem

lestem consistere præcipuè in proprietate Saturni in signis istiusmodi Borealibus mouentis: nam Saturnus est principalis plagæ . . . . . præses & dominus, quemadmodum etiam Astrologis illud experientia sat liquidò declaratur: nam vbi hyemali tempore ♄ est in cœlo potens, atque in vno ex istis signis terrenis, plurimum gelu & niuis in aëre, aqua, & terra parere animaduertitur: imò verò ego ipse Astrologiæ istiusmodi communis obseruatione prædixi magnum illud gelu & frigus intolerabile, quod 9. vel 10. ab hinc annis vniuersam detinuit Europam, in quo præsagio eò me reddidi confidentiorem, quoniam omnes simul eodem tempore Planetas in domum ♄ frigidissimam, videlicet ♑ veluti in hospitium Saturni prædominantis receptos, Festum quasi Natiuitatis Christi tenere notaui. Atque ego in illius frigoris extremitate cùm à quodam equite aurato Nicolao Gilburno dicto, qui sororem meam natu maiorem pro vxore duxit, essem postulatus quando extremum illud gelu dissolueretur, cœlumque clementius se redderet, respondebam, quòd die ab hinc quinta, quæ erat illa Iouis sequentis, glacies solui inciperet: atque ita quidem calculo exacto res sese habuit, nam eadem die, hora secunda post Meridiem, obseruaui Martem se à Saturni radiis & dominio separantem aspectum fecisse cum ☾ in signo igneo migrante, quo iudicaui humidam aëris naturam olim contractiuo Saturni amplexu in Borealem naturam coarctatam, die illa igneò Martis liberi calore fore relaxatam, & in madorem pristinum Meridionalem conuersam: nam cùm Luna sit humorum domina, necesse est credere, quòd qualis est eius natura vel ligata vinculis Saturni, vel resoluta calore Martis, talis etiam erit aëris dispositio. Denique vti ego prognosticaui, ita quidem in ipsa hora euenit; nam gradatim ab ea dissoluta est glacies.

♄ *in Triplicitate Ignea* ♈ ♌ ♐.

Priusquam verò ad ♄ motum per Triplicitatis Igneæ signa peruenimus, vos obiter notare velim, quòd vt Planeta iste Septentrionalis seipsum cum naturis signorum Orientaliũ permiscere queat, & proprietates eorum induere, ita quidem ventorum Septentrionalium spermata cum illis Orientalibus quandoque ad meteoron mixtæ conditionis producendum se miscere; atque sic in reliquis reliquorum ventorum Planetis atque signis.

♄ in primis 18. gradibus ♈ est temperatus in caliditate & frigiditate, sed siccus est in gradu primo, spissam bilem flauam gignens cum melancholia, quæ simul mixtæ morbos in ventriculo tales, hepatisque obstructionem gignunt, & quandoque febres quotidianas obstructionibus stipatas, & sinistræ auris infirmitates. At verò ipse in vltimis 12. ♈ gradibus existens, est calidus in gradu primo, & siccus in principio secundi, generat magis spissam choleram flauam cum melancholia, quàm antea cum pituita salsa, oppilationes pungentes & rodentes ventriculum, atque etiam icteritiam flauam, febres & scabies.

♄ significator morbi in ♈ in ☌ cum ☾ in ascendente, efficit morbum caducum, bilemque atram, lepram, fistulas, & morphæam producit.

♄ in ♈ in ☌ cum ☿. facit leuitatem capitis & maniam.

♄ in ♈ in ☌ cum ♀. gignit febrem, debilitatem renum & spermatis.

♄ in ♈ in ☌ cum ♂. parit phrenitidem, surditatem, cephalalgiam, scabiem, lepram, serpiginem in capite aut apostemata.

♄ in ♈ in ☌ cum ♃. creat apostemata ventriculi aut dorsi.

♄ in ♈ in ☌ cum ☉. facit apoplexiam, cordis debilitatem, & syncopem.

♄ in ♈ cùm sit solus morbi significator, si sit dominus horæ, secũdùm tempus & Planetam à quo separat ☾. efficit morpham nigram, surditatem & debilitatem.

♄ in primis sex gradibus ♌ est calidus in primo gradu, & siccus in secundo, efficitque morbos varios. At in 18. gradibus vltimis calidus est in secundo gradu, & siccus in tertio, gignitque morbos ex spissa cholera flaua & melancholia; at cholera habebit dominium cum phlegmate superfluo, quæ procreabunt calidas & siccas, febres pestilentiales de 12. vel 14. horarum duratione, videlicet 6. horis calescentes, & totidem frigescentes, & admodum intensus erit ardor in ipsis cum extrema siti, & in fine paroxysmi syncope sæpe capiuntur ac si epilepsia laborarent; at post paroxysmorum recessum per septimanam vnam, duo vel tres ex minima intemperie reuertetur iterum febris, & quandoque in naturam pestilentiæ euadet. In quibusdam facit hæmorrhoides, calculum, dolorem dorsi, & cordis palpitationem ex pauore & timore, cum nocumento oculorum, & nonnunquam in febre assolent ægroti vomere, sentiuntque dolorem in fundo ventris; similiter parit stranguriam, hecticam, morbillos, pallidos colores, cardiacam & cholericam passionem, calculum

rubrum in renibus, dolorem circa superius ventriculi orificium à superfluitate fellis, & menstruorum retentionem. Denique ♄ in vltimis 6. ipsius gradibus, est calidus in principio tertii grad. & siccus in principio quarti, efficitque pestem febresque pestilentiales calidissimas, ex cholera rubra & melancholia cum humore phlegmatico superfluo ♄, sed siccitas excellit: facit etiam febrem hecticam, puncturam, flatum, & dolorem lateris, stomachi & capitis.

♄ dominus sextæ in ♌ ♃ dom. horæ in ♒ ☾ asp. à ♄ appl. ♀. in ♉. facit hæmorrhoides.

♄ in ♌ dom. sextæ ☾ in ♒ septima appl. ♃ in ♒ septima & ♂ in ♉ in nona, efficit debilitatem lumborum, ita vt patiens nec stare nec ambulare queat, arguit etiam venarum & neruorum obstructionem, & atrophiam totius.

♄ in ♌ dom. sextæ ☉ dom. horæ in ♓ ☾. separata à ♄ appl. ♃ in ♒. gignit febrem quandam ex cholera, melancholia & sanguine, adest calor & siccitas cum dolore stomachi & punctura in latere: similiter facit febrem cum eleuatione pulmonum ex cholera & phlegmate.

♄ in primis duodecim gradibus ♐ est calidus in tertio gradu, & siccus in quarto, efficitque morbos ex cholera rubea cum melancholia & pituita superflua, & cholera rubra habebit dominium, generatque ipse in hoc statu, Noli me tangere, febrem pestilentialem, carbunculum, guttam rosaceam faciei, calidam & siccam, podagram, hæmorrhoides, cancrum, contractiones neruorum, tumorem pedum, lepram & scabies furfuraceas & siccas. At ipse in vltimis gradibus 18. ♐ est calidus in principio grad. quarti, & siccus in extremitate grad. quarti, quare in hoc statu se habet contra naturæ leges, & consequenter est destructiuus, quippe humiditatis radicalis medullam subitò & velociter absorbens: porrò icteritiam facit flauam hepatis siccitatem & pulmonum, atque etiam morbos suprà nominatos.

♄ in ♐ dom. sextæ ☾ separata à ♂ in ♈ ♌ aut ♐ existens dom. horæ facit pestem & febrem pestilentialem calidam & siccam.

♄ in ♐ ☾ separata à ..... in ♏: gignit hæmorrhoides, guttam rosaceam in facie & variolas.

♄ in ♐ ☾ separata à ☉ in ♈. facit serpiginem & porriginem siccam.

♄ in ♐ ☾ dom. horæ in ♋. separata à ☿ in ♓: generat febrem duorum paroxysmorum & tumorem tibiarum.

♄ in decima ♐ retrogr. quarta ☾ separata à ♄. facit sciaticam, & dolorem lumborum & stomachi qui euenit per interualla.

♄ 14. ♐ & ☾ separata à ♃ in ♐ retrog. idem significat, sed patiens erit valdè calidus, eritque dolor admodum vehemens, fitque à cholera quæ est cum sanguine mixta.

♄ *in signis Triplicitatis Aëreæ, videlicet* ♊ ♎ ♒.

♄ in primis 18. gradibus ♊ est temperatus in omnibus quatuor qualitatibus, & tamẽ sanguinem melancholia aliquantulum inficit, cum pituita superflua, quæ in ventre pariunt morbos, videlicet flatus, colicam passionem, torturam intestinorum, tumorem femorum, & dolorem humerorum. At verò in duodecim vltimis eiusdem grad: est calidus & humidus in principio gradus primi, gignitque dulcem & spissam pituitam de sanguine & melancholia, sed sanguis habet dominium, facit autem morbos in ventre & intestinis, ac generat vermes & corrosionem in ventriculo.

♄ in ♊ dom. horæ 12. aut sextæ domus, directus, Occidentalis in nona, facit dolores in humeris & renibus, & lumbis, atque etiam tumorem crurum.

♄ in primis 6. gradib. ♎ calidus est & humidus in primo gradu, efficitque morbos ex sanguine cum melancholia & phlegmate superfluo corrupto, gignitque cruciatus, curas & vexationes animi, febres duorum paroxysmorum, pleuritidem & lateris puncturam, variolas & pestem: in pueris apostemata; fluxus alui, hæmorrhoides, obstructiones pulmonum, sudores frigidos, & calores subitaneos. At verò ipse in gradibus proximis 18. ♎ est calidus & humidus in secundo gradu, efficitque sanguinis infectionem à sanguine & melancholia atque pituita viscida ex parte ♄ & sanguis habebit dominium; gignit igitur pleuritidem, apostemata sub diaphragmate; & in dextro latere, eleuationem atque oppilationem pulmonum, cum sanguine à vexatione, febres duorum paroxysmorum; fluxus, variolas, hæmorrhoides, pestes, sudores frigidos, debilitatem, cordis dolorem, calores flatuosos, morbillos, tusses, catarrhos, vesicas, scabies vniuersales. Denique ipse

ipse in gradibus 6. in vltimis est calidus & humidus in principio tertii gradus, corrumpitque & indensat sanguinem cum melancholia & phlegmate crasso ex parte Saturni, facitque gonorrhæam, hydropem, & præcipuè in pedibus; multam sanguinis emissionem, sanguinis fluxum. Denique producit morbos omnes supradictos.

♄ in ♎ dom. sextæ domus in tertia existens dom. horæ ☾ separata à ♀ in ♊. generat dysenteriam, seu sanguinis fluxum densum, & hæmorrhoides in homine.

♄ dom. sextæ in ♎ in secunda ♂ dom. horæ in ♍ ☾ separata à ♀ in ♊. generat multam flatuositatem & dolorem dorsi, pulmonem eleuationum à sanguine & melancholia, dolorem capitis.

♄ dom. sextæ in ♎ cum ♂ in ascendente ☾ domina horæ in ♋ separata à ☉ in ♍ & à ♂ in ♎. facit sanguinis è naribus fluxum, multas curas & formidines, dolores capitis, dorsi & stomachi, & æger habet aluum stipticam, & pulmones fuliginosos & nigricantes à nimio calore.

♄ dom. sextæ in ♎ in secunda in △ cum ♀ in ♉ ☾ separata à ♄. procreat pulmonũ eleuationem, ex nimio sanguine & melancholia in pulmonibus, arguit etiam dolorem in ventriculo, & curas.

♄ dom. sextæ in ♎ ☿ dom. horæ in ♍ ☾ separata à ♃ in ♋. facit vexationem, & eleuationem pulmonum in muliere, atque etiam scorbutum.

♄ in ♎ ☾ separata ab aliquo Planeta in ♍. gignit pulmonum inflationem seu eleuationem.

♄ dom. sextæ in ♎ ascendens ☉ in ♌ dom. horæ ☾ separata à ☉. efficit febrem ardentem, dolorem dorsi, cordis curam seu vexationem, & pulmonum eleuationem.

♄ in primis 12. gradibus ♒ est calidus & siccus in principio quarti gradus, efficiens morbos ex abundantia sanguinis mixti cum melancholia & pituita; habebit autem sanguis dominium, gignitque apostemata in morbis supradictis, & sciaticam, epilepsiam, apoplexiam, dolorem capitis & dentium, & plurimas in corpore oppilationes.

♄ *in Trigono Aqueo ex* ♋ ♏ *&* ♓ *constante.*

♄ in primis 18. gradibus ♋ est frigidus in primo gradu, & temperatus in siccitate & humiditate, generatque morbos ex nimia pituita & aqua cum tenui melancholia permixta, frigida & humida, videlicet catarrhos, tusses, rheumata, pulmonum oppilationes & ventriculi, multum dolorem & puncturam in stomacho cum plagæ nigræ specie. At verò ipse in 12. grad. ♋ est frigidus in principio secundi gradus, & humidus in principio primi, generans morbos frigidos & humidos ex melancholia & aqua. Verbi gratia; debilitatem, lassitudinem & plagas nigras, atque istæ plagæ diu delitescent in carne instar musculi, & incipiunt ab osse, & diu sunt priusquam appareant: si iste humor ascendat in cerebrum, ægrotum faciet segnem & ad somnum pronum: si cadat in hepar, tunc plagæ egrediuntur & apparent in inguine & membris; si ad cor tendat, tum sub brachiis siue in axillis inuenient exitum, vel circa pectus: si in capite, tunc apparebunt vel circa collum, vel sub auribus: si humor residet in stomacho, tunc æger euomet multum: qui autem in corde vel cerebro inficiuntur, haud rarò die quarta mortem euadunt, atque taliter vt plurimùm dormiunt perpetuum, & simul euomunt.

♄ in ♋ existens primus morbi significator, facit dolorem in testiculis & partibus secretis, pestem nigram, tumores inguinum, dolorem crurum & cordis.

♄ dom. sextæ in ♋ ☉ dom. horæ in ♉ ☾ in ♏. separata ab ☍ ☉ ap. ☿ in ♊. facit dolorem crurum & tumorem genuum, & membrorum debilitatem & scorbutum.

♄ dom. sextæ in ♋ vndecima ☿ dom. horæ in ♊ ☾ in ♐ separata à ♂ in ♒. generat frigidam sciaticam in parte dextera se extendentem ad pedes vsque, multum etiam in stomacho dolorem & renum, atque etiam oppilationes plurimas.

♄ dom. sextæ in ♋ ☿ dom. horæ in ♊ ☾ separata ab ☍ vel □ à ♄. efficit pestem nigram.

♄ in primis 6. gradibus ♏. est humidus in primo gradu, & frigidus in secundo, generatque morbos ex multa putrida, fœtida, & salsedinosa atque corrupta pituita, & melancholia, sed pituita & aqua habent dominium, & superant sanguinem: implet corpus & sanguinem cum aqua corrupta; facit morbum Gallicum, febres frigidas, pestem nigram, non aliter quàm in ♋ est dictum; sed in maiori vehementia & malitia, vtpote cuius materia phlegmatica est magis corrupta & putrida; facitque pituitam acidam, vnde fit, quòd eorum sputum gustu

tum guſtu videtur acidum & acutum, idque præcipuè ſi humor ille colligatur in ventriculo: at ſi humor ſit in hepate, tunc incipit malum in dextro hypochondrio cum maximo angore: at ſi humor congregatur in magis interioribus moleſta ægro videtur reſpirationis facultas: ſi ſit in liene, tunc aderit ægroto grauitas & dolor in latere ſiniſtro; ſi in matrice, aderit dolor in lumbis, renibus, ſtomacho & partibus ſecretis, ſi in pulmonibus & ſpiritualibus tunc ſequetur tuſſis cum difficultate reſpirationis & grauedine ſtomachi, hepatis, non ſine indigeſtione, & appetitus comedendi diminutione: & ſæpiſſimè iſta pituita acida penetrat ad membra extrema efficiens iuncturarum dolorem, Arthritidem dictum, atque etiam dolores Gallicos febrem doloroſam, & dolorem in collo & capite cum laſſitudine, grauedine, debilitate, dolore muſculorum & mandibularum. At verò ſi inueniatur in gradibus proximis 18. ♏ erit humidus in ſecundo & frigidus in tertio, efficiens morbos antea recitatos ex acida pituita, & illos qui naturaliter ſequuntur ♄ in humidis ſtationibus. Denique ſi per gradus 6. vltimos ♏ migrauerit erit frigidus in principio quarti gradus, & humidus in principio tertii generans morbos antedictos qui in primis ♏ 6. gradibus contingunt, atque etiam fiſtulas, podagram, & dolorem grauem dentium atque mandibularum.

♄ in ♏ dom. 6. ☉ in ♉ dom. horæ ☽ ſeparata à ☿ in ♉. gignit lapidem in veſica & renibus cum euomitione, & ventris laxatione atque dolore haud exiguo.

♄ in ♏ retrogr. in quarta dom. facit hæmorrhoides.

♄ in ♏ octaua domo, dominus duodecimæ ☽ dom. horæ ſeparata à ♀ in ♃. facit matricis ſuffocationem.

♄ in ♏ dom. ſextæ in vndecimo retrogr. exiſtens dom. horæ ☽ in ♏ ſeparata à ♄ appli. ♃ in 19. ♍ ⚹ & ☿ in ♒ in ſexto, facit tuſſim magnam, pulmonum eleuationem, reſpirationis difficultatem à flatu, magnum calorem & ſiccitatem in ore, factam ab acida & ſalſa pituita, debilitatem tibiarum & dolorem laterum.

♄ dom. ſextæ in ♏ in quarto, & ☉ in ♊ dom. horæ ☽ in ♓ ſeparata à ♀ in ♋ duodecimo appl. ☿ in ♉ retrogr. facit nigram plagam in inguine, laſſitudinem, grauedinem, & defectum appetitus.

♄ dom. ſextæ in ♏ quinto & retrogr. ☽ in ♉ in nono, ſeparata à ♂ in ♋ decimo frigus gelidum creat in corpore, & rupturam ſub ♏ dolorem ſtomachi, humerorum capitis, tibiarum atque laterum & ventoſas in corpore excurſiones cum dolore & punctura in ventre colicam paſſionem. Tales ſi comedant lac, aut herbas frigidas, aut huiuſmodi alia; magnam ipſis afferunt moleſtiam, at ſi bibant vinum, aut aquam vitæ, aut aliquid zinziberis, & talia comedant id faciunt cum mali leuamine; nam facit ♄ in iſto ſuo ſtatu pituitam vitream.

♄ dom. duodecimæ in ♏ in octauo, exiſtens dom. horæ ☽ in ♏ ſeptimo à ♄ appli. ♂ in ♋. quinto ♀ in ☍ in ſexto, & ☉ in ♏ in ſexto, facit paralyſim & ſtuporem tibiarum à frigore, ſimul atque diſpoſitionem hydropicam. ♄ in ſexta ♏ ingrediente dom. ſeptimam ☽ decimoſexto ♏ ☉ 4. ♏ ſexta ♃ 26. ♍ ♀ 24. ♋ ☿ 2. ♎ ♂ 16. ♋ quinta ♄ dom. duodecimæ in ♏ dom. horæ ☽ in ♐ decimo, ſeparata à ♃ in ♎. & appli. ♑. facit infectionem ſanguinis, vt morbum Gallicum ♄ 9. ♏ nono.

♄ dom. duodecimæ in ♏ octauo ☿ dom. horæ in ♃ ☽ in ♒ duodecimo, ſeparata à ♀ in ♐ appl. ♄ facit nigram peſtem in inguinibus ♄ 14. ♏ ☉ 3. ♃.

♄ ſecundæ in ♏ 18. ♀ dom. horæ in ♊ ☽. ſeparata à ♂ 13. ♏ ſextæ appl. ☍ in 17. ♐ octaua 20. ♈ aſcend. facit Ictericiam nigram & fellis exundationem.

♄ dom. duodecimæ in ♏ ſeptimæ ☿ dominus horæ in ♑ decimo ☽ in combuſt. ſeparata à ☿ & à ⚹. ♄ appli. ♃ in ♏. gignit vexationem, & perturbationem animi ſeu mentis & deſperationem à melancholica paſſione, eritque patiens pauidus & timore facillimè perculſus, viſionesque tremendæ ipſi apparebunt: ſi ſit mulier carebit menſtruis; vexabitur pro nihilo quaſi, zelotypia facilè erit capta, & de omnibus ſuſpicioſa.

♄ dom. duodecimæ in ♏. & in ⚹ ad ♂ in ♍ ſeptimo ☉ in ♒ duodecimo dom. horæ. ☽ in ♓ in aſcend. ſeparata à ☿ in ♑ in ⚹ ♄ applic. ♂ & à ☌ ☿ & ♀ in ♃. facit morbum Gallicum in capite à ſalſo humore.

♄ dom. duodecimæ in ♏ 22. octaua ♂ dom. horæ, in ♐ decimo, nona ☽ in ♃. ſeparata à ♂ appl. ☉ in ♎ octauo, facit podagram & dolorem dentium per vices, conſumitque humidum corporis radicale.

♄ in 12. gradibus primis ♓ eſt humidus in grad. tertio, & frigidus in quarto generatque infirmitates valde frigidas & humidas, atque humorem aqueum, fœtidum & corruptum mixtum

mixtum cum melancholia. Hinc dicitur procreare morbum Gallicum, podagram frigidam, dolores in ossibus, arthriticam passionem, paralysim, fistulas, & qui sequuntur. At ipse in vltimis 18. grad. ♓ est humidus in principio quarti, & frigidus in extremitate quarti, & consequenter vltra naturæ limites corruptiuus, destructiuus & indigestionis pater, vnde etiam cognoscitur humidum radicale extinguere, propter intensam suam frigiditatem, mortificationem & corruptionem humidam inferre, atque membrorum mortificationem: quare certum est, quòd sit author perniciosorum & periculosorum morborum, cuiusmodi sunt podagræ frigidæ & humidæ, paralyses, fistulæ, morbi caduci, apoplexiæ, hydrops, morbus Gallicus, colica passio, torsio intestinorum, pestis nigra, tumores ex venenosis humoribus, rheumata, catarrhi, fluxus longi, euomitiones, febres frigidæ, mortificationes membrorum & naturæ, vti in gangrænis videre licet. Atque ita morbos à Saturno in quolibet Trigoni cuiuslibet signo peragranti procreatus luculenter expressos more Astrologiæ nostræ habetis, quæ est illa vulgari veritati propinquior, & abstrusæ Astrologiæ legibus consonantior.

Sed priusquam vlterius ad reliquorum Planetarum per triplicitatum quatuor signa seu membra peregrinantium proprietates morbosas explicandas progrediar, operæpretium fore puto artis vocabula vobis paucis in *capite sequenti* patefacere, vt ea ratione tam præcedentia Saturno dicata, quàm subsequentia lu[illegible] Lectori innotescant:

Capvt VII.

In quo quid intelligat Author, per qualitatum gradus, quid per significatorem seu dominum morbi, quid per horæ dominum, quid per separationem, applicationem, combustionem, ac tandem per aspectus perpaucis explicat.

Sciendum est; quòd primum caliditatis gradum vocamus cùm res aliqua habet vnā partem frigiditatis, & duas caliditatis: tunc enim planetam vel rem aliam dicimus esse calidam in primo gradu.

Secundus verò caliditatis gradus est cùm Planeta aut ratione sui aut cōstellationis quam perambulat, vnam frigiditatis portionem & quatuor caliditatis habet; tunc enim dicitur esse calidus in secundo gradu.

Tertius caliditatis gradus dicitur, quando res aliqua habet vnam partem frigiditatis, & octo partes caliditatis.

Quartus fit, quando Planeta vel per se vel ratione alterius, cui coniungitur vel inest vnicam continet in se frigiditatis portionem & 16. caliditatis.

Hoc idem de reliquis qualitatibus essentialibus est dicendum respectu graduum eorum.

Porrò considerandum est, quòd quilibet gradus habet suam longitudinem seu latitudinem, vt alii volunt; vnde certum est, quòd res aliqua differt longè in statu extremitatis gradus alicuius, vt puta primi vel caloris, vel frigoris, vel humiditatis, vel siccitatis à temperie in statu ipsius principii. Hinc mentionem fecimus de principio & extremitate gradus primi vel secundi, &c.

Per significationem autem morbi intendimus dominum domus sextæ in horoscopo seu figura & schemate cœlesti: at verò dominum alicuius domus eum vocamus Planetam, qui est potentior, & in dignitatibus eminentior in eo signi gradu qui inuenitur in cuspide domus sextæ. Domus autem sexta est præcipua morborum index, quippe in qua consistit summum morborum arcanum, vt illud vitæ nati ab ascendente vel angulo Orientis, vel prima domo expiscandum est, &c.

Pro domino horæ, & quomodo nimirum sit in qualibet septimanæ die inueniēdus, paucis idque mediante quadam demonstratione oculari, in *Technica mea Macrocosmi histor. Tract. 2. part. 10. lib. 3. cap. 2. sect. 2. part. 1. regula* 1. *&* 2. depinximus.

Separationem verò Planetæ vocamus, quando Planeta vnus relinquit alium per vnum gradum à vero aspectu, & semper separari dicitur ab alio quousque alterius radios euaserit: sic quidem Luna à Iouis congressu separari dicitur quousque per gradus decem cum minutis triginta remota sit. Atque hoc inprimis à diligenti Astrologo est obseruandum, quòd Planetę inferiores ad superiores applicantur, atq; iterum ab ipsis separantur, quoniam inferiores sunt motu superioribus velociores, sunt enim superiores inferioribus grauiores & tardiores, cum ♄ compleat suum cursum 30. annis, ♃ 12. ♂ 2. ☉ vno, &c. ☾ verò est omnium velocissima.

Applicatio verò Planetæ eſt quando orbis radiorum ipſius per medium ſemidiametri ipſius aſpectu aliquo cum alio commiſcetur, vel cum per gradus ſex aut medietatem radiorum aſpicientis alteri adhæret. De aſpectuum verò omnium videlicet vnius Planetæ ad alium ratione in *libri eiuſdem tertii, cap. 3. ſect. 2. part. 3. regula* 5. ſuccinctè cum demonſtratione oculari egimus, in qua etiam aſpectuum ⚹ □ △ ☍ & ☌ differentias expreſſimus.

Denique Planeta dicitur combuſtus, dum ſub Solis radiis ambulat, aut viam combuſtam percurrit; via autem combuſta ſumitur à 15. gradu ♎ vſque ad 9. ♏ gradum. Atque combuſtio eſt vnicum ex illis infortuniis quæ Planetis accidunt. Quid ſit etiam Planetæ Orientalitas & Occidentalitas, Septentrionalitas & Meridionalitas in *diſcurſu prædicto meo Aſtrologico* expreſſi.

His igitur in priori loco ponderatis ad ſecundæ Triplicitatis inquiſitionem procedemus. Quid autem ſit Triplicitas, & quòd ſit trium in Zodiaco ſignorum ex trigono ſeipſa reſpicientium connexio quæ ſimili fruuntur natura, in *Hiſtoria mea Aſtrologica, tomo de Microcoſmo* oſtendi.

CAPVT VIII.

De effectibus variis Iouis quatuor triplicitates perluſtrantis: & primum de eius conditione in triplicitate ignea, hoc eſt in ſignis ♈ ♌ ♐ mouentis.

IVpiter in primis 18. gradib. ♈ eſt temperatus in humiditate & ſiccitate, ſed calidus in primo gradu efficiës morbos ex tenui, acuta & flaua bile per ſanguinis corruptionem; quare gignit puſtulas, pruritus, ſcabies, febres quotidianas, dolores dorſi & cordis ardorem, ſanguinis vomitum, pleuritides, apoſtemata, eruptionem ſanguinis per pulmones. At verò ♃ in vltimis gradibus duodecim ♈ tendit ad ſiccitatem in principio gradus primi, facitque morbos de cholera magis ſpiſſa & acuta cum ſanguine mixta, & prædictos, ſed in natura magis ſicca & corrodente, ſimiliter generat ſerpigines, inflammationes, tumores cum inflammatione, febres acutas ex ſanguine, pleuritides & ſanguinis eruptiones.

♃ in ♈ eſt primus morbi ſignificator, in ☌ ad ☾ facit menſtruorũ oppilationes, aſcenſum eorum ad ſtomachum & guttur, matricis ſuffocationem, cordis debilitatem, leuitatem & dolorem capitis, ventris, renum, nauſeam, maculas rubeas in corpore & facie, ſubitaneam caloris emotionem, multam ſitim, inflationem ventriculi, defectum ſomni ſeu vigilias.

♃ in ♈ in ☌ cum ♀. facit Icteritiam flauam.

♃ in ♈ in ☌ cum ☉ in ♋. facit cachexiam & pallidos colores, & dolorem capitis, ſtomachi, cordis, & debilitatem membrorum.

♃ in ♈ & ♄ in ♌ gignit ardorem cordis.

♃ in ♈ coniunctus cum ☉ in ♏. facit obſtructiones ventriculi & in thorace, generatque peripneumoniam, euomitionem, febrem, quæ per vices poſſidebit patientem per 7. horas cum dolore cordis & ventris.

♃ in ♈ dom. ſextæ & ♄ in ♌ dom. horæ & ☾ ſeparata à ☌ ☉ in ♏ combuſt. facit in ventriculo multam corroſionem, cum dolore & anguſtia pectoris, obſtructionem pulmonum, extremum dolorem in ventriculo, conſumptionem partium, dolorem ventris cum tumore, frigeſcit ſimulque febre corripitur.

♃ in ♈ dom. horæ ♂ in ♈ dom. horæ ☾ ſeparata à ♃. facit multum calorem & æſtum in corpore, dolorem in renibus, veſica, & fundo ventris, gonorrhæam, ardorem vrinæ ab vlcere in veſica.

♃ in ♈ dom. ſextæ ☿ dom. horæ in ♊ combuſt. ☾ ſeparata à ♂ in ♊. efficit apoſtemata ex multo ſanguine & cholera inter renes & veſicam, gignit etiam multum arenularum in renibus & ſtranguriam.

♃ in primis 6. gradibus ♌ eſt calidus in 2. gradu, & ſiccus in primo, gignitque morbos de bile flaua denſa cum ſanguine mixta, ſed cholera habebit dominium efficiens apoſtemata, pruritum, ſcabiem, febres, calorem hepatis, Icteritiam; pulmonum eleuationem, Iſchiaticam, ſalſam pituitam, Serpiginem, morbum regium, apoſtemata capitis & gutturis, Squinantiam, pulmonum & ſtomachi obſtructionem. Si ♃ iungatur cum ♂ in ♌ ☿ applic. ad △ ♂ à ♓ & ☉ in △. ♃ à ♈ facit dolorem ventriculi, capitis, dorſique à multo ſanguine, ſimiliter manuum & pedum tumorem, putrefactionem in matrice. Si ♃ in ♎ iungatur

iungatur,& ♀ in △ ad ♄ à ♒ ☉ in △ ad ♃ à ♈ generat humorem venenosum, qui producit variolas siccas egredientes in pustulas. At verò ipse ♃ in 18. gradibus proximis ♌ est siccus in secundo gradu,& calidus in tertio efficiens morbos de spissa & rubea cholera & sanguine,sed cholera habebit dominium,facitque apostemata,febres,vlcera,tumores,carbunculos,sciaticam,dolorem crurum,& cordis ardorem,Icteritiam, eleuationem pulmonum. Si ♃ se iungat cum ♄ in ♎ & cum ♀ aut ☾ in ♑ facit scorbutum. Denique ♃ in vltimis sex gradibus ♌ est calidus in principio quarti gradus,& siccus in principio tertii,gignitque morbos ex cholera rubra mixta cum sanguine,sed cholera rubra habebit dominiũ, causans febres calidas atque ardentes, carbunculos, pallidos colores in virginibus, ignem Sancti Antonii cum morbis reliquis ante allegatis.

Si ♃ se iungat cum ☉ in ♓ : denotat hydropem & morbum Gallicum. ♃ in ♌ facit languorem,maculas rubras ex humore Venereo, & cordis oppressionem à nimia cholera & sanguine prope cor manente.

♃ in ♌ septimo facit tumorem tibiarum in ♒.

♃ in ♌ secundo gignit pleuritidem & dolorem cordis,dorsi,& laterum,à cholera rubra & sanguine.

♃ in ♌ septimo combustus,coniunctus cum ☿ in ♋. & ☉ in ♌ facit stranguriam,arenulas in dorso,colicam passionem,& torsionem in ventre.

♃ duodecimæ ♌ combust.in septimo ☉ dom. horæ in ♌ in ☌ cum ♃ ☾ in ♌ separata à ♄ in ♎. morbus erit de nimia cholera & melancholia cum sanguine,& vtplurimum erit obstructio pulmonum & generalis totius corporis dolor.

♃ in primis duodecim gradibus ♐ est siccus in tertio,& calidus in quarto efficiens morbos calidos & siccos à rubra cholera & denso sanguine,sed cholera abundabit. Generat ergo ♃ in isto statu siccitatem hepatis, guttam in facie rosaceam, febres ardentes breuiter finientes,apostemata, magnum dolorem in capite, siccitatem cerebri, Phrenitidem & Maniam,torsiones ventris,fluores sanguinis, hæmorrhoides, leuitatem capitis, calorem pulmonum & eleuationem eorum atque tumores vlcerosos. At verò ♃ in vltimis 18.gradibus ♐ est siccus in principio quarti,& calidus in extremitate quarti efficiens morbos de cholera rubra,videlicet Morbum regium,Noli me tangere, Phthisim, Peripneumoniam, Apostema in aure dextra,tusses siccas,febres pestilentiales,fluxus continuos menstruorum,oculos dolorosos,catarrhos calidos,& calidos siccosq; morbos,qui sunt lethales vtplurimùm, Pleuritidem,Apostemata pulmonum,&c.

Iupiter in Triplicitate Aërea, seu signis Zodiaci ♊ ♎ ♌ mouens.

♃ in gradibus primis 18. ♊ est calidus & humidus augens bonum & naturalem sanguinem,& virtutem naturæ augere facit,efficitque nihilominus morbos à plenitudine. At verò in gradibus 12. vltimis ♊ ipse est calidus & humidus in principio secundi gradus, augetque sanguinem abundanter,& caliditatem & humiditatem superfluas facit, à quibus fiunt pruritus,Apostemata,Pleuritis, Peripneumonia,fluxus sanguineus, hæmorrhoia narium, sanguinis vomitus,menstruorum fluxus, eleuatio pulmonum, matricis suffocatio à nimio sanguine hæmorrhoides,stranguria,synochus,seu febris à sanguine,synanche, tumores flatuosi,facies sanguine commaculata,purpura,capitis grauedo.

♃ in ♊ coniunctus cum ♂ in ♋. facit pustulas & perlas & febrem duorum paroxysmorum, cum dolore laterum & stomachi, pleuritidem spuriam, infectionem ab aqua salsa.

♃ in ♊ coniunctus cum ♂ & ☉ in ♊. facit maculas rubras,arenulas,debilitatem,catarrhum cum dolore in capite & pulmonibus.

♃ dom. sextæ in ♊ ♂ dom.horæ in ♋ ☾ in ♉ separata à ☿ in ♈ applic. ☉ in ♉. facit dolorem multum in fœminarum ventre, & obstructionem in pulmonibus & ventriculo à nimia pituita, facitque in ipsis capitis leuitatem, quæ per accessus eis instar febris aduenit.

♃ dom. sextæ in ♊ vndecimo ♂ dom. horæ ♌ in ascendente ☾ in ♈. separate à ☉ in applic. ♂ & ☿ in ♊ & in ☌ cum ♃ & ☿ in ✶ cum ☉ aut ♂ significat, quòd mulier habebit febrem ardentem cum dolore capitis,ventriculi,dorsi & ventris,& denotat fluxum & longam ægritudinem.

♃ in ♊ coniunctus cum ♄ in ♎. facit Icteritiam nigram in muliere,& multam curam & vexationem animi, similiter dolorem capitis,stomachi,pulmonum & renum.

♃ in ♊ cum ☉ in ♓. facit suffocationem vteri & dolorem in sinistro latere ab humore salso, & euomet ipsa mulier.

♃ in prioribus sex gradibus ♎ est calidus & humidus in secundo gradu, augens multum sanguinem calidum & spissum, facitque morbos antea à ♃ in ♊ nominatos, sed illi morbi erunt fortiores & in altiori mensura. At ipse in gradibus 18. sequentibus existens, erit calidus & humidus in gradu tertio augens calorem & humiditatem & caloris quantitatem, faciens morbos antedictos in grauiori mensura. Denique existens ipse in gradibus sex vltimis ♎ est calidus & humidus in principio gradus quarti, augetque sanguinem in hepate & pulmonibus abundanter, facitque morbos antedictos adhuc ferociores; atq; etiam Phrenitidem & Maniam.

♃ in ♎ dom. duodecimæ, aut sextæ, aut in sexta dom. horæ & ☾ separata à ♃ in ☍ cum ♀ in ♈. facit squinantiam & tumorem gutturis.

♃ in ♎ in △ ad ♀ in ♊. facit Pleuritidem.

♃ in ♎ in □ ad ♀ in ♋. facit squinantiam seu apostemationem ventriculi, & febrem duorum paroxysmorum, & rheuma in oculis.

♃ in ♎ in △ ad ♀ in ♒. facit apostemata, aut inflammationem, aut combustionem, vt Erysipelas in tibiis, &c.

♃ in ♎ ☾ separata à ♂ in ♋. efficit apostemata ex sanguine & aqua in matrice, febrem duorum paroxysmorum, dolorem in ventriculo capite & lumbis atque tibiis.

♃ in ♎ tertio dom. horæ in nono ☾ separata à ♄. facit tertiam melancholiæ speciem, videlicet tristitiam, vexationem animi, & desperationem.

♃ in prioribus duodecim gradibus ♒ est calidus & humidus, gignitque sanguinem multum fæculentum, densumque cum morbis in vltimis 18. gradibus. At verò in vltimis 18. gradibus ♒ est calidus & humidus in extremitate quarti gradus: vnde liquet quòd excedat terminum naturæ in ista sua proprietate: quare efficit plurimos morbos periculosos ex abundantia grossi sanguinis productos, cuiusmodi sunt Pleuritis, apostema, petipneumonia, suffocatio matricis, menstruorum profluuium, hæmorrhoides, menstruorum reuulsio in mulieribus prouectioris ætatis, sanguinis vomitus, eruptio sanguinis è naribus, dysenteria, descensus mensium in grauidis, ac denique inflammationes.

♃ in ♒ coniunctus cum ☉ aut ♂ in ♊ ♎ aut ♒. facit sanguinem valdè crassum & nimium calidum in se cum paucillo choleræ permistæ.

♃ in ♒ coniunctus cum ☉ aut ♂ in ♉ ♏ aut ♑. facit hæmorrhoides, ignem Sancti Antonii, inflammationes & febres.

♃ in ♒ coniunctus cum ☉ aut ♂ in ♋ ♏ & ☾ separata à ♃ applicata ad ☉ aut ♂. efficit sanguinem infici à nimia pituita seu aqua cum tenui cholera, aut sanguis putrescit.

♃ in ♒ ☍ ad ♄ in ♌. efficit mulieres multas etiam partum gerentes habere menstruorum descensum.

♃ in ♒ dom. duodecimæ aut sextæ in ☍ ad ♄ in ♌ retrogr. & ☾ in ♉ ♏ aut ♑ & ♂ in ♏. efficiet vt sanguis sit niger & corruptus, & cholera rubra atque melancholia permistus.

♃ in Triplicitate Aquea ex ♋ ♏ & ♓ consistente.

♃ in gradibus 18. prioribus ♋ est temperatus in caliditate & frigiditate, sed humidus in primo, generans choleram vitellinam in qua aqua seu pituita habebit dominium supra sanguinem, vnde horum commixtione generantur morbi sequentes. At si ♃ inueniatur in vltimis duodecim gradibus ♋. erit frigidus in principio primi & humidus in principio secundi gradus, gignens multam pituitam & aquam sanguine permixtam, & phlegma habebit dominium, eritque humor viscidus, frigidus, humidus, & viscosus, faciens dolorem in stomacho & pulmonibus, puncturam, corrosionemque circa cor, & stomachum, cibi fastidium, vomitum, ipissa rheumata, apostemata ex frigida pituita, pulmonum obstructiones, scabies, multum flatum, duritiem ventris, & vermes in infantibus, gonorrhæam, morbos vesicæ & partium secretarum, vrinæ difficultatem, stranguriam, diabeticam passionem, hydropem in manibus & aliis membris, apostemata, debilitatem, vigilias, morbum caducum, fluxum ventris, morbum Gallicum, ossium dolores, raucedinem, &c.

♃ in ♋ dom. sextæ in ☌ cum ♂ & in ⚹ cum ♄ in ♉. facit vomitum & alui fluxum.

♃ in ♋

♃ in ♋. & ☽ separata à ♂ in ♎ facit gonorrhæam, apostemata renum, & dolorem vrinæ.

♃ in ♋. & ☽ separata à ♄ in ♎ facit luem Veneream, & si ♂ sit in ♎ dom. horæ ☽ separata à ♄ in ♎ in ♃ in ♋. idem.

♃ in ♋. ☉ dom. in ♍ & ☽ à ♄ in ♎ facit impedimentum conceptionis mulieris, nam prouocat menses, affertque dolorem ventris & dorsi.

♃ in ♋. existens dom. horæ dom. duodecimæ seu sextæ gignit dolorem stomachi, tumorem hepatis, hydropem, frigiditatem stomachi ex multa aqua.

♃ in ♋. ☽ dom. in ♋. separata à ♂ in ♎ facit Epilepsiam, multum vomitum & eleuationem vaporum in ventriculo.

♃ in ♋. coniunctus cum ♄ ☽ separata à ♂ ambo in ♎ facit variolas, gonorrhæam, & dolorem mandibularum, at si sit in homine fit ab humore Venereo.

♃ in ♋. ♄ dom. horæ in ♎ ☽ in ♒ separata à ♀ in ♋. applic. ♄ facit calculum vesicæ, fluxum, diabeticam passionem, & vrinæ impedimentum; denique generat pituitam salsam.

♃ in ♋. dom. duodecimæ ☽ in ♑ separata à ♃ appl. ♂ in ♏ in ☍ cũ ☿ in ♉ facit vermes & alui duritiem in pueris, in adultioribus aptitudinem ad morbum Gallicum & dolorem in ossibus & musculis.

♃ in ♋. existens dom. horæ ☽ in ♋. combusta, separata à ♃ mulier habebit multum dolorem in capite, & vanis motionibus, cogitationibusque phantasticis cum pulsatione in vertice capitis afficietur: facit etiam quandoque apostema in capite, & tumorem corporis.

♃ in ♋. dom. sextæ ☉ dom. horæ in ♌ ☽ in ♊ separata à ♄ in ♎ appl. ☉ dolorem capitis, renum, ventris, stranguriam, multum pituitæ in stomacho, & ventositatem in ventre, atque rheuma, & motum in venis excurrentem facit.

♃ in ♋. dom. sextæ ☽ separata à ♂ in ♍ appl. ☿ in ♋. facit scorbutum, dolorem capitis, genuum, tibiarum, matricis præcipitationem.

♃ in ♋. ☽ dom. horæ in ♉ separata à ☉ in ♌ appl. ♃ facit schiaticam, & dolorem pedum, ac podagram.

♃ in ♋. dom. sextæ ♄ dom. horæ in ♎ asc. ☽ in ♊ separata à ♄ appl. ☿ in ♌ & ☌ cum ♄ & ♂ facit timiditatem in muliere, habetque curas & vexationem animi, dolorem dorsi & stomachi, eritque ad vomitum procliuis, habebitque duas maculas nigras sub auribus.

♃ in ♋. septimo dom. horæ in ♎ ☌ ad ♀ ☽ separata in ♍ in ☌ cum ☿ appl. ♄ facit scabiem illam quam vulgus vocat, swine pox, pulmonum & stomachi obstructiones, & vaporum à superioribus inferiora versus excursus.

♃ in septimo ♋. coniunctus cum ♂ in ♍ & in ☍ cum ☿ ☽ separata à ♀ in ♎ in ☌ cum ♄ facit prædictum morbum dum swine pox.

♃ in 6. primis gradibus ♍ est calidus in gradu 1. & humidus in secundo gignitque choleram vitellinam cum humore veniente ex sanguine & pituita mixto, sed pituita habet dominium vt 2. ad 1. facitque in hoc statu, morbos frigidos, febresque tales, podagram, chiragram, schiaticam, tumorem cum dolore membrorum secretorum, apostemata, rheumata, fistulas, catarrhos, tusses. At vero in 18. sequentib. gradib. ♍ ipse est calidus in secundo gradu & humidus in tertio generans choleram vitellinam ex sanguine & phlegmate multo stiptico compactam, quasi 3. ad 1. se habens phlegma ad sanguinem, facit in pueris vermes in adultioribus morbum Gallicum & fistulas. Denique si ♃ sit in aliquo ex vltimis gradib. ♍ est calidus in principio grad. 3. & humidus in principio quarti generans choleram vitellinam, ex fœtido, salso & putido phlegmate cum cholera, sed phlegma habet dominium, & se habebit ad choleram vt 4. ad 1. in commixtione, & in tali statu generabit morbos superius allegatos, cum Epilepsia, colica passione, obstructione pulmonum, consumptione corporis & membrorum, indigestionem, dolores frigidos in ossibus, dentibus & musculis, scorbutum, tumorem iuncturarum, gonorrhæam, cum erosione in ventriculo & ventre atque capite.

♃ dom. duodecimæ in septimo ♍ ♂ dom. horæ in ✱ cum ♀ in duodecimo & ☽ separata à ♂ facit languorem à contusione in testiculis, & implebitur patiens pituita frigida.

♃ in ♍ dom. duodecimæ in septimo ☽ in ♌ separata à ♓ faciet multi sanguinis eruptionem in pleniluniis, si ☿ in ♓ sit dom. horæ, migrabit malum in naturam peripneumoniæ aut apostema pulmonum.

♃ in primis 12. gradib. ♓ erit frigidus in gradu tertio & humidus in quarto generans magnam quantitatem salsæ pituitæ & phlegmatis putridi commixti cum sanguine, sed phlegma dominabitur, causans morbos inferius allegatos. At si ♃ inueniatur in aliquo ex se-

Bbb 3 quenti-

quentibus ♓ gradib. 18. erit frigidus in principio quarti & humidus in extremitate quarti supra seu vltra leges naturæ, facitque ægritudines admodum periculosas & vix curabiles, nisi in bono tempore suscipiantur, videlicet Hydropem, morbum Gallicum, podagram frigidam & humidam, hepatis corruptionem, ventriculi corrosionem cum assiduo dolore, puncturam in capite & dentium dolorem, rheuma, vermes stomachi plenitudinem hepatis & stomachi, febres quotidianas, quæ cum extremo frigore vexant tam externa quam interna, & sub nothis costis & in coxis, collo & humoribus.

♃ in ♓ coniunctus cum ♂ in ♑ & ♄ retrogr. facit in muliere podagram, fluxum ventris, dolorem cordis, & debilitatem membrorum.

♃ in ♓ coniunctus cum ♄ in ♍ & ♀ in ♌ facit dolorem, prauitatem stomachi, dolorem laterum & ventris, calculum, frigiditatem ossium, & febrem ex viridi cholera & pituita.

♃ in ♋. coniunctus cum ☾ & ☉ facit morbum Gallicum, leuitatem capitis, magnum frigus in capite dorso & pectore.

Iupiter in Triplicitate Terrea ex signis ♉ ♍ & ♑ consistente.

Iupiter in primis gradibus 18. ♉ est in suis qualitatibus temperatus, sed nihilominus in tali eius statu sanguis est ad dispositionem melancholicam & cholericam pronus, & in melancholicam atque biliosum succum facillime conuertitur, vnde aptus est procreare morbos à viscido phlegmate ortos. At vero in gradib. 12. vltimis ♉ est frigidus & siccus in principio grad. 1. generans infirmitates ex sanguine & melancholia, at melancholia sibi vendicat dominium. Efficit ergo in hoc statu obstructiones hepatis & lienis, stipticitatem ventris cum dolore quandoque intestinorum, colicam passionem, calculum, squinantiam, scabiem, apostemata, pruritus siccos, Anginam, flatus à loco in locum currentes.

♃ in ♉ dom. sextæ in aspectu cum ♄ in ♍ & ☾ separata à ♄ facit crassam melancholiam, videlicet humorem melleum & lutulentum, qui faciet scabiem in facie & manibus cum pruritu sicco instar serpiginis, efficitq; tumores duros difficulter curabiles, calculum pallidum, & colicam ventosam.

♃ dom. sextæ in ♉ in △ cum ♄ in ♍ ☉ in ♊ dom. horæ facit apostema in hepate ex melancholia nigra, seu atra bile.

♃ in ♉ dom. sextæ in △ cum ♄ in ♍ & ☾ separata à ♄ appl. ♂ in ♍ facit colicam passionem, calculum renum & vesicæ, multum doloris in fundo ventriculi, angores, grauedinem & indispositionem.

♃ in gradib. 6. primis ♍ est frigidus & siccus in primo gradu, gignitque choleram æruginosam & prassinam, qui humor est ex quadam melancholiæ specie procreatus: atque in ista compositione sanguis & melancholia habent dominium, facitque fissuras, verrucas, nodos, morbillos, rigiditatem membrorum, fluxus, dolores in genibus & ventre, atq; neruis, stipticitatem ventris, oppilationes, apostemata, hæmorrhoides, & colicam passionem. At vero ipse in proximis 18. gradib. ♍ est frigidus & siccus gradu secundo gignitque melancholiam cum cholera. In vltimis gradibus 6. ♍ est frigidus & siccus in principio tertii generans morbos ex cholera rubra & melancholia, sed melancholia habebit dominium: facit etiam consumptiones corporis & membrorum, dolorem lienis & iuncturarum atque neruorum, febres iuncturales & quartanas.

♃ in ♍ coniunctus cum ♂ in ♍ facit vermes in ventre, & morsum seu corrosionem intestinorum, colicam passionem ab humore putrido & dolorem capitis.

♃ in ♍ retrogr. occident. in decimo & in ✱ ad ♂ in ♍ facit fistulas vlcerosas, & vlcera saniosa in pedibus & tibiis ac dorso ab humore putrido & salso.

♃ in ♍ direct. facit tumorem in ventre & pedibus & latere à malo flatu melancholico.

♃ dom. 6. in ♍ vndecimo ☾ in ♌ decimo separata à ☿ in ♍ duodecimo appl. □ ♄ in ♏ facit illam hydropis speciem quam tympanitem vocant, similiter ascytem cum ventris & tibiarum tumore, variisque in corpore apostematibus.

♃ in primis 12. gradib. ♑ est frigidus & siccus in tertio gradu generans melancholiam mixtam cum sanguine, sed melancholia habebit dominium. At si in gradib. 18. vltimis, est frigidus & siccus in principio quarti gradus gignens morbos de tenui melancholia & sanguine, sed melancholiâ habebit dominium, efficietque morbos gutturis, vt est squinantia, febresque spurias, apostemata, verrucas, molas, nodos, debilitatem sensuum & membrorum, multum flatum, morsum & puncturam in ventriculo, & vomitum, hæmorrhoides, &c.

♃ in ♑

♃ in ♑ dom. horæ, facit tumores genuum, melancholiam internam & cancrum.

♃ in ♑ coniunctus ☉ in ♊ facit indigestionem, cibi vomitum, leuitatem capitis, morbum ex plenitudine febres calidas cum innaturali calore.

♃ in ♑ coniunctus cum ♂ in ♒ facit multam ventositatem in corpore, defectum sensuum, debilitatem membrorum, dolorem capitis, fluxum alui.

♃ in ♑ coniunctus cum ☾ in ♐ & ☉ in ♉ facit cachexiam & angustiam respirationis, obstructionem venarum, melancholiam, dolorem capitis & colli, & extremitatum pollicis & digitorum, & tibiæ sinistræ, facit timidum & implet flatu, gignitque animi perturbationem.

♃ in ♑ coniunctus cum ☿ in ♑ facit febrem quartanam incipientem cum tremore & frigore, & tum postea vehementer ardet & siti afficit, & quandoque exanimationes habet, ac si morbo caduco caperetur.

♃ in ♑ coniunctus cum ♂ dom. horæ in ♒ & ☾ separata à ☉ in ♊ gignit calculum & vomitum & dolorem in ventriculo ac hepate, & sputum sanguinis, & leuitatem capitis, & dolorem in læuo latere, & respiratio eius fit cum dolore & difficultate.

Capvt IX.

De morbis variis, quos producit Mars per quatuor Triplicitatum Zodiaci signa transiens, & primum de eius effectibus insalubribus, dum per signa Triplicitatis Igneæ, videlicet ♈ ♌ & ♐ transit.

Mars in 18. primis gradibus ♈ est calidus & siccus in principio primi gradus, gignitque calidos & siccos morbos ex flaua & rubra cholera cõsistẽtes, sed cholera flaua habebit dominiũ. At ♂ in 12. vltimis gradib. ♈ est calidus in 1. gradu actiuus, bilem præternaturalem generans, videlicet multum choleræ flauæ & rubeæ, sed flaua habebit dominium vt 2. ad 1. facitque febres calidas & siccas, pruritus, Icteritiam, oppilationes hepatis, cystis fellis inundationes, duritiem & dolorem in dextro latere, tumorem in ventriculo, dolorem capitis, pustulas faciei cum maculis rubris oculorum; phrenitidem & maniam; febres calidas vrentes, atrophiam, cancros, serpigines, gonorrhæam, inflammationes, herpetes, erysipelatem, scabiem siccam, vlcera calida atque corrodentia, atque exurentia carnem, cuiusmodi sunt herpetes erodentes, &c. similiter calculum & arenulas, inflammationem, lepram, &c.

♂ dom. horæ in ♈ ☾ separata à ☿ in ♉ facit dolorem in recto humero à cholera nimia & melancholia; similiter obstructionem venarum, & cursus venarum à nimio calore.

♂ in ♈ in ☌ cum ♃ efficit sanguinis grossitiem, apostemata, dolores & obstructionem venarum à nimia cholera & sanguine.

♂ dom. sextæ in ♈ ☾ dom. horæ in ♌ combust. separata à ☿ in ♌ facit dolorem multum cordis, lumborum, capitis & laterum, similiter & febrem à multa cholera & calore.

♂ dom. sextæ in ♈ existens dom. horæ, & ☾ transeat à ♂ in ♈ facit Erysipelas, seu ignem sancti Antonii, febres ardentes, calidas pustulas & maculas à multa bile & calore.

♂ dom. 6. in ♈ ☿ dom. horæ in ♍ in ascend. facit dolorem capitis & tibiarum; & tumorem tibiarum ab humore Venereo mixto cum nimia cholera.

♂ in ♈ in ☌ cum ♀ facit gonorrhæam.

♂ in ♈ in ☌ cum ♄ facit Phrenitidem, lepram in facie, pustulas & surditatem.

♂ in ♈ in ☌ cum ☾ gignit Apoplexiam.

♂ in ☌ cum ☾ & ☿ dom. horæ in 69. ♍ aut ♓ facit morbum caducum.

♂ in ♈ ♌ aut ♐ facit ignem sancti Antonii, seu Erysipelas ex abundantia choleræ, similiter Phrenitidem, pustulas, scorbutum, pruritum & pituitam æstuosam.

♂ in primis 6. gradib. ♌ est calidus & siccus in principio gradus secundi generans choleram rubram & flauam, sed flaua habebit dominium efficiens morbos cordis, cystis fellis, hepatis, & dorsi, obstructiones hepatis, cardiacam passionem, paralysim, syncopen, & ardentes febris, similiter pestilentiam cum magno calore & siccitate. At vero ipse in gradib. 18. sequentibus est calidus & siccus in gradu secundo faciens morbos ex spissa & rubra cholera, morbos supradictos generante, sed in altiori gradn, atque etiam phrenitidem, hæmor-

hæmorrhoides, voluulum, Noli me tangere, gonorrhæam, calculum, & dolorem ventris. Denique in gradib. vltimis 6. ♌ est calidus & siccus consumptiuus in tertio gradu generans multum choleræ spissæ, rubræ admodum calidæ & siccæ, vrentis atque consumentis humiditatem radicalem, facitque morbos supra nominatos.

♂ per se solus significator in ♌ in △ ad ☿ in ♓ facit arenulas calidas, ardorem vrinæ & gonorrhæam.

♂ coniunctus cum ♄ in ♎ facit multum sanguinis & melancholiæ, faciens consumptionem naturæ, dolorem stomachi, lateris & coxendicis ac brachiorum, dolorem & ventositatem dorsi ac humerorum, gignitque timiditatem si ☿ sit dom. horæ in ♒ in △ ♄ si ☿ aspiciat ♂ in tali casu à ♓ habebit patiens tussim & obstructionem pulmonum ab humore venenoso.

♂ in ♌ dom. duodecimæ ♄ in ♌ dom. horæ ☾ in ♌ separata à ☿ in ♋. appl. ♀ in ♌ & ♄ facit gonorrhæam, & fluxum menstruorum alborum in fœminis.

♂ in ♌ ♄ dom. horæ in ♌ ☾ in ♎ separata à ♂ ♃ in ♒ retrogr. facit tumorem in brachiis, facie & fundo ventris à nimia cholera mixta cum sanguine.

♂ in primis 12. gradib. ♐ est calidus & siccus in quarto gradu, gignens morbos ex cholera rubra admodum calidos & siccos & consumptiuos, vnde pestes vehementer cum extremo ardore grassantes, febres valde vrentes, carbunculos, pustulas seu vesicas atque petechias pestilentiales, hæmorrhoides malignas & mortiferas, quales fuerunt inter Ashdodæos, cancros, luposque malignos, consumptiones, tumores tibiarum æstuosos, podagram calidam, siccam & gypseam, serpiginem, purpuram, tumorem ventriculi, dolorem in dextro latere ex folliculi fellis obstructione, plurimas ex renibus arenulas. At ♂ in gradib. 12. vltimis ♐ est calidus & siccus in fine quarti & consequenter supra naturæ leges, facileque humidum radicale absorbens & consumens, facitque morbos antea relatos, sed in eminentiori gradu.

♂ in ♐ combust. & in ⚹ ad ♄ in ♎ ☾ dom. horæ in ♈ separata à ♀ & ☿ in ♏ appl. ♄ in ♎ generat hæmorrhides in homine.

♂ in ♐ dom. horæ ☾ in ♑ combust. separata à ☉ appl. ☿ in ♑ combusto, facit dolorem in vrina, gonorrhæam & calculum.

♂ in ♐ coniunctus cum ☿ in ♎ & ♄ in ♏ gignit febrem pestilentialem cum tumore in ventriculo, & dolorem dorsi & iuncturarum, & humiditas in patiente radicalis consumitur.

♂ in ♐ ☾ dom. horæ in ♑ combusta, separata à ♃ in ♍ ad ♀ in ♏ gignit febrem cum dolore capitis & dorsi atque iuncturarum, laboratque patiens capite, iuncturis, tibiis, genibus, & habet fluxum.

♂ in ♐ facit paruas pustulas & phlegma siccum & salsum, vnde facit ægroti in manibus, pedibusque eruptiones cum calore & siccitate admodum grandi in hepate, humori naturali aduersissimis. ♂ facit fellis inundationem, morbosque eiusdem, amaritudinem in ventriculo, & generaliter significat contusionem aliquam, fractionem, luxationem, relaxationem, extensionem, punctionem, venarum ruptionem, &c.

Mars in Terrea Triplicitate ex ♉ ♍ & ♑ consistente.

Mars in primis 18. gradib. ♉ est temperatus in caliditate & frigiditate; sed est siccus in gradu 1. facitque morbos ex rubra cholera & melancholia æqualiter mixtis; gignens morbos intemperatos quandoque frigidos, & nonnunquam calidos & siccos, simul atq; in collo & gutture collectiones, cuiusmodi sunt molæ, nodi, verrucæ, siccitas neruorum, similiter spasmum procreat in membris, hepatis oppilationem, tympanitidem; calculum; dolores membrorum, atrophiam, purpuram. At vero in 12. vltimis gradib. ♉ est frigidus in principio primi gradus, & siccus in principio secundi faciens morbos ex melancholia & cholera rubra, spissa & obscura, vtpote quæ componitur ex densa & adusta cholera & melancholia quæ habet dominium, efficiens morbos frigidos & siccos in collo & gutture, vermes, verrucas & calculum in renibus.

♂ in ♉ in aspectu cum aliquo planeta in ♈ ♌ ♐ facit fluxum oculorum.

♂ in ♉ in △ ad ♄ in ♍ facit humorem venenosum in carne ascendentem instar vrticarum puncturæ; & efficit quandoque morbillos & variolas.

♂ in ♉ coniunctus cum ♀ in ⚹ & ♄ in ♌ facit ardorem in cerebro vertiginosum; seu vertiginem & scotomiam.

♂ in ♉ coniunctus cum ♀ in ♓ aut ♀ in ♒ facit suffocationem matricis ab humoribus frigidis in vtero; similiter tumorem lienis; & facit frigiditatem intrinsecus & caliditatem extrinsecus, & febrem ex rubra cholera & melancholia mixtis cum sanguine.

♂ in ♉

♂ in ♉ coniunctus cum ♀ in ♒ & ☉ in ♒ facit salsum rheuma in naso & facie & guttam rosaceam.

♂ in ♉ coniunctus cum ♄ in ♉ ♍ vel ♑ gignit spasmum, conuulsionem, consumptionem, podagram, duritiem lienis, calculum, tympanitidem, molam matricis, colicam passionem, Alopeciam.

♂ in primis 6. gradibus ♍ est frigidus in primo & siccus in secundo efficitque morbos ex melancholia & rubra cholera, & melancholia habet dominium faciens obstructiones hepatis calculum in vesica, torsionem in ventre, flatum, stranguriam, colicam passionem, dolorem lienis & sinistri lateris, hæmorrhoides in ano & secreris mulierum, membrorum rigiditatem, tympanitidem, contractionem neruorum, paralyses, carnis consumptionem, dolores & puncturas in latere sinistro. At in gradibus 18. sequentibus ♍ ♂ est frigidus in secundo & siccus in tertio, generans obstructionem hepatis & morbos antedictos. Deniq; in gradibus 6. vltimis ♍ est frigidus in principio tertii gradus, & siccus in principio quarti procreans morbos ex spissa melancholia & cholera rubra, sed in altiori gradu quam in præcedentibus, & pungit atque lædit carnes more vrticarum, relinquitque rubras maculas propter venenosam humoris dispositionem.

♂ in ♍ facit torsionem in ventre & intestinis circa vmbilicum, & contractionem intestinorum cum siccitate, ac si artificio aliquo venefico aut cacomagico id fieret: sed est species passionis colicæ.

♂ in ♍ cum ♀ in ♈ dom. horæ ☾ in ♊ separata à ♃ in ♒ appl. ♂ mulier malo aere percussa est in facie ex fenestra prospiciens, & tumore inflatur facies, & dolet in brachiis, sudoreque frigido est perfusa.

♂ in ♍ ☾ in ♍ dom. horæ separata à ♂ facit puncturam & dolorem lateris dextri.

♂ in ♍ directus facit torsionem in ventre & colicam passionem & contractionem intestinorum, & siccitatem à cholera rubra & melancholia.

♂ in ♍ ♄ dom. horæ in ♌ ☾ in ♈ separata à ☿ in ♎ appl. ☍ in ♎ gignit morbum Gallicum in capite & ossibus, gonorrhæam, ardorem vrinæ, casum capillorum.

♂ in ♍ facit morsum & torsionem in ventre & intestinis similem colicæ passioni cum siccitate, ac si æger esset arte venefica percussus.

♂ in 12. primis gradibus ♑ est frigidus in tertio & siccus in quarto facitque morbos ex plurima crassa melancholia & cholera rubra, at melancholia superat vt 4. ad 1. generatque lepram, cancrum, lupum, Noli me tangere, consumptiones, seu atrophias, membrorum rigiditatem, calculum, melancholiam, maniam, desperationem, siccitatem neruorum, spasmum. At vero ♂ in vltimis 18. gradus ♑ est frigidus in principio quarti & siccus in extremitate quarti & consequenter supra naturæ leges, efficitque morbos ex melancholia & cholera rubra, videlicet podagram & morbum Gallicum, paralysim, tussim siccam, Alopeciam, hecticam, testiculorum tumorem, dolorem crurum & testium.

♂ in ♑ dom. horæ ☾ in ♋ separata à ☉ in ♐ appl. ♄ in ♍ facit morbum regium, gutturis, lumborum & membrorum dolorem.

♂ in ♑ cum ♃ in ♍ generat gonorrhæam ardorem vrinæ, testiculorum tumorem, & præcipue testiculi sinistri, arenulas multas & dolorem capitis.

♂ in ♑ ☿ in septimo ♍ dom. horæ. ☾ in ♏ separata à ☿ appl. ♀ in ♒ facit eleuationem pulmonum, multum pituitæ, obstructionem circa ventriculum, adeo vt si sit fœmina vomitui sit procliuis, habetque paroxysmum in manibus pedibusue instar paralysis, adeo vt vix loqui queat, sed etiam lachrymas quandoque copiosas emittit, estque species suffocationis matricis, in qua cor, cerebrum & dorsum atque lien patiuntur.

♂ in Triplicitate Aerea ex signis ♊ ♎ & ♒ consistente.

♂ in primis 18. gradibus ♊ est temperatus in caliditate & siccitate, sed est calidus in primo gradu faciens morbos de cholera rubra mixta cum sanguine æqualiter, gignitque aspersiones sanguinis in facie, herpetes, serpigines, vlcera, febres apostemata, &c. At vero in vltimis 12. grad. ♊ est humidus in principio primi gradus, & calidus in principio secundi generans morbos ex rubra cholera & sanguine, at sanguis habet dominium, facitque morbos supra allegatos, & peripneumoniam, catarrhos oculorum sciaticam in dextro latere seu coxendice & humeris, tumores manuum, catarrhos & dolores dentium.

♂ in ♊ coniunctus cum ☿ & ♀ in ♈ facit pallidos colores in virginibus.

♂ in ♊ coniunctus cum ☉ in ♈ efficit æstuosam pestem in inguine.

♂ in ♊ coniunctus cum ☿ in ♓ ☽ dom. ♄ in ♌ facit faciem pustulosam seu caperosam, & dolorem læui lateris.

♂ in ♊ coniunctus cum ♃ in ♒ facit dolorem in capite, renibus & stomacho ex multo sanguine & periculum alicuius apostematis, pleuritidem.

♂ in ♊ coniunctus cum ♄ & cum ☉ in ♈ facit Epilepsiam.

♂ in ♊ coniunctus cum ♄ in ♌ & ☿ in ♈ facit calculum & dolorem capitis, stomachi & renum.

♂ in ♊ coniunctus cum ☿ & ♃ in ♈ generat hæmorrhoides.

♂ in ♊ coniunctus cum ☉ in ♓ & cum ♄ in ♍ facit dolorem in ventre, & colicam passionem.

♂ in ♊ coniunctus cum ♃ in ♊ & ♄ in ♍ facit paralysim in dimidia corporis parte.

♂ in primis gradibus ♎ est calidus in secundo gradu & humidus in primo generans corruptionem & infectionem sanguinis à cholera rubra, facitq; morbos vt infrà, sed in intentiori gradu. At in gradibus 18 sequentibus ♎ ipse est humidus in secundo & calidus in tertio efficiens morbos à sanguine & flaua bile, sed sanguis habet dominium procreatque morbos infrà nominatos. Denique in vltimis 6 gradib. ♎ est humidus in principio tertii & siccus in principio quarti generans multum sanguinem spissum, adustum, & feculentum cum cholera rubra, efficitque morbos calidos & æstuosos videlicet febrem ardentem à nimio sanguine, pleuritides, apostemata, tumores, dolorem dentium, inflammationes, hæmorrhoides, dolorem rerum, fluxus sanguinis, gonorrhæam, menstrua nimia hæmorrhoiam narium & oris, carbunculos, ardorem vrinæ, dysenteriam, dolorem oris & radicum oculorum ingentem, & præcipue in latere dextro & collo, morbum regium, tussim à sanguine in pulmones assurgente, dolorem ventriculi, variolas, dolorem lateris, cachexiam, seu colorem pallidum in virginibus, & colicam passionem à morsu in intestinis & imo ventris, dolore in dorso, & precipue in mulieribus, vomitum & fluxum, gonorrhæam, febres pestilentiales, pestem, suffocationem matricis, & debilitatem.

♂ in vltimis 18. gradibus ♒ est humidus in principio quarti & calidus in fine quarti & consequenter supra naturæ leges efficiens morbos à nimio crasso sanguine & cholera rubra, sanguine nihilominus habente dominium, & hic sanguis est adustus & fæculentus, faciens apostemata, tumores, vlcera, pruritum, pestem, morbum regium, scorbutum, morbillos, variolas, pleuritidem, calorem pulmonum, fluores sanguinis ad sursum & deorsum tam per vomitum sanguinis quam per nasum, reuulsionem menstruorum in fœminis prouectioris ætatis, peripneumoniam, menstruorum fluxus, hæmorrhoides, oppilationem in ventriculo, calorem hepatis & pulmonum, dolorem lateris dextri, stranguriam, facies rubras à phlegmate salso, scabies, lepras, serpiginem, podagram, tumorem manuum & testiculorum.

♂ in ♒ existens solus significator facit generalem debilitatem in vniuerso corpore, indigestionem, frigiditatem hepati, spissitudinem & corruptionem sanguinis, dolorem in testibus & tumorem eorum & si ☾ applicat ♀ in ♓ fit illud à sanguine & pituita.

♂ in ♒ dom. horæ aut dom. sextæ coniunctus cum ♃ in ♉ facit morbillos.

♂ in ♒ ☾ separata à ♀ in ♓ appl. ♃ in ♉ facit morbillos, & obstructionem pulmonum.

♂ in ♒ dom. horæ in nono ☾ in ♊ ascend. separata à ♄ in ♎ appl. ☿ efficit matricis præcipitationem & dolorem capitis, lateris & ventris.

♂ *in Triplicitate Aquea, videlicet* ♋ ♏ *&* ♓.

♂ in 18. primis gradib. ♋ est temperatus in omnibus 4. qualitatibus, facitq; morbos ex cholera rubra mixta cum pituita, vt sunt vlcera, scabies, fluxus, pustulæ, pruritus, maculæ rubræ, morbilli, variolæ, surditas, vermes, & durities ac plenitudo ventris. At vero in gradibus 12. vltimis ♋ ipse est humidus in principio primi efficiens surditatem à cholera rubea, & pituita ac aqua salsam pituitam generante, & aqua habebit dominium generans morbos stomachi & pulmonum, videlicet tusses, rheumata; porro etiam pruritus, scabies, salsam pituitam, & facies exinde rubras, humores venereos, arthritidem volatilem, scorbutum, variolas, morbillos, febres, fluxus ventris, apoplexias & luem Veneream ac pestem, lumbricos latos, ascarides, hydropem, & tumorem ventris.

♂ in ♋ oppressus à ♄ facit morbillos.

♂ in ♋ existens dom. horæ & appl. in ☾ generat morbillos, fœtorem halitus & putrefactionem, si ☾ aspiciat ♂ ex ♍ prouenit ex comestione ciborum seu fructuum sacharo conditorum.

♂ in

♂ in ♋ coniunctus cum ☿ in ♊ & ♃ in ♒ facit maculas & lineas rubras seu roseas vermibus similes, & maculas in capite & super faciem rubras.

♂ in ♋ dom. horæ ☾ separata à ♄ in ♌ facit pestem à re Venerea, & inficitur hepar, & plagæ egrediuntur ex inguinibus.

♂ in ♋ coniunctus cum ☿ dom. horæ in ♌ ♀ in ♊ efficit tussim grauem, multum pituitæ & doloris in capite.

♂ in ♋ ☾ dom. horæ in ♉ separata à ♄ in ♌ appl. ♂ efficit phthisim & angustiam pulmonum, & dolorem capitis.

♂ in ♋ ☿ dom. horæ in ♎ ☾ in ♋ separata à ♄ in ♍ appl. ♂ facit febres & morsum stomachi & ventris, & multum flatus instar passionis colicæ.

♂ in primis 6. gradibus ♏ est frigidus & humidus in primo, faciens morbos, ex spisso putrido & fœtido phlegmate & cholera rubra habebitq; phlegma dominium, generans salsum phlegma in faciebus, pruritus, pustulas, dolorem in membris secretis, videlicet vulua, matrice, & gonorrhæā, variolas, morbillos in pueris, vermes, fistulas & vlcera saniosa, sciaticam, morbum Gallicum, dolorem iuncturarum, puncturam in carne, & multum siccitatis & caliditatis simul. At vero ipse in sequentibus 18. grad. est frigidus & humidus in 2. gradu, efficiens multum fœtidum, viscidum, corruptum & salsum phlegma mixtum cum cholera rubra, & habebit phlegma dominium, generans morbos antea citatos, atq; etiam tumorem testiculorum, difficultatem vrinandi, calculum vesicæ lumbricos longos in ventre in ventriculo, vomitionem, raucedinem in gutture, vermes intestini recti Ascarides dicti, &c. Denique ♂ in vltimis 6. gradib. ♏ est frigidus & humidus in principio gradus 3. efficiens morbos ex spisso, salso, fœtido & putrido phlegmate & aqua mixtis cum cholera rubra, sed aqua habet dominium, efficitque morbum Gallicum, & variolas, & plagam illam dictam Anglice srvine pox.

♂ in ♏ coniunctus cum ☾ dom. horæ, separata à ♀ in ♑ appl. ☉ in ♍ facit dysenteriam in muliere, & febrem.

♂ in ♏ ☽ in ♏ in ☌ cum ♂ & ☍ cum ♄ in ♉ facit consumptionem, dolores ventris & capitis, ac generalem debilitatem per totum corpus.

♂ in ♏ orient. retrog. facit vlcera & fistulas, & plagas saniosas in inguine & pedibus.

♂ in ascendente in ♏ facit tumores & apostemata, morbumque regium in gutture & sub auribus.

♂ in ♏ in tertia retrog. in ✶ cum ♑ in ♍ atque etiam ascend. & existens dom. horæ facit vermes, & morsum intestinorum.

♂ in primis 12. grad. ♓ est frigidus & humidus in 3. grad. generans morbos à spisso, viscido & acido phlegmate, mixto cum cholera rubra, & phlegma habebit dominium, procreans morbos antea allegatos, & infra recitatos. At ♂ in gradib. 18. vltimis ♓ est frigidus & humidus in principio quarti gradus, efficiens morbos ex denso, salso & viscido phlegmate mixto cum cholera rubra, & phlegma habebit dominium vt 4. ad 1. faciens morbos in genibus, pedibus, cruribus atque manibus, videlicet podagram, gonagram, chiragram & sciaticam: similiter hydropem, paralysim, pestem nigram, & omnes illos morbos quos facit ♂ in ♋ & ♏ sed in altiori gradu.

♂ in ♓ iunctus cum ☿ in ♏ & ♄ in ♎ facit Icteritiam & tumorem in ventriculo.

♂ in ♓ ☌ cum ☿ in ♏ separatus à ♄ in ♎ retrog. ap. ☉ in ♓ facit vertiginem, apoplexiam & dolorem capitis.

♂ in ♓ in ☌ cum ☿ & ♀ dom. horæ in ♈ ☾ in ♐ separata à ♂ appl. ♄ in ♎ retrog. facit gonorrhæam, peripneumoniam, dolorem lateris, vertiginem capitis, sputum quandoque sanguinis.

♂ in ♓ 11. ☿ dom. horæ in ✶ cum ♂ ☾ in ♎ separata à ☿ appl. ♃ in ♋ facit scorbutum magnamque putrefactionem & Venereos humores in corpore & maculas varias in tibiis cum tumore, & dolorem gingiuarum, halitusque fœtorem.

♂ in ♓ decimo ♑ dom. horæ in 6. ☾ in ♎ quinto separata à ♄ in ♎ ☉ in ♈ facit matricis præcipitationem, & menstrua seu fluxum habet fœmina album, stranguriam, & putrefactionem in materice, & dolorem dorsi, & gonorrhæam; si autem sit vir habebit multum rheuma & apostema in ventriculo.

♂ in ♓ dom. 11. in ☌ cum ☉ & ♀ retrog. in ♓ 11. ☾ in ♊ in ascend. separata à ♂ ♀ dom. horæ facit hydropem in ventre ♃ in ♏ in sexto.

♂ in ♓ in 12. in ☌ cum ♀ ☾ separata à ♂. dom. horæ efficit contusionem in vnico testiculorum.

♂ in ♓ in ☌ cum ♀ in ascend. ☾ separata à ♂ facit rupturam in ventre.

Capvt X.

De morbis variis quos producit Sol per quatuor Triplicitatum Zodiaci signa viam faciens: & primum de ipsius effectibus insalubribus, dum per signa Triplicitatis Igneæ, videlicet ♈ ♌ & ♐ transit.

SOl in primis 18. gradibus ♈ est calidus & siccus in principio gradus 1. generans multum choleræ tenuis & flauæ, efficiens pustulas & calores in pectore, flauedinem oculorum, faciei, & cutis, dolorem capitis, morphæam, tumorem tibiarum, dolores, scabies, serpigines, inflammationes, febres, debilitates, herpetes, stranguriam, surditatem, cæcitatem, seu caliginem oculorum, rheuma, pruriginem oculorum, obstructionem menstruorum, cardiacam, morbos languescentes, gonorrhæam. At vero ipse in grad. 12. vltimis est calidus & siccus in 1. gradu, faciens morbos ex acuta cholera cum defluxione oculorum, pruriginem & pustulas faciei, & scabies, calorem ventriculi, debilitatem cordis, arenulas renum, dolorem crurum & pedum, aquam flauam in ventriculo & hepate, colorem in virginibus pallidum, & morbos antedictos in 18. grad.

☉ in ♈ coniunctus cum ☌ in ♌ & ☉ in △ cum ♃ in ♌ & ♂ in △ cum ☿ ♓ facit difficultatem respirandi, obstructionem menstruorum & calores volatiles, seu subito ascendentes in facie.

☉ in ♈ in ☌ cum ♂ & ☽ in ♋ dom. horæ & separata à ♂ in ♓ facit colorem pallidum virginum, seu cachexiam, menstruorum obstructionem, debilitatem, dolorem capitis, dorsi & stomachi.

☉ in ♈ ♃ dom. horæ in ♊ ☽ separata à ♀ in ♓ facit gonagram, podagram, sciaticam à multo salso phlegmate.

☉ in ♈ ☽ in ♉ 4. dom. horæ separata à ♂ in ♌ 12. & appl. ♃ in ♌ 11. & ♀ in ♓ in 6. facit lupum aut apostema aliquod in facie, quod corrodit & comedit carnes circumstantes, estque siccum, durum & multæ durationis, & febrem duorum paroxysmorum.

☉ in ♈ dom. 12. ☿ dom. horæ in 9. combust. ☽ in ♉ separata à ♂ in ♌ 10. cum ♃ facit maculas rubras in capite & collo, & multum dolorem in ventre dorso & tibiis ac latere sinistro, tumorem faciei, & apostema ex cholera adusta & melancholia.

☉ in ♈ dom. horæ & ☽ separata à ☉ facit stranguriam calculum, & caliginem oculorum.

☉ in primis 6. gradibus ♌ est calidus & siccus in principio 2. gradus, faciens morbos ex flaua bile infra dictos. At vero ipse in gradib. 18. sequentibus ♌ est calidus & siccus in extremitate 2. gradus, efficiens ægritudines ex abundantia bilis flauæ, videlicet obstructiones hepatis, inundationem bilis à cysti fellis, Icteritiam, obstructionem menstruorum, debilitatem, & colores pallidos seu cachexiam, flauedinem cutis, febres ardentes & acutas, stranguriam, multas arenulas in renibus, cardiacam passionem, vomitum, indigestionem, calorem & siccitatem hepatis, dolorem cordis, stomachi inflationem. Denique ☉ in vltimis 6. gradibus ♌ est calidus & siccus efficiens prædictas infirmitates, & glandes seu tumores glandulosos in inguine, seu pestilentiam, pestemue rubram, gonorrhæam, vomitum sanguinis in fœminis per reuulsionem menstruorum, languorem & consumptionem, & decrescentiam carnis & applicationem venarum.

☉ in ♌ dom. 12. coniunctus cum ♃ in ♒ facit pleuritidem & gonorrhæam.

☉ in ♌ coniunctus cum ☽ in ♑ & ♃ in ♒ facit calculum & stranguriam & gonorrhæam.

☉ in ♌ coniunctus cum ♂ in ♌ facit febres calidas & æstuosas, atque etiam calculum & stranguriam.

☉ in ♌ dom. horæ & ☽ in ♎ separata à ☉ in ♍ appl. in ♌ facit nodos & glandulas in inguine, atque herniam carnosam.

☉ in ♌ dom. sextæ ♀ in ♍ dom. horæ ☽ separata à ♀ appl. ☉ facit plagam in collo.

☉ in ♌ coniunctus cum ☿ in ♏ facit tympanitidem & tumorem ventris, & dolorem pulmonum, & debilitatem membrorum.

☉ in ♌ coniunctus cum ♀ in ♋ facit ascitem, seu secundam hydropis speciem, atque tumorem ventris cum multo aquositatis viridis

☉ in

☉ in ♌ coniunctus cum ♃ in ♈ facit multum dolorem cordis, & obstructionem, & vomitum sanguinis, aut fluxum sanguinis è naribus, & fluxum alui cum duritie hepatis.

☉ in 12. primis gradib. ♐ est calidus & siccus in principio quarti gradus, generans ægritudines ex multa rubra & flaua cholera, sed densa cholera rubra habet dominium, efficiens, hecticam feb. cardiacam passionem, tumorem pulmonum, æstum & dolorem dorsi, calculum, hæmorrhoides, arsuram cordis calidas & æstuantes febres, pestilentias, magnas siccitates, calidum rheuma oculorum, dolorem capitis & cerebri, phrenitidem gingiuas dolorosas, dolorem dentium, siccitatem, & dolorem neruorum & pedum, sciaticam & podagram siccam, maculas calidas & rubras, & purpuram, &c. At vero ☉ in vltimis 18. gradib ♐ est calidus & siccus in extremitate grad. quarti gignens morbos calidos & siccos, à tenui flaua bile & spissa cholera rubra, acuta, penetrante, efficiens febres ardentes, consumentes, & morbos in prædictis grad. 12. nominatos, atque etiam Noli me tangere, carbunculos, vlcera pestilentialia, cancrum, tussim, siccam, phrenitidem, dolorem neruorum, & pedum ac manuum, syncopen, & fellis inundationem.

☉ dom. 6. in ♐ coniunctus cum ♀ & ♂ in ♐ facit calculum in dorso, dolorem in latere, & puncturam in pectore, tussimque siccam & consumptionem.

☉ in ♐ dom. horæ in ☌ cum ♂ & ☾ in ♏ separata à ♃ in ♋ quarto retrog. appl. ♀ in ♏ cum ☾ facit Epilepsiam & apostemata capitis & obstructionem nimiam à pituita & cholera in stomacho.

☉ in ♂ dom. sextæ ♄ in ♎ dom. horæ ☾ in ♌ in quinto separata à ♀ in ♐ ad ☿ in ♐ post appl. ♄ facit morbum à nimia cholera & melancholia, humidum radicale consumente totius corporis, pariens obstructiones pulmonum & stomachi, facitque conuulsionem, & spasmum in pedibus & vomitum.

☉ cum ☿ in ♐ facit præcipitationem matricis, & cholericam passionem, dolorem cordis & capitis.

☉ in ♐ in ☌ cum ♂ ☾ dom 6. separata à ☉ appl. ☿ in ♐ facit dolorem in stomacho, pulmonibus & corde, & morsum in intestinis, dolorem in tibiis tumorem, cholicam passionem & choleram morbum, arenulas in dorso & præcipitationem matricis.

☉ in Triplicitatis Terreæ signis, videlicet ♉ ♍ & ♑ & de ipsius effectibus.

☉ existens in primis 18. grad. ♉ est temperatus in frigiditate & calore, sed siccus in primo gradu, gignens morbos à melancholia & cholera flaua, & melancholia habebit dominium faciens morbos in tibiis, pruritus, verrucas, nodos, vlcera, tumores, apostemata in gutture & collo, morbum regium, menstruorum retentionem, debilitatem, morbillos, variolas, morpheam, tumores brachiorum. At vero ipse in grad. 12. vltimis ♉ est frigidus in principio 1. & siccus in principio 2. efficiens morbos ex spissa melancholia & acuta, tenui & flaua bile, at melancholia habebit dominium, & humor erit acidus cum amaritudine, faciens morbos genuum, & in brachiorum iuncturis, atque neruis & musculis gutturis.

☉ in ♉ dom. horæ, dom. duodecimæ facit vlcera, tumores, apostemataque in gutture, & inter collum & caput ☉ in ♉ ♊ septimo cum ☿ efficit glandulas, tumores duros vlceraque in gutture & membris.

☉ in ♉ nono ♀ in ♊ dom. horæ ☾ separata à ☿ appl. ♃ in ♈ facit febrem & multum dolorem circa cor, & in ventre, renibus & humoris, atque calculum.

☉ in ♉ ☾ in ♏ dom. horæ separata à ♄ in ♋ appl. ♀ in ♋ facit nigram pestem grauedine, debilitate & lassitudine.

☉ in ♉ nono in ☌ cum ☿ ♑ dom. horæ in ♋ ☾ in ♎ separata à ♀ in ♊ appl. ♄ in ♎ retrog. efficit morbum regium & tumorem inter collum & caput, & vomitum.

☉ in ♉ ☿ dom. horæ in ♉ ☾ in ♍ sep. à ☿ appl. ♀ in ♓ facit multã ventositatẽ & dolorem in imo ventris, suffocationem matricis, sudores languidos & cum debilitate, & leuitatem vertiginosam capitis.

☉ in primis 6. grad. ♍ est frigidus in 1. & siccus in 2. gignitque infirmitates à melancholia & spissa cholera flaua, sed melancholia habebit dominium, estque humor frigidus & siccus, acutus & acidus in gustu efficiens glandulas, scabies in collo & gutture, rigiditatem neruorum, spasmum, morbillos, variolas, febres duorum paroxysmorum, obstructiones lienis & hepatis, & passionẽ colicã At vero ☉ in proximis 18. ♍ est frigidus in 2. gradu, & siccus in tertio generans morbos ex melancholia & densa cholera rubra, & melancholia habebit dominiũ, faciẽs Anginã & morbos alleg tos in grad. 6. præcedentib,

& illis sex sequentibus. Denique ipse in vltimis sex gradibus ♍ est frigidus in principio 3. gradus, & siccus in principio quarti generans morbos ex melancholia & densa cholera flaua, sed melancholia habebit Dominium, & humor exuberans erit (vt dictum est) acidus, acutusque in gustu, faciens morbos antedictos, & obstructiones hepatis, dolorem & tumorem amygdalarum siue tonsillarum gutturis & linguæ radicis, anginam, seu squinantiam, morbum regium, nodos, Noli me tangere, &c.

☉ in ♍ ☍ ad ♄ in ♓ facit podagram & dolorem pedum.

☉ in ♍ coniunctus cum ♂ in ♍ & ☾ dom. horæ in ♐ separata à ♂ appl. ♄ in ♌ facit dolorem capitis & ventriculi, eleuationem pulmonum, cerebrum siccum, parum somni, & dispositionem febrilem.

☉ in ♍ dom. horæ ☾ in ♑ in □ ad ☿ in ♍ post appl. ☉ facit multum dolorem in capite circa oculorum radices, ita vt patiens lucem respicere vix queat, similiter cum dolore loquitur, estque admodum grauis, & tardus in sua dispositione, mœstus & solitarius habetque tremorem in corpore cum timore & dispositione febrili mixtum.

☉ in ♍ ☿ in ♍ dom. horæ combust. ☾ in ♌ separata à ♂ in ♉ appl. ☌ ♄ in ♌ combust. significat subitaneum dolorem cordis & capitis, timiditatem facit & tremorem à nimia melancholia & cholera.

☉ in ♍ dom. horæ in septimo ☾ separata à ♄ in ♎ in ☌ cum ☿ appl. ♀ in ♌ in ⚹ ad ♂ in ♎ nono facit pustulas seu vesicas pestilentiales, & pestem rubram, & hepar inficitur, & egreditur in inguine in infantibus.

☉ in ♑ grad. 12. primis est frigidus in tertio & siccus in quarto generans morbos ex fœculenta melancholia & tenui bili flaua, sed melancholia habet dominium faciens morbos infra nominatos. At si ☉ fuerit in gradib. vltimis 18. ♑ est frigidus in quarto gradu, & siccus in extremitate, idque supra naturæ leges, gignens morbos ex melancholia & tenui bile flaua, & melancholia habet dominium faciens spasmũ paralysim, conuulsionem neruorũ, consumptionem, tympanitidem, rigiditatem neruorũ & membrorum, molas, nodos, verrucas, serpigines hæmorrhoides, stranguriam, calculum, cancrum, colicam passionem desperatam, morsum ventris, morbum Gallicum, variolas, morbillos, aliosque morbos à ventosa substantia sicca, humdum radicale vel absorbente & deficcante, vel illud terrestri sua siccitate congelante & fixante, dolorem lienis & iuncturarum.

☉ in ♑ dom horæ & sextæ ☾ in ♏ separata à ♀ in ♑ appl. ♄ in ♓ efficit colicam passionem & multum flatum & morsum ventris, febrem, hydropem cum dolore in genibus & pedibus, similiter languorem & ardorem in ventriculo.

☉ in ♑ coniunctus cum ♀ in ♑ dom. horæ ☾ in ♏ separata à ♀ in ♓ appl. ♃ in ♋ retrog. facit extremum dolorem pedum, capitis & ventris.

☉ in ♑ dom. sextæ ☾ in ♑ separata à ☉ facit morbum Gallicum cum dolore capitis, brachiorum, membrorum, renum, & cum dolore in gutture.

☉ in ♑ dom. sextæ.... vndecimo ♄ dom. horæ in ♎ septimo ☾ in ♎ separata à ☉ appl. ☿ in ♒ facit dolorem in ventriculo & pulmonibus, dolorem dorsi, calculum & stranguriam atq; gonorrhæam, multum flatum, arenulas, & ardorem vrinæ.

☉ in ♑ coniunctus cum ♂ in ♍ & ☿ in ♑ facit tussim siccam, dolorem cordis, morbumque languidum & consumentem.

☉ *in Triplicitate Aerea, videlicet* ♊ ♎ *&* ♒.

☉ in primis 18. gradibus ♊ est temperatus in siccitate & humiditate, sed calidus in primo gradu, gignitque morbos ex sanguine & cholera tenui, & sanguis habet dominium, facitque morbos vt infra. At si ipse fuerit in 12. gradib. sequentib. erit humidus in principio primi & calidus in principio secundi generans morbos ex sanguine tenui, acutaque cholera flaua, cuiusmodi sunt pustulæ, scabies, dolores, calor hepatis & pulmomum, debilitas, arenulas in renibus, stranguriam & morbos languidos, grauia multæ choleræ flauæ in hepate & circa cor, purpura, morphea, maculæ cum debilitate, gonorrhæa hydrops, morsus intestinorum, apostemata & tumores in tibiis, hæmorrhagia, &c.

☉ in ♊ dom. horæ & sextæ facit calculum & stranguriam.

☉ in ♊ duodecimæ dom. ♀ in ♋ dom. horæ ☾ separata à ♀ appl. ♂ in ♍ in ascend. facit phrenitidem, leuitatem in capite, debilitatem dorsi, caliditatẽ hepatis & frigiditatem stomachi.

☉ duodecimæ dom. in ♊ ♀ dom. horæ in ♋ ☾ separata à ♄ in ♍ ad ♀ facit phrenitidem, luem Veneream, dolorem ossium à salsa pituita & vesicationem linguæ.

☉ in ♊ dom. duodecimæ & dom. horæ ☾ in ♍ in ascend. separata à ♄ appl. ☉ facit contractionem neruorum, spasmum & alios angores humidum radicale absumentes.

☉ in ♊ dom. duodecimæ in decimo ♀ dom. horæ in ♊ in ☌ cum ☿ ☾ in ♊ decimo sepa-

ſeparata à ☉ appl. ♄ in ♎ retrog. vigeſimo facit hydropem & tumorem tibiarum & paſſionem cholericam, cum debilitate, morſu in ventre, & febre ardente.

☉ in primis ſex gradibus ♎ eſt humidus in primo & calidus in ſecundo gradu, generans morbos ex ſpiſſo ſanguine & tenui bile flaua, faciens morbos in brachiis, humeris & manibus, quos nominauimus ☉ exiſtente in ♊. At ſi ipſe inueniatur in 18. gradibus ſequentibus ♎ eſt calidus in principio tertii gradus, & humidus in principio grad. ſecundi faciens morbos ex ſanguine ſpiſſo & tenui cholera flaua, ſed ſanguis habebit dominium ſuper choleram vt 2. ad 1. efficiens morbos ſequentes. Denique ſi inſit alicui ex gradib. ſex vltimis ♎ eſt humidus in fine ſecundi gradus & calidus in extremitate tertii generans morbos ex ſanguine & cholera antea nominatos, ſanguine tenente dominium, videlicet dolorem renum, ardorem vrinæ, gonorrhæam, hæmorrhagiam, pleuriridem, anginam morbum regium, menſtruorum profluuium, vomitum ſanguinis, &c.

☉ in ♎ in primis 6. grad. cum ♀ facit eleuationem pulmonum à multo ſanguine, peripneumoniam & tuſſim.

☉ in 12. primis grad. ♒ eſt humidus in principio tertii gradus & calidus in quarto gignens infirmitates, ex ſpiſſo ſanguine, & tenui, ſubtili flaua bile, ſed ſanguis habebit dominium, vt in proximis ſubſequentibus. At ſi reperiatur ☉ in gradib. 18. vltimis ♒ eſt humidus in tertio, ſed calidus in extremitate quarti, vnde certum eſt quod excedat leges leges naturæ, facit ergo morbos ex calido & ſpiſſo ſanguine in abundantia & ex tenui bile, habetque ſanguis dominium, generans apoſtemata, carbunculos, guttam roſaceam, tumores, gonorrhæam, ſtranguriam, plurimas arenulas, apoſtemata renum, ardorem vrinæ, dolorem renum & virgæ virilis, menſtruorum reuulſionem, & quandoque menſtruorum fluxum, ſanguinis eruptionem per vomitum aut tuſſim, febrem ſynochum, & cauſum cachexiam facientem pallidos colores in virginibus, debilitatem, peripneumoniam, anginam, morbum regium, variolas, morbillos, tumorem in auribus & digitis ex ardenti humore cum magno dolore, dolorem in matrice & partium ſecretarum, & ſtomachi, multum flatum cum nauſeabunda diſpoſitione, menſtra in muliere alba ſeu fluxum album, hydropem, &c.

☉ in ♒ in ſexto in ☌ cum ♂ & ☾ ſeparata à ☿ in ♑ facit corruptum & putridum morbum, vt hydrops cum tumore pedum ab humore venenoſo, & ſpecies morbi Gallici.

☉ in ♒ dom. duodecimæ ſeptimo ♀ dom. horæ in ♑ quinto ☾ in ♉ nono ſeparata à ♀ appl. ♂ in ♈ nono facit menſtruorum reuulſionem ad ſtomachum & caput facientium vomitum & ventum in ſiniſtro latere, vnde plerumque ſuccedit febris.

☉ in ♒ dom. ſextæ vndecimo ☾ in ♌ ſeparata à ♄ in ♏ ſeptimo ☉ dom. horæ ☾ appl. ♂ facit dolorem in capite, corde & ſtomacho, & deſcendit in tibias, eſtque excurrens humor, Venereus, ambulans de iunctura in iuncturam, efficitque tumorem in inguine vel Gallicum, vel peſtilentialem.

☉ in ♒ ♑ dom. horæ ♎ ſexto ♂ in ♍ ☾ in ♎ ſep à ☉ appl. ♑ facit pleuritidem aut aliquod apoſtema ſtomachi cum multo dolore ex tranſuerſo cordis, etiam febrem duorum paroxyſmorum.

☉ *in Triplicitate Aquea, videlicet* ♋ ♏ ♓.

☉ in duodecim primis gradib. ♋ eſt frigidus & humidus in principio primi gradus, gignens morbos ex tenui & ſalſedinoſa aqua, & tenui atque acuta flaua bile, ſed aqua habet dominium, videlicet pruritum, ſcabiem, vlcera, papulas doloroſas, puſtulas in naſo & facie, dolorem ventris & ventriculi, debilitatem renum, languores ex pituita ſalſa in hepate prouenientes inhabilitatem membrorum, morbum Gallicum, rheumata, phthiſin & pulmonum anguſtiam, tuſſim, dolorem cordis, defectum appetitus & ſenſus ſaporis, vermes infantium, tam in ſtomacho quam inteſtinis, pallidos colores in virginibus, morbillos, variolas, fluxus, hydropem.

☉ in primis 18. grad. ♋ eſt temperatus in omnib. 4. qualitatib. facitq; morbos vt *ſupra.*

☉ in ♋ coniunctus cum ♀ in ♊ & ♄ aut ☿ in ♊ dom. horæ, aut planeta cui ☾ applicat, aut ſi ♄ aut ♂ ſit in aſcendente, facit perturbationem animi, tentationem, deſperationem & prouocationem ad malum aliquod perpetrandum.

☉ in ♋ iunctus cum ♂ in ♍ & ☿ dom. horæ in ♊ facit idem.

☉ in ♋ dom. duodecimæ ☾ in ♏ dom. horæ, ſeparata à ♂ in ♋ facit fluxum menſtruorum in muliere.

☉ in ♋ dom duodecimæ ♀ in ♋ dom. horæ, & ☾ in ♏ △ ☉ appl, □ ♄ in ♌ vndecimo facit multũ dolorẽ in læuo latere, & fœtidũ dolorẽ in excrementis quæ expuuntur ab ore gignitq; melancholiã, timorẽ & tremorẽ. ☉ in ♋ ☿ in ♋ dom. horæ ☾ ſep. à ♀ in ♌ & in △ ad ♄ in ♈ poſt appl. □ ♐ in ♍ in aſcend. fœmina eſt læſa in corpore & à pluri-

à plurimis frigidis humoribus perturbatur in capite & stomacho, similiter in liene & matrice, & cum suffocatione matricis effecta à pituita & melancholia.

☉ in primis sex grad. ♏ est frigidus & humidus in primo gignens morbos à grosso & viscido, atque fœtido phlegmate & ex tenui bile flaua, & phlegma habebit dominium, videlicet hydropem, paralysin, puncturam & morsum ventriculi, hepatis oppilationes, & pulmonum coarctationum, tussim, morbum Gallicum & variolas. At si in gradibus sequentibus 18. est frigidus & humidus in gradu secundo producens morbos ex fœtido, corrupto & putrido phlegmate salso, & aqua mixta cum flaua bile, & habet phlegma dominium, videlicet hydropem, catarrhum, rheuma, tusses corruptas, febres putridas, dolores, sciaticas, podagras, morsus ventriculi, morbum regium, tumores gutturis, morbum Gallicum, variolas, &c. Denique ☉ in grad. ♏ vltimis est frigidus & humidus in principio 3. generans morbos ex eodem antea nominato humore.

☉ in ♏ ☽ dom. horæ in ♋ sepr. à ♄ in ♍ appl. ♀ in ♎ facit dolorem in posteriori capitis parte magis versus partem dextram; similiter febrem, tremorem corporis à frigore, & implebitur æger flatu, phlegmate & melancholia. At si sit fœmina habebit dolorem in læuo colli latere in illis venis quæ ascendunt ad collum, obstructionem ventriculi, tumorem genuum & sciaticam.

☉ in ♏ dom. sextæ ♃ in ♈ dom. horæ ☽ in ♌ separ. à ☉ appl. ♀ in ♏ facit multum dolorem in fundo ventris & renibus & collo, similiter colicam passionem, & torsionem seu morsum in ventre.

☉ Dom. duodecimæ ♂ dom. horæ in ♐ ☽ separ. à ♃ in ♍ appel. ♀ in ♏ ⚹ ♃ ☉ ☌ ♄ ☿ facit morbum regium in homine, & tumorem gutturis, & coxendicis & ventris & tibiarum, tussim, pulmonum & stomachi obstructionem, apostemata ex humoribus.

☉ in primis duodecim grad. ♓ est frigidus & humidus producens morbos à fœtida & putrida aqua & phlegmate mixto cum cholera flaua & pituita, & phlegma habebit dominium; facietque morbos infra descripros. At vero ☉ in gradib. 18. vltimis ♓ est frigidus & humidus in principio quarti producens multum spissum & fœtidum phlegma & aquam mixtam cũ cholera flaua, & aqua habet dominium faciens morbos & dolores in pluribus secretis, & menstruorum aluique fluores, stomachi impedimenta, herniam ventosam & aquosam hydropem indigestionem, frigiditatem ventriculi & pulmonum rheumata, catarrhos, stranguriam, vomitum, apostemata, paralysim & fluxum album in mulieribus.

☉ in ♓ dom. sextæ & ☽ separ. à ☉ in ♓ 12. ☽ in ♏ facit stranguriam in homine & calculum in dorso & in vesica, & ♃ in sexto ♍ retrog.

☉ dom. sextæ in ♓ ♂ in ♓ dom. horæ ♃ in ♍ in sexto & ☽. sep. à ♃ appl. facit morbum regium & calculum.

☉ dom. duodecimæ, septimo ♓ ♂ dom. horæ in ♒ sexto ☽ in ♓ sep. à ♀ in ♒ appl. ♄ in ♌ facit luxationem seu tumorem in genubus.

☉ dom. duodecimæ ♓ cum ☿ in ♓ ♃ dom. horæ in ♉ ☽ in ♉ sep. à ☉ appl. ☌ ♃ producit stuporem manuum & digitorum & paralysim.

☉ dom. duodecimæ in ♓ septimo dom. horæ in ♒ ☽ sep. à ♀ appl. ☌ ♄ in ♌ retrog. facit generalem tumorem per totũ corpus, & omnes eiusdem meatus sunt obstructi.

☉ in ♓ dom. sextæ & horæ duodecimo ☽ in ♎ separ. à ♄ in ♌ retrog. appl. △ ♃ in ♒ facit cholericam passionem, & febrem calidam, & æstuantem, similiter dolorem & tumorem manuum.

☉ in ♓ dom. sextæ in duodecimo ♀ dom. horæ in ♓ ☽ in ♏ sep. à ♃ in ♒ appl. △ ☉ facit ventris fluxum, febrem & multum frigoris.

Capvt

CAPVT XI.

De morbis variis quos producit Venus per quatuor Triplicitatum Zodiaci ſigna viam faciens, & primum de ipſius effectibus inſalubribus, dum per ſigna Triplicitatis Ignea, videlicet ♈ ♌ ♐ tranſit.

VEnus in 18. primis grad. ♈ eſt temperata in omnibus quatuor qualitatibus, & tamen facit aliquam intemperiem, gratia tenuis bilis flauæ & tenuis aquæ æquali libra trutinatarum, vnde procreat pallidos in virginibus calores, & cachexiam, aquam flauam pruritus, vlcera, fluxus albos in fœminis, dolores dentium, & reliquos morbos infra nominandos. At vero ipſa in grad. 12. vltimis ♈ eſt calida & ſicca in principio 1. grad. generans tenuem pituitam & choleram flauam, & cholera habebit dominium producens morbos vt *infra*, & gonorrhæam, corruptionem ſanguinis, variolas & vomitum.

♀ in ♈ combuſt. ☾ in □ ad ♄ in ♌ facit menſtruorum obſtructionem, dolorem hepatis, capitis ſtomachi & ventris.

♀ in ♈ combuſt. ☾ ſep. à ♄ in ♌ retrog. ♂ dom. horæ facit gonorrhæam & arenulas, & dolorem capitis in homine.

♀ in ♈ ☾ ſepar. à ☿ combuſt. facit menſtruorum obſtructionem, catarrhum in pulmones pene ad ſuffocationem & eleuationem eorum.

♀ in ♈ in ⚹ ad ♂ & in ☌ cum ♃ in ♈ ♀ dom. horæ in ♓ facit corruptionem ſanguinis, vlcera, rheumata, pruritus, ſcabies & dolorem capitis.

♀ in ♈ in ☌ cum ♃ facit Ictiritiam flauam.

♀ in ♈ ☌ cum ♂ facit calculum in renibus.

♀ in ♈ ♂ in ♍ facit gonorrhæam, calculum & dolorem ventris.

♀ in ♈ & ☾ tranſiens à ♂ in ♈ ♌ vel ♐ facit calculum & icteritiam, febrem ardentem à nimia cholera & inflammatione.

♀ in ♈ appl. in ⚹ ad ♂ in ♊ & ☾ ſept. à ♄ in ♍ facit cholicam paſſionem, vomitum, febrem, debilitatem, dolorem cordis, dolorem & angorem in matrice.

♀ in ♈ combuſt. ☾ ſepar. à ☉ in ♈ appl. ☿ in ♉ dom. exiſtens aſcendentis, producit Epilepſiam.

♀ in ♈ ♄ dom. horæ in ♎ ☾ ſep. à ☿ in ♊ facit pleuritidem.

♀ in ♈ combuſt. ♄ in ♏ dom. horæ retrog in ſexto ☾ ſep. à ☉ in ♈ appl. ☿ in ♉ facit ſanguinis exitum per anum, & hæmorrhoides, & ſuffocationem matricis & vomitum.

♀ in primis 6. grad ♌ eſt calida & ſicca in primo gradu faciens morbos ex cholera flaua & tenui aqua in ſtomacho, matrice & renibus, producitque rheumata, catarrhos, puſtulas, fluxus, vlcera, pruritus, ſcabies, arenulas ardentes, habetque cholera in iſta mixtione dominium, faciens hydropes, hæmorrhoides, debilitatem, pallidos colores, vomitumque ex multa cholera, apoſtemata, inflammationes, icterum, opilationes, cholericam paſſionem, colicam paſſionem in ſtomacho & inteſtinis, variolas, dolorem in dextro capitis latere. At vero ipſa in grad. 18. ♌ ſequentibus eſt calida & ſicca in ſecundo gradu, gignens denſam choleram flauam, & tenuem aquam, haberque cholera dominium, efficiens morbos tam *ſupra* quam *infra* dictos. Denique ipſa in grad. 6. vltimis ♌ eſt calida & ſicca in principio 3. producens infirmitates à denſa rubra cholera & tenui aqua, & cholera habebit dominium generans morbos ſupra allegatos, & internum calorem & externum frigus, & febres tales, dolorem ſtomachi, opilationes hepatis, indigeſtionem, hæmorrhoides, pruritus, ſcabies, fluxus, tumores, apoſtemata, &c.

♀ in ♌ ☾ appl. ☿ in ♍ facit gonorrhæam & acrimoniam vrinæ.

♀ in ♌ ☾ ſep. à ☉ in ♋ producit variolas in infantibus.

♀ in ♌ ♃ in ♍ dom. horæ ſep. à ♀ facit apoſtemata, pleuritidem.

♀ in ♌ ☾ ſep. à ♃ in ♍ appl. ☉ facit colicam paſſionem & ſuffocationem matricis.

♀ in ♌ ☉ in ♍ dom. horæ ☾ ſepar. à ♃ in ♈ appl. ♀ in ♌ facit multum dolorem capitis, & humorem in corpore volatilem, qui quandoque tumorem facit in capite, & etiam in aliis partibus.

♀ in ♌ dom. horæ ſep. à ♄ in ♍ patit dolorem in corde, cerebro, ſtomacho & renibus, tumorem in ventre & febrem.

♀ in

♀ in ♌ gradu vltimo in quarta facit apostemata inter pannicula laterum in dextro latere.

♀ in gradib.12.primis ♐ est calida & sicca in 3. gignens morbos ex cholera rubra spissa & aqua tenui,& cholera habet dominium,faciens morbos sequentes. At vero ipsa in gradib.18. vltimis ♐ est calida & sicca in principio grad.quarti faciens morbos ex densa & rubra cholera,& tenui & aquatico phlegmate,& cholera habet dominium , faciens morbos in testiculis & partibus secretis,tumorem testiculorum,dolorem matricis & vuluæ,pallidos colores,tumorem ventriculi,inundationem cystis fellis,hæmorrhoides, calculum,plurimas arenulas , & calorem in dorso febres ardentes , diuturnas cum dolore capitis,stomachi & dorsi grandi : incipiunt autem cum frigore & tunc in calores transeunt continuos per duodecim horas, eleuationes pulmonum, idque ad suffocationem fere à calido & salso humore in pulmonibus dolorem sub lateribus efficiente circumcingentem,similiter in imo ventris : porro etiam variolas, calculum, morbum Gallicum,tympanitidem,scorbutum,maculas in corpore rubras,sudores circa genua & tibias,& quandoque cholericam passionem & cholicam ventosam.

♀ in ♐ coniunctus cum ☉ dom.horæ,& ♂ ambo in ♎ facit cachexiam,humorem in corpore volatilem,& de loco in locum currentem ab humore salso cum sanguine.

♀ in ♐ coniunctus cum ☿ in ♎ facit colicam passionem.

♀ in ♐ iunctus cum ☉ in ♎ & ♃ in ♒ facit febrem ardentem ex duobus paroxysmis cum magno dolore in capite & stomacho.

♀ in ♐ dom. horæ ☾ sep.à ♀ in △ ☿ in ♎ & post appl. ♂ in ♎ facit colorem in virginibus pallidum,sanguinis corruptionem,consumptionem & febrem.

♀ in ♐ coniunctus cum ☉ in ♏ facit ardorem cordis,febrem ardentem, & multum flatum.

♀ *in Terrea Triplicitate ex* ♉ ♍ *&* ♑ *conflata.*

♀ in grad.18.primis ♉ est temperata in siccitate & humiditate gignens morbos ex melancholia & tenui phlegmate , sed melancholia habet dominium, faciens dolorem cerebri & capitis,similiter surditatem & dolorem aurium , vt *infra*. At ♀ in vltimis 12. grad. ♉ est frigida in principio secundi grad.& sicca in principio primi,generans morbos ex crassa melancholia & tenui pituita,habetque melancholia dominium,facitque surditatem,multum flatum,dolorem laterum & punctionem,rheumata, dolores dentium & lienis,dolorem dorsi, morphæam,eructationes plurimas,calculum,scorbutũ, morbillos.

♀ in ♉ ☾ sep.à ☿ appl. ♀ facit timiditatem & perturbationem animi, debilitatem hepatis,obstructiones,& rheuma magnum.

♀ in ♉ ☾ sep.à ☉ in ♉ appl. ♀ in ♉ sexto facit dolorem capitis & in superiori ventriculi parte & in coxendice,debilitatem membrorum , lienis malum , punctionem & multum flatum.

♀ in ♉ coniuncta cum ♄ in ♉ ♍ ♑ ♊ ♎ aut ♒ facit suffocationem in mulieribus & in hominibus colicam passionem & indigestionem.

♀ in ♉ ♂ in ♌ dom.horæ 10 ☾ in ♐ sep. a ♄ in ♍ appl. ♂ facit menstruorum obstructionem,vomitum, calorem volatilem,dolorem capitis.dorsi & stomachi.

♀ in ♉ ☉ in ♈ dom.horæ ☾ in ♏ sep.à ♃ in ♋ appl. ♂ in ♓ facit morpheam,multum rheuma,melancholiam,aquam in stomacho , capite, humoris, multum flatum & arenulas rubras à dorso.

♀ in ♉ ♂ in ♓ dom.horæ ☾ in ♐ sep.dom. horæ in ♎ & appl. ☉ in ♈ facit squinantiam,scorbutum & catarrhum.

♀ in ♉ ♄ dom.horæ in ♎ quinto ☾ in ♍ sep.à ♀ appl. ♂ in ♍ tertio facit scorbutum,tumorem in facie & gingiuis,& dolorem in collo.

☉ in primis 6.grad. ♍ est frigida in secundo grad.& sicca in primo faciens morbos ex melancholia & tenui aqua,& melancholia habet dominium faciens morbos vt *infra*. At si sit in proximis 18 grad. ♍ frigida est in tertio gradu & sicca in secundo producens morbos *infra* dictos.Denique si inueniatur in gradib.6. vltimis ♍ est frigida in principio quarti & sicca in principio tertii faciens morbos ex melancholia & tenui pituita in ventre intestinis,& vertebris dorsi & passiones hypochondriacas , desperationem,colicam passionem.verrucas, nodos,Iliacam passionem, chiragram,podagram, gonagram,sciaticam tumorem genuum,& alios tumores à frigido humore,seu catarrho , stranguriam,calculum in renibus & vesica gonorrhæam.

♀ in ♍ in △ cum ♂ facit rupturam in ventre, videlicet vmbilicalem.

♀ in ♍ ☌ cum ♄ in ♍ ☾ sep.à ☉ in ♋ appl ♃ in ♉ facit gonorrhæam, apostema in vesica & stranguriam.

♀ in ♍ ☾ dom.horæ in ♉ sep. à ☿ in ♍ appl. ♀ in ♍ facit tumorem in tibiis & mul-

multum sudorem ac si æger hydrope laboraret, & manus ipsius rumescunt cum sicca podagra, facitque rigiditatem in iuncturis & flatum excurrentem per totum corpus.

♀ in ♍ ♂ dom. horæ in ♍ ☾ in ♍ sep. à ♂ appl. ☿ in ♍ facit ventrositatem & morsum in ventriculo, tumorem in manibus à Venereo & arthritico humore, etiam æger erit Epilepsia correptus, ac tota massa sanguinea & corpus vniuersum melancholia, cholera & phlegmate infecta.

♀ in ♍ ☾ in ♎ dom. horæ sep. à ♃ in ♒ & in ✶ ☉ in ♌ & tum postea venit ad ♂ in ♍ facit anthracem in inguine, & hepar inficitur, dolet æger capite, ventriculo, latere, renibus, habetq; febrem & tremorem corporis.

♀ in ♍ in ✶ aut □ ad ♂ facit rupturam in ventre iuxta vmbilicum.

♀ in grad. 12. primis ♑ est frigida in quarto & sicca in tertio gradu, gignens morbos à melancholia & tenui pituita, dolores iuncturarum, &c. vt *infra*. At ipsa in vltimis 18. grad. ♑ est frigida in extremitate quarti grad. & sicca in principio tertii generans frigidam melancholiam & tenuem pituitam, at melancholia habet dominium vt 4. ad 1. faciens dolores iuncturarum, tibiarum, & sciaticam, apostemata sicca, rheumata, catarrhos, obstructiones pulmonum, tusses, paralysim, hydropem, tympanitidem, dolorem laterum & lienis atque in corde, consumptiones, animi grauitatem & stupiditatem, timiditatem suspicionem veneficii, desperationem, languorem, vexationem & curas, semper ad morbosam dispositionem pronos, febres frigidas, spiritus vexationem, mentis perturbationem, nodos, verrucas, molas, &c.

♀ in ♑ coniuncta cum ☾ ☿ & ♃ in ♊ ♎ aut ♒ facit extremum dolorem in capite & febrem duorum paroxysmorum.

♀ in ♑ iuncta cum ☉ in ♒ & ♂ in ♉ facit dolorem renum, calculum, colicam passionem, & torsionem.

♀ in ♑ coniuncta cum ☾ in ♋ facit relaxationem iuncturarum & tensionem seu luxationē neruorū, chiragrā, debilitatem iuncturarū, manuū à nimio frigore & humore.

♀ in ♑ ☾ dom. horæ in ♋ sep. à ♄ in ♌ appl. ♂ in ♍ facit præcipitationem matricis, & obstructionem menstruorum, simul atque dolorem in dorso & capite.

♀ in ♑ in ☌ cum ☿ dom. horæ ☾ in ♈ sep. à ♂ in ♍ facit calculum in vesica.

♀ *in Triplicitate Aerea, videlicet in signis* ♊ ♎ ♒.

♀ in primis 18 grad. ♊ est temperata in frigiditate & caliditate, sed humida in primo gradu, generans morbos ex sanguine & humore aquatico, sed sanguis habet dominium efficiens morbos infra dictos. At ipsa in gradib. 12. sequentib. ♊ est calida in principio primi gradus, & humida in principio secundi producēs morbos ex sanguine & humore aquatico, sed sanguis habet dominiū; hinc oriuntur fluxus sanguinis è naribus, fluxus mulierum sanguinei, atque etiā hæmorrhagiæ in vtroque sexu, tumores, pleuritides, apostemata, peripneumoniæ & eleuationes pulmonū, morbus regius, punctiones & torsiones, glandulæ, angina, dolor dentiū, tussis, fluor alborum & rubeorū in muliere, & gonorrhæa in viro, dolor generalis in corpore, capite, gutture, sanguinis radiatio in facie & oculis, &c.

♀ in ♊ cum ♂ in ♍ facit morbillos & malū gutturis, dolorē ventris, & vomitum.

♀ in ♊ coniuncta solummodo ♂ in ♋ facit scorbutum in ore.

♀ in ♊ in ☌ cum ☉ in ♊ ☾ sep. à ♃ in ♎ facit hydropem in tibiis.

♀ in ♊ ☾ in ♍ dom. horæ sep. à ☉ in ♉ appl. ♀ & ♀ in ✶ ad ♃ in ♉ facit calculum in renibus cum flatu plurimo in ventre & intestinis.

♀ in ♊ ♄ in ♎ dom. horæ retrog. 12. ☾ in ♎ sep. à ♀ appl. ♃ in ♌ facit reuulsionem menstruorum in fœmina, & dolorem generalem in toto corpore, multum sanguinem à naribus, & sputum sanguinis & apostema atque phrenitidem.

♀ in primis 6. grad. ♎ est humida in secundo gradu & calida in primo generans morbos ex spisso sanguine & tenui aqua, & sanguis habet dominium faciens morbos *infra* denominatos. At si in gradibus 18. sequentib. reperiatur est calida in gradu secundo & humida in tertio producens infirmitates ex tenui aqua & denso sanguine, & sanguis habet dominium faciens tumores, guttam rosaceam, apostemata, fluxum sanguinis è naribus, fluxus sanguineos omnes in mulieribus & viris, eleuationes pulmonum, peripneumoniam, squinantiam, & morbos antea ♀ in ♊ attributos, sed in altiori & superiori gradu. Denique ipsa in grad. 6. vltimis ♎ est calida in principio 3. & humida in principio 4. generans morbos & humores vt *infra* latius.

♀ in ♎ coniuncta cum ♄ in ♏ facit fluxum ventris, scorbutum, febrem duorum paroxysmorum, morbumque languidum & consumptiuum.

♀ in ♎ iuncta cum ♃ in ✶ facit multum sanguinem è naribus, pleuritidem in si-

nistro latere, ventum, seu flatum subtilem per vniuersum corpus discurrentem.

♀ in ♎ ☉ in ♎ dom. horæ ☽ sep. à ☿ in ♎ appl ☉ efficit humorem calidum in oculis & multum in ipsis dolorem, atque etiam in corde à subtili & vaporoso excurrente per vniuersum corpus.

♀ in ♎ ☽ in ♈ dom. horæ sep. à ♃ in ♓ facit suffocationem matricis & vomitum.

♀ in ♎ ☉ in ♎ dom. horæ ☽ sep. à ♀ appl. ☿ in ♎ facit phrenitidem.

♀ in ♎ ☉ in ♏ dom. horæ ☽ in ♌ sep. à ☉ appl. ♂ in ♉ facit pallidos colores in virginibus cum dolore capitis & renum, simulatque debilitatem.

♀ in 12. primis grad. ♒ est calida in grad. tertio & humida in quarto efficiens morbos ex humoribus supradictis in ♊ & ♎ allegatis, atque etiam gonorrhæam, vermes in ventre, atque alios putridos humores ex venenoso sanguine. At vero in grad. 18. vltimis est humida in extremitate quarti morbosque supradictos grauiores reddit.

♀ in ♒ coniuncta cum ☉ in ♈ & ♄ in ♎ facit scorbutum.

♀ in ♒ coniuncta cum ☉ in ♈ & ♃ in ♌ facit podagram excurrentem, & tumorem in brachiis ac tibiis ab humore Venereo.

♀ in ♒ coniuncta cum ♄ in ♎ arguit plurimas in renibus arenulas, ardorem vrinæ, colicam ventosam, dolorem in ventre & stomacho.

♀ in ♒ coniuncta cum ☿ in ♒ facit febrem & dolorem in renibus & stomacho.

♀ in ♒ coniuncta ♄ in ♏ in 6. facit scorbutum, tumorem tibiarum & maculas ceruleas cum dolore gingiuarum ♄ vndecimo in ♏ ♀ 26. ♒.

♀ coniuncta cum ♃ in ♒ & ☉ in ♐ facit febrem saluaticam per totum corpus excurrentem, & profluuium seminis.

♀ in ♒ coniuncta cum ♃ in ♒ & cum ☽ in ♓ sep. à ♂ in ♉ appl. ♄ in ♌ facit reuulsionem menstruorum ad stomachum & sputum sanguinis, & tussim grauem, & venæ ruptionem, & laxationem iuncturarum manuum, & lubricitatem alui, &c.

♀ coniuncta cum ♂ in ♒ facit calculum & stranguriam.

♀ *in Triplicitate Aquea, videlicet in signis* ♋ ♏ *&* ♓.

♀ in primis 18 grad. ♋ est frigida & humida in gradu primo faciens morbos ex pituita salsa & aqua. At vero in grad. 12. vltimis est frigida in principio gradus secundi efficiens morbos ex nimia frigiditate & phlegmate salso in brachiis, humeris, manibus digitis, rheumata intumescentia, apostemata, catarrhos, hydropes, passionem diabeticam, colicam passionem, vermes, paralysim, punctione in ventriculo apoplexiam, epilepsiam, analepsiam, catalepsiam, vertiginem, dolorem laterum & cordis, tumorem faciei dolorem dentium, scorbutum & podagram frigidam.

♀ in ♋ coniuncta cum ☉ in ♊ & ♃ in ♒ facit vertiginem.

♀ in ♋ coniuncta cum ♄ & ☉ in ♉ facit pestem & febrem ardentem.

♀ in ♋ coniuncta cum ♃ in ♑ retrog. & cum ☉ in ♉ facit febrem vagantem in fœmina cum dolore in ventre.

♀ in ♋ coniuncta cum ♄ in ♌ appl. ♃ in ♈ facit putrefactionem matricis.

♀ in ♋ coniuncta cum ☿ in ♋ ☽ separata à ♃ in ♌ appl. □ ♂ dom. horæ in ♎ facit phrenitidem & maniam.

♀ in ♋ ☽ in ♏ sep. à ♂ in ♉ appl. ♄ in ♏ generat pustulas & tumores pestilentiales in facie etiam vomitum.

♀ in 6. primis grad. ♏ est frigida & humida in gradu secundo gignens infirmitates ex multo, spisso, fœtido & corrupto phlegmate & aqua, facitq; in mulierib. fluxus albos & alios morbos qui exprimuntur ♀ existente in ♋ & qui sequuntur. At vero ipsa in grad. 18 ♏ est frigida & humida in gradu tertio faciens morbos ex humoribus antedictis, videlicet morbū Gallicum, variolas, debilitatem & insufficientiam in actu generationis, fluxum spermatis, titillationem pulmonū, & sudores frigidos. Denique in vltimis grad. 6. ♏ est frigida & humida in principio quarti generans humores & morbos antedictos, atque calculum.

♀ in ♏ coniuncta cum ♄ in ♉ ♍ ♑ in fœmina facit suffocationem matricis in hominibus colicam passionem.

♀ in ♏ coniuncta cum ♃ in ♓ facit indigestionem stomachi, debilitatem hepatis, vomitum, suffocationem matricis & hydropem.

♀ in ♏ coniuncta cum ♂ in ♍ & ♄ in ♌ denotat flatum in corpore, dysenteriam & punctionem in latere sinistro.

♀ in ♏ combust. de ☉ in ♏ facit tumorē pedum & tibiarū, & tumores in inguine.

♀ in ♏ cōiūcta cū ♃ in ♒ & ♂ in ♎ & ♂ in ⚹ à ☉ facit strāguriā & passionē colicā.

♀ in ♏ in ⚹ à ♃ in ♍ & ☽ in ♍ sep. à ♀ facit multum dolorem in cerebro & brachiis, iuncturis atque genubus ab humore Venereo.

♀ in

♀ in primis 12.grad. ♓ est frigida & humida in gr. 4. generans multum spissum, viscidum & salsedinosum phlegma & aquam. At ipsa in vltimis 18.grad. ♓ est frigida & humida in extremitate grad. 4. passiua, generans morbos in prædictis huius triplicitatis signis comprehensos, similiter corruptionem hepatis, vermes in stomacho, & frigidos dolores pungentes in carne, corruptionem in carne, corruptionem sanguinis ab humore venenoso, herniam aquosam.

♀ in ♓ coniunctus cum ☾ in ♋ & ♄ in ♎ producit frigidam podagram, tumorē in manibus & pedibus, humorem podagricum vaporosum per corpus excurrentem, à loco videlicet in locum.

♀ in ♓ in ☍ cum ☿ in ♓ & ☾ sep.à ♄ in ♌ appl. ♃ in ♒ facit cholericam passionem.

♀ in ♓ coniuncta cum ♂ in ♐ si transeat à ♃ in ♓ appl.ad ♀ facit calculum & dolorem in renibus, ventre, coxendice, & febrem quartanam.

♀ in ♓ coniunctus cum ☉ in ♈ significat dolorem circa ossa, morbum Gallicum, febrem, tumorem carnis & iuncturarum.

♀ in ♓ ☾ in ♈ sep.à ♀ appl. ☿ in ♈ dom.horæ, facit debilitatem membrorum, grauia apostemata, congelationem putridi phlegmatis, & spissos frigidosq; humores mixtos cum flaua cholera, calculum instar calcis in vesica, & podagram in iuncturis aut hydropem.

♀ in ♓ coniuncta cum ♂ in ♒ dom.horæ, producit hydropem, tumorem corporis & tibiarum, variolas.

CAPVT XII.

In quo morbi multiformes recensentur, quos producit Mercurius per 4. Zodiaci triplicitates discurrens, & primum de ipsius effectibus insalubribus, dum per signa triplicitatis Igneæ, videlicet ♈ ♌ & ♐ transit.

MErcurius in primis 18. grad. ♈ est temperatus in frigiditate & caliditate, sed siccus in grad.1. faciens morbos ex tenui subtiliq; cholera flaua & melancholia tenui æqualiter mixtis, videlicet pruritum, rheuma, febres, variolas, serpigines & cæteras qui sequuntur. At ipse in grad. vltimis 12. ♈ est calidus in principio primi & siccus in principio 2. producens morbos ex cholera flaua spissiori quam in prioribus cum tenui melancholia, & bilis habebit dominium, facitq; infirmitates cerebri, febres æstuosas, pruritus, pustulas, calores corporis, cancros, morbum regium, ignem S. Antonii, seu Erysipelas, caliginem oculorum, menstruorum obstructionem, suffocationem matricis, phrenitidem, malas & horridas cogitationes, mentis vexationem, idque præcipue si ♂ aspiciat ☿ febres intermittentes, tusses, dolorem thoracis, & pulmonum, & stomachi vapores ascendentes ad caput, pulmonum eleuationem, idque præcipue si ♂ aspicit ☿ à ♊ ♎ vel ♒ &c.

☿ in ♈ dom.12.vel 6.combust.& ☾ sep.à ♂ in ♓ facit periculosum hydropem de aqua.

☿ in ♈ retrog.& combust. ☾ sep.à ♃ in ♉ & à ⚹ à ♃ & ♀ facit hydropem in toto corpore & ventris fluxum.

☿ in ♈ ☍ cum ☾ si ♄ aut ♂ aspiciat ☿ facit epilepsiam.

☿ in ♈ in 6. facit dolorem in capite à siccitate, cerebri siccitatem, & flatuositatem in capite somnum aufferentem, pustulas in facie, æstum & ardorem in ore, dolorem linguæ, febrem æstuantem, & sanguinis ebullitionem, idque præsertim si ♂ sit in aliquo aspectu cum ☿ ab ♈ vel ♐.

☿ in ♈ in △ ad ♂ in ♌ sep. facit rupturam in ventre fœminæ.

☿ in grad.6.primis ♌ est calidus in grad.1.& siccus in 2.generans morbos & humores vt superius est dictū. At ipse in grad.18.sequentib. ♌ est calidus in 2.& siccus in 3. grad.gignens multum choleram flauam, spissam, & melancholiam tenuem & subtilem, sed cholera habet dominium, faciens siccitatem neruorum & musculorum cum dolore humerorum & iuncturarum, similiter hemorrhoides, febres ardentes, &c. Deniq; in vltimis 6.gr. ♌ est ipse calidus in principio grad.3. & siccus in principio 4. producens multam choleram rubram, & tenuem melancholiam sed cholera habet dominium, faciens variolas, morbillos, sciaticam, noli me tangere, spasmum, contractionem neruorum à nimia siccitate, tussim siccam obstructionem pulmonum, debilitatē, morbos lāguidos, paralysim & tremorem membrorū.

☿ in ♌ coniunctus cum ☉ in ♋ facit vomitum, somnolentiam & torporē, variolas, dolorem capitis & ventriculi, internam frigiditatem & externam caliditatem à nimia cholera.

☿ in ♌ coniunctus cum ♀ in ♌ facit febrem tremulā, & timiditatē & dolorem in ventre.

☿ in ♌ coniunctus cum ♄ in ♍ & ♃ in ♊ producit hæmorrhoides in parte secreta mulieris.

☿ in ♌ ſeptimo ♄ dom. horæ in ♎ ☽ in ♒ ſep. à ☉ in ♌ appl. ♐ in ♊. generat morbos à multa cholera & melancholia mixtis cum ſanguine, gignitque iſta mixtio morbum Gallicum & cariem Gallicam, icteritiam & tumorem ſub auribus.

☿ in primis 12. grad. ♐ eſt calidus in 3. gradu & ſiccus in quarto gignens morbos & humores vt antea & infrà. At ſi in 18. ſequentibus, eſt calidus fere in quarto gradu & ſiccus in extremitate quarti faciēs morbos & humores antea expreſſos in iſta triplicitate, ſed in altiori gradu, atq; etiam podagram ſiccam febrem, ardentem quę conſumit humidum radicale, cōſumptiones, calculum & dolorem renum, & circa vmbilicum, punctionem plurimam in capite, fronte & brachiis atque tibiis, dolorem in latere & conuulſionem viſcerum, torſionemque inteſtinorum ex humore venenoſo, multum dolorem & flatum in dextro latere, ſeu regione hepatis, ſtuporem capitis & cerebri, caliditatem, ſiccitatem & duritiem hepatis, & obſtructionem menſtruorum, ſiccitatem oris & linguæ ex ſalſo & acido humore in guttute, & pulmone, naturam conſumentibus.

☿ in ♐ cum ♂ in ♍ ☉ in ♐ facit hæmorrhoides & dolorem in latere dextro multum ſub coſtis, atque etiam in collo & ſtomacho.

☿ in ♐ coniunctus cum ♄ in ♌ & ♂ in ♏ facit tabem ſeu conſumptionem cum dolore renum & ſtomachi plurimo.

☿ in ♐ coniunctus cum ♃ in ♒ & ☾ recedente à ♄ in ♌ appl. ♂ in ♏ facit variolas, dolorem capitis & lateris dextri.

☿ *in Triplicitate Terrea conſiſtente ex* ♉ ♍ ♑.

☿ in gradib. 18. primis ♉ eſt frigidus & ſiccus in principio gradus 1. gignens duas melancholiæ ſpecies, videlicet denſam & ſubtilem morbos ſequentes conſtituentes. At in gradibus eiuſdem 12. ſequentibus ♉ eſt frigidus & ſiccus in principio 2. gr. generans humores antedictos frigidos & ſiccos, & ex morbis infirmitates neruorum & muſculorum, videlicet frigidam & ſiccam podagram, ſciaticam, quartanam, tumorem membrorum, ſiccitatem pulmonum, cancrum, molam, verrucas, nodos, cornua pedum, tophos ſeu glandulas in carne, variolas & morbillos, morphæam nigram, præcipitationem matricis, & varieformes paſſiones melancholicas lienis, multum flatum, indigeſtionem, duritiem pulmonum, triſtitiam, grauedinem, timorem vexationem, deſperationem frigiditatem ſtomachi, tuſſim, ſiccam, tabem, colicam ventoſam, torſionem inteſtinorum, ſtultitiam, ſpaſmum, paralyſim, & contractionem in collo.

☿ in ♉ coniunctus cum ♂ in ♌ facit luem Veneream ſiccam.

☿ in ♉ 11. dom. horæ, & planeta à quo ☾ ſeparatur, facit multum dolorem circa os ſacrum, & colicam paſſionem.

☿ in ♉ coniunctus cum ♀ in ♓ facit menſtruorum obſtructionem, dolorem in capite, ſtomacho, dorſo ac tibiis, atque humeris, & febrem duorum paroxyſmorum, plurimos humores frigidos, tumores & flatuoſitates in ventre & tibiis, quaſi hydropem & tuſſim grauem paroxyſmos epilepticos in pueris cum tremore frigido & dolore in capite, ſtomacho & ventre.

☿ in ♉ in ☌ cum ♄ facit leuitatem in capite, maniam, phrenitidē, ſi ſint in aſcendente.

☿ in ♉ in 7. retrog. & combuſt. facit vlcera in facie currentia, fiſtulaſque in tibiis.

☿ in ♉ in 8. luna ſep. à ☉ in ♉ appl. ♂ in ♊ 9. facit tumorem teſticulorum & dolorem renum.

☿ in primis 6. grad. ♍ eſt frigidus & ſiccus in 2. gradu, generans duplicem melancholiã, efficitq; morbos qui in ♉ recenſentur. At in 18. ſequentib. ♍ eſt frigidus & ſiccus in gr. 3. generans humores prædictos & morbos antea recitatos & infrà nominandos in ♉. Deniq; in 6. vltimis gr. ♍. eſt frigidus & ſiccus in principio 4. gr. efficiēs morbos ex duplici melancholia, vt in ♉ atq; etiã vermes, ſtipticitatem ſiue conſtrictionem alui, amiſſione ſermonis, &c.

☿ in ♍ obſeſſus à ♂ & ♄ in ♍ facit multum ſanguinis è naribus profluuium, dolorem in fundo ventris & gutturris, magnam ſiccitatem cum conatu ad vomitum abſque effectu, hoc eſt nauſeabunda diſpoſitione.

☿ in ♍ ♄ in ♌ dom. horæ, ☾ ſep. à ☿ appl. ☉ in ♍ facit phrenitidem, dolorem capitis, cerebrum ſiccum.

☿ in ♍ coniunctus cum ♃ in ♊ & ♂ in ♌ facit cachexiam & colorem pallidum ſeu viridem in virginibus.

☿ in ♍ ☉ dom. horæ in ♍ ☾ in ♈ ſep. à ♃ in ♒ appl. ♄ in ♍ facit menſtruorum reuulſionem, eſtq; mulier inſtar maniaci, aut quaſi poſſeſſa malo ſpiritu, adeſtque deſperatio, ita vt ſuo corpori damnum inferre tentet, ſitq; à multa melancholia circa cor & cerebrum.

☿ in primis 12. grad. ♑ eſt frigidus & ſiccus in grad. 4. generans morbos ex plurima, ſicca & rebelli melancholia, efficitque maniam, deſperationem, paſſionem melancholicam, & mor-

& morbos igneos inguinis & virgæ virilis, vesicæ, debilitatem in actu coitus, calculum vesicæ, diabetem, debilitatem musculorum vesicæ & neruorum, vsum virgæ aufferens, conuulsionem paralysim & stuporem membrorum, apoplexiam, obstructionem venarum, atrophiam, molam matricis, suffocationem vteri, verrucas, nodos, carnis excrescentiam, contractionem neruorum, timorem, tremorem, perturbationem animi, visiones malas, phantasmata vana oculis apparentia, phthisim, difficultatem respirandi, duritiem lienis, vomitū, memoriæ læsionem & intellectus, & cæteros qui in ♉ recensentur. At in gradib. 18. vltimis est frigidus & siccus in extremitate grad. 4. idque vltra naturæ limites, producens morbos antedictos, sed magis incurabiles, videlicet calculum vesicę consumptionem, ictericiam flauam, febrem quartanam, spasmos, paralyses, &c. qui morbi sunt in gradu altissimo & quasi incurabili, medicamentis vulgaribus, quoniam morbi isti sunt frigidi & sicci supra naturæ communis rationem.

☿ in ♑ 12. ♄ dom. horæ in ♌ retrog. ☾ in ♏ separata à ♂ in ♏ appl. ♄ facit plagam nigram, & tumorem sub auribus.

☿ in ♑ coniunctus cum ♃ in ♒ à ♄ in ♌ facit variolas & plurimū in humeris dolorē.

☿ in ♑ ☍ in ♏ dom. horæ ☾ in ♐ separata à ♄ in ♌ appl. ☿ facit generalem debilitatem per totum corpus, & multum dolorem in capite & collo atque latere, ♌ animi curam & vexationem & fluxum spermatis.

☿ in ♏ dom. horæ in 12. vel 6. aut planetæ à quo ☾ sep. & in 8 aut 9. facit calculum vesicæ, & multum dolorem ac tremorem.

☿ *in Triplicitate Aerea, videlicet in signis* ♊ ♎ ♒ *effectus.*

☿ in primis 18. grad. ♊ est temperatus in omnibus suis 4. qualitatibus, & tamen nihilominus facit ipse intemperiem aliquam in corpore gratia melancholiæ subtilis quæ cum sanguine permiscetur. At ipse in grad. 12 vltimis ♊ est calidus & humidus in principio grad. 1. faciens multum tenuis & subtilis melancholiæ cum sanguine, sed sanguis habet dominium, efficitq; perturbationem animi, timorem, tremorem, visiones & phantasmata varia quæ oculis obiiciuntur, atq; alias animi passiones, vt sollicitudinem, vitamque solitariam, grauedinem, similiter paralysim linguæ, amissionem sermonis, dolorem dentium, lęsionem memoriæ, apostemata, dolorem in cerebro, & aure sinistra & in naribus, sensuumq; instrumentis. Porro etiam alui fluxum, dolorem humerorum, matricis, dolorem & flatum in ventriculo.

☿ in ♊ ☾ in ♏ separ. à ♀ in ♈ appl. ☍ ☉ arguit dolorem in vertice capitis & renibus, consumptionem naturæ spermaticæ atque acrimoniam vrinæ.

☿ in ♊ 8. ☾ in ♍ sep. à ♂ appl. ♄ in ♌ facit dolorem & tumorem in amygdalis & radice linguæ, & in musculis gutturis à sanguine & melancholia.

☿ in ♊ 11. ☾ in ♏ sep. à ☿ appl. ♀ in ♉ ♄ dom. horæ in ♌ in ascend. facit dolorem capitis & renum, magnam sitim in stomacho & dolorem ossium, & fortem febrem calidam & siccam à melancholia & cholera.

☿ in ♊ ☾ in ♊ appl. ♃ in ♒ facit tincturas seu maculas rosato colori simillimas in facie & capite à multo sanguine.

☿ in ♊ ♃ in ♑ dom. horæ 7. ☾ sep. à ☉ ♐ appl. ♂ in ♒ facit apoplexiam, phrenitidem, febrem, dolorem capitis, timorem, tremoremque à cholera æruginosa.

☿ in ♊ in ☌ ad ♀ ♄ dom. horæ in ♎ retrog. in 4. ☾ in ♊ sep. à ☌ ☉ in ♊. appl. ♄ denotat morbum esse à multa melancholia cum sanguine genitum; quare efficit ☿ in ista positione spasmum, fluxum ventris, multum flatum, vomitum, ventris torsionem circa cor, & in ventriculo visceribusque.

☿ in gradibus 6. primis ♎ est calidus & humidus in 1. gr. At in sequentibus 18. est ipse calidus & humidus in gr. 2. generans morbos ex tenui, acuta & subtili melancholia se permiscente & currente cum sanguine, sed sanguis habet dominium, facitq; morbos vt in ♊ dictū est sed in altiori gradu. At vero si inueniatur in 6. grad. ♎ in principio grad. 3. generans morbos antedictos, sed sanguis habet dominium vt 2. ad 1. similiter syncopen, cardiacam passionem, rheuma, pulmonum obstructionem, pleuritides, apostemata, debilitatem, timiditatem, visiones terribiles, variolas, phrenitidem, colorem virginum pallidum, stranguriam, diabetem, &c.

☿ in ♎ coniunctus cum ♂ facit fluxum & spermatis profluuium.

☿ in ♎ ☉ in ♍ dom. horæ, sep. à ♀ appl. ☿ facit febrem, vomitum, multum dolorem capitis & cordis ♀ in ♎.

☿ in ♎ coniunctus cum ♂ in ♍ & ♄ in ♌ facit calculum & ardorem vesicæ, & aliquam excrescentiam in collo vesicæ.

☿ in ♎ 12. ♀ dom. horæ ☌ cum ☿ in ♎ ☾ in ♓ sep. à ♃ in ♒ appl. ☍ ☉ in ♍ facit sciaticam & dolorem coxendicis, & stuporē cruris & tibiæ, plurimum dolorem in mandibulis.

☿ in

☿ in ♎ in nona ♃ dom. horæ in ♒ ☾ in ♊ ſeparata à ♃ & iterum appl. ♃ dolorem arguit internum & in veſica, ita vt vrinam retinere nequeat, habet enim paſſionem diabeticam, ſtranguriam & calculum, & venit à reuulſione naturæ & ex mala diæta, aut malo medicamento.

☿ in ♎ in aſcend. facit variolas, phrenitidem, dolorem dorſi, obſtructionem pulmonum.

☿ in primis 12. grad. ♒ eſt calidus & humidus in grad. tertio generans morbos ex denſo ſanguine & tenui melancholia, & ſanguis habet dominium faciens morbos in ♊ recitatos. At ſi in vltimis grad. 18 ♒ eſt calidus & humidus fere in grad. quarto gignens multum ſpiſſum ſanguinem & tenuem melancholiam, efficitque dolorem in cruribus, & iſciaticam, apoſtemata, ſquinantiam ſiue Anginam, aut tumorem in gutture, impedimenta pulmonum & radicis linguæ, paralyſim, tuſſim, dolorem renum, lienis, hæmorrhoides, dolorem viſcerum, colicam ventoſam & aliam inteſtinorum torſionem, febrem, ſuffocationem matricis, & præcipitationem eiuſdem.

☿ in ♒ coniunctus cum ♄ in ♍ facit plagam nigram.

☿ in ♒ retrog. in ſeptima ♃ dom. horæ in ♒ ☾ in ♊ appl. ☿ à ♃ & ♄ in ♌ retrog. in aſcend. facit flatum humoremque radentem in corpore, capite & matrice.

☿ in ♒ in octaua ♄. dom. horæ in ♌ retrog. in ſecunda ☾ ſep. à ♀ in ♒ appl. ♄ facit caninum appetitum, hepar calidum & ſiccum.

☿ in ♒ dom. horæ ☽ in ♉ ſepar. à ♀ in ♒ appl. ♄ in ♌ retrog. facit multum dolorem & timorem, fluxum menſtruorum, & febrem ardentem.

☿ in ♒ quarta ♃ dom. horæ in ♏ ☾ in ♉ ſeparata à ♂ in ♈ & ♉ in ♒ appl. ♀ in ♓ 6. △ ♃ & ♀ in □ ♂ & ☿ facit dolorem magnum viſcerum, colicam ventoſam, & multum pituitæ atque choleræ.

☿ in ♒ ſeptima ☾ dom. horæ in ♊ ſepar. à ☿. appl. ☉ in ♒ octaua ♄ in ♌ aſcend. & ♋ in quinta menſium obſtructionem, dolorem capitis, apoplexiam, dolorem renum & vẽtriculi, vigilias, ſeu defectum ſomni, dolorem matricis.

☿ in Triplicitate Aquea ex ſignis ♋ ♏ ♓ conſtante.

☿ in primis grad. 18. ♋ eſt frigidus in primo gr. & temperatus in madore, gignitq; tenuem melancholiam & ſalſam aquam atque morbos ſequentes. At ſi in grad. 12. vltimis ♋ inueniatur, eſt frigidus in principio ſecundi, & humidus in principio primi, gignens tenuem melancholiam & tenuem aquam ſalſam cum phlegmate, ſed aqua habet dominium faciens rheumata, catarrhos, dolorem gutturis, ſtomachi, pulmonum, muſculorum tuſſim, phthiſim, obſtructionem pulmonum, ſquinantiam, punctionem à flatu, vermes ventriculi, epilepſiam, ſeu paſſionem Lunaticam, apoplexiam, colicam paſſionem, vomitum, morbum Gallicum, dolorem in mandibulis, vlcera, punctionem in capite, dolorem dentium, hydropem, præcipitationem matricis, morbum regium, glandulas gutturis, humores venenoſos, tumorem in facie.

☿ in ♋ ☾ dom. horæ in ♌ ſepar. à ♂ in ♌ facit ſpaſmum, & dolorem ventris.

☿ in ♋ ſeptima facit inflationem pulmonum & impedimenta pedum.

☿ in ♋ dom. horæ in ♂ cum ☉ in decima ☾ ſepar. à ♃ in ♌ appl. ☉ in ♋ facit ſubitaneum faciei tumorem & oculorum, vlcera & veſicas in capite, repletionem à ſanguine, humorem rubeum inſtar ignis ab humore venenoſo faciens dolorem gingiuarum, & punctionem aurium.

☿ in ♋ ☾ in ♍ appl. ☿ facit multum dolorem & punctionem in capite, renibus, corde & coxendice, obſtructionem pulmonum, leuitatem capitis, ita vt fere phreneticus ſit, morbum Gallicum.

☿ in ♋ in aſcend. ♄ in ♍ dom. horæ ☾ in ♓ ſep. à ♃ appl. ♀ in ♉ quartæ facit apoſtemata matricis, icteritiam flauam.

☿ in ♋ dom. horæ combuſt. ☾ in ♏ ſep. à ☿ appl. ♃ in ♌ & ♂ in ♍ facit præcipitationem matricis & dolorem ventris.

☿ in primis 6. grad. ♏ eſt humidus in gr. 1. & calidus in 2. faciens multum tenuis melancholiæ, & ſpiſſæ, fœtidæ atq; ſalſæ aquæ, & habet aqua dominium efficiens morbos antedictos, & illos in ſequentibus gradibus. At vero ille in grad. ſequentib. 18. ♏ eſt humidus in 2. & frigidus in 1. faciens morbos in ♋ recitatos, vt etiam magis adhuc periculoſus, ſimiliter alba menſtrua in fœminis, ſcorbutum, morbillos, aſcarides, peſtem nigram & alios morbos à tenui melancholia & ſpiſſo phlegmate. Deniq; ipſe in grad. 6. vltimis eſt humidus in principio 3. gr. & frigidus in principio 4. producens morbos ex ſpiſſo, rebelli & fœtido phlegmate, & tenui melancholia, vt dictum eſt.

☿ in

☿ in ♏ dom. duodecimæ aut ſextæ in decima dom. horæ ☾ in ♋ ſep. à ☉ in ♏ app. ♂ in ♎ facit dolorem in læuo latere ſub coſtis, efficitque multum flatum ſub abdomine, & dolorem capitis, excurrit ventoſus ille vapor à ſurſum ad deorſum.

☿ in ♏ in ſeptima comb. facit tumorem crurum à multo phlegmate frigido & melancholia.

☿ in ♏ comb. in decima dom. ſextæ facit colicam paſſionem & torſionem in viſceribus.

☿ in ♏ ☉ dom. horæ in ♏ ☾ ſep. à ♀ in ♂ appl. ☿ facit peſtem & veſicas tibiarum.

☿ in gr. primis 12. ♓ eſt humidus in gr. tertio & frigidus in 4. generans ſpiſſum & rebelle phlegma, acidam melancholiam, ſed aqua, ſeu phlegma habet dominium, facitque morbos antea in hac triplicitate citatos. At ipſe in gr. 18. vltimis eſt frigidus ſupra extremitatem quarti gradus, & humidus in principio eius, facitque humores & intemperies antea citatas, in ſummo gradu.

☿ in ♓ dom. horæ & planeta à quo ſep. ☾ & ☿ in △ ad ♂ in ♌ eſt cauſa multi flatus & melancholiæ & in ſtomacho caloris, & ſpermatis profluuij, & curti anhelitus.

☿ in ♓ coniunctus cum ☉ in ♓ & ♂ in ♉ facit malum lienis & podagram humidam.

☿ in ♓ coniunctus cum ♀ in ♒ & ♃ in ♋ facit apoſtema in ventriculo, eritque in ſtomacho durities.

☿ in ♓ ♃ dom. horæ in ♋ retrog. in tertia ☾ in ♃ ſep. à ☿ appl. ♄ in ♎ & ♂ in ♒ facit magnam tuſſim, morbum Gallicum, glandulas in gutture, & ſub auribus; morbum regium, &c.

☿ in ♓ dom. ſextæ in ſecunda dom. horæ ☾ in ♍ ſep. à ♀ in ♓ comb. duodecima facit phrenitidem, & ridebit patiens & cantabit, & aluum habebit vt plurimum lubricam.

CAPVT XIII.

De morbis quos producit Luna per 4. Zodiaci triplicitates ambulans, ſiue excurrens, & primum de ipſius effectibus inſalubribus, dum per triplicitatem Igneam, videlicet ♈ ♌ & ♐ vagatur.

LVna in grad. 18. ♈ ambulans eſt temperata in omnib. 4. qualitatibus, ſed tamen inclinat magis ad choleram flauam & aquã, producens morbos inferius nominatos. At vero in grad. 12. vltimis ♈ ſi ſit dom. horæ & in principio illorum, facit choleram flauam & aquam, & cholera flaua habet dominium, faciens tumorem in corpore & membris, hydropem, puſtulas in facie, dolores genuum, & in latere capitis febrem; grauedinem, debilitationem, rheuma, tuſſim, aquoſitatem ſtomachi, fluxus ventris, vomitum, gonorrhæam, defluxiones oculorum, variolas, morbum Gallicum, albumina mulierum, paſſionem diabeticam.

☾ in ♈ ☾ dom. horæ in ♍ ſep. à ☉ in ♌ in ☌ cum ♄ facit dolorem in capite & collo, debilitatem cerebri, catarrhum; refrigerationem ventriculi, debilitatem, laſſitudinem, & grauitatem circa regionem hepatis, &c.

☾ in ♈ dom. ſextæ ♃ dom. horæ in ♒ ☾ ſep. à ♀ in ♒ facit dolorem in capite, collo, latere dextro, pulmonum obſtructionem atque ventriculi, tuſſim, tremorem cum febre.

☾ in ♈ coniuncta cum ♂ in ♊ & ☿ in ♑ facit calculum, gonorrhæam, ardorem vrinæ, dolorem capitis, renum, ventris, & membrorum ſecretiorum.

☾ in ♈ coniuncta cum ♃ in ♊ facit murmura & dolorem ventris, apoſtema in corpore.

☾ in ♈ in aſcend. dom. ſextæ ſep. à ♀ in ♋ appl. ♄ in ♌ facit caliginem in oculis & præcipue in dextro, ab humore in ventriculo & neruo optico.

☾ in ♈ coniuncta cum ♄ in ♏ & ☿ in ♑ facit gonorrhæam.

☾ in grad. 6. primis ♌ eſt calida & ſicca in gradu primo faciens morbos ex phlegmate & cholera flaua, & cholera flaua habet dominium. At in ſequentibus 18. eſt calida & ſicca in principio ſecundi gradus gignens morbos ſequentib. vltimis grad. recitatos. Denique in grad. vltimis ♌ eſt calida & ſicca in grad. tertio producens multam choleram rubram & 6. aquam ſalſam, & cholera rubra habebit dominium, eritque humor ſalſus proferens puſtulas faciei rubras, ſalſum phlegma eiuſdem, ſerpigines, calores, & intemperies hepatis non naturales, atq; ẽt dorſi, & renũ, arenulas, gonorrhæam, ardorẽ cordis, calculum, acrimoniã vrinæ, ſtranguriam, fluxum ventris, ſalſedinẽ in ore, ſtomacho & gula, catarrhos oculorum, ſquinantiam, hæpatis ſiccitatem, hydropem, veſicas, ſcorbutum, debilitatem, cachexiam ſeu colores pallidos in virginibus.

☾ in ♌ coniuncta cum ♂ in ♉ facit calculum in dorso, & ardorem in renibus.

☾ in ♌ dom. 6. ☉ in ♊ dom. horę sep. ☾ sep. à ♂ in ♉ facit calculũ in dorso & stranguriam, gonorrhæam, & acrimoniam vrinæ.

☾ in ♌ dom. horæ à ♂ in ♉ appl. in ♈ gignit colicam passionem, torsionem ventris, hæmorrhoides, pruritum ani.

☾ in ♌ coniuncta cum ♃ in ♑ & ☉ in ♉ & cum ♂ in ♒ efficit sciaticam passionem & dolorem matricis, & humorem volatilem.

☾ in ♌ dom. duodecimæ ♄ dom. horæ in ♋ ☾ sep. à ☉ in ♊ appl. ♂ in ♒ in septima affert pestem.

☾ in primis grad. 12. ♐ est calida & sicca in gr. tertio & in gradib. vltimis 18. eiusdem est calida & sicca in principio quarti gignens morrbos antedictos ex multa cholera rubea, & aqua salsa, & humor ita commixtus est salsus, efficiens morbos supra in ista triplicitate recitatos, sed in gradu longe altiori, vt sciaticam podagram, serpiginem, cholericam passionem, glabritiem & porriginem, lepram, &c.

☾ in ♐ dom. sextæ ♂ & ♄ in ♏ octaua ☾ sep. à ♂ appl. ♄ in ♌ retrog. in septima facit dolorem in capite, lateribus, collo & lingua, rheuma & febrem, tremorem in corpore & angorem animi, & frigescit intrinsecus, extrinsecus vero calescit, atque frequentem vomitum.

☾ in ♐ sextæ dom. horæ sep. à ♄ retrog. in sexta appl. ☿ in ♒ facit morbum caducum cum tremore.

☾ in ♐ nona ♀ in ♒ dom. horæ duodecimæ ☾ comb. sep. à ☉ in ♓ in ascend. appl. ♂ in ♒ duodecima facit fluxum ventris, tussim, dolorem stomachi, inflationem pulmonum & torsionem ventris.

☾ in ♐ sep. à ♂ in ♎ appl. ♄ in ♈ facit hæmorrhoides.

☾ in ♐ decima dom. horæ sep. à ♄ in ♏ appl. ♂ ☉ in ♐ facit arenulas in dorso, gonorrhæam, acrimoniam vrinæ.

☾ *in Terrea Triplicitate ex ♉ ♏ & ♑ consistente.*

☾ in grad. 18. primis ♉ est temperata in siccitate & humiditate, sed frigida in primo gradu, gignens spissam melancholiam, & tenuẽ salsamq; aquam, ex quorum mixtione fit phlegma acetosum, at acida & tartarea melancholia habet dominium, efficiens febres, spasmos, dolores tibiarum, & rigiditatem neruorum, & colicam ventosam, calculum, paralysim, stupiditatem membrorum, torsionem lienis, apoplexiam, &c. At in grad. 12. vltimis ♉ est ipsa sicca in principio 1. gradus & frigida in principio secundi producens morbos ex philegmaté acido, melancholico, & salsa aqua, & melancholia habet dominium.

☾ in ♉ duodecimæ dom. in decima comb. ☿ dom. horæ in ♉ vndecima ☾ sep. à ☉ in ♉ appl. ♄ in ♋ ✶ ☿ & ♄ arguit dolorem seu malũ in renibus & pudendis, punctionẽ in virga virili, ardorem vrinæ, gonorrhæam, multumq; dolorem in internis ab acido phlegmate.

☾ in ♉ in septima facit tumorem & podagram in pedibus.

☾ in ♉ duodecima ☿ in ♈ dom. horæ comb. in vndecima ☾ sep. à ☿ in ♓ in nona facit tumorem pedum, at ascend. facit dolorem capitis, colli, stomachi, laterisq; instar pleuritidis; dolorem dorsi & ventris, tussim, febremq; à materia frigida.

☾ in primis 6. grad. ♍ est frigida in secundo & sicca in primo, faciens morbos ex melancholia & aqua salsa vocata pituita seu phlegma acidum, & melancholia habet dominium. At vero ipsa in proximis 12. grad. ♏ est sicca in 2. & 3. & frigida in principio quarti faciens morbos in triplicitate ista nominatos, at in altiori gradu, videlicet rigiditatem & inhabilitatem neruorum, dolorẽ brachiorum, spasmos, cancros, verrucas, cornua pedũ, tympanitidẽ, podagram, nodos Gallicos, hæmorrhoides, torsionẽ in ventre & stomacho, colicam passionẽ, flatum in venis, vomitũ, duritiem hepatis, tussim, obstructionẽ pulmonũ rheumata.

☾ in ♍ sep. à ♂ appl. ☉ in ♈ ♌ ♐ facit hæmorrhoides.

☾ in ♍ appl. ☿ & ☿ in □ ad ♄ in ♌ facit hæmorrhoides, & obstructionem pulmonum; & dolorem in capite, & tussim cum siccitate in cerebro.

☾ in ♍ appl. ☉ in ♉ facit consũtionẽ corporis, & oppilationem venarum, magnum rheuma, magnam sitim, & dolorem in capite.

☾ in ♍ coniuncta cum ♂ ☉ & ♀ in ♐ facit magnam tussim, oppilationem pulmonum; passionem colicam, torsionem ventris, febrem duorum paroxysmorum, dolorem capitis, syncopen, & fluxum ventris.

☾ in ♍ ♀ dom. horæ in ♓ ☾ sep. à ☿ appl. ♀ facit multam in corpore flatulentiam, huc atq; illuc in corpore excurrentem in humeris, pedibus, tibijs, brachijs & stomacho.

☾ in ♍ sep. à ♀ in ♈ appl. ♃ in ♓ ♄ dom. horæ in ♎ efficit somnolentiam in ægroto & consumptionem.

☾ in primis 12. grad ♑ est sicca in 3. grad. & frigida in 4. faciens morbos ex aqua salsa, &

sa,& acuta seu radente melancholia, & melancholia habet dominium. At ipsa in grad. vltimis 18. ♑ est sicca in principio quarti gr.& frigida in extremitate quarti, idque supra naturæ consuetudinem, faciens morbos ex melancholia & aqua salsa, quasi incurabiles, quippe calorem natiuum extinguens, gratia magni illius frigoris, cuiusmodi sunt conuulsiones, apoplexiæ, paralyses, stupores membrorum, dolores, & nodi Gallici, podagra, variolæ, morbilli, gonorrhæa, pestis morbificans, atrophia, tympanitis, calculus vesicæ, rheumata, stranguria, passio colica, cancer, fistulæ, lupi, tumores sicci, molæ, nodi, dolores frigidi, iuncturarum & membrorum epilepsia, dolor & malum lienis à multo flatu in latere, rigiditas musculorum, iuncturarum & neruorum.

☽ in ♑ dom. sextæ comb. ☉ dom. horæ ☽ sep. à ♀ in ♓ appl. ☉ in ♑ facit multum dolorem in capite, cerebro, corde, membris, brachiis, nauseam, tremorem capitis; febrilem dispositionem, grauedinem, phantasticum, somnolentum, frigidum extrinsecus, intrinsecus vero calidum,

☽ in ♑ sep. à ♂ in ♉ appl. ♃. in ♈ & in □ ad ♂ & ♀ facit dolorem capitis in læuo latere; rheuma, ventositatem, oppilationem in venis, eleuationem pulmonum à multa cholera tenui & melancholia tali cum sanguine mixtis.

☽ in ♑ dom. sextæ vndecimæ sep. à ☿ in ♑ & in ✶ ad ♄ appl. □ ♃ in ♎ facit curas animi vexationes, pauorem, fluxum ventris, fluorem in mulieribus album, dolorem genuum; frigidum stomachum & melancholico humore plenum, & quandoque veneni haustum.

☽ in ♑ sep. à ♄ in ♒ tertia facit podagram frigidam in iuncturis, genubus, manibus, digitis, capite, dorso, & corde.

☽ in Triplicitate Aerea, videlicet per signa ♊ ♎ ♒ currentis effectus.

☽ in primis 18. grad. ♊ est humida in primo, & temperata in frigiditate & caliditate, generans phlegma dulce & sanguine & pituita æqualiter mixtis. At in vltimis 12. grad. est humida in principio secundi & calida in principio primi, efficiens morbos ex pituita seu phlegmate mixto cum aqua, producens tumores pedum, rheumata, catarrhos, morbos sub lingua & in gutture, quæ extrinsecus sunt mollia vt lana, morbum regium, passionem diabeticam, fluxus alui, tusses, pustulas faciei, obstructiones pulmonum à sanguinis & pituitæ copia, dolorem dentium.

☽ in ♊ vndecima ☿ dom. horæ in ♉ ☽ sep. à ♀ in ♊ appl. ☉ in ♉ facit dolorem & morsum in superiori ventriculi orificio & in pectore ac capite & toto corpore, oris mala, debilitatem, febrem, & sanguinem corruptum.

☽ in ♊ vndecima dom. horæ sep. à ♀ in ♊ appl. ☉ in ♉ gignit perturbationem à spisso & rebelli phlegmate in pulmonibus & stomacho, & pulmonum inflationem seu eleuationem, atque anhelitus siue respirationis difficultatem, dolorem in capite, renibus & matrice, & debilitatem.

☽ in ♊ ♂ dom. horæ in ♒ septima ☽ sep. à ☉ in ♊ appl. ♂ facit dolorem genuum, & partium interiorum; & laborat patiens magno calore & ardore in corpore à dulci pituita & cholera.

☽ in ♊ dom. ♄ in ♉ 11. ☽ sep. à ♀ in ♒ appl. ☉ in ♓ nona ♄ in ♌ retrog. in ascend. facit siccam scabritiem, porriginem aut leprositatem in corpore, cruribus, & asperitatem cutis in fœmina, & menstruorum obstructionem.

☽ in ♊ dom. horæ in ♎ septima ☽ sep. à ♄ in ♎ appl. ♀ in ♌ facit magnam tussim & obstructionem in pulmonibus, & meatuum eorum impletionem, pleuritidem, & dolorem cordis.

☽ in grad. 6. primis ♎ est calida in primo & humida in secundo; facitque morbos ex grosso sanguine & salsedinosa pituita, quæ nihilominus dictitatur pituita dulcis, quoniam sanguis habet dominium. At in grad. 18. sequentib. est calida in secundo & humida in tertio & in principio quarti faciens morbos ex dulci pituita, vt supra, videlicet oppilationes in sanguine, hepate, pulmonibus, multum pituitæ in stomacho, tussim, rheuma, pleuritim, apostemata; rubedinem facici, febres, pruritus, flatum in ventre, passionem colicam in lateribus, tumorem in stomacho, vermes, indigestionem, plenitudinem in stomacho, scabies, morsus in ventriculo & ventre.

☽ in ♎ tertia ♂ dom. horæ in ♒ ☽ sep. à ☿ in ♊ vndecima appl. ☉ in ♊ facit in fœmina generalem tumorem in toto corpore, febrem, dolorem in stomacho & renibus.

☽ in ♎ septima ♃ dom. horæ in ♒ ☽ sep. à ☿ in ♑ appl. ♂ in ♐ arguit febrem volatilem à loco in locum more venti, inflationem & eleuationem pulmonum.

☽ in ♎ septima ☿ in ♊ dom. horæ retrog. ☽ sep. à ☿ appl. ☉ in ♒ facit pestem, phrenitidem, febrem pestilentialem, vlcera fistulosa.

☾ in ♎ octaua dom.horæ sep.à ☉ in ♃ appl. ☿ in ♑ retrog. facit febrem duorũ paroxysmorum, & dolet renibus, stomacho, & cerebro, & in ipsis obstruitur patiens, vexatur animo, & timidus redditur.

☾ in gr.12. primis ♒ est calida in gr. tertio & humida in quarto gignens morbos de dulci phlegmate mixto cum sanguine, videlicet stranguriam & obstructionem vrinæ, dolorem in partibus secretioribus, apostemata, hydropes, pleuritides, tumores, dysenterias; fluxus alui, fluxus albos in mulieribus, sanguinis euomitionem, pulmonum inflationem, morbillos, vermes, morbum regium, tumorem tibiarum, febres duorum paroxysmorum, pruritus, apoplexias, epilepsias, catarrhos.

☾ in ♒ dom.horæ in quinta facit tumores tibiarum, obstructionem menstruorum, dolorem in læuo latere & ventre ex multo sanguine & aqua salsa, & fluxum.

☾ in ♒ dom.asc. ♂ dom.horæ in ♉ ☾ sep. à ♃ in ♋. septima & à ♂ in ♉ appl. ♄ in ♎ decima facit variolas in infante.

☾ in ♒ septima non remota, facit dolorem pedum, & humorum è pedibus aut tibiis fluxum.

☾ *in Triplicitate Aquea, ex signis ♋. ♏ & ♓ consistente.*

☾ in primis 18.grad. ♋. est frigida & humida in primo, gignens morbos, ex cruda & vitrea pituita valde frigida. At vero in grad.12. vltimis ♋. est frigida & humida in principio 2. faciens morbos ex vitrea pituita & frigiditatem in capite atque ventriculo, & sub ♏ & in pedibus, producitque lethargiam, paralysin, morbum Gallicum, epilepsiam, obstructionem in ventriculo & frigiditatem eiusdem cum morsu & corrosione, & vermes, fluxus muliebres albos, lienteriam, dysenteriam, empyema, hemicraniam, passionem diabeticam, bulimum, podagram frigidam, & stranguriam.

☾ in ♋. coniuncta cum ♀ in ♓ facit podagram frigidam & humidam, tumores manuum & pedum, humorem venenosum, febrem frigidam, humoremq; volatilem aliquando in capite, aliquando in dorso, brachiis & pedibus.

☾ in ♋. dom.horæ sep.à ♂ in ♉ appl. ☉ in ♑ & in aspectu ✱ ad ♃ in ♓ facit calculum in renibus, morbum Gallicum siccum si sit dom.horæ.

☾ in ♋. sep.à ♄ in ♏ appl. ♀ in ♓ facit salsum & venenosum rheuma in capite & dentibus atque collo & stomacho, & præcipue ♃ in ♈ dom.horæ.

☾ in ♋. dom. duodecimæ & ♄ sep.à ☿ in ♊ appl. ♃ in ♑ facit calorem non naturalem in corpore, dolorem in renibus atque latere, & calculum.

☾ in ♋. ♂ dom.horæ in ♈ ☾ sep.à ♀ in ♏ appl. ♃ in ♑ facit plagam, rheuma, dolorem capitis & in renibus.

☾ in ♋. ♂ dom.horæ in ♋. ☾ sep.à ☉ in ♉ appl. ♃ in ♈ & in ☌ ✱ ad ♃ facit multum dolorem in dorso, stomacho & corde, latere, arenulas renũ, multum aquositatis in ventriculo, ☾ in primis grad.6. ♏ est frigida & humida in gr. secundo gignitque fœtidum, salsumque phlegma & aquam putridam. At ipsa in 18. proximis grad. ♏ est frigida & humida in tertio generans morbos ex rebelli phlegmate & aqua putrida, vt in præcedente. Denique in 6.grad. vltimis ♏ est frigida & humida in principio gradus quarti morsus & punctiones glaciales gignens in stomacho producensque rheuma; tusses, morsus cordis, indigestionem in hepate, hydropem, dolorem, apostemata, febres frigidas, cum putredine, podagras frigidas, sciaticas, gonagras, dolorem in crurum summitate, tumorem pedum, stomachi, testiculorum, fluxus albos in muliere, passionem diabeticam, vomitum, dolorem in posteriori capite, luem Syphilidem, vermes, flatum, colicam & Iliacam passionem, dolores in musculis & latere, raucedinem, epilepsiam, apoplexiam, cephalæam, caliginem oculorum, catarrhum, frigiditatem, molam & flatum matricis, flatum multum in corpore huc atque illuc in eo currentem, pulmonum inflationem atque eleuationem, somnolentiam & grauedinem, vlcera manantia & fistulas, cancrum, pruritum & scabiem, morphæam & morbillos.

☾ in ♏ septima coniuncta cum ☉ in ♒ & cum ♀ in ♑ & ♄ in ♏ facit pulmonum inflationem, & difficultatem spirandi.

☾ in ♏ octaua coniuncta cum ♀ in ♑ & ♃ & ☉ in ♒ facit retentionem menstruorum & spermatis, & magnum dolorem in dextro inguine, & debile cerebrum.

☾ in ♏ duodecima coniuncta cum ♄ in ♋. ☾ sep.à ♀ in ♋. appl. ♂ in ♒ facit dolorem lienis & ventris, & quandoque in stomacho, & debilitatem membrorum & salsi phlegmatis, flatusque frigidi abundantiam, qui à loco in locum excurrit, facitque respirationis difficultatem.

☾ in pri-

☾ in primis grad. 12. ♓ est frigida & humida in quarto generans morbos ex multo, salso, & rebelli viscido, difficili & putrido phlegmate atque aqua, quæ mixtio vocatur pituita vitrea. At in vltimis 18. grad. ♓ est frigida & humida in extremitate grad. 4. videlicet vltra naturæ leges, ita vt lethales & incurabiles exinde vt plurimum exoriantur morbi, in conditione humorum prædictorum in ♏ nominatorum, atque etiam tumores in genubus, & debilitatem in actu generationis.

☾ in ♓ dom. sextæ, aut duodecimæ, aut dom. horæ in septima sep. à ♂ in ♈ octauo appl. ♀ in ♑ sexta facit generalem debilitatem in vniuerso corpore, & magnam intemperiem in cerebro, & eleuationem pulmonum, tussim, & sanguinis è naribus emanationem.

☾ in ♓ dom. duodecima ♄ dom. horæ. in ♌ sep. à ☉ in ♍ appl. ♂ in ♈ facit pestem cũ multo dolore in capite & renibus, & hepatis obstructionem, & nauseam, atque vigilias.

☾ in ♓ dom. sextæ & dom. horæ sep. à ♂ in ♈ secundo appl. ♀ in ♑ duodecimæ, facit leuitatem capitis, dolorem renum, tumorem tibiarum, obstructionem menstruorum, generalem debilitatem in viro & pulmonum inflationem.

☾ in ♓ in ascend. dom. horæ, sep. à ☿ in ♒. appl. ☉ in ♒ duodecima, arguit dolorem in capite, stomacho, hepate, cordis obstructionem, hepatis, & cachexiam, seu pallidum in virginibus colorem.

☾ in ♓ dom. sextæ ♄ dom. horæ in ♎ retrog. decima, ☾ sep. à ☌ ♀ in ♓. appl. in △ ♂ in ♌ septimo, facit tussim pulmonum, frigidum tremorem ab humore venenoso, morbum Gallicum, dolorem & raucedinem gutturis, & dolorem circa ossa.

Hic ergo in *capitibus istis præcedentibus* humores præternaturales & morbos illos qui ab illis humoribus scaturiunt, viuaciter expressos habetis, quos Planeta quilibet dominans, in quocunque quatuor triplicitatum signo inueniatur, producere solet. At verò sciendum est, quòd vt in sublunaribus obseruamus, quòd stellæ ad productionem humorum vel siccorũ, cuiusmodi sunt niues & fulgura, vel madidorum, quales sunt pluuiæ, & rores, mediantibus ventis operentur: ita quidem debemus præcipuè & ante omnia subintelligere, quòd ipsi Angeli ætherei à stellis effundunt influentias, & Angeli ventorum custodes illas recipiunt, & flatu suo quadrifario conuertunt in elementum hoc vel illud secundùm naturam Angeli influentis, & elementum in humorem, ac deniq; humorem in meteoron morbosum transmutant. In *capite* ergo *sequenti* actum Planetarum in quatuor mundi quartis ostendemus, vt eò luculentiùs decernere possitis, quomodo venti à superioribus agitari soleant.

CAPVT XIV.

Hic tam signa Zodiaci, quàm Planetæ cœli, dominium in plagas mundi habentes, & ventos secundùm suas naturas, & conditiones varieformiter excitantes, recensentur.

ANTE omnia notare debemus, quòd vt Sol sit cœli, imò quidem & vniuersi masculus, ità quidem pro ipsius fœmina habetur Luna, quæ est humorum generabiliũ dominatrix. At Solis & Auroræ filii dicuntur venti, quemadmodum alibi est dictum, quatenus æterna sapientia, seu emanatio Deiformis posuit tabernaculum suum in Sole, & ab eo, & mediante eo quasi organo æthereo emittit Angelicos vitæ radios, quibus animantur venti seu varieformes mundi sublunaris spiritus; quod etiam agnoscere videtur Propheta; vbi dixit: *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos* &c. Hinc dicit Sapiens: *Spiritus disciplinæ sanctus est, simplex, & tamen multiplex; simplex videlicet respectu suæ essentiæ, & multiplex gratia multiplicis suæ proprietatis.* Actor ergo vnicus in hoc mundo est spiritus hic vnicus, essentia Deiformis, vnde Apostolus: *Deus operatur omnia in omnibus.* Organon eius magis euidens à quo, & per quod emittit suos actus est Sol: subiectum in quod operatur est natura humida seu spiritus mundanus, qui Lunæ dominio maximè subiicitur. Prima ergo Lunæ quarta se habet in temperie, vt quarta Horizontis inter Subsolanum & Austrum: secunda vt illa inter Austrum & Fauonium, in quo est plenilunium: tertia vt illa inter Fauonium & Boream: deniqùe vltima, quæ est frigida & sicca, vt quarta hemisphærii inter Boream & Subsolanum: Atque istas in sua temperie varietates recipit Luna secundùm stationes ipsius propinquiores aut remotiores ad Solem, à quo suam formam & vitam recipit.

Ezech. 37.

Similiter varia Planetarum ad inuicem positione venti excitantur varii propter differentem formæ Solaris in ipsis actionem; nam omnes Planetę suam vitam, formam & actionem

hauriunt varieformiter à Sole, quod eſt organon illud ætheris immediatum, in quo ſpiritus Dei incorruptibilis iuxta naturæ leges in hoc mundo ſublunari agit, & operatur.

Saturnus igitur in ☌ □ vel ☍ tempore Vernali cum ☿ facit ventos pluuioſos, & conſequenter Occidentales: nam Mercurius maiorē habet vim & dominium in illa plaga. Tempore verò æſtatis parit ventos ſiccos; autumno ventos nubiferos, vt & tempore hyemali vētos niuales, & conſequenter Boreales. Si ipſe iungatur cum ♂ in iiſdem aſpectibus, Verno tempore facit tempeſtatem tonitrualem, Æſtate tonitrua grandinoſa. Si cum ♃ in Æſtate tonitrua gignit, in Autumno ventos humidos, & conſequenter Auſtrales, quia Auſter aſcribitur Ioui: hyeme ventos pluuioſos conflatos ex concurſu venti Auſtralis & Borealis.

Iupiter iunctus cum Mercurio Verno tempore facit ventos magnos, & conſequenter illos ab Auſtro-Africo & ab Africo ſpirantes: cum ☉ facit ventos calidos in Æſtate, fulgura, ſeu ventos igneos, in Autumno ventos ſiccos quandoque cum tonitru: cum ♂ verno tempore ventos robuſtos, in Æſtate ignitos & fulguroſos, in Autumno validos. Mars cū ☿ iunctus cum ☌ □ vel ☍ in Vere ventos gignit aliquando nubiferas, cum ☉ ventos ſiccos, in Æſtate fulguroſos, in Autumno ſiccos cum æſtu.

Sol cum ☿ Verno tempore facit ventum ſiccum, in Æſtate fulgureum cum tonitru & nimbis.

Venus cum ☿ tempore Vernali procreat ventos humidos & nubiferos.

Mercurius cum Luna parit ventos aliquando nubiferos, idque varieformes, iuxta Lunæ in ſuis manſionibus temperiem.

Quòd autem Mercurius cum omnibus ſit præcipuus ventorum productor, in eo apparet, quoniam eſt dominus totius ſpiritus mundani, qui iuxta Planetarum in cœlo dominiū, ſeu potiùs Angelorum à quatuor mundi plagis flantium proprietates, ſpiritum mundi ſublunaris Mercurialem mutat de hoc vel illo elemento, in hoc vel illud, videlicet flante Borea, vel dominante Saturno in naturam terreā, ſpirante verò illo Orientali, ſeu dominante Marte in igneam, &c. nam vt Mercurius cœleſtis dicitur eſſe verſipellis, quippe qui in naturam illius Planetæ conuerti ſolet cum quo coniungitur, ita quidem ſpiritus mundi ſublunaris (quem communi nomine aërem vocat vulgus) cuiuslibet venti prædominantis ſpeciē tamdiu induere animaduertitur, quamdiu ventus ille in ſuo vigore permanet; at ſuppreſſo illo vento venti immediatè ſuccedentis naturam amplectitur. Quibus euidens eſt, quòd non ſit niſi vnica elementorum quatuor baſis, quæ reuera elementum radicale eſt dicendum, quod non eſt niſi vnicum, ſed quadruplici mutatione de ſpecie in ſpeciem non mutata ſubſtantia alterandum, vti ſæpiùs à nobis antea eſt explicatum.

Caput XV.

De humoribus, & quomodo ipſi à cœleſtibus multiformiter in corpore humano producantur.

TAmetſi nos *in præcedentibus* de humorum à radice ætherea ortu ſæpenumero mentionē fecerimus, tamen hoc in loco paucis ipſorum originem remetiri haud deſiſtam. Pro certo à quolibet diligenti naturæ ſcrutatore eſt ſtatuendum, quòd humor ſanguineus ab ipſius Lunæ temperie alteretur, & quòd in ſuo motu ſequatur curſum Lunæ, & conſequēter quòd creſcat & diminuatur in ſua virtute & quantitate ſecundùm decrementum & incrementū luminis Lunaris: nam vt ipſa duodecim Zodiaci cœleſtis ſigna pertranſit: ita quidem ſanguis vitalis gradatim per membra corporis viam ſuam facere obſeruatur: vnde factum eſt, quòd Aſtrologi antiquiores quodlibet totius corporis membrum alicui ſigno Zodiaci peculiari haud ineptè attribuerint. Atque hinc eſt illud à Medicis & Aſtrologis antiquis obſeruatum, videlicet, quòd ſi arteria aliqua tundatur Luna per illud ſignum, cui membrum in quo arteria ſecatur attribuitur, peragrante, mortem patienti ineuitabilem afferre neceſſe ſit: non dico venæ ſectionem, iuxta ſcriptorum quorundam errorem, hoc efficere, ſed ipſius arteriæ contuſionem, ſeu apertionem, quemadmodum in noſtra per arteriotomiam curandi formula luculentiùs à nobis deſcriptum inuenietis. Quo quidem confirmari, & humeris quaſi Atlanticis ſtatuminari videtur laudata illa viri excellentiſſimi, Doctoris peritiſſimi, & in Anatomiæ myſteriis verſatiſſimi, collegę mei fideliſſimi; Gulielmi Haruæi, Anatomię in Collegio Medicorum Londinenſi Profeſſoris, opinio, qua haud inconſultè ſanguinis in corpore motum eſſe circularem, idque rationibus haud fictis, aut imaginatione mera ſtabilitis, ſed è veritatis quaſi pharetra depromptis, perſuadere fide indubitata aggreditur: de cuius quidem ſententia, & de clariori ipſius confirmatione ego alibi Deo concedente abundantiùs.

Si ſan-

Si ſanguis inficitur à cholera præternaturali & rubea facit pleuritidem, & talis infectio fieri debet, dum ♂ & ☉ ſunt in ♎ vel ♒.

Si ſanguis animalis inficiatur melancholia, facit deſperationem, triſtitiam, grauédinem; fitque hæc infectio dum ♄ & ☿ ſunt in ♊ ♎ & ♒. &c.

Si ſanguis animalis corrumpatur à pituita ſalſa, facit apoplexiam, morbum caducum, ſodam, vertiginem, & hoc accidit vt plurimùm dum ☾ & ♀ ſunt in ♋ ♏ & ♓:

Si aqua ſalſa permiſceatur cum ſanguine vitali in arteriis facit paralyſim, ſyncopen, hydropem, quod plerunque fit ☾ & ♀ exiſtentibus in ♊ ♎ ♒ & ♄ ☿ & ♃ in ♊ ♎ ♒.

♃ in ♊ ♎ ♒ augmentat ſanguinem, ♃ in ♉ aut ♃ inficit ſanguinem cum melancholia, in ♈ ♌ ♐ cum cholera, in ♋ ♏ ♓ cum phlegmate aqueo.


Cholera habet attractiuam facultatem, quæ ſi ſit de natura ☉ eſt naturalis; at ſi ſit de parte ♂ eſt præternaturalis, videlicet rubra, aduſta, &c. Huius poteſtas fortior in æſtate viget, dum ☉ ingreditur ♎. Atque hæc eſt ratio quòd tunc temporis procreentur febres ardentes. Cholera citrina fit à ☉ & à 24. ♌. vitellina à ♂ in ♈ & 29. ♌. Cholera praſſina à ♄ & ☿ in ♈ ♌. æruginoſa ex ♂ in ♉ ♍ ♑. Cholera rubea ex ♂ in ♈ ♌ ♐. Cholera phlegmatica ex ☉ quandoque, ſed plerumque ex ♂ in ♋ ♏ ♓.

Phlegma, ſeu pituita gubernatur à ☾. & ♀ in ♋ ♎ ♓: cuius 8. recenſentur, prima eſt naturalis gubernata à ☾ & ♀ in ♋. eſtque temperatè frigida & humida, ſecunda eſt ſpiſſa & non naturalis gubernata à ☾ & ♀ in ♏ & ♓. & hæc eſt intemperatè frigida & humida; tertia eſt dulcis, eſtque calida & humida & quaſi commixta ex ſanguine & naturali pituita, & gubernatur à ☾ & ♀ in ♊ ♎ aut ♒ & ſanguis habet dominium: quarta eſt ſalſa, eſtque calida & ſicca, & ad ventriculum penetrat, & gubernatur, atque generatur à ♂ & ☉ in ♋ ♏ ♓. permiſceturque ex cholera & pituita, ſed pituita habet dominium: quinta eſt admodum ſalſa, genita ex ♂ ☾. & ♀ in ♈ ♌ ♐. eſtque calida & ſicca, ſed cholera habet dominium, vaditq; & tendit ad caput & faciem, eſtque phlegma cholericũ; ſexta vocatur acida, eſtq; frigida & ſicca, fitq; ex melancholia & phlegmate à ♀ & ☾ in ♉ ♏ & ♑ orta, curritq; ad iuncturas & partes extremas, habetque melancholia dominium: ſeptima eſt etiam acida ſeu acetoſa, eſtque frigida & humida ex ♄ & ☿ in ♋ ♏ ♓. fitque ex melancholia & aqua ſalſa, & phlegma habet dominium, vnde fit vt ſit tenuior & ſubtilior in ſua exiſtentia qua eſt altera, habetque locum communiter in ventriculo, inteſtinis, veſica, faciens ſtranguriam, & pedibus. Octaua eſt vitrea, mixtaque eſt ex melancholia & phlegmate, quæ ſunt ex ♄ & ☾ in ♏ vel ♓ ortæ; eſtque hæc ſpecies frigidior quàm illa ſeptima, facitque febres quartanas, tuſſim, phlegma autem habet dominium. Fit autem hic humor quando ☾ eſt ſignificator in ♓ ſep. à ♄ in ♏: aut ſi ♄ ſit in ♓ & ☾ in ☌ & ♄ aut ☾ ſit ſignificator.

Pro melancholiæ ſpeciebus & generatione cœleſti ſeu Aſtrologica videte antea *in capitibus præcedentibus:*



LIBRI



LIBRI QVARTI MEMBRVM QVARTVM,

De causis morborum in mundo Elementari efficientibus.

CAPVT I.

Quòd reuera non sit in Elementari mundi regione alia causa efficiens principalis, quàm eadem vnica, quæ centraliter operata est in cæteris: at organicæ variæ.



1.Cor.12. HAVD inconsultè nobis reliquit Apostolus, quòd *Deus operetur omnia in omnibus*; & alibi quòd *ex ipso, per ipsum, & in ipso sint omnia.* Quomodo ergo
Rom.11. inueniemus causam aliquam in mundo hoc elementari efficientem præter ipsam monadem, quæ principaliter & radicaliter agit in vniuerso mundo, quippe quæ est actor & actus primus & vltimus, *Alpha* (inquam) *& Omega, à quo, per quem, & in quem omnia*? Certè idem actus, qui est verbū, centraliter agit solus à centro ad circumferentiam, sed diuerso modo secundùm varietatē subiecti, in quò tanquam organo operatur; non mutata agentis seu actoris forma siue essentia, quæ est semper permanens & eadem. Hinc ergo euidens est, quòd vnicus sit in quālibet regione mundana actor, vnicusque ipsius actus: at effectus varii, iuxta multiformem subiecti organici & recipientis siue patientis conditionem. Verbi gratia: Solis actus in duro lapide seu scopulo per reuerberationem & resistentiam calefacit vehementer, in speculo ardenti comburit, in aperto aëre frigido expansus eum contemperat, in frigida aqua admodum lentè operatur. Porrò etiam afflatu Boreali mitigatur eius feruor, at è conuerso flante Austro augetur ipse. Videmus etiam, quòd ratione varietatis organi voces siue soni varii eodem essentię spiritu seu afflatu emittuntur. Quare dicimus, & pro certo habemus, quòd vnicus sit in mundo actor, vnicusq; ipsius actus, at infinita organa, mediantibus quibus ille vnicus actus simplex multiformiter operatur: vnicus spiritus incorruptibilis inest omnibus essentia minimè distinctus aut diuisus: at ille varieformiter quoad nos videtur operari, iuxta organi cui inest aut puritatem aut impuritatem, aut exiguitatem, aut magnitudinem, aut tenuitatem aut spissitudinem; denique aut qualitatem & speciem, aut quantitatem & molem; & infinitos alios respectus: vnde hoc certum & pro veritate indubitata haberi debet, quòd nulla creatura pro causa rei veritate efficienti haberi debet, sed pro organo mediante quò & per quod Dei suos effectus ad exitum felicem perducere solet: Verbi causa, hoc in organo Angelico per quod immediatè agere assolet creatur, isto Prophetæ sermone sat liquidò
Psal.78.47. confirmatur: *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos:* hoc est, Deus principaliter agens in creatura Angelica per ipsam & ab ipsa effundit indignatio-
Psal.121.5. nis suæ characteres super impios. De organo suo cœlesti, videlicet *Sole, in quo posuit tabernaculum*, & consequenter operatur tam ad creaturarū beneficentiam quàm flagellum, sic textus sacer: *Sol non percutiet te diurno tempore, nec Luna nocte, Deus te præseruabit ab omni malo*, &c. hoc est, Deus iracundiæ suæ radium non emittet ab organo suo solari ad tuum detrimentū,
2.Reg.22.8. sed è regione ipse præseruabit vitam tuam à malo. De organo denique elementi hæc: *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans densas aquas de nubibus cœlorūm, præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, tonat de cœlo Dominus, & excelsus dedit vocem suam, misit sagittas suas & disparuit eos fulgur:* hoc est; non calor solaris aut astrorum (vt Aristoteles vult) effecit tenebrosam nubem, sed Iehoua, nec calor solaris liquefecit nubes in pluuias, sed Iehoua cribrat aquas de nubibus; nec succensæ sunt nubes collisione aut accensione exhalationis motu factæ, iuxta Peripateticorum sensum, sed præ fulgore aspectus Iehouæ: nec eruptione fulguris ab exhalatione creati fit tonitru, sed à voce Iehouæ, &c. Quibus exactè confirmari videtur
1.Cor.12. illa Apostoli assertio *superiùs* allata: *Deus operatur omnia in omnibus.* Atque iterum illa alibi:
2.Cor.3. *De Deo sunt omnia.* Et in alio: *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*
Rom.11.

Nec

Nec vtatur quispiam sibi malè constans friuola ista distinctione dicendo Deum non esse vbique præsentialiter, & essentialiter abesse posse: nonne in Spiritu sancto sita est virtus diuina? Vnde euidens est, quòd vbi virtus diuina adest, ibi etiam & spiritus diuinus abesse nō potest. At, teste Psalte, Vt *verbo Domini cœli sunt firmati*, ita quidem *spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*, vbi per virtutes intelligit formas & actus. Hic est ergo ille spiritus Dei incorruptibilis, sine cuius præsentia nihil existere potest, de quo Solomon hæc: *Spiritus incorruptibilis inest omnibus*: quem spiritum, vt ipse alibi fatetur, esse in se simplicem, ita quidem respectu multiformium organorum, in quibus & per quæ varieformiter operatur, multiplicē dicit. Sap. 12. Sap. 7.

Concludimus ergo, quòd Deus sit vniuersalis, solus, indiuisibilis & proprius actor in hoc mundo per sua organa Angelica, quæ sunt primaria seu spiritualia, & per sua organa stellaria, quæ sunt secundaria, & cœlestis compositionis: ac deniq; per ventos, elementa, meteora, & ex istis composita, quæ omnia sunt organa sublunaria. Organa immediata & primæ intentionis sunt illa Angelica multiformia, quorum radix est spiritus seu emanatio sancta in se simplex, sed ratione variatum suæ voluntatis emissionum Angelicarum multiplex. Ab ista ergo claritate vnica à throno maiestatis emissa, 10. Cabalistarum Sephirotæ proprietate distinctæ sunt deriuatæ, iuxta quarum proprietatum differentiam ordines Angelorum 9. & decimus animabus sanctis applicatus proprietate discrepantes sunt constituti: hi, quasi linea continuata essentias ipsi à Deo communicatas Angelis Olympicis impertiunt, qui etiam continuata serie eas quasi vitas Angelis ventis præsidentibus cum legionibus sibi subditis ostendunt. Angeli ergo Empyrei inuisibilem cœli supremi spiritum seu animas loco organi & vehiculi occupant, Æetherei seu Olympici stellas pro suis organis & habitaculis habēt, à quibus ad inferiora virtutes suas influunt. Aër, ventus, & meteora omnia sunt loci quos occupant Angeli inferioris ordinis, quorum proprietatibus (quæ influentiis variis nutriuntur) spiritus sublunaris diuerso more quotidie informatur, iuxta naturam spiritus à quolibet mundi cardine flantis, seu in terræ angulo prædominantis. Vt ergo se habent organa Angelica superioris ordinis ad illa medii seu Olympici, sic etiam se habent corpora Empyrea ad illa stellaria: similiter vt illa Olympica ad illa sublunaria, ita quidem se gerunt corpora stellaria ad meteora sublunaria, quorum plurimi sunt gradus.

Sunt igitur Angeli quasi animæ ipsis stellis, & ipsarum stellarum virtutes Angelicæ sunt animæ ventis, & venti spiritui mundano, animatione cuius viuificantur meteora, quæ ex ipsis oriuntur, & consequenter meteora illa tam naturalia quàm præternaturalia, quæ microcosmum afficiunt, de quibus hoc in loco præcipuè egimus. Denique Deus est horum omnium vita, nam si sit ipse Angeli vita, & Angelus interna stellæ essentia, & astrum inuisibile venti, & ventus elementi, & elementum meteori, siue sit salubris siue insalubris natura interna, sequitur quidem quòd Deus seu incorruptibilis ipsius spiritus sit centrale illud agens, quod per se & in se solo mouet omnia à centro circumferentiam vsque, vnde & à scripto sacro Alpha & Omega, principium & finis, quasi centrum & circumferentia, omnia mensurans, determinans & amplectens, vtpote qui vt est cuiuslibet rei centrum, ita quidem & extra omnem circumferentiam se extendit, & est quasi rota in medio rotarum omnes mundi rotas exteriores seu creatas suo more, & iuxta suam voluntatem vehens & rapiens, secundùm istud Prophetæ: *Deus iuxta suam voluntatem facit tam in cœli virtutibus, quàm in habitatoribus terræ, & nemo est qui resistat manui eius.* Non est ergo creatura vlla, quæ quicquam agat, sed solus Deus, seu lux illa incorruptibilis & increata, quæ operatur per creaturas, in creaturas, prout ei placuerit. Ei ergo sit honor & gloria. Amen. Dan. 4.

CAPVT II.

Quòd venti pro causis morborum efficientibus (more vulgari loquendo) à quibusdam habentur, & quomodo ipsi sint morborum effectores.

EX *supradictis* satis luculenter habetis explicatum, quòd rei veritate spiritus Dei incorruptibilis & consequenter ipse Deus sit solus & vnicus in isto mundo actor & operator, quippe cuius actus se extendit ab α ad ω: videlicet à principio ad finem, & consequenter transit per omnia: est enim lux quædā diuina omnia permeans entia, omnia viuificans, mouens, & existere faciens: nam iuxta illud D. Ioannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factū est; In ipso erat vita, & vita erat lux hominum*, &c. Quo arguir lucidè, quòd verbum sit illud quo omnia existunt, & quod in omnibus est, vtpote in quo permanet vita & essentia cuiuslibet entis. At verò quoniam à vulgo (cuius est omnia considerare ab externo effectu, hoc Ioan. 1.

est progrediendo à posteriori ad prius, seu migrando à circumferentia ad centrum, & palpare rei corticem absque respectu veri nuclei) dicitur ventus hos vel illos mundi sublunari producere effectus, ideo nos hoc in loco more hominum exteriorum loquendo de morbidis ventorum effectibus verba perpauca effundam. Inuenimus quidem quòd ipsæ scripturæ quandoq; more mystico de ventorum actu loquantur, & nonnunquam sermone vulgari loquentes ipsos causas alterationum efficientes proclamant. In sensu magis interno hæc:
Psal 147.18 *Ventum efflat suum Deus emittens verbum suum.* In quo sermone arguere videtur, *Venti actum*
Exod.15.8. esse *flatum diuinum.* Et iterum: *A flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ. Flauisti vento tuo,*
Iob.37.9. *& operuit eos mare.* Et alibi: *A flatu suo Deus fortis edit glaciem & latitudinem aquarum coarctat.*
Num.11.31. Et alibi: *Ventus profectus à Iehoua abreptas cotburnices à mare dissenit ad castra.* Quo arguitur, quòd principium internum agens in ventis est ipse Iehouæ spiritus qui in hoc actu Angelico vehiculo vtitur loco organi primarii. Hinc Psalmista regius: *Vestitur lumine quasi vesti-*
Psal.104.4. *mento.* Vnde *alibi* vocauit Angelos *ventos*, & hos ventos sibi nuntios fecit. *Qui fecit Angelos suos*
Apoc.7.1. *ventos, & ministros suos ignem vrentem.* Similiter Reuelator agnoscit quatuor Angelos terræ esse in quatuor cardinibus eiusdem ventis actores & motores. Denique scripturæ in aliis locis more vulgari, & respectu hominum loquentes, accipiunt ventos meros pro causis in-
Prou.25.23. temperierum efficientibus. Verbi gratia, Salomon dicit *Aquilonem fugare nubes.* Et Iob: *Venti Aquilonares producunt frigus.* Non dicit Iehoua in vento Aquilonari, sed Angelus Borealis
Iob.37.9. vento illius quartæ præsidens, sed Aquilo seu ventus Aquilonaris. Sic etiam alibi: *Ventus Eu-*
Genes.41.6. *rus dicitur adurere fructus.* At in Propheta hæc: *Præcepit Dominus vento calido & vrenti seu Euro,*
Iob.1. *& percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat valdè.* Similiter in Iobo: *Magnus ventus venit à plaga deserti & concussit quatuor angulos domus,* &c. Quibus sat liquidò declaratur, quòd hisce in locis & infinitis aliis more hominum communi loquendo statuitur ventus pro causa efficiente omnium prima in regione sublunari efficitur atque accipitur, tametsi certum est ipsum ventum nihil aliud esse quàm spiritus sublunaris à spiritu Angelico quasi immediato Iehouæ organo motus, quod quidem organum centraliter incitare solet ille qui est solus & vnicus in toto mundo actus & actor, cuius est solius operari omnia in omnibus, etiamsi organis diuersis & dignitate discrepantibus: non aliter quàm videmus vnicum solarem radium in vnum quoddam speculum immediatè emissum, à quo iterum reflexione in aliud secundarium dirigitur, & à secundario in tertium, ac tãdem illud vltimum istum vnicum radium continuum, & minimè in se & à sua integra essentia diuisum vel in aquam, vel in terram ad destinatum suum effectum perficiendum effundit atque influit.

Sed audiamus iam, more hominum & quoad nos loquendo, quid de insalubribus ventorum effectibus loquantur Medici ethnici. Inuenimus quidem Hippocratem & Galenũ plurimùm de morbidis ventorum actibus scriptis suis commendasse, atque posteritati reliquisse.

Aph.3.17. *Quotidianæ constitutiones Aquiloniæ* (inquit Hippocrates) *densant, aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent. Austrinæ dissoluunt corpora, humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, vertigines faciunt, oculis & corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.*

Aph.3.21. *Vento nullo præter Austrum flante fiunt genitalium putredines.*

Aph.3.15. *Austri* (ait Galenus) *hebetantes auditum, caliginosi, caput aggrauantes, pigri & dissoluentes.*

Galenus in *lib.1. Hippocratis de morb. vulg. com.1. supra. Tempest.1.* hæc: *Temporariæ tempestates Aquiloniæ corpora densant, contendunt, roborant, & reddunt coloratiora, auditum iuuant, aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, eum augent. Austrinæ remittunt corpora & humectant, auditum obtundunt, caput grauant, & vertigines creant iis qui ex oculis laborant, corpus torpidum efficiunt, & aluos lubricant.*

Et *ibid. in 9. Ante Ver cum subitò præter morem Aquilo spirasset, & in interiores corporis partes impulisset humores, tenuißimus primùs fluebat, itaq; febrem ardentem induxit.*

Et *ibid. in 10. Patet morbos ardentes in principium incidisse veris cum spirassent Aquilones.*

Ibid. in 1. Erant Cranone carbunculi æstiui, pluerat per æstum largo imbri, idq; assiduè; Acciderant autem magis Austro spirante: nam hic est calidißimus, & modicè humidus.

Si Aquilonia fuerit tempestas, tußis ex faucibus, alui duræ, difficultates vrinæ cum horrore, laterum dolores & pectoris, quando hæc tempestas dominetur talia in morbis expectanda.

Vbertim quidem de istiusmodi ventorum obseruationibus mentionem fecerunt cùm Hippocrates, tum Galenus, in quorum etiam sententiam abierunt scriptores moderni nonnulli, cuiusmodi sunt Isidorus, Beda, Constantinus, ex quorum quidẽ opinionibus de morborum ex scaturigine ventosa ortu distinctionem istam notauimus.

Boreas

Boreas cum suis sociis; est microcosmo quandoque morbificus, & maleficus, quippe qui

- Desiccat humores siue sint
  - Interni.
  - Externi.
- Dolores pulmonum auget.
- Tussim agitat.
- Phthisicis admodum est grauis, vtpote qui sua frigiditate & siccitate, seu potius asperitate dilacerat pulmones.
- Pustulas in pulmonibus facit.
- Asperitatem & rugositatem inducit.
- Neruos contrahit.
- Membra dolorifica efficit.
- Membrorum actiones tollit, nam stupores inducit.
- gignit:
  - Difficultaté vrinandi
  - Tremores
  - Horrores
  - Dolores
    - Laterum
    - Pectoris
  - Febres periculosas & subitaneas
  - Cerebri grauedinem
  - Melancholiam
- Desiccat ventrem.
- Pungit & mordet oculos.

Huic nostræ assertioni astipulari videntur Authores illi *supradicti*, quibus etiam Medici omnes hodierni conuenire videntur: nec quidem aliam tantæ in ventis alterationis rationé dare possunt quàm quia ipsa experientia stultorum magistra ad illius rei fidem adhibédam sunt instructi: nam videmus ipsum Galenum & Hippocratem aliam huius rei rationem reddere non posse, nisi quòd quia experientia docet ab effectu istum ventum esse frigidum & siccum, ergo tales necesse est, vt producat effectus. Sed à quo principio oritur, quòd iste vétus frigidus & siccus tales hauriat effectus? videlicet à proprietate occulta Angeli ab ea plaga agitatione diuina operantis: hoc omnino ante hunc diem ignorare videntur, atq; ita effectum solummodo pro causa veraciter efficiente colligere assolent. Sed ad propositum:

Auster cũ duobus suis ministris collateralib⁹

- Est
  - Æstuans admodum & calidus.
  - Pestifer, noxius & contagiosus.
  - Morbidus, quippe qui ægritudines multas procreat, videlicet
    - Auditus difficultatem atque aggrauationem.
    - Surditatem.
    - Capitis grauedinem.
    - vertigines.
      - Oculorum
      - Cerebri
    - Motum difficilem.
    - Fluxum ventris.
    - Catarrhos.
    - Superfluos humores.
    - Appetitum diminutum.
    - Vermes, & huiusmodi alia à corruptione orta.
    - Sensuum torporem.
    - Ingenii grauedinem.
    - Podagram.
    - Morbum caducum.
    - Pruritum.
    - Febres
      - Putridas.
      - Pestilentiales.
    - Sudores non naturales.
- Corpora debilitat, eaq; laxa reddit.
- Implet corpora porosa superfluitatibus, ita vt more spongiæ intumescant.
- Humores fluidos non ligat, sed dissoluit ligatos, eosque ab interius ad exterius præternaturaliter mouet.
- Corrumpit, destruit, & modo putrido calefacit.

Denique quòd ventus Orientalis cum suis collateralibus morbos producat æstuosos & igneos, vt & venti ipsis oppositi siue Occidentales aqueos efficiunt ex proprietate sua Angelica, vbertim in tractatu nostro *de Morborum differentiis*, tam ex confessione Galeni & Hip-

 pocratis

pocratis,quàm ex testimonio sacræ paginæ quàm clarissimè expressimus: quare ego vos ad illum integrum tractatum,atque in primis pro huius subiecti explicatione,esse referendos suadeo. Atque hac ratione primum & principale sapientiæ æternæ in hoc mundo sublunari organon Angelicum & centrali actui proximum explicatum habetis, in quo Deus quasi in spiritus Angelici centro ad commune spiritus sublunaris subiectū de proprietate in proprietatem alterandum agit & operatur: quarum alterationum actus formas vocamus elementorum,vtpote qui vnum elementum ab alio distinguunt, atque spiritum illum in existentia seu substantia vnicum & permanentem de natura in naturam mutatum elementa vocamus,vti *capite isto sequenti* clariùs.

CAPVT III.

Elementum simplex quid, quomodo à sua natura simplici in multiplicem rotetur & vertatur. Qualitates elementorum quæ,& vnde deriuetur. Quòd elementa microcosmica sint humores. Denique qua ratione elementa vtriusq; mundi sint insalubria & præternaturalia.

IN pluribus historiæ *præcedentis* locis naturæ humidæ integræ,siue vniuersalis productionē expressam inuenietis,videlicet quòd sit substantiale chaos, cunctorum matrix, à potentia diuina deriuata,& mediante atque obstetricante actu diuino in lucem edita,ex qua materialiter imprimis omnia in genere,videlicet cœlum & terra,ac tum postea quæ in iis comprehenduntur in specie,tanquam ex materia vniuersali creantur,& in actum tam visibilem quàm inuisibilem producantur. Hanc autem materiam catholicam in natura vnicam Moy-
1.Pet.3. ses,& Apostolus D. Petrus vocauerunt *aquas*, quarum diuisione & præparatione scientia verbi spagyrica facti sunt cœli & terra, quorum illi vocantur aqua & spiritus inuisibilis,vt hæc simul cum grossis aquis visibilis. Vt ergo tota illa spiritus huius mundani portio quæ inter concauam Lunę sphæram,& terrarum simul atque aquarum visibilium molem interest, spiritum sublunarem, siue vocabulo communiori Aërem vocauimus,ex cuius gremio seu visceribus tam aquæ visibiles quàm ipsa terra inspissatione procreantur;iuxta illud Aposto-
Hebr.1. li: *Per fidem agnoscimus,quòd semper ita actum sit cum mundo per verbum,vt ex iis quæ videri non poterant,fuerint ea quæ possunt videri.* Sed quid ad huius rei confirmationem opus est verbis, quum assidua nos doceat experientia aërem in nubem,& nubem in pluuias, & pluuiam in assiduum aquarum incrementum conuerti,ex quibus consistunt maria? Hunc igitur spiritum sublunarem integrum illud materiale vnicum vocamus,quod vulgus Elementum, qui quidem spiritus vt in natura sua simplici erat idem & vnicus sine mutatione aut alteratione vlla creatus,seu è sinu potentiæ diuinæ,seu chaos tenebrosi extractus; ita quidem respectu suæ originis & radicis vnicus dicitur,& non multiplex,semper vna gaudens forma,atq; alterationem non admittens: hoc enim modo se habebat spiritus iste hylæ primogenitus, antequam natura eius complicita esset explicitè reuelata,& in regiones spissitudine & raritate,luciditate & tenebrositate, leuitate & grauitate differentes spagyrica verbi Dei potestate diuisa. Quare certum est hunc spiritum mundanum in complicita sua natura esse vnicum & simplicem & nō multiformem in principio suæ creationis. At verò cùm verbo *Fiat*, concederetur virtus spagyrica, separando hoc vnum & omnia, & reducendo omnia quasi ex nihilo isto in esse,hoc quidem faciebat mediantibus suis Angelis ventosis,quippe *quorum est* (teste Dauide) *efficere verbum*, nam vnicus Dei spiritus virtutem in se habet quatuor ventorum; Vnde Propheta: *Veni à quatuor ventis,& inspira interfectos istos vt viuant.* Hinc etiam a-
Ezeck.36. libi Propheta regius: *Ventus procellosus efficiens verbum.* Et alibi: *Angeli Dei validissimi robore ef-*
Psal.158. *ficientes verbum eius.* Atque iterum: *Qui facis Angelos tuos ventos & ministros ignes vrentes,* &c: Quibus fas erit colligere,quòd vt Deus per verbum suum *Fiat*, produxit omnia ex nihilo in naturam complicitam seu rem vniuersalem, mediante suo spiritu omniformi: ita quidem per istum suum spiritum catholicum in se simplicem, sed multiplici proprietate & afflatu præditum, naturam illam complicitam seu hoc elementum vniuersale varieformiter animauit, & de statu in statum mediantibus suis organis ventosis mutauit & rotauit, videlicet de temperie ignea in terram per afflatum suum à Septentrione,& de terrea in aëream per spiritum Meridionalem, de aërea in naturam aqueam per afflatum Occidentalem: ac deniq; de aquea in igneam per suum ventum Orientalem. Hinc textus sa-
Psal.103.24 cer: *Opera Dei mirabilia & ampla,quæ omnia fecit in sapientia,quæ ligat aquas in densis nubibus,adeò*
Iob 26 9. *vt non findantur nubes sub ijs Per sapientiam aptat ipse pondus aëri, & appendit aquas in mensura, fa-*
Iob.26.13. Psal.147.5. *cit pluuiæ statuta,& viam fulgetro tonitruum.Dat niuem sicut lanam,nebulam sicut cinerem aspergit,*
Iob.28.24. *emittit glaciem sicut frusta,ante faciem frigoris eius quis consistat? Emittit verbum & liquefacit ea.Di-*

uidit

uidit exhalationem quæ spargit ventum super terram. Quid, plura? Per ventos suos super quorum
alas dicitur volitare, conuertit mercurialem istam, & tamen in se simplicem naturam, in cō-
ditionem quadruplicem: nam quando à spiritu Angeli Orientalis inspiratur, dicitur elemen-
tum ignis, si ab afflatu illius septentrionalis, terra; & sic in cæteris: quod omne fit respectu
nostrûm licet in se, hoc est, respectu substantiæ suæ sit semper eadem & vnica materia sim-
plex facillime amplectens naturam cuiuslibet Angeli, quibus à Deo in creatione variæ assi-
gnantur formæ essentificæ, quarum effectus à philosophis qualitates dicuntur elementares;
vtpote quib. distinctis quodlibet videt elementū naturali quasi habitu ornari atq; muniri.

De istis proprietatibus Angelicis, seu potius proprietatum Angelicarum effectibus in
huius libri primordio lucide verba fecimus, de quibus iterum hæc *isto in loco* pauca annectere
mihi est propositum.

Ante sanctam monadis æternæ emanationem hoc elementum vnicum Catholicum e-
rat plane nihilum, seu potius aliquid in mera quoad nos potentia: at prolato verbo, *Fiat*, fa-
cta est Catholica illa emanatio, seu spiritus ille æternus lucidus, quem Scripturæ vocant *spi-
ritum sapientiæ sanctum*, de quo ipse hæc, *Sapientiæ fons verbum Dei in excelsis, ingressus illius man-* Eccl. 1.
data æterna, vapor est virtutis Dei & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, & candor Sap. 7. 25.
*lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis; & magnæ bonitatis illius: quæ primogenita ante o-
mnem creaturam & ex ore altissimi prodiens ab initio & ante secula creata est, & vsq; ad futurum secu-
lum non desinet, in habitatione sancta corā ipso ministrat.* Apparitione igitur lucidissimæ & vni-
uersalis istius emanationis quasi summi & Catholici Angeli seu legati à throno, imo vero ab
ore monadis æternæ, subito natura humida vniuersalis, è profunda tenebrarū mole editur
in lucē, & à potentia migrauit in actum, & nomine aquarum est nuncupata, vnde textus. *Et
spiritus Domini ferebatur super aquas* hoc est, naturā igneam, seu speciem & formā quæ à nihilo
in vniuersale aliquid positū redigeretur: Atq; ista erat primus creationis typus, in quo aquæ
omnes quasi materiarū penus vnicus equaliter à formali ista emanatione animatur: atq; hæc
erat vniformis elementi istius Catholici dispositio, & consequēter hæc erat radicalis spiritus
mundani vniuersalis conditio in instante suæ creationis, in qua fœminina diuinitatis natura
quippe quæ dicitur vtriusq; secus fœcundissima) quasi Dei latentis arcanum, videlicet ma-
teria aquarum, siue passiuum, & masculinus ipsius actus in emanatione illa lucida & forma-
li expressus, simul ad creaturam, seu penum; seu naturam vniuersalem creandam in vnum
coniunguntur: ex qua vnica tum postea omnia sunt spagyrica verbi, *Fiat*, præparatione fa- Prou. 8.
cta; iuxta illud Sapientis: *Ego sapientia aderam quando præparabat cœlos, quando certa lege & gyro* Psal. 33. 6.
vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum. Et Psaltes: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spi-* Prou. 3.
ritu ab ore eius omnis virtus eorum. Hinc alibi Salomon: *Sapientia Domini fundauit terram, & sta-* Eccl. 24.
biliuit cœlos prudentia. Et Moyses loquitur de prima illa separatione, quæ facta fuit aquarum
superiorum ab inferioribus mediante firmamento, & deinde terræ à mari. Actum autem
istiusmodi separationis à sacrosancto isto spagyrico sic describunt Scripturæ; *In cœlis fecit sa-* Iob. 28. 25.
pientia sua vt oriretur lumen indeficiens; vnde Dauid, *Posuit tabernaculū suum in Sole, & sicut nebu-* Psal. 103. 4.
*la texit omnem terrā, cœli gyrum circuiuit solà, profundum abyssi penetrauit, in fluctibus maris ambu-
lauit, & in omni terra stetit. Aptat pondus aëri, appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta, & viam
fulgetro tonitruum* Deniq; *opera Dei sunt mirabilia & ampla, quæ omnia fecit in sapientia.* Vbi eui-
dens est, quod materia seu passiuū ex quo cœlū & terra & omnia quæ in ijs cōprehenduntur sūt
aquæ primitus creatæ & è tenebroso chaos exurgētes: formalis essentia à qua ipsa sunt in suas
species & formas diuersas producta est verbū Dei, quod est fons sapientiæ in excelsis. Nonne
hoc totū verbis quidē expressis confirmatū habemus? *Cœli (inquit) erant prius & terra de aqua* 2. Pet. 3. 5.
& per aquā consistentes Dei verbo: ac si dixisset; materia, seu substantia cœli & terræ est aqua, &
cōsequēter aqua & inuisibilis ex aqua cœli facti sunt, visibilis, videlicet ex qua terra & mare:
At forma & dispositio eorū oritur ab actu verbi Dei, cuius est reuera omnia metiri, omnia
ponderare, & omnia numerare, quippe quod omnia numero, mēsura, & pondere fabricatū est.

Hisce ergo liquet quod omnia spiritus iste aqueus Catholicus sit in sua creatione simplex &
vniformis, non aliter quàm emanatio illa Catholica sacrosancta. At vero eiusdem in species di-
uisio primaria erat istiusmodi. Deum monadē agnoscimus bina dispositione esse præditum;
videlicet priuatiua, in qua occultat se in se, in quo statu manebat priusquā de mundi creatione
cogitauit: atq; in hoc statu Deus dictitatur latēs. At vero cum ipsi voluntas mundi condendi
esset, mutauit istam priuatiuam conditionem in positiuam, h. e. de tenebris in lucem, de po-
tentia in actum, atq; vt ita dicā, de Noluntate in voluntatem. Hinc ergo est, quod eius ema-
natio (quæ verbi prolatione effluxit ab ipso, cū non sit essentia ab ipso diuisa, sed eodē mo-
do ei coniuncta vt radius soli suo fonti lucido) sit particeps tā voluntatis Dei quā noluntatis
ipsius, atq; ob istā rationē cū materiali illa reuelatione est vnita, vt iuxta istas binas monadis
æternæ proprietates oppositas mundi machina ex rebus geminis cōditione cōtrarijs vt luce &

tenebris, forma, & materia, agente & patiente, conderetur. Ex his ergo oritur omnis in vtroq; mundo diuersitas, omnia generũ & specierum differentia, indiuiduorũ discrepantia, actionũ resistentia, &c. Hinc elementorũ bellum proprietatũ spiritualiũ oppositio, qualitatũ seu naturarũ obliquitas, leuium & grauiũ multiformitas, visibiliũ deformitas & pulchritudo. Hinc odiũ, siue lis, & amicitia. Deniq; omnia ex oppositis conflata cernimus, quę in Deo sunt vnum & idẽ, ipsisq; optimũ, vtpote à beneplacito suo ortum, atq; deriuatũ, vtcunq; nobis mundanis malũ & incommodum videatur. Et tametsi ante Angelorũ lapsum, dum Deus manifeste & indifferenter esset creaturæ suę Catholicę, videlicet à quę Catholicæ adeò vt nihil videbatur esse præterq̃ solus Deus, tamen post ipsorum lapsum orta est in mundo tã sæua rerũ omnium discrepantia, atq; creaturarũ creaturis oppositio; vnde spagyrica emanationis istius virtute facta est tã materialis q̃ formalis rerum diuisio: hinc tã amicitia q̃ inimicitia in mundo, hinc tam antipathia q̃ sympathia rerum. Hinc est ꝙ Angelus natura Angelo, ventus vento, proprietas proprietati, qualitas qualitati, ac tandẽ elementum elemento opponatur. Cuius quidẽ ratio, vt opinor, exacta & radicalis est huiusmodi. Cũ Dei essentię vnius & simplicis plures dignoscantur esse proprietates (vnde à scriptis sacris decẽ ei nomina præcipua à proprietate, quib. à Cabalistis totidẽ Sephirotę seu numerationes ipsis inseruientes ascribũtur) at vero ipsius essentiæ sacrosanctæ nõ nisi vnicũ illudq; Tetragrammaton יהוה sequitur profecto ꝙ iuxta suarum proprietatũ dispositionẽ multiplex ẽt sit eius voluntas: verũ enimuero officiũ filij, siue emanationis sanctæ, quę est Angelorũ summus & caput, est efficere voluntatẽ patris seu monadis à qua effluxit tã in cœlis, q̃ in terra: vnde haud inconsulte à sapiẽte dicitur ipsa spiritus simplex respectu essentię, at multiplex respectu varietatis & diuersitatis operationũ: at vero quælibet ipsius operatio est effectus voluntatis ipsius qui eũ in mundum emisit, vt prolato verbo omnia perficeret. Vt ergo primũ voluntas in monade oritur per radiũ à fonte emanationis istius æternæ emissum seu more Angelico effusum exequitur, vnde certum est ꝙ nihil existit in hoc mundo ꝙ à voluntate Dei non procedit: nec in actum põt reduci illa voluntas nisi per radium emissionis seu emanationis particularis ab emanatione illa generali quæ loco animæ mundi inseruit, quippe quæ informat & viuificat per peculiares suos radios siue emanationes res oẽs particulares, vtpote sine quib. nihil. Atq; hinc Solomon, *spiritus incorruptibilis est in omni re, & consequenter vbiq;* vel (vt alibi habetur) omnia implet. Hinc ergo enucleatur philosophorum veterũ sensus, videlicet Orphei, & reliquorũ Pythagoreor. vbi dicunt oĩa dijs plena, quos nihilominus oẽs ad vnicum Iouem referebant: vel Platonicor. qui volunt oẽs animas particulares procedere ab vnica mundi anima, ac si dicerent oĩa verbo, Fiat, à Deo prolata, seu oẽs radij à fonte sapientiæ emissi procedunt ab vnico eius fonte, non aliter q̃ omnes radij ab vno Sole, vel oẽs Angelicæ virtutes ab vnico Angelo magno & Catholico, quẽ Cabalistæ vocant *Metattron* & scripturæ sapientiam, quæ cũ esset emanatio generalis nuntij illius radicalis qui actum & formã cuilibet creaturæ annuntiat, q̃ tum postea per suos radios infinitos, quasi emissiones Angelicas inferiores præstare & distribuere gestit in mundo, vnde Dauid, Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorũ. Sed quoniam Angeli sunt Angelis conditione plane, quoad nos, contrarij, & consequenter stellæ vnius influxus influxui alterius, vnde ẽt factum est quod vnum elementũ sit alteri, & complexio hæc illi, & humor humori, & meteoron meteoro contrarium, sequitur ꝙ effectus istius vnicæ essentiæ æternæ, à qua omnia & sine qua nihil, sint conditione contrarij, & consequenter, ꝙ vnica Dei voluntas, vnicuiq; æternæ ipsius sapientię actus sit alteri oppositus: verbi gratia, in infima mundi regione, sublunari videlicet spiritus iste mirabiliter per Angelos seu radios suos emissos agit in conditione cõtraria, quos Angelos ventos facit; quasi organa mediantib. quib. efficit verbum & voluntatẽ Dei, vt testatur Dauid. Hinc ergo fit ꝙ Angelus Borealis emittit flatus frigidos & siccos: cũ vero è regione ille Australis suos spiritus natura & cõditione cõtrarios, videlicet calidos & humidos faciat, vnde fit ꝙ prædominante Austro destruantur Boreæ actus, & è diuerso Boreales insultus Australes consumunt & coarctant operationes, & pariformiter res sese habet inter ventos Orientales & Occidentales, quippe quorũ ille est calidus & siccus, hic vero frigidus & humidus: & tamẽ est vnus & idẽ spiritus generalis à quo egrediuntur istę emissiones seu radij cõtrariæ fortitudinis, iuxta illud Prophetæ. *Veni spiritus à quatuor ventis, & inspira interfectos istos vt reuiuiscant.* Quo sermone elicere debemus quod oẽs venti à quatuor mundi plagis spirantes sint proprietates, seu varij effectus vnius radicalis spiritus omnia varieformiter agentis: deinde ꝙ ipsa creaturarũ inferiorũ vitæ facultas à conditione quatuor ventorũ depromitur.

Ezech.

Quid ergo aliud est elementum in nuda & simplici sua natura creata quam massa aquarum sub Luna inuisibilium, quam spiritum vocamus sublunarem. At si ista spiritus mundani portio induat proprietatem spiritus Angelici à septentrione flantis, tunc quidem illa in natu-

naturam & conditionem terream euadit, videlicet frigidam & siccam, & ob istam rationem nomẽ elementi terræ sibi haud iniuria vendicat, vtpote in quo suo statu in niues, grandines, pruinas & glaciẽ condensari solet, atq; ẽt ipsas aquas cõdensat. At si quis replicare velit quid ergo est ipsa terra habitabilis? Nonne est illa verum Terræ elementum? Huic ego. Terra & maria quæ nunc sunt visibilia sunt solummodo effectus dominij ventorũ variorum in aëre seu spiritu mundano; cum necesse sit credere iuxta Apostoli verba *superius* allegata, ꝙ *visibilia fuerint prius ex inuisibilibus.* Dicimus ergo ꝙ non sit nisi vnicum & simplex elementum à Deo primitus creatum, sed hoc vnicum elementũ seu spiritus mundi Mercurialis facillime vertitur de natura in naturã, iuxta ventorum in eo prædominantium conditionem, non aliter q̃ Mercurius in cœlo conuertitur in naturam planetæ fortioris cum quo coniungitur: sic flante Euro fit elementum Ignis, prædominante Austro, Aër, regnante Occidentali, Aqua, ac deniq; Boreali Terra. Huius alterationis effector radicalis est spiritus Dei Catholicus, qui omnia regit iuxta eius voluntatẽ qui eum misit. Sed istam elementi istius radicalis de statu in statum mutationem eleganter describit textus sacer in his, *In se elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt*, vnde æstimari ex ipso visu certo potest: agrestia enim in aquatica conuertebantur, & quæcunq; erant natantia in terram transibant. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur: flamma è contrario. Quibus arguitur, quod illa eadem substantia diuersis modis propter naturarum diuersarum in ea dominantium alteratur per vicissitudines & non simul, sed transitu vnius elementi in aliud. Deniquc rationem quomodo hoc simplex elementum seu natura humida, spiritus luminosi apparitione & verbi prolatione esset de potentia tenebrosa in actum lucidum & perceptibilem producta, & qua ratione in elementa tum postea quatuor operatione spiritus istius increati esset alterata sic breuiter Hermes Antistes ille Ægyptiorum sapientissimus. *Cum Pimander mutasset formam, cernebam nimium atque iucundum, quod intuentem me mirifice oblectabat. Paulo post vmbra quadam horrenda obliqua reuolutione subterlabebatur, in humidamq; naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatam; inde fumus quidem magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: ex hac luminis voce verbum factum prodijt: verum hoc naturæ humidæ astans eam fouebat: ex humidæ autem naturæ visceribus sincerus ac leuis ignis protinus euolans alta petit: aër quoque leuis spiritus parens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur: terra vero & aqua sic inuicem commixtæ iacebant vt terræ facies aquis obruta nusquam pateret. Hæc duo sunt commota à spirituali verbo quod ijs superferebatur, aures eorum circum sonans, &c.* In quo eius sermone in primis arguit emanationem lucidam admodum, & plusquam dici potest iucundam è tenebris emissam, deinde denotat naturam humidam in fumi speciem migrãtem. Deniq; verbum *Fiat*, ex humida illa specie organica expressum atq; editum: & mutationẽ naturæ istius humidæ in quatuor elementa mediante spiritu isto Angelico: & quamuis ipse de elementorum locis expressis loquatur, tamen non aliter de ipsis intendit quam vt sint effectus ventorum talium Angelicorum à magno illo spiritu emissorum & gubernatorum, vt terræ consistentia est effectus proprietatis Borealis, aqua Occidẽtali, aër Australis, & ignis Orientalis. Ad naturas illas elementorum quod attinet, quas vnicum illud elementorum subiectum seu spiritus sublunaris induit, mediantibus quibus huius vel illius elementi nomine insignitur, sciendum est eas minime esse accidentia aut qualitates, sed formarum essentificarum à voluntate diuina effluxarum actus: non enim sunt accidentia vlla in Deo. At Textus ait, *Flante Deo concrescit gelu; coram frigore eius quis consistat?* Et alibi, Deus dicitur *Ignis consumens.* Sunt ergo istiusmodi elementorum naturæ seu formæ quibus elementum Catholicum simplex de specie in speciem mutatur radiorum Angelicorum à fonte diuino seu sapientiæ æternæ abysso scaturientium virtutes specificæ variæ, secundum varietatem voluntatis seu velle diuini; non aliter quam voluntatis humanæ actus varij varios & diuersos producere videtur effectus, tametsi sit vnicus ipsius radius, seu mens diuina radicalis à quo tot varietates procedunt: vnde fit quod voluntate eiusdem spiritus (cuius est spirare vbi vult) Angelus Borealis virtutem flatu suo frigidam & siccam, Australis calidam & humidam, Orientalis calidam & siccam, Occidentalis frigidam & humidam emittit. Hinc etiam Terra natura essentifica ab aëre, aqua ab igne dissentire cernitur: fulgura à pluuia, nix & grando à rore & imbre, cometa lucidus à nube densa & nigra, sanguis à melancholia, pituita à cholera, omnesque morbi meteorologici qui exinde oriuntur, & iterum in macrocosmi regno animali, Scorpius à bufone, in vegetabili, quercus à corylo, saluia à plantagine, in minerali plumbum ab auro, arsenicum ab antimonio, sal commune à vitriolo, &c. Quorum omnium quæ sunt frigida & sicca virtutes suas specificas ex parte Ange-

Sap. 19. 18.

Pim. 1.

Angeli Septentrionalis hauriunt, quæ frigida & humida ex parte Occidentalis, quæ calida & humida ex parte venti Meridionalis: ac denique quæ calida & sicca ex Orientali: nam ab istis radicalibus Angelorum seu potius radiorum iuxta voluntatem Dei à fonte sapientiæ emissorum virtutibus res cunctæ informantur, atque suum actum, naturã, essentiam & proprietatem habent: nam vt Angeli dicuntur efficere verbum, hoc est voluntatem Dei, ita quidem iuxta Cabalistarum & Peripateticorum intentiones (qui haud inconsulte in talẽ coincidunt sententiam) quod Angelus sit quasi ex officio missus vt impleat iussa creatoris, voluntq; eum esse tanquam inter Deum & naturam virtutem mediam à qua fiunt operationes in rebus quas à proprietate prouenire dicunt: imo vero proprietas & natura rei tam manifesta quam occulta prouenit à forma Angeli essentifica, ci ab Angelorum summo principe assignata.

Iam vero, vt ad vltimam huius discursus clausulam perueniamus, dicimus quidem quod cum proprietas vnica eiusdem in essentia spiritus sit alteri diuersa, imo quidẽ contraria: certum est quod illa proprietas quæ dominatur sit super debiliorem victrix: nam necesse est vt contrarium fortius opprimat suam contrarium: sic quidem Borealis insultus deprimit Australes effectus, vt è regione dominante vento Australi actus Boteales destruuntur & ad nihilum reducuntur, iuxta hoc. *Emittente ipso sermones suos in terram quam celerrime excurrit verbum. qui niues emittit sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit. deiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? &c.* Hic voluntatis Dei in septentrione actum describit, frigoris ipsius fortitudinem arguit, aquarum & pluuiarum ab Australi partu in liquida & mobili sua natura partarum coagulationem & fixationem, atque in niuem, gelu, pruinã reductionem. Tum postea exprimit Australis proprietatis dominium per verbi in proprietate contraria emissionem, & ait in serie continuata. *Emittit verbum suum, & liquefacit ista simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ:* hoc est virtute proprietatis Australis effectus illi septentrionales destruuntur.

Psal. 147. n. 6.

Quibus euidens est, quod vt quidam afflatus benefici vitæ & sanitati conferunt, ita quidem sunt venti oppositi quorum insultibus opprimuntur vitæ spiritus magis in vno quam in alio iuxta complexionis dispositionem: sic enim teste Galeno pituitosi melius se habent æstate, hyeme vero peius, & contra biliosi hyeme saniores quam æstate existunt: similiter, melancholicis infestiores sunt venti Boteales, vt & Australes phlegmaticis & naturis corruptioni obnoxiis. Porro cum compositio sit ex æquali elemẽtorum temperie, sequitur quod si bilis sit ad rebellionem procliuis à vento Orientali facile augetur eius dominium quo minori cum labore deuincat suos socios, eorumq; harmoniam perturbet: atque ita in cæteris. Hinc ergo creaturæ insalubritatis origo, & vitalis symphoniæ in morbosam discrasiam mutatio. Nonne etiam in simplicibus medicamentis hoc idem accidere videmus, quorum omnium virtutes à ventis accipiuntur atque deriuantur? nam sunt alia simplicia quæ ita vitæ & sanitati opponuntur vt subitò ægrotare faciant creaturam, & ipsi venena existant lethalia: atque hoc totum ab occulta Angelorum proprietate existit, in qua est ventorum cardinalium & collateralium virtus. Hinc ergo haud inepte Artefius *in claue maioris sapientiæ*, de morbis igneis siue collateralibus. *Sunt quædam infirmitates in quibus se adiungit diabolus, humore egrediente de suo temperamento ac perturbante ipsam sanitatem, & hoc maxime accidit infirmitatibus ex cholera prouenientibus, cuius causa est ista, quia scilicet natura ipsius choleræ est calida & sicca vt ignis, corpus vero diaboli ex duobus est compositum, scilicet ex aere & igne: eius ergo apparens est aer, & eius occultum ignis. Manifestum est ergo ipsum contrariari & aduersari naturæ humanæ, quæ est natura æqualitatis: cum ergo accidit corpori ægritudo de natura ipsius choleræ in corpore, & quia diabolus ad ipsum occultum est de natura ipsius choleræ, adiungit se cum cholera & ob istam rationem augmentatur choleræ dominium super aliis humoribus, & tantum potest prædominari vt etiam recedat anima à corpore.* Hæc ille. Verum hoc in loco intelligere videtur de dæmonio solummodo Orientali seu igneo, quod in spiritum vtriusque mundi inspirare assolet afflatus fulgureos & biliosos; verum in dæmoniis contrariarum proprietatum aliter se res habet, vt *superius* est descriptum.

Concludimus igitur ex his quod tam philosophi quam medici veteres in hoc decepti sint, imo vero in suis opinionibus incerti & hæsitantes, facientes quandoque quatuor vt vocant principia, seu qualitates primarias, calidum nempe, frigidum; humidum & siccum; tam temperierum quam morborum principia, nonnunquam & aliquod ex elementis, videlicet Ignem, Aerem, Aquam, aut Terram; quandoque aliquem ex quatuor humoribus, bilem scilicet, pituitam, sanguinem, vel melancholiam: & tamen nihilominus in locis aliis agnoscunt ventos esse causas morbos efficientes, atque ita in suis opinionibus sunt admodum inconstantes, cum reuera causæ efficientis orga-

organicæ per quas Deus immediate agit sint venti seu afflatus Angelici, quorum actus seu virtutes essentificæ sunt proprietate illæ essentiales quas ipsi falso qualitates & accidentia dictitarunt, quæ non sunt actus aut effectus elementorum vt ipsi satis inconsulte volunt, sed virtutes Angelicæ à Dei voluntate primitus creatæ, atque huic vel illi mundi cardini ad varios voluntatis suæ variæ effectus in campo spiritus mundi sublunari producendos assignatę, quarum operationum effectus immediati sunt eę spiritus vnius mutationes quas elementa vocant, ita vt elementa quatuor orta sint ab ipsis & non ipsæ ab elementis: nec quidē sunt elementa in sua substantia nisi vnum & idem quadrupliciter ab istis Angelicis naturis in natura mutatum & variatum; vnde liquet quod ipsæ sunt immediati formæ increatæ varia volentis effectus, ex quorum mixtione varia exurgunt tam in macro quam microcosmo humores, qui nihil aliud sunt quam idem vnicum elementum, & quasi aer seu spiritus sublunaris multiformiter in visibilem substantiam inspissatus, in qua substantia liquida, si actus Orientalis magis prædominetur fit in macrocosmo fulgur mixtum pluuia in microcosmo bilis; si Septentrionalis fit in macrocosmo nix, grando vel glacialis humor lentus, in microcosmo humor melancholicus frigidus & siccus, & sic in cæteris: nam euidens est quod ventis talibus in cęlo spirantibus tales & tales in vtroque mundo procreentur humores: vt enim microcosmus fit ex macrocosmo, ita quidem ex humoribus in macrocosmo genitis oriuntur tales in microcosmo, quod etiam agnouerunt philosophi & medici. Hinc Galenus super Hippocratem.

Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte sunt febres longæ; nam aeris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas humiditates, siccitas vero pauciores efficit humores, sed qualitate biliosiores, & ob istam rationem febres sunt acutiores. Et *alibi.* *In libr. 3. aph. 7.*

Morbi in pluuiarum multitudine magnæ sunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi Comitiales, apoplexiæ, & anginæ; in siccantibus, tabitudines, lippitudines, difficultates intestinorum, &c.

Capvt IV.

In quo declaratur, quomodo anni quartæ causæ morborum quorundam efficientes sint dictæ, & quod anni etiam quartæ ventorum virtutibus subiiciantur.

QVod Sol sit anni quartarum moderator, & quod suo circulo aeris statum de temperie in temperiem mutet, & suo more moueat nobis (tametsi hoc quotidiana experientia non admoneremur) reliquit Salomon in his. *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Vbi per spiritum intelligit Sapiens aerem qui regitur à radiis solaribus vt spiritus humanus ab anima. Vt ergo spiritus sublunaris sit præcipuum patiens in quod Sol agit & operatur, ita quidem quadruplici eiusdem distantia distincta à loco istius vel illius poli eleuationis alterat ipse quadrupliciter aeris seu spiritus illius loci portionem: sic quidem illa circuli annui portio seu quarta quam percurrit Sol tempore vernali, videlicet à puncto ♈ incipiens & ad ♊ fines pertingens, est temperie calida & humida ratione moderatæ ipsius præsentiæ: at vero propter propinquiorem ipsius accessum ad illum locum dum per ♋ ♌ & ♍ transit, æstuosior & siccior fit loci spiritus siue aer & fit æstas: deinde à ♎ ad ♐ permeans reddit aerem, propter eius à loco illo recessum, magis frigidum & siccum, quod accidit Autumnali spatio: deniq; maiorem ipsius à loco illo distantiam, quod euenit dum in solstitio brumali adhærere videtur, atque etiam per signa ♒ & ♓ absoluit propter defectum caloris in loco dicto quartam producit hyemalem, in qua loci spiritus frigescit maxime & madescit. *Eccles. 1. 5. & 6.*

Hinc ergo est, quod quadruplices alterationes manifestæ quolibet anni circulo in cuiuslibet loci aere accidere solet, quæ morbos & meteora varia insalubria producunt, vnde haud inepte dixere Medici antiqui.

Imprimis quod corpus ex aere ambiente ex necessitate alteretur, quoniam calefacit, frigefacit, humectat & desiccat, vnde fit quod vel in toto vel in parte patitur corpus & alteratur substantia, quoniam aer ambiens per poros cutis ab arteriis attrahitur: nam (vt *alibi*) *calidiores ambientis aeris status, quales maxime circa canis ortum contingunt, per inspirationem quidem cor manifeste calefaciunt, corpori autem extrinsecus circumfusus ipse totum ipsum calidius efficit, sed præsertim arterias, vt quæ ipsius substantiæ aeris ambientis aliquid trahunt:* ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium, & *Ars med. c. 85. De diff. feb. l. 1. c. 4.*

cum supra modum incaluerit, ipsum primum atque potissimum febrilem calorem suscipere atq; in vniuersum corpus transmittere. In pestilenti vero aeris statu inspiratio plurimum est causa.

Tuend. san. lib. 1. c. 3. Aph. 4. 5. *Corruptionis causa externa vna est aer ambiens, qui separari à corpore non potest, vtpote qui ei veluti adnatus adhæret, qui lædit eo quod vel nos calidos immodice, vel frigidos, vel humidos, vel siccos facit.*

Aer ambiens tempore æstatis trahit humores extra, quos intra trahit medicina. Hæc Galenus.

His igitur diligenter consideratis, ad praxim experimentalem propinquius accedemus, idque iuxta Hippocr. & Galeni obseruationes.

Aph. 3. 6. *Quando æstas fit verisimilis sudores in febribus multos expecta.*

Aph. 3. 9. *Autumno morbi acutissimi atq; exitiales maxima ex parte, ver autem salubre & minus exitale.*

Aph. l. 3. 10. *Autumnus tabidis malus, tam pulmoniacis quam aliis, quoniam siccus & frigidus & temperie inæqualis est.*

De nat. hum. com 1. 33. *Hyeme increscit in homine pituita: hinc pituita tempori conuenit, nam pituita est omnium humorum lentissima & frigidissima, nisi cum atra bile comparetur.*

Ibid. 34. *Vere pituita adhuc in corpore valida manet, & sanguis crescit, tum enim frigora & pluuiæ succedunt: Itaq; cum ex imbribus tum calore diei sanguis augetur, & huic anni tempori maxime commodatur, quippe quod est calidum & humidum.*

Ibid. 35. *Aestate sanguis adhuc viget & bilis suppullulat, accrescitq; & ad Autumnum vsq; pertinet. Autūmno sanguis imminuitur, quoniā eius naturæ autumnus contrarius est. Bilis æstiuo simul & autumnali tempore corpus tenet: hinc ea tempestate hominis bilem sponte vomunt, & per medicamenta vomitoria.*

Ibid. 36. *Autumno sanguis paucissimus efficitur in homine, quoniam Autumnus siccus est & hominem iam refrigerare incipit. Sed atra bilis autumno plurima & potentissima.*

Ibid. 37. *Ineunte hyeme bilis quia iam refrigescit, decrescit, & pituita de integro augetur, tum à frequentibus pluuiis tum à noctium longitudine.*

Aph. 3. 21. *Aestate febres continuæ, & ardentes, & tertianæ, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorū, & aurium dolores, & oris exulcerationes & genitalium putredines & sudamina.*

Aph. 3. 22. *Autumno plurimi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, & liencs, & aqua inter cutē, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & lienteriæ & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes, & Ilei, & morbi comitiales, & furores & atræ biles.*

Aph. 3. 23. *Hyeme morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, laterum & lumborum, capitis dolores, vertigines, apoplexiæ, &c.*

De nat. hum. com. 1. 38. *Hæc ergo omnia perpetuo habet corpus humanum, quæ à tempore anni degenerante modo vltra modum augentur, modo imminuuntur singula pro parte & natura: nam vt annus omnis omnium est &*

Ibid. 39. *calidorum & frigidorum & humidorum & siccorum particeps, ita homo si quod illorum eum deficiat quæ congenita sunt, viuere non potest.*

Aph. 3. 20. *Vere fiunt furores, atræ biles, morbi comitiales, profluuia sanguinis, anginæ, grauedines, raucedines, lepræ, tusses, impetigines, vitiligines, pustulæ vlcerosæ plurimæ.*

Bene (dicet, scio, aliquis) si res ita sese habeat, quid nobis ad morborum procurationem venti aut ventorum operationes? si solis cursum sequantur quatuor anni tempora, & si corporis humani humores sequantur illorum temporū status, tunc tempora anni, & non venti sunt morborum illorum authores qui ab humoribus initium sortiuntur suum. Huic ego sic respondeo, videlicet quod si venti supremam habeant super statum cuiuslibet quartæ dominationem, ita vt ipsa de sua naturali temperie subito in naturam huius vel illius elementi aerem eiusdem commutare queant, facillimum erit Sapienti cogitare quod venti & non anni quartæ sint spiritus sublunaris siue aeris Domini. At vero quod res aliter se habere nequeat, sic veterum Philosophorum & medicorum authoritate (tametsi experientia hoc minime confirmasset) comprobamus.

Aph 3. 1. *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* Et Galenus super hunc ista.

In aph. 1 3. *In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis ventorum, aut horum defectus potissimum pariunt morbos.*

Quibus innuere videntur, quod non anni quartæ, sed potius alterationes subitaneæ in aere spatio earum quartarū à ventis factæ sint causæ morbidæ intemperiei præcipuæ. Quod autem dictæ quartæ communiter à ventis ipsis appropriatis ordinatione quadam diuina regantur alibi declaraui, vbi lucide expressi quod ardentissimum æstatis tempus per octo ferme dies post exortum caniculæ, sole videlicet primam ♌ partem ingrediente, antecedunt vt plurimum Aquilones quos vocant Prodromos, quia Etesias præcurrunt, nam biduo post eos sequi solent Ethesiæ (qui venti sunt Australes diebus 40. vt plurimum spirantes) vsq; ad sideris Arcturi ortum, qui fit diebus 11. ante æquinoctium Autumni. Æquinoctio Autumni

Corus

Corus incipere solet, cui contrarius est Eurus, quem alii Vulturnum vocant: tum postea Aquilo vt plurimum principium hyemis concomitari notatur, quam anni quartam inchoat casu vergiliarum post æquinoctium Autumnale diebus fere 44. accidens, quod tempus 3. idus Nouemb. incidit: atque iste Aquilo hybernus est illo æstiuo multum dissimilis, cuius ex aduerso est Auster Africus. Quibus elicere fas est quod quælibet anni quarta etiam anniuersaria naturali ventorum dominatione gubernetur & contemperetur à ventis ordinariis, & secundum naturæ consuetudinem prouenientibus.

At vero præter ventos istos sunt & alii extraordinarii, & more inexpectato prouenientes, quorum aduentu seu dominatione anni quartæ huius vel illius temperies naturalis mutatur in dispositionem præternaturalem, ita vt quandoq; æstas sit tempori vernali similis, & illud vernale hyemi, & hyemale vernali, &c. vnde manifestum est, quod naturalis anni temperies violetur, atq; in suo statu connaturali alteretur, vnde plurimi in mundo producuntur morbi. Hoc etiam testimonio veterum medicorum sic confirmamus.

Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expecta. In siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte talis fuerit qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum morbi expectandi. Aph. 3. 6. Aph 3. 7.

Hyems sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe, æstate facient febres acutas, lippitudines, dysenterias. Aph. 3. 11.

Si hyems Australis & pluuiosa & clemens fuerit, ver autem siccum & Aquilonium, mulieres quibus partus ad ver inest, ex quacunq; occasione abortiuntur, cæteris vero mortalibus dysenteriæ & lippitudines siccæ fiunt, senibus autem distillationes quæ cito interimunt. Aph. 3. 12.

Si æstas fuerit sicca, Aquilonia, Autumnus autem Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fiunt, tusses, raucedines, atq; grauedines, quibusdam & tabes. Aph. 3. 13.

Autumnus Aquilonius & siccus iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus confert, reliquis vero erant lippitudines siccæ, & febres acutæ & diuturnæ, & nonnullis atræ biles. Aph. 3. 14.

Quotidianæ constitutiones Aquiloniæ quidem densant, & aluos exiccant, & oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit dolorem augent. Australes dissoluunt corpora, humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, vertigines faciunt, &c. Aph. 3. 17.

Quibus agnoscere videtur, quod tales constitutiones inexpectatæ in quacunque anni quarta alterant naturam illius quartæ in Aquilonarē vel Australem constitutionem, meteoraque in vtroq; mundo producunt tam naturalia quam præter naturæ & sanitatis leges.

Concludimus igitur, quod tametsi morbi anni quartis conuenienter assignentur, tamen illi à ventis radicaliter procedunt, qui Titanis & Auroræ, seu Astreæ infantes dictitātur, quatenus à calore solis existimantur deriuari, quippe cuius est teste Salomone *aerem* seu ventum *in suis circulis circumgyrare*; sed iste motus est generalis, ille vero à ventis cardinalibus procedens particularis. Atq; vt hi venti sunt nihil aliud, quam actus quatuor Angelorum, qui eos spirare faciunt iuxta Reuelatoris sententiam; ita quidem hi omnes à summo illo Angelo, Michaele nempe gubernantur, vtpote qui ipsi obedientiam præbere perhibentur, vt in eodem textu videre licet, vbi mentionem de Angelo ab Oriente ascendente fecit.

CAPVT V.

Quod meteora vtriusq; mundi ab humore quadruplici multiformiter constituantur, & qua ratione quandoq; in vtroq; mundo pro ipsis morbis & nonnunquam pro efficiente morborum causa à vulgaribus æstimetur.

HVmorum fontem, quoad eorum substātiam asseruimus esse spiritum illum catholicum sublunarem quæ inspissatione de forma inuisibili in visibilem transire in multis superioris discursus locis demonstrauimus, videlicet à forma aerea in fumosum seu nebulosum vaporem, & ab eo in nubem, atq; tum postea à nube in pluuiam vel fulguream, vel aqueam, vel niualem, vel grandinosam, iuxta naturam venti eum multiformiter informantis seu animantis: nam, vt superius, spiritum istum Mercurio cęlesti haud inepte comparauimus, qui se mutat, & de nouo quasi quolibet die transformatur à forma planetæ prędominantis. Simili plane ratione spiritus in microcosmo, qui ortus est ex illo macrocosmi, & cōtinuus est cum illo, ventis variis in humores diuersos condensatur: nam sicco & frigido Lienis afflatu in humorem lentum & densum, & quasi septentrionalē redigitur, quem melancholiam & atram bilem vocant: at illo calido & sicco cystis fellis in biliosum & cholericum quasi Orientalem: illo denique cerebri & ventriculi frigido & humido, in consistentiam aqueam & pituitosam quasi Occidentalem, &c. At sciendum est quod aer microcosmicus eo citius in humores tales in microcosmo conuertitur, quando aer macrocosmicus taliter se habeat, Verbi gratia inquiunt medicorum ethnicorum principes.

Aph. 3.7. *In siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte talis fuerit qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum morbos expectate.*

Aph. 3.7. Gal. in idē. *Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte fiunt febres longæ, nam aeris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas humiditates: sic æstas pauciores facit humores, sed qualitate biliosiores.*

De nat. hum. com 1. 14. Ibid. 1 33. Ibid. *Humores generantur, in homine à dominio quatuor elementorum, hyeme crescit in homine pituita huic tempori conuenit, nam pituita omnium frigidissima est & lentissima. Vere crescit sanguis, tunc enim frigora & pluuiæ succedunt, æstate bilis suppullulat & accrescit. Autumno plurimum viget atra bilis, quoniam est frigidissimus & siccissimus.*

Concludimus igitur, quod vt in macrocosmo meteora multiformia procreantur ab humorum multiformium condensatione, videl. fulgura ab humore sicco flatu igneo seu Orientali animato, atque etiam cometæ, & cætera meteora ignita lucida mixta cum aliquo alio vento: ita quidē febres, pestes, erysipelata, icteri, & huiusmodi alia genera meteorologica à spiraculis Phaëthonteis & igneis cum humore communi mixtis & simul concretis, iuxta prædictum Galeni, *In siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte talis fuerit qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum morbi sunt expectandi. Ergo si anni constitutio sit parata ad producendas species igneas meteorologicas, cuiusmodi sunt fulgura, cometæ &c.* Tales etiam in aere microcosmico sunt expectandæ. Hinc ergo est quod in æstate sicciori in qua fulgura & coruscationes abundant, febres ardentes sunt frequentiores: similiter in illis temporibus in quibus cometæ contingunt in cælo, meteora pestifera sequi assolent, vt etiam terræ motus igniuomi, pestes mortiferæ & admodum crudeles sunt sequutæ, quemadmodum & historiographorum testimoniis variis fide dignissimis illud confirmatum habemus: similiter vt in macrocosmo meteora multiformia aquea produci solent dum anni constitutio sit humida & pluuiosa, videlicet, pluuia, imbres, rores, fontium eruptiones, vnde & lacus & terræ palustres, atq; inundationes & torrentes: sic ēt in talibus anni dispositionibus in ipso microcosmi aere talia procreari solēt meteora morbosa, videlicet, catarrhus, alui profluuia, morbus comitialis, apoplexia, anginæ, putredines, & consequenter febres longæ, hydrops &c. Hinc Hippocrates, & super eum Galenus, *Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte febres longæ, &c.* nam aeris ambientia humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aqueas humiditates. Et *alibi*, *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexia, Angina, &c. Quoniam* (ait Galenus) *plures humiditates longa coctione indigent, &c.* Porrò *alibi*, *Leucophlegmatia dicitur quando in vasis & in totius corporis habitu multa pituita alba fuerit aceruata.* Verū enim vero, si tempus istud pluuiosum fiat ex concursu venti frigidi & calidi, tunc salsus procreatur in vtroq; mundo humor, qui & sui generis meteora procreare aptus est. Hinc Hippocrates. *Si hyems Australis & pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium, mulieres quibus partus ad ver inest facile abortientur, cæteris vero mortalibus dysenteriæ, lippitudines siccæ fiunt, & senibus distillationes quæ cito interimunt.* Et Galenus super hunc ista. *Inest hoc pituitæ generationi, vt quæ forti fit frigiditate, acida euadat, quæ à caliditate replente caput salsa, sicuti quæ à pauca fit frigiditate, vel paucam dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem habet. Ergo propter eam quæ fit in hyeme caliditatem salsa erit, & hac ratione dysenteriam maxime generat, quando longiori tempore mordens & radens intestina offendit, &c.* Quo Galeni sermone & Hippocratis arguitur ventos esse humorum causas efficientes, & humores meteororum morbosorum.

Aph. 3.7. & Gal. ibi. Aph. 3.16. Aph. 7.17. Aph. 3.12.

Concludimus denique, quod pituita vitrea ex vento septentrionali dominante, & Occidentali in gradu remissiori flāte fit, vnde agnoscit Galenus apoplexias, morbos comitiales, & huiusmodi alios ab humoribus lentis deriuatos partim à melancholico, & partim à pituitoso humore deriuandos: atq; humor melancholicus suam imprimis sedem in plaga vtriusque mundi Boreali, vt & pituita in Occidentali sibi vendicat, vnde certum est, quod humor est naturæ ventosæ organon, videlicet seminariorum ventorum vehicula, quæ sunt quandoq; ipsi morbi, & tunc istius morbi causam efficientem principalem ventum seu seminarium, aut actum venti cuiuspiā vocamus: vel accipitur quandoq; pro causa meteori morbidi vtputa febris, apoplexiæ, ictericæ efficiente: sic dicitur Apoplexiam factam ab humore vel phlegmatico, vel à melancholico & phlegmatico simul, iuxta medicorum tam ethnicorum quam Christianorum ipsorum assectarum assertionem. At nos agnoscimus cum textu sacro Deum *operari omnia in omnibus*, & quod *ipse solus percutit & sanat* mediante Angelo in specie ventosa per humorem, seu vehiculum humorale sub forma aliqua meteorologica. At vero vt vos ista clariori adhuc lumine intelligatis, experimenta nonnulla ocularia vobis in primo loco proponam, quibus consideratis, atque more physico rite contemplatis ea ad amussim cum naturalis eorum motus ratione capere, & percipere queatis.

CAPVT


Caput VI.

Experimenta notabilia, quibus ventorum in corpore humano naturæ demonstrantur.

BOrealis ventus videtur esse nihil, quam aer seu spiritus mundanus induens naturam terream, nam quemadmodum videmus ipsam aquam facillime cum ea natura conuenire & participare cum qua coniungitur, videlicet cum alumine, si alumen ei imponatur, cum vitriolo, si vitriolum, cum sale si sal, cum Antimonio & arsenico si talia capiat ipsa: ita quidem aer si terream recipit naturã & ab ipsa moueatur, aqueam si aqua permisceatur, & fit vapor, igneam si cum igne, & fit fulgur. Hinc ergo liquet, quod si aer, seu spiritus mundi sublunaris misceatur vel vrgeatur terra, tunc siccior & frigidior fit, non aliter quam si vento seu actu Boreali agitetur, naturam terream induit.

1. *Demonstratio flatuum Septentrionalium.*

Fiat vas duarum regionum, in quarum superiori ad clepsydræ morem facta fiat foramen penetrans in regionem infimam, sitque vas superius infundibuli more formatum A.B. eius foramen C. At regio inferior sit D.E. diuidantur ergo diaphragmate F. G. in cuius latere ascendat canalis tam alte vt aliquantulum emineat super regionem superiorem, sitque H.I. in hunc modum.



Dico igitur si regio A.G. impleatur arena, quæ in natura sua est frigida & sicca, ipsa paulatim more clepsydræ per foramen C. tendet deorsum. Regio vero inferior D. E. aëre repleta, recipiens terream istam substantiam cogitur suum aereum contentum paulatim & gradatim per foramen H.I. expuere. At quia aer terræ seu arenæ intrusione cogitur, & terra ipsum excludere non potuisset, nisi se ipsa in eo permiserit, eique se contiguam faceret, ideo necesse est vt aer ille tam inclusus quam exclusus participet cum spiritu qui naturæ arenæ adhæret & inest, & consequenter tendat ad naturam siccam & Aquiloniam. Quare concludimus, quod aer expulsus superius per orificium tubi I. apte ratione suæ siccitatis comparetur flatui septentrionali.

Ista etiam demonstratio exprimitur 481. *Technic. Macrocosm. historiæ.*

Applicatio, qua talis flatus effectus in corpore humano describitur.


Aer seu spiritus necessario per viscera & infimam hominis regionem expansus taliter etiam se habet, videlicet regnante, intumescente vel comprimente liene, aut eo fœcibus terreis commixto, & infecto, facillime migrat in naturam septentrionalem, & cogitur sæpius ascendere ad superiora propter tumidam & auctam regionis lienis spatii inferioris occupationem, atque ita in regione animali tristitia & timore concipitur sine vlla aut catarrhi, aut defluxionis aut effectus humidi apparitione. Hinc oritur flatus melancholicus à causa cruda frigida & indigesta; hinc ructus insipidi, & quandoque acidi: hinc vertigines, &c.

Flatus melancholicus. Ructus acidi. Vertigo.

Alia demonstratio, vbi humor catarrhi fit inter naturam Septentrionalem & Occidentalem dispositus.

Humor frigidus lentus.

Fiat vas æquali duplicis diaphragmatis positione in regiones tres diuisum, sitque regio superior vt illa demonstrationis præcedentis ad recipiendam arenæ quantitatem, vt supra. sitque A.B. media regio C.D. & infima regio E.F. Tum postea aptentur fistulæ seu tubi duo, quorum vnicus sua basi tangit fere diaphragma inferius G. H. & penetrando per diaphragma superius exurgit super & vltra regionem A. B. eritque hic tubus I.K. alter autem canalis seu tubus sit L. M. qui fere ad diaphragma superius in media regione C. D. pertingit sua summitate, eius vero basis pertingit per inferius diaphragma in regionem infimam. Suprema ergo regio debet impleri arenula, media sit aqua plena, infima autem solo aere vbique scatet.



Tunc


Tunc dico, quod arenulæ cadentes per sui infundibuli orificium O. in infimam regionem pellunt & detrudunt aerem per tubum M. in mediam regionem C.D. aqua plenam, qui vt locum satis capacem ibi inueniat pro sua existentia sursum detrudit aquæ in ista regione contentæ portionem, & eam per tubum I.K. exilire & scaturire facit. Quare liquet, quod terra primæ regionis participans, cum aere infimæ, eum siccum facit, qui tum postea eleuat aquam, & in eleuatione se miscet cum aqua, fitque aqua magis lenta, & ad congelationem magis prona: sic terream naturam à flatu septentrionali in aere prouenire cernimus, quæ aqua mixta eam magis lentam & congelationi promptam reddit in macrocosmo.

Applicatio qua talis humoris effectus in corpore humano indicatur.

Pariformiter fæcalis lienis substantia se miscens cum flatulento aere in visceribus incluso vapores pituitosos eleuat ad cerebrum, qui concrescunt in lentum & crassum humorem participantem de aqua & terra mediante flatu intermedio; vnde sæpius orta sunt meteora talia, videlicet ex mixtione pituitæ & melancholiæ, de quibus *infra*, nempe morbi comitiales, apoplexiæ, stupores. &c. *Epilepsia. Apoplexia. Stupor.*

2. *Demonstratio flatuum Occidentalium.*

Si loco arenæ aqua infundatur in regionem superiorem, tum aer regionis infimæ participabit de humida aquæ natura, eritque in suo per tubum exitu instar vaporis seu nebulæ Occidentalis ad frigiditatem & humiditatem participantis. Demonstratio erit hæc.



C.B. *Regio aqua plena.*
E.D. *Regio aere plena.*
A. *Tubus per quem descendit aqua in regionem inferiorem.*
G.F. *Tubus per quem cogitur aer à regione inferiori sursum, vi aquæ descendentis.*

Appli-

Applicatio, qua talis flatus effectus in corpore humano indicatur.

Rheuma frigidum Cachexia Stupor.

Sic etiam res se habet in homine: nam piruita paulatim implens cauitates corporis inferiores aerem in ipsis contentum, eum humidum & vaporosum atque occidentalem reddendo, eleuat in altum, vbi facit scotomiam, vertiginem, torporem & stupiditatem, & quandoque migrat in catarrhum siue rheuma frigidum, quemadmodum in pituitosis & indigestione afflictis atque cacheticis multoties videre licet: & quandoque etiam stuporem inducit iste flatus frigidus.

3. *Demonstratio flatuum Meridionalium.*

Hic videmus aquam vi ignis in vaporosum ventum conuerti, qui habet in suo motu naturam venti seu spiritus Australis; qui vapor vt primum ab olla A, ascenderit ad patinam B. ibi partim frigore aeris & loci, partimque constrictione vaporis æstuantis condensantur in guttam, in istum modum.



Applicatio ad flatus in microcosmo spirituales.


Rheuma calidum Catharrus Coryza.

More haud dissimili vapor quasi afflatus venti meridionalis, materiæ aquosæ seu pituitosæ, ventriculo, cæterisque visceribus calida hepatis intemperie ad caput eleuatus, partim loci frigore, partimque coarctatione vaporis in guttulas tepidas concrescit, vt etiam in destillatione per alembicum patet, quæ sunt rheumatis, catarrhi & coryzæ subiecta.

4. *Demonstratio flatuum Orientalium.*

In isto experimento, quod demonstratur in altari duplici regione per quoddam diaphragma (vt videris) diuiso, ignis in altaris summitate accenditur, cuius actu aer in cauitate suprema densus attenuatur. At quia omnis res attenuata ampliorem pro sua existen-

existentia requirit locum, ideo pars illius per tubum B.A. detruditur in regionem infimam; atque ista ratione spiritus regionis summæ rarefactione in naturam igneam conuertitur, Exempli gratia.



A. *Est foramen, per quod aer grossus egreditur.*
B. *Est regio superior in qua aer subtiliatur.*
C. *Ignis accensus super regione* B: *mutationes efficiens in regionibus ei suppositis.*

Applicatio qua talis flatus effectus in microcosmo indicantur.

Sic nimia cordis calefactione spiritus accenduntur, febresque spirituum atque nonnunquam hecticæ producuntur: atque ista est ratio quod bilis dominantis actu siue afflatu spiritus naturales atque etiam animales vt plurimum inflammantur, vnde fit partis inflammatione totum corporis spiritum in intemperiem igneam conuerti. *Febris diaria. Hectica.*

Hic vero lectorem intuitu paulo diligentiori obseruare velim, quod ideo hos flatus seu ventos Septentrionalem, Occidentalem, Meridionalem & Orientalem haud inepte vocauimus, quoniã ratione aeris mutationis à subiecto agente & impellente, ipse in dispositiones ipsis natura & proprietate haud dissimiles vertitur. Et quamuis agentia ista non sunt externa sed aduentitia, vt sunt illa Angelica quæ radicaliter & centraliter agunt, tamen sufficient ista veritatis confirmandæ gratia.

5. *Demonstratio flatuum omnium.*


Verum enimuero vt hæc magis serio à vobis intelligantur & magis familiari explicatione enucleentur, vobis in ista vltima serie proponam generalem illam mundi machinam, antea à me in huius tomi primordio expressam, vtpote in qua pleniorem horum flatuum quadruplicium rationem, & aeris in corpulentia & proprietate oculari demonstrationem, intuitu adhuc euidentiori obseruare atque animaduertere queatis. *Flatus in genere.*



In *portionis huius voluminis primæ parte prima* vberrim de iſtius machinæ ſeu ſpeculi demonſtratiui vſu egimus abunde, in qua declarauimus quod aquæ aſcenſus ab A. vſque ad B. arguebat gradus vincentis frigoris ſupra virtutem caloris quod aquæ manſio in gradu primo declarabat æqualem in aere temperiem qualis adeſſe ſolet dum ſol per æquinoctia tranſiret. At vero affirmauimus quod quo magis aqua aſcenderet ſuper gradum primum verſus B. (quod ſpeculi dimidium reſpondebat temperiei hyemis ſeu hemiſphærii hyemalis) eo magis frigus in aerem tam excluſum quam incluſum ſibi gradatim vendicauit dominium. Atque huius rei rationem ibi etiam loci expreſſi, videlicet quoniam frigoris ſit aerem contrahere, vt caloris eſt eum dilatare: vnde ſequitur quod quo intentius ſit frigus eo magis inſpiſſat aerem. At aeris contractione ad ſuum centrum propter contiguitatem aquæ cum aere, neceſſe eſt vt aqua incluſa eo altius aſcendat quo aer contrahitur magis, & quamuis aer ſit attractus ſenſui viſibiliter non appareat tamen quod ita res ſeſe habeat, nos docet ipſius aquæ viſibilis alteratio à gradu ad gradum; verum

cum enim uero frigus eo magis augetur quo ventus aerem animans magis appropinquat ad septentrionem: quare necesse est credere, quod quo magis recedit venti positio ab Occidente vel Oriente versus septentrionis cardinem, eo etiam aer magis magisque contrahatur, & consequenter aqua altius ascendat. Hinc ergo sequi debet quod tres gradus superiores versus B. indicant trium ventorum septentrionalium in aere proprietates, aerisque ipsis flantibus condensationis gradus designant. At vero tres illi gra. 1. propinquiores ventis Occidentalibus (qui æquinoctiali sunt contigui) respondent, vti in demonstratione superiori patet.

E regione quanto magis aqua decernitur deorsum gradatim à gradu I. versus A. descendere, eo quidem à temperamento æquali ad extremum caliditatis recedit aer, & consequenter vltra naturalem suam constitutionem dilatari cognoscitur. At quia temperamentum Meridionale inter occidentem & Orientem interponitur, ideo primi illi tres recessus istiusmodi à temperie in intemperiem gradus ventis Australibus proprietati referuntur, in qua aquea aeris humiditas per subtiliationem seu rarefactionem vertitur in vaporem. At vero si latius adhuc intensiori calore se extendat aer, arguit absumptionem corpulentiæ aereæ per extremam rarefactionem, & per consequens versionem aeris in igneam naturam; cum ignis definiatur esse nihil aliud quam aer extreme rarefactus. Hinc ergo est, quod tres istos gradus inferiores versus A. tribus ventis Orientalibus in proprietate haud inepte applicuimus. At si collum matracii rotundum redigamus, ista clarius ex sphærica Horizontis figura apparebunt.



Hic videmus plagam Orientalem cum ſeptentrionali ex vnica parte eſſe coniunctam in gradu ſeptimo, quaſi duo extrema in ſiccitate conuenientia. Atque iſta duo extrema ſunt actores in hoc mundo ſeu venti maſculini, horum temperies æqualis eſt in gradu 1. receſſus à temperie in intemperiem frigidam & humidam fit in gradibus Occidentalibus 2.3.4. at ſi hos limites tranſeat, tunc in proprietatem Borealem pergit, acceditque aqua ad 5.6.7..

Ex altera parte, receſſus huius temperiei in intemperiem calidam & humidam ſeu Meridionalem fit in gradibus 2.3.4. lateris oppoſiti: at ſi tranſgreditur temperamentum in 5.6.7. ingreditur quidem limites igneos.

Applicatio.

Pati ſiquidem ratione corpus humanum, quod quam aptiſſime huic organo aſſimilatur aere vndique impletur, haberque ſuos gradus in receſſu à ſua temperie ad iuſtitiam in illam ad pondus, in qua vel viuacior eſt calor quam frigus, vel ipſum frigus quam calor, vnde tum poſtea ab illa in intemperiem vel frigidam, in qua per gradus tam Occidentales quam Septentrionales contrahitur & inſpiſſatur ſpiritus ſeu aer, vel in naturam aqueam ac humidam, aut in terream & ſiccam, vel in intemperiem calidam, in aqua per gradus Meridionales vel Orientales dilatatur aer. Hinc ergo in corpore humano oriuntur multiformes ſpiritus natura & conditione differentes, ex quibus varii in corpore humano oriuntur humores.


Flatuum origo.

Quare iam nunc ad illas demonſtrationes deſcendam, quæ ad humorum procreandorum rationem attinet, quo plenius lectores inſtrui ac doceri queant, quomodo venti in humores condenſatione & rarefactione conuertantur.

Alia demonſtratio flatuum ordinariorum.

Arena in ſequenti demonſtratione cadens in infimam regionem C.D. facit aerem eiuſdem regionis tendere ſurſum coarctationem loci quem arena gradatim occupat, per tubum G.H. ſimiliter aqua deſcendens in infimam regionem hoc idem præſtat.

Vide figuram demonſtrationis 1. *cap. 7. huius.*



Applicatio ad hominem.

Sic quando cibus & potus degluttiuntur, coguntur flatus ventriculum ieiunum implentes sursum petere, ita vt quandoque capitis leuitatem pro spatij pauxillo, & quandoque eructuationes in suo ascensu efficiant. *Flatus.*

Sed & sonitus seu crepitus per inferiora tali ratione fiunt, videlicet obtrudendo aera in ventriculo contentum deorsum vi esculentorum & poculentorum, vti in figura demonstrationis 17. optime explicatur. Qua etiam demonstratione docemur, quomodo per deglutitionem aeris cum esculentis & poculentis stomachus flatu impletur atq; etiam intestina, qui flatus etiam in corporibus sanis per eructationes sursum & crepitus deorsum euacuantur. Sic quidem in dicta demonstratione 17. B. chartæ seu papyri modicum cum inspiratione in foramen tubi C quasi in orificium œsophagi detruduntur, & detrusione augetur flatus seu ventositas in stomacho & intestinis, qui tum sursum tum deorsum euacuantur non aliter quam ventus in tubo C.D. cum chartæ modico quasi stercore in extremitate D. compressione baculi A.E. seu cibi & potus, atque musculorum ad expellenda excrementa ordinatorum.

At vero quandoque accidit, quod iste flatus seu aer in ventriculum & intestina collectus præsentia iusculi seu brodii calidi aut spiritus viui aut confectionibus calidis, aut vini potione, dilatantur atque sua dilatatione facilius cum sursum tum deorsum expelluntur, de qua quidem re quotidiana nobis adest experientia.


CAPVT VII.

Demonstrationes ostendentes, & probantes, quod humores corporis proueniant ex ventis.

IN pluribus locis antedictis probauimus tam ratione physica, quam authoritate Hippocratica, quod humores in vtroque mundo omnes proueniant ex ventis: hoc vero in loco restat illud demonstratione oculari indicare, vt in illa nostra asseueratione fiatis adhuc certiores.

1. *Demonstratio humoris densi & melancholici, siue Aquilonaris.*

Imprimis ergo probare possumus quod per spiritum terrestrem & aquam crassus & lentus humor procreari potest, videlicet talis qui ex melancholia & pituita conflatur, qui non aliter se habet quam humor ille quem facit Corus suo spiramine, videlicet humor inter niuem seu grandinem & pluuiam. *Ex istiusmodi in homine flatibus fiunt*, teste Galeno, *morbi vt plurimum longi*, vtpote ex pituita & atra bile natis, cuiusmodi sunt epilepsia, apoplexia, sopor, conuulsio, qui ex humore frigido & viscido fiunt. Istius autem humoris misti ratio potest demonstrari per arenularum descensum in infimam machinæ regionem aere plenam, quæ tum postea aquam mediam regionem implentem cogit sursum cum communicatione spiritus vtriusque agentis, videlicet terræ & aquæ. In hunc ergo modum fit. *Apoplexia. Epilepsia. Sopor. Conuulsio. Int. 14. Loc. affect. l. 4 c. 2.*




E. F. *Regio arena plena.*
A. B. *Regio aqua plena.*
C. D. *Regio aere plena.*
L. *Foramen per quod infunditur aqua.*
M. N. *Tubus per quem transit arena in regionem C. D. aere plenam.*

Ergo arena descendens per canalem M.N. in regionem C.D. tantum per tubum I.L. detrudit aerem ex illa regione in mediam A.B. quantum intrauit arena seu terra in C.D. & iterum aer ascendens tantum detrudit aquæ per tubum H.G. ex regione A. B. quantum intrauit aeris in eam. At natura terræ spiritualis sicca se miscet cum aere ascendente, & aer ascendens terrea dispositione præditus se miscet cum aqua exiliente seu egrediente.

2. *Demonstratio generationis humoris aquei & pituitosi, seu Occidentalis.*

Humor pituitosus in homine procedit à ventis occidentalibus non aliter quam pluuię à vapore frigido & humido ventis macrocosmi talibus procedunt: sic quidem si aqua à superiori regione cadens aerem infimæ expellat, madida aquæ dispositio reddet aerem infimæ cum quo se miscet, vaporose frigidum & humidum. Dicimus ergo, quod si talis vapor per canalem G. F. ascendens penetrauerit ad locum naturaliter humidum & frigidum, facillime in guttas aqueas se conuertet. Demonstratio huius est eadem cum illa *2. capitis præcedentis*, quam hic etiam expressimus.

Appli-



Applicatio ad Microcosmum.

Pariter etiam humor hydropicus frigidus sensim in visceribus auctus pellit spiritum visceribus contentum ad cerebrum: at quia spiritus ille adeo ad cerebrum pulsus est qualitate pituitæ hydropicæ in vaporosam consistentiam redactus, facillime frigida cerebri conditione in guttas reducitur, quæ quandoque coryzam, nonnunquam catarrhum aut bronchum efficere animaduertuntur, vnde & sæpius tussis. *Coryza. Catarrhus. Bronchus.*

3. *Demonstratio generationem humoris Meridionalis, seu pituitæ calidæ & æstuosæ indicans.*

Si calor igneus vim super aquam frigidam habeat, eam quidem quam facillime conuertet in vaporem æstuosum, eique à plaga Meridionali procedenti temperie & constitutione simillimam. Verbi gratia, si aqua in alembico infundatur, alembicusque igni adaptetur ita vt aqua ratione ignis dominii plus minusue incalescat, tunc quidem in vaporem sensim transiet aqua illa calidum & humidum. At quando aqua illa in capite alembici locum inuenerit refrigerij, tunc quidem in guttas paulatim condensatur pluuiæ meridionali simillimas, quæ tum postea in vas aliquod recipiens se gradatim præcipitabunt. Hoc idem etiam planius demonstratione 11. explicatur, cuius figura est ista:

Appli-



Applicatio ad Microcosmum.

Simili plane ratione calor ex hepatis & viscerum intemperie accensus calefacit vltra modum naturæ pituitam seu humores pituitosos in visceribus & ventriculo, & vapor ex pituitæ calefactione exurgens in forma vaporis meridionalis sursum ad cerebrum vsque tendit, cuius loci gelida temperie, & partim eiusdem angustia in guttas calidas migrat & mutatur, quæ sunt rheumatis & defluxionis subiecta.

4. Demonstratio generationem humoris biliosi, seu Orientalis arguens.

Humor quidem igneus seu calidus & siccus est ille qui naturam igneam habet in se exuberantem, fitque ex aere in rara & ignea sua natura condensato, cuiusmodi est natura fulgoris. Atque istam aeris proprietatem in machina illa nostra generali antea assignata optime
Rheuma calidum. depinximus: nam si aqua in eius gradibus calidis 5. 6. 7. orificio A. proximis aeris dilatationem euidentem indicat, certum est quod si illius aeris corpus sic expansum in vnum congregaretur, tum ignis quidem visibilis, more fulminis vel cometæ appareret. Atque etiam hoc instrumento communi cæteri etiam humores ex aeris temperie in aqua facti optime & quasi digito sic depinguntur.

Quando



Applicatio ad hominem.


Quando per nimiam mineræ corporeæ calefactionem spiritus dilatatur in fulgure-am naturam, facillime animat pituitosum humorem, eumque conuertit in bilem multiformem: quod etiam asseuerare videntur tam Hippocrates quam Galenus multis in locis: vt etiam iste humor biliosus vlteriori adhuc adustione & accensione in atram conuerti solet bilem: sic quidem videmus quod pituita hyeme procreata, temperie vernali in sanguinem mutatur, vt & ille sanguis æstiua constitutione in bilem flauam & bilis flaua iterum Autumnali assatione in atram. Iam vero ad meteororum ex illis humoribus procreatorum demonstrationes peruenimus. *Humorum generationis ratio.*

CAPVT VIII.

In quo demonstrationes meteora in homine morbida ex dictis ventis & humoribus orta delineantes, luculenter describuntur.

CVM autem meteora morbida sint vel ventosa, vel humoralia, videamus iam nunc oculari obseruatione rationem quomodo imprimis illa flatuosa, & tum postea illa humoralia oriuntur.

1. Demonstrationes ortus rationem arguentes { Tinnitus aurium. Sonitus & rumoris in capite à vento frigido duplicis naturæ. } *Aurium tinnitus, sonitus, strepitus in capite.*



In ista demonstratione aqua descendens in regionem superiorem A. B. deorsum tendit in regionem infimam C. D. per tubum E: cogitque aërem in regione C. D. in eadem quantitate sursum ascendere per tubum F. qua aqua descendebat per illum E. Aër autem ascẽdens inueniens angustum meatum in fistula G. eam cogit sonitum & tinnitum reddere.


Applicatio ad microcosmum.

Pariformiter aqua in regione inferiori corporis aucta aërem illius regionis sursum ad cerebrum vsque tendere efficit, vnde fit vt aër iste crudus & vaporosus non modo obturet caput & aures, sed etiam in auribus propter arctum in ijs meatum aut sibilum, aut tinnitum, aut sonitum facit in suo difficili egressu: quod etiam in flatu humano per fistulam videre liceat, nam si fistulæ meatus per quem flatus ingreditur non esset arctus, sonos quidem nullos ederet. Hinc fit quod morbo Gallico affecti propter humorum corruptorum copiam hoc symptomate laborare solent.

Porro etiam res ita se habet in flatu hypochondriaco, qui fit ex vento sicco & terreo; eius demonstratio est ista.

2. De-

2. Demonstratio à flatu terrestri.



A. B. est regio arena seu terra sicca plena, quæ gradatim descendens per tubum E. in regionem infimam C. D. cogit aërem siccam recedere ab ipsa per fistulam F. C. quam in eius egressu resonare facit.

Flatus hypochondriacus.
Aurium tinnitus.
Vteri suffocatio.

Applicatio ad hominem.

Eadem plane ratione turgens aut magnitudine aut flatione lien, aut violēto motu el uatus vter⁹ in substantia, aut grossus ab eo vapor exurgens & lienem subito tumescere efficiens pellit aërem ex ventriculo & alijs visceribus intermedijs in altum ad caput, qui exitum petens per aures, sonitum & tinnitum facere assolet in suo exitu propter meatuum angustiam. Hinc fit, quod hypochondriaci & vterinis suffocationibus oppressæ aurum tinnitu vt plurimum affici obseruantur.

3. Demonstratio strepitus aurium & sonorum in capite & auribus à causa calida.

Denique hæc eadem symptomata à flatu calido & vaporoso seu meridionali vt plurimum contingunt. Demonstratio autem est huiusmodi:

Strepitus aurium.
Sonitus in capite.



Sit A vas aqua plenum, B. vero tubus. Ebulliente ergo aqua vi ignis vapor eius requirens locum latiorem pro sua existentia transit per angustum meatum tubi B: atque ita facit sonum in fistula.

Applicatio ad hominem.

Calor febrilis. *Hepatis intemperies.* In tali sensu calor febrilis vel calida hepatis intemperies conuertit pituitosam materiam in ventriculo & visceribus contentam subtiliatione in vaporem Meridionalem, qui sursum tendens ad caput, & ob siccitatem morbi aures quasi glutine aut luto fere obductas penetrans, sonitum & tinnitum in suo exitu facit.

Catarrhus. Coryza. Bronchus. 4. *Demonstrationes indicantes rationem ortus rheumatis seu fluxionis, cuius tres species sunt*
- Catarrhus, id est, defluxio per palatum in os.
- Coryza id est, defluxio per nares.
- Bronchus seu raucitas, quæ est defluxionis in fauces effectus catarrhis superueniens.


2. Progn. 49. Et primum agemus de ipsis defluxionibus quæ procedunt à causa frigida. Imprimis igitur sciendum est ꝙ rheumatis seu defluxionis tres recensentur species: nam illa quæ fit per palatum appellatur à Galeno proprie Catarrhus, quæ autem Coryza dicitur, quasi grauedo; tenuis & incoctus humor est qui per nares secernitur. At vero illa quæ Bronchos siue raucitas nominatur est quæ faucibus humore à catarrho imbutis superuenit: quod si in gurgulione fluxio incumbit Acinum vocant, aut in tumorem vuulam attollit; & facit glandulas, antiadas, paristhnica: vtcunque hi omnes sunt Rheumatis seu defluxionis effectus, cuius demonstrationem sic ostendimus. *3. Sympt. caus. c. 4.*

5. *Demonstratio rheumatis seu defluxionis, rationem à causa frigida docens: & quomodo fit in ipso catarrho quandoque sonitus siue strepitus.*

Prima huius rei declaratio fit per figuram demonstratione istius capitis præsentis 1. expressam: nam aqua descendens in regionem vasis A. B. descendit per canalem E. in regio-

nem vacuam C.D. cogitque aërem in dicta regione locum dare suæ madidæ consistentiæ, & per tubum F.G. ascendere. At aër ille sic recedens cum natura aquæ detrudentis madida communicare debet, non aliter quàm aër templo aliquo inclusus, cùm pluuiæ præsentis atque aërem externum occupantis natura communicat, vt testantur sudantia in eo marmora: quare necesse est, vt de natura seu dispositione Occidentali sit istiusmodi flatus per tubum F. G. expirans.

Figura est ista:



Applicatio ad Microcosmum.


Pariter vapores frigidi seu aër à pituitæ abundantis accessu in visceribus sursum in cerebri regionem coactus facillimè propter loci frigiditatem & suiipsius humiditatis in guttas congelatur, quæ si ad nares defluunt Coryzam efficiũt; si ad palatum & guttur Catarrhum, *Catarrhus.* at si fauces implent Bronchum. Atque per istam demonstrationem etiam ratio in promptu *Bronchus.* explicatur cur sonitus seu terror aut strepitus quandoque fit in catarrho, de quo eius sym- *Coryza.* ptomate Galenus hæc. Catarrhus seu defluxus est multorum humorum delatio per palati *Finit. med.* foramina & nares, quæ in exitu vnà cum flatu egrediente strepitum quendam faciunt.

6: *Demonstratio causæ Catarrhi suffocatiui à causa frigida, qui in tanta abundantia venit, vt subitò præfocare soleat.*

Fiat vas triplicis regionis, cuius superior sit A. B. media C.D. infima E. F. Tubus autem communicans inter regionem summam & infimam sit G. H. ille verò aërem de regione infima in mediam conducens. I. K. denique canalis aquam à regione media in altum emittens L.M. Dico igitur, quòd aqua descendens per tubum G. H. detrudit aërem è regione E.F. per tubum I. K. in mediam regionem aqua repletam. Aër autem inuadens illam regionem in altum cogit per tubum L.M. tantum aquæ illius regionis quantum intrauit in ipsam aëris.

 Figura

Figura est talis:



A. B. *Prima regio.*
C. D. *Secunda regio aqua plena.*
E. F. *Tertia regio aëre plena.*
G. H. *Tubus descendens à suprema regione ad imam per quem descendit aqua.*

I. K. *Tubus per quem ascendit aër in mediam regionem, cuius summitas tendit ferè ad diaphragma, diuidens primam regionem à secunda; eius verò os inferius penetrat in regionem* E. F. *Canalis* L. M. *per quem detruditur aqua à regione* C. D. *per aërem ascendentem per tubum* I. K. *Denique* N. *est foramen per quod aqua debet infundi in regionem* A. B. *quousque ferè impleatur, ac tum postea illud foramen est cera vel luto aliquo obturandum.*

Applicatio ad hominem.

Defluxio à cerebro. In sensu planè tali defluxiones à cerebro cadentes aërem à visceribus sursum mouent, qui premens pituitam in ventriculo sursum copiosè vel in forma vaporē, vel in sua propria substantia eam eleuat, atque ita defluxiones copiosæ efficiuntur à capite in pulmones, in fauces, in nares. Hîc verò notandum, quòd flatus seu humor cum flatu istiusmodi Occidentalis seu aqueus fit ex mixtione naturæ seu conditionis flatus Meridionalis & Septentrionalis; nam Occidentalis plaga vt situm suum inter has duas plagas sibi vendicat, ita quidem de vtriusque natura participat: quare fit, quòd materia rheumatis Occidentalis nō est ita lenta vt illa Borealis, nec ita fluida & penetrans seu subtilis vt illa Meridionalis, sed compositionem & actum habet inter has duas. Hinc ait Hippocrates: *Si hyems Australis & pluuiosa & clemens fuerit, Ver autem siccum & Aquilonium, senibus distillationes fient quæ cito interimunt:* ac si dixisset fluxio facta à subiecto Occidentali citò operationes lethales facit in senibus, quippe qui cùm naturaliter sint frigidi, atque ob istam rationem venti Occidentales ex illis Meridionalibus & Septentrionalibus compacti, citiùs congelant vapores in materiam fluidam, vel si in forma humorali materia seu subiectum catarrhi ascendit, faciliùs à loco simili amplectitur, periculosiùs propter ipsam complexionis dispositionem hoc meteoro affici solent. *Aph. 3 12.*


Verùm memini ego præ manibus meis quendam Equitem auratum grauiter circa thoracis regionem affectum: nam circa mediastini sedem vlcere periculosissimo erat oppressus, imò verò nec ipse minùs patiebatur in regione cordis, cuius receptaculum, pericardiū nempe erat totaliter consumptum, & substantia cordis purulenta. Interea temporis totam thoracis cauitatem aqua putrida impletam post eius mortem inuenimus. At iam ad obseruationem nostram. Percepi sæpiùs vt cùm in regione viscerum & ventriculi flatu & distensionibus esset eleuatum diaphragma tumores in collo & facie suffocatiuos, & in nigredinem

propter

propter sanguinis cum materia liquida mixtionē & in altum compressionem, vnde & post tales paroxysmos materiam catarrhosam quandoque è naribus fluentem, idque copiose animaduerti.

7. *Demonstratio causam fluxus frigidi Coryzam efficientis declarans.*


Sit A.B.C. Syphon inflexus. A.B. crus syphi in vase ad rectam lineam in aqua F.G. & inflexi crus. A.B. impleatur aqua vsque ad F.G. recta videlicet cruris pars A.H. Pars verò inflexi syphi H.C.B. sit aëre plena. Si igitur per osculum C. prædictum aër attrahatur ore, simul consequitur & humidum, propterea quòd locus omnino vacuus esse non potest. Et si quidem osculum syphi C. sit directum ipsi F.G. impletus aqua non tamen fluit syphon, sed manebit plenus, ita vt pars syphi A.B.C. sit aqua repleta, quamuis aquæ pars inter H. & C. præter naturæ leges sursum feratur: verùm instar lancis cuiusdam æquilibrium habens, aqua manebit sursum relata secundùm partem H.B. & deorsum suspecta secundùm B.C. At verò si syphi osculum exterius sit infra rectam lineam F.G. vt K. tunc fluit aqua, quoniam pars lancis seu cruris K.B. grauior est ea illius B.H. vnde propter ponderositatem suam vincit atque trahit aquam motu fluido primùm sursum ab H. ad B. & deinde deorsum à B. ad K. sed non magis attrahit quàm quæ tendit ad superficiem A. Si verò crus sit depressius & longius adhuc, videlicet in L. crus illud attrahet ad se totam aquam inter A. & H. eam paulatim eleuando in altum ad B. vsque; & deinde deorsum ad B. L. cadens egrediatur per orificium L. atque ita integram euacuabit aquam illam. Quibus liquet admirabilis ille nexus qui est inter aquam & aërem, vt attracto aëre necesse sit vt aqua sequatur. Demonstratio est ista.




Applica-


Applicatio ad hominem.

Coryzæ generatio. Eadem ferè ratione res se habet in Coryzæ generatione in homine, nam postquam vapores in caput seu cerebri ventriculos ascenderint, aut eius frigiditate in aquam concreuerint, siue in forma aquæ in illos sursum feruntur, à ventriculis quidem ad nares per os, quod est cribri instar Isthmoides dictum, cui propinqui sunt processus mamillares à similitudine sic dicti, quasi per scyphum inflexum A.D.B.L. fertur: namque expiratione aëris cerebri meatibus inclusi aqua illa rheumatica primùm attrahitur ad narium orificia, nō aliter quàm aëre per os ad orificium L: attracto cogit aquam ex fonte F.G. quasi ventriculis superioribus cerebri. At verò vel aqua pituitosa, vel vapores assiduè ascendentes ad cerebrum semper supplent materiam seu subiectum Coryzæ, vnde tandiu fluit natus quasi syphus quousque consumitur rheumatis subiectum. Pro meliori autem huius rei intellectu respiciatis velim figuras hasce sequentes:





CC. & FF. indicant positionem processuum mammillarium in ventriculorum anteriorum parte profundiori, suntque admodum ad narium os, quod est cribri instar Ethmoides dictum, propinqui, in quod etiam feruntur.




A. D. B. C. L. Syphon inflexus tam per se quam in cerebro, in quo D. B. duos priores cerebri ventriculos, humore plenos, in crus syphi A. immersum, per attractionem in naribus, quasi per syphi orificium L. humor semper in ventriculis crescens, fluere cogitur in forma catarrhi.

Sed & hoc clarius adhuc indicant duæ proximæ immediatè sequentes.

8. *Demonstratio causam & modum defluxionis catarrhalis quæ fit per palatum & ad interius, ostendens.*

Vase A.B.C.D. aqua impleto, ipsa aqua supra foramen N. Tubi G.H. scandens egredietur ex vase per eundem tubum; nec cessabit illa per maiorem tubum E. F. ascendere donec integra vasis aqua per tubum seu syphum H. G. fuerit euacuata. Huius experimenti mentionem facit Hero *in lib. spiritualium experimento 2.*


Figura eſt iſta:



Pro ampliori huius figuræ explicatione vide *fol. 92. hiſtoriæ meæ Meteorologicæ*, ſeu *Meteorologiæ coſmicæ*. Porrò etiam hoc aliter ſic demonſtratur: Sit vas aqua plenum A.B. Syphon verò inflexus in eo diſpoſitus C.D.E. ſi ergo aqua parumper ſuperauerit punctum D. fluere non ceſſabit orificium E. cruris ſyphi, quouſque integram aquam in vaſe contentam exhauſerit. Hoc quidem experimentum probatur optimè per rationem in *demonſtratione huius* 7. datam: nam ſimilia ſunt experimenta præterquam quòd illud præcedens trahit aquã à centro verſus circumferentiam ſeu ab intus ad extra, hoc verò ab interno ſuperiori ad internum inferius, atque etiam *illud* 8. *præcedens*.

Figura

Figura est ista:



Applicatio ad hominem.


Vt in demonstratione 7. declarauimus rationem descensus rheumatis per nares, videlicet Coryzæ, hoc est madoris aquei extrahendi formulam à cerebri ventriculis quasi vase ad nares, quasi ab interiori ad exterius per naturæ syphum; ita quidem in ista demonstratione 8. modum expressimus extractionis rheumatis in vase seu ventriculis cerebri contenti ad os per palatum: atq; ita fluxionis species propriè dicitur Catarrhus. Atque vt prior fluxio Coryza dicta est à fonte duorum priorum cerebri ventriculorũ, ita quidem ista catarrhalis defluendi species à fonte tertii ipsius ventriculi initium ducit, cuius quidem substantia est nihil præter duorum priorum ventriculorum concursus seu communis cauitas, in quam superiorum ventriculorum partes procliuiores dehiscunt; sitque istius fontis positio directè sub corpore calloso seu fornice. Atq; vt huic duo assignantur meatus, quorum vnus est anterior, alter quidem posterior; ita qui ille anterior est via illa perquam riuulus catarrhalis deorsum in os, fauces & pulmones scaturire assolet: nam per istum meatum ad cerebri basim super ossis spheroides sellam descendentem quandoq; purgantur pituitosæ huius, & consequenter cæterorum etiam ventriculorum superflua: estq; hic meatus tenui membrana inuestitus qui est primò latior, deinde ad instar infundibuli paulatim in angustum procliuis, vtpote per quod tanquam per manicam Hippocraticam pituita cerebri in glandem pituitarum, quæ pelui subiicitur distillat, quæ glans pituitam descendentem facillimè ebibit, & tandem per cunei foramina per palatum instillat: fons ergo seu vas pituitæ seu subiecti catarrhalis est iste ventriculus qui cum cæteris prioribus participat, syphus autem est meatus ille antea descriptus, cuius syphi crus longius est illud, quod ad glandem pituitariam quasi cyathi vasis basim transiens, perque foramina ossis cuneiformis ad palatum penetrans per orificium suũ madores catarrhales in oris cauitatem effundit: atque hoc luculenter per ambas figuras præscriptæ demonstrationis ad oculum demonstratur: nam per primã demonstrationis octauæ figuram

Catarrhus quomodo fit.

figuram materia catarrhalis exurgens ad caput per occultos meatus à ventriculo & visceribus quasi per magnum syphum F.E. & exitum nullum inueniens quo liberè per caluariam exeat per dictum ventriculi tertii meatum quasi per tubum G.H. deorsum tendit, videlicet ab H. quasi osse spheroide ad G. quasi ore, &c. aut per secundam figuram à D. in E.

9. *Demonstratio rationem rheumatis cum tribus suis speciebus à causa frigida aliter describens.*

Vobis lucidè per machinam meam demonstratiuam generalem *in præcedentibus* indicaui, quòd frigoris contactu & dominio aër in capite matracii contentus contrahitur, & contractione sua attrahit in altum substantiam aquæ in vase inferiori contentam: nam quò magis condensatur & constringitur aër, eò magis ipse contentus est loco minori siue angustiori, vnde fit propter illam contiguitatem quæ est inter aquam & aërem, aqua cogitur locum in quo aër erat implere, ni in rerum natura admitteretur vacuum. Figuram huius vice repetitam sic expressimus:



Applica-

Applicatio ad hominem.

Ratione haud dissimili à frigore externo caput præternaturaliter feriente & cerebro, quasi matracij caput, refrigerante; aër in ipso contentus atque spiritus etiam animales ex tenuiori aëre conflati condensantur atque contrahuntur, eorumq; contractione materia pituitosa non modo in specie vaporosa, verum etiam in forma aquæ subtilis ad caput eleuatur, à cuius fontibus tum postea deorsum fluit vt antea. Atq; hoc eo magis & citius accidere solet, quoniam frigore externo cranij suturę obturantur, vnde propter defectum expirationis vel inspirationis aëris per eas aqua pituitosa seu vapores grossi tàm Occidentales quam Meridionales ab aëre contracto sursum feruntur, nam si foramen apertum esset in summitate capitis matracij prædicti aër externus ingrederetur per illud, & suppleret locum aqua implendum, atque ita aër non attraheretur sursum. *Rheumatis origo frigida.*

10. *Demonstratio rationem ostendens grauedinis in capite à vaporibus, seu pituita sursum in illud ascendente causatæ, sine manifesta aut Catarrhi, aut Coryzæ apparitione.*

Sit A. B. olla terrea, in cuius summitate A. sit foramen; in parte vero inferiori seu basi B. multa fiant foramina. Si igitur intrudatur basis B. in vas aquæ plenum pollice obturando foramen A. tunc nihil aquæ ingredietur ollam: ratio est quia aër ollam implens per foramē A. recedere nequit, vnde fit vt locus nullus relinquatur vacuus quo aqua possit ingredi. At si foramen A. minime obturetur, tunc impresso fundo vasis fortiter in aquam, aqua facillime ingredietur, quoniam aër egrediens ex olla per foramen A. concedit locum aquæ ingredienti. Verum enim vero si postquam vas aqua impletum est, foramen A pollice obturetur, tunc ipsa aqua ex olla per basis foramina egredi nō potest: at si aperiatur foramen tunc subito percipietis aquam per omnia basis foramina fluere. Vas autem est huiusmodi: *Capitis grauedo.*



A. *Foramen in summitate vasis.*
B. *Basis seu fundum vasis.*

Applicatio ad Microcosmum.

Sic in homine vapores seu aqua in cerebro siue sit more Occidentali, seu Meridionali collecta, si suturæ in caluaria à frigore obturantur, per nares aut palatum fluere non potest, sed grauedinem in capite, & dolorem ponderosum super oculos facit sine vllo euidenti defluxionis signo. Hinc ergo capitis grauedo, dolorve sine manifesto rheumatis argumēto.

II. *Demonstrationes modum & rationem generationis rheumatis calidi cum suis speciebus luculenter explicantes.*


Grauedo vnde. Si aqua vi ignis ebulliat in olla A. attenuatur ipsa, atque more vaporis meridionalis calidi & humidi sursum feretur; at si patina B. suspendatur in altum ad recipiendos tales vapores, ipsi cum ratione frigiditatis patinæ tum propter loci angustiam congregabuntur, & coarctabuntur in guttas, vt in figura subsequente:



Rheuma calidum. Vel sic, Si aqua vel aliquis alius liquor in alembicum infundatur, ignisque inclementię commendatur, videbitis vaporem ex ea exurgere in summitatem alembici, qui cum loci frigiditate, tum eius angustia in guttas reducetur, atque tunc guttæ illæ in aqua fluidæ substantiam migrabunt, quæ in recipiens aliquod deorsum se præcipitabit. Vt in ista figura.

A. *Caput alembici, in quo vapor in guttas.*
B *Corpus in quo res liquidæ.*
C *Recipiens.*

Applica-



Applicatio ad hominem.

Sic calor in hepate pituitosa, in ventriculo & visceribus superflua in vaporem calidum & humidum seu meridionalem dissipat, qui gratia suæ leuitatis ad cerebri regionem properans ibi propter loci frigiditatem facillime in guttas coalescit, quarum congregatione fit rheuma calidum, siue Catarrhus calidus, siue Coryza talis, & eo citius & facilius in guttas coagulatur ipse quo frigidius & humidius erit cerebrum ab aëris externi contactu factum. Et quandoq; accidit, quod aër in corpore cōtentus, aëris externi meridionalis admixtione humescat, & incalescat, & consequenter in substantiam humidã & pluuiosam, idque præcipue in capite seu cerebro conuertatur, vnde sequi solet corporis dissolutio, eiusdē humectatio, auditus obtusio, capitis aggrauatio; vertigines, alui fluores, &c. vnde Hippocrates, *Constitutiones Austrinæ dissoluunt corpora, humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, vertigines faciunt & aluos humectant. &c.* Et alibi, *Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes pigri, dissoluentes. Quando huiusmodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur, &c.* Et Galenus super hunc, rationem huius rei assignat, *quoniam* (inquit) *calida & humida replent caput, & sensuum instrumentum humiditate.* Hinc ergo in *loco alio, Pituita & phlegma fiunt in temporibus pluuiosis.* Et *alibi, Morbi in pluuiarũ multitudine magna ex parte sunt febres longæ, alui profluuia putredines, morbi comitiales, apoplexia, & Angina &c.* Denique huius rei rationem hanc reddit Galenus in *Aph. 3.7. Nam* (inquit) *aëris ambientis humiditas pituitosos accruat humores, & non paucas generat aquosa humiditates.*

Catarrhus. Capitis aggrauatio. Auditus obtusio. Scotomia. Fluxus alui. Vertigo. Aph 3.17. Aph. 5.5. Aph. 3.7. Aph. 3.16. Gal. in aph. 3.7.


Probatur totum hoc, quia flante Austro ingrossatur & humectatur aër valde, ita vt marmora vndique suo halitu humectare & sudoribus mirum in modum perfundere videatur: quare non est dubitandum, quin aër corpus circumambiens hoc idem in aëre corpori incluso & præcipue in cerebro frigoris contactu percusso efficere soleat.

12. *Demonstratio rationem creationis lentæ & densæ pituitæ ex parte ventorum Cori & Circij ostendens.*

Ista demonstratio debet ex natura septentrionali seu terrea; & occidentali quasi aquea; mediante aëre seu communi medio effici hoc modo. Fiat vas æquali diaphragmatis duplicis positione in regiones tres diuisum; sitque regio superior vt illa demonstrationis 1. *cap. 6. præcedentis* ad recipiendam arenæ quantitatem, vt supra. Sitque A.B. media vero regio C.D. & infima E. F. Tum postea adaptentur fistulæ seu tubi duo; quorum vnicus sua basi

tangit

tangit fere diaphragma inferius G.H. & penetrando per diaphragma superius exurgit super & vltra regionem A. B. eritque hic tubus I. K. alter autem tubus seu canalis sit L.M. qui fere ad diaphragma superius in media regione C. D. pertingit sua summitate, eius vero basis penetrat per inferius diaphragma in regionem infimam. Suprema ergo regio debet impleri arenula, media sit aqua plena, infima autem solo aëre vbique scatet.



13. *Demonstratio generationis fluxus ventris & Gonorrhææ.*

Gonorrhæa & Diarrhæa.

Si in primis figuram 7. demonstrationis huius serio intueamur, percipiemus quod attractione aëris per orificium L. cruris B. L. aquæ consequetur fluxus per illud orificium propter rationes *ibi loci* allegatas.

Applicatio.


Sic quidem attractiua mulieris infectæ natura semen in coitu elicitur quasi sugendo: at quoniam natura imprimis omne corruptum expellere tentat, & tum postea quoniam attractione infectuosa attrahitur sperma ad virgæ orificium quasi L. orificii cruris B.L. aqua ideo assidue currere animaduertitur humor ille gonorrhæacus à fonte vasorum spermaticorum haustus atque scaturiens.

Hoc idem etiam figuris demonstrationis 8. duabus luculenter describitur atq; demõstratur,

ſtratur, per quas etiam aluini fluxus ratio peroptime indicatur à cerebro & ſuperioribus deſcendens: nam humor à vapore è viſceribus exurgente factus in cerebri regione facit defluxionem ab alto in viſcera, more in illa 8. demonſtratione indicato.

14. *Demonſtratio oſtendens cur lachrymæ & ſenſuum abolitio accidant in matricis ſuffocatione.*

Si chorda machinæ ſequentis deorſum vellatur, tum diaphragma in medio mobile deorſum tendet, nam filum illud ferreum in forma ſpirituali formatum & diaphragmati annexum chordæ attractione contrahetur & ſua contractione diaphragma illud deorſum euellet, ita vt aqua in vaſe minime compreſſa per tubi orificium nō exiliet: at vero ſi relaxetur chorda, tum filum illud ferreum pertinaciter ſurſum eleuabit illud diaphragma, cuius violento aſcenſu aqua vaſi incluſa motu vehementi in altum eleuata per canalem ſeu tubum detrudetur.



Applicatio ad hominem.

Suffocatio matricis. Sic quidem humores & vapores grossi in regione viscerum, simul atque flatus grossi in liene contenti eleuatione forti matricis subito in altum eleuantur, compresso autem diaphragmate opprimitur cor, percussoque violenter sensuum instrumento, impletisque spirituum animalium meatibus, læditur, imò verò & tollitur sensuum motus, spirituumq; actio aufertur, & vapores, seu aqueæ humiditates ratione frigiditatis cerebri in lachrymas comprimuntur. *Lachryma vnde.* Hinc ergo histerica passione affectæ post paroxysmum sæpius flere & sudoribus quandoque subitaneis irrigari assolent: hinc post paroxysmos grauedinem habent in capite. *Syncope in flatu hypoch.* Similiter res etiam in vtroque sexu ita se habet, in hypochondriacis & lypothymia atque syncope affectis: nam turgescente subito & per vices liene, vapor rebellis & grossus è visceribus more nebulæ densæ à terra exurgentis premit diaphragma, & ob eam rationem syncopen seu inanimationes ratione oppressionis spirituum vitalium parit, quandiu nebulosus ille vapor circa spiritualia dominium habet: at consumpto illo vapore per poros conualescere solent, in quo tempore ob dictam causam sudore vniuersum corpus obscruatur perfundi, propter eruptionem vaporis per poros.

Hinc etiam fit quod hypochondriaci vertigines frequenter patiuntur, & quandoque scotomiam.


Epilepsia. Apoplexia. Paralysis. Catoche. Conuulsio. At si vapor ille seu aquositates sint grossiores, istiusmodi maligni spiritus sursum tendentis & materiam ad cerebrum eleuantis compressione, epilepsia, apoplexia, paralysis & catoche ortum suum habent. Similiter conuulsiones etiam tam epilepsiam quam suffocationes concomitari solent, gratia violentæ vaporum seu humorum subito ascendentium percussionis circa radices neruorum & principium sensus motiui; quo fit vt ratione qualitatis humoris vel vaporis ferientis neruos vel contrahi vel relaxari contingit. De his Galenus hæc: *(Locis affect. l.4.c.2.)* *Inter soporem & apoplexiam est morbus comitialis medius conuulsionem afferens vniuerso corpori, sed in paralysim non finitur. Horum trium morborum frigidus & crassus aut omnino viscidus humor est causa, verum in sopore & morbo comitiali ventres magis cerebri corpus minus, in apoplexia corpus magis affici solet; & in sopore anterior pars magis, in apoplexia & comitiali vtraque. In catalepsi vero & vigilanti sopore Catoche dicto posterior a cerebri molestantur, &c.* Quibus liquet, quod vapor vel humor iste pro loco seu parte cerebri ad quam tendit varia, diuersa producit meteora morbida, & varieformiter à frigore loci condensatur, & secundum variam suam existentiam affectus diuersos in corpore operatur.

5. *Demonstratio alia. Conuulsionis, vertiginis, scotomiæ, surditatis, & suffocationis vteri rationem, similiter sonitum, seu tinnitum aurium & caliginem in febribus docens.*

Hoc luculenter docetur per experimentum demonstratione capitis huius 3. assignatum: nam ignis subtilians seu rarefaciens aquam in vase A. contentam, inque vaporem spissum meridionalem eam conuertens sursum ascendere cogit per angustum tubi D. orificium, per quod transiens sonum & tinnitum facit.

Figura

Figura est ista.



Applicatio ad hominem.

Taliter se res habet in homine: nam calore & hepatis & viscerum intemperato vapores grossi motu violento eleuantur ad caput, vbi ferientes violento occursu instrumenta spirituum animalium neruorumque motiuæ facultatis, radices, conuulsiones quandoque faciunt, vel in parte anteriori vertigines & scotomiam, atque vteri suffocationis effectus. Hinc ergo fit, quod in febribus ardentibus, atque etiam quandoque in intermittentibus, surditas, tinnitus, & sonitus in capite atque scotomia quibusdam accidere solent: quoniam vapores istiusmodi ratione magni caloris sunt fuliginosi & tenebrosi instar nubium nigrarum fulgure mixtarum, quibus sensus opprimuntur, & nerui optici pro tempore obstruuntur.

Conuulsio. Suffocatio. Vertigo. Surditas. Scotomia. Tinnitus & Sonitus.

16. *Demonstratio indicans, quomodo eructationes & crepitus eueniant in morbis æstuosis.*

Sit vasis huius cuprei orificium ligno optime obstructum vt nihil expiret, sitque eius obturamen A. E. latere autem vasis ascendat canalis eiusdem materiæ cupreæ satis angustus, sitque B. C. Impleatur igitur vasis pars tertia ante eius obstructionem aqua, & bulliat ea ad ignem fortem. Ita simul cum aere subtiliata assiduos flatus per canalem exire faciet, & si claudatur canalis, operculum eius extrudet cum fragore non dissimili tonitru aut bombardæ.

Demonſtratio ſequitur.



Applicatio ad hominem.

Flatus. Ructus. Crepitus.


Sic quidem calor, ſeu æſtus præter naturæ rationem in viſceribus accenſus ſuperflua pituitoſa, imò verò & boni chyli ſubſtantiam conuertit in vapores, qui eo violentiorem è corpore aut ſurſum per os aut deorſum per anum ſeu rectum inteſtinum quęrit exitum, quo calor ille accenſus eſt intenſior. Hinc ergo in febribus ardentibus tam continuis quam intermittentibus tantus generatur in viſceribus flatus, cuius è corpore eruptione cum ructus ſonantes ſuperius, tum crepitus exerti inferius emittuntur. Quod etiam in morbo hypochondriaco à bile aduſta proueniente ſæpius accidere videmus, cuius eruptionis violentæ ratio eſt, quoniam calor biliofus quo auctior eſt in ſua virtute eo rudius & vehementius in pituitæ rarefactione agit. At aqua rarefacta amplius requirit pro ſua exiſtentia ſpatium, vnde cogitur vaſe ſuo microcoſmico vel ſurſum vel deorſum tanto conatu & impetu erumpere atque exilire.

17. *Demonſtratio alia indicans quomodo eructationes & crepitus fiant à compreſſione aeris ſeu ſpiritus incluſi, idque ſine æſtu aliquo manifeſto.*

Commune eſt pueris inter ſe iocoſe belligerantibus tubum ex ligno ſambucino excauato efficere, in quem chartæ in ore maceratæ & dentibus compreſſæ modulum baculo quodam ligneo ad hoc aptato introducunt quouſque ad cauitatis trunci ſeu tubi extremitatem ſit compreſſum: deinde in cauitatem eiuſdem tubi per orificium eius apertum inſpirant, & in momento poſtea cum alia chartæ eodem modo maſticatæ & præparatæ portione priori ſimili obturant etiam illud orificium, vrgendo violenter illam eodem baculo, & detrudendo verſus extremum oppoſitum: vnde fit vt aer inter duas chartæ portiunculas incluſus cogatur per talem baculi compreſſionem magno ſonitu ad inſtar tormenti bellici emittere chartam ad alteram trunci cauitatem prius inductam.

Figura

Figura est talis.



A.E.est baculum ligneum B.est charta masticata, cuius altera debet intrudi in tubum C.D.per orificium C.vsque ad D.ita vt aer ex illa parte è tubo egredi nequeat, deinde cum baculi extremitate E immittatur aliud chartæ modicum B.& fortiter versus extremum D.prematur, vnde fiet vt aer fortiter inter illas duas chartæ portiones compressus erumpat violenter cum sonitu seu crepitu per extremum D. eiiciendo ante se chartam orificium D.obturantem.

Applicatio ad hominem.

Pariformiter res se habet cum homine vtriusque sexus: nam in muliere substantia vteri rapaciter & violenter repens sursum premit aerem, & flatus in stomacho & intestinis contentos, atque hi ita compressi idque sine manifesta caloris subtiliantis actione, inuitis illis amygdalis siue tonsillis quæ œsophagi summitati affiguntur erumpunt & sonos exertos faciunt quos eructationes vocant. Hinc ergo fit quod mulieres post matricis suffocationes eructare & oscitare solent. Porro etiam in viro gratia inflationis lienis aer comprimitur, & tam deorsum quam sursum erumpere animaduertitur: quemadmodum hypochondriaca passione à nimio flatu sine manifesta intemperie calida sæpe contingere solet. *Vteri suffocatio.* *Eructatio.* *Oscitatio.* *Hypoch. passio.*

18. *Demonſtratio arguens flatus in ventriculo & inteſtinis generationem à cauſa calida & humida.*

Hæc quidem ſat liquido per demonſtrationem *huius capitis* 11. atque etiam per illam 16. declaratur, nam materia fluida mediante igne rarefacta, atque caloris actu in fumum viuum & mobilem reducta ipſius venti Meridionalis naturam habebit.

Applicatio ad hominem.


Ventus ſeu flatus in febribus.

At quoniam res omnis rarefacta latiorem requirit locum pro ſuo locato, ideo ventus talis diſtendit ventriculum & viſcera atque diaphragma, & ſpiritualia thoracis premit, vnde ſæpe contingit ſyncope. Hoc quidem in febribus putridis frequens eſt, atque etiam febri tertianæ ſpuriæ, & quandoque magis exquiſitæ commune eſt.

19. *Demonſtratio quomodo flatus fiat in viſceribus à cauſa calida & ſicca.*

Flatus in viſceribus calidus.

Sit A. ignis accenſus ſuper aram B. C. D. ſubtiliat aerem groſſum ſuperioris regionis. At aer ſubtiliatus requirit ſpatium pro ſua exiſtentia magis amplum, quare ille aer qui poſt ſubtiliationem in vaſe ſuperiori manere nequit more venti Orientalis euolat deorſum à regione ſuperiori in inferiorem per tubum E. & in flatum aereum & æſtuoſum conuertitur. Figura eſt talis.




Applicatio ad hominem.

Simili plane reſpectu, videlicet gratia ſubtiliationis aeris in viſceribus contenti viſcera ventis æſtuoſis & ſiccis quandoque replentur, vnde & febris flatuoſa & ſpiritualis accenditur, qualis eſt illa Ephemera ſeu diaria dicta, atque etiam illa tabida & hectica à calida

calida cordis intemperie. Talis etiam flatus species concomitatur hepatis inflammationem in corpore bilioso vel melancholico, quibus accidit quod viscera distenduntur, vt in flatu hypochondriaco æstuoso contingit. *Flatus hypoch. calidus.*

20. *Demonstratio qua ratione febris ardens, causos dicta, efficitur, ostendens.*

Si bona salis nitri quantitas in olla ponatur, & calore forti super carbones accensos liquescat, & tum postea super illam parum sulphuris puluerati aspergatur, carboque accensus ei iniiciatur, tum cum magno strepitu perturbabit & inflammabit & quasi aduret materiam accensam quousque carbo gradatim consumatur penitus. Sit ergo D. sal nitri fusum igne D. olla vero A.B.C. carbo viuus E. *Febris ardentis generatio.*



Applicatio ad hominem.

Certe experientia est comprobatum, quod aer sit in sua substantia nihil aliud quam sal mere volatile, & conditione nitrosum, imo vero experientia ipsa docet salem petræ vulgarem esse aerem congelatum, qui vt primum actu sulphuris inflammati subtiliatur transit immediate in substantiam aeream, vt in puluere bombardali constat: nam ex quo res aliqua est primitus conflata in illud vltimo eam recurrere certum est. Cum igitur sanguis sit substantiæ aereæ, certum est eandem de conditione nitrosa participare qui fluidus est semper & quasi igne dissolutus quandiu in corpore manet, at ipse è corpore extractus congelatur more salis petræ. Quod autem sanguis sit nitro plenus testatur vrinæ salsedo, atque vrina est nihil aliud nisi sanguinis serum. Dicimus ergo quod si sanguis sit sulphurea bilis flauæ substantia contaminata, eaque intemperie ignea quasi carbone maligno accensa, atque de potentia in actum redacta; hac quidem ratione febrem ardentem seu causum generat cum ingenti in visceribus murmure, magnoque ardoris cruciatu: non aliter quam nubem densam quæ ex aere est composita cernimus carbone ceraunio, seu lapide accensam cum murmure ingenti fulgura vndique per sublunarem macrocosmi spiritum eiaculare. Atque hæc est certissima febris vrentis & igneæ procreationis ratio. *Febris Causos quomodo fiat.* *Murmura intestinorum in febribus vnde.*

21. Demon-

21. *Demonstratio febris putridæ originem explicans.*

Est siquidem species quædam lapidis arte confecti ex calamita, asphalto; sale nitri, sulphure & vernice, quæ omnia in formam pastæ confecta calce viua debent inuolui, & in pixidem imponi tali modo vt calx viua vndique adhæreat, deinde optime lutandum est vas, inque furno exponatur ad siccandum, atque id quidem per nouem dies totidemque noctes. Doses huius compositionis expressi *capite 7. lib. 7. de physs. macroc. historia*, super istum si quidem si quis expuat, subito ignem elicit atque accendit.

Figura est talis.




Applicatio ad hominem.

Febris putridæ ortus. Vt videmus lampadem absque oleo minime comburere aut inflammari, ita quidem in corpore humano non accendetur flamma febrilis nisi adsit mador seu humiditas putrida, quæ flammam in sanguine occultatam & delitescentem suo vapore sulphureo quasi pabulo & fomento nutrire & diuturnam reddere potest: nam vt sunt quædam ignis species quæ humores aptæ sunt inflammare, ita quidem & aliæ sunt quæ nisi ab humore sibi in natura conueniente in actum reducantur illuminare & accendere nolunt: verbi gratia ignem extinguit aqua, oleum vero & terebinthina eum augent & nutriunt; sic quidem ignis naturæ materia inflammabili facillime præter naturæ gradus intenditur, & in morbidam tendit conditionem. At humor putridus non plurimum ab vnctuosa terebinthinæ conditione differt, vtpote quæ ambo sunt calida: nam res cruda & frigida putredine accenditur, & in igneam vertitur proprietatem, quemadmodum in fœno viridi quod putredine in flammam accendi nos docuit experientia. *Putredo vnde.* Pari quidem ratione humores crudi nimium in corpore morantes putridi redduntut & inflammationi quam aptissimi, & consequenter sunt proxima febrium putridarum.

22. *Demonstratio, qua Phrenitidis seu delirii origo excutitur.*

Delirium. Phrenitis. Si candela ita in vase seu patina aqua plena constituatur perpendiculariter vt eius lychnus sit in summitate, & si tum poste phialam seu vas aliquod vitreum super candelæ illius flammam subito posueris, adeo vt ad aquæ fundum ita descendat vt aer nullus possit egredi, tunc quidem videbis aquam subito in altum eleuari. Ratio est non ignis lychni virtus attractiua, vt quidam opinione sola sunt ducti, sed quoniam aer in phiala inclusus flammæ præsentia rarefit, & rarefactus per os phialæ egredi cogitur, vnde fit vt extincta flamma vasi frigore irrepente, eandemque aeris proportionem non habente, vi frigoris contractiua tantum aquæ eleuatur quantum requisitæ aeris portioni deest, in altum loco aeris eleuatur.

Appli-



Applicatio ad hominem.

Sic febrili calore calefactus aer in cerebro contentus factus est ipse rarior, vnde fit vt loco iterum refrigetato per externum frigus aer iterum ad consuetum modum condensetur. At quoniam non satis adest aeris, quod in præcedenti consistentia impleat cerebri interiora, ideo in altum ad locum illum implendum eleuat æstuosum atque biliosum regionum inferiorum spiritum igne febrili accensum, cuius æstu inclementi mordentur partes cerebri magis sensibiles, atque inquietudine perturbantur, & in alienationem vertuntur spiritus imaginariuam seu phantasticam facultatem gubernantes. Talis fumus æstuosus febre tertiana affectos circa paroxysmi calidi vigorem sæpius ad cerebrum infestare assolet vnde delirant. Vel potest etiam euenire propter extremum viscerum calorem, spiritum, seu aerem in iis contentum in igneam seu Orientalem naturam concernentem, quemadmodum demonstratione huius 8. expressum reperieris, qui aer sic in igneam naturam redactus, sursumque tendens ad cerebrum illud protinus, sed præcipue ipsius meninges propter ipsarum naturalem siccitatem facile inflammat, atque ita phreniride exagitare solet. Imo vero & ista ratione fiunt conuulsiones, epilepsiæ & suffocationes matricis ob violentum vel vaporis vel humoris raptum ad sursum. *Phrenitidis generatio.*

23. *Demonstratio.*

Vel sic. Cum ex oleo, vinoque albo, terebinthina & aliis gummis ad balsamum quoddam conficiendum quadam die in cubiculo, in summitate domus sito essem occupatus, subito materiam propter nimiam ignis subditi intensionem flammam concepisse percepi, quam nulla communi ratione extinguere potui, vnde coactus fui tentandi gratia aquæ frigidæ portiunculam ei affundere, & subito tota illa flamma exiliebat è vase nube fusca munita & summitatem cubiculi petens cum nube seu fumo illo fuliginoso & vnctuoso volabat per totum cubiculi verticem, & tandem fenestram inueniens apertam per illam subito egressa est flamma, atque ita in aere aperto euanuit; balsamumque in statu priori præterquam quod vstione vertebatur in colorem fuliginis reliquit.

Applicatio ad hominem.


Phrenitidis ortus. Pariter hepate atque visceribus reliquis inflammatis nimium humores bile accenduntur nimis acri & ardente, quorum humorum natura ignea seu accensa subitanea, per medicamenta alterantia nimium frigida, expulsione, eam in pingui vapore vectam, ad cerebrum eleuat, ibique spiritus delirare facit & ficciores circa cerebrum particulas mordendo sensum communem atque phantasiam præstigiosis imaginationibus vexat & perturbat, tametsi reliqua sanguinis inferioris portio satis refrigeretur, & in temperiem fere pristinam reducatur. Hinc ergo est, quod febre ardente laborantibus pulsu meliora non præsagiente, cum vrina sit magis remissa, phrenitim seu delirium confestim futurum & subito venturum prognosticamus.

24. *Demonstratio, Hydropis & Scorbuti post febrem & morbum acutum prouenientium rationem, & causam meridionalem aperiens.*

Hydropis post febrem ortus. Scorbuti generandi ratio. Quod autem aer calore subtiliatus possit aquam è terræ visceribus ad eius superficiem expellere, declarat experimentum hoc sequens. Fiat pila ex plumbo capacitatis amplæ ita vt spissitudo materiæ nec sit nimis tenuis ne rumpatur, nec nimis porosa, ne per ipsius substantiam aer penetret. In huius summitate fiat foramen, in quod tubus quidam recuruatus fere ad fundum descendens ex materia eadem infigatur, ea ratione vt nullus aer queat per aliam viam nisi per canalis huius cauitatem aut ingredi aut egredi. Altera vero eiusdem canalis seu tubi curuati extremitas ad alterius cuiusdam vasis aqua repleti fundum extendatur. Sit ergo pila A. canalis seu tubus B. & vas aqua repletū C. Concludimus igitur quod vel solis radii, vel ignis feruor calefacientes pilam A. expellent crassum & fuliginosum aerem pila A. contentum per canalem B. in vas C. ad fundum aquæ illo vase C. contentæ, qui aer crassus virtute caloris expulsus cum aqua vasis C. se permisceb t, facietque multas bullas alteram post alteram. Simul ac vero sol seu ignea quæcunque virtus alia recesserit, aut res aliqua alia inter ipsum solem & pilam fuerit interposita, vel ipsa quoque pila in vmbra locata redibit caloris absentiâ, hoc est, refrigeratione pilæ prior aeris status in concauitatē pilæ, nempe eadē aeris crassi & compacti portio quæ fuit inibi antea. Probatio sic fit. Cum aer in eadem natura in vase aqua repleta inueniri non potest, ipsam aquam, quæ adhuc crassior est, loco aeris sib attrahit, cuius tantam proportionem in pilam descendere cogit necessitas, quantam ab ea radii solares subtiliatione & purificatione aeris expulerunt.

Figura

Figura est talis.



Applicatio ad hominem.

Prima intentio est quod calor in corpore accensus rarefacit aerem in visceribus contentum & rarefactione aut per poros in forma sudoris, aut calore corporis absumitur: at quoniam mitigato calore aut penitus extincta flamma febrili aer centralis infrigidiatus contrahitur & densiorem pro gradibus suæ dominationis frigoris aeris consistentiam requirit, ideo imprimis crudum aerem in partes carnosas attrahit rapaciter, qui in aqueos madores quandoque transmutatus ad interiora peritonei usque attrahitur, ibique in aqueos vapores sensim condensatur, unde illa hydropis species quæ Ascites dicitur, vel ratione nimiæ frigiditatis partium carnosarum post intensam ipsarum adustionem aut calefactionem in ipsis subito in aqueam consistentiam mutatur, ibique moram suam habet, uti in Anasarca & Leucophlegmatia videre licet: atque hoc fieri solet in varia suæ formæ dispositione respectu ventorum macrocosmicorum aerem tunc temporis ambientem alterantium, variosque in corpore effectus producentium. Verbi gratia, flante Austro aut Occidentali aer circumambiens est admodum humidus, unde fit (testibus Galeno & Hippocrate) quod *temporibus pluuiosis fiunt morbi aquei longi; nam* (inquit Galenus) *aeris ambientis humiditas pituitosos humores aceruat, & non paucas generat aquosas humiditates.* Aut ergo aer talis penetrans ad peritoneum in aquosas humiditates vertitur, aut in carnosis partibus coagulatus & condensatus vertitur in humorem pituitosum, fitque Leucophlegmatia seu Anasarca, utpote quæ ab alba pituita dicuntur generari, aut si ad centrum & viscera seu intestina penetrat talis aer humidus alui fluxum facit: vel si ad caput & in eo grosso modo è frigore congeletur, morbum comitialem, apoplexiam, aut defluxiones grossas, anginam, pleuritidem & peripneumoniam causantes. Hinc Hippocrates. *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte sunt alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & angina.* Et *alibi. Si hyems sit Australis & pluuiosa, ver autem Aquilonium & siccum, mortalibus dysenteriæ fiunt, & senibus distillationes quæ cito interimunt.*

Ascites post febrem ortus.

Anasarca & Leucophlegmatia ortus.

Aph.3.7.

Aph.3.16.

Aph.3.12.

E regione vero, si ventus siccus, vt puta vnicus è septentrionalibus dominium in aere circumambiente habuerit, necesse est modo si natura & complexio ægri conueniat, videlicet si ad melancholiam, bilem & flatum lienosum seu vterinum sit inclinatus vt loco aquarum vento & aere sicco replebitur ventris ipsius regio, & fiet illa hydropis species quam tympanitidem vocant: nonnunquam aquarum & ventorum erit mixtio, vbi scilicet aer externus & natura complexionis ægroti male concurrunt, & in tali casu dicimus etiam si patiens sit admodum lienosus ventus ad producendas putredines sit aptus, cuiusmodi est ille Australis, tunc quidem scorbutum cum hydrope parturire animaduertitur: quoniam videlicet post febrem, & præcipue illam longam, spiritus microcosmicus calore præternaturali attenuatus post illius refrigerium iterum per attractionem aeris crudi & Australis præter modum condensatur in aqueam humiditatem putredine Australi haud vacuam. Vnde Hippocrates *loco antea citato*, coactus etiam contra seipsum in hæc verba loqui. *Morbi in pluuiarum multitudine sunt magna ex parte febres longæ, alui profluuia, putredines, &c.* Non ergo iuxta imaginariam medicorum veterum ab interno videlicet aut humore aut elemento, sed ab aere externo ventis gubernato procedunt istiusmodi morbi, iuxta istud cum ab Hippocrate tum Galeno confirmatum. *In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis, aut siccitatis, ventorum aut horum defectus potissimum pariunt morbos.* Et *alibi, Corruptionis causa externa est aer ambiens, qui separari à corpore non potest vtpote qui ei veluti adnatus adhæret, qui lædit eo quod nos vel calidos moderate, vel frigidos, vel humidos vel siccos facit.*

Aph. 1. 3.

Tuend. san. l. 1. cap. 3.


Altera nostra intentio est indicare præternaturalem tam dilatandi quam contrahendi aeris in corpore rationem tum macrocosmicam tum microcosmicam, per prædictam demonstrationem, & quomodo spiritus & actus microcosmi gubernetur, ab illis macrocosmi: nam vt videmus aerem in pila cōtentum præsentia caloris cæli, attenuari, partemque aeris attenuati per densam aquæ consistentiam extrudi (quæ quidem attenuatio est nihil aliud quam spiritus inclusi ac ensio & in naturam igneam redactio) & è contrario absentia actus illius calidi, hoc est frigoris dominio spiritum illum iterum condensari & condensatione sua contrahi, & contractione vel densum aerem vel ipsam aquam ad se sorbere videmus: ita quidem res se habet in vase microcosmico seu homine: nam (teste Galeno) per dominium stellæ canicularis calefactus est aer, ipseque sic accensus accendit & spiritum humanum, & in igneam seu febrilem temperiem eum conuertit. At vero declinante dicto calore præternaturali, necesse est vt iterum aer crudus per eosdem introducatur meatus per quos aer accensus prius est ingressus; qui meatus quales sint nos docent ipsa Galeni verba. *Calidiores aeris ambientis status, quales maxime circa canis ortum contingunt, per inspirationes quidem manifeste cor calefaciunt, corpori autem extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt, sed præsertim arterias, vt quæ ipsius substantiæ aeris ambientis aliquid trahunt, ex quibus omnibus cor affici est necessarium, & cum supra modum incaluerit, ipsum primum, ac potissimum febrilem calorem suscipere, atque in vniuersum corpus transmittere. In pestilenti vero aeris statu inspiratio plurimum est causa.* Hæc ille. At nos dicimus quod istiusmodi aeris externi inspiratio non fiat solummodo per asperam arteriam, sed per nares ad cerebrum, & per omnis corporis poros, quo factum est quod non modo accendantur spiritus vitales, verū etiam illi naturales & animales. Ratio autem quod in ascite aqua circa regionem peritonei seu massæ intestinorum colligitur, est ob frigidam intestinorum naturam, tam respectu sui quam multitudinis pituitæ frigidæ in ipsis coaceruatæ, quæ aerem per poros post intensum calorem introductū per inspirationem facillime suo frigore condensant in aquam, vel ipsum in membris solidis iam subito refrigeratis in aqueum madorem conuersum ratione in experimento isto expressa magis centraliter ad peritonei conuexitatem introducunt. Atq; hic est vnus hydropis & scorbuti post febris accensionem generandi modus, & non nimia hepatis refrigeratio, vt Galenus & alii inconsulte satis sunt opinati.

Diff. feb. l. 1. cap. 4.

25. *Demonstratio altera.*

Infundatur aqua in sphæram A. ita vt dimidia eius pars impleatur, & obturetur foramen B. præsentia igitur ignis super aram C.D.E.F accensi aeris densi seu spissioris in ea existente per tubum G. A. expellitur & detruditur à regione illa in Sphæram A. At quoniam Sphæra illa erat partim aere denso, & partim aqua impleta, ideo aer descendens ab altari C.D.E.F. vt sibi faciat locum in Sphæra illa detrudit aquam seu liquorem in ea contentum in vas N.L.P.O. per tubum H.I.L.M. Denique ablato igne aer altaris frigoris actum irrepentis dominio incrassatur & incrassatione coarctatus ex sphæra A. attrahit aerem & ni vacuum foret in sphæra aqua extrahitur. N.L.P.O in sphæram vt locum aeris in arcam recedentis suppleret. Figura autem est talis.

Appli-



Applicatio ad hominem.

Ad istam relationem respectum habet status corporis humani febre seu calore præternaturali affecti, seu spiritus humani in ardentiorem mutati: nam aram cordi comparamus, sphæram ei subiectam regioni viscerum, videlicet hepati, ventriculo, intestinis & lieni; vas aqua plenum aquæ in membris carnosis simul atque aeri ipsam circumambienti, & ipsi quasi per tubos pororum annexo. Dicimus ergo quod inflammatum præter naturæ leges ab aere igneo externo cor spiritus suos calidos dilatatione per magnum suum tubum arteriam videlicet magnam emittit deorsum, imò verò circulariter, & in regionem naturalem quasi sphæram eos penetrare facit & vrget visceribus, itaq; his flatibus superfluis moratis, aquosas suas humiditates per partes carnosas in ipsum aerem eas circumeuntem in forma sudoris flatuum præsentia emittit, ad hoc compellente aere in iis antea simul cum madore aqueo permixto. Vnde factum est vt longo tempore debilitato hepate & calore diminuto aer post integrum febris aut caloris recessum tam cordis quasi arulæ, quam viscerum quasi sphæræ frigore iam paulatim superueniente incrassetur, & incrassatione aeris in arteriis ille venarum attrahitur in ipsas arterias & ad cordis cauitatem ad euitandum vacuum, quasi aeris ipsius sphæræ portio in aram per tubum A. G. hoc est per cauitatem Aortæ in cordis ventticulos. Denique attractione aeris à venis & hepate atq; visceribus, introducitur in solidis in viscera, ac aer externus in partes solidas. Sed quoniam hepar & calor natiuus nimium febre præcedente debilitatur, ideo non adest tantum caloris in partibus musculosis vt vincat sufficienter frigoris insultus, vnde fit quod aer per poros introductus ob eius grossitiem per occultos peritonei meatus seu texturam penetrare nequiens, ibi frigoris actu præualente in aquosam consistentiam resoluitur, facitque illam hydropis speciem quam Ascitem vocant. *Ascita ortus.*

26. *Demonstratio alia.*

Hic autem notandum est quod quo intensior est calor febrilis, eo quidem rariorem reddit aerem tam arteriis & venoso generi quam visceribus inclusum, & consequenter refrigeratione maiorem sibi aeris portionem attrahunt, qui aer si partes sint debiles in calore naturali augent quidem aquę hydropicæ portionem, idq; probatur istiusmodi experimento vulgari. Si retortam vacuam igni sic applicaueris vt ex altera parte eius orificium possit in aquã immergi, quo quidem violentiorê inuenies ignem eo magis subtiliabitur aer, & consequenter paulatim superante frigore vas plenius aqua reperies. Verbi gratia A. est retorta aere plena ex cuius igne C. incalescentis ore E. aer rarefactus in forma venti egrediens aquam in vase

D. bullis refertam efficiet, quæ durabunt quandiu aer magis magiſque incalcſcat. Ablato verò igne, & refrigeſcente gradatim vaſe, aereq; frigoris aduentu incraſſeſcente, vas ſeu retortam totam aqua gradibus impleri cernes, præſertim ſi violenter prius retorta fuerit calefacta: quare neceſſe habemus quod retorta ſit terrea, ne aquarum acceſſu ſubito frangatur.



Applicatio ad hominem.

Hydrops poſt febrē vnde. Hac ergo demonſtratione hydropis poſt extremam febris inflammationem, etiam poſt caloris extinctionem generandi rationem videre atque expiſcari poſſumus: videlicet quoniam extremo calore admodum ſubtiliatur aer incluſus in viſceribus, vnde fit vt caloris illius intenti abſentia aut aer craſſus & vaporoſus, aut aqua loco aeris excluſi, & in exilium quaſi relegati per poros in locos ſolidiores aut ad peritoneum vſque introducatur, vltra quē locum penetrare haud poſſunt partim propter frigoris in iis partibus dominium, & partim ob hepatis debilitatem quod in officio ſuo rarefactiuo eſt mancum; ac denique propter compactam peritonei naturam, quod non permittit niſi aerem admodum ſubtilem per ſuam telam tenuem centrum verſus tranſire.

Atque ita habetis hydropis atque ſcorbuti rationem demonſtrationibus ſpiritualibus ſatis luculenter expreſſam.

27. *Demonſtratio alia rationem hydropis à cauſa calida exprimens.*

Hoc quidem probatur per demonſtrationem 11. huius præſentis capitis, in qua aqua violento caloris ollæ ſubditi impulſu, qui patinæ frigidæ materiam in via inueniens à frigore eiuſdem congelatur, & in vaporem æſtuoſum redigitur.

Applicatio ad hominem.

Simili planè modo per poros peritonæi vapor talis penetrans, tum ob vaporis actuoſi ſubtilitatem, tum ob caloris ipſius actum (cuius eſt dilatare poros & more diaphoretico agere) ſubito frigore externo in muſculis abdominis dominium habentis & pituitæ craſſæ in inteſtinis reſidentis in guttas inter muſculos illos & peritonæum coagulatur ex quibus fit aſcytes. At ſi vlterius ad partes vſq; carnoſas penetrat vapor in ipſarum ſubſtantiam ob loci & aeris ambiētis frigiditatem, tum in madores reducitur vel leucophlegmatiam vel anaſarca producentes: nam quandoq; accidit, quod poſt ſpiritus viſcerum rarefactionē durante æſtu intemperato factam, & iam frigoris virtute inuadent vapor ille antea in muſculos expulſus propter groſſitiem ſuam attractiuam frigoris aerem internum coagulantis facultate, ad ſuum locum centralem iterum reuerti nequeat, vnde aer alius ab extra ad ea intromittitur in vacui leges admittentur.

28. *Demonſtratio per quam ratio ſitis in hydrope frigida & Occidentali eſt elicienda.*

Sitis in hydrope. Sit A. B. D. vas in quadrati oblongi figuram factum optimè ex omni parte clauſum ne aer aut ingredi aut egredi poſſit præterquam per tubum C. & foramen E. tunc per foramen F. impleatur vas illud A. B. D. aqua, & deinde luto obtuetur optime. Denique ſi foramen E. aperiatur, aqua per ipſum egrediens tantum aeris ſemper attrahet per tubum C. occulto modo in Tauri tibia incluſum, atq; ipſius os pertingentem. Hinc ergo dicimus quod naturali quadam inclinatione videbitur taurus aquas ipſi oblatas bibere, quoniam aer attractus intra vas per tubum in ore tauri gratia egreſſionis aquæ ab eo per foramen E. ſecum etiam aquam tauri ori oblatam ſecum in vas introducet. Figura eſt talis.

Appli-



Applicatio ad hominem.

Sic quidem succus corporis internus partes exteriores petens relinquit corporis centralia sicca & arida, vnde fit vt ob spirituum naturalium ariditatem, idque præcipue si caloris intemperies hepati adsit, sitis in ipsis procreari animaduertatur. *Sitis in hydrope vnde.*

29. *Alia demonstratio per rationem vaporosam, seu meridionalem.*

Porrò etiam hoc per demonstrationem 25. aliter indicatur, nam calor arulæ C. D. E. F. subtiliat aerem ei inclusum: aer autem in sphæram transiens aquam expellit in ea contentam in vas C. S. P. O.

Applicatio.

Sic calor præternaturalis in hepate mouet aerem ventriculi & stomachi subtiliando, qui pituitosas substantias ad extrema expellit quo ipsi locus concedatur spatiosior: hinc tanta liquidi & poculenti in ægrotis affectio.

30. *Alia demonstratio eiusdem naturæ.*

Probatur per demonstrationem huius 19. sic. Aer humidus & vaporosus in regione A.B. conten-

contentus præsentia ignis deorsum pellitur per syphum E. in regionem C. D. atque ob istam rationem aerem inclusum antea in regione C. D. inspissari necesse est propter additionem ad ipsum aeris spissi à regione superiori in inferiorem subtiliatione expulsum.

Applicatio ad microcosmum.

Ascites unde. Sic quidem aer internus in homine calore præternaturali attenuatus euolare cogitur in partes carnosas vbi aeri additur, & consequenter vnus præsentia alterius incrassatur, atque in vaporem aqueum facillimè resultant ambo, vnde facta est illa hydropis species quæ Ascites dictitatur: at si solummodo in simplici sua natura calida maneat inter peritoneum & musculos abdominis, tunc quidem alteram hydropis speciem parturire potest quam tympanitim vocant. *Tympanitidis ortus.*

31. *Demonstratio quomodo hydrops à causa Occidentali, seu frigida & aquea causari queat.*

Hydrops à causa frigida. Hoc luculenter demonstratur per demonstrationem huius 2. nam aer in regione inferiori E.D. ab ea vi aquæ descendentis à superiori regione per tubum A. L. participat de humida & roscida Occidentis natura & in tali forma egreditur per canalem G.

Applicatio ad hominem.

Hydrops frigidus. Cachexia. Ita quidem fluxus catarrhi diuturnus, vel humor crudus in corpore turgens aerem regionis corporis inferiorem expellit ad exteriora, & aer ille sic expulsus humidi catarrhi fluentis naturam à quo expellitur induit, ita vt ante eius per corporis poros egressum à frigore externo facile congelatur in humorem. Hinc ergo est quod cachexia & pallidis coloribus laborantes in hydropem facillimè labuntur.

32. *Altera demonstratio hydropis à causa aquea ortum indicans.*

Huius demonstrationis virtutem facillime ex demonstrationis capitis huius figura 6. colligimus: nam aqua à regione A.B. in regionem infimam E. F. cadens expellit aerem in mediam regionem C.D. aqua plenam, vnde aqua illa cogitur ascendere per tubum L.M. vt ei locum daret in sua propria regione.

Applicatio ad hominem.

Hydrops frigidus unde. Pariformiter catarrhus vehemens descendens ab alto, vel humor pituitosus seu cacheticus in vasis turgens expellit aerem viscera implentem, qui aer cogit humores pituitosos in plena sua substantia scaturire tam per venas quam alios viscerum poros in membra magis superficialia.

Infinita quidem huius rei exempla producere possum, sed me coarctat methodi meæ institutum.

33. *Demonstratio hydropis Tympanitæ à causa frigida & septentrionali contingentis explicans.*

Tympanitæ ortus. Hæc fit atque explicatur per figuram demonstrationis huius capitis primę, in qua arena à regione A.B. descendens discutit aerem à regione E. D. per canalem H.I. At quia arena est de natura terrea ideo non humectat aerem, sed ipsum reddit septentrionali more sicciorem, propter eius cum terrea natura admixtionem.

Applicatio ad hominem.

Tympanites vnde. Sic aer visceribus inclusus turgida lienis infrigidati magnitudine sensim regionem naturalem suo tumore comprimente expellitur à suo loco inter peritoneum & musculos abdominis, ibique congregatus more flatus in vesica contenti ventrem intumescere facit cum sono tympanitidis propter ventum siccum ibidem inclusum. Ob istam etiam rationem aer ab vteri in substantia assurgentis compressionibus in tympanitidem euadit.

34. De-

34. *Demonstratio explicans causam sitis in corpore calido.*

Hæc quidem lucide explicatur per figuras demonstrationum 22. & 25. nam siccus aer & igneus requirit mediocrem naturam qua humectetur. Hinc veniente aere Arulæ in suam temperiem madores ad se trahit. *Sitis in febribus & intemperie calida, vnde.*

Applicatio.

Sic hominis natura in humore radicali & calido innato cõsistens postquam calore igneo impeditur ipsius humidum radicale semper appetit poculenta madida, quibus defendatur ipsius balsamum contra acutas & destructiuas ignis inuasiones.

35. *Demonstratio, quâ Phthisis & febris hecticæ ratio ad amussim elicitur.*

Sit aræ basis A.B.C.D. optime ex omni parte clausa vt aer per nullum meatum possit penetrare nisi per tubum G. mediante quo fit communicatio inter aerem cuiusque aræ regionis: per altaris autem basim traiiciatur & transeat ex vna parte canalis, H.K.L. paulo à basis fundo distans ad L: & simul perforatus cum phiala quam homo tenet, infundatur aqua in basim per aliquod foramen M. quod post infusionem obturetur. Si igitur in ara E.F.G. ignis accendatur, continget intrinsecum aerem attenuatum in basim ferri, & quod in ipsa est humidum extrudere per canales H.K.L. in phialam, & à phiala in ignem. Figura est talis. *Phthisis tussis calida hectica in phthisi.*



Applicatio ad hominem.

Sic pulmones inflammant atque accendunt spiritum in thorace contentum, & spiritus inflammatus latiorem pro sua existentia requirens locum propter suam à calore præternaturali dilatationem, partim sursum cum spiritu igneo pulmonum, partimq; per occultos diaphragmatis atq; arteriarum & venarum meatus deorsum in hypochondria & viscera penetrat ibique sua præsentia calida efficit crassos pituitæ in ijs contentæ vapores sursum ad caput seu cerebrum successiue & continuo motu, idque præcipue nocturno tempore ascendere, vbi incrassantur & in catarrhi forma decidunt in pulmones, eos quandoque sua acuitate corrodentes, à quibus tum postea tussiendo expuuntur: similiter calefacit spiritus ita accensus venam cauam & arteriam magnam ascendentes, adeo vt aer in iis attenuatus & accensus, pellit grossos materiæ in iis contentæ fumos ad caput. Hinc ergo oritur tussis calida, hinc Phthisis, & febris ipsa hectica.

Infinitas alias istius naturæ conclusiones, abditas morborum omnium generationes enucleantes hic potui exprimere: sed quia alia maioris momenti me auocant, hæc solummodo ad vlteriorem doctorum & curiosorum medicorum contemplationem, vtpote noua & inaudita, & tamen nihilominus vera & secura, commendo.

Conclusio horum duorum capitulorum ad morborum generationes pertinentium.

Scio ego pro certo nonnullos ex momorum & scrupulosorum farina more cachinnoso in hunc modum replicaturos. Bene. Fiat quod dicis, videlicet quod causa morborum fiat ex actione & passione elementorum in demonstrationibus tuis hisce capitibus expressis. Sed quid (mi innouator & causarum incognitarum fictor) nobis ergo cum Angelis aut ventis cardinalibus ad infirmitatum generationem? si elementa possint hoc negotium præstare, videlicet terra ad aeris agitationem & prouocationem, aer ad aquæ è proprio suo loco in locum alienum coactionem, ignis ad aquæ & aeris subtiliationem: Et si morbi soleant & queant talibus rationibus procreari & generari, quid habemus nos ad agendum cum istis ventorum & Angelorum figmentis, fracti cuiusdam cerebri & tenebrionis incerti atque inconstantis iudiciis? frustra nos docet diuinus ille noster præceptor Aristoteles, *frustra illud fieri per plura quod quidē per pauciora fieri assolet.* Hisce ego paucissimis sed verissimis sic: Si Deus implet omnia idque essentialiter & præsentialiter, si Deus operatur omnia in omnibus, vt testatur Apostolus, tunc certum est quod Deus sit & operetur centraliter in quolibet atomo totius vniuersi, quippe in ipsius toto, quidni, cum teste Salomone *spiritus incorruptibilis sit in omnibus*, vtpote qui est *centrum cuiuslibet rei, cuius circumferentia est nullibi.* Nonne in verbo erat vita atque existentia cuiuslibet rei iuxta illam diui Iohannis sententiam? Quis ergo in vera Christianitate enutritus nisi demens negabit omnem creaturam in verbo Fiat consistere, & à lucido sapientiæ æternæ spiritu vitas, virtutes, & actus eorum haurire? Anne ignorare queat tritum illum Psalmistæ regii sermonem, *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnes virtutes eorum*? Quibus liquet omnem actum & consequenter motum prouenire à magno illo mundi animatore, qui à fonte Ensoph seu infinitatis quasi legatus, nuncius seu angelus catholicus in mundi cauitatem emittitur, à quo omnes tum postea Angeli subalterni quasi radii à plenitudine diuinitatis emissi scaturiunt, ad verbum & placitum creatoris efficiendum ordinati & paratissimi, iuxta illud psalmistæ regii, Angeli Dei
Psal. 104. validissimi robore efficientes verbum eius, ministri eius facientes placitum eius. Quo sermone agnoscere videtur Dauid, quod Angeli sint instrumenta Dei immediata ad exequendum ipsius placitum & voluntatem ordinata, & consequenter, quod nihil operetur Deus nisi mediantibus istis instrumentis: verbi gratia voluntatem suam Borealem exequi gestit ipse in spiritum & per spiritum mundanum: hoc autem præstare solet per Angelum seu nuntium seu radium ab eo in tali proprietate emissum, vnde Apocal. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, qui ventos tenebant ne spirarent, & quibus datum est nocere terræ, &c.*

Nec quidem quempiam mirari velim, me actus spiritus mundani, & consequenter & elementorum spiritui soli æternæ sapientiæ attribuisse, nam istam meam assertionem à sacris literis confirmatam reperietis. *Deus sapientia sua* (inquit Iob) *aptat pondus aeri* (hoc est spiritui sublunari) *& appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum:* hoc
Iob 28. est elementum mundi catholicum vel leue vel graue efficitur, & nubes suspenduntur in aere in mensura, & pluuiæ fiunt, & fulgura procreantur, non vt Aristoteles vult, à vapore aut exhalatione solis & astrorum vi eleuata, sed per Dei sapientiam seu generalem suam emanationem

tionem seu Angelum & nuncium, vnde alibi. *Quis sapphirinas nubes fecit sapientia sua & vires coeli quis prosternit?* Et Solomon. *Nubes superiores sapientia distillant rorem.* Non dicunt nubes à vaporibus sole attractis, sed ex ipso aere virtute spiritus sapientiæ contractas. Sic propheta Dauid, *Verbo suo quam celerrime excurrente, & sermone suo in terram emisso edit Deus niues sicut lanam, &c. Verbum suum emittens liquefacit ista simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ:* Non dicit ex sole & vaporibus in nubem niualem redactis niues fieri, sed à verbo Dei, nec à Solis calore eam niuem esse dissolutam, sed à verbo per ventum. Verum enimuero quod Deus in aere ad meteora producenda agat per spiritus suos Angelicos & ventos testatur locus iste, *Iehoua inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & volauit & lapsus est super pennas venti, posuit tenebras in circuitu suo latibulum cribrans aquas de nubibus cælorum: præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt. tonabat de cælo Dominus, &c.* Nonne etiam alibi, *Ventus procellosus efficiens verbum Dei:* At replicabunt isti increduli, sed quid hoc ad effectus elementorum, quorum mutua actione & passione effectus tales in demonstrationibus antedictis sine ope magni illius tui Angeli seu nuntii quem tu verbum seu æternam sapientiam vocas, aut aliquorum ipsius pedissequorum Angelicorum, quos ab ipso quasi radios à Sole esse deriuatas ait, ad exitum perduci posse testatur experientia? Respondeo sic. Vos (ô mundani qui præter ea quæ sub sensum cadunt credere nihil vultis) nec est ignis qui subtiliando operatur, sed spiritus Dei in igne delitescens, & in proprietate ignea ab ignis centro in forma orientali operans, nec terra quæ sua frigiditate incrassat, sed spiritus Dei in proprietate terrea à terræ centro in forma septentrionali operatur: nec aer qui sua humiditate & caliditate dissoluit, sed spiritus Dei, seu verbum ipsum aerem meridionaliter ponderans & disponens, vt ex textu superiori colligitur: nec aqua quæ in aquatica sua natura humectat & infrigidat, sed spiritus Dei qui in proprietate aquea occidentaliter operatur. Denique iste est spiritus ille incorruptibilis qui vt inest omnibus, ita quidem operatur omnia & in omnibus, & non ignis, nec aer, nec aqua, nec terra, sed spiritus idem modo in spiritu sublunari agens per suos Angelos boreales borealiter, modo per occidentales occidentaliter, modo per meridionales meridionaliter, & modo per orientales orientaliter.

Iob 38.
Prou. 3.
Psal. 147.
2. *Reg.* 22.
Psal. 148.

Quibus videre licet quod omnis actus in spiritu mundano eum rotans de forma in formam quam elementa vocant, fit per vnicum spiritum Dei simplicem in proprietate quadruplici, quibus proprietatibus præest Angelus subalternus varius elementorum formas spiritui sublunari vnico quasi quatuor sigilla, quatuor effigies diuersas vnicæ ceræ massæ imprimens. Vnde recte dicit Propheta, *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant.* Non igitur cuiquam vestrûm mirum videatur, si dixero ista omnia à spiritibus Angelicis licet inuisibiliter & ratione occulta operentur, fieri: nam si Angelorum & dæmonum dimensionem considerare vultis, profecto non vobis apparebit ista nostra asseueratio esse à veritate tam aliena: auscultetis enim suadeo, hæc Antistitis sapientissimi verba. *Dæmones ob nimiam breuitatem à multis non esse creduntur, quos credo communicare nobiscum, & heroes quos inter purissimam partem aeris super nos & terram, &c.* Et Pythagorei, & ipse Orpheus ob istam rationem *omnia diis plena* esse statuerunt, quos omnes ad vnicum nihilominus Iehouam attribuerunt: vt Platonici omnes particulares animas ad vnam mundi animam quam scripturæ per æternæ sapientiæ spiritum intelligunt. Hoc etiam idem verbis expressis videtur Apostolus verificare in hæc verba prorumpens. *Dii quidem sunt qui dicuntur in cælo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater à quo omnia & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* Ac si dixisset, Gentiles volunt deos, siue Angelos vbique in cœlo & in terra esse, at nos Christiani agnoscimus omnia radicaliter prouenire à Deo monade per eius sapientiam seu emanationem catholicam (cuius peculiaribus emissionibus Angelicis, quippe quæ æternæ sapientiæ seu Christi omnia implentis sunt nuntii, ab ipso ad mandata Dei præstanda emissi) tam actiua quam passiua. At, teste eodem Apostolo, *Deus pater omnia implet per filium:* verba sunt hæc. *Vnus Deus & omnium pater, qui super omnia & per omnia & in omnibus nobis.* Ac si verbis præcedentibus dixisset, Deus pater à quo omnia, sed super omnia, filius per quem omnia & qui per omnia, & Spiritus sanctus in omnibus, quippe à quo virtus, vita & anima rerum, vnde Psaltes, *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum* Hoc est, Filio Patris factus est mundus, seu fabricati sunt cœli & terra ex aquis (iuxta D. Petri intentionem) Spiritu ab vtroque procedente ipsis attribuitur omnis actus, & motus & virtus quæcunque, non ita vt ille spiritus possit in essentia abesse à creatura, sed semper ipsi adest, agit & operatur. Vnde Salomon, *Spiritus incorruptibilis inest omni rei:* sequitur ergo si iste spiritus æternus sit vbique, omniaque implere dicatur (vtpote cuius absentia omnia in Nihilum priuatiuum conuertuntur actutum) & quod iste spiritus, siue emanatio catholica sit Angelorum caput & origo, vtpote quorum vitæ, proprietates & actus ab ipso effunduntur, & in eo non magis dependent quam radii omnes solares ab vnico sole: se-

Ezek.
Asclep. 11.
1. *Cor.* 8.
Ephes. 4. 8.
Sap. 1.

quitur, inquam, quod omnia sunt spiritibus Angelicis plena, quorum proprietates diuersæ, à varia voluntatis diuinæ à fonte æternæ sapientiæ emanantis, ordinatione dependent. At proprietas illa diuina in septenaria in cœlo æthereo conditione stellis erraticis attributa cõsistens, in quadrifariam naturam distincta in cælo sublunari contrahitur, quæ in quatuor ventis cardinalibus suam fixit radicem. Vobis autem recitabo paucis, quid hac in re Cabalæ peritiones existimauerint. Volunt ipsi quod Angeli seu dæmones spiritus dicantur, vtpote qui quasi venti sunt: vnde Rabi Tedecus Leui *lib. de* 10. *numerationibus* post explanatos quatuor ventos Aquilonarem, Meridionalem, Orientalem, & Occidentalem, tandem sic scribit. *Ex illis quatuor ventis creauit quatuor Angelos, qui præfecti sunt super eos in die & in nocte. Michael autem, qui est ex parte clementiæ & miserationum constituitur Mammona, id est præfectus super ventum Orientalem vsque ad dimidium diei, & vsque ad noctem: regitque ventum Occidentalem Raphael, qui similiter est de parte clementiæ, tum Gabriel in virtute iudicii & seueritatis præfectus est cum vento Boreali super dimidium noctis & duas mensuras mundi. Noriel vero præsidet Austro. Sed & quilibet horum plurimas sub se species, quæ liber Arcanorum continet* Hæc Reuchlinus. Et in Porta lucis legitur, quod à terra vsque ad firmamentum non ibi locus vacuus, sed omne plenum formis, quarum hæ huic vento, illæ alteri subiiciuntur, & quasi vitam suam hauriunt: vnde flante hoc vel illo vento spiritus subito ipsi obedientes de nouo quasi animantur & viuificantur, & iuxta Angeli principalis ab eo vento flantis voluntatem (quam accepit à Deo) agunt ipsi & operantur animositer in campo spiritus sublunaris aperto, vel ad malum & flagellum creaturarum, vel ad ipsarum beneficentiam: vnde sic pergit Porta lucis. Ex illis formis quædam sunt capaces gratiæ ac miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ & tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aere, & non à terra vsque ad firmamentum locus vacuus quin totum sint species: ex iis ad pacem, ex iis ad bellum, ex iis ad bonum, ex iis ad malum, ex iis ad vitam, atque ex iis ad mortem. Et omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus, vt dicit Ioseph Castaliensis. Denique omnes isti spiritus mundum implentes, & factione contraria participantes in primis iuxta primam mundi diuisionem, quæ erat in lucem & tenebras, in legiones Dei & in legiones Sathanæ: deinde sub quolibet istarum factionum oppositarum imperatore quatuor constituuntur duces magis eminentes iuxta diuisionem 4. ventorum, quorum illi quatuor qui ad vitæ præseruationem & ad clementiam tendunt, & Dei viuentis Antesignani dictãtur, sunt Michael, Gabriel, Vriel, Raphael. Atque isti sunt boni illi quatuor ventorum cardinalium præsides, qui custodiam habent vitæ & generationis. At è contrario Satanæ vltores illi quatuor qui Satanæ gerunt vela traduntur esse, Samael, Azazel, Azael, Mahazael, malum & intemperiem præternaturalem per infinitos suos emissarios in spiritum mundanum disseminant, & isti vim habent ventorum in iracundia diuina, vtpote qui vitæ & generationi sunt contrarii, & consequenter mortis & priuationis, atque creaturarum perturbationis authores. Atque de istis intellexisse Reuelator creditur, vbi in hæc verba loquitur. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna Angelis quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, nolite nocere terræ & mari &c.* *Apoc. 7.*

Vbi per Angelum illum ascendentem ab ortu Solis intelligit Michaelem cui adscribitur plagæ Orientalis dominium, cuius dominio & mandato à tempore victoriæ eius contra draconem subiiciuntur omnes maligni spiritus, quorum imperator est Satanas, seu ille tenebrarum dominus quem Paulus vocat *principem dominium habentem in aere*, sub quo sunt prædicti quatuor duces fatales, de quibus intelligere videtur idem Apostolus sic loquendo, *Contendimus non contra carnem, sed contra principalitates, contra potestates & gubernatores huius mundi, principes tenebrarum huius mundi, contra spirituales impietates quæ sunt in locis altis, &c.* Sub quibus potestatibus iuxta Cabalistas magnæ crescunt turmæ dæmonum, & legionum tartari profugæ, qui sunt dæmones squallentes & turpissimi, atque humani generis hostes: & dicũtur ab ipsis Angeli contrariæ fortitudinis, quorum alii superiorem regionem peruagantur, vtpote ignei, alii nobis adhuc propinquiores aeri oberrant, alii lacubus & fluuiis se immiscent, alii sunt terreni, hiatus terræ prouocantes, flammiuomosque ventos agitantes: de quibus Psellus *in historia sua de dæmonibus* latius. Denique concludunt sapientes quod omnes res inferiores & visibiles, siue sint pulchræ, siue fœdæ, siue venenosæ naturæ, siue salutares, sunt repræsentatiuæ superiorum, hoc est illarum formarũ spiritualium à quibus tales quales sunt effectus existunt. Hinc Rabbi Moyses. *Intellectus agens à quo formæ influunt appellatur Angelus, hunc autem præfectum vniuersitati vocant Cabalistæ Metattron, & Platonici animam mundi, & Scripturæ spiritum sapientiæ à quo gubernantur omnes virtutes singulares quæ pariter Angeli dicũtur, quasi radii à spiritu illo catholico emissi.* Vnde psaltes *loco antedicto. Et spiritu ab ore eius oẽs virtutes eorum.* *Eph. 2. 1.* *Eph. 6. 12.*

Huiusmodi ergo Angelorum multitudo infinita est quoad nos. nam iuxta Rabbi Bresesth.

seth; hac ratione creator quotidie creat cœtus Angelorum, quos alii vocant formas, vtpote quæ sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero plena est. Quare certum est, vt nullum in mundo elementum, nullus in eius cauitate aër, qui vndiq; ab istiusmodi spiritibus omnia cùm bona tum mala informantibus non impleatur, & consequēter quicquid ex ipsis est conflatum. Dicimus ergo quòd nullus sit istiusmodi spiritus qui naturaliter ab aliquo vento Angelico in mundum originaliter non sit inspiratus & ab ipso animatus quasi de nouo: nam omnes spiritus in spiritu mundano natantes flante vento suæ naturæ contrario debilitantur, & instar anguis gelu rigidi & congelati inanimati quasi manent, qui tum postea spirante vento ipsorum essentiæ connaturali subitò instar anguis frigore rigentis, caloris solaris accessu reuiuiscere solent, & viuaciter in campo aëreo mouent, ventosque tali suo motu efficiunt: sic flante Borea audaces & robusti reddūtur spiritus eius Angelo subditi, dum tamen è contrario debiliores, & quasi inanimati redduntur Angeli contrariæ fortitudinis, videlicet Australes. Pariter flatum suum emittens Auster idem quidem infortunium inducit illis Septentrionalibus, quod quidem in eo sensibus apparet, quoniam quicquid congelauerit Boreas in suo dominio, illud dissoluit Auster dum ipse Boreæ præualet.

Nec satis est dicere, quod ignis hoc facit & non ventus, similiter aër, aut aqua, aut terra, in quorum actione nec requiritur ventus Occidentalis, aut Orientalis, aut Septentrionalis, aut Meridionalis, & quòd ignis facit per se ventum ex aëre, aqua & terra suo more, & aër itidem flatus suæ naturæ conuenientes ex calido in ipso contento, & aqua in vaporibus rarefacta, atq; iterum terra dum in aquam vel aërem redigitur. Similiter ratione mixta terra cogens aërem ipsum vertit in ventum, & ventus ille eleuat aquam in altum, & sic in cæteris: Non (inquam) satis est dicere elemēta ista hoc facere, & non ventos quatuor cœli: nam quicunque intuitu paulò profundiori in naturæ mysteria introspicere gestiet, percipiet quidem elementum ignis originaliter accepisse suam formam & proprietatem à spiritu seu flatu Orientali, mediante qua idem suo actu quod flatus Orientalis præstare solet, videlicet virtute illa specifica quam accepit ab Angelo Orientali calefacit, rarefacit & rarefactione desiccat atq; dilatat, simili planè respectu terra à Septentrione initium suum duxit, & consequenter virtute illa essentiali quam accepit radicaliter à tali afflatu frigefacit, desiccat, constringit, indurat, & consequenter spiritum mundi diaphanum & lucidum obtenebrare solet. Pariformiter aër à proprietate Meridiei essentiali suam calidam, humidam, dissolutiuam atque relaxantem deriuauit conditionem. Deniq; aqua à spiritus ab Occidente flantis proprietate extraxit priùs suam naturalem humectandi, frigefaciendi atq; incrassandi dispositionem. At si elementa ista à dictis ventis extraxerunt suas formas originales: nam flante vento Septentrionali in catholicum mundi sublunaris spiritum informatur ille spiritus conditione terrea, & ex isto spiritu sic congelato & contracto fit terra: at flante per excellentiam Occidentali mutatur ille spiritus in conditionem aqueam & coagulatione fit aqua visibilis: at verò si Auster dominium habuerit, tunc ipse suo afflatu informabit spiritum illum Mercurialem, eumque in naturam aëream, seu constitutionem inter aquam & ignem conuertet, & fiet aër. Denique flante Orientali igneam induit spiritus iste cōditionem; nam tam extremè subtiliatur eius existentia vt in naturam igneam transformetur, appelleturque elementum ignis. At verò à quo principio formali res oritur, ab eodem sustinetur & nutritur, vnde fit actus & formæ cuiuslibet elementi siue sit simplex, siue mixtum procedant ab ipsis ventis, & consequenter non à seipsis, sed à ventis angelicis illam vim atque virtutem assiduè & successiuè hauriant, sine qua diu in tali statu perdurare nequeunt. Atque hæc est ratio, quòd teste textu sacro, omnia in verbo consistere dicantur, quod quidem verbum efficiunt organa Angelica, vt antea est relatum.

CAPVT VIII.

Quomodo victus ratione morbi seu meteora morbosa soleant procreari.

IN *supradictis* multoties à me expressum atque explicatum reperietis aëris atque anni statuum mutationes præternaturales, & consequēter intemperiem morbosam à ventis procreari, iuxta illud tritum Hippocratis: *Mutationes temporum potißimum pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* Aph. 3. 1. Iam verò dicimus, quòd omnia nutrimenta tali anno producta; Verbi gratia, triticum, hordeum, fructusque & radices, imò verò & ipsa pecora & volatilia de statu illius anni & quartarum eiusden ventis

præternaturaliter alteratarum participare necesse sit, cùm vt omnia illius anni vegetabilia de aëris loci in quo crescunt, meteororum, & terræ atque aquæ temperie & substantia cómunicant, necesse habemus credere quòd horum elementorum, atque imperfectè mixtorum ita præternaturaliter alteratorum substantiæ ad dictorum vegetabilium compositionem concurrant; vnde fit, vt etiam ipsa ab homine comesta, & in humores particulares diuisa tam insalubres ventorum quàm elementorum, atque etiam imperfectè ab istis mistorum naturas sanguini perfundant, atque ita creaturam reddant morbis eorum conditionibus conuenientibus obnoxiam, nisi ipsius natura contra ipsorum insultus sit commodè fortificata atque præparata, aut fomento talibus influxibus in sua conditione inclinato destituta, vti in morborum vulgarium ortu atque procreatione videmus. Hinc ergo fit, quòd anno isto præsenti 1629. hyeme & Vere præeuntibus humidis & aqueis existentibus, Æstate verò sequenti admodum sicca & calida, cholerica passione, vomitu, & alui fluore comitantibus, & quandoque fluoribus alui calidis cum febribus acutis quandoque continuis, & nonnunquam intermittentibus, huius insulæ mortales vexari animaduersi sint; videlicet propter fructuum & radicum, atque etiam pisorum, olerumque & herbarum insalubritatem quam ab aëre & meteoris istius anni ventis mutatis & præternaturaliter alteratis acceperunt: nam si aër circumambiens istius anni possit corpora humana multis annis ante genita & producta morbis inficere, & meteora suæ naturæ conuenientia procreare; multò magis hoc præstare potest in corporibus tam vegetalibus quàm animalibus eodem anno procreatis, vtpote quæ ex iisdem eiusdem anni actu meteoris procreantur, & ab iisdem ventis animantur: vnde fit, quòd si ventus corpori humano maleuolus spirat eodem anno, aut duo contrarii spirant aut dominantur alternatim, aëremque siue communem mundi sublunaris spiritum mercurialem in contentiosa & malè conuenientia elementa alterant, videlicet ventus Septentrionalis sua seminaria permiscens cum illis Austri, vel Orientalis cùm illis Occidentis, tunc ex talibus oppugnantibus procreantur meteora siue imperfectè mixta, ex quibus tum postea istiusmodi perfectè mixta vegetabilia immediatè producuntur qualitate talia qualia essent imperfectè composita: nam necesse est, quòd in corporis perfecti generatione tres concurrant termini, videlicet principium elementare, quod est simplex, deinde medium quod est imperfectè ex simplicibus mixtũ, & finis propter quem; estque corpus perfectè mixtum, quod ex imperfectè mixto resultat, nam aër ventis coagulatus vertitur in imperfectè mixtum seu meteoron, in quo illa prædominantur elementa, quæ venti tunc temporis prædominantes spiritu robustiori animauerunt. Verbi causa, si Auster prædominatus sit Boreæ, nubes aqua plenæ resultant, sic nimia pluuia fructus, herbæ & radices nimis aqueæ redduntur; nam quod facit tale est magis tale: ab effectu igitur cognoscimus fructum, sed pluuiosa Æstate frumenta, fructus, radices & olera inueniuntur succo aqueo abundare. Pariter dominante Septentrionali magis redduntur sicca & firma. A flatu diuturno Orientali ad naturam biliosam facilè conuertuntur, nam teste Galeno, quò æstuosior est Æstas eò magis dominatur bilis: ergo sequitur, quòd victus talis maiorem in corpore bilis copiam generat, quæ est acutorum morborum fomes: at si ventus aliquis humidus ei potestate æquipollet, tunc quidem humores aquei cum acredine in primis in fructibus vel alimento vegetabili, & tum postea per eorum succum in corpore, nam simile nutritur à sibi simili. At si Auster præualet Boreæ, tunc putredines cum salsedine pariunt illius anni vegetabilia; at si superet Orientalis, eique vel transuersaliter vel oppositè concurrat vnus ex Septentrionalibus, tunc admodum siccum erit meteoron, sed superabit calor, vnde fiet melancholia adusta. At si ventus Occidentalis, vel Meridionalis simul flauerint vel alternatim per maiorem partem anni, tunc perfectè mixta magis aquatica reddent, parientque morbos aquaticos, quales sunt defluxiones, hydropes, apoplexiæ, morbi comitiales, iuxta hanc Hippocratis sententiam: *Morbi in pluuiarum multitudine sunt magna ex parte febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, anginæ*, &c. At quando febres & putredines parit, tunc magis prædominatur Auster, in aliis Occidentalis; sed super *istum Aphorismum ill. 7. eiusdem libri* Galenus ostendit rationem huius rei: *Quoniam* (inquit ille) *aëris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas humiditates.* Hocque intelligi potest tam in nutrimento vegetabili, quod nutritur à meteoris & aëre, quàm in corpore humano.

Aph. 3. 16.

De istis abundè possumus scribere, sed hoc maturiori sæculi sequentis contemplationi relinquo discutiendum, quoniam ex istis quæ iam à nobis sunt prolata materiam & subiectum in re medica infiniti momenti expiscari possumus. Iam verò Anatomia rei nutrientis facta partibusque ipsius dissectione ignea ab inuicem diuisis, occultaque ipsius reuelando haud nostræ intentioni erit inutile, oculis idque lynceis decernere, & intuitu aperto elicere quænam sint illæ in ipso alimenti corpore partes quæ amicabiles sunt vitæ & naturæ humanæ, &


næ,& quænam sint è regione illæ quæ morbos,corruptionem & mortem inducunt; atque vt ad meliorem & completiorem huius rei cognitionem perueniam,vobis paucis referam, quid in panis seu tritici(quod est præstātissimum animalium pabulum)dissectione seu anatomizatione inuenerim.

Quod quidem vt discursu pleniori intelligatis,vos ad tractatum illum meum *de Triplici Anatomia* perlegendum suadeo,in *cuius parte prima* plenam & integram panis seu tritici anatomiam inuenietis:cuius medullam hoc in loco paucis atque succinctè remetiri aggrediar: Extracto igitur istius vegetabilis chaos nigerrimo & colore picis instar simul cum eius aqua copiosa in colorem aureum vndique à spiritu aëreo tincta, inueni arcanam creaturæ constitutionem ex anima lucida & corpore opaco ac tenebroso quasi ex luce & tenebris conflatam. Sic omnia ex luce & tenebris ab origine fuerunt condita quasi ex vnitatis siue identitatis in numerum binarium proprietatis oppositæ seu fortitudinis contrariæ mutatione effecta. Atque hæc erat prima in diuisione originali progressio. Hinc totius chaos in cœlum & terram distinctio omnium primordialis:

Tum postea vt totum chaos in hæc duo primùm fuit diuisum,adeò vt istâ diuisione cœlum & terra sint sortita,ita quidem secundo loco tota congeries cum cœli tum terræ in animam quasi lucem quæ in colore aureo occultatur, spiritum qui in aëre seu substantia cœli comprehenditur,& corpus quod est chaos tenebrosi fæx,seu caput quasi mortuum. Tertia denique totius diuisio generalis erat horum trium in elementa 4.partitio,videlicet ignē, aërem,aquam & terram,quæ omnia in sua existentia sunt vna eademque aquarum in essentia congeries multiformiter in densitate & raritate alterata, per formam specificam ipsi à Deo per spiritum suum varieformiter inspiratam,iuxta illud D.Petri toties repetitum: *Cœli erant priùs & terra de aqua & per aquam consistens verbo Dei.* Vbi communis mundi materia traditur esse aqua ex qua cœlum & terra; deinde spagyricam verbi virtutem facit istius massæ aqueæ seu naturæ humidæ in cœlum & terram,ac tum postea in elementa diuisorem & ordinatorem:ita tamen quòd materia sit semper vnica multiplici verbi actu quotidie à statu in statum,& ab istius elementi forma in illius alterius iuxta voluntatem diuinam alterata; vnde eadem materia humida,seu idem spiritus aqueus quandoque terra dicitur, nonnunquam aër,interdum ignis,& aliquando aqua,operante varieformiter & diuersa ratione diuino verbi Dei spiraculo. Verbi gratia,inquit Dauid: *Emittente sermonem suum in terrā quàm celerrimè excurrit verbum,emittens niues quasi lanam,& pruinas quasi cineres dispergit,deiiciens gelu tanquam frusta,coram frigore eius quis consistit? Emittit verbum suum & liquefacit ista,simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ,*&c. Quo sermone Prophetæ patet,quòd Iehoua per vnicam sui verbi proprietatem à Septentrione in naturam catholicam humidam ex organo Angelico spirantis,illam reddat terream,frigidam & siccam,madidamque eius substantiam in niues, pruinas & gelu cōstringit:at verò per alteram verbi mediante vento opposito seu meridionali proprietatem istam naturam communem humidam olim contractam & congelatam dissoluit & liquefacit: & tamen vnica mundi materia,vnicaque afflatus diuini omnia in ipsa operantis essentia. In prima igitur massæ tritici seu panis diuisione sic in duo diuisa apparebat massa:

2.Pet.3.

Psal.147.a.16.




In qua apparitione massam vnctuosam pice nigriorem in fundo reperi,atq; aqua in grādi proportione coloris aurei ipsam tegebat non aliter quàm cœlum tam crassum & aqueum quàm subtile & aëreum cooperiebat.Dico crassum & aqueum & subtile & aëreum,quoniā illa humida substātia quæ terreum illud tegebat,mixta erat ex manifestè aquea & aërea substantia.

Separaui

Sepataui ergo cœlum,ſeu maſſam aqueam cum aërea à chao terreo,& aërem ab aqua ſeu ſubſtantiam ſanguineam à pituitoſa magna cum aſtutia diuiſi,inueniq; partem aëream fuiſſe nihil aliud quàm ſubtile & niuale quoddam ſal volatile,quod partim in forma vnctuoſi liquori in vas recipiens cadebat,& partim in ſummitate ſeu capite alembici in forma grandinoſæ & niualis ſubſtantiæ adhærebat; quòd autem iſte aër eſſet illa panis portio occulta quæ ſanguinem ſeu humorem aëreum faciebat in creatura in hoc percepi, videlicet quoniàm vt primùm calori ſeu iubari ſolari eſſet humor ille cryſtallinus expoſitus ab albedine chiloſa in rubedinem inſtar ſanguinis eſt mutatus. Porrò ſimul ac carbonem accenſum granulis illis grandinoſis in capite alembici ſublimatis applicui, ab effigie ſua candida in auream ſunt diſſoluta,& quaſi aurum potabile vegetabile factum. Pro vlteriori iſtius diuiſione & apparitione legatis velim *cap.4.lib.2.de tritici ſeu panis Anatomia Experimentum primum.*

Porrò etiam,quòd vis vegetatiua tam in natura animalis quàm ipſius tritici conſiſtat in iſto humore in eo mihi reuelatum eſt,quòd cùm portionem iſtius materiæ ollæ cuidam terreæ impoſuiſſem,laminaque ferrea contegiſſem poſt tres vel quatuor ſeptimanas, inueni naturæ illius vegetabilis ſpiritum ipſam ferream laminam penetraſſe,ipſamque germina ſeu ſtipulas è terreo corpore in altum eieciſſe, & procreſcere atque pullulare feciſſe in iſtam formam,quam etiã cum tota iſtius rei hiſtoria *in Experimento tertio eiuſdem capitis* depictam reperietis.



Hinc ergò modum etiam per quem vegetabilia creſcunt & multiplicantur per dicti liquoris ad ſolis radios applicationem experimento eiuſdem quarto explicatum inuenietis: vnde ſat liquidò conſtabit,quòd vt iſta ſit illa ipſa in alimento panis atque etiam aliis nutrimentis ſubſtantia quæ præcipuè in vegetatione & multiplicatione verſatur ; ita quidem ſanguinis animalium eſt primaria radix, mediante qua partes animales augentur, & in ſtatu ſuo naturali præſeruantur. Denique vt aër macrocoſmicus ſe miſcet & participat de aqua,igne & quinta eſſentia,ita quidem iſta ſubſtantia communicationem habet cum his omnibus,vt per eiuſdem capitis experimentum quintum confirmatur,vnde fit, quòd ſanguis etiam in corpore humano tam facilè cum omnibus aliis humoribus ac elementis communicat,iiſque aſſociatur in venis.

Denique quòd verus aër ex infinitis ſpiritibus atomis ſimilibus componatur,teſtatur *Experimentum ſextum eiuſdem capitis*; cuius figura eſt iſta:




Ad aqueam verò huius cœli ſubſtantiam, quod attinet, quæ ſeparatur ab illa antedicta ſubſtantia,illa quidem eſt quaſi huius materiæ fæx; & non aliter ſe habet ad iſtam quàm

aqua

aqua ad aërem. Est ergo hæc illa panis portio, quæ facit partim pituitam in ventriculo & intestinis, & partim se miscens cum materia seu subiecto illo sanguinis qui per venas mesaraicas ad hepar introducitur, vt ipsius calore materia aërea à chylosa albedine in rubedinem cogatur, ibi sanguinis serum efficit, quod quando per renes à vero sanguinis subiecto secernitur in forma liquida per vreteres deorsum ad vesicæ regionem tendit, ibique vrinæ nomine dictitatur, qui humor salsedinem suam imprimis, ác tum postea suam tincturam ab aërea illa sanguinis substantia est mutuatus. Vnde euidens est, quòd istud in nutrimento elementum sit valde superfluum, & ab ipsa natura ob istam rationem repudiatum, & à bono & aëreo suo pabulo assidua excretione separatum.

At iam ad obscuri & tenebrosi illius chaos è panis medulla deprompti examinationem exactiorem perueniamus, cuius figuram tam in proprietate sua occulta quàm manifesta in istam formam *cap. 5. lib. prædicti, de exacta panis & tritici anatomia* descriptam videbitis.




Hoc quidem chaos quinque in se naturas complicitè possidere certum est, cùm naturas tot arte spagyrica ab ipso extrahi posse testetur experientia.


Accepi ergo illud atque retortæ indidi, tunc igne leui ipsum tractaui, & prima quidem serie aqueam seu phlegmaticam eius substantiam eleuari animaduerti, quæ habebat naturam aquæ superfluæ antea recitatæ: deinde aëris prædicti portio cum igne coniuncta sequebatur, eamque ab igne fœtido & corruptionem redolente diuisi ab aëre illo vnctuoso bene olente, atque de natura quinta participante, quem loco balsami præstantissimi ad partem reseruaui.

Ad igneam autem conditionem quod attinet, erat ipsius color rubicundus post completam eius, sed tam prauam atque malignam inueni ego ipsius naturam, vt tametsi hodie ab immunditie sua obscura & tenebrosa rectificatione purgaui, támen in spacio vnius diei tenebras iterum sibi contrahere soleat, idque non sine fœtido odore illi cadaueris mortui haud dissimili. Hic liquor facillimè cum aëre prædicto se permisceri sinebat, atq; verò cum parte phlegmatica nequaquam coniungi potuit. Huius à chaos separandi ratio *in cap. 7. lib. 2. de Anatom. panis & tritici* lucidè explicatur.

Denique natura illa quinta vltimò progressu in forma liquoris densi & mirabilis conditionis è fæcibus tenebrosis emersit, cuius substantia minimi caloris assistentia se resoluebat in intensissimi atque aurei coloris liquorem: at prævalente in eo frigore iterum in formam crystallinam more glaciei se congelabat; & quasi spiritus limpidus & albissimus vndique radiis solaribus carabei coloris stipatus siue decoratus, non aliter quàm spiritus ille in macrocosmo olympicus seu æthereus stellis vndique refertus videtur, inter quas æther in proprio suo colore se patefacit, ita quidem vt res esset visu iucundissima, & satis admirabilis: atque etiam hanc ipsam substantiam odore à cæteris multùm discrepare notaui, vtpote quæ erat valde suauis & sensui iucunda, imò verò tam diuturnus erat ipsius odor, vt vnico ipsius cum digito meo contactu odorem per duos vel tres dies, tum postea olfecerim. Figuram eius sic *capite 8. lib. prædicti 2. de Anatomia panis* depictam inuenietis:



Quòd autem liquor iste sit in virtute solari & masculina ditissimus, exinde declarari potest, quia in ipso præcipuè delitescit illa virtus vitæ qua viuit, & in vita præseruatur animal; ac denique in isto consistit precipuum spirituum vitalium pabulum. Atque hoc quidē istiusmodi experimento mihi erat reuelatum: nam forte fortuna ego in istius pretiosi balsami extractione errans (vtpote quæ sine singulari cautela & industria præstari nequit) materiæ penè in retorta suffocatæ portionem in vase lapideo ad aquam pluuialem recipiendam ordinato imposui, vel in retortæ mundificatione partem eius in vase illo reliqui. Sed ecce notatu dignum, in spatio quindecim vel viginti dierum vas illud aqua pluuiali plenum vermibus oblongis albissimi coloris atque admodum gracilibus vndique aquam scatere obseruaui: hinc inde concludebam vim viuificam huic substantiæ inesse, cùm tam facilè inter eam & aquam pluuialem facta esset coniunctio generatiua, non aliter quàm inter Solem quasi masculum, & aërem quasi fœminam coitus virtutem vegetatiuam tam in plantis quàm animalibus producere superiùs asseruimus. Pleniorem autem huius liquoris atque de prolifica etiam sua proprietate historiam legetis *in cap. 8. dicti lib. 2. de Anatom. panis*, & in *experimento ipsius primo* inuenietis vitæ agens in isto humore quinto esse in primis reconditum. Figura demonstrationis est talis:



Concludimus autem nunc cum terrea illa massa nigerrima quæ in fundo vasis post cæterorum quatuor humorum seu elementorum extractionem superest; cuius figuram & historiam *cap. 10. eiusdem lib.* explicatam habebitis:

In ipsa



In ipsa quidem salem fixum & terreum inuenietis, atque materiam nigram & fæculentam, quæ elemento terræ in macrocosmo, & melancholiæ congelatæ in microcosmo quàm aptissimè comparatur.

Obseruationes notatu dignæ.

Prima obseruatio est, quòd vt aërea alimenti portio sit quasi fœmina, cuius est vehementer appetere naturam viri, ad illam naturæ quintæ, in qua est viuifica virtus quæ se habet ad substantiam aëream vt mas ad fœminam, ita quidem pro certo tenendum est, quòd ista duo elementa generatiua, multiplicatiua, sanitatem conseruantia & vitæ amicissima. E regione verò fœtidum illud ignis in pane elementum est præcipuum ad morbos & corruptionem agens, vt & eius agens est aquea illa superfluitas quam natura secernit per vrinam; vnde fit vt hæc duo parum aut nihil secum ferant nutrimēti: vt è regione à cœlesti illa portione cum illa aërea sanguis nutritur, augetur, & de die in diem sustinetur, naturaq; animalis in humore suo radicali & calido innato redundat.

Secunda, quòd hac ratione colligere possumus, idq; oculis apertis quis sit ille humor biliosus, quis sanguineus, quis pituitosus, quis denique melancholicus tam ex fæce sanguinis, quàm ex bile adusta, atque etiam à quibus alimenti partibus nutriantur humores isti in corpore humano: similiter quomodo ratione dominii ventorum in anni quartis humorū istorum vnicus super alterum in nutrimento vel fructibus prævalere soleat. Verbi gratia, si Septentrionalis frigida fuerit potentior, melancholicus liquor superabit magis, si Australis aqua ignea, si Orientalis biliosus humor, & si Occidentalis, aërque fuerit aqueus, pituitosus: nam si venti & temporum mutationes alterare possint complexiones humanas, humoresq; varios pro ratione suæ intemperiei producere queant, haud quidem est dubitandum, quin etiam fructus & grana atq; herbæ quæ à tali aëre nutriuntur, de ipsius temperie & complexione simul participent. Hinc ergo est, quòd victus ratio in morborum productione tantùm valeat.


Tertia obseruatio est, quòd omnes infirmitates corporis procedant ab igneo elementi in alimento actu in passiuum aqueum: at quoniam hæc duo sunt natura admodum contraria, ideo in eorum in corpore dominio semper inter se litigant, & consequenter non ad cōseruationem, sed ad corruptionem & intemperiem morbidam tendunt: nam actus Orientalis cum passiuo Occidentali sibi opposito producit dispositionem Meridionalem quæ putredinem parit: at si superat natura ignea, tunc morbos Orientales & magis igneos procreat; si verò illa aquea, tunc infirmitates Occidentales & à phlegmate ortæ sequuntur. Porrò si ignis alimenti cum terrea siccitate conueniat, tunc tenebras sibi contrahit mœstas & melancholicas, passiones æstuosas & furibundas ex adusta bile ortas generat. Et certè ob istam naturæ igneæ prauitatem spiritus maligni & tenebrosi facillimè se eum ipsa coniungunt, & in corpus simul facillimè penetrant: vnde ait Artefius *in sua Claue maiori sapientiæ: Fortasse sunt quædam infirmitates, quibus adiungit se diabolus humore egrediente à temperamento ac perturbante ipsam sanitatem; & hoc maximè accidit in infirmitatibus ex cholera prouenientibus, cuius causa est ista, quoniam natura ipsius choleræ est calida & sicca vt ignis, corpus autem diaboli ex duobus est compositum, scilicet igne & aëre, eius verò manifestum est aër, eius verò occultum est ignis*, &c. Atqui eò euidentiùs est, quòd spiritus mali frequentant istum in alimento humorem; quoniā est tam aptus ad tenebrosas fuligines sibi contrahendas, & consequenter in se immundus. Deniq; nigræ sanguinis melancholici fæces difficulter à naturæ calore dispergēdę procedunt à crustosa istiusmodi chaos residentia: nā vt in prima tritici seu

panis extractione fæx primaria processit, ita quidem tales fæces primariæ in prima corporis digestione per intestina, vtpote inutiles secernuntur: nec tamen impedit istiusmodi substantiæ fæcialis in prima concoctione à chilo separatæ per intestina expulsio, quin etiam restat fæx quædam subtilior à chilosa substantia in secunda concoctione separanda, post humorum & chaos ipsius diuisionem: atque ista fæx assimilatur, imò verò est eadem cum terrea hac substantia, de qua hoc in loco agimus; quæ cùm sit sale fixo & terrestri plena, est causa scirrhi, cancri atque duritiei melancholicæ tam in liene quàm aliis in corpore partibus.

De istis pleniùs *cap. 7. & 10. dicti lib. 2. de Anatom. panis* intelligere potestis: quare plura de iis *hoc in loco* tractare in animo meo non est.



DE CAV-



DE CAVSA FINALI LIBER VNVS.

CAPVT I.

In quo fines assignantur multiplices, propter quos Deus morbos & mortem mortalibus inducit.



QVEMADMODVM in *historia nostra meteorologica* varios meteororum in macrocosmo tam insalubrium quam salubrium fines, seu causas finales pptet quas talia in mundo maiori producantur meteora prçternaturalia assignauimus: ita quidem hoc in loco dicimus, quod Deus meteora morbosa; vel electos suos tentandi gratia, vel ad peccatorum & legis atque mandati sui transgressorum pœnam & punitionem, vel ob fidei incredulorum confirmationem, vel deniq; propter rationes nonnullas alias arcanas & in consilio Dei secretiori reconditas mortalibus inducat. De hisce ergo singulis peculiariter propriis suis capitulis ordine, idque verbis satis amplis faciemus mentionem, atque in isto primo capitulo de causa morborum finali quæ circa electorum probationem atque tentationem versatur sermonem satis clarum effundam.

Dixit Deus ad Satan, *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir* *Iob 2.3.* *rectus & simplex, & timens Deum & recedens à malo, adhuc retinens innocentiam, &c.* Et ipse Iob *Iob 9.a.17.* in profunditate suæ afflictionis ait. *Contereт me in turbine, & multiplicabit vulnera mea sine causa. Et innocentem & impium ipse consumit: & si flagellat occidet semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Quibus liquet, quod Deus non ob peccata Iobi ipsum afflixerit morbo, quippe qui erat vir iustus, purus, simplex atque innocens, teste Iehoua, sed vt constantiam atque integritatem ipsius tentaret, quod quidem vt melius præstaret ipsum potestati Satanæ commisit, qui aduersus eum extendens manum suam ipsum vlcere pessimo percussit, doloreque intolerabili afflixit, ita vt coactus sit suspiria ista emittere. *Quare miser, data est lux & vita iis qui in* *Iob 3.20.* *amaritudine animi sunt & qui exspectant mortem, & non venit, cui via est abdita, & quem circundat Deus tenebris. priusquam comedam suspiro, tanquam inundinationes aquarum sic rugitus meus. Terrebis me somniis, & per visiones horrore concuties, desperaui, nequaquam vltra viam.* Et alibi: *Sagittæ* *Iob 7.12.* *omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum & conturbationes Dei quæ acie* *Iob 6.4.* *instructæ sunt oppugnant me. Nocte os meum perforatur doloribus, & pulsus mei non recumbunt, ele-* *Iob 30.* *uasti me ad ventum & efficis vt defluam substantia.* Quibus euidens est imprimis, quod Deus etiam iustos & innocentes quandoque tentandi gratia ægritudine affligit: secundo, quod per Angelum suum vastantem quasi organum afficere soleat, & tamen nō est Angelus, sed Deus per Angelum quasi per manum suam hoc facit, vnde dixit Satan; *Extende paululum manum* *Iob 1.11.* *tuam, & tange cuncta quæ possidet.* Et iterum, *Mitte manum tuam & tange os eius & carnem, & tunc* *Iob 2.5* *videbis quod in faciem maledicet tibi.* Quibus fatetur Satan quod non sit ipse qui percussit Iobum vlcere, sed Iehoua in ipso ac per ipsum quasi organum, vnde dixit Iob. *Dolores imperti-* *Iob 21.17.* *tur Deus ira sua.* Et *alibi* ad Iehouam. *Eleuasti me ad ventum, efficis vt defluam substantia. Posuisti* *Iob 30.* *me contrarium tibi. Tu vulneras & mederis, percutis & manus tua sanabunt.* *Iob 7.20.*

Concludimus ergo, quod Deus (qui operatur omnia in omnibus) quandoque tentandi gratia morbis affligere solet electos, imo vero & innocentes atque simplices; nec tamen pro iniusto est ipse reputandus, vtpote qui *iuxta voluntatem suam facit tam in cæli virtutibus, quam* *Dan. 4.* *in habitatoribus terræ. & non est qui resistat manui eius, & dicat quare fecisti.* Et tamen nihilominus *Iob 34.11.* absit à Deo forti improbitas, & ab omnipotente iniquitas: non enim agit Deus fortis improbe, nec peruertit iudicium, sed conformes & vniformes sunt omnes eius actiones, vtcunque respectu exilis generis humani capacitatis malæ quandoque atque iniustæ videantur, patientibus præcipue. Nam quomodo possibile est vt ipse qui est supra, & consequenter extra legem peccare possit, ac proinde iniuste, hoc est contra legem agere, cum *peccatum sit legis transgressio?* At peccare nescit qui à lege exemptus legem inferioribus prodidit, & per consequens peccati author merito dici aut nuncupari nequit: nam quicquid vult facit Deus in cælis & in terris & tamen in eo nulla iniquitas, sed quicquid facit ei bonū & æquum videtur. Hinc ergo cum Iobo *loco antea citato* dicimus, *Absit à Deo forti improbitas, nec peruertit ille* *Rom. 11.33.*

cium. Et cum Apostolo O *altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? &c.* Sed de hoc *infra* profundius.

CAPVT II.

Quomodo Deus morbos ordinauerit propter peccata hominum, & quod in effectu morbus nihil aliud est quam peccatum, seu contracta immundities.

QVOD peccatum sit causa morborum sine quâ non, & consequenter morborum nonnullorum finis, satis superque in libro de morborum causis priori explicauimus, quippe in quo peccatum nihil esse aliud expressimus quam mandati siue legis diuinæ transgressionem, quoniam sine lege & mandato nullum est peccatum, nullus error, nulla inobedientia, nulla culpa, nulla offensio, & consequenter nullus morbus, nulla mors. Mandatum ergo Dei Adamo erat quod de ligno, seu arbore scientiæ boni & mali non comederet sub pœna mortis: *nam* (inquit Deus) *quacunque die comederis ex ea, morte morieris.* Porro etiam scire nos conuenit legis seu mandati illius essentiã nihil fuisse aliud quam hodiernam voluntatem Dei tam in cælis regentẽ Angelos bonos, quàm in terris homines pios: atq; ista Dei voluntas est vt vniuersa creatura rationalis Dei sit imago, speculum organum, vas Deo in multiplici sua sapientia, voluntate, potentia & virtute ministrans & seruiens, ita vt sciat Deum ipsum omnia in se esse, velle, scire, facere, operari, siue sit in supercælestibus seu supernaturalibus, siue in cælestibus ac elementaribus, hoc est in naturalibus, & nihil sibi arroget, aut sibi ipsi placeat in iis quæ diuinitus per ipsum fiunt.

Hinc ergo necesse erat, vt qui de ista Dei lege seu mandato deuiauerit vel errauerit, hoc est qui imaginem lucidam (quæ est sola veritas) à Deo ei assignatam reliquerit, & extra ipsius limites in caliginosam ignorantiæ abyssum se immerserit, à diuina omnipotentia deroget & ignoranter sibi ascribat quæ reuera Deo sunt attribuenda, atque ita veritatis oblitus, lucisque æternæ vias deserens in tenebras se inscienter præcipitet, atque immundus & impurus reddatur, ex lucido tenebrosus, ex vidente cæcus, ex mundo leprosus, ex vnito cum Deo à Deo diuisus & separatus. Lapsorum ergo Angelorum pœna erat quod ipsi in contrarium & reprobum sensum sint conuersi: extracto enim puro, omne quod remanet impurum est: Hinc Angeli lapsi impuri & immundi redduntur. Similiter res se habet cum hominibus lapsis vtpote quibus ignorantiæ tenebris immersi oculi corporei aperiuntur & mentales clauduntur, impuritas dominatur, puritasque Dei opprimitur & occultatur, Christus (qui est vnica veritas) ipsis crucifigitur, & Barrabas seu confusio è carcere liberatur, secura vitæ lex morbis & morte, immunditiei & impuritatis stigmatibus affligitur atque oppugnatur: ac denique ipsa veritas & iustitia præstigiosis figmenti & iniustitiæ maculis coinquinatur & Sap.1.a.12. supprimitur, iuxta istud Sapientis, *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, nec acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, iustitia enim perpetua est & immortalis, iniustitia autem mortis est acquisitio, &c.* Vbi per iustitiam intendit sapiens legem Dei lucidam, qua creaturæ rationales ad imaginem Dei sunt creatæ: at vero per iniustitiam arguere videtur excessum illum quem creaturæ tam Angelicæ quam humanæ faciunt vltra leges imagines diuinæ, videlicet vltra illam metam diuino verbo creaturis rationalibus assignatam, quæ est imago Dei & verus Christus, de quo Apostolus. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Qui autem lucidum Christi characterem excedit, ille quidẽ errans à veritate ignorat seipsum, & in peccati labyrintho perditur, atq; infidelis est factus, nec sine singulari gra- Ioan.3.a.9. tia se in ipso captum redimere potis est. Atque de istis Euangelista hæc. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim opera eorum mala omnis enim qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius, qui autem facit veritatem venit* Ioan.12. *ad lucem vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Atque iterum, *Lumen adhuc modicum in vobis est, ambulate dum lucem habetis vt tenebræ vos non comprehendant & qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis.* Qui igitur excedit limites seu margines istius lucis est filius non lucis sed tenebrarum, atque fide in Christo vera est desti- Ioan.3.6. tutus. Hinc idem, *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est in filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Euidens est ergo, quod ignorantia sit mortis & morborum origo: nam quantum magis superant tenebræ, tantum magis deprimitur atq; diminuitur pulcherrimæ lucis viuificæ perfectio, & consequenter immundities (superata lucis perfectione) vt emineat & potentior reddatur necesse est: at quo longius extra legis lucidæ terminos recedimus eo profundius

dius nos in peccati abyssum immergimus, sed peccatum ob ignorantiæ & tenebrarum dominium, morbos & mortem secum ducit, quatenus est legis lucidæ seu verbi ac mandati diuini transgressio, quoniam mandati illius obseruatio est vitæ, veritatis & fœlicitatis possessio. Hinc ergo erat, quod Iesus (qui est verbum atque lux vitæ) habet potestatem populum *Matth.1.21.*
reddere à peccatis saluum, & consequenter morbos & languores eorũ tollere. Vnde Christus paralytico dixit, *Confide & remittentur tibi peccata tua & subito conualuit.* Quo redditur manifestum, quod ablato peccato necesse sit vt immundities & consequenter morbus tollatur. Vnde in eodem loco ait Christus, *Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, aut* *Matth. 9.*
dicere, Surge & ambula; sciatis enim velim quod filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, quare dixit, surge & vade in domum tuam, & surrexit, &c. Hoc est lucis viuificæ restitutione propulsati sunt tenebrarum insultus: atq; hac ratione peccati stigmata sanantur, & per consequentiam morborum languores qualis erat ille paralyticus. Hinc dixit lux mundi in corpore Christi veritatis suæ trophæum figens, *Si non credideritis quod ego sum, moriemini in pecca* *Ioan.8.*
to: nam qui credit inuenit lucem æternam, mediante qua tolluntur peccata Hoc modo recedit homo ab iniustitiæ extremis ad iustitiæ æqualitatem, & ab immundis mundi fiunt.

Quod autem morbus & mors sint peccati pœnæ colligimus & docemur hisce literarum sacrarum testimoniis. Dixit Aaron ad Moysen, postquã Maria pro rebellione sua esset lepra percussa, *Ne nobis imponas quæso peccati pœnam quo stulte egimus & quo peccauimus.* Hoc est, *Num.12.10.*
quamuis peccauimus, tolle quæso lepram (quæ est peccati inobedientię ipsius & mei pœna) ab illa, & ne imponas eam diutius in ipsam. *Quo facto orauit Moyses paucis, & lucis faciei Iehouæ miserescentis manifestatione sanata atque mundata est.*

Porro etiam quod finis vt plurimum morborum sit pœna peccati ex istis scripturarũ locis colligere fas est. *Si audire nolueris vocem* (ait Moyses) *Domini tui, vt custodias & facias omnia* *Deut.28.a.*
mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ, &c Et adiunget tibi Iehoua pestilentiam donec *15.*
consumat te, percutiet te egestate & frigore, & æstu, & aëre corrupto, & rubigine, & persequetur te donec pereas. Sit cœlum supra te æneum, & terra quam calcas ferrea. Percutiet te Iehoua vlcere Ægypti, & hæmorrhoide, & scabie. & prurigine vt curari nequeas, & amentia, & cæcitate & furore mentis, & timore seu pauore, &c. Sic Moysen ipsum affligebat Deus fere vsque ad mortem, quia nondum *Exod. 4.24.*
circumcidisset filium suum. Sic multi morbi sequuntur maledictionem Iehouæ propter *Num.14.a.*
peccati & inobedientiæ pœnam. Sic lepra exorta est in fonte Huzziæ regis ex indignatione *28.*
Iehouæ propter audaciam, atque eius erga functionem sacerdotalem violentiam: dicitque *2 Chron.*
textus expressis verbis *Plagam istam in eum induxisse Iehouam.* Sic flagellauit Deus Pharaonem *26.19.*
flagellis maximis propter retentionem vxoris Abrahæ. Infinita quidem alia ex scripto diui- *Gen.12.17.*
no testimonia istum morbi finem declarantia proferre possum: sed quoniam campus textus illius scripti spatiosus hisce vbique impletur, de ipsis plura hoc in loco minime disceptabimus.

CAPVT III.

In quo tertius morborum finis, videlicet ille ob fidei dubitantium & incredulorum confirmationem proueniens exemplis è fonte diuino extractis explicatur.

ALiquando euenit, quod etiam electi morborum indiciis & signis ab incredulitate eorum in fidem certam deducantur: inde arguens Iehoua quod vt in ipsius potestate est vulnerare & sanare pro placito: ita quidem non est ipsi impossibile quicquid vult præstare, & consequenter omnia promissa sua seruare: atque iterum ex altera parte, vt videntium atque astantium fides confirmetur. Hinc ergo erat, quod cum Moysi esset mandatum à Iehoua vt ad Israelitas iret ipsis libertatem annuntians, ipse timidus & aliquantulum incredulus, & verbis Dei adhuc diffidens, & de fide populi ad quem mittebatur dubitans, respondit ei sic, *Non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus. Cui dixit Ie-* *Exod.4.4.*
houa. Vt credant. mitte manum tuam in sinum tuum quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar niuis. Retrahe (ait) *manum tuam in sinum tuum; retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si nõ crediderint, inquit, conuersioni virgæ in serpentem credent verbo signi istius sequentis, &c.* Atq; ita quidem sat liquido constat quod morb. iste sic inflictus, nec ob punitionis, siue flagelli causam, siue electorum tentandi gratia esset creatus, sed solum modo vt confidentiã & audaciã in Moyse & fidem atq; credulitatẽ in populo Israelitico astrueret. Simili plane ratione legimus, ꝙ Zacharias de verbis Angeli dubitans ad eũ dicit, *Vnde hoc sciã, ego n. adhuc sum*

senex

senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et Angelus Gabriel respondit, Ecce eris mutus seu tacens, &
Luc.1.a.20. *non poteris loqui vsque in diem qua hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo; & egressus est ad plebem quæ expectauit eum, & non poterat loqui ad illos, &c.* Qua sermonis serie euidens est, quod morbi quandoque à Iehoua producuntur, quorum finis est, non vt pro peccati afflictione imponantur electis, sed vt ipsis ad fidei signa inseruiat.

CAPVT IV.

Quod plerumq; morbi impluantur hominibus, non quatenus sunt peccatores, aut tentandi gratia, aut ad fidem incredulorum augmentandam, sed ob causam finalem occultam, & in arcanis Dei consiliis reconditam, hominique minime reuelatam.

FIT quidem sæpenumero, quod morbi seu meteora in aëre morbosa procreentur, quorum ratio aut causa finalis à mortalibus recte aut confidenter assignari non potest: nam si debilis mortalium capacitas rationem cur Iehoua pro peccato vnius viri; videlicet Pharaonis, (imo vero viri peccati inobedientiæ cuius author erat Iehoua, quippe qui ideo cor ipsius indurabat vt contra mandatum diuinum peccaret; hoc est, voluntati ipsius resisteret) cur, inquam, omne primogenitum Ægypti imprimis, quibus ob eorum infantiam peccati stigmata vix inhærere potuerunt, esset vnica nocte destructum; ac tum postea illa Ægyptiorum multitudo, quæ regis sui mandato obediens, ob eius solius peccatum in mari rubro esset submersa: certe res foret rationi humanæ durissima respondere. Præterea consideratio transcendit conceptum humanum, cur Esau esset ante suam natiuitatem à Deo repudiatus,
Rom. 9. Iacobus vero ab ipso electus. Hinc ergo, ait Apostolus, *Qui filij sunt promissionis æstimantur in semine: sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri: cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori. sicut dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi dixit, miserebor cuius miserebor; & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni; quia in hoc ipsum excitaui te vt ostendam in te virtutem meam, & annunciem nomen meum in vniuersa terra. Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat. Dices itaq; mihi, quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistit? O homo tu qui es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui te finxit. Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, &c.* Hæc Apostolus tam ad propositum nostrum idonea, vt ne iota eiusdem omittere hoc in loco potui: nam inde optime exponit Deum cum creatura sua iuxta voluntatem suam facere posse sine euidenti creaturæ rationali ratione & tamen nihil ei iniustitiæ est imputandum.

Deniq; hoc caput cum isto D. Pauli siue Apostoli eiusdem textu concludam, qui dicit.
Rom.11.32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur, &c.* At incredulitas tam rationalium Angelicorum, quam humanorum erat peccati atque inobedientiæ radix: ergo Deus erat solus ipse cordis duritiæ atque rebellionis causa efficiens & author, vt hac ratione tum postea misereretur ipsis: nam si creatura rationalis lapsa fuisset nunquam, misericordia diuina minime haberet opus. Et quoniam Apostolus hominum curiosorum, & literæ magis quam sensus spiritualis medullæ deditorum exceptionibus plenius responderet, qui hunc vel illum textus sacri locum huic Apostoli assertioni literaliter contradicentium proferre sunt promptissimi, immediate post textus illius prolationem, vt hac ratione omnem ampu-
Rom.11.33. tant quasi membrum putridum contradictionem, in hæc verba prorumpit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis n. cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit, & retribuet ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi honos & gloria in secula seculorum. Amen.*

Quibus Apostoli dictis docemur, ꝙ in manu Domini sunt mortaliũ nõ modo vita & actiones, sed ẽt eorũ mors, atq; ẽt resurgẽdi facultas: quicquid ei placuerit, facit tam in cœli virtutib. q̃ in habitatorib. terræ, hoc est, cũ Angelis & hominibus, & nemini reuera attinet perquirere quare hoc vel illud; vel sic aut ita fecerit, aut in corde suo impudenter credere ipsũ in hoc illo aut improbe atq; iniuste egisse, aut iudiciũ suum à veritate vllo modo peruertisse: sed oĩa, & fide cõstanter pſuaderi ipsũ semper respectu sui ipsi⁹ bene & ꝓpulchre operatum

ratum eſſe, vtpote qui eſt ſemper in ſe bonus, & conſequenter male & peruerſe nullo modo agere poteſt, præterquam ipſis qui doloroſo more Dei iraſcentis actiones vllo modo aut quocunque gradu pati atque tolerare dignoſcuntur.

Atq; ita (lectores beneuoli) huic de præternaturali microcoſmi hiſtoria parti finem, cum gratiis Deo optimo maximo pro ſacroſancta eius in hiſce meis lucubrationibus aſſiſtentia immenſis, libenter, quaſi mente laborando, manuque ſcribendo defeſſus imponam.

RELIGIOSA, ET VTILIS PHILOSOPHORVM PERIPATETICORVM atque Medicorum Hippocraticorum, ſeu Galeniſtarum ad Sophiæ paleſtram Prouocatio.

In qua

Propoſitiones quædam radicales exponuntur, quas Author (quo melius occulta veritatis fundamenta reuelentur, ſpuriaque illa Ethnicorum in Chriſtianæ obliuionis barathrum detrudantur) aduerſus Ariſtotelis & Galeni aſſeclarum inſultus defendere, atque ſuſtinere parat.

Super omnia vincit veritas 3. *Eſd.* 3. 12.

Præfatio Authoris Apologetica.



EVS *mihi melius (Lectores beneuoli) quam vt veſtrûm quiſpiam me tot inſignis eruditionis viros aut mente temeraria percitum, aut philautia vana elatum, aut ſaltem arrogantia, neſcio qua, excitatum, ad hoc philoſophicum tanti momenti certamen prouocaſſe cogitet: in hanc enim rem Deus, qui eſt ſincerus cordis & renum ſcrutator, teſtimonium perhibebit, me (vtpote philautiæ criminis mihi haud conſcium) veritatis potius enucleandæ, quam de vlla ſingulari in me virtute iactandi aut ouandi gratia in cauſam iſtam tam arduam & difficilem deſcendiſſe: nam cum lux hominum, ſancta, inquam, vitæ atque intellectus flamma ſit in tenebris & tenebræ eam non comprehendant, (ſcio enim corpus tenebroſum eſſe ignorantiæ velum) nonne vt lumen illud noſtrum tenebris obrutum redimamus quam queamus minimo, nos ſuadent benigniter, monentque fideliter Scripturæ ſacræ? E terræ opacæ viſceribus ortam eſſe veritatem, lucemque è tenebris emerſiſſe teſtantur Prophetæ ac Apoſtoli. Nonne duorum ſilicum opacorum colliſu ignem elici confirmat experientia? Haud ſiquidem aliter ex variarum opinionum nebulis, idque ingeniorum ſeu ſpirituũ colliſione (quaſi ex nubium geminarum concurſu fulgur) clariſſima in lucem producitur veritas, in lumine cuius reuelato mortales circa ignorãtiæ tenebras verſati in certam & ſtabilem prudentiæ atq; philoſophiæ veræ inducuntur ſemitam, vt ita diuino regimine ad ſummum illud & tam famigerabile philoſophantium bonum feliciter pertingant, fructus & poculum, cuius omnes diuinæ Sapientiæ amatores tam auide, idque patientia Tantalea affectant; quo tandem aliquando poſt tot ſecula*

Fruatur trophæo veritas quod fixit ipſa.

Interea vos (viri Europæ literati inuidiæ & malignitatis expertes, momos enim cynicos & malitia refertos tanquam prophanos à ſacro & vtili hoc noſtro certamine arceo) vt ſi veſtrum quiſquam in doctorum veſtrorum Ethnicorum ſiue Philoſophorum ſiue Medicorum partes deſcendere, cauſamq; eorum ſerio, (vtpote in ipſorum ſcholis ſiue documentis enutriti) agere, ipſiſue adeſſe vultis, dona hæc duo (precor) à nemine proba moralitate prædito recuſanda veſtra mihi concedat humanitas, quorum pri-

mum est vt mecum athletarum magnanimorum more de harum propositionum subiecto, dum vitam hanc dego, & diutiorem solis vsuram oculis meis concesserit æternitas, disceptare atq; discurrere dignemini, vt ita agẽdo & reagendo tandem fidelis elucescat veritas. Recordamini, obsecro, quod mortui non mordent. Et quid, quæso, aut gloriæ aut honoris acquirent agonistæ pusillanimes, qui mortuum & planè inanimem percutere, vulnerave minime resistenti infligere, aut verba in cadauer contumeliosa ouanter effundere gestient? Sic quidem caniculus excors & imbellis, sed inuidia malitiaue turgens, lapidem mortuum in ipsum proiectum acriter inuadere, dentibusq; ferocibus rapaciter insequi festinat, cui timore perculso, viuum lapidis proiectorem ne vrgeat meticulosa imperat suadetq; cautela. Secundum donum est vt non (more Marini Mersenni monachi ad moralitatem rudis & inexperti, viri, inquam, vento potius vano quam sacro philosophiæ igne inflati atq; elati) dicacule in me probra dicatis, aut cauillationibus philosophicis minime conuenientibus me persequamini, quippe quæ præterquam quod ad subiectum hoc nostrum in nihilo attinebunt, sunt pueriles, aniles, & (vt verbo dicam) virorum qualitate maleuolorum, subhorridorum, incultorum, imò verò & insipientium, vel saltem ignorantium & insipidorum indicia.

Interea vos (viri Europæi, iustitia, beneuolentia, & doctrina illustres) ad quorum iudicij grauissimum sacramentum controuersiæ seu discriminis istius subiectum optaui producere, per commune ius humanitatis, constanter, sed & iuste ac fideliter in certamen hoc nostrum feratis sententiam, vera philosophiæ & medicinæ fundamenta à spuriis & falsis vestra discernatis prudentia, ac denique in officio sanctæ bonitatis vestræ perpetuum maneatis rogo, obtestorque.

Propositio I.

Quod Deus sit solus & vnicus in mundo actor & operator.

Probatio.

EGo Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Isai. 44. 24. Ergo assistentia nec Angeli nec lucis, nec tenebrarum, nec aquarum, sed ille *solus in & per ista omnia. Deus viuificat omnia* 1. *Timoth.* 6. At vero est vitæ actus qui omnia in hoc mundo mouet & operatur.

In Deo viuimus, mouemur & sumus. Act. 17. Ergo Deus est actor solus in intellectuali & rationali nostra facultate. Hinc Iob, *Spiritus omnipotentis intelligere facit hominem, Iob.* 9. Est actor in sensitiua nostra facultate, quippe *in quo mouemur. Actor.* 17. Est actor in vitali nostra facultate, nam *spiraculum omnipotentis viuificat hominem. Iob.* 33. 4. *In Deo viuimus Act.* 17. Denique actiones nostræ tam animales quam vitales sunt à Deo quasi actore vnico in homine: nam omnium vita est in verbo, & illa vita est lux, & illa lux vtcunq; in tenebris sepulta est lux omnium. Ioan. 1. Concluditur igitur cum Apostolo, quod *Deus operatur omnia in omnibus* in vniuerso mundo 1. *Cor.* 12. Et quod *ab ipso, per ipsum, & in ipso sint omnia. Rom.* 11. Ac denique quod sine eius actu nihil omnino aut in generali aut particulari creatura moueri aut in actum produci queat.

Ratio istius assertionis.

Deus est α. & ω. principium & finis, Apoc. 1. 21. Ergo eius actus se extendit à centro ad circumferentiam. Deus est omne in omni, quippe *sola veritas* 3. *Esd.* 4. Hinc Sapiens. *Incorruptibiles Dei spiritus inest omnibus. Sap.* 12. 1. Et Propheta, *Ipse vbique est Psal.* 139. *Omniaue implet*, vt ait Sapiens *Eccles.* 24. 27. Dicimus igitur, quod si incorruptibilis spiritus omnia impleat, & cuilibet rei vtcunque peculiari insit (vtpote sine quo nihil existere potest) Iohan. 1. necesse est quod cum sit fons motus & actuum scaturigo, immediate & vnice agat in omnibus essentialiter & præsentialiter, nullo actore secundario assistente, vnde *alibi* Apostolus *Ephes.* 4. 6. *Deus pater omnium qui super omnes & per omnia & in omnibus.* Ergo cum sit actuum fons, quid impediat quod immediate in omnibus iuxta voluntatem suam non agat & operetur. Denique si *quandoque voluit Deus hoc operatur* Iob. 23. quodcunque ipse noluit, hoc quidem fieri impossibile est: nam, teste Propheta, ipse iuxta voluntatem suam facit tam in cæli virtutibus quam in habitatoribus terræ & *non est qui resistat manui eius.* Dan. 4. Actus ergo emanat radicaliter ab essentia patris, per quem quasi per Angelicam ab eodẽ fonte lucida emanatio-

rationem tanquam per organum diuinum ab essentia patris non minus diuisum quam radius solaris à sole (vnde & ambo Deus vnus fiunt, atque ad exitum producuntur omnia & sine ipsis nihil.

Concludimus igitur, quod si sint aliqui in mundo actus qui non sunt originaliter à Deo, sequeretur quod actor aliquis alius sit coæternus cum Deo, & consequenter antiquitatem & sedem sibi vendicet illi Dei omnipotentis æqualem, quod profanum atq; atheisticum foret Christiano credere, vtcunque Manichæi vana illiusmodi opinione rapiuntur. At si cum scripturis agnoscimus Deum esse actuum mundanorum fontem, & quod eius essentia sit indiuidua & indiuisibilis, & consequenter omnes radii Angelici siue emissorii ab eius æternæ Sapientiæ fonte scaturientes, vitam, actum & motum cuilibet rei attribuentes sint non aliter à sua scaturigine diuisi quam radii solares à sole: necesse est etiam, idque haud iniuria asseuerare solum & sine adiutore Deum immediatè idque essentialiter & præsentialiter agere in omnibus; hoc est Deum patrem quasi fontem à quo omnia, & filium Iesum Christum, seu spiritum æternæ Sapientiæ suæ Angelicum per quem omnia, qui est etiam idem essentia cum Deo patre, & consequenter ipse Deus. Hoc testatur D. Paulus in hisce, *Dii quidem sunt qui dicuntur in cælo & in terra, nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* 1. Cor. 8. Hoc est non ab Angelis, nec stellis, nec terreni, sed à Deo, per Deum & in Deo.

Concluditur ergo contra Aristotelem & Peripateticos, imò verò & Hippocraticos.

Ergo tot causæ subalternæ essentialiter efficientes ab Aristotelicis prolatæ tolluntur, videlicet actus intelligentiarum, syderum, elementorum, & præcipue ignis aut aeris, aut ventorum, aut meteororum, aut perfectè mixtorum, &c. Sed Deus solummodo per ista, quasi organa in se & per se mortua, primariū videlicet, secundarium, tertianum, quartanum, &c. illa à centro circumferentiam vsq; directè, obliquè, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, in hoc mundo, iuxta voluntatem suam omnia agit & operatur in omnibus, ea viuificando, mouendo, & motu tam spirituali quam corporali agitando. Vnde Propheta verbis quidem expressis ista: *Deo obediunt diligenter omnia, Sol, Luna, sydera, ventus, fulgur, nubes.* Baruch. 6. Denique *ei omnia obediunt* in omni necessitate *Eccl.* 42. quippe qui est actor solus in omnibus, eaq; ad voluntatem suam complendam rapit quo aut vbicunque ei placuerit. Hinc ergo verbis expressioribus textus sacer. *Deus Sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum.* Iob. 28. 25. vnde liquet, quod omnia meteora animentur, moueantur, atq; agitentur à spiritu diuino. Vnde & Propheta, *Deus leuat nubes de extremo terræ, fulgura in pluuiam facit, producit ventos è thesauris. Ierem.* 51. Quod etiam ipsæ stellæ agunt & mouent à Domino, hæc Biblion sacrum *Solem qui fecit magnus est dominus, in cuius sermonibus festinauit iter* Eccl. 43. 8. hoc est, verbi virtute mouet & operatur: nam *in Sole posuit tabernaculum Psal.* 19. vnde nihil operatur Sol, sed Deus in Sole, per solem, quasi organum suum cæleste secundarium; & similiter verbum Dei in stellis per ipsa operantur, vnde Esdras, *Stellæ fundatæ sunt in verbo Domini.* Esd. 4. 16. vnde iuxta voluntatem Domini, cuius spiritus ipsis inest huc atque illuc rapiuntur & mouentur, vt in ipsas, & per ipsas Deus agat tam in cælo quam in terris. Atque ita in cæteris.

Concludimus igitur Angelos, seu dæmones nihil per se agere, aut efficere posse, sed Deum solum in Angelo & per Angelum quasi organum suum primarium & magis internum, quod sine actu Dei & præsentia diuina est res verè mortua: Nec agit aut operatur stella vtpote in se pariter inanimatà, sed à Deo per Angelum quandam emanationē suam habet & exercet virtutē, nec ventus quicquam agit sed forma Angelica quæ est radius diuinus, nec elementū, sed specifica eius essentia quā à Deo per Angelum accipit: nec meteorum siue imperfectè mixtum, sed Deus in forma ventorum quæ animat elementū ad hanc vel illam formam meteoro imponendam. Vnde quidem liquet, quod meteori anima inspiratur à forma elementi, & forma elementi datur ab essentia venti Angelica, & essentia venti Angelica vim suam ab actu diuino centraliter, à creatura seu organo illo spirituali emissa ad voluntatem actoris siue centraliter agentis obeundam. Ob hanc ergo rationem Iudith in hunc prorumpit sermonem. *Deus fecit priora & illa post illa cogitauit quæcunque voluit, cuius viæ omnes paratæ sunt, & iudicia in prouidentia. Iudith.* 9.

Huius conclusionis effectus.

Quo certe considerato, tolletur & penitus extirpabitur superstitiosa & vana illa qua Ethnici & pagani corrupti fuerunt Idololatria, Angelos, dæmones, stellas, elementa,

imò verò ipsa elementata male & ignoranter pro diis statuentes, eosque diuino cultu iniuste & falso adorantes. De quibus Apostolus sic. *Idololatræ conuertunt veritatem Dei in mendacium, adorantes creaturam & deserentes creatorem qui est benedictus in secula sæculorum.* Rom. 1. 25. Vnde sic currit lex, *Non facietis sculptile aut similitudinem vllius simulachri, formam maris aut fœminæ, formam animalis vllius terræ, aut auis alatæ cæli, aut formam repentis in terra, formam vllius in aqua sub terra, non respicies solem, Lunam aut stellas, aut vllam rem exercitus cælestis vt incuruans te ea colas, &c. Deuter. 4. a. 16. Nequaquam vltra immolabunt hostias dæmonibus cum quibus fornicati sunt.* Leuit. 17. 7. Denique nemo exercitus cæli est honore & veneratione diuina afficiendus, sed ille solus qui est omnium creator, qui operatur solus omnia & in omnibus, vnde D. Paulus, *Dii sunt qui dicuntur in cælo & in terra, nobis autem vnus Deus pater, à quo omnia & nos ab illo, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per illum.* Hoc est nos agnoscimus verum creatorem pro Deo, & nullam creaturam Angelicam.

Concludimus igitur, quod prauis & erroneis philosophorum Ethnicorum documentis tot in mundo actores efficientes assignantibus Deum solum rerum omnium actorem, authorem, & à creaturarum centro motorem ex doctorum ignorantia mundo minimè testantibus, primordialis Idololatria siue à veri creatoris cognitione distractio potius quam ad genuinũ ipsius cultum inductio in mortalium ignorantium pectora, imò verò in ipsorum philosophorũ doctiorũ animos primum irrepsit. Hinc ergo erat, quod Democritus & Orpheus, & multi Pythagoreorum sunt opinati omnia diis esse plena, quibus statuerunt diuinos honores, precesque & sacrificia dedicarunt, eosdem & diuerso cultu venerabantur, atque ita creaturas loco diuinorum in creatura radiorum adorauerunt, cum tamen fassi sint omnes hos Deos siue radios ad vnicum Iouem quasi lucidum ęternæ sapientiæ fontem referri. Ob istam igitur rationem deceptum est vulgus, & sculptilia atq; simulachra arte confecta pro diis habuit, documentis sapientum Ethnicorum ad hoc instructum, & ad facinus illud contra maiestatem diuinam persuasum.

De hisce ergo Ethnicorum absurditatibus Solomon hæc. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ non videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt: quorum etsi specie delectati Deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior sit: speciei enim genera hac omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligebant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior est illis: sed fortasse errant ignoranter Deum quærentes, & volentes inuenire. Iterum nec his debet ignosci; si enim tantum potuerunt scire vt possent æstimare sæculum, quomodo huius dominum facilius inuenerunt, &c.* Hæc Sapiens *cap.* 13 *Sap. a.* 1. Quibus imprimis intelligere possumus, quod omnis creaturę virtus, actus & pulchritudo à Deo eius creatore est, vtpote spiritus cuius incorruptibilis (qui est actus seu emanatio prima) inest omnibus, & consequenter agit centraliter, idque solus à centro ad circumferentiam, quasi ab α. ad ω. & consequenter est omne in omni.

Vsus ergo istius propositionis est, cum omnia à Deo immediate perfici intelligamus, spem in ipso solam & non in creatura reponamus, gratiam & misericordiam ab eo precibus diuturnis petamus; & si quid mali nobis accidat, patienter illud & pœnitenter, vtpote à Deo perpetratum feramus, minime organum aliquod creatum talem afflictionem inferens, vtpote à Deo ad hoc animatum condemnantes, sed cum humilitate agnoscentes cum Apostolo *Deum operari omnia in omnibus* 1. Corinth. 12. Vel cum Propheta *Deum iuxta voluntatem suam facere tam in cæli virtutibus quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat quare fecisti.* Dan. 4. Vnde etiam Propheta Isai. 46. 10. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet, vocans ab Oriente eum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, & loquutus sum, & adducam illud, creaui & faciam illud, &c.* Quibus arguit Antistes quod vt verbo seu spiritu suo creauit creaturam cuiuslibet speciei, ita quidem voluntate eius sic volente spiritus ille creaturæ inclusus eam rapit quo, quomodo & ad quod negotium ei dominanti placuerit. Atq; hinc filius Syrach 39. 33. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore cõsummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit eos confundet. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt, bestiarum dentes & scorpii & serpentes in mandatis epulabuntur, & temporibus suis non præteribunt verbum, &c.* Hoc est eodem instante quo à verbo in ipsis habitante mouentur ad voluntatis diuinæ effectum percutiunt. Et Iob. 37. *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgura, quodcunq; præcipit Deus istis faciendum in superficie orbis in terra siue ad flagellum; siue ad faciendam beneficentiam efficit vt præsto sint.*

Deni-

Denique virtute istius propositionis bene intellecta, omnis Idololatriæ occasio seu vestigium ex hominum mentibus extirpabitur: nam si Deus solus operatur omnia in omnibus, impossibile est vt mens humana tanto furore rapiatur, aut tam profunde in belluinæ ignorantiæ tenebris immergatur vt ipsa Deum alium siue alienum veneretur, qui nihil potens est, nihil habet quod à vero Deo non acceperit, ac denique nullius est per se valoris aut virtutis. Porro etiam Atheismus catholici istius Dei actus in mundo detectione extirpari debet; nam cum Atheus obseruet vniuersum mundi actum & vitam pendere ab vno primario & omnium radicali principio sine principio, impossibile est quin istud agens primordiale quod est principium & finis agnoscat pro ipso Deo ter Maximo, vtpote in quo, per quem & in quo rerum vita, motus & omnia. Denique eorum hæresis crimen absterget ista cognitio, qui scilicet duo principia æterna, vnum videlicet boni & aliud quoad nos mali, atque ita tenebrarum principem coæternum cum Deo lucis statuunt, minime ad hæc Prophetæ verba attendentes. *Ego Dominus & non alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Isai. 45.6. Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum, Isai. 54.16.* Est ergo solus Deus, qui operatur omnia in omnibus per spiritum.

Denique pro vlteriori huius propositionis confirmatione inspiciatis suadeo integrum *Sect. 1. port. 4. partis 2. memb. 1. librum primum, historiæ nostræ meteorologicæ*, vbi agitur de causa meteororum efficiente, & præcipue *cap.* 7. 8. 9. & præ cæteris 11. *cum figura* 12. & 13. 14. Similiter *Tract. 1. Sect. 1. part. 1. librum primum de medicina mea catholica*, vbi de supercœlesti vitæ & sanitatis ortu agitur. In quibus locis verbis copiosioribus istius propositionis columnas infallibiles & fundamenta firmissima inuenietis reuelata.

Propositio II.

Quod emanatio Dei sancta sit essentialis spiritus Angelici actus, & virtus, mediante qua ipse viuit, mouetur & animatur.

Probatio.

Concludunt maior Theosophantium chorus, inter quos Basilium, Gregorium, Origenem, & omnes in genere Academicos nomino, Angelos seu dæmones esse quoad eorum externum ex aere incorporatos, vnde fit vt pro diuersa ipsorum aeris in crassitie vel tenuitate varietate varii inueniantur in mundo dæmonum ordines natura & conditione inter se discrepantes, vnde ipsorum alii dicuntur ignei, alii aerei, &c. Vnde liquet iuxta Theographorum profundiorum sententias, quod quo substantia Angeli est simplicior eo magis à materiæ dominio subtrahitur, at quo magis à materiæ multitudine abest ipsius substantia, eo clarius in ea tanquam speculo politissimo relucet similitudo seu splendor diuinus, eique maior & copiosior, viuacior & dignior inest felicitatis influentia. Vnde & Dionysius. *Qui ordinis sunt superioris copiosius recipiunt lumen Dei, quam qui inferiores sunt, & hi lumen illud quod recipiunt aliis inferioribus communicant.* Hæc ille. Sed & hoc quam clarissime expressum *Sect. port. 4. part. 2. lib. 4. memb. 2. cap. 2. tract. 2. siue historia mea meteorol.* vbi agitur de causa morborum efficiente, inuenietis. Quibus colligere fas est, quod Angeli internum sit emanatio diuina, eius vero externum purior & sincerior spiritus mundani portio. Sed vt ad propositionis meæ istius confirmationem arctius adhuc me contraham à radicali Angelorum capite ad eius membra descendam: *Sapientia est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, Sap. 7. 25.* ac si dixisset sapiens, spiritus sapientiæ est emissio Dei catholica, & illa emissio est Angelica virtus ordinis & conditionis supremæ, quippe mediante qua vniuersum spiritum mundanum implente mundus creatur, aquæ informantur catholicæ, atque omnes mundi virtutes creantur, & massa aquarum in cœlum & in terram distinguitur. Vnde vt Platonici hunc mundi spiritum diuino spiritu sic animatum mundi dictitarunt animam; ita Cabalistæ ipsum magnum & supremum illum in mundo Angelum *Metattron*, quem intellectum illum agentem fecerunt, à quo quasi fonte communi formæ omnes influunt, nuncuparunt, quem & vniuersitatis præsidem fecerunt. Atque reuera hic est ille spiritus Angelicus qui solus à patre emanauit, vt per eum omnia tum postea in mundo crearentur, iuxta istud Pauli. *Est vnus Deus pater à quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, 1. Cor. 8.* Nec quisquam men-

tis compos negare potest æternam istam sapientiam fuisse Angelum illum magnum quem misit Iehoua ante Israelitas, si textum sacrum sedulo intueantur; nam in eodem capite inuenient in vno loco quod Angelus Iehouæ anteiuerit Israelitas in columna nubis nocte & in columna ignis die,& in alio eiusdem hæc. Et Iehoua anteiuit ipsos in columna ignis nocturno tempore,& diurno in columna nubis: quo sermone arguit textus quod quandoque mentio facta est de creatura Angelica,& quandoque de magno Iehouæ verbo: *nam dixit Iehoua, nomen meum est in eo Exod.* 23. hoc est sincera claritas & candor diuinus. Sed vt expressius confirmemus, Angelum istum fuisse sapientiam æternam, auscultetis velim ad ista ab ipsa prolata. *Ex ore altissimi prodii & tanquam nebula cooperui terram, thronus meus in columna nubis, &c.* Eccles. 3. At Salomon. *Fuit sapientia in tegumentum interdiu, & lux stellaris noctu* Sap. 10. 17. Quo euidens est, quod iste spiritus catholicus æternæ sapientiæ esset Angelicus Israelitarum dux in deserto. At si quis dixerit, quod Angelus sit ex externo aereo & interno diuino conflatus, & consequenter creatus: at Dei sapientia est nulla mixtione inquinata, sed de simplici essentia, diuina, respondeo quod respectu quod ista Deiformis emanatio indueret spiritum mundanum, eumque lucidum redderet, vnde & lux, hoc est spiritus lucidus, seu præsentia diuinitatis illuminatus dictus est prima creatura; eatenus illa ex binis mixtio dicta est creatura, quam alii animam mundi dictitatunt. Atque hac ratione non aliter dici potest spiritus sapientiæ creatura quam verbum caro fieri: vnde dicitur iste spiritus esse *lumine quasi vestimento amictus*: atque tali respectu sapientia quandoque Deus dicitur, videlicet respectu simplicis suæ à fonte lucido emanationis: nam Deus vtpote identitas creari non potest; & quandoque Angelus, & consequenter creatura, quatenus consideratur in vnione sua cum materia quam ex nihilo sua præsentia creat. Sed & hoc à Scripto sacro sic confirmatur. *Primum omnium creata est Sapientia.* Eccles. 1. 4.

His igitur de Angelo illo catholico & vniuersali, seu emanatione omnium primordiali & generali perceptis atque consideratis, sciendum est quod ista emanatio Angelica sit omnium aliorum Angelorum ipsi subditorum fons & origo non aliter quam sol suorum radiorum. Hinc ergo est quod omnes peculiares emissiones ad verbum & placitum ab hoc fonte emanant: vnde fit vt ista primaria & principalis à Deo emanatio dicitur candor lucis æternæ & speculum sine macula lucis æternæ, & imago bonitatis illius. Ita quidem à Dionysio dicuntur *Algamatha*, hoc est specula politissima lumen emanationis primæ diuinam vbertim suscipientia. Vnde in *lib. de diuinis nominibus cap. 6.* dicit ipse, *Angelus est imago Dei, occultæ lucis patefactio, speculum purissimum & lucidissimum sine macula.* Quibus patet, quod eiusdem sunt essentiæ cum fonte illo lucido à quo ad voluntatem diuinam complendam emittuntur, videlicet ex puro & limpido spiritu mundano respectu eorum externi, & lucis siue emanationis æternæ à Deo profluentis, respectu ipsorum interni. At vero differunt ab inuicem respectu ipsorū materiæ puritatis, siue subtilitatis, & densitatis & obscuritatis, nam quo profundius in materia immergitur emanatio illa eo obscurior & tenebrosior est spiritus.

Vt ego Christus spiritualis respectu officii Angelorum in mundum tenebrosum erat missus ad placitum & voluntatem Dei vniuersalem præstandam, videlicet ad mundi creationem, iuxta istud Apostoli: *Christus in principio terram creauit, & opera manuum eius sunt cœli &c.* Heb. 1. vel, vt Propheta vult, *Deus est qui terram facit in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia, prudentia sua extendit cœlos.* Ierem. 10. Ita quidem omnes Angeli subalterni, & ei subditi, & varieformiter animati, ab eo quasi genere generalissimo ad verbum & placitum Dei in rebus mundi magis particularibus perficiendum emittuntur; vnde Dauid, *Angeli Dei validissimi robore efficientes verbum Dei, auscultantes voci eius, ministri seu exercitus facientes placitum eius.* Psalm. 102 à. 21. Et D. Paulus particularius, *Introducit primogenitum in mundum vt adorent eum omnes Angeli Dei*: & ad Angelos quidem dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus seu ventos, & ministros suos flammam ignis.* Heb. 1. 6. Quo liquet, quod omnes Angeli dependent à Christo seu emanatione primogenita, vt creatura à creatore. Vnde antea dicit Apostolus: *Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit sæcula, cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ.* Heb. 12. Sed & hoc hisce paucis *alibi* sic confirmat. *Christum inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, est caput omnis principatus & potestatis.* Coloss. 2. 8. 9. 10.

Concludimus igitur, ꝙ Angeli omnes quatenus spiritus aerei igne diuino animati rapiūtur in forma vētorū aut spiritus mūdani ad officiū suū, dū illa diuina lux qua animantur

viget,

viget, ita vt non sit Angelus qui mouet aut operatur, sed Deus, siue diuinus spiritus in Angelo per Angelum quasi organum seu vehiculum: vnde certum est quod emanatio Dei essentialis sit creaturæ Angelicæ actus, anima seu virtus essentialis.

Huius conclusionis vsus.

Quibus rite consideratis colligere facillimum erit, quod Angelus nihil agat sed Deus seu emanatio sancta Angelum animans, per Angelum, & in Angelo quasi organo operatur. Non ergo vt Peripatetici & Platonici volunt, mouentur, aut circunducuntur astra in cœlis ab intelligentiis Angelicis sed ab afflatu Dei in Angelis, & mediantibus ipsis quasi organis. Vnde recte Scriptura: *Deus est, qui facit Arcturum & Orionem, conuertit in mane tenebras, diem in noctem mutat, Amos.5.* Et *alibi, Deus iuxta voluntatem suam facit in cœli virtutibus Dan.4.* Ergo nihil faciunt Angeli, aut stellæ nisi ea quæ Deus eos viuificando & à centro mouendo agit & operatur. Similiter in regione sublunari dicitur: *Iehoua inclinauit cœlos & descendit, & ascendit super Cherubin, & volauit & lapsus est super pennas ventorum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, & præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, & Excelsus dedit vocem suam, &c.2.Reg.22.8.* Non dicit aut Angelum Cherubin, aut ventum pluuias fecisse, aut nubes congregasse aut fulgura emisisse, aut de cœlo tonasse, sed Iehouam essentialiter, mediantibus illis Angelicis organis, hæc omnia operatum esse, & ad effectum perduxisse. Hinc ergo vanus Angelorum cultus inter Paganos, & multo magis inter Christianos est summopere euitandus, quippe qui cum à diuina origine hauserunt suum actum esse, seu essentiam, fons illius boni & non cisterna est summa & sola adoratione prosequendus.

Pro vlteriori huius propositionis confirmatione, meam in ipsam intentionem quam latissime ex *portione 4. part. 2. Memb.2.lib.2.* vbi agitur de Angelis in genere verbis satis amplis & luculentis percipere potestis, & præcipue ex *cap.2.5.6.7.* Atque etiam vberrime *Tract.1.Sect.1.part.2.lib.1.per totum*, & præcipue *cap.1.2.*

PROPOSITIO III.

Quod varieformi Angelorum actu seu afflatu venti tam cardinales, quam collaterales assiduae creantur, mouentur, & multiformiter informantur atque animantur.

Probatio.

A*scendit super Cherubin & volauit super alas ventorum. Psal.17.9.* hoc est, spiritum aereum animauit, & pro organo seu vehiculo suo primario vsurpauit: nam Cherubin est ordo Angelorum aereæ naturæ, vt Seraphin igneæ. Tum sequitur, *Et volauit super pennas venti*, hoc est, Iehoua emanatione sua animat, mouet & rapit spiritum Angelicum, organum Angelicum animat & ad motum suum ducit aerem sublunarem suo motu & actu. Sed hoc *alibi* clarius. *Amictus lumine quasi vestimento, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis Angelos tuos ventos & ministros tuos ignem vrentem, Psal.104.à 2. Amictus lumine quasi vestimento*, hoc est emanatio eius sancta se miscens cum spiritu mundi digniori seu supercœlesti, eumque in naturam Angelicam & luminosam redigens, sub istius forma Angelica, aerem inferiorem animat & mouet in forma ventorum: ita vt quemadmodum pura Dei emanatio lucida est spiritus Angelici actus, vnde ex illis duobus fit alteritas seu compositio ex binis per identitatem diuinam: sic quidem Angelica illa virtus est interna venti essentia, & oportet quod ventus sit nihil aliud, quam Angelus aere indutus, seu aer sublunaris virtute & afflatu Angelico animatus & ductus. Quare vt essentia Dei agit & mouet in natura Angelica, ita natura Angelica induit vestimentum ventosum, vnde & ventus non aliter dicitur Angelus, quam Angelus respectu luminis diuini quod recipit & à quo animatur, dicitur quandoque Iehoua, & nonnunquam eius sapientia à textu sacro. Hinc sequitur in textu præcedente, *Qui facis Angelos tuos ventos.* At si Iehoua igneam suam naturam in subiecto Angelico patefacere vult (vnde quandoque dictitatur ignis consumens) tunc quidem ventos seu ministros igneos creare solet, videlicet aerem natura Seraphin seu Angeli conditionis igneæ animans seu informans, vt in visione Ezechielis prima apparet. Atque hinc sequitur in textu, *Et ministros suos ignem vrentem, quasi ventos fulgureos seu igniuomos.*

Sed

Sed hoc clarius sic, *Deus facit nubes vehicula sua, & volat super alas venti, qui facit Angelos suos ventos, &c. Psal.* 104. Vbi per vehicula eius currus intelligit Dauid, quos trahunt vel ducunt Angeli in specie ventorum: vnde & alibi sic. *Dei curruum sunt duo myriades, multa millia Angelorum, Dominus cum illis est Sinai. Psal.* 68.18. Et Esdras, *Angelorum exercitus ante inæstimabilem Dei thronum adstat cum tremore, quorum seruatio in vento & igne conuertitur.* 4. *Esd.* 8.

Sed vt clarius adhuc dicam, & paulo particularius, venti sunt illi ministri Dei spirituales, mediantibus quibus verbum & placitum eius ad exitum perducuntur; vnde Psaltes. *Spiritus procellarum qui facit verbum Dei Psal.* 148. & Propheta: *Ventus facit mandatum Dei.* Baruch. 1.6. Hoc est Dei spiritus in organo Angelico quasi principium internum agens inclusus rapit & mouet secum aerem seu spiritum mundi sublunarem in quo mouetur, ventumque cum strepitu facit. Et de tali spiritu intelligit Euangelista. *Spiritus spirat vbi vult, & vocem eius audis sed nescis vnde veniat aut quo vadat. Ioan.* 3. Similiter alibi, *Dominus Deus in tuba canet & in turbine Austri vadit. Zach.* 9.14. Quo arguit, Deum esse internum turbinis principium agens. Sic *alibi. Iehoua flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus maris Psal.* 107. 3.3. Atque iterum. *Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius, & splendor eius vt lux erit, &c. Abakuck* 3.3. hoc est, Deus faciens densam nubem tugurium eius, & volans super alas venti Australis dispergit fulgura sua vndiquaq;. Similiter in alia sua proprietate animat, & afflatu suo centrali mouet Angelicum septentrionis spiritum ad actum suum ventosum in apertos spiritus sublunaris campos emittendos, quo more gelido, & in constrictiua terræ facultate agat in mundo: vnde textus: *Emitt te sermonem tuum in terram quam celerrime excurrit verbum eius qui edit niuem sicut lanam, pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Psal.* 147.15.

Sed ne quis dicat hoc per ipsum Deum solum fieri sine organo Angelico, dicimus quod hoc operatur ipse per spiritum suum ventosum; vnde *alibi, Flante Deo concrescit gelu & glaciem Deus edit flatu suo Iob.* 27. Quod autem Deus flat per organum suum Angelicum multiformis naturæ nos docet hoc Reuelatoris. *Vidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, quibus datum est nocere terræ & mari Apoc.* 7.1. Quibus patet, quod Deus cuilibet mundi quartæ siue plagæ assignauerit spiritum vnum Angelicum proprietate ab aliis diuersum iuxta voluntatem ipsius inspirantis, mediante quo vel in proprietate Orientali seu calida & sicca, vel Occidentali seu frigida & humida, vel septentrionali seu frigida & sicca, vel meridionali seu calida & humida: ac denique vel in generalibus suis proprietatibus, vel contractiue condensando, vel dilatatiue rarefaciendo agit & operatur in catholico mundi sublunaris spiritu. At quoniam idem essentia spiritus iuxta varietatem suæ proprietatis adest hisce spiritibus Angelicis loco animæ & actus omnium primi, ideo vltra voluntatem eius qui eos animat, videlicet Angeli illius magni, quem spiritum æternæ sapientiæ mundum implentem vocauimus, ne tantillum quidem agere aut mouere possunt: quod quidem ex his eiusdem textus patet. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui & clamauit voce magna quatuor angelis quibus datum est nocere terræ & mari, &c.* In quo sermone liquet, quod in magni illius Angeli voluntate, *qui posuit tabernaculum suum in sole*, & præses esse dicitur supremus Angeli Orientalis, consistit actus, virtus & vita quatuor illorum subalternorum spirituum: sic etidē in Ch isto spiritus imperauit ventis. *Matth.* 8. Et sciendū est ꝙ quadruplex istorū spirituū creatorū virtus in vnica spiritus istius increati essentia consistit: nam recte Psalmista, vt *verbo Domini firmati sunt cœli*, ita *spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*: & consequenter virtutes illorum Angelorum septem qui astant coram facie Iehouæ, de quibus *Tob.* 12.15 & *Apoc.* 15. qui septem cœli planetarum creduntur esse præsides. Hinc dixit Propheta: *Veni spiritus à quatuor ventis & inspira interfectos istos vt reuiuiscant. Ezech.* 37.9. *Non dixit venite spiritus sed veni.* Et idem Author *in cap.* 1.20. ait. *Quocunque ibat spiritus, illuc eundo spiritu & rotæ pariter animalium quatuor eleuabantur sequentes eam: spiritus enim vitæ erat in rotis, &c.* vbi per animalia & rotas intendit textus quatuor intelligentias, quibus inest spiritus vnus proprietatis diuersæ. De ventorum oppositorum spiritibus tractant hæc Prophetæ. *Ecce quatuor venti pugnabant in mari magno, Dan.* 7. vbi per ventos quatuor interpretatur glossa quatuor intelligentias Angelicas, quæ præsident quatuor mundi cardinibus.

Porro etiam huic rei astipulari videtur Zacharias. *Ecce quadrigæ quatuor egredientes è medio duorum montium, è quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, in quadriga quarta equi varii fortes. Atque isti sunt quatuor venti cœli qui egrediuntur & stant coram dominatore totius terræ. Zach* 6. vbi per equos intendit textus, spirituum infinitorum à flatu cuiuslibet venti Angelici emissorum.

Concludimus ergo quod sit euidens quod spiritus sapientiæ catholicus sit per radios suos Angelicos ventorum animator, motor & effector, & quod ille ventus illic flet

secundum

secundum intentionem emanationis illius quam à sua amplitudine emittit; vnde recte concludit Propheta: *Producit ventos è thesauris. Ierem. 51. Qui facis Angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem, Psalm. 104. a. 2. Heb. 1.* Et consequenter, quod varieformi Angelorum quatuor terræ angulis præsidentium afflatu & actu, seu virtute deformi venti tam cardinales, quam collaterales quotidie de nouo animentur & quasi creentur, moueantur & in campum spiritus sublunaris ab aliqua terræ seu cæli plaga emittantur.

Concluditur ergo contra Aristotelem, Peripateticos, imo vero & Hippocraticos.

Quod (istis serio consideratis) necesse sit, vt antiquum, sed spurium & præstigiosum illud ipsorum fundamentum capitale corruat, & ad nihilum reducatur, quo ventorum ortum & generationem formalem ex principiis externis accidentalibus esse statuunt, videlicet ex calore cœlesti exhalationem calidam & siccam ac difficulter inflammabilem è terra sursum ad mediam aeris regionem vsque extrahente, & tum postea à frigore loci illius illam iterum deorsum repellente; ac deniq; ab exhalationibus aliis ascendentibus quæ illis descendentibus occurrunt: vnde fit quod lateraliter moueantur in infima aeris regione, quem agitant & mouent, &c. Nonne est istud inuentio seu figmentum, imo vero & fundamentum philosophiæ omnium sterilissimum & fragilissimum, creaturæ tam diuinæ, qualis est ventus, causas agentes tam superficiales, imo vero & mere accidentales imponere? At D. Ioannes ait, spiritum spirare vbi vult: ergo voluntas inest ei, & consequenter principium formale quod voluntarie agit: & prorsus negare videtur, absurda illa Aristotelis figmenta, quibus mundo persuadere voluit ventum esse aduentitium quid, vtpote per accidens in aere contingens. Aut igitur D. Ioannes mendacium hac in re protulit, vel ista Peripateticorum assertio est falsissima: non enim restat nisi vnica veritas, & quod præter ipsam est extrema existit falsitas. Porro etiam in eo docemur ventos à principio interno maxime essentiali moueri, quippe qui dicuntur in vno loco afflatus seu spiracula Dei. Sic ait textus: *Flante Deo concrescit gelu. Iob. 27. Aflatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ Exod. 15. 8. Flauisti vento tuo & operuit eos mare Ib. 10. Deus facit pondus vento Iob. 27. & 28.* Denique *qui facis Angelos tuos ventos, Psal.* 104. 4. Sed ipse Iehoua hac sua interrogatione arguit, q̃ sit difficilis vera causæ ventorũ efficientis indagatio, in qua interrogatione temerariam Aristotelis ipsius omnia se scire profitentis audaciam deridere atq; reprehendere videtur in hunc modum. *Nosti vbinam sit via in qua diuiditur exhalatio quæ spargit ventum supra terram?* Qua quidem interrogatione denotat ipse ventorum author impossibilitatem rei tanti momenti homini cui sapientia diuina (cuius est solius veritatem docere) non est à creatore concessa. Et tamen ei impudenter videtur Aristoteles respondere, Ego noui, via enim exhalationis istiusmodi est à terra sursum versus, vbi per antiperistasim à frigore deorsum ipsam pellente, paulatimque ab aliis exhalationibus sursum nitentibus dispergitur & lateraliter pellitur super terram: hæc Peripateticus. Verum enimuero an venti via & transitus sit à terra in cœlum directe, respondet vir in mysteriis naturæ ipso Aristotele longe doctior & sapientior. Eccles. 11. 5. *Venti viam* (ait Salomon) *ignorat homo ignorat homo opus ipsius Dei qua via faciat hæc omnia.* At homo erat Aristoteles, imo vero Ethnicus, cui consequenter de huiusmodi rebus abstrusis iudicare multo minus erat datum.

Vtrum vero horum venti generationis fundamentorum eligere velitis accipite: si enim illud Aristotelis sit verum, sequitur profecto, quod illud Scripturarum sacrarum sit falsum, quod quidem Christianis bonis asseuerare esset profanissimum, & pœna æterna dignum. Hic ergo oculis (ni fallor) apertis principale meteorologiæ Aristotelicæ fundamentum quassari, corrui & ad nihilum reduci percipitis.

Huius conclusionis effectus, siue vsus.

Vsus cognitionis istius fundamenti ventorum est quod cum veri Christiani intelligant contra paganorum Philosophorum documenta ventos non esse à causis accidentalibus in aere productis, sed ab immediato emanationis diuinæ actu in vehiculo seu organo Angelico & per spiritum Angelicum operante, possumus quando tempestates ventorum periculosæ suboriuntur humiliter & pœnitenter inuocare Deum, centralem illius tempestatis tremendæ authorem, vt velit istius venti tempestuosi periculum clementer auertere, & loco illius afflatus mitiores & benigniores nobis largiri: atque insuper vt fructus terræ vna cum hominibus & pecoribus ab omni tempestatis illius malo defendere, tueri ac conseruare. Vnde videre licet, quod ista ventorum originis consideratio

Tam ad honorem Dei, *qui operatur omnia in omnibus*, quam ad hominum à tempestatum omnium meteorologicarum quæ à ventis procreantur violentia, præseruationem confert, cum è regione falsæ illæ Ethnicorum bases homines in tempestatis periculo eo negligentiores, & diuinorum actuum atque operum magis immemores reddunt, quo dictos turbines, seu ventos rapidos & vastantes, atque etiam meteora tremenda ab iis excitata à causis accidentalibus, atque (vt ipsi aiunt) naturalibus & non ab immediato Dei actu & operatione in & per Angelos procedere aut procreari falsis illiusmodi infidelium documentis persuadeantur.

Ad pleniorem istius propositionis intellectum legatis velim *cap.* 18. *port.* 4. *part.*2. *lib.*1.*memb.*1.*historiæ meæ meteorologicæ*, vbi agitur, de causa meteororum efficiente. Atque etiam *cap.* 2.*lib.*2.*part.*1.*Sect.*1.*istius præsentis voluminis*, in quo agitur de speculi siue instrumenti nostri experimentalis vsu.

Propositio IV.

Quod non sit, nisi vnicum radicale in mundo elementum, quadrupliciter à quatuor ventorum actibus seu afflatibus Angelicis informatum, animatum, atque quotidie de specie in speciem alteratum.

Probatio.

T*Enebræ fuerunt super faciem abyssi Gen.*1.Ergo Aquæ ante lucis creationem erant informes, vtpote tenebris deformatæ & luce informante orbatæ atque destitutæ. Talis ergo erat materia prima catholica ante emanationis diuinæ apparitionem. *Spiritus Domini ferebatur super aquas. Gen.*1.3.(& Augustinus addit) gneum iis vigorem impertiens: ac si dixisset, ignea & sancta à Deo emanatio formam generalem imposuit materiæ primæ, ita vt ipsa animata appareret in forma aquarum lumine animatarum diuino. De quibus *Psalm.* 104.2. *Amictus lumine quasi vestimento extendens cœlos sicut pellem, &c.* Hic ergo habetis materiam secundam generalem & radicalem generaliter informatam & quasi creatam, hoc est, ex tenebris deformibus quasi nihilo, manu seu spiritu & emanatione diuina detractam & reuelatam, iuxta illud Iobi: *Reuelat fundamenta è tenebris, & educit in lucem vmbram lethalem. Iob.* 12.22. Hinc Sapiens: *Manus omnipotentis mundum ex informi materia efficit*, iuxta Tremellii & Pagnini translationem: at Hieronymus ait, *ex materia inuisa, Sap.*11.18. Ista ergo materia inuisa, pro informi quoad nos, & nihilo, seu inani, atque tenebrosa habebatur; tametsi rei veritate separatione per virtutem verbi spagyricam facta, videlicet aquarum inuisibilium à tenebris, ipsæ aquæ licet inuisibiles fuerunt cum mundi, tum (exactiori subdiuisione facta) ipsius cœli & terræ subiectum, siue elementum vnicum catholicum ex quo. Hinc dixit vir patiens, *Aquilonem extendit Deus super inane & vacuum, & suspendit terram super nihilum, Iob* 26.7. hoc est, super rem inuisam, seu aquas inuisibiles: nam vt certum est quod cœlum (cuius substantia est inuisibilis): fuerit ante terram, ita quidem fide certa credere debemus, quod visibilia fuerint prius ex inuisibilibus: sed hoc testatur Apostolus in his: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Heb.*11.3. Quod autē ignea verbi virtute tam cœli quam terra ex aqua seu natura (vt Mercurius Trismegistus vult) humida, quasi ex communi materia creata fuerint, restatur D. Petrus in his: *Cœli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistentes verbo Dei* 2. *Petri* 3.5.

Hisce ergo liquet, quod non sit nisi vnicum solum elementum radicale ex quo cœli & terra sunt creata, videlicet aqua seu natura humida & spiritualis conditionis, cuius contractione terra & visibilia sunt facta, eius vero dilatatione cœlum & spiritualia. Hunc igitur spiritum aqueum originaliter habuisse consistentiam mediocrem inter aquam grossam & manifeste visibilem, & spiritum cœlestem admodum subtilem & inuisibilem constat. Nonne ergo in eodem corpulentiæ statu se habet spiritus mundi sublunaris inter consistentiam & compactionem cœli & terræ cum aquis visibilibus mixtæ, quem spiritum vulgus Philosophorum Ethnicorum documentis instructum elementum aeris appellat? At hunc spiritum mundi inferioris catholicum in mediocri sua consistentia inuisibilem esse cernimus, & tamen contractione in nebulam prius vaporosam, deinde in nubem, tum postea in pluuias & aquam visibilem, ac tandem in consistentiam terream videlicet grandinem, pruinas, niues, gelu, atque lapidem

cetau-

ceraunium condensatione frigida migrare videmus. At è regione si calor excedat statum temperaturæ mediocris in illo spiritu, tunc migrat rarefactione in substantiam ignis, ætheris, &c. Vnde liquet, quod hoc vnicum in mundo elementum, ex quo omnia vel ab actu Dei frigido alterantur gradatim pro ratione agentis in densum & opacum, idque per virtutem venti Angelicam ab Occidente vel Septentrione efflatam; & quamuis iste spiritus mediocris, seu mundi elementum quandoque in Scripturis dicatur Aer, tamen pro intellectu vulgari hoc ita dictitatur: at vero nomine magis generali de genuino vocatur Cœlum, ex cuius arca thesauraria depromuntur omnia. Vnde textus; *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ, Deut.* 28.12. *Depromit ventum è thesauris suis, Psal.* 135.7..id est, cœlis. *Ianuas cœlorū aperuit depluens man, Psal.* 78.23. *Nubibus densis obtegit Deus cœlum, Psal.* 147. *Inclinauit Deus cœlos & descendit caligo sub pedibus suis,* 2. *Reg.* 22.8. *Peruenisti in thesauros niuis? aut in thesauros grandinis inspectionem habes?* Sed per locum istum optime ostenditur spiritum mundi sublunarem, seu cœlum, seu aerem esse commune omnium meteororum promptuarium. Propterea *aperti sunt thesauri & euolarunt nubes & nebulæ sicut aues. Eccles.* 43.17. vel sic euidentius: *At non vident lucem, subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas, &c. Iob.* 37.21. hoc est, Aeris seu cœli sublunaris substantia est commune meteororum subiectum. Et infinitos alios locos proferri possumus rem istam confirmantes. At vero quod cœlorum consistentia sit aqua testatur locus prædictus ex D. Petro citatus. Alibi vero sermone vulgari loquitur textus, & hunc spiritum vocat aerem, non vt elementum, sed vt vulgus quid per cœlos intendunt Scripturæ intelligant. Hinc Iob. *Deus sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum. Iob.* 28.25. Quibus asseuerare videtur, quod aer sit idem in hoc sensu, quod cœlū *in præcedentibus*. atque etiam quod spiritus iste sublunaris sit commune illud elementum quod aptando ei varietatem ponderis Deus per sapientiam seu emanationem suam Angelicam transmutat vel incrassando in nubes & pluuias, vel subtiliando nimium in fulgura. Hoc est catholicum illud subiectum, ex quo Iehoua multiformi suo afflatu alterando ipsius formam, omnia tam sublunaria quam superlunaria *mensura, numeroque & pondere disposuit atque temperauit. Sap.* 11.21.

Ex istis ergo bene cognitis & radicaliter perceptis, luce clarius literatis (ni fallor) apparebit quod aquæ in mediocri sua consistentia (qualis est spiritus mundi sublunaris) seu natura humida sit catholicum illud elementum ex quo res omnes quoad eorum substantiam quantitatiuam existunt, mediante afflatu diuino tanquam causa essentialiter efficiente, à qua tales in specifica sua conditione existunt & permanent quales sunt. Non ergo sunt ab origine elementa quatuor ordine, serie & tempore æqualia, vt ethnici volunt, sed hoc solum & vnicum rerum omnium fundamentum & basis, quadrupliciter specie iuxta quadrifarium virtutum Angelicarum actum ipsis à Deo inspiratum, in illud spiraculis inuicem natura & effectu oppositis effectum alterata atque mutata: nam Catholicus iste spiritus Mercurialis se in venti spirantis & prædominantis naturam omni momento transformare dignoscitur, ita vt in eodem die flante vento Orientali attenuatur & dilatatur, redditurque calidus & siccus, vnde elementum illud à cæteris substantia distinctum creditur esse quod ignis dictitatur; cum reuera sit vnum & idem elementum in aliā naturā per Angelicā proprietatē ab Oriente expiratā pro tempore substantia minime alterata mutatū. Hoc à Scripto sacro sic probamus. *Percussi vos* (inquit Iehoua) *in vento Oriente & in aurigine. Amos* 4.9. *Ventus Orientalis aduret & desiccabit eius fructus. Ezech.* 19. 12 *Cum ortus fuisset sol præcepit Dominus vento calido & vrenti,* siue vento Orientali *& percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat, & petiit animæ suæ vt moreretur. Ion.* 4.8. *Ventum vrentem adducet Dominus de deserto ascendentem, siccabit venas eius, desolabit fontem eius. Osee* 13. *Ventus vrens in viis quæ sunt in deserto, &c. Ierem.* 4. *Ventus Eurus aduret fructum Gen.* 41.6. At vero si septentrio flat, tunc Angelicus ille afflatus spiritum hunc communem in suam naturam & proprietatem mutat, & fiet inde spiritus & siccus, seipsum in massam duram condensans, & cōsequenter terream vsurpabit naturam, in quo statu Philosophi putauerunt fuisse elementum aliquod simplex terreum ab isto communi (quod aerem appellarunt) distinctum: cum reuera terreum illud principium sit nihil aliud, quam hoc radicale elementum in conditionem, seu proprietatem septentrionalem ab afflatu Dei Boreali alteratum. Hoc habemus in hunc modum in Biblio sacro confirmatum. *Deus edit flatu suo niuem sicut lanam, pruinam sicut cineres dispergit, gelu in frusta emittit, coram frigore eius quis consistat? Psalm.* 147. *Glaciem Deus fortis edit flatu suo, flante Deo concrescit gelu. Iob* 27.9. *Deus fortis edit glaciem & latitudinem aquarum coarctat Iob* 27.a.9. *Venti Aquilonares producunt frigus Iob* 37. Hoc est, *ipse qui facit Angelos suos ventos,* in illos & per illos vndique in generale illud elementum effundit spiritum suum stipticum, qui illud passiuum materiale Boreali conditione animat, & in terream

naturam mutat,ita vt contractione illius vertatur à specie seu substantia sua pellucida & diaphana in opacam,à re molli & fluida in rem duram & fixam, denique à re spirituali in rem corporalem:ac tandem de specie Orientali,Meridionali,vel Occidentali,in Septentrionalem seu terream.

Præterea si spiritus anguli Meridionalis Angelicus flauerit, tunc quidem elementum hoc seu spiritus iste Mercurialis deponet naturam istam terream, & induet proprietatem ei contrariam, videlicet humidam & calidam iuxta naturæ illius proprietatem in qua creator Angelum illius quartæ efficit,& tunc istud elementum adeo mutatum vocauerunt medici Ethnici aerem,in quo statu consistentiam induit mediocrem inter rarum & densum. Atque ista etiam eiusdem elementi alteratio fit à verbo Dei in proprietate illi Septentrionali opposita: nam vti dictum est, tametsi Angeli à quatuor terræ plagis spirantes sint contrariarum proprietatum,tamen spiritus qui hæc omnia facit non est, nisi vnicus essentia,vt pariter subiectum aqueum in quod agit est tantum vnicum. Vnde ait Propheta, *Veni spiritus à quatuor ventis*; inde arguens, quod sit vnicus spiritus quadruplicem in vnicum elementum passiuum exhalans proprietatem, & consequenter non quatuor elementa, sed vnicum tantum elementum quadruplicem subalternatim induens speciem seu proprietatem, ei ab eo vnico actore qui illud informat infusam. Sed hoc in hisce supradictis confirmat Psaltes *Emittente Deo sermonem suum in terram quam celerrime excurrit verbum: qui niues emittit sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? &c. Psal.* 147.16. Vnde patet, quod idem Deus per verbum coarctauerit,ligauerit,indueritatque coagulauerit istius elementi catholici spiritum in niues, pruinas, glacies,idque per suam proprietatem frigidam & stipticam: quare sequitur, *Coram frigore eius quis consistit?* Denique textus sic sequitur. *Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, &c. Ib.* 17. Quo euidens est, quod idem Deus, seu spiritus per suum verbum in proprietate opposita emissum, hoc est, à plaga Meridionali expiratum,elementi huius à Boreali proprietate alterati effectus fixos,opacos & congelatos destruit, dissoluit & liquefacit; vnde sequitur. *Simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ.* Quod etiam ventus Australis sit vehiculum seu currus super cuius alas volat spiritus Dei, ex isto, *Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius, ibi abscondita est gloria eius, &c. Aback.* 3.3. Quo arguit, quomodo Deus in contraria fortitudine & proprietate ad illam septentrionis, videlicet in nube fulgure coruscante per ventum Austri Angelicum operetur. Hinc Dauid. *Ne timeto ab occursu dæmonii meridiani, à lue vastante in Meridie, &c. Psal.* 91. Quod etiam ventus iste sit flagellum Dei irascentis testatur Moyses sic. *Percutiam te aere corrupto. Deut.* 28.22. hoc est, dæmonio seu Angelo Dei corrumpente in meridie. Denique hoc vnicum elementum exuit proprietatem, vel Orientalem, vel Septentrionalem vel meridionalem,& induit subito & in instanti proprietatem quam ventus seu spiritus Dei à plaga Occidentali expirat,ita vt mutetur in tempertem humidam cum frigiditate,atque in hoc statu Ethnici acceperunt istud pro elemento aquæ.

Concludimus igitur ex hisce, quod hoc sit vnum & idem elementum mundi passiuum,non aliter quam actor in ipso deformis non est nisi vnicus & idem in essentia,vnicus inquam, Deus,& non multiplex,sed simplex in sua diuinitate,tametsi respectu varietatis in suis proprietatibus multiplex dici potest,iuxta hoc Salomonis. *Est Sapientia spiritus sapientiæ sanctus, vnicus, multiplex, &c. Sap.* 7.22. *Sic loco antea citato. Veni spiritus à quatuor ventis. Ezech.* hoc est, vnus spiritus à quatuor locis proprietate ab inuicem differentibus. Pari scilicet respectu passiuum hoc commune siue hoc elementum aquæ catholicum & radicale in quod tanquam in vniuersale passiuum agit actor ille æternus, qui operatur omnia & in omnibus, est vnicum & simplex in sua existentia subiectum, at multiplex respectu proprietatum Dei alterantium, eamque de raro in densum, & de proprietate in proprietatem mutantium.

Sed hoc ipsum machina nostra experimentali peroptime in istum modum probamus.

Aerem



Aerem seu spiritum inclusum spiritui sublunari seu elemento catholico comparamus quod est vnum & idem atque indiuisibile in sua substantia. Hoc elementum est in sua mediocri consistentia quando aqua est in Sectione I. quoniam nec abundat frigus nec calor, sed in æquali temperatura in eo sunt, vnde se habet in eo statu mediocritatis in quo creatum est, hoc est nec nimium subtile, nec nimis spissum, seque habet vt elementum mundanum in suaui & beneuola proprietate Australi, quæ inter temperiem Orientalem & Occidentalem media est. At si aqua ascendat supra 1. ad intersectionem 2. tunc quidem elementi seu spiritus inclusi temperies magis tendit ad proprietatem Austro Africi, hoc est ad humiditatem aqueam magis quam ad aeream, vnde inclinat magis ad spissitudinem. E regione si descendat ab 1. ad 2. inferiorem, tunc induit proprietatem Euro-Austri & ad caliditatem magis vergit hoc elementum vnicum inclusum. Atque ita proprietatem Australem in elemento vnico & catholico mundi sublunaris cum sua graduum latitudine descriptam habetis.

Deinde si aqua ascendat ad grad. 3. tunc spiritus seu elementum proprietate venti A-

 frici

frici animabitur, in qua frigus Occidentale aliquantulum superat caloris Meridionalis effectum, & in hoc statu elementum illud catholicum aliquantulum densius redditur, atque in se magis coarctatur, vti oculari demonstratione ista luculenter apparet. At si aqua ascendat ad figuram 4. denotat dominium proprietatis anguli Occidentalis seu venti Fauonii, in quo statu aquea regnat in eo temperies & spissitudo. Verum enimuero ascendens adhuc aqua ad grad. 5. ostendit quod spiritus inclusus accedat ad conditionem magis Borealem, hoc est magis densam & frigidam. Tum postea si aqua sursum tendens pertigerit ad grad. 6. arguit illud elementum esse adhuc magis à frigore Septentrionali contractum & inspissatum.

Denique in gradu summo 7. temperiem & proprietatem elementi mundi catholici, dum spirat & informat illud Boreas.

E regione si aqua ab aeris inclusi dilatatione magis deorsum à figura, 1. ad 4. 5. 6. detrudatur, arguit gradus proprietatum ventorum Orientalium in elemento generali seu spiritu sublunari, in quibus magis calescit, attenuatur, & in æstuosam ignis naturam reducitur.

Quibus euidens est, quod vtcunque à gradibus aut frigoris aut caloris (qui sunt ventorum actus, seu virtutes) alteratur elementum vniuersale in mundo sublunari tam in proprietate quam in corpulentia, tamen est semper vnum & idem in substantia, non aliter quam spiritus aereus vitro inclusus vtcunque à qualitate frigoris & caloris alteratur in temperie ac raritate & densitate, tamen semper manet idem indiuisibilis, hoc est numero vnus & non plures.

Concluditur ergo contra Aristotelicos & Hippocraticos.

Nimis ergo curta & manca erit illa de rerum tam naturalium, quam præternaturalium fundamentis opinio, quatuor æqualium temporum & durationis elementa fuisse primarias tam in rerum compositione quam formatione causas: nam certum est illud idem & vnicum elementum, quod mundi sublunaris spiritum hæc omnia quoad compositionem præstare posse & solere, vtpote quod à statu suo mediocri in densiorem videlicet vaporem, nebulam, nubem, aquam, atque terram, operante verbo, per ventos suos Angelicos constrictiuæ & condensatiuæ proprietatis, atq; in spiritum igneum (cuius compressione fit meteoron ignitum, vt fulgur, cometa, &c.) afflatu venti ignei siue Orientalis, centraliter mouente verbo. At hic secretum enucleare vobis haud erubescam, videlicet quod vt spiritus emanans à patre in patente & lucida sua proprietate est lux atq; sincerus ignis, atque spiritus mere atque immaculate formalis; ita quidem in spiritu mundi per ipsius rarefactionem & attenuationem pręualet ipsius actus igneus, propter diminutionem humiditatis aqueæ in dicto spiritu sic dilatato: vnde pro elemento ignis in tali statu habetur spiritus ille catholicus ita vento calido rarefactus propter actus Dei seu venti Orientalis Angelici in eo prædominantis præsentiam. Hinc ergo spiritus iste sic alteratus propter humiditatis in ipsius attenuatione expulsionem & caliditatis in eo exuberantiam calidus & siccus dicitur: forma enim magis hic abundat quam materia, quæ ibi adest non nisi in parua & admodum tenui proportione.

E regione verò spiritus à patre in latente & tenebrosa sua proprietate emanans tenebras parere solet, & in materiæ seu substantiæ elementi catholici incrassatione, obtenebratione & fixatione versatur: atque huius emanationis actus est frigidus. Hinc ergo experientia docti videmus quod spiritum mundi limpidum & diaphanum conuertit in corpora tenebrosa, videlicet niues, pruinas & grandines, atque etiam aquas transparentes in glacies opacas. Atque ratio est quod vt tenebræ sunt contrariæ luci tam in specie sua quam actu; ita quidem illæ magis circa materiæ multitudinem per actum suum frigidum incrassantem, hæc vero circa materiæ paucitatem per actum suum calidum attenuantem. Hinc ergo est quod lux à materiæ multitudine superata operari non potest, vnde fit vt materia actusque tenebrarum præualeant. Ob istam etiam rationem euenit, quod frigiditas hic abundet & dominetur, atque etiam siccitas propter verbi lucidi absentiam, seu potius occultationem, quod (iuxta Psalmistæ dictum) debeat effectus frigidos liquefacere, vnde res fluidæ fixantur & congelantur, in hac congelatiua spiritus Angelici septentrionalis proprietate cum frigiditate regnat. Pro humiditatis vero actu certum est eam ex concursu venti calidi cum illo frigido fieri: nam omne quod proprietas Dei latentis per frigidum suum actum coarctauit atq; congelauit in siccitatem, illud quidem igneo verbi seu emanationis suæ lucidæ actu gelidos frigiditatis actus resoluit in madores duplicis naturę siue gradus; nam ventus Meridionalis dissoluit Septentrionales actus in madores densos, frigidos & aqueos Occidentalis conditionis. At ille Orientalis actus seu madores Occidentales in Meridionales maiori adhuc verbi lucidi virtute naturam densam subtiliando conuertit, iuxta illud Prophetæ, *Qui niues emittit*

emittit sicut lanam, & pruinas sicut cineres dispergit, deiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ. Psal.147.16.

Quibus liquet, quod contra omnium Peripateticorum, imò verò & aliorum philosophorum consensum frigiditas & caliditas non sunt qualitates seu accidentia, sed essentiales afflatus diuini actus & virtutes quibus mediantibus elementum hoc nostrum vnicum alteratur de natura in naturam, idque quotidie quasi creatione noua non aliter quam meteora hodie creata videmus quæ non erant die præcedenti. Hinc ergo tollitur ille scrupulus & resoluitur inane illud dubium à philosophis non ante hunc diem (quod scio) patefactum, *Quid videlicet sit essentialis elementi forma*: cum ex prædictis sit certum, atque cuilibet intuitu paulo profundiori consideranti quod forma elementi sit actus venti alicuius Angelici dominantis essentialis à Deo per verbum mediante illo vento in catholicum mundi elementum emissus siue expiratus: videlicet actus contractiuus & terreus à Septentrionali, aqueus ab Occidentali, aereus à Meridionali, & igneus ab Orientali, quorum commune subiectum est istud elementum mercuriale quod formam suam mutat secundum venti prædominantis actum. At si duo simul venti spirant, tunc quidem participabit forma ipsius de actu vtriusque. Hoc ideo rite considerato propositionem hanc quintam contra philosophorum antiquorum mentes sustinere haud hæsitabimus, videlicet;

PROPOSITIO V.

Quod calor & frigus non sint qualitates accidentales, sed essentifici ventorum Angelicorum à Deo animatorum actus.

Probatio.

PRæterquam id quod ad propositionem istam statuminandam iam dictum est, dicit etiam textus, *Flante Deo concrescit gelu. Iob.27. Coram frigore eius quis consistat? Psal. 147. A flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ. Exod. 15. Ascendit fluuius de naribus eius, & ignis ab ore eius euolauit: volauit seu lapsus est super pennas venti, præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt. 2. Reg. 22.* Sic etiam *ignis* dictus est *consumens Deut. 4.24. Ignis exiens à conspectu Iehouæ exanimauit filios Aaronis. Leuit. 10 2. Qui facis Angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem. Psal. 104.* i.e. fulgura & coruscationes. *Depromit ventos è thesauris suis. Psal. 135.7. Deus facit pondus vento seu aeri. Iob. 28.25.* Denique omnes Dei effectus fiunt mediantibus Angelis ventosis, qui per suos actus multiformes ab afflatu diuino iis emissos iuxta voluntatem omnia operantur. At tales omnes effectus sunt vel virtute contractiua, cuius actus essentialis est frigus, vel dilatatiua, quæ ab actu calido oritur: hoc est tam subtile & rarum quam densum procedunt ab actibus seu proprietatibus vel Dei patentis vel latentis, hoc est virtute vel caloris vel frigoris, per Angelos ventosos in apertum elementi catholici campum, temporibus ab interno & increato agente assignatis effusa atque vndique efflata. Quid tum postea? Anne credet quispiam mentis compos accidentia inesse Deo, aut quicquid à Deo omnium actore profluere posse quod ab ipsius essentia sit alienatum? At quoniam videtur obtuso hominum intellectui tam frigidum quam calidum abesse & adesse posse sine subiecti interitu, ergo cum Aristotele volunt ea non esse de essentia rei: certè credendum est quod veram subiecti existentiam formamque ei genuinam à creatione acceperit: verbi gratia ipsius corporis humani moles terream siue argillaceam habuit ab initio existentiam, & tum postea calido vitali est imbuta, idque afflatu seu spiraculo Dei à quo prouenit calor ille (vtpote lucis æternæ actus à quo mundus est conflatus & omnia in eo) Anne ergo quoniam istius hominis calor possit adesse rei frigidæ & abesse sine illius rei interitu ideo pro accidente est ipse habendus? Pari si quidem ratione elementum mundi catholicum, quod est commune meteororum subiectum, ab istis actibus vel calidis vel frigidis sine subiecti ab origine creati interitu solet quotidie ipsum de nouo informare, & de statu in raritate ad illum in densitate reducere & transformare, absque integra formæ suæ originalis aqueæ (quam in creatione habuit) extinctione aut ablatione. Hinc quando actu calido induitur videtur esse elementum ignis, & amisisse formam elementi aquæ vel terræ frigidam quam habuit, & tamen neque per hanc neq; per illam perdidit illum suum statum reuera primarium, sed solum modo quoad nos, non minus quam cera, quæ semper est cera, tametsi varias sigillorum impressiones successiue recipere parata & prompta est.

Conclu-

Concluditur ergo contra Aristotelicos & Hippocraticos:

Quod actus frigiditatis & caliditatis non insit aut elementis aut humoribus vt accidentia, sed vt formæ eorum essentiales, & quod hæ virtutes formales ortum suum acceperint à ventis Angelicis & non ab elementis, & quod sunt primarii elementi mundi catholici actus à Deo per organa sua Angelica tam in spiritum cælestem quam sublunarem infusum, qui non nisi vnum elementum radicale constituunt. Denique quod non sint alii in mundi alteratione actus præter istos, quibus elementum mundanum commune de statu in statum alteratur, & quod horum actuum sedes Cardinales sunt in angulo mundi Septentrionali, vtpote à qua plaga ille frigidus emittitur, & illo Orientali, quippe à quo virtus expiratur calida & ignea. Vxor autem madida caloris Orientalis est Meridies, vnde naturaliter calida & humida, quam instar meretricis vitiare conatur Boreas suis insultibus, eamque in lecto quasi adulterino brachiis suis gelidis & congelatis amplecti, vnde sequitur partus adulterinus. Verum vxor venti seu frigoris Borealis est madida Occidentis dispositio, vtpote frigida & humida, quam quasi suam meretricem brachiis suis igneis amplecti quandoque gestit virtus seu calor venti Orientalis, vnde quandoque proles adulterinæ nascuntur, videlicet, meteora nubeculosa fulgure & tonitru mixta.

Vsus huius.

Vt quilibet verus Christianus agnoscat contra falsas philosophorum & medicorum assertiones, quod nec elementa, nec qualitates accidentales nec meteora aliquid siue ad naturalium præseruationem siue corruptionem agere, sed quod solus Deus operatur omnia in omnibus per Iesum Christum spiritualem, seu verbo suo æterno, quod quandoque actu suo frigido, proprietatis suæ latentis agonista, & quandoque illo calido proprietatis suæ manifestæ athleta, mediantibus organis ventosis seu Angelicis ipsi subditis quicquid vult facit tam in cælis quam in terra, vel ad creaturarum salutem, vel ad ipsarum flagellum: nam actus Angelorum ab agente increato iis infusus per ventos, venti per elementum varieformiter mutatum, elementum per meteora in quæ diuersa ventorum actione concrescit, meteora in perfectè mixta agunt & operantur.

Quibus à philosophis Christianis rite consideratis, Deus operatur omnia in omnibus tam naturaliter quam præternaturaliter. At medici etiam Christiani contra vanas Hippocratis & Galeni opiniones ex his colligere possunt, quod hac ratione tam occulta, quam manifesta Deus solus *occidit & viuere facit, percutit & sanat, Deut. 32. 4. Reg. 5. Is vulnerat & medetur. Iob. 5. Ipse est qui in ira indignatur, & in voluntate viuificat. Psal. 30. 5. Ipse occultando* se seu *abscondendo faciem suam à creatura perturbat eam,* efficitque vt ægrotet: at in priuatiua sua proprietate dispositionem venti Borealis contractiuam & tenebrosam induit. Similiter beneuole emittente ipso spiritum suum, & seipsum reuelante iterum recreatur creatura & ad pristinam sanitatem reuertitur. At si omnimodo & penitus abstrahit se à creatura, moritur, quoniam cum totali auersione Dei recedit etiam & ipsius spiritus quo viuit creatura. Hinc Dauid *Psal. 104. 29. Deo abscondente faciem suam conturbantur creaturæ, recipiente spiritum eorum expirant, emittente spiritum suum recreantur.* Et *Iob. 34. Hominem constituit Deus super terram, appones ad eum animam suam, si flatum suum ad se recipiat* seu trahat *deficiet & expirabit omnis caro, &c.*

Qualis autem est contractiuus Dei actus, videlicet frigiditas, & quod sit ex parte seu proprietate Boreali suprà expressimus. Hinc moriente creatura à calore in naturam frigidam transit eius corpus, quia actus Dei patentis occultatur, illeque Dei latentis iam manifestatur. Vnde patet, quod vt lux diuina seu faciei diuinæ præsentia est vita, quippe calidum innatum impertiens creaturæ, ita illius occultatio morbum vel mortem inducit, quippe quam sequuntur frigora calorem natiuum superantia. Porrò vocant scripturæ Orientales Dei irascentis actus, *sagittas virulentas spiritum creaturæ ebibentes, & conturbationes eius. Iob. 6. 4.* vnde & *alibi, Efficis vt effluam substantia; mors auocat me, quia viscera mea efferuefacta sunt. Iob. 30.* Ac iterum. *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis, & percutiet te tabe calida, & æstuante ac vrente febre, & siccitate & frigore, & ardore, & æstu & aere corrupto, &c. Deut. 28.* In quibus verbis arguit Antistes actus omnium ventorum, videlicet calorem & siccitatem ab Oriente. Sic vento Euro vsus est ad affligendum Ionam, mediante quo adeo æstuabat *vt mori desideraret Ion. 4* Frigus à Septentrione: vnde Psal. *Coram frigore eius quis consistat?* Aer corruptus à Meridie. Hinc idem Psaltes. *Ne timeto à lue vastante in Meridie. Psal. 91.* Et Propheta *Deo à Meridie veniente ante eum eum pestis, & processit anthrax ad pedes eius.* Vnde patet, quod calor & frigus præternaturales sint actus immediati à Deo, & putredo à venenoso ipsorum in elemento aperto cõcursu, quasi maleuolus ipsorum actuum effectus ex vento Meridionali quasi matrice

trice humida & muliebri gignuntur. Denique hisce cognitis suadeantur Christiani ad Deum potius fideli deprecatione & animæ pœnitentis effusione cum bono rege Ezechia magis quam ad medicos recurrant, atque in ipsum summam suam fiduciam reponant; cum orando vt tum medicamenti virtutem in sua operatione beet, tum etiam medici spiritum in veram curandi viam dirigat, & non vlterius in vana Hippocraticorum & Galenicorum arte confidentiam tam certam cum mundanis habeat: cum benedicente & dirigente Deo vulneratore seu percussore etiam per viri aut mulieris industriam tot ethnicorũ rudimentis haud præditi facile curari, imo vero sine his omnibus conualescere queat: nam fides & oratio fideles cum potentia sunt radicalia ad morbos deploratos curandos medicamina, cum morbi & mortis author sit peccatum. At ait Christus Paralytico fide certa credenti, *Surge, peccata enim tua remittuntur, & statim conualuit.*

Hanc propositionem clarius explicant *capitâ* 19. 20. *&* 21. *port.* 4. *part.* 2. *memb.* 1. *historiæ meæ meteorologicæ*, vbi agitur de causa meteororum efficiente.

Atque etiam *cap.* 2. *&* 3. *tract.* 1. *sect.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *medicinæ nostræ catholicæ*, vbi agitur de supercœlesti vitæ & sanitatis ortu.


Deniq; de hoc subiecto vbertim *cap.* 2. 3. *&* 4. *lib.* 2. *part.* 1. *sect.* 1. *huius præsentis voluminis*, vbi speculi seu instrumenti nostri experimentalis vsus pertractatur.

PROPOSITIO VI.


Quod calidum siue sit Solis, siue ignis, vapores aut exhalationes ad se minimè attrahat, sed rarefaciendo discutiat potius.

Probatio.

COmmunis est opinio; quod calor Solis, cœlestium & ignis sibi attrahat humiditates, vapores, imo vero & exhalationes ad se, quoniam (vt putant) fontes & flumina & stagna calidis æstatibus ideo absumi credunt quoniam eorum substantia attractiuo caloris ardore sensim eleuatur in altum sub forma vaporis: porro etiam hoc idem credunt quoniam à philosophis ethnicis docentur quod meteororum ignitorum, atque etiam ventorum pabulum ad superiora aëris spatia attractiue, cœlorum siue cœlestium calore exaltantur. Deniq; ad hanc opinionem confirmandam oculari quodam experimento induci videntur.



Nam flamma candelæ, gratia attractiuæ ignis virtutis sursum vehit aquam in altum vasis vitrei, si eius orificium candela perpendiculariter sic eleuata à fundo vasis alicuius aqua pleni receperit, & ad aquæ fundum se immerserit. Porro etiam hoc credunt demonstrari per attractiuam solis virtutem in hunc modum.



Per quod putant attractiuo solis ardore contra pilam feriente fieri quod aqua tum postea sursum sublimetur ab olla aqua plena in canalem seu scyphum.

At isti omnino decipiuntur atq; rem modo retrogrado atque omnino contrario accipiunt: nam vt ad prioris experimenti rationis enucleationem perueniam, certum est non esse virtutem caloris attractiuam quæ eleuauit aquam in altum, sed subitaneam frigoris aquei & aëris inclusi post candelæ extinctionem aduentum, atq; super calorem extinctæ iam flammæ insultum: nam vt præsentia ignis aër in phiala contentus admodum subtilis reddebatur; adeo vt propter aëris olim inclusi rarefactionem pars eius euolauerit è vitro (quippe aër dilatatus ampliorem requirit capacitatem quam in spissa sua consistentia) sequebatur igitur quod extincta flamma, & superueniente frigore subito aër inclusus se contraheret, vnde factum erat, quod aut vacuum contineretur in vitro, aut loco illius tantum aquæ in eo eleuaretur quantum exiuit aëris. Ad secundum quod attinet pariter res se habet cum calore solis ac cum ardore flammæ, non enim attrahit solis actus aquam in pilam ex olla, sed ille prius rarefacit aërem in sphæra contentum, parsq; illius sic rarefacti in forma bullarum exit per aquæ in aqua contentæ superficiem: quare sequitur quod recedente Sole, subitoque sensim irrepente frigore aër iterum in pristinum statum condensabitur & simul conglomerabitur atq; coarctabitur: vnde sequetur, quod tantum aquæ debeat in scyphum seu tubum eleuari quantum in forma ampullarum aëris rarefactione est egressum.

Quibus liquet, quod non sit calor quod sibi attrahit, imo vero è contra discutit potius, sed est frigus, quod contractiuam & condensatiuam sibi vendicat facultatem.

Ad primam ergo eorum opinionem qui credunt ignem propter extremam suam siccitatem naturaliter ad se attrahere humores atque exhalationes, respondeo, quod in eo decipiun-

cipiuntur quoniam cognoscere debent quod in aëre igneo siccitas prouenire solet ob intensum ignis calorem qui in tantum subtiliat & rarefacit aërem vt manifestam ipsius humiditatem expellat; nam quo magis adest humiditas, eo minus dominatur ignis; vnde fit, quod aqua propter densam suam humiditatem igni est contraria: quare quo tenuior est aër eo calidior, & quo calidior, & quo calidior eo siccior, quoniam eo fortius expellit humiditates attenuando: vnde necesse est credere, quod vita siccitatis est expulsiua & absumptiua caloris ignei virtus, & non vlla attractiua ipsius facultas. Sed hoc quidem quotidiana docemur experientia: nam si ignis sibi attraheret vapores & exhalationes, cur in lignorum combustiones non retinet & attrahit ad se fumum per cuius extractionem consumitur lignum, sed expellit potius à se & eleuat in altum: cur aquam in lebete non retimet calor, cum testantib. Peripateticis calore cœlesti vapores attrahantur in altum à terra: cur consumitur candela seu lampas si ignis sit sibi vapores attrahere? At si replicabunt, ignem ab aëre denso nutriri, dicimus quod Philosophi decepti sunt in illa re, nam ignis ab origine vixit & mãsit, in verbo Dei: nec enim quicquam est aliud quam aëris seu aquarum anima, mediante qua viuit; & quamuis quoad nos videtur extingui, tamen nunquam moritur, sed in expansum elementũ euanescit. Quod quidem aut ligno aut aliquo pabulo vnctuoso nutriri videtur, nõ est quod reuera eo indigeat pro nutrimento, sed vt pro subiecto inseruiat in quod actiuum suum officium præstare queat, quod præcipue consistit in rarefactione, vt è contra illud frigoris est in condensatione. Adest vero vtrisq; his actibus à diuina radice extractis siccitas, sed diuerso respectu, nam illa caloris est non attractiua, vtpote quæ per extremam rarefactionem & expulsionem contingit: nam si talis siccitas attraheret vapores ad se, tunc hac ratione contranaturaliter secum (vtpote seipsam destruendo & humore suffocando) ageret. In illa vero frigoris fit humoris attractio & contractio, sed in tali forma vt propter dominium frigoris, cuius est contrahere, ligare & congelare penitus expellitur illa caloris intermedij virtus quæ aquam vel aërem fluidum vel actu humidum reddere debet: quare sine subiecti humiditatis expulsione dominatur siccitas: vnde istiusmodi actione contingit grossities, illamq; non sequitur subiecti consumptionem. Quibus luculenter patet, quod humiditas fit ex commixtione vtriusque actus in communi subiecto siue elemento: nam frigus impedit ne elementum seu passiuum nimia caloris attenuatione orbetur & priuetur sua humiditate; vnde nec sinit subiectum illud migrare & commutari in substantiam ignis, & è regione calor non permittit subiectum illud passiuum intermedium congelari, atq; brachijs ipsius gelidis ita amplecti vt terrea ipsius siccitas possit superare vel aëream, vel saltem aqueam ipsius humiditatem: ita vt portio ignei caloris inest in aquea humiditate, vnde mobilis & fluida est, & non nimia frigoris Septentrionalis siccitate mortificata & fixata; & pariter terrea frigiditas inest aquæ, vnde fit vt ipsa reddatur grossa & visibilis: at si calor in subiecto communi magis adhuc superat, fit ipsa vapor & maiori adhuc caloris dominio in consistentiam aëream reducitur.

Sed quoniam aliquibus fortasse prima fronte istud durum & asperum videbitur, hoc quidem totum ex speculi nostri experimentalis obseruatione aperte demonstrabimus, in qua efficiemus vt debita illius machinæ contemplatio omni philosophorum ethnicorum obiectioni respondeat.

In primo ergo loco notare debemus, quod spiritus in vitro conclusus ita se habeat vt commune illud elementum spirituale, concauitates mundi circum septum: nam vt caloris seu frigoris aduentu spiritus idem ille & vnicus vitro inclusus vel se dilatando vel contrahendo alterat de statu in statum, ita vt dominante calore depellat aquam à figura. I. deorsum magis vel minus secundum dominiũ caloris, videlicet ad grad. 2.3.4.5.6.7. idq; dilatatione ipsius virtute caloris. Sic quidem viceuersa dominante frigore eo magis spiritus ille contrahitur quo magis præualet frigus, & quo magis se contrahit eo etiam magis sursum supra figuram I. eleuat. Qua quidem obseruatione docemur quod spiritus mundi contrahatur & coarctetur actu frigoris; vnde sequitur quod quo intensius sit frigus, vtpote illud Boreale eo etiam magis coarctatur aër. E contrario vero docemur quod spiritus mundi dilatatur actu caloris, & per consequens quo magis intensus sit calor, eo etiam rarior fit aër seu mundi spiritus vel elementum commune: at vt vnum pugillum terræ (iuxta meliorum Philosophorum obseruationem) correspondet in pondere ad decem aquæ, & vnum pugillum aquæ ad 10. aëris; atque iterum vnum pugillum aëris ad 10. ignis; sequitur quod terra dilatata in aquã decies tantum loci requirit ac sibi vendicauit in statu terreo, similiter illa aqua in aërem subtiliata decies tantum loci seu spatij pro sua consistentia ac in statu suo aqueo. Quare per eandem degradationem & progressionem necesse est vt aër subtiliatus in statum igneum ampliorem loci capacitatem pro sua corpulentia requirat. Hinc ergo est, quod quo

magis incalescit ille aër machinæ inclusus, eo etiam magis deorsum detrudat aquam in collo retortæ à frigore sublimatam. Cum vero è regione quoniam decem partes ignis primo condensationis gradu coagulantur in vnam aëris, & itidem 10. aëris in vnam aquæ: & denique 10. aquæ in vnam terræ, ideo necesse habemus credere quod aer in formam igneam dilatatus, vtpote deorsum ad 7. inferiorem extensus per primum contractionis gradum migrat in corpulentiam aeream in 2. 1. & 2. deinde ille spiritus inclusi status per alium, hoc est, intensiorem frigiditatis gradum adhuc coarctatur in corpulentiam aquæ vel vaporis humidi, & quasi nubis, vt in 3. 4. 5. gradibus superioribus. Denique extrema frigiditatis dominatio contrahit aerem & contractione ipsius aqua eleuatur vsque ad gradus 6. & 7. superiores, seu supremi hemisphærij. In quibus si quidem alterationibus non plures nihilominus videmus spiritus, sed vnicum & eundem multiformiter à calore & frigore seu actibus & proprietatibus ventosis alteratum. Haud aliter res sese habet in elemento mundi Catholico; nam per illius particulæ alterationem possumus iudicare de toto, cum eadem sit ratio partis & totius.

His igitur sic stantibus, manifestum est, quod si actus caloris dilatat spiritum, seu elementum, tunc quidem ipsum dissipat & pellit secundum maiorem eius partem à præsentia sua & loco suo proprio & consueto in capaciorem. Probatur hoc per hoc instrumentum sic.

Pone hic instrumentum.

Si manum tuam calidam super matracij caput imposueris, subito percipies aquam paulatim descendere, quod est argumentum quod aer præsentia contactus calidi in tantum se dilatauerit in quantum aqua descenderit deorsum. Quo luculenter docemur quod calor non attrahit humores seu spiritus ad se, sed propulsat & expellit potius subtiliando. At vero è regione ablata manu aquam paulatim iterum irrepente frigore in altum attolli animaduertemus: quo quidem certiores sumus facti quod per quot gradus aqua ascenderit, per tot etiam contractus atque coarctatus, & in se compactus est aer frigoris contactu: & consequenter concludimus quod frigoris sit solius attrahere a circumferentia centrum versus incrassando, caloris vero pellere à centro circumferentiam versus.

Pro vlteriori huius instrumenti experimentalis hac in re explicatione, respiciatis *Sect. 1. part. 1. lib. 1. istius voluminis*, vbi de machinæ istius structura & vsu ad amussim disceptatur.

Concludimus ergo contra Aristotelicos & Galenicos.

I*Nprimis, quòd scientiæ eorum meteorologicæ fundamenta quàm falsissimè & admodum erroneè ab ipsis Peripateticis supponantur, quippe quorum est sententia quod efficiens meteororum causa sit cœlum & astra cum suis motibus & qualitatibus, quippe quæ corpora cœlestia sursum (vt aiunt) ex terra & aqua fumos, hoc est, tam exhalationes quàm vapores eleuant & attrahunt, ex quibus fiunt tum postea Cometæ, fulgura, halones, nubes, pluuia, nix, grando, &c. Pro qua re Aristotelem in principio suæ meteorologiæ obseruetis velim. Porro etiam asseuerare haud erubescunt, quòd calor Solis (quem ob istam rationem distinguunt in euocantem & adurentem) euocat & extrahit fumos de terra & aqua ortos in sublime, ex quibus tum postea meteora fiunt.*

Pro Galeno, ipse vt attractiuum caloris actum oculariter demonstrare queat, ista profert: Si quis in Sole præcalido vas aquæ plenum deponere velit, quàm minimùm illis diebus singulis absumptum cernet, nam vehemẽs calor Solis est causa trahendi ad se humores. *Hæc ille* de natural. fac. lib. 1. cap. 12. *Ob istam rationem audacter sic pergit alibi:* Attrahit perpetuò calidum, repellit frigidum: de simp. med. fac. lib. 5. cap. 16. *vbi concludit super hoc, quod medicamenta ab alto trahentia sint calida & tenuium partium: at vero illa repellentia sint frigida & crassarum partium.*

Et tamen oculari nostrâ demonstratione docemur, quòd veritas sit tam Peripateticorum quam Galenicorum opinionibus omnimodo contraria: non enim (vt ipsi aiunt)

eit

est calidum quod ad se attrahit, sed illud è regione quod repellit à se dilatando & rarefaciendo à centro ad circumferentiam: nec frigus quod repellit, sed quod attrahit & contrahit à circumferentia ad centrum, vti antea luculenter est demonstratum. Quare quàm falsa & incongrua sint ethnicorum istorum, quos eorum huius sæculi asseclæ tanto honore, & instar deorum venerantur fundamenta, maturiori & sagaciori literatorum neutrorum intellectui relinquo discernendum atq; iudicandum.

Verùm si Galenistarum aliquis in his replicuerit. Si calor medicamenti calidi nō attrahat ad se humores virtute sui caloris; vnde ergo oritur illa in ipso facultas? Dico quidem ipse, nō attrahere ad se humiditates medicamentum illud calidum, sed calore suo humores loci subtilians ipsum in vaporem reducere, qui ampliorem post rarefactionem requirens locum pro sua existentia aut per poros iam dilatatos expirat (nam calidum est meatus dilatare) aut si cuticulæ pori sunt nimium serrati, eam eleuat & extendit in eminentes vesicas, quo humor dilatatus sufficientem pro sua capacitate existētiam habeat: quemadmodum superius in ocularibus morborum demonstrationibus lucidè est declaratum. Verbi gratia; videmus terram rarefactam in aquam decies tantum loci pro sua existētia requirere quàm habebat antea. Hæc est ergo ratio, cur locus igne combustus vesicas & ampullas facere cernimus; atq; etiam cantharides bullas in cuticulà faciunt, non (inquam) quòd propter calorem suum attrahant, sed quia humores frigidos & crassiores rarefaciunt, & subtiliores reddunt. At si medicamentum illud calidum non sit actu nimis siccum, sed humiditate magis Meridionali præditum, tunc quidem humorem densiorem dissoluit, & eum subtiliando per poros euolare sinit, vel euacuatione insensibili, siue expiratione, vel in forma madidi & vaporosi ichoris, siue sudoris; quòd quidem ideo facit tale medicamentum quoniam poros gratia suæ humiditatis Meridionalis aperit. Sequitur ergo, quòd humor à medicamento tali rarefactus tum appetēs spatium latius ad ipsum capiendum, tum etiam propter suæ substantiæ subtilitatem facillimè per poros dilatatos in forma sua tenui penetrat, & è membro emanat: porrò etiam præsentia vel ignis vel medicamenti ignei aër loci admodum dilatatus euolat per insensibiles meatus, vnde adueniente & tum postea irrepente frigore tātum aquæ ex partibus corporis interioribus subtilis introducitur aëris quantum ignis siue medicamenti ignei subtiliatione exiuit per insensibilem expirationem: atq; hæc est altera ratio qua topicis igneis vesicæ aqueæ fiunt inter cutem verā & cuticulam. Quòd autem medicamenta ignea cum humiditate cùm dissoluunt tum dilatant nos indicant ista, venti Australis natura ab Hippocrate & Galeno descripta: Auſtri diſſoluunt, ſudores eliciunt, poros aperiunt, *&c. Huiusmodi ergo medicamenta sunt semina lini & fœnugræci ex simplicibus, vnguentum Dialtheæ, Empl. oxycroccum, &c. ex compositis, quorum est tum aperire poros tum dissoluere, subtiliare & fluidiores facere humores in membro densos atq; crassos, & non vt vulgus (Ethnicorum doctrina ductum) per attractionem.*

Pari etiam respectu falluntur ipsi in eo quod astruunt, quòd videlicet frigidum repellat, inde etiam concludentes quod medicamenta frigida & crassarum partium humores arcent & repellunt, sed solummodo agunt frigida incrassando & condensando humores, seu vapores humidos ad loca contusa vel adusta, vel ab humorum acrium descensu apostemata, atq; etiam extinguunt & supprimunt acrimoniam defluxionis, vnde fit vt de crassato vapore & extincto vel represso caloris actu defluxio minimè capax redditur ad penetrandum aut fluendum. Non enim actum habet frigus depellendi, sed fixandi & congelandi per contractionem, vt in speculo nostro experimentali, & frigoris Borealis actu manifestum redditur.

Concludimus ergo contra tum Peripateticorum cùm Galenicorum bases & fundamenta, quòd calida non attrahant ad se, sed à centro ad circumferentiam pellunt: atque hæc sua virtute rarefaciunt densum, illudq; subtile & mobile faciunt: at e regione frigoris est à circumferentia ad centrum attrahere, atq; hac ratione rem subtilem & ad-

modum mobilem incrassare seu indurare, atq; tardiorem & fixiorem reddere. Si hæc (ô vos increduli Ethnicorum doctorum sectatores) verba sufficientem adhuc vestris dubitationibus fiduciam non attribuunt, respiciatis velim machinæ illius nostræ experimentalis operationem, manu (inquam) tangatis velim matracij caput seu summitatem, & tum postea aliam mihi demonstretis, oro, si possitis rationem, cur aqua manus tangentis caliditate deorsum gradatim descendat præter aëris dilatationem? At si aër ita dilatatus fugiat à capite vitri tanquam centro in quo delitescit caliditatis actus circumferentiam quam aqua designat versus, euidens est argumentum quòd madida aëris natura vtcunque caliditate mixta appetat potiùs aqueam frigiditatem, tametsi caliditati aëris rarefacti contrariam, quam vt induret caliditatis intensæ actum, & consequenter quòd ab ignea centri virtute resoluendo & dilatando pellatur cum violentia, cùm aër ita rarefactus & calefactus, eius in aqua contrarium petere compellatur. Hinc ergo fit ille inclusus oculariter cogit deorsum vt ampliorem fugæ suæ locum acquirat. E regione verò seriò vos intueri velim, idque obseruatione diligenti si absentia manus calidæ aqua illa depressa non gradatim iterum secundùm gradum augmentationis frigoris superuenientis ascendat, quod cùm verum & probatum inueneritis, excogitetis velim (si queatis) aliam eiusdem rei rationem præter illam à me antea recitatam, videlicet quoniam frigus paulatim substantiam aëris in capite matracij conclusum à circumferētia videlicet aquæ termino ad centrum seu matracij meditullium contrahit, & in se inspissando attrahit. Quòd si ita res quidem se habeat, repudiemus nos falsa & contraria illa Ethnicorum fundamenta, vtpote quæ literarum sacrarum authoritate firmissimis Philosophiæ veræ rationibus, ac deniq; oculari demonstratione vana, inania, & à veritate dissentanea comprobantur. Et quamuis ipsorum sectæ quispiam obiicere queat, videlicet actum solarem atque illum elementi igniformis esse in causa, quòd vapores & exhalationes ascendant à terra cœlum versus, tamen nos dicimus, hoc non esse, quia aut Sol aut ignis ipsas sursum attrahant, seu ad se trahant, imò verò calor solaris aut igneus nihil facit tale. Verùm fatemur proprietatem naturalem ignis tam cœlestis, quàm elementaris esse rarefacere, dissoluere & dissipare alicuius per ligamenti compositionis humidi à suo composito excussionem: vnde fit, quòd ardentior est ignis eò subtilius est opus aggregati partes per minima. Atque tum postea hoc opere peracto res grossa, subtiliata & ponderosa in leuitatem redacta sine alio aut Solis aut ignis impulsu naturaliter eò magis sursum tendit, quò subtilior & leuior fit: nam vt omne graue naturali inclinatione deorsum descendit, vti in lapide in altum proiecto indicatur, ita quidem è contrario omnia leuia appetitu naturæ suæ competenti vehuntur sursum, vnde si humor in vaporem conuertatur, tunc illo vapore eò altiùs ascendet quò est rarior; atque hoc idem de exhalatione est dicendum. Non ergo attrahit natura ignea, sed humorem seu vaporem subtiliat, viceversa vapor & res subtiliata sursum à propria sua natura vehitur; quod etiam in fumo ligni ardentis atq; aquæ bullientis manifestum redditur, nam si ignis sibi attraheret vapores vel exhalationes, tunc fumus subtiliatione factus non fugeret aut ascenderet ab igne, sed attraheretur semper ad ignem, cuius contrarium ocularis nos docet experientia; in qua & per quam luculenter instruimur quòd vapor & exhalatio à ligni aut carbonis combusti naturali inclinatione, imò verò & ad talem motum assistente ignis actiuitate in altum non ad ignem, sed ab ipso fertur, multò minùs ab igne attrahitur siue allicitur. Hinc ergo corruere & pessundari necesse est meteorologiæ Aristotelicæ bases. Hinc Galeni & Hippocratis fundamentum fragilitas atq; instabilitas enucleatur, atque ad oculum detegitur. Hinc etiam tolletur vana ista & malè stabilis Peripateticorum & Galenicorum assertio & responsio ad ea quæ inter Theologiam & Philosophiam inueniuntur differentia; (Verùm hoc est & intelligitur, inquiunt, in Theologia, & non in Philosophia, & quòd aliter res se habet in Philosophia quàm in Theologia,) nam si vnica tantùm sit veritas quæ in scripto sacro est solummodo inuenienda, cur, obsecro, nostras ad ea conuertamus intentiones,

tiones, quæ tametsi malè consideratis videntur, tamen reuera non sunt, hoc est, cur fidem imponamus mendaciis Ethnicorum, quando authoritati sacræ omnimodo, non aliter quàm tenebræ luci repugnant?

Denique, quæ hoc loco in lucem protuli, non (vt superiùs) *aut vanæ gloriæ, aut iactationis causa, sed potiùs vt veritatem meis fratribus, cùm ad honorem Dei mei, cui fideliter & ex corde meo inseruiam, tum ad vtilitatem eorum qui in Philosophia vera operam nauare delectantur, fideliter obiiciam, vt hac ratione falsa & spuria Europæorum Philosophia super fundamenta ethnica statuminata funditus tollatur, & in exilium æternum ab hominibus relegetur, atque vt sinceriori mente mundus ad ista Apostoli verba attendat, qui dicit:* Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elemẽta mundi, & non secundùm Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. *Coloss.* 2.8.9.10.

At nostra Philosophia in omnibus conuenit cum Sacris literis, quippe quæ agnoscit Deum operari omnia in omnibus per Iesum Christum, vtpote per quem omnia, quatenus ipse sua plenitudine implens vniuersa est caput omnis principatus, potestatis & naturæ Angelicæ, qui sunt verbi & voluntatis diuinæ executores, immittentes actum placiti diuini sub forma ventorum in elementum mundi catholicum seu aqueum, ex quo quasi materia rerum vniuersali mediante spagyrica verbi diuini seu sapientiæ æternæ operatione, creati inprimis fuerunt cœli & terra, & quotidie meteorologicæ & perfectæ mixtorum generationes de nouo fiunt in parte eius sublunari, per assiduam ipsius de natura in naturam mutationem à formis ventorum Angelicis, quæ à Christo seu æterno sapientiæ fonte, potestatum & principatuum capite, actum seu specificam suam influentiam accipiunt, ipsumq́ in mundi spiritum effundunt. Hinc ergo vt cum A certamen hoc incepimus, ita quidem cum Ω finem ei fœliciter imponimus, affirmando ipsum esse principium & finem, omnia in omnibus, spiritum viuificantem, & mouentem omnia per summam ipsius emanationem *IESVM CHRISTVM, seu verbum eius, seu* æternam eius sapientiam, quæ vt implet omnia, & inest omnibus, ita agit & operatur omnia in omnibus, quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia: Ipsi sit honor & gloria in sæcula sæculorum. *Hæc ergo nostra fundamenta sunt vera & genuina, ac a Scripturis minimè in re qualibet dissentientia, & consequenter à mundo Christiano haud negligenda, aut ab vllis præterquam à malitiosis, inuidis, aut veritatis hostibus in contemptu habenda.*

Apoc. 1. *Tit.* 6. *Act.* 17. 9. *Sap.* 1. 3. *Sap* 11. 11. 1. *Cor.* 12. *Rom.* 11.

FINIS. DEO GRATIAS.



ΚΑΘΟΛΙΚΟΝ MEDICORVM ΚΑΤΟΠΤΡΟΝ:

Inquo,

QVASI SPECVLO POLITISSIMO MORBI præsentes more demonstratiuo clarissime indicantur, & futuri ratione prognostica aperte cernuntur, atque prospiciuntur.

Siue

TOMI PRIMI, TRACTATVS SECVNDI, SECTIO SECVNDA,

De

MORBORVM SIGNIS.

AVTHORE

ROBERTO FLVDD, aliâs DE FLVCTIbus, Armigero, & in Medicina Doctore Oxoniensi.

Anno M. DC. XXXI.

Sectionis istius Secundæ Contenta.

Generale hoc ægrotorum Catoptron in portiones diuiditur tres, quarum

- Prima signorum prognosticorum differentias pertractat, atque ista in partes distribuitur quatuor quarum
  - Prima tam morbos futuros, quam præsentium accidentia, nondum apparentia ex supercœlestium speculatione in vnico tantum libello detegit atque definit.
  - Secunda in cœlestium obseruatione consistit habetque duo membra quorum
    - Vnum certis & magis essentialibus Astrologię fundamentis stabilitur, ex quibus CRISIVM scientia *in libris 5.* descripta emergit.
    - Alterũ incertis basibus & incognitis, seu potius symbolica Pythagoreorũ traditione magis q̃ solida ratione innititur. Et hoc se extendit ad
      - Arithmeticã diuinatricẽ
        - Lunarem.
        - Solarem.
        - Meteorologicã.
        - de quibus *liber Primus.*
      - Nomandiam siue Onomantiam. Atque de hac *Lib. 2.*
  - Tertia ex obseruatione Elementari rimatur cum morbos futuros tũ accidentia in morbis, idque vel per proprietates
    - ventorum.
    - Meteororum.
    - Compositorum ex meteoris procreatorum
    - Quæ *libro vnico* includuntur
  - Vltima absq; Crisis consideratione
    - Morborum Cardinalium præsagia concludit *libello vnic.*
    - Futurã infirmi
      - Salutem
      - Mortem
      - Præmonstrat, *idq; libello vnico.*
- Secunda circa signorum demonstratiuorũ genera versatur; inq; partes distinguitur tres, quarum
  - Prior complexiones Cardinales tam naturales quam præternaturales *in libro vnico* describit.
  - Media meteororum morbosorum præsentiam, eorumque à quatuor fontibus ventosis ortum *in libro* itidem *vnico* ostendit.
  - Vltima instantia temporum morborum, atque plenitudinis & obstructionis indicia etiam *libro vnico* declarat.
- Tertia pertractat signa prognostica & demonstratiua simul. Atq; ista in partes quatuor secatur, quarum versatur
  - Prima in obseruatione conditionis seu proprietatis figuræ
    - Cœlestis, de qua intendit Iatromathematica in libello.
    - Terrestris, atque in ista versatur Geomantia de qua *lib. 1.*
  - Secunda circa cõtemplationem membrorũ ægroti, & præcipue
    - Faciei, de qua in vnico libello tractat Physiognomia.
    - Manus, atq; de ista agit itidem *vno libello* Chiromantia.
  - Tertia in consideratione atq; obseruatione excrementorum ægroti, atq; hæc in mẽbra diuiditur duo, quorum
    - Primum vrinam
      - Non visam *in libro vnico* Iatromathematice tractat.
      - Visam more Physiologico describit *in lib.*
    - Vltimũ signa
      - Egestionis per
        - Vomitum
        - Secessum
        - In *libro vnico* explicat.
      - Sudoris.
      - Sputi.
  - Quarta circa signa quæ ab inconstanti spiritus vitalis statu eliciuntur, videl. vel ab
    - Actu Respirationis, de qua *libellus vnicus.*
    - Motu cordis & arteriarum, cuius mysterium comprehendit scientia de Pulsibus *in lib. quinque* distributa.

VIRO



VIRO SCIENTIA TAM POLITICA, QVAM HISTORICA PERITISSIMO, IN Antiquitatum mysteriis apud Britannos facile principi, origine & stirpe (quippe à regali Bruseorum prosapia deriuato) nobilissimo, & amico meo singulari,

DOMINO ROBERTO COTTON,

Equiti ex ordine Baronettorum aurato, Salutem.



VM diuturnam illam inter nos amicitiam mecum perpendens aliquantulum reputassen (Eques nobilissime, & virtute literaria pollentissime) simul atque liberalem tuam erga literatos dispositionem serio considerassem (quippe quibus musæi tui excellentissimi thesaurum semper patefactum nunquam obserasti, librosque in ipso, nullibi fere, vel saltem rarissime comparandos aut reperiendos, præbere atque liberaliter aperire non es dedignatus: inter quos confiteri haud erubesco ego me vtilitatem haud exiguam, quasi haustum quendam nectareum ex illo tuo Heliconis fonte sæpenumero hausisse) non potui gratitudinis acumine excitatus, quin vt nomen etiam tuum inter illa aliorum in viuo isto meo musarum monumento, non ex lapidibus mortuis, sed literis viuis, vndique per Europæ regiones instar nuntiorum emissis & aliis spiritualibus rationis templa penetrantibus, constructo atq; ædificato in æternum recondam atque sepeliam, vt tua futuris sæculis post corporis defuncti funera viuat & commemoretur virtus: nam æquum est vt felicioribus famæ monumentis ipsius recenseantur merita, qui modestia atque humilitate sincera ductus (in hoc ipso se omni philautia immunem demonstrans) suæ virtutis stipem ita in occulto aliis impertiri atque communicare videtur, vt ipsi se per vastam mundi cauitatem suis scriptis famigerabiles queant reddere, nulla de suæ scientiæ patrono mentione facta, atque ita ea sibi quæ alterius reuera sunt, arrogare non hæsitent. Camdenu Britannia vnde quæso flores suos,

præstantiores decerpsit? nonne ex tui musæi sacrario præcipuam suam exsuxit animam? nonne tuo in re qualibet est vsa consilio? Si tua hoc modestia negauerit, ego illius rei testis fui ocularis, & per consequens sciens loquor; & tamen sibi soli omnia, nihil tibi in eo opere adscribere videtur. Quid de magno Speedei opere est existimandum, in quo non modo prouinciarum Angliæ & Hiberniæ descriptiones, verum etiam exactam regum atque annalium historiam macte & summa cum diligentia exprimere conatur? nonne puriorem illius cum antiquitatum, tum veritatis suæ historiæ medullam ex bibliothecæ tuæ monumentis extraxit? Imò verò ipsum polita calami tui argutia in quibusdam illius sui operis locis esse vsum intelligo, atque ita, cum Virgilio, præstantiora in eo composuisti dum alter honorem & nomen tulit. Vir etiam ille doctrina egregius, in mysterio Antiquitatum profundissimus, historiographus peritissimus, & in qualibet philosophiæ parte, scientiisque mathematicis haud mediocriter eruditus, in linguis præstãtioribus, vtpote Hebraica, Arabica, Syriaca, Græca, Latina, Italica, Gallica ac Hispanica bene versatus; denique vniuersali doctrina illustratus Ioannes Selden, in doctorum librorum suorum compositione, quibus per vniuersam fere Europam cum reuerentia nominatur, de tuæ bibliothecæ thesauro seu scaturigine auxilium atque succum, & quasi lactis riuulum è Mineruæ vberibus extillantem, ad infantes illos suos spirituales enutriendos & lactandos extraxisse se ingenue confitebitur. Hoc idem & ego ipse multum ex iisdem tuis riuulis tum luminis naturæ, tum fulgoris atque radiorum mentis diuinæ excerpsisse non negabo, quibus mentis meæ radij magis magisque in dies aucti, quæ Deo placuit producere sunt coacti. Ei ergo sit in sempiternum laus & honos, tibique ipsius salus & benedictio, Amen.

Tibi fidelissimus atque
amantissimus

R. F.

PRO-



PROGNOSTICON SVPERCOELESTE,

Seu

PORTIONIS PRIMÆ PARS PRIMA:

De signis Prognosticis ex Supercœlestium speculatione collectis in libro vnico.

CAPVT I.

Quo libri istius argumentum includitur.



VM sit certum, & à Theosophorum patribus confirmatum, *Deum operari omnia in omnibus*, haud est mirum, si cum fide certa & secura credamus; quòd vt Deus sit ipse solus, qui percutit & vulnerat, & pro placito iterum sanare atque curare gestit; sic etiam in suo motu mediante organo creato relinquat suæ voluntatis vestigium siue characterē, per quem effectum actus diuini, siue tendat ad bonum siue ad malū, discernere queamus: Neque certè est hoc sine manifestissima Dei affligentis erga afflictum peccatorem misericordia & bonitate factū; quippe æger hac ratione vel de sua morte præmonitus, Deum creatorem suum pœnitentia sincera ductus inclamare atque deprecari, veniamque pro peccatis commissis ab ipso petere, atque gratiam eius ad regnum æternum post istam vitam obtinendam recuperare, animamque ipsius afflatu beneuolo recipere potest; vel saltem præmissis salutis atque recuperationis suæ signis propitiis, ingentes, cum bono Rege Ezechia, pro clementia & benignitate erga eum tanta gratias ei agit.

His ergo in primo loco consideratis explicare cum diligentia conabimur, quot modis Deus mortalibus vel morbi seu plagæ futuræ signa seu vestigia, vel præsentis exitus characteres relinquat: nam Deus quandoque exprimit voluntatem suam in flagellum & pœnā peccatorum, diu priusquam infligatur, & quandoque percutit sine vlla admonitione, in quo casu signa demonstratiua sunt inprimis respicienda, de quibus clariùs in portione sequenti.

Signa morborum prognostica ab obseruatione supercœlesti ducta sunt, vel
- Antecedentia, cuiusmodi sunt
  - Peccatum.
  - Inobedientia.
  - Legis transgressio.
  - De quib⁹ *cap. 2.*
- Consequentia, quæ sunt vel
  - Admonitione diuina ægrotis per Prophetas annuntiata. Atque de isto agit *cap. 3.*
  - Vnione more mystico manifestata, vel
    - Priuatè Electis.
    - Publicè vulgo.
    - De quib⁹ *cap. 4.*
  - Somniis reuelata, pertractabitque hæc *cap. 5.*
  - More Physiologico euenientia in mundo
    - Cœlesti.
    - Elementari.
    - Atque de hisce *cap. 6.*

Denique hæc morborum prognostica diuinitus extracta atque deriuata, sunt bases atque fundamenta omnium reliquorum, quæ exprimi aut excogitari possunt, vti suo loco luculentiùs ostendetur.

CAPVT II.

De signis prognosticis antecedentibus, quæ morbos, mala & mortem, atq; desolationem futuram præsagiunt.

PEccatvm, vt erat radix totius mali, ita quidem credere fas est, quòd sit etiam præsa-
gium mali: nam si peccatum sit transgressio Legis, & transgressionis Legis præmium sit
morbus & mors; sequitur quidem, quòd vbi peccatum, seu inobedientia, siue Legis trans-
gressio præcedit, ibi quidem pœna ad peccatum ordinata est consequenter est expectanda,
Genes.2.17. atque in futurum infligenda. Hinc erat Lex siue mandatum diuinum: *De ligno scientiæ boni*
& mali ne comedas; in quocunq; enim die comederis de eo, morte morieris, &c. Vnde certũ est, quòd
Deut.28. instantia transgressionis Legis accidebat prognosticum mortis futuræ. Et alibi: *Si non vis cu-*
stodire & facere omnia mandata eius, mittet Dominus super te famem, & adiunget tibi pestilentiam, &
percutiet te febre & frigore, ardore & æstu & aëre corrupto ac rubigine, & vlcere Aegypti, & amentia,
& cæcitate, & furore mentis, &c. Vnde sequitur, quòd transgressio Legis, & mandati diuini, sit
certum morbi & mortis futurę prognosticon, ita vt aliter euenire non possit, quin ex ore di-
uino sit hoc prolatum & statutum, quòd si tale signum mali originalis apparuerit in mundo,
certum erit indicium, morbos atque plagas futuras esse expectandas, quoniam non aliter se-
qui solet morbus & mors peccatum quàm tonitru fulgur. Vnde Apostolus: *Peccati stipendia*
Rom.6. *mors.* Et alibi: *Per peccatum mors in omnes homines pertransiit.* Vt ergo rhomphæa bis acuta in
Rom.5. bello est indicium mortis seu plagæ futuræ, ita quidem peccatum est manifestum morbi
Eccles.21. seu plagæ prognosticon. Vnde Syriacus: *Peccatum omne quasi rhomphæa bis acuta plaga illius non*
Psal.101.8. *est sanitas.* Hinc igitur Dauid: *Peccatores omnes interficiebam in matutino, vt disperderem à ciui-*
tate Domini omnes operatores iniquitatis. Quibus liquet, quòd imprimis præcedere solet, qua-
si ominis mali prognosticon peccatum, & tunc loco mercedis ipsius imponit Deus flagel-
lum & pœnam in peccatorem. Quòd etiam peccatum è longe præcedere solet punitionem,
testatur textus iste: *Peccatorem Dominus irridebit, prospicit enim quòd veniet dies eius:* ac si dixisset,
certum est, quòd quatenus est peccator eatenus veniet dies in quo punietur: de quo die
Psal.11.6. hæc Psaltes: *Peccatorum calicis pars ignis est, sulphur & spiritus procellarum.* Porrò dixit Deus
Exod.32. Moysi: *Vade, descende, peccauit populus tuus, fecerunt sibi vitulum, & adorauerunt eum, populus est*
iste duræ ceruicis, immitte me vt irascatur furor meus contra eos & deleam eos; & tum postea ceciderunt
ex gladio triginta tria millia hominum. Quibus euidens est, quòd idololatria erat signum, quasi prognosticon vindictę diuinæ futuræ. Porrò etiam ob similem causam, videlicet ob Israëlitarum murmurationem, igne consumpta erat pars eorum magna, parsque altera ob Idololatriam serpentibus vulnerata. Miria etiam ob inobedientiam leprosa facta. Infinita quidem sunt istius rei exempla sparsim per Scripturas expansa, quæ manifestè narrant, peccatum esse maximè radicale ex signis mali futuri prognosticon, vtpote quod est indubitabile argumentum mali vel corporis vel animæ futuri: nam Deus posuit inobedientiam seu Legis transgressionem pro certissimo signo morbi & mortis, vt nullus contingere aut existere possit morbus vel mors, vbi peccatum non priùs præcesserit, atque etiam præsens sit. Vnde dixit Christus paralytico: *Surge, nam peccata tua remittuntur:* vnde immediatè post peccatorum remissionem liberatus est æger à suo malo, & resurrexit atque ambulauit sanus.

Hinc ergo erat, quòd peccatum seu inobedientiam, seu Legis transgressionem dixerimus signa prognostica Antecedentia, quoniam præcedit omnia alia prognostica, non aliter quàm venti Austri afflatus est signum antecedens pluuiæ; at signum eius consequens est nubes, quæ est pluuiæ futuræ præsagium: sic etiam ventus ille ipse diu spirans, est præsagium seu prognosticon antecedens aëris corrupti, atque iterum aër corruptus signum familiare futuræ pestis.

Iam verò ad signa illa prognostica descendam, quæ illa antecedentia immediatè consequuntur.

CAPVT

Caput III.

In quo signa prognostica, quæ Antecedentia consequuntur, atque in prima serie ea, quæ admonitione diuina fiunt, exprimuntur.

Restat iam, vt de signis prognosticis, quæ inter peccatum & ipsum morbum intercedunt, loquamur, ac in primo loco de eis quæ admonitione diuina contingunt, mediantibus Prophetis, aut viris sanctis, annuntiari ægrotis, verba faciemus. Viri enim Dei admonitione siue reuelatione, seu verbo Dei prognostica de infirmis infallibilia dare assolebant: nam in vno loco ait textus, quòd Abia Ieroboami filio grauiter ægrotante, vxor Ieroboami mutato habitu seu vestimento vt Prophetã cęcum deciperet ad Prophetam in Silo mandato Regis pro ægroto consulendi gratia ingrederetur,: *Ipse n.* (ait Ieroboã) *indicabit tibi quid euenturum sit puero huic. At dixit Dominus ad Abiam: Ecce vxor Ieroboam ingreditur vt consulat te super filio suo qui ægrotat, hæc ei loqueris,* &c. *Ecce vxor Ieroboam ingreditur, & dissimulabat se esse Prophetæ, cuius oculi caligabant præ senectute; Audiuit Abia sonitum pedum eius introeuntis per ostium, & ait: Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas? Vade & dic Ieroboamo, Hæc dixit Dominus Deus Israël, quia operatus es malè super omnes qui fuerunt ante te & fecisti tibi Deos alienos, vt me ad iracundiam prouocares; mundabo reliquias domus Ieroboami sicut mundari solet fimus. Qui mortui erunt de Ieroboamo in ciuitate, comedent eos canes,* &c. *Tu igitur surge & vade in domum tuam, & in ipso introitu pedum tuorum in vrbem morietur puer. Surrexit itaque vxor Ieroboami, & venit in Thersa; cumq; illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est.* In qua quidem de prognosticis historia primò videre licet, quòd peccatum, & præcipuè Idololatriæ sit prognosticon initiale siue antecedens, non modo mortis pueri, sed etiam totius domus seu generationis Ieroboami destructionis, quippe præeunte quo iracundia tum postea diuina excitatur, quæ est causa morbi & mortis. Vnde Dauid: *Ira tua consumimur, & æstu conturbamur.* Et Iob: *Cùm impius esset repleturus ventrem, in eum Deus æstuantem iram suam emittit, quam impluit in eum loco cibi eius.* Quibus innotescere videtur, quòd iræ Dei subiectum est vir impius & peccator, & non probus & iustus, & consequenter quòd peccati actum sequatur ira diuina, siue à cœlo, seu per viam influentiarum, siue à vento aliquo Angelico maligniter & corruptè dispositio, siue à tonitru, cometa, aut aliquo alio meteoro ignito contagioso, vel pluuioso, vel niuali infundatur; & quòd istiusmodi siuè malæ stellarum in cœlo positiones, vel maleuolæ compositiones meteorologicæ in aëre generatæ à Deo in iracundia sua, proferuntur, atq; in peccatorum damnum disponuntur, vt in vltimo huius perspicuius. Quòd autem cœlorum positio, & præcipuè Lunaris in locis criticis statio sint cùm morborum futurorum tum accidẽtium in morbis in futurum prouenientium signa, nos docebit in *sequentibus*, tam scientia critica quàm Iatromathematica. Porrò etiam, quòd meteora tam ventosa quàm humoralia atque ignea sint morborum futurorum prognostica, vbique in morborum Epidemicorũ, atq; aphorismorum tractatu nobis indicant Galenus & Hippocrates. Denique quòd cometæ multiformes sint communes contagionis & pestilentiæ nuntii confirmant non modo Philosophi, verùm etiam Astrologi. 3 Reg. 14. Psal 19.5. Iob. 20.33.

Quare ista haud iniuria vocamus signa prognostica consequentia, vtpote iræ diuinæ indicia, illamque semel in peccatores incensam immediatè sequentia quasi ad vindictam diuinam exercendam à Deo ordinata, vt infrà latiùs. Hîc ergo habemus imprimis legis diuinæ transgressionem, quæ est peccati radix. At peccati merces est punitio per plagam aut mortem, vnde est peccati ortus atque dominium primarium pœnæ seu plagæ futuræ indicium; nam vrgente eo accenditur ira diuina, quam consequuntur signa ea prognostica quæ immediatè præcedunt vel morbum in sanis, vel mortem in morbosis. Adducam etiam vobis alterum exemplum prognosticorum ex verbo & admonitione diuina: *Achazia ægrotans consulere iussit suos nuntios Baalzebubum Deum Hekronis, an sanitatem suam recuperaret: Angelus autem Domini loquutus est ad Eliam, dicens: Surge & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non est Dominus in Israël, vt eatis ad consulendum Baalzebubum deum Hekronis? Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Et mortuus est ipse iuxta sermonem Domini,* &c. Hîc ergo præcessit contemptus Dei veri, & adoratio Dei falsi & alieni, ob quod peccatum iratus Deus prognosticum in os Prophetæ infudit exitiale de morbo Regis, iuxta quod tandem mortuus est. E regione ad prognosticum salutiferum, quod spectat ab ore Prophetæ per reuelationem & admonitionem Dei prolatum hæc habet textus: *Ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, fleuitq; ipse fletu magno, & orauit Deum; & factus est sermo Domini ad Esaiam, qui ait ad Regem ægrotantem: Hæc dicit Dominus* 4. Reg. 1.

nus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te; die tertio ascendes templum Domini: Dixitq; Esaias: Afferte massam ficuum, quam imposuit super vlcus. Et
4.Reg.20. *dixit Ezechias, quod erit signum, quòd Dominus sanabit me, & quòd ascensurus sum die tertio templum Domini. Et ait Propheta: Hoc erit signum, vmbra horologii reuertetur retrorsum decem gradibus.* Quibus euidens est, quòd Deus boni huius regis miserescens per os Prophetæ prognosticum salutis inprimis ei pronuntiauit, deinde & signum prognosticum aliud est ei dignatus, quo fidentior in sua recuperatione factus animo magis alacri in eucharistia sua pergeret.

Iam verò ad secundum signorum immediatè prognosticantium ordinem seu gradum accedam, quæ visione mystica explicantur.

Capvt IV.

Qua ratione signa illa mali prognostica, quæ sola visione Prophetica, & more mystico contingunt, reuelari solent.

Solet etiam Devs, per visionem aperire malorum prognostica tam per medium ele-
1.Reg.2. ctorum, quàm viis aliis miraculosis, de quibus nos *in hoc capite* perpauca: *Reuelauit ergo imprimis Deus puero Samueli per visionem mala illa quæ Sacerdoti magno Heli atque filiis suis erant ventura. Quare inter somniandum atque vigilandum audita est vox Domini, cui postquam eam Samuel post tertiam vicem* (instructione Sacerdotis Heli) *percipiebat, respondebat dicendo. Loquere Domine, quia audit seruus tuus; & dixit Dominus: Ecce ego faciam verbum in Israël quod quicunque audiuerit, tinnient ambæ aures eius. In die illa suscitabo aduersus Heli omnia quæ loquutus sum super domum eius incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos.* &c. In quo sermonis filo elicere queamus, quòd in visione, hoc est, inter somniandũ & vigilandum Deus reuelet mala futura electis suis; deinde, quòd origo illius mali futuri, & consequenter Prognosticum illius esset peccatum Heli: tertium, quòd talis futuri mali prædictio esset ante diem ruinæ domus Heli, vti etiam ex historiæ progressu videre licet. Sed ista species haud multum à præcedenti differre videtur.

Ezek.8.& 9 Sed etiam hoc in vera visione accidebat Prophetæ Ezechieli, quippe qui dixit: *Eleuauit me spiritus inter cœlum & terram, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei iuxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem, & dixit ingredere, & vide abominationes pessimas quas isti faciunt, & vidi idola domus Israël depicta; & clamauit in auribus meis, dicens, Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua; & ecce viri sex veniebant de via portæ quæ respicit ad Aquilonem, & vnusquisque vas interfectionis in manu eius: vir vnus in medio eorum erat vestitus lineis, & gloria Domini assumpta est de Cherubin, & vocauit virum qui indutus erat lineis, & dixit ad eum, Transi in mediam ciuitatem Ierusalem, & signa Tau super frontem virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius; & illis dixit audiente me, Transite per ciuitatem sequentes eum & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini, senem, adolescentulum & virginem, paruulum & mulieres interficite; Omnem autem super quem videritis Tau ne occidatis. Et ingressi sunt, & percutiebant eos qui erant in ciuitate,* &c. Qua verborum serie primùm intelligere fas est, Prophetam hanc Ierusalem destructionem vidisse spiritu raptum, atque in visione Dei, & quòd visionis istius actus esset spiritualis imago, siue interna repræsentatio illius mortalitatis, quæ in posterum in habitatoribus Ierusalem erat futura: nam per talem visionem præsagiebat pestiferam destructionem eorum omnium qui non essent in frontibus signati. Denique peccatum, videlicet Idololatriam, fuisse signum istius destructionis præcedens, arguit textus, quippe per quod incitatus erat Iehoua ad plagam tam ineffabilem ciuitati illi inducendam. Pariformiter & desolatio per malos Angelos mediantibus ventis vniuersis terræ habitatoribus (exceptis illis qui ab Angelo bono erant signati in frontibus) per visionem Ioanni reuelatam, est prænuntiata:
Apoc.1.9. *Ego* (inquit Ioannes) *fui in spiritu in Dominica die,* &c. *Et vidi quatuor Angelos stantes super*
cap.7.1. *quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos ne flarent super terram, neque super mare. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem sigillum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, donec signemus seros Dei nostri in frontibus eorum,* &c. Hic ergo malum

malum futurum, & vniuersæ terræ venturum per istiusmodi visionis signum est Reuelatori in visione patefactum.

Porro etiam mysteria sua, atq; euentus futuros more hieroglyphico & mystico, seu per apparitiones parabolicas & characteres vulgo quandoq; reuelat: nã cũ *Balthazar rex Babylonis cũ suis bibebat vinũ & laudabat Deos suos aureos & argenteos, æreos, ferreos, igneos, lapideosq;, in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & rex aspiciebat articulos manus scribentis: tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum. &c.* Hic ergo videmus, quod signum prognosticum alicuius rei siue boni siue mali futuri publice compareret: sed cuius erat rei prognosticum rex cum suis mundanis ignorauerunt, imo vero ipsos magos, Chaldæos & haruspices latebat hoc. At vero spiritui Danielis (cui attribuebat dictus rex ipsum posse obscura interpretari & ligata dissoluere) facilis erat non modo scripturæ illius lectio, verum etiam sensus ipsius mystici interpretatio. Scriptum autem MANE THECEL PHARES. quod quidem signum magni mali prognosticum inueniebat; nam illud in hunc modum interpretatus est. MANE *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.* THECEL *appensus es in statera, & inuentus es nimis leuis.* PHARES. *diuisum est regnum tuum & datum est Medis & Persis. Nocte autem sequenti interfectus est Balthasar, & Darius Medus successit in regnum:* Atque ita tertiam habetis rationem, quomodo Deus quandoq; per solam visionem, & nonnunquam hieroglyphicis apparitionibus mala mundo futura reuelare soleat. Iam vero quod ipse quandoque tam bona quam mala futura nonnunquam more arcano per somnia hominibus patefaciat, *in sequenti* ostendam.

CAPVT V.

Quomodo signa mali prognostica quandoq; à Deo per somnia hominibus manifesta reddantur, atque patefiant.

QVandoque accidit, quod Deus reuelat euentus futuros tam bonos, quam malos, per somnia & in somnijs licet non verbis quidem planis & apertis., sed more ænigmatico & non nisi à sapiente, & vero Dei spiritu induto interpretanda: vnde neminem in sacris literis verum somniorum expositorem legimus, præterquam spiritu tali inspiratum; quare coactus est rex Pharaò verba istà de Iosepho coram ministris suis effundere, *Num inuenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit?* Et de Daniele regina ad regem Balthazarum, *Est vir in regione tua qui spiritum Deorum sanctorum habet in se, &c.* Quod autem Deus prognosticatur & prædicit hominibus futura per somnia, idque tam bona, quam mala, arguunt duo somnia, quæ Iosephus in carcere exposuit, videlicet tam Pincernæ quam Pistori Pharaonis, quorum illius præsagium erat ad bonum, huius vero ad malum: nam Pincernæ somnium erat quod videret coram se vitem in qua erant tres propagines crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere, calicemq; Pharaonis in manu sua, & quod tum postea tulerit vuas, & expresserit in calicem quem tenebat, & tradiderit poculum Pharaoni, &c. Hoc ergo somnium interpretatus est Ioseph esse præsagium futuræ libertatis suæ, & gratiæ regis, quam vt in fine trium dierum obtineret præsagiebat vates. Pistoris autem somnij finis siue exitus erat huic contrarius; nam vt somniabat se tria canistra farinæ habuisse supra caput suum, & quod in vno canistro quod erat excelsius se portasse putauit omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesq; comedere ex eo: Ita exposuit Iosephus hoc somnium esse futuri mali, vtpote mortis post triduum præsagium: nam *tria* (inquit) *canistra tres adhuc dies esse post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas, &c.* Hic ergo duo habetis præsagia seu signa prognostica ænigmatica tam boni, quam mali exitus futuri in somnijs significata, atque fideliter à Iosepho interpretata.

Gen. 41. 38.

Daniel 5.

Gen. 39.

Tum postea audito rumore de ipsius in somniorum reuelatione, sapientia, rex ipse Pharao somnio duplici ænigmatico turbatus, nemineque sapientum seu coniectorum Ægyptiorum somnia illa exponere valente, tandem è carcere Iosephum liberauit, qui veraciter ambo ipsius somnia in hunc modum est interpretatus: dixit enim, *Somnium regis vnum est, quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt, eandemq; vim somnij comprehendunt: septem quoq; boues tenues & macilentæ quæ ascenderunt post eas. & septem spicæ tenues & vento vrente percussæ septem anni venturi sunt famis, &c.* Quibus euidens est, quod per somnium licet mysticum reuelatus est annorum futurorum status tam bonus & propitius quam malus & sterilis. Erant ergo talia somnia Pharaoni loco signorum prognosticorum boni & mali, quæ Iosephus instar medici optimi detegere atque

Gen. 41.

explicare gestiebat: nam signa prognostica tam vitæ & salutis quam morbi atque mortis apparere possunt in ægrotis, & tamen nihilominus non est in intellectu infirmi sensum signorum prognosticorum percipere; verbi gratia, si signa critica solutoria dicta, videlicet aut vomitus aut sanguinis è naribus eruptio contingant ægroto, est quidem medici præsagia ista an scilicet ad bonum tendant interpretari, quippe quorum sensus in ęgrotantibus in quibus comparent delitescit.

Pari etiam ratione res sese habebat cum Daniele in expositione somnij Nabuchodonosoris, quod etiam erat tam mysticum, vt neque magi, neque Chaldæi, neque haruspices illud exponere potuissent: verum enimuero Daniel indicauit regi illud fuisse præsagium futuri status atq; mutationis monarchiæ mundanę. Imo vero & ego ipse in mea praxi cognoui patientes quosdam meos extreme laborantes qui de futuro eorum statu *fuerunt* per somnia admoniti. Atque horum tantummodo somnia tria, eorumque euentus recitabo.

Dan. 2.

Erat ancilla quædam Londini in Parochia S. Andreæ in Holburne, quæ post subitaneum delirij periculosi & tempestuosi recessum, in quo se diabolum vidisse frequenter clamabat, in quietem pacificam incidit, & placato more dormire videbatur: expergefacta autem se somnum iucundissimum vidisse narrat, & heram verbis istis est alloquuta, *Doleo vehementer, mi hera, me tibi & domi tuæ fuisse adeo turbulentam & inquietam, sed scio me non vltra tres ab hinc dies tibi molestam fore.* Cui hera siue Domina, *Bono animo sis, nam periculum (vti speramus) omne recessit.* At illa, *imo quidem paratus est mihi locus quietus, nam hora meridiana die Veneris recedam à te & ab isto mundo: interea oro, vt patienter feras molestiam quam tibi præbebit morbi & vitæ istius meæ residuum.* Denique adueniente die dicto, hora eadem (ac ipsa prædixit) exacte meridiana expirauit. Erat alter nobilis quidam in collegio Iuridico dictæ parochiæ, *Grais-In* dicto in cuius corpore primum variolæ comparebant: at illæ ad interiora retrogredientes ægrotus intra triduum vel quatriduum in pestem incidit, & circa eius finem tale ipsum inuasit somnium. Visum est ei se in bosco siue sylua admodum tenebrosa fuisse, & quod necesse erat per viam admodum arctam ingredi, ita vt duo simul per eam iter facere non possent; in istius etiam viæ introitu alium etiam ambulantem videbat, qui pro loco & priuilegij & præeminentiæ ingressionis primæ cum eo contendebat: at tandem aduentu duorum grauissimorum virorum deposita videbatur controuersia, *atque mihi* (inquit) *sors ingrediendi est adiudicata, eiq; denegatus est introitus.* Hic somnij ipsius effectus. Paulo post mortuus est somniator iste, & ad sepeliendum comitantibus nonnullis amicis perductus, inter huius atq; alterius mortui amicos pro fossa seu sepulchro recenter facto orta est contentio: nam hi sepulchrũ pro hoc, illi pro illo ordinatũ atq; effossum strenue defendebant; interea temporis viri duo graues, quibus commissa erat Ecclesiæ cura pro illo anno vocati accesserunt, atque somniatori locum illum sepulchri adiudicauerunt.

Nobilis, seu generosus etiam quidam Anglus, vir satis literatus, dictus Lythetland in somnio se admonitum esse dixit quod inanimatus & quasi per 48. horas fere mortuus, idq; longe ante prædicto permaneret, imo vero de illa re tanta, mediante somnio illo, confidentia erat ductus quod fratrem sibi charissimum stricte & cum vehementia premeret, vt ipsius curæ diligentiam circa tale tempus præberet, eumque super omnia præcauere iussit ne (si mortuus videretur & quasi inanimatus) ante horam 48. à lecto remoueretur. Accidit autẽ, viuentib. dictis fratrib. simul sub vno eodemq; tecto, q̃ somniatoris istius frater, oblito fratris sui mandato, & fortasse somnio illi nullã fidem adhibens exijt, & in venatione animalium per biduum fere est cum alijs nobilibus exercitatus: tum subito admonitionis, & mandati fratris recordatus festinat domum; ibiq; inuenit omnes in luctu, fratremque suum pro mortuo à vicinis & domus mulierculis reputatum è lecto pro more nationis extractum, & super asseres cubiculi frigidos ad refrigerandum repositum: quo intellecto lugebat & dolebat vehementer se adeo mandati atq; admonitionis fraternæ oblitum fuisse; & statim fratrem lectulo prius calefacto reposuit, eumq; linteis calidis sæpius fouebat, ac tandem circa horam 48. ab exanimatione sua paulatim & sensim mouere incipiebat, ac tandem ad salutem pristinam est reuersus. Ipsum post illud cũ maxima delectatione alloquutus est rex noster Iacobus, cui reuelata est visio quædam mirabilis quam in euanitionis seu syncopes illius tam diuturnæ spatio oculis suæ mentis intuebatur, de qua *in Tomo nostro vltimo* (vitam mihi felicem concedente Deo) vbi Mortis & resurrectionis mysterium pertractare mihi proposui, verba licet pauca efficiam.

Hisce igitur manifestum est, quod nisi Deus huic viro periculi istius futuri præsagium per somnium veridicum demonstrasset, ipse procul dubio viuus fuisset sepultus.

CAPVT

CAPVT VI.

Quomodo tam mala, quam bona futura aliquando mortalibus per somnia à Deo prædicantur atque manifestentur.

PRo certo sciendum est quod dies pro nece, aut morbo, aut aliqua alia afflictione à Deo assignatus est instar diei critici, seu iudiciarij, qualis etiam erit dies ille magnus, in quo omnia iudicabit filius Dei: nec quidem minus carebunt dies iudiciarij suis signis, quæ statum iudiciorum indicabunt diebus iudicij efficiendorum, quam ille dies iudicij maximus, insignia sua præsagia quasi præcursores habet, vt testantur scripturæ, tam in cœlo æthereo, atq; aëreo, quam in terra. At ait textus, *ante illum magnum diem ista apparebunt signa quæ certa erunt præsagia illius aduentus in æthere Sol obtenebrabitur, Luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli retrahent splendorem suum & decident, & virtutes quæ in cœlis sunt mouebuntur in aëre. Iehoua de Sion rugiet seu tonabit & lux ibit ante faciem exercitus sui, in terra erit terræ motus, & mouebuntur cœli & terra: insurgentque ante illum diem Domini terribilem pseudochristi, & qui venient in nomine Christi. Rumores erunt de prælijs & seditionibus:* nam teste Christo, *oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis, tunc surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ & fames & terrores de cœlo, & signa magna erunt, &c.* His igitur euidens est quod plurima assignantur à Christo maximo illo Propheta signa prognostica terribilis diei vniuersalis Iudicii. Quare euidens est, quod ad imaginem istius diei generalis quilibet etiam specialis iudiciarius, sua habet prognostica, siue fuerit iudicium illud ad bonum & saluationem, siue ad malum & destructionem. Atq; istiusmodi signa futurorum more physiologico à Deo etiam in diei vltimi iudicij præsagio sunt expressa atque explicata. Marc. 13. 21. Ioel. 3. 15. & 2. 10. Iob. 3. Luc. 21.

Verum enim vero sciendum est, quod etiam vbiq; per scripturas legimus, quod signa futurorum eliciantur à regno meteorologico, imo vero Deus vtitur meteoris tam ad mortalium pœnam quam ad ipsorum beneficentiam. *Sunt* (ait Syriacus) *spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationes effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos, Ignis, grando fames & mors, &c.* Et Iob, *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgur, tonitru, quodcunque præcepit Deus istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad faciendam beneficentiam efficit vt præsto sint, &c.* Vnde patet, quod istiusmodi meteora cum in cœlo apparent sint signa prognostica vel vindictæ, vel beneficentiæ diuinæ. In forma vindictæ, *quomodo* (videlicet) *Deus mediante suo tonitru operetur in impiorum destructionem hæc. Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo, inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum in circuitu: præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, intonuit de cœlo Dominus. & Altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbonem ignis, & misit sagittas eius, & dispersit eos fulgur, multiplicauit & turbauit eos.* In quo textu manifeste redditur, quod sit Deus actor centralis tam in prognostico meteorologico, quam in morbo ipso affligente: quare vbicunque adest tale meteoron hominibus, est tremendum horrendumq; prognosticum alicuius mali futuri nisi Deus ex misericordia sua illud malum auertat. Similiter, quando Deus flat maligniter ab Austro, ille quidem flatus iuxta omnium medicorum tam veterum quam modernorum consensum est signum prognosticum aëris aut pestiferi aut saltem corrupti: de quali quidem ista textus sacer. *Deus ab Austro venit, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius,* vel vt alii, interpretantur, *anteiuit ipsum pestis & lues vastans in meridie, &c.* Vnde patet, quod venti Australis præsentia cum tonitru, & æstu sit signum præcipuum aëris corrupti, & consequenter prognosticum pestilentiæ, febrium putridarum, atque apostematum corruptorum: denique omnium illorum morborum quos putridus & æstuosus aër producere solet. Eccl. 39. 33. Iob. 37. 8. Psal 17. 9. Abak. 3. 3.

CAPVT VII.

Quod omnes inferiores præsagiendi, atque prognosticandi species (de quibus nos infra *particulariter,) ex ista supercœlesti, ac diuina consideratione dependeant, eique subiiciantur, atque vt rami suæ radici referantur.*

HAvd inconsulte dixit quidam, *Nemo vir magnus sine afflatu diuino* Nec de quopiam in arte diuinandi exacte & vere perito audiui, qui illud à spiritu diuino donum non acceperit.

Dan.2.27. rit. Vnde propheta Daniel. *Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, arioli & haruspices nequeunt indicare regi, sed est Deus in cœlo reuelans mysteria qui indicabit tibi quæ ventura sunt.* Et Iosephus ait regi Pharaoni. *Absq; me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Ob dona ergo hisce à spiritu sapientiæ assignata, de Daniele hæc regina Chaldæorum, vt dictum est. *Est vir in regno tuo*
Sap.7.a.17. *qui spiritum deorum habet in se.* Et de Iosepho hæc Pharao est effatus. *Num inuenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus est?* Nonne etiam testatur Solomon, se *mediante istius spiritus dono non modo principium, medium & finem temporum, solstitiorum mutationes anni circuitum, & stellarum situs, atque tempestatum varietatem,* (& consequenter rationem crisium atque Iatromathematicam) *imo vero elementorum virtutes, ventorum seu spirituum vires, atque per consequens signorum omnium meteorologicorum ortus & naturas, verum etiam cogitationes hominum ac denique quæcunque sunt aut occulta atque improuisa, & per consequens quæ in tempore futuro sunt producenda, cognouisse atque intellexisse. Nam,* inquit, *omnium artifex me docuit sapientia.* Vnde euidens est, quod quæcunq; producunt scientiæ, quæ super istam basim non sunt fundatæ, siue stabilitę, præstigiosæ atque penitus incertæ sunt, & quicquid ad exitum mediantibus ipsis producitur, illud vtcunque esse atque apparere videtur; reuera tamē non est: atque huiusmodi erant prodigia tempore Moysis, à magis Ægyptiis coram Pharaone patrata, qui coacti fuerunt agnoscere digitum Dei fuisse in signis Mosaicis, hoc est, ea veritate conuenire, & consequenter non esse figmenta qualia erant sua.

Ex præallegato igitur textu Salomonis colligere fas est; omnem veram Iatromathematicam, atque etiam crisium artem quæ in cœlestium contemplatione consistit (si veritati appropinquat) à dono diuinæ sapientiæ debere procedere; sin minus ipsam incertam, inconstructam; atque ab inuentione humana, siue à sapientia mundana, quæ est solum modo ipsius veritatis typus siue vmbra, effectam atque productam credere: nam iuxta præscripta Danielis, sapientes, magi, arioli, haruspices, Astrologi vulgares, &c. nequeunt veritatem certam nobis indicare, vtcunque cœlestia contemplentur atq; speculentur: nec physiologici, seu philosophi naturales, vtcunque ventos, pluuias, tonitrua & fulgura, niues, grandines, cometas, atque alia ignita, & aërea, obseruatione & praxi animaduertant; sed inest quædam vis, seu virtus in elementis occulta, quæ vt est ventorum & meteororum author & actor, ita quidem ei sit soli mysteria illorum apparitionis detegere atque aperire electis, quibus reuelatur, quomodo, ex qua materia, & ob quem finem meteora istius vel illius conditionis fabricatus est atque ordinauit Deus, vt istis fidelibus sapientiæ amatoribus & sectatoribus intellectis ipsi cum Apostolo *Deum patrem operari omnia in omnibus* per Angelicam suam sapientiam Iesum Christum, & *quod ab ipso, per ipsum & in ipso solo sit omnis veritas,* in futurorum reuelatione, & quod sit ipsius emanatio sancta quæ inest & operatur in cœlo, in aere, in aquis, atque terris. Ipsa ergo est sola & vnica diuinationis essentialis fons & origo, & consequenter omnia medicorum prognostica, curationes, & omnia ex ea dependent, cui soli sit laus & honor in æternum.

FINIS PARTIS PRIMÆ.



SPECV-



SPECVLVM CRITICVM.

Seu

PORTIONIS PRIMÆ PARTIS SECVNDÆ

Membrum primum.


DE CRISIVM SCIENTIA.

In libros quinque diuiſum.

Tractatus iſtius Critici argumentum.

Tractatus iſte Criticus in quinq; diſtribuitur libros, quorum

- Primus aperit myſterium
  - Criſis in genere. *Cap.* 1.
  - Dierum criticorum, more
    - Phyſico. *cap.* 2.
    - Cabaliſtico. *c.* 3.
    - Theologico. *c.* 4.
- Secundus explicat Criſis
  - Vocabulum, *cap.* 1.
  - Eſſentiam, authoritate tũ
    - Sacra
    - Ethnica
    - *cap.* 2.
  - Differentiam, *cap.* 3.
- Tertius pertractat Criſis
  - Tempora, ſeu ſpatia in genere, *cap.* 1.
  - Ordinationem per numerũ
    - Septenarium
    - Quaternariũ
    - *cap.* 2.
  - Numerorum taliter iuxta Hippocratis normam diſponendorum rationem, *cap.* 3.
  - Naturam, proprietatem, & effectum, *cap.* 4.
- Quartus explicat
  - Ductuum ſiue meatuum expulſionis per Criſim numerum & differentiam, *cap.* 1.
  - Signorum ſolutoriorum ſpecies, *cap.* 2.
  - Fidæ Criſis conditionem, *cap.* 3.
  - Permutationis ſigna, *cap.* 4.
- Quintus diſtinguitur in membra tria, quorum
  - Primum indicat
    - Eſſentiales Criſis cauſas, *cap.* 1.
    - Hippocratis & Galeni in dierum Criticorũ computatione ſeptenaria & quaternaria errorem atq; erroris rationẽ.
  - Secundũ deſcribit
    - Figuræ cęleſtis fabricam ex octo angulis ſeu partibus conflatam, *cap.* 1.
    - Speculi ægrotorum compoſitionem ex 16. partibus ſeu angulis iuxta Ptolemęi canonem, *cap.* 2. 3. 4. 5. & 6.
    - Particularium ſpeculi partium vſum, *cap.* 7. & 8.
  - Tertium integri ſpeculi Critici vſum & praxim aperit per totum.



LIBER PRIMVS, TRACTANS

De Crisis mysterio.

PROOEMIVM.



CVm primùm in animo meo esset tractatum de Crisi hunc condere, operamque & studium ei strenuè nauare, eadem ipsa septimana (quæ mense Nouembri 1629. contigit) à summo iudice, & Crisium authore radicali, mediante percussore sub Australi (Lunaque Crisium organo in suo plenilunio haud mediocriter assistente) febrili percussum me feruore, siue insultu (distillatione, siue catarrho pariter vehementi comitante) persensi, & quamuis mirum in modum in tam paucillo spatii mihi fuerunt vires deiectæ, eueniebat tamen nihilominus, quòd die quarto, seu Crisis imperfectæ puncto, idque ex benignitate & misericordia ipsius, qui est solus & vnicus vitæ & mortis iudex, & disceptator, vitæ meæ virtuti concessa est quieta carceris argillacei possessio, hostisque eius percutientis, mortisque periculum minantis audacia atque rabies est repressa, ipseque ex templi mei limitibus propulsatus atque in exilium relegatus. Quo circa, vt ei ex mei animi profundo gratias pro posse meo ingentes, tametsi haud sufficientes pro tam immenso erga creaturam suam indignam fauore & beneuolentia agam, me monet, suadetque spiritus vitæ meus, vtpote in cuius actu & lumine moueor, viuo, existo, qui auribus virtutis meæ spiritualibus clamat & hymno hilari canit cum viro patiente. Beatus est mortalis, quem arguit Deus, quapropter castigationem omnipotentis ne spernas, quoniam ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt. *Ob istam igitur occasionem in penitiorem Crisium medullam, seu magis abstrusum ipsarum mysterium me iam immergere vrget ratio, vt tali inquisitione accuratiori facta atque ipsum Deum Crisium tam salutarium, quam lethalium authorem centralem esse, intellectum eum solum sine alio motus critici actorum principalem, vt & intelligentias Lunæ atque ipsam Lunam causas earum organicas existere agnoscamus, mundoque vniuerso tum postea publicemus cum Apostolo, quod Deus Iehoua sit ille solus & vnicus, qui* operatur omnia in omnibus. *Ei ergo sit laus & honor in æternum.*

Iob. 5.17.

CAPVT I.

In quo integrum Crisis arcanum radicitus, pro exili Authoris intellectu, explicari videtur.

EX pluribus præcedentium locis expressum reperietis, quod nihil sit vnitate prius, & consequenter nihil sit ab isto vnitatis fonte exurgens, sine illud sit quoad nos bonum seu malum siue tenebrosum, seu lucidum, siue lethale & exitiale, &c. quod à monade diuina ortum suum non ducat. Sic in priuatiua istiusmodi vnitatis primordialis natura omnia tenebræ sunt facta: nam Deus contrahens clarissimam vultus sui speciem in se ea negat forma-

formaliter existere quę antea sui vultus præsentia essentiæ suæ formam acceperunt. Contracto ergo lumine diuino per proprietatem Saturninam seu Borealem, vel Occidẽtalem in se, subito succedit priuatio, vel absoluta vt in morte, vel non absoluta vt in morbis, siue fiant à contractione ignea siue aquea. Atque in tali sua proprietate vtitur organo illo Angelico, quod scripturæ vocant *Principem tenebrarum*, vtpote cuius est ea penitus destruere, vel saltem ægritudine perturbare quę vnitas in proprietate sua dilatante, siue emanatione benigna (idque ad mundi & creaturarum vitam, existentiam & sanitatem) in lucem per viam creationis, atque informationis parturiuit. Huic ergo proprietati affirmatiuæ, ac per consequentiam virtuti vitali præfecit Angelum suum lucidum, sapientiam videlicet æternam, in cuius cura est (vtpote iustitia exacta insignita) vitæ atque sanitatis donum creaturis tribuere. Hinc ergo fit quod cum horum duorum Angelorum principalium sit omnimodo ratione varietatis suarum proprietatum sibi ipsis opponi atque contrariari (non enim aliter inter se pugnãt, pro sui regni trophæo,) sic volente monade radicali quam bellum perpetuum inter se gerere videmus lucem & tenebras, & tamen teste Psalmista, tenebræ sunt Deo in radicali seu paterna natura vt lux, & vice versa pro certo æstimare possumus quod vbi spiritus vnicus dominii, seu principatus irrepat furtim in possessiones alterius, semper se ad pugnam parãt, & in temporibus atque horis suis, vel magis acriter, vel minus, ratione fortitudinis sui oppositi inter se præliari animaduertuntur idque pugna tam spirituali, quam corporali. Nonne hoc optimè imprimis ex Arboris Sephiroticæ Cabalistarum contemplatione, & tum postea de Saturni & Martis, atque etiam stellarum fixarum ipsis natura conuenientium; ac denique ex ventorum Septentrionalium cum Australibus pugna aperte atque summa inter se inimicitia concurrentium obseruatione luculenter expressa atque demonstrata inuenietis? de quibus plura *in sequentibus*, nam *hoc in capite* de rerum tam materialium, quam formalium, tamque tenebrosarum, quam lucidarum originibus verba efficiemus perpauca.

Vt ergo forma lucida sit donum emanationis sanctæ, quam ipsa more radiorum & per portiones vndique per mundum distribuit, vt res materiales formis olim destitutæ iam existant: ita quidem è regione priuationes tenebrosæ sunt effectus recessus seu contractionis actus diuini à circumferentia ad quam emanabat ad centrum, & per consequens materiæ dilatatæ & subtiliatæ in rem densam & opacam compressio siue restrictio, quemadmodum per spiritus Borealis in elemento catholico effectus videre licet, in quibus vaporem tenuem & diaphanum in niues opacas, aquam limpidam, atque rores in grandines & pruinas non transparentes esse conuersas nos docet experientia. Quibus patet quod materiæ aqueæ fons sit tenebrarum moles, & consequenter quod quo magis ipsa à frigore gubernatur & regitur, eo magis condensatur, opaca redditur, ad quietem est pronior, magisque compacta & grauis, ac crudior in sua substantia, hoc est à maturitate longinquior existit; quoniam omnis maturitas fit à calore; vnde sequitur quod quo res est frigidior, eo etiã crudior atque immaturior. Tota ergo in isto mundo pugna & dissensio euidentissima est inter caliditatem lucis diuinæ sobolem & agonistam, atque frigiditatem tenebrarum & potentiæ diuinæ athletam facta: nam quæ reguntur à calore subtiliatione dissoluuntur, atque à cruditate in maturitatem, & à duritie in mollitiem per putrefactionem reducuntur. At vice versa prædominante frigore cocta recrudescunt, dulcia acida vel austera fiunt, atque hac ratione ita impeditur elementi catholici materia, siue sit Orientaliter, siue Occidentaliter, siue Septentrionaliter, siue Meridionaliter informata vt ad completam maturitatem suo tempore quo facilius à natura superaretur, & per minima more critico expelleretur peruenire nequeat: vnde necesse habemus credere quod ipsa natura humana admodum in sua virtute debilitata materiæ humorali rebelli & obstinatæ vtpote frigoris insultu gubernatæ locum suo tempore iudiciali & critico cedat.

Ex his ergo clarum est, quod virtutis naturalis vires materiæ peccantis peruersitate prosternuntur: nec quidem est materia illa morbosa in se peruersa, sed fit ipsa talis ratione prauorum spirituum siue à planetis maleuolis per menstruum Lunæ statis temporibus descendentibus, siue à ventis maleuolis in elementum catholicum expiratis & à spiritu ægroti contractis.

Concludimus igitur, quod vt res quælibet eo impurior & immundior est censenda, quo magis est tenebrosa, & à frigore solummodo, aut à frigore & maleuolo calore inæqualiter & præternaturaliter composita, vti in nube fulminante videre licet, ita quidem necesse est quod spiritibus immundis & à planetis ac ventis maleuolis emissis sit plenior, & per consequens vitæ humanæ rebellior: nam quid obsecro, est aliud morbus quam immunditics? quidue immunditics quam peccatum? at ablato peccato à paralytico statim conualuit: nam cum omnis morbus sit ab iniustitia, sanitas vero in iustitia consistat, oportet credere

quod vbi nulla est immunditíes, ibi nullum peccatum, quippe iniustitia nulla. In diebus ergo indiciariis ex suo tribunali pronuntiare videtur siue vitam siue mortem ægroto, in manibus cuius tam vitæ quam mortis existunt claues. Hic aut purgat & clarificat reum à peccatis in proprietate sua miserescente, atque ita ad pristinam restituitur sanitatem, & vitali examine expellit immundum inimicum; aut in seueritate sua ad immundi inimici rabiem ægrotum relinquit & moritur. At priusquam ad istius rei enucleationem perueniam, de dierum criticorum ratione perpauca dicemus.

CAPVT II.

Hic Author de radicali dierum criticorum mysterio agit.


C*Apite præcedenti* viuificam monadis emanationem esse vitæ & sanitatis causam expressi, quam exercet ipsa super vniuersum mundum per Iesum Christum, siue æternum Sapientiæ spiritum qui est salutis & saluationis author. At verò in proprietate eius contraria contrarios producit effectus, hoc est non lucidos & vitales siue salutares, sed morbosos & lethiferos mediante organo illo suo quod dicitur tenebrarum & immunditiei princeps, aut aliquo alio ipsius cateruæ. Porrò etiam diximus, quod communis mundi sublunaris materia quadriformiter alterata, aut rebelliorem aut obedientiorem induat vitæ creaturæ dispositionem secundum maiorem vel minorem illorum spirituum portionem ei inhærentium, qui sunt de natura tenebrarum, & consequenter immundi atque impuri, denique iniustitia pleni: vnde fit, vt si portio vna, videlicet illa virtutis viuificæ superet illam humoris maligni qui est spirituum tenebrosorum vehiculum, fit sanitatis recuperatio, sin minus necesse est vt ictui lethali locum cedat, & à lucis seu vitæ regno ad illud tenebrarū & mortis recedat.

Sap. 11. His ergo sic cognitis, sciendum est, tum postea, quod Deus hæc fieri sine certo numero pondere & mensura non permisit, nam *omnia mensura, numeroque & pondere disposuit* vt testatur Salomon. De mensura ex iam dictis elicere aliquid potestis, videlicet quod iuxta proportionem maiorem fortitudinis virtutis vitæ vel roboris malitiei spiritus nocentis & vulnerantis succedat aut bona & salutaris, aut mala & tremenda Crisis. Ad dierum, in quibus crisis fieri assolet, numerum, & inprimis septenarii mysterium quod attinet, sic paucis.

His igitur liquet, quod ab vnitate seu monade radicale quasi essentia vna & eadem processit numerus binarius. At quoniam iste numerus aut fine caret aut medio centrali, ergo à Pythagoreis haud inepte dicitur numerus imperfectus, seu potius non numerus sed vnitatum confusio, cuiusmodi vnitates sunt tenebræ & lux in vnico deformi chaos, deinde per virtutem nexus siue glutinis diuini, hæ duæ monades confusæ ab vnica radice seu vnitate orta sunt adinuicem separatione puri ab impuro, seu tenebrarum deformium à puris aquis iterum in spiritum mundi catholicum redacta, quem spiritum poëtę Deum Panem dixere siue vniuersalem naturam, virtute cuius animæ spiritus iste mundi generalis quadriformiter informatur, & nomine quatuor elementorum ab antiquis dictitatur, tametsi reuera non est nisi vnicum in mundo elementum, in cælo septiformiter à planetis, in regione sublunari quadriformiter à ventis alteratum. Atque in hoc statu quadratum habemus radicalis materialis qui est 2. nam duplex 2. producit pro suo quadrato 4. in quo quadrato forma à mundi creatione incepit suas mixtiones gradatim vsque ad 8. progrediendo, qui est cubus quadrati illius qui comprehendit sub se omnes res generatione compositas progrediendo à simplicium elementorum naturis videlicet à 4. ad 8. per viam generationis, & retrogrediendo per viam corruptionis ab 8. ad 4. elementa, vltra quam metam non est siue in generatione, siue in corruptione progressio.

Pro meliori huius rei cognitione respiciatis velim figuram istam sequentem in principio meæ Microcosmi historiæ descriptam.

At





At vero totius septenarii mysterium in eo consistit, quod omnis perfecta compositio per mixtionem numeri perfecti seu radicaliter formalis, videlicet 3. cum quadrato radicis binarii siue numeri imperfecti atq; immundi, videlicet 8. nam vt 2. cũ suis dimensionibus 4. nempe & 8, arguit materiã in se mortuam, ita quidẽ numerus ternarius, cũ sit perfecta lucis imago denotat formam rei: horũ ergo additione, nexu videlicet imperfecti cum perfecto constant & generantur res omnes, eorumque ligamenti resolutione iterum corrumpuntur eorum structuræ siue compositiones semper tam ad corruptionem quam ad generationem centraliter operante creatore monade, tam ad reductionem per viam destructionis cubi 8. ad quadratũ 4. hoc est, ad statum 4. elementorum, quã ad cõstructionem cubi per gradus nonnullos multiplicationis. Hinc ab Ethnicorum Theologis sapientioribus dicta est monas hæc diurno tẽpore, quatenus videlicet elucescunt lucis ipsius viuificæ radii, Apollo, ex 7. partibus creaturam conflans, videlicet per numerum formalem 3. & illum materialem 4. qui simul vniti constituunt 7. qui numerus vnitate 8. notam immunditiei materialis designante terminatur. Atque hac ratione conflatur creatura tam primitus ordine creationis quam post creationem ratione generationis. At vero alio respectu illam ipsam monadem radicalẽ nuncuparunt Dionysium, nocturno scilicet tempore, in quo statu seu appellatione putarunt ipsum illas 7. creaturæ partes dilacerare quas diurno conflauit tempore diuinum earum gluten siue ligamentum, vtpote à facie ipsius lucida procedens, & consequenter formam & esse à creatura per viam dissolutionis aufferendo; nam ablato numero perfecto & felici lucis 3. fiet statim retrogressio & resolutio à 7. ad 4. qui est materialis & imperfectus numerus. Hinc Propheta luculentissime. *Deo aperiente manum suam creaturis satiantur bono, abscondente faciem suam ab iis conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, & in puluerem suum reuertuntur, emittente spiritum suum recreantur.* *Psal. 104. 29.*

Quibus euidens est, quod Deus contrahens se in se, tollit vitam creaturæ, quæ solam suā expectationem & salutem habet à luce eius; at abscondens faciem suā ab ea, tunc sub forma Dionysii more destructiuo cum ea agit efficitq; vt ægrotet, sed adhuc non penitus auffert ab ea lucē vultus sui, ita vt non reducatur ad completā dissolutionē in 4. vnde sequitur, ꝙ conturbetur & ægrotet. At si recipiat integri numeri 3. perfectionem ad se, tunc moritur & dissoluitur patiens. Hinc recte dixerunt Scripturæ: *Bonum & malū, vita & mors à Deo sunt.* & alibi, *Ipse ægrotare facit & sanat.* Et alibi. *Ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.* Et in persona Iehouæ. *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* In sua ergo proprietate destructiua pro Dionysio reputatur seu Deo tenebroso, vel nocturno, in qua materia tenebrarum filia & immunditiei obnoxia, frigiditati atque quieti pronissima, dominium habet & consequenter formali vitæ actione est oppositissima, quare & immunda, morbosa, nocturna passionibus tenebrosis subiecta. Ad Deum ergo in Dionysii proprietate hæc loquitur Vir patiens. *Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.* At ipsum in proprietate Apollinis sic alloquitur Scriptum sacrum. *Ipse Iehoua Deus tuus, vita tua est, & longitudo dierum tuorum vita adest beneuolentia Iehouæ. Penes ipsum est vitæ fons, nam visitatio eius conseruat spiritum. Luce faciei Iehouæ saluabimur:* nam ipse est Sol vitam & gratiam dans. In hac ergo proprietate sua addit vitæ perfectionem sub formalis & essentialis numeri ternarii titulo materię per numerum 4. significatæ in illa abstrahit & materiam relinquit mortuam & immundam, quoniā deest illi ignis ille viuus qui ipsam penitus à mortali suæ immunditiei seu peccati onere expurgare potest. Est nisi lux illa diuina vitæ in verbo existens illud peccatum siue immunditiē in numero dierū completo, & perfecto, videlicet in spatio dierū 7. radicitus expulerit aut superauerit malū, arguit omen vel lethale, vel periculosum ac malum importat iudicium; quod quidem ex diurna crisis experientia constat, cuius perfectio & complementum solet esse die à morbi initio septimo, in quo crisis perfecta & vt plurimum salutaris fieri notatur, vt in die 4. qui numerus est imperfectus crisis septimæ præsagium accidit. Vnde liquet, quod si dies quartus; siue iudicatiuus sit benignus, indicium est quod numerus vitæ formalis præualuerit super obstinatam vitæ immunditiem, & ob eam rationem aut morbum soluit, aut saltem crisim faustam præsagiet die 7. in qua crisis perfectio est expectanda. At si tanta adsit in materia peccante immundities & obstinacia, vt virtus vitalis eam facile alterate vel mouere nesciat die 4. tunc timendum & dubitandū est, quod ratione malitiei ipsius possit in 7. diē à pessimis aut cœlorū aspectibus vel influxibus, aut maleuolis ventorū afflatibus seu spiritibus corroborentur aduersus vitæ custodes, atq; hac ratione aut lethalem producant die 7. effectum, si natura vitalis sit euicta, aut minime expulso hoste maligno & immundo ad secundum crisium ordinem videlicet diem 10. qui iudicat crisim secundam, atque ita ad 14. seu crisim secundam seu ꝯ pergant, si satis adhuc strenue se habeat vitæ virtus. Deus autem qui æqualiter & secundum iustitiam se habet inter athletam vitæ & agonistam mortis super tribunali positus, tam de actu & causa lictoris tenebrarum quam defensores portionis lucidæ iudicat, cui quandoque seueritet cum creaturæ vita agere placet eam è domicilio expellendo, & nonnunquam clementer & cum misericordia viuentis causam ponderat, vt in Iob & Ezekia apparebat, & ex sua gratia atque fauore addit per sui aspectus benefici præsentiam, virtutem & diuturniorem dierum numerum ægrotis.

Eccles. Isai. 19. Iob, 5. 17. Deut. 32. Iob. 13. 21. Deut. 30. 20. Psal. 30. 6. & 36. 9. Iob. 10. 17. Psal. 80. 4. Psal. 84. 12.

Verum aliquantulum accuratius ista testimoniis Scripti sacri examinabimus. Et imprimis pro illa pugna, quæ in numero septenario fieri solet inter munditiem & immunditiem, lucidum & tenebrosum, pulchrum & turpe, pingue macilentum, bonum & malum, abundantiam & sterilitatem, ac denique inter sanitatem & morbum, vitamque & mortem pauci loquemur. Ait textus. *Ecce ex riuo ascendentes septem vaccæ pulchræ & pingues, & aliæ septem fœdæ & deformes & macie confectæ de flumine emergentes deuorauerunt eas quarum mira erat species & habitudo corporum.*

Gen.

Similiter ait *septem spicæ pullulabant in culmo vnico plenæ & formosæ, & aliæ totidem spicæ tenues & percussæ vrigine oriebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem.* Vbi per septem pulchras vaccas & spicas se ptem annorum fertilitatem quasi vitæ & sanitatis, tempus & status in Ægypto: at anno septimo deuorata illa vitæ sanæ pulchritudine & felicitate à fœdis & vrigine atque deformitate destructiua, opprimitur bonum & superatur à malo, fame exhausta est terra illa, fame (inquam) cuius est morbus pestifer comes: est enim fames præcipuum ex flagellis Dei. Hic ergo in septenario numero vicit malities deuorans virtutem regni viuificam. Quod etiam Iehoua soleat quandoque malo & infectione per dies septem percutere patet ex isto textu. *Et impletum est septiduum postquam percussit Iehoua riuum illum, &c.* Hic quidem die septimo post percussionem solet ipse à suo tribunali iudicare

Exod. 7. 28.

care de præsenti actus statu Porro & executio alicuius rei solennis sanguinolenta circa septim. vel oct. & quartum decim. diem fieri solet: nã Saturnina illa mariũ recenter natorũ circumcisio ordinata erat in fine diei septimi vel octaui principio. Similiter agnus Paschalis e at ad 14. diẽ pro immolatione & sacrificio, in quo die sanguis ipsius erat præseruãdus ad illinendos postes. Iterũ pro die septimo *Septem diebus erit pecus cum matre sua; illorũ a. die 8. dato illud mihi:* h. e. in fine tertii fiat executio cruenta. At vero quod dies ẽt septimus quatenus in se est numerus criticus perfectissimus (vtpote effectnũ septenæ Lunæ atq; Solis rotationis restis) tã iudicat & pronunciat ægrotis salutẽ q̃ aut morbi, aut mortis pseuerationẽ, vt ex locis *infra* descriptis colligimus. Vt plurimũ versatur actus emanationis diuinæ circa salutẽ & sanitatẽ creaturarum, quippe qui *vt essent fecit omnia, nec destructione creaturæ delectatur,* sed *inuidia diaboli introiuit mors in orbem terrarum,* teste Salomone: quare cum ordinauerit diẽ septimũ pro quiete, atque ob istã causã ipsum diem Sabbathum efficit quasi perfectionis sedẽ; procuidubio ipsum in propria sua natura felicem & ad vitã reficiendã dispositum faciebat. tametsi ꝓpter influxuũ & spirituũ descendentium in afflatum creaturæ, mortis vel morbi perseuerantis quandoq; solebat ferre iudicium. Sed hoc ex hisce textus sacri. *Mulier suscepto semine si peperit masculũ immunda erit 7. diebus iuxta dies separationis menstruæ, &c.* Hic ergo virtutẽ diei septimæ videmus, videlic. quod immunditiẽ in muliere puerpera & cõsequẽter mẽstruosa terminare & quasi curare potens est; nõ quod sit tanta in numero mere septenario, sed in septena solis circumrotatione virtus; nã so is est suis radiis immũda depurare, turpia reddere pulchriora, cruda facere matura frigoris gradus superãdo, & diuisione puri ab impuro, &c. Et *alibi. Si Sacerdos viderit leprã in cute, recludet eũ sacerdos 7. dieb. & considerabit die septimo, & si lepra vltra nõ creuerit rursus recludet eũ 7. dieb. alius, & die septimo cõtemplabitur. Si obscurior fuerit lepra & nõ creuerit in cute mundabit eũ lauabitq; homo vestimenta & mundus erit* Quibus euidẽter indicatur, quod dies septimus erat præcipuus ille dies in quo iudicatur morbi exitus, & plerũq; terminatur morbus, idq; ꝓpter rationes arcanas, & ab intellectus humani argutia vix percipiendas. Quod deniq; iste numerus formalis ratione suæ perfectionis sit immunditiei à re munda separator seu diuisor, seu potius spirituũ immundorum à mundis depurationis indicator partim ex prædictis, partimq; ex *sequentibus* latius pcipere potestis. Nã p dies 7. seclusus erat leprosus, deinde die septimo à Sacerdote diiudicatus est an erat, p ot solares circulationes mediantibus aliis mysticis à Sacerdote applicatis, ab immunditie sua immunis. At inuento quod immundities illa adhuc pseueraret, iterũ p alios 7. dies est reseruatus qui faciũt 14. i. e. tẽpus duplicis crisis pfectæ. Quo quidẽ cui ẽs est, quod magnũ mysteriũ delitescit in expectatione diei septimæ, & quasi Sabbathi in separatione puri ab impuro. seu lucis à tenebris. Et quẽadmodũ videmus quod in dieb. creationis 7. sẽper gradatim & paulatim fit ꝓgressio mediãte spagyrico verbi diuini actu in separatione creaturarũ à defomi tenebrarũ mole, quæ progressio p durabat ad diẽ vsq; 7. in quo quiescebat opifex, quoniã omne suũ opus pcepit bonũ & pfectũ esse, ita quidẽ natura illa vitæ diuinitus em ssa omni conatu in dies purũ suũ ab immunditie hostis impuri cũ suis cateruis distinguere & separare tentat. Verũ enimuero, quẽadmodũ videmus in creatione quod die tertio cõpletũ esset magnũ mũdi opus, videlic. cœlũ integrũ & terra, deinde die 4 magna orta est in illa massa mundana ob magnorũ luminũ creationẽ alteratio, & p viã illuminationis tenebrarũ ipsius mũdi, atq; ẽt actionis & passionis in eo tã ad corruptionẽ q̃ ad generationẽ & multiplicationẽ rerũ, tũ ad temporũ diuisionẽ. Pari ẽt ratione ab ægro i decubitu post molis morbosæ congeriei cõplementũ, in fine diei tertiæ putredo accendi incipit & more ignis flagrare atq; agere. Si igitur illa flamma sit vehemens & maligna, vitæq; actui admodũ rebellis, tunc quidẽ nõ multũ arguit in die 7. (vtcunq; in se est dies Sabbathi) quietis, h. e. vel promittit potius quietẽ p mortẽ q̃ p vitã, aut saltẽ morbi vigorẽ ad alterius crisis periodũ in sua fortitudine perduraturũ declarat, At vero si ignis ille die quarto in massa materiæ morbi per putredinẽ accensus fuerit leuis atq; facile à natura tolerabilis, spem dabit futuræ quietis in die sep. vtpote qui dies cũ sit operis mundani terminus, in eo requieuit Dominus, & cum ea quælibet alia creatura rationalis tã Angelica q̃ humana. At non potuit morbus eo die cessare, nisi à cœlo humano expulsæ fuissẽt tenebræ & immũdities, quippe quæ teste Scriptura sunt peccata: at ablato peccato statim cessat morbus, quẽadmodũ ex Christi verbis paralytico patet, *Surge,* inqt, *& ambula, remittuntur n. tibi peccata,* ac si dixisset, cõdonãtur tibi peccata & ob eã causã necesse est, vt morbus seu impuritas sua cesset. Verũ dies septimus est peccati siue immunditiei terminator, impuritates seu immundities exterminans. Vnde ait textus de homine ideo immũdo quia *patiatur seminis fluxũ,* imo vero tã immundo vt ẽt omnes res quas tangit immundas reddat: *Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet passionẽ numerabit 7. dies post mundificationẽ sui, & lotis vestibus & toto corpore erit sanus. Porro mulier quæ redeũte mense patiatur fluxũ sanguinis 7. diebus separabitur, & si coierit cũ ea vir tẽpore sanguinis menstrualis, immundus erit 7. diebus: & si steterit sanguis & fluere cessauerit, numerabit 7. dies purificationis suæ, &c.*

Gen.17.12 & Leuit.12. Exod.12.6. Exod.23.30.

Sap.11.&2.

Leuit.12.2.

Leuit.13.

Matth.9.

Leuit.15.

Con-

Concludimus igitur, quod numerus materialis sit imperfectus, immundus, & à radice tenebratum Chaos, siue confusione vniratum ortus, & nisi à numero formali compleatur nullus erit: sic numerus binarius nisi addatur I. qui est formæ radix perfici nequit, sic nisi numerus quaternarius sit ab illo ternario informatus, ad perfectionem septenarii pertinget nunquam, est enim numerus binarius, & consequenter quaternarius imperfectus siue incompletus, non aliter quam fœmina (quippe in materia humida abundans) est masculo immaturior & incompletior, & ob illam rationem maris societatem requirit ad suam maturationem. Sic Psyche sine Cupidine nihil, nec sine Sole Luna: at fœmina ratione actus sui matris res naturæ conuenientes, & quandoque monstrosas & prodigiosas parturire solet. Porro quod numerus binarius & consequenter quadratus sit immunditiei numerus, vt è contra septimus mundiciei, arguit Moyses, affirmans ꝙ munda animalia in numero septenatio essent saluata in arca Noah; at vero immunda in binario. Vnde sequitur, quod vbi materiæ naturæ malignirer dispositæ (quæ ad immundities, tenebras, & quietem atque priuationem per se est prona) redundat & superat illam formæ vitæ, ibi quidem die 4. præcipue opprimit vitæ virtutem, quoniam nondum adhuc augeri potest forma vitæ vt ipsi materiæ malignitati coæquari queat: nam vt in pomo crudo semper videmus ipsam formam magis magisque spatio 7. mensium dominari: vnde fit vt gradatim & sensim vsque ad putredinis punctum maturescere pergit. Sic etiam res se habet in pessimo succo virtuti naturali nocenti, quovsque putridus fiat; at si interea temporis vincat aut superet naturæ ægroti formalis actum, vt suo tempore critico pereat necesse est. Sed istius incrementi tempus quoniam de influxu lunari dependet, non in annis climactericis aut mensibus solaribus, sed diebus consistit vt plurimum septenariis: verum si retardatur eius cococtio & maturatio vel ratione temperamenti elemenri sublunaris, vel propter malorum planetarum influentias in sphæram Lunæ humiditatum dominæ, tunc eo diutius fatigabitur & laborabit vita & in laborando debilitabitur. E regione vero si vitæ virtus, se reddat satis aptam vt possit sine violentia resistere ipsius insultui, tunc bonum importat omen, bonaque spes erit in die septimo, &c.

Gen. 7.

Atque hoc modo rationem habetis radicalem diei quartæ & septimæ Criticorum more physiologico expressam. Quid autem Cabala, ac etiam ipsa Astrologia de iis prætendant, *capite* isto *sequenti* explicabo.

CAPVT III.

Quod dies Critica tam bona, quam mala dependeat primum à proprietatibus Dei Sephiroticis, à quibus cœli suorum influxuum thesaurum accipiunt: qua ratione crises quandoque malæ, & nonnunquam bonæ à cœlo oriantur.

EX irrotatione cœlorum (ait Philosophus) felicia & infelicia germinant in terris. At sciendum est à perito Philosopho vnde actum sit, quod ab eodem fonte cœlesti tam mala quam bona destillant. Respondet Syracus quod *bonum & malum, vita & mors, diuitiæ & paupertas à Deo sunt.* Quid ergo de fato est dicendum, quod (teste Merc. Trismegisto) *est gubernatorum 7. dispositio?* Absque eo enim nihil est corporalium, non bonum, sine illo, quicquam potest, non malum fieri sine illo. Imo vero ipsius fati filo humana mensuratur ætas; nam iuxta poëtarum dogma, vita humana tribus continetur, videlicet natura, cui non vltra centum & viginti anni solares attribuuntur: vnde cum illo loco Genesis conueniunt in hoc poetæ, vbi Deus: ait *Spiritum suum vltra* 120. *dies cum homine non permansurum*: deinde fato, cui nonaginta anni, id est, tres Saturni cursus assignantur, quippe qui humanum exitium creare solent nisi aliarum stellarum benignitas tertium superaddat cursum: ac denique fortuna seu casu, & hæc ad omnia pertinet quæ extrinsecus, & more aduentitio ab extra proueniunt, vt naufragia, cædes, &c.

Pim. 1.

Vt ergo radicitus ad istius rei notitiam perueniamus, cum diligentia consideranda sunt ea quæ in causa morborum efficiente principali à nobis sunt relata, videlicet quod à Deo radicaliter omnia siue oculis nostris videantur bona, siue mala, vtcunque à Deo, qui totus est bonus, nihil factum est malum, proueniant: nam vt ipse in essentia sua est vnicus, ita quidem ratione varietatis proprietatis multiplex, & varieformiter agere dicitur: atque vt ipse in proprietate sua seuera & clementi, non simul atque eodem tempore operari

rari in vno subiecto animaduertitur, ita quidem se in vtraque proprietate per diuersa temporis interualla exercet. Hinc ergo consideratione Cabalistica docemur, quod sub cognomine *Elohim*, stipticas, tenebrosas & frigidas suas influxiones mediante organo suo Angelico quod orbi Saturni præposuit, idque per portam Sephiroticam *Binah* emisit; atque dum in tali proprietate sua operatur *Elohim*, planeta Saturnus (qui dicitur infortunium maius, vtpote vitæ creaturæ oppositissimus) dominium & principatum suum tenet tam in cœlis, quam in terris, atque pro toto ipsius dominii spatio spiritus dæmoniaci, & quasi *Ben Elohim* seu filii Elohim, seu spiritus Saturni vires suas potentes exercent tam in æthere, quam in aere, vnde fit, vt venti septentrionales tali tempore vt plurimum vrgent & libertatem habent & dominium suum in cæterorum ventorum spiritus in elemento catholico, non aliter quam in mari pisces degentes habent. E diuerso si proprietas Dei benigna nomini *El.* attributa regnat, tunc boni & salutares influxus ex porta Sephirotica *Chesed* seu clementia per Archangelum sphæræ Iouis præsidentem in mundum Iouialem impluuntur, atque in isto spatio regnant spiritus Iouiales, & vitæ humanæ propositi tam in æthere quam in aere atque terra, quare & talia erunt elementi catholici seminaria. Ex altera parte si essentia diuina se conuertat in dispositionem nominis *Elohim Gibor*, tunc quidem per portam Sephiroticam, *Geburah* seu punitionem effundit suæ proprietatis voluntatem in sinum Archangeli *Samael* cum suis Angelis æstuosis & Martialibus tam in cœlis quam in terra. Denique hi omnes influxus, cuiuscunque sint conditionis recipiuntur in sphæram Lunæ quasi in communem arcam thesaurariam cœlorum priusquam aeri, aquæ & terræ communicentur in orbem cuius nomen Dei *Adonai* seu Dominus (per quod dominium, iudicium & sententia quasi cum imperio à tribunali arguitur) à Sephirota *Malchut* seu regno immittit suos influxus. Atque hinc fit, quod in ista sua proprietate cum iudicio & seueritate mediante Angelo *Gabriele*, qui est præses Lunę, iudicat creaturas iisque influentias ab isto communi influentiarum receptaculo secundum merita sua vel meliores vel deteriores, vel ad mortem vel ad salutem tendentes impluit, iuxta ista Iobi, *Cum impius esset impleturus ventrem, in eum Deus æstuantem suam iram emittit, quam impluit in eum loco cibi eius.* Iob.20.23. Hic ergo ictus datur, à quo tum postea delineantur dies critici : ipse inquam, hoc modo pro placito peccatores vulnerat, & tum postea proprietate suæ clementiæ & misericordiæ bonas ascribit crises , vel in eius iracundia perseuerando aut diu per suspectas crises punit, & morbosas passiones auget, vel præeuntibus crisibus lethalibus ægrotū penitus extinguit. Atque istas crises ob hanc rationem itineribus Lunæ infaustis metitur, videlicet quadrili, duplici oppositum vel ☍. Hinc volunt Cabalistæ, quod Deus in hac sua proprietate Adonai dictiretur, videlicet cum extremam punitionem intendit; quod nomen dicunt esse totius iudicii , nihil gratiæ continens nisi prout gratificatur à primo nomine *Ehieh*, hoc est influxu vitali. Hinc dicitur quod *Gabriel* quatenus Lunæ præses in die iudicii magni erit ille qui cornu seu buccinam vltimam ad terribile illud iudicium conuocantem sonabit. Ob istam rationem Cabalistæ volunt, quod *Gabriel* sit in virtute iudicii & seueritate fortis, habens dominium supra Borealem plagam , & mediam noctem, quæ est tempus terroris & horroris. Sed ecce, quæso ineffabilem Dei prouidentiam, nam quando hominem percurit & vulnerat (vt cum textu sacro loquar) ita voluntatis suæ intentionem ad organorum suorum tam Angelicorum quam stellarium actus & motus adaptare solet, vt quando vult alicuius ægroti misereri Lunæ quadratum ad locum in quo æger vulneratur imprimis, & tum postea eius oppositum possit fieri in loco satis benigno & propitio : at *vbi ira eius ardebit vsque ad sepulchrum* (vt Prophetæ verbis vtar) ibi tempus & horam elegit contrariam. Quandoque stellas contra Sisaram pugnare fecit, & nonnunquam ordinauit vt Pleiades suaues & salutares suas influentias in terram impluerent. Vnde certum est, quod Deus tam ad naturalem generationis actionem sub specie Apollinis quam ad præternaturalem illam morborum atque corruptionis sub nomine Dionysii diebus & horis electionis vtitur. Dies in quibus crises fieri solent hoc modo eliciuntur. In primis scire debemus, quod crises nunquam se patefacit in diebus pacificis & quietis, sed turbulentis, perturbatis ac paroxysmis, atque crisis perfecta accidit semper in morbis acutis ea die & hora, qua Luna illum Zodiaci locum attigerit, qui aspectu quadrato locum Lunæ ægrum primitus percutientem respicit, quoniam in ambobus istius spatii terminis sunt signa quæ ad minus sibiipsis repugnant in qualitatibus actiuis, & quandoque in vtrisque. Sic ♌ & ♉. se inuicem in aspectu □ respiciunt, quorum ille est calidus & siccus, hic frigidus & siccus, repugnant enim in qualitatibus actiuis, videlicet frigiditate & caliditate tantum. Sic cancer & libra , atque virgo & sagittarius. At ♉ & ♋ ♊ & ♍ ♌. & ♏. ♎ & ♑ in ambabus discrepant, in eo etiam ab inuicem discor-

dant magis, cum alius sit masculus, fœminina alia, & è contra, vt Aries est signum masculinum; cancer vero fœmininum, Gemini signum masculinum, virgo fœmininum, &c. Ob hanc ergo causam dicitatur hic aspectus mediæ & imperfectæ atque latentis inimicitiæ, eo quod signa se ita aspicientia quandoque in qualitatibus passiuis, conueniunt vt ♉ & ♌ in siccitate ♋ & ♎ in humiditate. Hinc ergo necesse habemus credere, quod illa die & hora in qua Luna peruenit ad istum Zodiaci punctum, aut morbi extremi pugna est expectanda aut ad illud prælium præparatio, in die perueniens Lunæ ad oppositionem, in quo loco Luna erat in morbi initio, aut saltem ad punctum intermedium inter □ & ☍ quem imperfectæ crisis secundæ locum dicimus. Sed de istis plura *inferius, libro* videlicet istius *quarto*.

Quibus considerare fas est, quod cum Deus ex contrariis omnia in mundo composuerit, ita ea quidem contraria ordinauerit vt vnum alterius actioni subiiceretur: nam aliter nullũ in vniuerso mundo inueniretur alterabile aut mutabile, omnia forent idem, & idem omnia, nec quidem ita præualet actus in mundo vt omnes eodem modo & tempore agerent & mouerent: nam si hoc esset, aut ad corruptionem solummodo tenderet ille actus catholicus vel ad generationem tantum. At voluit Deus, quod in isto mundo alterationes speciei duplicis forent prolatæ, quarum vna effecit vt circa generationes, circa corruptiones aliæ versarentur. Hinc ergo secundum proprietatis suæ diuersitatem vt Angeli Angelis, stellæ stellis, sydera syderibus, venti ventis conditione & natura sibi opponerentur, contrarii & diuersi forent destinauit, vt hac ratione ipsis ad quodlibet in mundo opus siue ad benignitatem suam siue seueritatem exercendam loco organorum vtatur; inter quæ quidem organa Sol atque Luna inter sydera primum sibi locum vendicare videntur, vtpote in quorum potestate est tam lædere & destruere quam benigniter atque salubriter tractare: vnde ait Hermes, *Sol & Luna ad rerum ortus & obitus, augmenta & detrimenta diuinitatis organa sunt.* Similiter, quod sit in horum duorum potestate tam malo
Asclep. 2. afficere quam bono imbuere testantur hæc Dauidica. *Deus est custos tuus, Sol non te pertutiet diurno tempore nec Luna nocte, Deus te præseruabit ab omni malo.* Imo vero vltra mandatum di-
Psalm. 121. 5 uinum nihil mali possunt cœlestia effundere, quippe quæ à Deo animantur, vnde sine ipsius actu aut mouere aut qualitate sua inficere nesciunt. Vnde Propheta, *Sol, Luna, sydera,*
Baruch 6. *fulgur, ventus, nubes, ignis Deo per omnia obediunt diligenter.* Si Luna humorum dominatrix atq; omnium planetarum seminaria in suum regnum recipiens, ea emittit (sic volente Deo iudicii Adonai) atque impluit in caput impii, vel à Deo deiecti loco cibi vel spiritualis vel aerei qui ad cor & cerebrum conducitur, vel contaminant cibum materialem qui in ventriculum deglutitur, idque die aut hora ei constituta à Deo (de qua die, & electionis hora capite sequenti efficiam mentionem) seminaria (dixi) planetarum maleuola atque mortalia ab orbe vel Saturni (qui ob hanc causam *Infortunium* dicitur ab Astrologis *maius*) vel ab illo Martis (qui hac de causa *Infortunium minus* nuncupatur) impluuntur, quorum illa Saturni à præside Angelico illius regni è porta Sephirotica *Binah* virtute *Elohim* accipiuntur, illa vero Martis accepit dæmon ille regius *Samael* à virtute *Elohim Gibor* per portam *Geburah*. Hinc ergo fit, quod si isti planetæ maleuoli aspiciant Lunam dum perfecerit suum quadratum à loco vulnerante, crisim producere solent tremendam atque periculosam, quoniam tunc temporis multiplicabitur seminariorum morbosorum malitia. E regione si planetæ fortunati, vtpote Iupiter, qui *fortunium* appellatur *maius*, & Venus, quæ *fortunium minus* dicitatur, se beneuole applicuerint Lunæ in fine dicti quadrati, tunc quidem crisis in sua malitia erit mitigata, atque à periculo mortis remota.

Multa hoc in loco de annis clymactericis, de septimestri iuxta respectum Lunæ partu, & de huiusmodi aliis numeri septenarii iuxta Astrologos mysteriis recitare potui: sed quia succinctior historiæ istius consideratio me ad alia magis seria, & ad rem istam directe conducentia auocant, ea hoc in loco relinquam, & ad dierum atque harum electionis interiora, siue sit in crisibus, siue rebus aliis, *capite* isto *subsequenti* penetrabo.

CAPVT

CAPVT IV.

Quomodo iuxta Dei leges ordinata sunt tempora, videlicet anni, menses, dies & horæ, tam bonæ quam malæ, in quibus creaturæ, vel magis doloribus & vexationibus opprimuntur, vel ab ipsis liberantur.

VT Deus contrarietatem, & antipathiam, & litem, & inimicitiam inter huius mundi creaturas, ita quidem tempora quędam distincta in mũdo instituit, quibus alia creata ad sui oppositi actiones sustinendas sunt facta: atque hæc iterum etiam victores & dominos suos hostiles ipsa olim persequentes temporibus aliis vt iam patiantur, & è regione ipsa agunt & vincunt cogunt. Sic ignẽ in suo dominio ipsam aquã sibi omnimodo cõtrariã decorare, atq; cõsumere cernimus: è regione vero superante atq; vincente aqua ipsa ignẽ penitus extinguet atque præfocabit. Præterea etiã vno die vel diei particula flante & dominante Borea agilis congelabitur aer & fixus reddetur, aquæque mobiles & porosæ coarctabuntur die vero alio superante Austro hæc omnia Boreæ opera corrumpentur siue destruentur. Porro etiam in cœlo dominabitur vno tẽpore Martiale sydus, eiusq; dominiũ ignei atq; æstuaosi consequentur effectus, mox alio superueniente tempore Iouis benignitate dissoluetur ipsius malignitatis nodus.

Nec tamen negamus, quin Deo sit familiare etiam nictu oculi & omni temporis momento vel vulnerare vel sanare, vel lethaliter ægrotantem afficere. Et quamuis hoc totum in sua omnipotentia præstare possit, tamen ita decreuit, & in cursu mundi consueto ordinauit, vt omnis mutatio siue fierent ad bonum siue ad malum temporibus statutis & actionibus maxime appropriatis fuerit. *Omnia* inquit Sapiens) *tempus habent, & suis spatiis transcunt vniuersa sub cœlo, tempus nascendi & tempus moriendi, tempus plantandi & tẽpus auellendi ꝙ plantatum est, tẽpus occidendi & tẽpus sanandi, tẽpus destruendi & tẽpus ædificandi, tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tẽpus saltandi, tẽpus spargendi & tempus colligendi, tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus, tempus acquirendi, & tempus perdendi, tempus custodiendi & tempus abiiciendi, tempus scindendi & tempus consuendi, tempus tacendi & tempus loquendi, tempus dilectionis & tempus odii, tempus belli, & tempus pacis, &c.* Quibus arguere videtur vir sapiens, quod sint tempora nonnulla, quæ inseruiunt ad proprietatem Dionysii destructiuam, priuatiuam & contractiuam, & quædam quæ proprietatem Apollinis generatiuam, positiuam & dilatatiuam respiciunt. Sed ne quis replicaret, quod totum hoc à sapiente de tempore in genere sit intelligendum, in quo necesse est, vt hæc omnia fiant sine vllo temporis absoluti discrimine, respiciat iste velim hunc Syriaci contextum, & percipiet oculis (ni fallor) apertis talia tempora distincta & ad negotia illa opposita pertinentia à Deo esse in hoc mundo consignata, ita vt si aliquod opus bonum tentetur in diebus quibusdam malus vt plurimũ cõsequetur finis. Verba sunt ista. *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere quẽ ille despexerit. In die bona fruere bonis & malũ diem præcaue: sic n. hanc, sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustus querimonias, &c.* Quo sermonis filo videtur vir prudens dierum electionem expresse approbare, & quod ista tempora seu dies mali à bonis debent in primis ab omni intelligenti cognosci atque distingui, vt in suis negotiis infelices minime acquirant successus: nam hac ratione non erit impossibile sapienti fato atque astris dominari, nam qui cognoscit inimicum & de eius aduentu est præmonitus, ei non erit difficile, imo facillimum ipsius insultus atque inuasiones euitare atq; effugere. Verbi gratia, si cognouero hunc vel illum diem esse ad hoc vel illud negotium obeundum infelicem & periculosum, ab ipsis omni conamine & industria præcauere sapientis erit, aliasque influentias feliciores & propitiores expectare, in quibus benedictio diuina adest in fausto operis nostri complemento. Talis etiam est dies criticus, in quo influentiæ maleuolæ abundant, vnde & dies infaustus, dies criticus, periculosus, lethalis, suspectus. Atque de tali die intendit iste Apostoli textus. *Propter hanc causam assumite arma Dei completa, quibus possitis resistere in die infausto inuasionibus diaboli, &c.* Hoc est diem illum malignum in quo venenosa & insalubria dæmonũ Olympicorum seminaria in aerem impluuntur, nam talibus influentiis vigoratur princeps ille qui habet potestatem in aere, cuius est operari in filiis inobedientiæ tam spirituali tentatione & peccato quam infirmitatibus corporeis. Denique cum viri sapientis sermone concludam, qui dicit, *A die bono non frauderis, & particula bonæ diei non te prætereat.* Sed iam paucis examinemus, in quibus textibus Scripturæ dies criticos tangant. Certe morbus Iobi erat acutus, quod etiam apparenter ex ipsius signis in historia expressis declaratur. Hinc ergo, quoniam dies 4. est crisis imperfectæ terminus, vt ille septimus perfectæ, noluerunt eius amici dis-

Ecclʃ.3. *Ecclʃ.7.14.* *Eph.6.12.* *Eph.2.1.* *Eccl.14.*

Iob.2. 3. cedere ab illo ante septimi complementum: nam dicit locus: *Amici Iobi sederunt humi cum eo 7. diebus & 7. noctibus, &c.* Hoc est vigilabant cum eo, vt crisis morbi illius conditionem perquirerent, vt hac ratione de morbi fine iudicarent. Dixit etiam lex Mosaica, *Recludet sa-*
Leuit. 13. *cerdos leprosum 7. diebus, & considerabit die septimo, & si quidem lepra vltra non creuerit, rursus recludet eum 7. diebus aliis, & die septimo contemplabitur. si obscurior fuerit lepra & non creuerit in cute, mundabit eum.* Quo videtur asserere, quod dies septimus esset dies iudicii morbi: at si dies ille non sufficienter indicauerit morbi decrementum, tunc referre debet ad discrimen diei septimi secundarii, qui simul faciunt dies 14. in quibus completur ☍ ☾ à loco in quo morbus inceperat. Sed hoc luculentius ex actu Iehouæ indicatur, qui dixit Moysi pro
Num. 12. 14. Miriæ plaga lepra percussæ oranti. *Si pater eius spuisset in faciem eius, non debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur 7. diebus extra castra, & postea reuocabitur, &c.* Ac si iudex dixisset, cum sit pro crimine signata maneat in sua afflictione vsque ad diem bonum criticum, vt in eo ipsam clementer iudicem. Et *alibi* crisim imperfectam secundi ordinis sic expres-
1. Reg. 25. 7. sit Scriptura. *Et mortuum est cor Nabalis intrinsecus, factus est quasi lapis, cumque pertransissent decem dies percussit Dominus eum & mortuus est.* Quo si quidem verborum filo perspicue declaratur, quod virtus vitalis seu cor Nabalis esset in primis percussum à malo spiritu, quibus inter se ad diem decimum vsque ad pugnam finalem præparatis, à Iehoua tandem super vitæ & mortis tribunali eleuato causa ex parte spiritus maligni vulnerantis contra virtutem vitæ Nabalis diiudicatur: vnde necesse erat vt data sententia subito moreretur Na-
4. Reg. 20. bal: Porro et Ezeckias peste percussus circa tempus crisis imperfectæ erat curatus. *Ecce* (inquit Dominus) *sanaui te, tertio die ascendes templum Domini.* Hoc est, ergo iudicis miserescentis iudicium, quod clementer precibus & lachrymis boni regis exoratus aduersus Angelum percussorem, & pro virtute vitæ egit; atque ita ex spiritu ægroti statim erat corruptor expulsus.

Iam vero profundum dierum criticorum mysterium satis superque vobis expressi aperte, idque stylo (vti opinor) luculentiori & clariori quam vllus alius (quod sciam) qui de historia critica verba ante hæc fecit. Ad librum iam secundum progrediar, in quo quid sit crisis tam secundum medicorum ethnicorum opiniones, quam iuxta sacratum literarum sensum, & in membra quot distinguitur, sermone satis breui, sed claro pro exili ingenii mei captu explicare aggrediar.



LIBER



LIBER SECVNDVS, DE CRISIS ESSENTIA, atque differentia.

Capvt I.

Crisis vocabulum quid significet, & de variis Philosophorum circa istud opinionibus.



Ariæ feruntur authorum circa vocabuli Græci Crisis significationem opiniones; nam alij volunt illud iudicium significare, & per consequẽs vocem denotare alterationem quandam repentinam iudicis quasi sententia de statu meliori in peiorem vel è conuerso factam: atque istiusmodi opinionis est Galenus, quemadmodum per ipsius de Crisi definitionem *capite sequenti* explicatam clarius elucescit. Alii credunt ipsius Crisis vocabulum quandam importare separationem, & per illam credunt intendi motum velocem, vehementemque iudicialem, quo coram iudice super alium litigantes subito separantur, & sermones graues inter ipsos facti desinunt: verbi gratia, ægritudo, seu spiritus malignus humorem innaturalem animans ex vna parte, & virtus vitalis ex altera veluti accusator & reus sermones adinuicem in præsentia iudicis contumeliosos habentes, probraque dicacula voce exerta, idque minis & gestibus iniuriosis dicentes finguntur, & quod iudex postquam indecentia illa visu quidem grauia respexisset, alto repente surgens loco alterum litigantium de prætorio seu loco iudiciali expulit: motus ergo ille iudicialis subito à iudice in altercantium alterum factus Crisis à Græcis dictitatur. At quoniam per talem iudicis impetum nonnunquam abiit ex atrio illo iudiciali, & quandoque minime, illos motus appellant Criticos: at quando accusator ex prætorio illo eiicitur, illa vis expulsoria Crisis expulsionis dictitatur. At si accusator iudicem aliquantulum adhuc, veruntamen ad distans, seu à longe stans vexet, tunc quidem Crisis permutationis nuncupatur. Possumus etiam istam Crisis interpretationem more comparatiuo in hunc modum non aliter quam per reum & accusatorem demonstrare. Sitque exemplum datum de hoste ciuitatem aliquam subito inuadente; ciuitatis autem princeps se ipsum in ciuitate pro sua possibilitate muniens, hosti tam viriliter resistit, tandem variis vndiq; actis conflictibus ciuitas aut capitur atq; destruitur à feroci hoste, aut hostis à rege victore extra finium suæ ciuitatis terminos penitus expellitur. In hunc (inquam) modum pugnam & contentionem inter humorem peccantem malignis spiritibus plenum in ciuitatem siue corpus ægroti furtim irrumpentem, & virtutem regiam vitæ illius ciuitatis fingimus. Atque istam vocabuli Crisis interpretationem, videlicet quod importat quasi litigantium separationem Auicenna sustinere videtur.

Iuxta istas igitur vocabuli istius interpretationes varias definitionem Crisis non modo variam, verum etiam differentias ipsius diuersas inuestigarunt medici antiquiores, de quibus *capitibus sequentibus*.

Capvt II.

Hic Author Crisis definitionem non modo secundum Galeni & Auicennæ sententias, verum etiam iuxta literarum sacrarum sensum explicat.

Iam vero opus est, vt ad genuinam Crisis essentiam explicandam in loco atque ordine secundo veniamus, & in loco priori, quid Galenus, quidque Auicenna, ac tum postea qualis videtur esse scripturarum sacrarum intentio, paucis enodabimus.

Gal in aph. 2. com. 13 & libr. epid. com. 1. Galenus habens considerationem ad Crisim, quatenus eius vocabulum ad iudicium refertur, eius naturã sic describit. *Crisis est velox & vehemens morbi motus quo infirmus vel ad salutem, vel ad mortem deducitur.* In qua ipsam facere videtur actũ, siue sententiã, seu potius sententiæ iudicialis executionem, sine sit pro vitæ ægrotantis natura, siue in ipsius detrimentum & ruinam. At Auicenna volens Crisim sonare non iudicium, sed repentinam post iudicis sententiam separationem litigantium ab inuicem sic. *Crisis est subita & velox illa separatio, quæ suo tempore ex difficultate seu malitia accidentium, & pugna inter virtutem & morbum generatur, vt celeriter ad vitam vel ad mortem perueniatur:* ac si contendente atrociter & indecenter morbo cum virtute vitæ, subito facta inter litigantes diuisione, strepitu & pugna, vel cum manifesto ægri detrimento, vel virtutis vitæ alleuiatione cessat. Ego autem textu diuino eruditus & digito Dei demonstratus, in hunc modum Crisim definire non erubescam.

Crisis est velox in pugna inter spiritum percutientem & illum læsum siue percussum facta, motus, post sententiæ Iehouæ vel miserescentis ad bonum siue vitam, vel irascentis & sæuientis ad malum seu mortem conducentis prolationem.

Vel sic.

Crisis est velox & subitanea iudicij Iehouæ vel beneuolentis vel maleuolentis in natura ægroti ab hora ipsius decubitus siue percussionis lictoris diuini custodiæ commissam, & in carcere quasi ad diem vsque iudicii detentam, siue ad libertatem, siue ad necem exequutio.

In quibus Crisis definitionibus, vt varia inuenimus membra, ita quidem eorum quodlibet ex textu sacro sic confirmatum habemus. Quod autem sit velox & subitaneus motus in pugna inter spiritum percutientem & percussum post Iehouę sententiam datam, & quod tam mandato diuino à prauo spiritu ipsius vitæ ęgroti virtus percutiatur in hora decubitus, vel percussionis quam iudicatur in tempore Crisis ex locis pluribus colligimus; & primum docemur, quod in hora decubitus vitæ virtus mandato Iehouæ lictoris diuini seu spiritus percutientis custodiæ committatur, & in carcere quasi vsque ad diem iudicii detineatur, ex istis Iobi colligere fas est. *Dixit Sathan ad Iehouam, extende manum tuam & tange os Iobi & carnem, &c.* Hic ergo apparet, quod spiritus malignus sit lictor Dei, & quod lictor seu percussor dicatur manus Dei, & consequenter quicquid ab eo factum est à Deo dicitur fieri. Tunc
Iob. 2. 5. sic pergit textus. *Dixit ergo Iehoua ad Satan; Ecce in manu tua est.* Hic ergo sententiam Dei contra virtutis vitalis Iobi sanitatem prolatam videtis, & subito in lictoris istius morbosi potestatem est ipsa redacta: nam data sententia diuina subito spiritum Iobi occupare tentat Satan; nam vt primum à facie Domini egressus est, percussit Iobum vlcere pessimo à planta pedum vsque ad verticem: atq; hæc erat decubitus ipsius hora. Veruntamen dies iudicii, seu criticus mortem in eo non arguebat, quoniam sententia afflictionis ipsius erat quod anima illius seruaretur. Hinc ergo erat, quod tametsi morbus eius esset admodum acutus & sæuiens, tamen dies septimus non erat ei periculosus, sed mortis stignate immunis: nam tametsi eius amici ipsum diligenter obseruauerint ad septimum vsque diem, & diem illum periculo esse destitutum intellexerunt, ipsum, vtpote qui in eius morbo nullum de vita pe-
Iob. 2. 13. riculum decernebant, dereliquerunt: nam ait textus. *Et amici eius sederunt cum eo in terra septem diebus & noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem.* Et *alibi* dictum reperimus quod *amici eius eum fugerent.* Denique vltimum Iehouæ in Iobi afflictione iudicium erat bonum, benignum & salutare, & seclusus est malus spiritus è vitæ Iobi ciuitate, & victor derelinquitur virtus vitæ ipsius, laudes, honores, gloriam atque gratias rependens suo creatori qui eum ex sua clemētia è manibus spirituum illorum crudelium & lictorum suorum tam ferocium liberauerat. At vero in iudicio suo seuero penitus & sine misericordia committit animam siue vitam hominis lictori suo destruenti vt funditus destruatur: vnde fit, vt peracta iudicis sententia immediate sequatur effectus; nam quicquid à Deo statis suis temporibus est destinatum & voluntate eius secreta excogitatum, illud ne per oculi quidem nutum tempus suum constitutum præterire potest, nam paratus erit diuinus
Eccl. 39. 33. vindictor ad ea fideliter exequenda quæ à Deo sunt ei commissa, iuxta illud Eccles. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorem eius qui fecit illos, confundent & in mandatis eius epulabuntur, & temporibus suis non præteribunt verbum.* Sic ergo data mortis, vel vitæ sententia die iudicij subito fiet motus vehemens ad voluntatem diuinam complendam, & consequenter effectus sententiæ diuinæ nullo modo potest retardari, imo vero vtcunq; lictor seu percussor ille diuinus sit sentētiæ à Domino prolatæ executor, tamen vt ipse est nihil nisi manus sui domini, seu potius organum, in quo Deus agit ad vindictam, ita etiam Deus dicitur nece afficere ægrotos die critico, atque etiam ipso in principio vulnerare: vnde ipse dixit, *Ego occi-*
Deut. 32. *dam & viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* Ob istam igitur rationem Crisi maligna seu die iudi-

iudiciaria dictum est Iehouam morte percussisse Nabalem; verba sunt ista. *Cum pertransissent decem dies, percussit Iehoua eum & mortuus est*; hoc est circa diem vndecimam, vel saltem decimæ finem, quæ est imperfectione plena, vt *infrà* dicetur. Denique tametsi Crisis & iudicium idem sonare quandoque videntur, tamen reuera iudicium non est morbus, sed morbi coniectura, quam ex Crisi capit medicus: at Crisim subitaneam facit Galenus (vt dictum est) & notabilem alterationem, quam morbi solutio vel ad bonum vel ad malum consequitur.

Capvt III.

Quod de generalibus & vniuersalibus Crisis membris, siue speciebus agit.

Tametsi Crisis vocabulum ad morborum acutorum periodum solummodo se extendere videatur, tamen videtur Hippocrates asseuerare etiam speciem quandam Crisis, seu dies nonnullas decretorias reperiri post Crisis auctorum periodum quæ est in die 40. videlicet à die 40. ad 100. Nam tametsi ipse omnes fere dies post 40. neglexerit quasi, tamen ad dies sexagesimam, octogesimam, & centesimam respectum haud minimum habebat: Cum enim in die vigesima magnam in iudicando virtutem adesse percepisset, atq; etiam omnem numerum vigesimum inter 1. & 100. numerando periodum merito nuncupari, vt pote à quo successiua numeratio incipit: in his igitur locis vim aliquam criticam inesse confiteri videtur: ita vt apparens sit, quod in diebus quadragesimum subsequentibus quandoq; accidant per excretiones iudicia, sed raro, atque ea quæ contingunt vehementia carere animaduertuntur.

Alii putant firmiter, quod ægri, qui post diem quadragesimum ægrotant languent potius concoctione & abscessibus quam crisibus morbos finientibus: vtcunq; igitur medico placuerit Crises, siue intra siue extra & vltra diem quadragesimum eligere nec ne, experientia tamen instructi sint medici morbos euidenter acutos, (qui Lunæ regimine gubernantur) ad spatium 40. dierum constringi, & consequenter si morbus extra periodum quadragesimam vagatur, non quidem pro acuto, qui à Luna regitur, sed chronico & solari est æstimandus, qui si die vel sexagesima vel octogesima vel centesima quasi periodis criticis non soluatur vel terminetur, sed vltra diem 100. pergat, non amplius ad dies, sed menses & annos respiciendum est, ita quod aut mense 7. aut anno 7. Crisis est expectanda. In quo quidem sensu videmus, quod Crisis essentia se extendat tam ad acutos morbos, quam chronicos, & consequenter in istum modum significatione sua generali distingui potest.

Crisis genera duo sunt:
- Acutum & Lunare vnum, cuius terminus vltimus est dies quadragesima.
- Chronicum & Solare alterum, & mensuratur vel per
  - Dies, nam à quadragesima inchoans ad centesimam pertingit.
  - Menses, à primo enim ad septimum, in quo Crisis fieri solet se extendit.
  - Annos, videlicet à primo ad 7. pergens in quo morbi solutio est expectanda.

Non igitur negandum est, quin morbi Chronici sint tam numero septenario commetiendi quam illi acuti, & consequenter criticam quandam rationem vtrisque inesse, licet efficacia & vehementia diuersam cernimus. De istarum morbi specierum numeris seu terminis hæc Galenus, *Quadragesimus dies sicuti est morborum acutorum vltimus, ita Chronicorum primus iudex est.* Et Hippocrates: *Plurimæ passiones puerulis iudicantur nonnullæ quidem in 40. diebus nonnullæ vero in 7. mensibus, aliæ vero iam ad pubem accedentibus. Quæ vero permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis cum menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.* Hæc Hippocrates. Quibus confiteri atque agnoscere videtur iudicia critica non modo in diebus 40. verum etiam vltrà, imò verò in mensibus 7. atque etiam annis pubertatis fieri atque contingere.

In aph. 28. lib. 3.

Concludimus igitur quod vt Luna est in acutis resolutionis causa, ita quidem lentarum chronicarum resolutionum Solem dicimus dominum & non Lunam.

Capvt

CAPVT IV.

In quo Crisium differentiæ explicantur.

AT iam de aliis Crisium differentiis magis particularibus verba ſat ampla efficiam, quas quidem ſecundum prædictarum definitionum Criſis atq; vocabuli ipſius ſignificationem in hunc modum elicimus.

In primis tam ex contractione vocabuli Criſis quam ipſius Criſis naturæ ſic in loco priori ipſam in ſua membra poſſumus diuidere.

- Motus criticus dicitur quando à iudicis impetu, vel
  - Penitus expellitur, & dicitur motus expulſorius.
  - Non expellitur, ſed vel
    - Firme adhuc, idque ad perniciem ægrotantis adhæret & perſeuerat.
    - Fere expellitur, ſed non omnino, quia videtur iudex adhuc quaſi ſtans à longe alloqui & vexare, atq; iſta ſpecies motus tranſmutationis dicitur.

Vel ſic in genere poteſt Criſis in ſua membra diſtingui.

- Criſis eſt vel
  - Perfecta, quę eſt quando morbus integre & abſolute iudicatur, eſtque hæc ſpecies vel
    - Laudabilis, cum morbus ad ſalutem iudicatur.
    - Illaudabilis, cum morbus integre iudicatur, ſed ad mortem.
  - Imperfecta, quando morbus integre non iudicatur, ſed ex eo quippiam relinquitur & reſiduũ facit, idq; dupliciter, vel enim tẽdit ad
    - Mortem, atque illaudabilis & imperfecta dicitur iſta.
    - Salutem, & laudabilis imperfecta nuncupatur.

Vel alibi ſic generaliter.

- Criſium alia eſt
  - Salua & ſecura, quæ abſq; magnis aut pernitioſis accidentibus contingit.
  - Ambigua ſeu ſuſpicioſa, quæ cum magnis tum pernitioſis accidentibus euenit.
  - Iudicata, videlicet cum ſigna concoctionis die 4. apparentia morbum die 7. fore iudicandum præſagiunt.
  - Non iudicata, cum ſcilicet perficitur Criſis die 7. & tamen die 4. à nullo concoctionis ſigno erat prædicta.
  - Quæ in die critico facta eſt, vel in ipſo minime aduenit.

Nos verò prædictas omnes criſium ſpecies, atque alias quæ excogitari poſſunt in diſtinctionem iſtam contraximus.

- Criſim igitur diuidimus in ſpecies tres, vtpote quarũ alia eſt
  - Bona & laudabilis, quæ eſt vel
    - Abſoluta, quæ in morbo nihil facit recidiui, ſed morbum complete finit, ægreque perfecte ſubleuatur.
    - Fida, firma, atque ſecura ſiue certa, quæ morbum nunquam reuerſurum arguit.
    - Manifeſta & apparens in qua excretio quædam euidens, vel abſceſſus nonnullus inſignis atq; cõſpicuus ſe prodit.
    - Secura & tuta, quæ à ſymptomatis pernicioſis & periculoſis eſt immunis.
    - Cũ bonis & laudabilib. ſignis, & quæ erat prius iudicata.
    - Proba, bona atque laudabilis, quæ ſubleuationem ægroto affert.
  - Mala atque illaudabilis, & iſta eſt vel
    - Imperfecta, vbi ex morbo aliquid relinquitur.
    - Incerta atque fallax, cum morbi recidiua contingit.
    - Pernicioſa, atque periculo plena quæ cum ſymptomatis grauibus accidit.
    - Obſcura, quæ circa excretionem vel abſceſſum quendam euidentem euenit.
    - Abſque ſignis manifeſtis, videlicet quæ nullo die antecedente eſt iudicata.
    - Illaudabilis & mala, quæ in ægri perniciem definit, & inſigniter tendit ad peiora.
  - Deficiens, quæ ſe habet inter bonam & malam; quare tametſi iſta magna promittit ad morbi ſolutionem, non tamen perfecte eum finit.

Ad

Ad Criſim vero fidam quod ſpectat, quoniam multa ad ipſius complementum concurrere aſſolent, atque ob iſtam rationem non leuiter eſt ipſa à medico perito pendenda, operæ fore pretium putamus genuinam ipſius naturam ante omnia enucleare, atque ex criſium quaſi abyſſo explicare.

Imprimis conſiderare conuenit quod iſtæ duæ Criſis ſpecies ſunt oppoſitæ, videlicet
- Fida, certa, bona, laudabilis ſeu perfecta, quæ eſt cum excretio quædam copioſa, vel abſceſſus inſignis apparet.
- Recidiua, quæ morbos, minime præeunte concoctione, vel aliquo concoctionis ſigno ſequi aſſolet.


Vt Criſis fida & certa fiat, ſex iſta requiruntur, videlicet
- Vt dies in quo contingit ſit decretorius.
- Vt acceſſio adſit decretoria, nam in acceſſionibus vt plurimum iudicia contingunt.
- Vt motio decretoria ſit præſens, quippe quæ ſolet eſſe perturbatio Criſim vel ſolutionem præcedens.
- Vt ſigna Criſim antecedentia (quæ *infra lib.* 4. recenſemus) compareant.
- Vt excretio aliqua notabilis, aut abſceſſus inſignis adſit.
- Vt ſit abſoluta morbi diſcuſſio ſiue ſolutio, hoc eſt, vt æger à febre omnino liberetur.

Concludimus ergo, quod vt iſta ad Criſim complete fidam & certam concurrant neceſſe eſt, & præcipue excretio copioſa & abſceſſus inſignis, nam per iſta cognoſcimus quando fida & laudabilis fiat Criſis, quoniã in morbis qui abſq; his quieſcunt, ſeu ad tempus recedunt recidiua timenda eſt: nonnunquam autem euenit quod morbus ob exactam victus rationem reddatur ita queitus vt non reuertatur, idque fieri ſolet, vbi morbus eſt mitior, & non ita venenoſus: at vero è contra quandoq; euenit vt etiam iſtiuſmodi viuendi ratio non impediat, quin vbi morbi malitia excedit, ipſe redeat, idque ſummo cum diſcrimine, quo tempore ſi neglexerit medicus morbum ac ſi eſſet ſolutus, multo grauior, quam antea quandoq; euadet. Deniq; ſciendum eſt, quod tametſi cætera Criſis fidæ ſigna compareant præter diem decretorium, tamen niſi diei illius natura etiam addatur, hoc eſt, niſi Criſis illa in diem decretorium incidat, Criſis certa ad ſuum complementum peruenire non poteſt: eſt n. dierum decretoriorum eximia quædam natura, atq; ob iſtam rationem, ad perfectæ Criſis leges etiam diei critici naturam adiungit Galenus, quoniam non ſigna ſolummodo bona, vel dies decretoria tantum abſolutam perficiunt Criſim, ſed vtraq; ſimul, videlicet ſi ſigna bona cadant in diem decretorium, reddit medicum in morbi ſolutione confidẽtem, ita vt morbi recidiuam vlterius non formidet.

In Aphoriſmis & in prognoſticis, & in epidemicis luculenter ab Hippocrate inſtruimur, quę recidiua ſit exitioſa, quæ autem minus.

Iam vero ad librum proximum, qui dierum criticorum arcana ſedulo ſcrutatur ſaltu leui properabimus.





LIBER TERTIVS,

DE DIERVM CRITICORVM, SEV DEcretoriorum inquisitione.

CAPVT I.

De tempore, seu termino, à quo dies critici seu decretorij dicuntur ortum, seu suæ numerationis initium ducere.

DIes illi decretorij dicuntur, in quibus magna aliqua ægroti aut ad salutem, aut ad mortem, aut ad morbi perseuerantiam, alteratio siue mutatio decerni potest. Atque isti proculdubio suum initium siue ortum à morbi acuti principio ducere peritiores statuere medici: at morbi principium siue initium directe assignare magis aptum atque conueniens haud parui momenti existere agnouerunt. Et quamuis illud temporis momentum in quo æger primum decubuerit à quibusdam pro morbi æstimetur initio; certe si rem prout reuera se habet considerare velint, hoc spatium, siue sit dies, vel hora, non pro morbi, sed ipsius in morbo decubitus principio seu termino à quo est reputandum: nam percipiemus quidem indagatione paulo diligentiori quod ægrotantes ante illum decubitum vel vigilent, vel ciborum atque nutrimenti fastidio capiantur, vel capita eorum dolore afficiantur, vel segnes & pigri in suis dispositionibus reddantur, vel corporis totius lassitudine affectentur, & nonnunquam vertigine, & flatu, & inquietudine, & perturbatione in somnijs & alui constrictione, & multis eiusmodi alijs naturæ suæ haud conuenientibus, etiam adhuc ambulantes, & negotia vsitata efficientes vexantur ægri, quibus paulatim magis magisque sensim irrepentibus, ac ægroti natura morbi inuadentis insultus vlterius perdurare atque tolerare non valente, vt ipse tandem decumbat, necesse habemus credere, idque præcipue febrili se patefaciente dispositione.

Cum igitur res ita se habeat, à prudentioribus, & in re medica eruditioribus, vt à primo notabili læsionis puncto principium faciamus admonemur. Illam ergo primam ægritudinis diem dicimus in aliqua horarum vigintiquatuor cuius percussionis siue læsionis illius punctus incepit. Quoniam igitur Crisis, & præcipue illa Lunaris est proprie morbi acuti Crisis, ideo certum est, vt vel morbus talis manifeste homines inuadat, aut simul cum rigore aut dolore vehementi, nullo plane sensibili symptomate præeunte, qualiter videmus quod febrium paroxysmi initium suum aut post pastum sumptum aut præcedente aliquo exercitio extremo, aut balneo, aut calefactione solari oriantur, &c. vel potest morbus initialiter ordine & ratione magis miti inuadere, atque talem inuasionem aut capitis dolor, aut vigilia, aut cibi fastidium, aut totius corporis grauitas, aut lassitudo, & illiusmodi alia præcedere notantur. Concludimus igitur, quod illud tempus genuine pro morbi initio est æstimandum, in quo manifeste febricitare incipientes decubuerint, & non quando aut capitis dolorem aut aliquod aliud antea dictum symptoma patiuntur, quippe quæ non sunt febres, sed potius febrium nuntij. His igitur rite consideratis non erit morborum acutorum principij difficilis inueniendi ratio: nam cum febris quo acutior eò etiam sensui stulti, nisi sensus sit omnino expers, manifestior se reddit, impossibile est vt eius aduentus, seu actus primordialis patienti delitescat. Ob hanc igitur causam indicationes suas obseruauit Hippocrates à die, quo febricitauit homo, & non ab illo, quo vel capitis dolorem, vel lassitudinem, vel corporis grauedinem, vel pigritiem discernebat ægrotans.

CAPVT

Capvt II.

In quo dierum decretoriorum inueniendi atq; numerandi ratio, tam iuxta Hippocratis normam, quam mathematicorum inuentiones explicatur.


COmmunem dierum criticorum numerationem, quæ à medicis Galenicis communiter in vsu habetur, ab ipso Hippocrate primum fuisse inuentam, testatur Galenus. Est etiam & alia dierum horum calculandi formula, qua matheseos experti sunt vsi. Ego autem de vtriusq; ratione hoc in loco disceptare mihi proposui, & in loco priori cum progressione Hippocratica exordiar. *l. 4. de dieb. decr.*

Hippocrates, atq; etiam Galenus ex Hippocratis sententia duplicem facit dierum criticorum enumerationem, vnam videlicet per numeros septenarios, alteram vero per quaternarios. Ad numeros autem septenarios quod spectat, ipsos in mysteriis tam diuinis quam naturalibus seu creatis libro huius priori satis luculenter expressimus, tam per numeri quadrati materialis cum radice formali additione videlicet 4. seu materiæ cum 3. seu formæ vnione, quam per considerationem ad numerationes Sephiroticas, atque etiam per consequentiam ad 7. intelligentias atq; earum planetas seu orbes 7. necnon ad cubum formalem, qui à 3. ad 27. insurgit: Sic ☾ signa Zodiaci permeare solet iuxta motum suũ medium in 27. diebus 8. superadditis horis, vel ad 28. qui ex multiplicatione numeri septenarij per 4. resultat, sic mensis apparitionis Lunæ constat ex 28. diebus per 4. hebdomadas vulgariter distributis. Denique in isto mysterio conflauit Apollo, seu Deus in proprietate suæ generationis omnia ex partibus 7. videlicet ex materia seu elementis, & forma seu virtus ipsius trinitatis diuinæ, idque per viam generationis: at vero è regione dilacerauit seu dissipauit Dionysius omnia ab Apolline composita, in 7. partes per viam retrogressionis à generationis compositione ad corruptionis metam. Quænam autem esset ratio cur Hippocrates dies hos criticos per numerum septenarium ordinauerit, difficile erit nobis dicere, præterquam quod numeri septenarij formalis conditionem & proprietatem ex naturæ gremio seu arcanis chaos visceribus elicuerit atque didicerit, vtcunque hoc pro certo apparet ex ipsius intentione, quod septenarijs virtutem maximam inesse perciperet, atque ob illam rationem dierum decretoriorum seriem augere atq; multiplicare voluit. At vero cum septenarios dies radicales esse cognouit septimum, decimumquartum, vicesimum primum, vicesimum octauum, trigesimum quintum, quadragesimum secundum, &c. & tamen experienta & diligenti obseruatione esset doctus non omnibus ex prędictis septenariis iudicandi potestatem fuisse concessam, namque vigesimus octauus, & quadragesimus secundus nihil vnquam iudicii sua præsentia attulisse animaduertuntur, ideo in septenaria progressione viam si quidem à vulgo diuersam est aggressus. Et quoniam numero vigesimo haud mediocrem in iudicando potestatem inesse, imo vero ipsum sæpius quam diem vigesimum primum morbos iudicasse obseruauit. Similiter quia diem vigesimum septimum sæpe, illum vero vigesimum octauum nunq̃, atq; ẽt trigesimum, & trigesimum quartũ aliquando decernere seu iudicia ferre, trigesimum vero quintum nunquam. Denique diem quadragesimũ virtutem indicandi memorabilem, & minime quadragesimum secundum obseruauit, ideo rationem excogitauit quandam qua vigesimus & non vigesimus primus, vigesimus septimus, & non vigesimus octauus, trigesimus quartus, & non trigesimus quintus, ac denique quadragesimus, & non ille quadragesimus secundus in septenariam decretoriorum seriem caderent. Ordinauit itaque in progressiua sua criticorum dierum iuxta septenarios, numeratione, vt duarum septimanarum dies disiunctè & in absoluta sua serie numerarentur, at in illorum septimanæ recitatione semper confudit primum cum vltimo septimanæ hoc modo:




Simili plane ratione res se habet numerando à vigesimo ad quadragesimum: nam vt vigesimus est primarum septimanarum periodus, ita quidem est trium vltimarum initium seu terminus à quo, cuius numerationis finis, seu periodus est in 40. quare idem est respectus inter 20. & 27. vltimarum septimanarum, qui inter vnum & 7. primarum, idemque inter 27. & 3. qui inter 7. & 10. idem inter 30. & 34. vel 27. & 34. qui inter 10. & 14. vel 7. & 14. Denique vt maximus adest in die vigesima iudicandi vigor, ita quidem dies quadragesima insignem iudicandi facultatem sibi acquirere solet. Atque numerus iste 40. est finis Crisis lunaris seu morborum criticorum: quare si morbus vltra istam perseueret diem videlicet ad 60. 80. vel 100. &c. tunc non acutus & lunaris, sed chronicus & solaris est dicendus. Hæc omnia rota subsequenti clarius explicabimus.

Modus autem numerationis dierum decernentium cum ex Galeni, tum Hippocratis sententia per numeros quaternarios est huiusmodi. Quoniam igitur perceperunt ipsi experientia sola & non scientia centrali instructi, numerum quaternariũ esse semper radicalem decretorium, imo vero solere ex sua natura ipsi numero septenario adesse in morbis acutis quasi iudicem seu potius testem (nam in quarto die qualis vrinæ vel sputi vel deiectionis, vel appetitus vel mentis vel sensus inuenitur status seu alteratio, talis etiam Crisis die septima futura siue bona, siue mala est expectanda.) Hinc ergo subtilitate sua viam excogitauerunt qua per quaternariorum dispositionem legibus numerationis septenariæ minime dissentientem dierum decretoriorum rationem discuterent seu potius explicarent. Sibi igitur proposuerunt necesse fore, quod duo quaternarii ad vnius septenarii seu septimanæ constitutionem concurrerent: quare ita prouiderunt vt vnitas vltima primi quaternarii pro prima vnitate secundi staret vnitatem primam tertii quaternarii nõ vltimam secundi fecerunt, sed eam in naturali suo ordine & serie acceperunt; vt vero eius vnitatem vltimam illam primam quaternarii quarti constituerunt in istum modum, & sic in cæteris.



Sed ista omnia ex rotæ subsequentis obseruatione clarius elucescunt.

Magis



Magis luculenta adhuc rotæ prædictæ explicatio.

A. *Sphæra dierum ægrotantis ordinem vsque ad quadraginta dies numerat.*
B. *Est Sphæra in qua dierum criticorum in numeratione septenaria dispositio continetur.*
C. *Est Sphæra in qua vltima septimanæ præcedentis vnitas priori consequentis additur, & cum ipsa confunditur.*
D. *Sphæra comprehendit dierum decernentium per quaternarios ordinatorum numerum.*
E. *Denique orbis seu sphæra locos explicat, in quibus vnitas vltima numeri quaternarii præcedentis confundi videtur cum vnitate prima quaternarij consequentis.*

Incipiemus autem ab ortu quasi à loco in quo erat ☾ cùm morbus primùm ægrotũ sensibiliter inuadisse obseruauimus: atque ita pergendo tanquam à termino à quo per omnia spatia 40. progredimur, quæ dierum decretoriorum seriem denotant.

Cùm verò istiusmodi numerationis tam septenariæ, quàm quaternariæ rationem cum diligentia perpenderem, ipsius quidem inuentionibus, vt mihi videtur, magis coactam, atque rationem seu dispositionem talem crinibus quasi aunlsam esse, quàm vt aliqua stabili aut firma fundatione esset posita atque stabilita: nam si per progressionem septenariã quæsiuit Hippocrates dierum criticorum mysterium; cur igitur vt naturalem mutaret seriem cogeretur? At respondebit ipse, se alterationem & deuiationem à filo septenario percepisse praxi atque experientiã quotidiana, videlicet quòd vis & potestas iudicandi non esset die vigesima prima, sed in vigesima, nec in vigesima octaua, sed in vigesima septima: similiter in trigesima quarta, & non trigesima quinta: deniq; non in quadragesima secunda, sed in quadragesima, &c. Vnde liquet, quòd more Poëtarum finxerit Hippocrates in istiusmodi septenariorum serie eligenda atque componẽda, nec illius rei rationem reddere satis probata

prætterquam quòd experientia crisim illius diebus contingere intelligat. Quare proculdubio ratio dierum decretoriorum inuentionis magis certa & fundamentis securis stabilita in naturæ delitescit sacrario seu promptuario, ad cuius quidem intellectum magis promptè vt perueniatis, quid Mathematici, seu Astrologi hac de re intendant, paucis ostendam.

Astronomorum est sententia, mensem quidem Lunarem quadrupliciter esse accipiendum, vtpote qui notatur esse vel proprius vel consequutorius, vel apparitionis, vel medicinalis: mensis proprius dicitur illud temporis spatium in quo Luna integrum Zodiaci circulum per medium suum cursum migrare seu peragrare obseruatur: atque hoc spatium ex diebus viginti septem & horis octo contexitur. Ille verò mensis Lunaris qui consequutorius dicitur, quem aliqui vocant menstruum, existimatur esse illud temporis interuallum, quo Luna à coniunctione Solari discedens, duodecimque signa Zodiaci pertransiens iterum ad coniunctionem Solarem tanquam ad sui sponsi stratum reuertitur: atque talis mensis ex viginti nouem diebus cum dimidio conflari videtur. At mensem illum vocamus apparitionis qui ex 28. diebus consistit, qui dies quatuor septimanas vulgares constituunt, quarum prior à principio apparitionis Lunæ vsque ad diem septimum numeratur, atque ita in cæteris, ea tamen consideratione, vt quarta hebdomada die 28. finiatur, computando illas horas, in quibus Luna sub radiis Solaribus combusta manet. Hunc mensem Galenus & cæteri suæ sectæ Medici supposuerunt esse 26. cum dimidio. Ex isto ergo mense & mense proprio copulatis ex 27. diebus cum horis octo conflato mensem medicinalem composuerunt, in primis addendo dies vnius ad illas alterius ac horas superrestantes, in partes duas: additi igitur dies & horæ efficient 53. dies cum 20. horis, medietas cuius numeri constabit ex 26. diebus cum 22. horis: itaque septimana mensis medicinalis ex sex diebus & septem horis cum dimidia constabit: dies autem medicinalis complectitur 23. horas cum 4. minutis. Hinc ergo concludunt, quòd cùm tres septimanæ medicinales paulò plus faciant quàm 20. dies, multò autem minùs quàm 21. complent enim viginti vnum diem 4. horas, ideò volunt, atque ob talem rationem credunt diem vigesimam esse criticam, & non vigesimam primam. Similiter quia duæ septimanæ medicinales constituunt 13. dies & vndecim horas, ergo diem decimum quartum magis criticum existimant quàm decimum tertiũ. Hæc nonnullorum Mathematicorum atque Medicorum scrupulosorum sententia. Qua intuitu paulò diligentiori ponderata, inueniemus ipsam quidem esse magis coactam atque imaginariam, vt pro re certa atque secura imaginari queat: nam imprimis vnde, obsecro, fit, atque super quas rationis bases fundatum, quòd talis reuera fieri potest ista inter mensem, vt aiunt, medicinalem & proprium compositio? Figmentum potiùs quàm alicuius momenti rem existimamus. Porrò etiam, si tres septimanæ, vt dicunt, faciant plus quàm dies viginti, sed non penitus 21. cur potiùs assignaretur ob talem rationem crisis die vicesimo quàm vicesimo primo, & præcipuè cùm numerus septenarius terminetur in 21.? Similiter cur efficerent ipsi sub isto mensium contextu diem decimam quartam pro decretoria seu critica, cùm duæ septimanæ non completè pertingant ad diem decimam quartam. Est ergo dubio procul alia dierum decernentium ratio, quam in libro sequenti, vbi mentionem de Hippocratis & Galeni in dierum criticorum inuentione insufficientia atque inscitia satis copiosam faciemus, monstrabimus, quare eam hoc in loco omittam.

CAPVT III.

De ordinationis dierum criticorum, iuxta Hippocratis & Galeni normam ratione: similiter multiplex numerationis eorum ordo, ordinumq; discrepantia hoc in capite explicatur.

COMPLETA igitur hoc modò numerationis criticæ iuxta numeri septenarii formulam serie in numero quarto, illum iterum in partes siue ordines tres secundùm maiorem vel minorem dierum dictorum in iudicando virtutem distinguunt, quorum priorem à die tertia ad decimam quartam medium à decima quarta ad vigesimam, vbi periodum dierũ criticorum primam designant, atque vltimum à vigesima ad quadragesimam metiuntur. Nec quidem istam dierum decretoriorum seriem absque differentia notabili atque insigni ab inuicem diuiserunt: experientia enim instructi quòd dies omnes decretorii siue crises à prima ad decimam quartam efficacissimè iudicent de morbis, atque ob istam occasionem decretorii potenter iudicantes dictitantur. At ille à decima quarta ad vigesimam numeratæ non ita potenter, sed gradu magis remisso morbum indicant, atque istæ hac de causa mediocri-

diocriter iudicantes dicuntur. Denique illæ quæ ordinem vltimum implent, & à die vigesima prima vsque ad quadragesimam se extendunt non ita vehementer & sensibiliter iudicare videntur ac illæ duarum præcedentium: quare à Medicis remissè iudicantes nuncupantur. Et quoniam duo ordines antecedentes sunt in suis iudiciis siue crisibus actiuiores, velociores atque euidentiores, ideo eorum dierum alios facit Galenus, vel morbum subitò soluentes atque iudicantes, vel non citò, quæ accelerant iudicium sunt septima bonarũ crisium princeps nuncupata, & decima quarta quæ septimæ naturam maximè imitatur, quippe quæ est nihil aliud quàm numeri septenarii duplicatio, non aliter quàm dis diapason in Musica ex duplici consonantia diapason conflari nouimus: quare illi in omnibus assimilari videtur. Denique horum primorum ordinum dies qui inter velociter soluentes numerantur, sed non ita efficaciter agunt, & dicuntur medii, non ita sunt reiiciendi vt illi qui non subitò iudicant, nec tamen ita efficaciter iudicare obseruantur vt priores: atque isti dies sunt 3.4.5.9.11.18.17.20. Qui verò non confestim & cum valore insigni ita soluunt & iudicant morbum, vel malitiosè obseruantur iudicare & cum periculo, vel nequaquam: ex malitiosè iudicantibus super cæteros in sua malitia turget sexta, de cuius tyrannide *capite sequenti* latiùs, atque octaua & decima qui in sua imperfectione accedunt ferè ad naturam sextæ, quippe in quorum iudicio nulla fides; nec enim vt plurimum bene nec perfectè iudicare animaduertuntur. Denique eorum qui nequaquam obseruantur iudicare sunt 12.16.19. nam Medici antiquiores hisce diebus crisim nunquam euenisse obseruauerunt.

Hîc autem quæstio obiter oriri potest, an dies prima vel secunda sit de numero criticorum, nec ne, quum ipsorum Galenus in diebus suis decretoriis vix meminisse videatur. Et reuera videntur ipsi pro diebus iudiciariis vix vllo modo esse æstimandi, quoniam perturbatio illa quæ crisim debet præcedere in diebus istis accidere aut contingere, non est verisimile; at, teste Galeno, subita corporis perturbatio morbi solutionem vt præcedat necesse est. Verumenimuero dicimus, quòd si solutio pro iudicio accipiatur simpliciter, potest quidem esse vt isti etiam dies inter criticos numerentur; sic enim videmus, quòd omnes febres diariæ seu ephemeræ solutionem partim in primo statim die, partim in secundo nanciscantur. Porrò etiam in primis diebus accessionis febrilis euenit; vt ipsæ febres iudicentur & terminentur. Denique ad dies ordine posteriori comprehensos quod attinet, videlicet ipsos qui inter vigesimum & quadragesimum comprehenduntur, dicimus maximum etiam esse iuxta veterum doctrinam inter ipsos discrimen. Dicimus, quòd dies vigesima prima primam sibi in tertio ordine vendicat sedem; & quòd ipsius periodus quadragesima scilicet series sit tempus, quod magis notabilem in isto ordine potestatem siue efficaciam habet. Cæteri verò huius ordinis dies, nimirum 24.27.30.31.34.37. tam paruam animaduertuntur possidere virtutem in iudicando, vt potiùs ex non decernentibus quàm de iudicantibus esse videantur; vnde à Medicis remissè iudicantes appellantur.

CAPVT IV.

In quo dierum criticorum natura, proprietas & effectus, luculenter exponuntur, atque explicantur.

IAm verò de dierum nonnullorum decernentium naturis, proprietatibus atque effectibus loquemur, quò magis directè per ipsos Medicus iudicare atque præsagire queat.

Sciendum ergo est in primo loco, quòd dies quartus satis magnam in se habet potestatem iudicandi, vtpote qui non modo est iudicatorius, verum etiam quandoque criticus. De vtraque ergo eius proprietate paucis.

In proprietate quarti iudicatiua est quasi iudex diei septimæ, nisi inter quartum & septimum magnum aliquod intercurrat symptoma. Sed hoc ab ipso Galeno accipimus; verba sunt ista: *Cum accuratè admodum morbos acutos obseruassemus, quartum diem septimi esse ex sua natura.* Hinc ergo fit, quòd qualis manifesta aliqua in quarto vel vrinæ, vel sputi, vel deiectionis, vel appetitus, vel mentis, vel sensus, vel alterius cuiusdam contingit alteratio, talis & in septimo crisis vel bona & laudabilis, vel mala & illaudabilis est expectanda. Verumenimuero bona & laudabilia vt plurimum in septimo apparent, quippe in qua proprietate salutari excellit criticus iste cæteris omnibus, & tamen nihilominus nonnulli diei septimo moriuntur. Concludimus ergo, quòd dies quartus sit radicalis decretorius diei septimi.

Est

Eſt etiam quandoque dies iſte quartus criticus, quippe in quo, teſte Auicenna, ſynochus eſt terminata.

Dies ſextus è diametro eſt illi ſeptimo in ſua conditione oppoſitus: nam qui in quarto ad ſtatum recedunt peiorem, obſeruantur plerique mori: at ſi quarto bona conuerſio contingat, diem expectabit ſeptimum. Quòd ſi ad meliorem conuerſio die quarto fit (quod rarò fit) & ſextus iudicauerit, mirum eſt quanta cum vexatione, atque perturbatione, ſeu periculo & metu id fiat, mortui enim ferè & haud ſibi conſtantes apparebunt, hiſce ſæpius proſternuntur ſenſus, vocisque expertes erunt, pulſus ipſorum concidet, color recedit, denique tremunt & collabuntur. Porrò etiam iſtius diei iudicio maligna, acria atque fœtida multa tum deiiciunt tum vomunt, iſtiuſmodi ægrotis ſudores ſunt rari, ſed æquales quidem toto corpore & calidi. Interdum parotides malignæ, vel etiam arquatus, vel alius quiſpiam abſceſſus hoc die comparebunt: nec in vrinis quippiam boni inueniet Medicus, quippe quæ crudæ, decolores, tenues, nullam habentes hypoſtaſim, ſed nunc teſtaceam, nunc arenuloſam, vtcunque incocta & inæqualis erit vrina quando iudicium accidit die ſexto, & nihilominus hæc erit moderatiſſima & leuiſſima quæ illo die incolumi accidere ſolet. Plurimos etiam alios ſyncope ſtatim corripi, vel largo ſanguinis profluuio præfocari, vel euacuatione ſuperflua, vel quadam mentis alienatione, vel inſania ſeu mania corripi notauimus, nonnunquam tabem inſanabilem inducit. Denique tantæ eſt ſextus malitiæ, vt ſi quæ illius criſes ſint bonæ, non tamen exiſtunt perfectæ; at ſi fortè accidat, vt ſint perfectæ, non tamen cum fide, quoniam aliquando morbus reuerti ſolet. Concludimus igitur, quòd ſextus ſit malorum criticorum anteſignanus.

Natura & effectus diei ſeptimi non modo ratione numeri & ordinis, ſed gratia formalis ſuæ potentiæ & dignitatis admodum eſt notabilis & memorabilis, vtpote quæ omnes dierum criticorum notas & virtutes in ſe comprehendit. Hinc ergo eſt, quòd plurimos iudicat & abſolutè, idque cum excretione manifeſta ſeu abſceſſu, abſque vllo periculo; vnde contingit, quòd dies iſte ægrotos quos iudicat reficit magis quàm labefactat, atque in omnibus malignæ diei ſexti diſpoſitioni ratione ſuæ clementiæ contrariatur. Vnde Galenus: *Mihi quidem in mentem venit ſeptimi naturam regi aſſimilare, ſexti verò tyranno* &c. Eſt enim ſeptimus clemens quaſi bonus aliquis princeps, quoniam iis quos iudicat vel ſupplicii partem adimit, vel illuſtrat victoriam. E contra verò ſextus vel pernicie illius quem iudicandum accepit, vel ſalute dolet, quæritque vbi animam expleat & malè ægrum tractet. Porrò longa punitione ſe exercet, vti in ſexti deſcriptione latiùs.

Sunt etiam alii dies qui malitiæ ſexti appropinquant, atq; naturæ ipſius ſimiles exiſtunt, videlicet octauus atque decimus.

Sunt etiam nonnulli iſtorum dierum decretoriorum, qui non iudicant omnino, nimirũ duodecimus, decimusſextus, & decimusnonus.

Dies decimusquartus diei ſeptimo in ſuis proprietatibus aſſimilatur.

Denique inter eos dies qui ſequuntur vigeſimum ſiue periodum primariam, principem in iudicando locum tenet vigeſimus primus, habet etiam quadrageſimus virtutem atq; poteſtatem mentione dignam; atque iterum quadrageſimo remiſſiùs & minùs iudicat trigeſimus quartus, atque iterum trigeſimo quarto minùs decernunt vigeſimus quartus, & trigeſimus primus; tum poſtea trigeſimo primo remiſſiùs trigeſimus ſeptimus, ita vt in medio inter dies decernentes & non decernentes collocari videatur.

Nunc verò ad librum quartum procedemus, qui vias ſeu meatus deſcribit per quos morbi materia perfecto die critico fugari, atque è corpore propelli ſolet.

LIBER



LIBER QVARTVS:

In quo meatus, seu viæ explicantur, quibus morbi mediantibus crisibus assolent fugari.

CAPVT I.

De meatibus, seu ductibus sex, quibus morbus quisque die critico solet è corpore expelli, & quòd talis motus critici signa nuncupantur solutoria.



IAm verò cùm de dierum decretoriorum numero, ordine, & proprietatibus satis apertè simus loquuti, restat nunc vt de ductibus illis sex efficiam⁹ mentionem per quos in diebus criticis euacuari atque expurgati solet ipse morbus, vel saltem integrum ipsius subiectum. Sex ergo numerãtur meatus siue viæ, quibus tale officium die critico præstari animaduertitur, quorum locum priorem sibi vendicant nares, quippe è quibus fit sanguinis exitus, seu profluuium, morbum, seu morbi seminaria ab intus ad extra secum rapiens: imò verò sunt & alii ductus eiusdem naturæ qui criticæ expulsioni inseruiunt: nam aliquando sanguis per hæmorrhoides emanans, atq; etiam ab vtero more menstruoso scaturiens, morbi quandoque solutionis est iudicium: Secundum locum habet venter, vtpote cuius fluor die critico morbum agnoscitur determinare: deinde per vomitum à stomacho die decretorio factum propulsatur morbi viscus & vigor, ac penitus extirpatur: tum postea per vrinæ à vesica in die iudicante excretionem eiicitur morbus: quintum locum occupant corporis meatus porosi mediantibus quibus sudor die critico exilire cernitur, & cum sudore morbus euanescere quandoque assolet: sextus & vltimus meatus per quem exitum suum finalem habent morbi seminaria sunt glandulæ post aures; in quibus tandem materia morbi expulsa in abscessus substantiam concrescit: atque iste expulsionis meatus est multiformis; nam talis excretio non solet solummodo post aures, verùm etiam in quadam alia ignobili particula aut articulis, videlicet in inguine, sub axillis, &c. fieri. Quæ aũt per istos ductus in dieb. criticis expelli obseruantur, videlicet vel sanguis, vel stercora, vel deiectio per vomitum, vel vrina, vel sudor, vel abscessus, illa dicuntur signa morbi magni & vehemẽtis solutionem præcedentia quæ Λυτήρια, hoc est, solutoria ab Hippocrate dictitantur.

CAPVT II.

Quomodo ista signa critica solutoria habeant qualibet signa quædam prognostica, præeuntia, quæ præsagiunt meatum & modum, per quem crisis futura fiet.

MEdicum haud ignorare conuenit, quòd prædictas diei criticæ excretiones haud mediocris in corpore perturbatio præcedere obseruatur: nam æger quandoque subitò spiritum difficulter trahit, vel delirat, vel caliginem splendoremve ob oculos versari putat, vel fundit lachrymas, vel oculos habet rubentes, vel tempora sua inuenit grauia, vel in ceruice & capite sentit dolores, vel nigra quædam oculis offundi credit, vel laborat stomacho, vel inferius labrum quasi tremulum habet, vel rigore vehementi quassatur, vel vri se magis dicunt quàm antea, vel somnus adest grauis, &c. Atque hæc omnia signa debent die critico incidere, aut nulla fida crisis ex eorum apparitione est expectanda. Atque hoc de signis crisim præcedentibus in genere. Iam verò de qualibet particula sigillatim.

Prædictorum autem signorum solutoriorum acutiùs à Physicis, siue sit ad mortem siue salutem consequendam existimatur esse sanguinis per nares egressio: nam sicut natura sanguinem pro thesauro carissimo semper reseruauit, ita probabile est, quòd ipsa noluerit eum omittere & expellere per nares nisi propter graue & admodum necessarium ad totius salutem negotium. Ob istam ergo rationem creditur sanguinis fluxus siue per nares, siue per hæmorrhoides, siue venas vteri esse in acuitate & efficacia omnibus aliis præferendus.

Libr.3.de cris.c.3. 3.Prog.33. 1.ad Glauc. 15. Auic.24. tr.1.c.5.

Signa igitur prognostica crisis futuræ per profluuium sanguinis è naribus sunt ista, splendores & fila rubea lucentia oculis obuersantia, oculorum hebetudo, oculi lachrymantes, oculi, malæ, & nares rubicundi, hypochondriorum sine dolore tensio, & difficultas respirationis, inflammatio & dolor capitis percussiuus, viscerum phlegmone, pulsus altus & inundans, nares prurientes, dolor faciei & temporum, ætas, anni tempus, complexio, morbus & consuetudo ægroti debent conuenire.

Rhas.23. com.11.c.1. Auic. vt supra.

Signa prognostica futuræ crisis per secessum, seu ventris fluxum sunt ista, vrinæ, sudoris, & sanguinis narium retentio, punctiò, grauitas & altitudo imi ventris, inflatio emunctorii inguinalis, defectus signorum vomitus, multa tinctio egestionis, dolor dorsi, vrina post crisim in febre tertiana alba & subtilis.

Hipp. Galen. Auic. vt supra.

Signa prognostica futuræ crisis per vomitum, sunt cordis morsus, difficultas respirationis, capitis dolor, vertigo, decoloratio faciei, tenebrosa oculis obuersantia, labii inferioris agitatio, saliua multa & tenuis, tensio hypochondriorum in parte anteriori cum dolore stomachi, morbus biliosus, &c.

Signa prognostica futuræ crisis per vrinam sunt grauitas vesicæ cum ardore vrinæ, defectus signorum reliquarum expulsionum, exuberatio vrinæ, crassitudo substantiæ eius & sediminis in aliis diebus, de quibus Rhasis Auicen. *Ibid. cap.* 12.

lib.3.de cris. c.11. Auicen.2. quart.tr.1. c.7.

Signa prognostica futuræ crisis per sudorem sunt, pulsus vehementer vndosus, tactus cutis roridus ad inflationem, tumefactionem, caliditatem & rubedinem tendens, vrina tincta die quarto & incrassata in septimo, rigor fortis & vehemens, post quem sequitur vehemens febris, virtute existente forti & signis bonis, febris incensiua quam præcedit rigor, diminutio egestionis & vrinæ, somnium balnei, tinæ, & sudoris.

2.Aph.13. 3.de cris.c. 2.3.4. Auicen.2. quart.tr.2. c.3.

Signa prognostica futuræ crisis per expulsionem ad glandulas aurium, vel alias quasdam particulas ignobiles sunt perturbatio corporis ægrotantis, difficilis toleratio, vigiliæ, deliria, graues somni, tinnitus, sonitus, difficilis anhelitus & sensus, vertigines tenebrosæ, dolores capitis, stomachi, colli, lachrymæ inuoluntariæ, vrinæ, menstrui hæmorrhoidarum retentio, labii vel alterius membri agitatio, obliuio præteritorum, præsentium ignorantia, vehemens rigor, multus æstus, anticipatio accessionis, sitis intolerabilis, inquietudo, nox præcedens grauis, &c.

CAPVT III.

Quòd crisis fida sine aliquo ex signis solutoriis accidere nequeat.

Concludimus igitur, quòd nulla fida & laudabilis crisis apparere potest sine horum signorum solutoriorum apparitione, ita quidem ista etiam signa critica præcedere debent, videlicet quodlibet particulare sua propria signa à nobis authoritatibus antiquorum hoc in loco expressa. Ad illa denique signa λυτήρια seu solutoria quod attinet, diligenter obseruandum est, quòd cùm excretio copiosa vel abscessus insignis apparebit, tunc pro certo scire debemus fidam atque absolutam crisim adesse: nam morbi qui absq; his quiescunt, seu ad tempus recedunt, in iis recidiua timenda est. Euenit enim sæpiculè quòd morbus ob exactam victus rationem ita quiescere solet vt nunquam reuertatur. Verùm si malignior existat redibit morbus, idque summo cum discrimine, etiam si patiens hac stricta viuendi formula fuerit vsus, imò verò si illum tanquam solutum neglexerit Medicus multò grauior atque ferocior euadet plerumque quàm fuit antea. Quare opus est, vt Medicus sit in re ista cautus & vigilans, atque cum diligentia præuideat an recidiua sit timenda, quod quidem vt meliùs præstare queat, necesse est vt signa futuræ recidiuæ prognostica ad amussim intelligat, quæ sunt huiusmodi.

Hipp. de indic. 4.57. 3.prog.22. Auicen.2. quart.tr.1. c.96. 1.dier.crit.1. 2.Aph.7.8.

Febris post crisim perseuerans, vel febris sine crisi & sine ratione manifesta desinens: signa critica siue solutoria antea recitata delitescentia: magna virtutis debilitas post apparentem morbi recessum, similiter inappetentia, nausea, cruditas, hypochondriorum, hepatis, lienis tensio, vigiliæ, sitis, tumor faciei, nulla sensibilis ab assumpto cibo refectio, sed corpus in dies marcescere atque contabescere videtur: pulsus frequens & celer perseuerans, vrina satis colorata & cruda permanens: atque hæc eò citiùs recidiuam arguunt, si morbi mos sit diuturnus, aut Autumni tempore genitus.

Denique in Aphorismis & prognosticis & epidemicis Hippocrates docuit, quæ recidiua exitiosa sit, quæ minùs.

CAPVT

Caput IV.

In quo futuræ crisis permutationis signa recitantur, illaq́; tam demonstratiua, quàm prognostica crisis tam bonæ, quàm malæ explicantur.


Cum crisis est deficiens, hoc est, inter bonæ & malæ dispositionem existit, necesse est, vt morbum completè non soluat: similiter si vnum diem decretorium transit cum apparitione, & perseuerat in suo motu ad alium, tunc crisis permutationis nuncupari potest, quã vt ritè intelligas, atque suis notis præuideas, sciendum est quænam sint prognostica futuræ crisis permutationis indicia. Si igitur Rhasis 32. *continu. Tract.* 1. *cap.* 1. & Auicen. 2 *quarti tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. verba respiciamus, crisis permutationis ista esse signa percipiemus. Fortitudo febris cum fixatione doloris, retentio vrinæ, egestionis, sudoris, vomitus, sanguinis, sputi, tarditas aut priuatio digestionis cum fortitudine virtutis, bonitate pulsus in morbis chronicis & salutaribus: dolor & inflatio & inflammatio venarum in locis vacuis, debilitas, dolor, fatigatio alicuius membri, crassitudo & multitudo materiæ non aptæ ad vniuersalem expulsionem, præcipuè vbi fit ætate & tempore frigido; debilitas virtutis non potentis extra expellere, &c. *Rhasis. Auicen.*

E contra verò, cùm bona & laudabilis contingit crisis, ex signis istis prognosticis intelligimus, præibunt enim ipsam apparentia digestionis signa, dies aderit criticus, quem iudicabit dies eius iudicatoria; humor peccans secundùm rectitudinem & cum facilitate euacuabitur: continget ipsa cum tolerantia facili & fortitudine pulsus, & cum horripilatione post euacuationem; post ipsam nihil in morbo manebit reliqui, & consequenter redibit nunquam, absque accidentibus seu symptomatibus perniciosis & periculosis apparebit: continget cum euidentibus & copiosis euacuationibus aut abscessibus. Porrò sciendum est, quòd crisis nocturna melior est & laudabilior quàm in cæteris partibus diei, propter virtutem vnitam, & in nocte quieti associatam, quæ expansione sui pro diurnis negotiis fuerat facta debilior; quare in tempore nocturno virtute existente fortiori crises vtique operabitur ipsa meliores; nam melior virtus meliores crises facit. Conferunt etiam ad hoc non parum noctis tenebræ & natura earum, quæ centraliter reuocandi spiritum ad exteriora expulsum prouinciam tenent, qua spirituum reuocatione atque vnione facta natura robustior ad crises insurgit. Luna etiam noctis luminare, & in ea potentius quàm in die opem naturæ præstans ingentem humores mouet, & eos ad crisim agitat. Denique quæ omnia de crisi fida & laudabili in *libro huius secundo* sunt dicta, crisi huiusmodi conuenire debent. *3. de cris. c. 3. 1. Aph 2. Auicen. 2. quart tr. 1. c. 20. 25. 64*

E contra verò crisis malæ & perniciosæ signa se habent, quemadmodum *loco antea citato* videre licet.

Atque ista ad ductuum, siue meatuum simul atque excretionum per ipsos emissarum, earumque effectuum, nec non ad crisis permutationis & bonitatis notitiam sufficient. Iam verò ad *librum quintum & vltimum huius tractatus* accedam, in quo crisis causa & scientiæ ipsius vsus atque praxis explicatur.





LIBRI QVINTI MEMBRVM PRIMVM,

De radicali crisis causa.

CAPVT I.

De radicalibus crisis, seu dierum decretoriorum causis.



IN principio ante vllam creationis diem dictum est, *Spiritum Domini ferri super aquas*; hoc est amor Dei igneus super aquas elatus igneum eis vigorem impertitus est, vt Augustinus *super Genesim*. Vt ergo aquæ originaliter à potentia diuina seu massa tenebrosa sunt deriuatæ quasi partus fœmininus & passiuus, atque ad patiendum ab origine dispositus, ita quidem lucis emanatio ab actu diuino scaturiens quasi partus masculinus & actiuus, atque ad agendum ab origine ordinatus existit. Ratio verò cur illæ patiuntur, hæc autem agit & operatur, est quòd frigus existens actiua naturæ tenebrosæ proprietas seu essentia ex sua propria natura ad quietem est dispositum, & nullo modo agere nisi per resistentiam & reactionem animaduertitur; nam à caloris inuasionibus excitatur, & ad repellendos ipsius insultus exagitatur, quoniam vt tenebræ sunt luci oppositæ in natura & proprietate, ità inuicem agunt & patiuntur, & in passionibus sæpiculè fit reactio ex parte patientis per resistentiam. Cùm ergo hæ duæ rerum omnium radices numero, pondere & mensura conueniunt, hoc est cùm actio passioni æquiualet, & passio non excedit actionis rationem, tunc creatiò atque generatio sequuntur, quasi tertium quoddam pulchrum & laudabile ab actiuo quasi masculo, & passiuo tanquam fœmina procedens: atque tali partu primordialiter ortus fuit *Pan*, seu salutaris & viuifica natura vniuersalis ex aqueis *Chaos* visceribus & igneo lucis diuinæ spiritu. At verò vbi vel tenebræ magis præualent, ita vt à lucis radiis, seu Apollinis iaculis superari nequeant, partus ibi malignus, videlicet *Litigium* à Chaos ventre obstetricante *Demogorgone* seu deorum patre est generatum, qui partus est morborum atque mortis & malorum author; vbi enim est proportio æqualis & ad iustitiam ibi generatio & bonum sequitur; at inæqualitas & iniustitia, teste Scriptura, perturbat vel ægritudine vel morte. Ex quibus Dei patentis proprietas priuatiua imprimis, & tum postea illius positiua est in rebus creatis consideranda; ratione quarum proprietatum vnius in essentia Dei contrariarum dicunt Scripturæ sacræ, bonum & malum, vita & mors, diuitiæ & paupertas à Deo; & quòd Deus vulneret & medeatur; ac denique quòd operetur omnia in omnibus, videlicet tam ad corruptionem, quàm ad generationem: quod etiam per 10. eius cognomina portis arboris Sephiroticæ assignata à proprietate ei attributa *alibi* à nobis est explicatum. Hîc ergo rerum in hoc mundo mutationum radices videtis, & quòd Deus à contrariis mundum, & mundi partes conflauerit quasi ex lite & amicitia, & quòd harmonica harum vnione res mediocris inter interitum & naturam viuificam constituitur, quæ respectum habet ad vtraque extrema, videlicet & viuere potest & mori, estque quasi, dum in sua specie existit, in medio inter vitam æternam & mortem æternam, hoc est inter dominium actus priuationis seu tenebrarum, & positionis seu lucis, & vitæ emanationis. Sic ergo creatæ sunt aquæ, sic producta lux, aquæ, inquam, propria tenebrarum proles, & consequenter nocturnæ, fœmininæ, humidæ & frigidæ, & lux quæ è fonte lucido emanauit, & consequenter diurna, masculina, sicca & calida. His ergo radicaliter per mundi cauitatem voluntate diuina, die quidem quarto facta erat vtriusque naturæ in sphæram seu orbem optimè suæ naturæ conuenientem contractio, ita vt essentialiter aquarum portio in massam terræ, seu tenebrarum moli proximam est congregata, vt quasi humidus vitæ mundanæ spiritus, seu natura humida omnia inferiora sua humiditate gubernet & contemperet, & vocabatur massa ista sphærica Luna, atque perspicua lucis diuinæ copia vndique per mundi

aquas expansa, in spiritus limpidissimi & purissimi molem reduceretur, quæ moles in mundi centro vtpote dignior vitæ ipsius & quasi cordis thesaurus locum suum tenet, vt mundus ab ipsius fonte quasi animæ lucidæ vitæ sede sugat, & ab omni parte sibi alliciat suæ vitæ ignem & animam, quo spiritus aquei vndique per mundum expansi viuant & moueantur. Atque ista moles vocabatur Sol; de quo hæc Psalmista, *Posuit tabernaculum suum in Sole.* Hic ergo regia vniuersalis maris atque fœminæ palatia depicta & in cœlis constructa habetis, ita vt quotidie factus est inter hos coitus res varias in mundo generans in elemento Catholico quod est communis quasi matrix & receptaculum omnium seminariorum seu influentiarum cœlestium. Atque vt fœmina est per se admodum humida & frigida atque imperfecta & sterilis sine coniunctione cum suo masculo, ita quidem nisi contactu sui maris incalescat & illuminetur Luna nullius est plane vigoris, vtcunque ratione suæ humiditatis non aliter est Luna nocturni temporis præses & domina: vt è regione Sol super diem propter suam caliditatem imperium habet: quare certum est quod ista duo diuinitatis palatia cum tam diei quam nocti præsint, omnia in communi naturæ cursu regunt atque gubernant, & iuxta actuum suorum æqualitatem p[illegible]mpti sunt viuificare, multiplicare atque efficere vt vigescant omnia. Verum, vbi ma[illegible] nimatur ipsa Luna radijs seu seminariis sui mariti, (quod in oppositione accidit) ibi n[illegible] viuax redditur, in suo dominio super humores, eosque anget, & mira cum viuacitate & violentia agitat, vt in fluxu & refluxu maris, atque epilepticis & lunaticis apparet. Denique vt omnia quæcunque in mundo sunt ex aqua quoad materiam, & igne lucido quoad formam, ita quidem Luna dominatur atque imperium habet in omnia, occupat respectum suæ materiæ humidæ, quæ est spiritus quidem ducens omnia in mundo, non aliter quam spiritus humanus motum sanguinj & humoribus præbere dicitur, at non per se, sed quatenus à spiritu interno lucido proprietatis & conditionis multiplicis ducitur. Atque hinc est quod vt orbis & sphæra Lunæ est omnium reliquorum ex septem planetis infima, ita quidem capax & quasi receptaculum est influentiarum seu seminariorum planetarum superiorum quando dominium in cœlo tenent: at iuxta proprietates Ichouæ diuersas planeta quilibet virtute sua distincta est præditus (quemadmodum *superius* à nobis expressum est) & consequenter humoris eiusdem peculiaris anima cuilibet planetæ attribuitur, necesse est vt influentia huius vel illius planetæ ad huius vel illius humoris procreationem aptior & pronior reddatur.

Porro cum communis humorum materia sit aqua, vt commune illorum in corpore receptaculum est massa sanguinea, ita humidæ sphæræ Lunæ natura alteratur à formalibus reliquorum planetarum, atque etiam stellarum fixarum influxibus de humore in humorem, non aliter quam aqua clara additione atramenti nigra & melancholica, croci flaua & biliosa, sanguinis rubra & sanguinea, & lactis alba & phlegmatica fit: in cuius transmutationis ordine videtis limpidam aquæ substantiam esse fundamentum & formarum alterantium receptaculum. Haud aliter planetæ atque stellę fixæ proprietates suas specificas in Lunarem madorem impluunt, eumque mutant & alterant, non aliter ipsius regni substantia vtentes quam mercatores aut reges tabellionibus in agendis negotijs per literas siue epistolas vtuntur, quippe quod luminare est in suo cursu omnium velocissimum, & elemento sublunari atque terræ proximum. Quare euidens est quod graues & densæ lunares influentiæ sunt quasi vehicula proprietatum planetariarum, quæ vehiculum Lunare alterant in hunc vel illum humorem, quem per aëra tum postea dispergit, & corporibus ad eum recipiendum aptis impluit efficaciter. Quoniam autem sunt seminariorum humorum parentes quæ in terra Lunari proiiciuntur, satis aperte significauerunt veteres quippe qui sanguinem proprietati Iouis, Saturni patris melancholiam, Lunæ imprimis, & aliqualiter Veneris phlegma, & bilem illi Martis ascripserunt. Porro etiam triplicitas aërea seminaria sanguinea in Lunæ promptuarium effundit, aquea phlegmatica, terrea melancholica, atque ignea biliosa.

Concludunt ergo Philosophorum peritissimi Solem atq; Lunam esse vniuersales rerum omnium mundi atq; corporis rectores, diuinitatis actus percitos, qui ob eam rationem (iuxta Mercurij Trismegisti sententiam) *tam ad rerum obitus quam ortus, tamq; ad rerum detrimenta quam augmenta diuinitatis dicuntur organa.* Quo bene ab Astronomis Ægyptiacis considerato perceperunt atq; inquisitione longa inuenerunt ipsam Lunam non modo ægris sed etiam sanis quales dies sint futuri præmonstrare. Hinc ergo Maternus ait, *Est Lunæ progressio sagaci inquisitione cum alijs tū medicis non indigna, cuius statum nisi ad vnguem tenuerint propriæ cæcitatis duces, & stolidæ mentis precones in errores quam plurimos prolabentur: nam constat quod Luna in rerum generatione ob humidum cui præest materiam subministrat, vt ex altera parte Sol ob suum calidum, formam, quorum alterum sine altero in indiuiduo & fraterno societatis vinculo connexu perx-* Asclep.

gre existere potest. Luna ergo quatenus humectando excellit, terræ est proxima & humidis vaporibus contigua & propinqua ob quam causam necesse est vt sua humiditate aera & aquas & consequenter omnia ex illis viuentia manifeste afficiat, eaq; molla & laxa reddat, & per tales suas proprietates ea tandem ad putrefactionem perducat, atque eo magis quoniam occulte etiam suis temporibus calefacit quatenus lumen vel magis vel minus à sole recipit. Hinc ergo quod iuxta profundissimi Hermetis doctrinam Deus omnipotens dictus est omnium rerum inferiorum vnicum patrem atq; vnam matrem produxisse; atq; patrem dictitauit ipse Solem, Lunam vero matrem, vtpote quorum coitu siue influxibus mutuo conferūtur inferioribus, & præcipue terræ atq; aquis spermata tam generabilia quam corruptibilia, iuxta proprietatem diuinam à portis Sephiroticis vel benigniter vel maligniter emissam. Hinc est. quod Sol vna vice cognoscitur res omnes inferiores in esse ac virtute sua conseruare, fouere, calefacere atq; nutrire. Porro etiam & Luna in proprietate sua benigna fausta impluit seminaria in regna aquarum, vnde quando ipsa oritur luce sua tum incipit mare ascendere & quando ipsa peruenit ad Solis occasum, tum iterum mare incipit ascendere quando peruenit ad cursum infimum, tum retro descendit mare. &c. Quo docemur euidenter, quod Luna habeat dominium super humores non modo mundanos, verum etiam humanos, in quo dominio quandoque seueriter agit & nonnunquam beneuole. Nonne à rege Dauide hæc habemus expresse sic relata. *Deus est custos tuus, Sol non te percutiet diurno tempore, nec Luna nocte, Deus te præseruabit ab omni malo*; verum quoniam Luna est nobis proxima, atque etiam in motu suo velocissima, sed præsertim quatenus est receptaculum humidum influentiarum tam beneuolarum quam maleuolarum à stellis tam fixis quam erraticis descendentium; ideo morborum fere omnium, sed præcipue acutorum obseruatur esse effectrix, aut potius seminariorū morbosorum in promptuaria ventorum distributrix, quorum tum postea spiritibus in naturam elementariam vndique expanduntur & disperguntur. Atque ista de causa medici veteres principalem habuere respectum ad istam humiditatis dominam, considerantes morbi accidentia tam ad salutem quam ad mortem atque morbum sequi Lunæ in cœlo mutationes. Hinc asseuerare videtur Hippocrates *in suis prognosticis, Est,* ait, *quædam in cœlo stella, quam opus habet medicus vt accurate animaduertat.* Et Galenus, *in comm. de diebus criticis. Medicus debet habere in cura sua rem, quæ nunquam fallit (quam Astronomi Ægyptiaci docuerunt) hoc est notare diligenter debet quando corpus lunare coniungatur cum stellis fortunatis; nā tunc morbi tremendi & periculosi perueniunt ad finem.* Porro etiam in hoc conueniunt omnes Astrologi, videlicet quod Luna inter omnes alios planetas habet maximam in corpora humana potestatem & dominium: quare concludit Ptolomæus in libro de iudiciis Astrorū quod sub Lunæ gubernatione comprehendatur morbus, damnum, metus, & consequenter quod ipsa circa alterationem corporis humani principaliter operetur, idque non sine ratione euidenti atque sufficienti antea relata, videlicet qui dominium habet in substantias liquidas seu humidas, cuiusmodi sunt aqua, oleum, sanguis, succus arborum, &c. Hinc ergo Dr. Dee 103. *aph libri de cuiusdam naturæ virtutibus.* Luna est potentissima rerum humidarum moderatrix, humiditatisque excitatrix & effectrix. Quibus etiam considerare fas est quod ipsa imperium habeat in 4. humores, videlicet choleram, sanguinem, pituitam & melancholiam, quæ in suis substantiis aut madidæ & vaporosæ, vtcunq; in proprietate ad inuicem differant: ex quibus humoribus morbos plerumque generari volunt veteres, vel potius stellarum seu vētorum seminaria in iisdem humoribus delitescentia. Præterea cum Luna sit passiuæ qualitatis, necesse est quod ipsa colligat & retineat cæterorum planetarum influxus tam bonos quàm malos quando ipsi cum ea coniunguntur aut ipsa iis applicatur: quod etiam hisce expresse Hermes, *Luna stellæ, siue malefica fuerit cui se applicuerit, illi suffragabitur.* Et quia eius orbis est nobis propinquior, ideo de facili nobis mittit impressiones aliorum planetarum. Atque hæc est ratio quod ipsius influxus sit mutabilitatem & alterationem facere in corporibus aut ad bonum aut ad malum, secundum naturam planetarum cum quib. iungitur aut configuratur in aliquo aspectu, hoc est, iuxta conditionem illius Zodiaci portionis in qua situm suum habet.

Quibus sat liquido constat, experto conuenire medico, vt cum diligentia obseruet modum atque ordinem, quo Luna 12. signa Zodiaci pertransit: nam tali speculatione plurimum de morbi alteratione ipse videlicet per differentias & distantias partium Zodiaci numerando à gradu illo in quo Luna in instante decubitus ægri manebat, ad loca vel mortalia, vel iudiciaria, vel critica pertingit: vti *in sequentibus* clarius.

Caput II.

Vbi Author rationem cur in prædictis Zodiaci locis Luna ſuo aduentu, tot in ægroto, ſeu morbo alterationes, vel ad bonum, vel ad malum faciat.

ANte omnia ſciendum eſt, quod ſit quædam tam inter cœleſtia, quam inter ipſa elementa ſimplicia, & elementa cum terreſtria tum aquatica ſympathia & antipathia, quoddam odium & amicitia; verbi gratia inter ſigna & ſigna Zodiaci eſt odium & amicitia, quędamque eorum ſunt recta & directe aſcendentia, quædam tortuoſa & oblique aſcendentia; videlicet:

Signa recta	♋	*Odioſa*	♌	♍	♎	*Odioſa*	♏	♐	*& directe aſcendentia,*
Signa tortuoſa	♊		♉	♈	♓		♒	♑	*& oblique ſcandentia.*

Similiter inter planetam & planetam eſt odium, eſtque amicitia in ſignis, nam, ♄ amicus eſt ☉ ♃ ☾ Inimicus ♂ ♀

♂ amicus ♀ eius inimici ☉ ☿

☾ amica ♃ ♀ ♄ eius inimici ♂ ♃

☉ amicus ♃ ♁ eius inimici ♂ ♀ ☾

☊ amicus ♃ ♀ eius inimici ♄ ♂

☿ amicus ♃ ♀ eius inimici ☾ ♂ ☉

☋ amicus ♄ ♂ eius inimici ☉ ☾ ♀ ♃


His igitur cognitis non eſt mirum, ſi ſtella ſiue fixa ſiue erratica varias ſoleat, iuxta locos Zodiaci, in quibus vel aſpectu vel cōiunctione cōcurrunt, in inferiorib: alterationes vel ad bonum vel ad malum, ſecundum naturas ſtellarum conuenientes vel diſcordantes producere effectus: nam vbi duæ ſtellæ vel aſpectu ſe inuicem applicant, vel ſimul coniunguntur, ſeminaria quidem talia effundunt in inferiora ſecundum conditionem eorum quæ ſimul coeunt: quare ſi antipathia atque inimicitia inter ſe opponantur ſpermata litigioſa & malitioſa impluunt, non aliter quam coniunctione ſpermatum duorum ventorum oppoſitorum, videlicet Borealis & Auſtralis, & præcipue vbi Auſter habet dominium, fulgura, tonitrua & vapores peſtilentiales ex colluctatione duorum ſeminariorū contrariorum procreari cernimus, idq; præcipue vbi ♂ & ☾ ſe inuicem aſpiciunt. Haud aliter euenit in morborum exaſperatione, vel alleuiatione ſecundum ſtellarum fauſtarum concurſus cum ☾ in via eius per Zodiacum, idq; eo magis ſi aſpectus ſit bonus vel malus quem ☾ in ſua peregrinatione habet cum dictis ſtellis.

De aſpectuum naturis, & de eorum bonitate, atque prauitate *ſupra in tractatu meo de Iatromathematica* feci mentionem, vbi declaraui, quod aſpectus ſextilis & trinus ſint boni; atque rationem dedi, quoniam fieri ſolent iſtiuſmodi aſpectus non ex ſignis contrariarum naturarum. Dicitur ob hanc cauſam Trigonus aſpectus ideo bonus, proſper & felix & perfectæ amicitiæ, quoniam ſigna ſe inuicem aſpicientia in tali applicatione tam in qualitatibus actiuis quam paſſiuis conuenire ſolent, atque etiam aut omnia ſunt maſculina aut omnia fœminina, ſunt enim aut ignea, aut aërea, aut aquea aut terrea. Similiter ſextilis bonitate huic appropinquat, quippe qui bonus eſt & amicitiæ ſed non adeo perfectæ, quoniam ſextili applicatione ſeſe reſpicientia ſunt aut maſculina aut fœminina: conueniunt etiam qualitate actiua, nimirū caliditate aut frigiditate. Sic ♈ & ♊ ſunt ambo calida ſigna & maſculina. At ♉ & ♋ ſunt ambo frigida & fœminina. At verò in qualitatibus paſſiuis differunt, cum ♈ ſit ſiccum ſignum, ♊ vero humidum: atque ob iſtam cauſam dicitur aſpectus imperfectæ amicitiæ.

E regione vero aſpectus quadratus atque oppoſitio ſunt mali atque infelices dicendi: & imprimis □ eſt aſpectus minax & maleuolus, quoniam ſigna ſe inuicem mutuo aſpicientia ad minus reſpiciunt qualitatibus actiuis, & quandoque tam actiuis quam paſſiuis: Sic ♈ & ♋ diſtant atq; diſſentiunt in vtriſq;: at ♉ & ☊ in actiuis ſolum: diſcordant etiam in ſexu, eo quod vnum eſt maſculinum aliud fœmininum: nam ſi ♈ ſit ſignum diurnum, ♋ eſt ſignum

gnum nocturnum, & sic in cæteris. Denique dicitur aspectus imperfectæ inimicitiæ quoniam signa talium aspectuum quandoq; conueniunt in qualitatibus passiuis. Denique ex malis aspectibus est si quidem oppositio seu ☍ pessimus. Nec quidē est mirum, si iste aspectus sit omnium malignior & magis nociuus & minax: nam eius radii sunt loco quem respiciunt omnino contrarij: vnde haud immerito dicitur iste aspectus perfectæ & manifestæ inimicitiæ atque contrarietatis.

Hac igitur de causa euenit, quod dies critici seu iudicij & magnæ alterationis in morbo fieri solet in eo tempore in quo ☾ transiens à signo & gradu Zodiaci vulnerante seu lædente vel in spatio seu hora cuius factus est decubitus ægroti; seu primus manifestus febris paroxysmus peruenit ad exactam partem quartam Zodiaci, ad quem punctum cum Luna pertigerit, efficit ibi primam crisim siue subitam in morbo mutationem, & si morbum in illa die iudiciali non finiuerit, tunc quidem expectandum est quousq; ad oppositionem venerit ad locum in quo morbus primum inuasit, quod circa diem decimumquartum plerumq; euenire solet: nam in isto loco restat secundæ diei criticæ effectus, in quo si nondum soluatur morbus, tunc vigilandum est pro Lunæ aduentu ad secundum aspectum quadratum, atque in eo animaduertendus Lunæ status. Atque hoc per obseruationem Hippocraticam circa diem vigesimum prouenire assolet, qui dies est prima in numeratione dierum decretoriorum periodus; & sic in cæteris. Sit ergo exemplum tale. Si quis decubuerit ex morbo acuto Luna pertingente ad gradum 3. ♈ respiciendum est quando Luna perueniet ad gr. 3. ♋ & si morbus per crisim tunc temporis non soluetur, tunc expectandum est dum 3. ♎ gradum attigerit, atque ibi morbi alteratio expectanda: at si ille locus non compleuerit ægritudinem, tunc eius ad gradum 3. capricorni aduentus est respiciendus, in quo loco secundum complet eclipticæ quadratum, &c.



Conclu-

Concludimus igitur & dicimus, quod duplex sit causa tantæ alterationis in istis locis, vbi facti sunt aspectus isti maligni, videlicet quadrati seu □ primi in grad. 3. ♋. & secundi in gr. 3. ♑ atque oppositionis seu ☍ in gr. 3. ♎. Videlicet tam in consideratione figuræ aspectus, hoc est distantiæ atq; interualli in circulo, in quo stellæ fixæ seu signa in quibus Luna transit se inuicem respiciunt, & inter se mutuo operantur, quam radiorum: nam tam bonitas quam malitia aspectuum non modo à natura figuræ aspectus, sed etiam à proprietate radiorum siue sensibiliter siue insensibiliter transmissorum dependent: causam autem cum bonitatis tum malitiæ ex parte figurarum, videlicet oppositi ☍ quadrati □ trigoni △ & sextilis ✱ expressimus antea: causam vero bonitatis & malitiæ ex parte radiorum stellarum seu planetarum se inuicem aspicientium his paucis. Radii planetæ semper naturam & proprietatē eius secum habent à quo emittuntur, vnde sequitur quod si radius (vtputa Iouis vel Veneris) bonitate datoris exuberet plerumq; euenit vt in malignæ figuræ aspectu, nimirum □ vel ☍ effectum mutet in meliorem, atq; ita figuræ prauitatem aliquantulum corrigat. Porrò etiam radii planetarum maleuolorum pariter benignam bonorum aspectuum corrumpunt naturam, ipsorumque probitatem diminuunt. Verum vt praui planetæ suis aspectibus augent naturam prauorum aspectuum in peius, ita quidem à bonis aspectibus, putà ✱ & △ mitiores redduntur: è regione vero aspectus boni per radios bonorum planetarum meliores redduntur. In hunc igitur modum binis rationibus vel felicior vel infelicior redditur ☾ in sua per zodiacum à loco dato peregrinatione, videlicet per aspectum bonum vel maleuolum, & per radiationes bonas etiam in aspectu malo seu □ seu ☍ mitior redditur in sua operatione, & consequenter crisim facit benigniorem, atque non ita atrocem ac si radiis beneuolis in iis locis esset destituta. E regione vero si malorum radiationibus ibi loci afficiatur durā & periculosam promittit Crisim, atq; euentum tremendum minari videtur: nam tametsi ☾ sit in □ vel oppositione à loco decubitus, tamen potest à ♄ vel ♂ in ☍ vel □ aspici: at si in △ vel ✱ ab ipsis respiciatur; tunc illi boni aspectus aliquantulum eorum prauitates corrigent. Verum ex altera parte si ♃ vel ♀ eam respiciat in locis criticis in □ vel ☍ tunc diminuentur eorum bonitates, & diminuent etiam de prauitate illorum aspectuum: at si in △ vel ✱ eam respiciant, tunc quidem beatum pollicentur finem.

CAPVT III.

In quo Hippocratis & Galeni in radicali dierum criticorum ordine, & numeratione, error & erroris ratio enucleatur: similiter ratio, cur Crisis quandoque paucioribus, & nonnunquam pluribus contingat diebus, hoc in loco pertractatur.

CErte non est mirum, si Hippocrates, atque post ipsum Galenus, ita in dierum decretoriorum inuentione, atq; in eorum per numeros septenarios atq; quaternarios ordinatione tantam difficultatem inuenerint: ita vt sine vlla ratione radicali, sed sola experientia ducti numerum septenarium 21. ex ter 7. conflatum, retrograde in 20. & 28. in 27. & 42. in 40. & sic in cæteris reducere sint coacti, & quandoque vltimam vnitatem vnius septenarii primam alterius facere: porrò etiam Crisim quandoque in quinto, & nonnunquam in sexto die, & aliquando die 8. sed plerumq; die 7. contingere animaduerterunt: & quamuis Crisium fontem & radicem generali intuitu in Lunæ virtute, motu ac in signiferi partium positione sitam esse perceperunt, (nam dicit Hippocrates in sui Prognostici principio hæc, vt suprà) *Est quædam in cælo stella, quam opus habet medicus vt cum diligentia obseruet.*) Et Galenus *de diebus criticis, Medicus debet rem considerare quam Astrologi Aegyptiorum docuerunt, quæ nunquam fallit, hoc est quando corpus lunare coniungitur, cum stellis fortunatis, morbi tremendi & periculosi perueniunt ad finem.* Porrò etiam *lib. 3. de decretoriis diebus cap. 5. eiusdem*, ait, mutationes ægritudinum à Luna prouenire, vt si quis in morbum inciderit ☾ in ♉ existente, mutationem dum in leone vel in ♏ vel ♒ sentiet. Hæc ille: nam ista signa □ vel ☍. vel □ 2. faciunt ad inuicem. Quibus euidens est, quod agnouerint ambo isti doctores Lunā esse Crisiū causam & ordinatricem, at rationem temporum ipsarum inconstantiæ ignorauerunt, vtpote haud intelligentes Lunæ cursum esse quandoque velociorem (vnde sequitur quod in tali ipsius dispositione Crisis citius contingat) & nonnunquam tardiorem, quare & diem criticam diuturniorem facit, idque fieri solet secundum motum ipsius in signis vel directe ascendentibus vel oblique orientibus: & recte ascendentia dicuntur quæ cum maiori æquatoris parte eclipticæ lineæ assurgunt; oblique autem ascendentia contrario modo se habent. Sequitur

ergo, quod si Luna inæqualiter in circulo signorum moueri & non semper eodem motu incedere cognoscatur, quod etiam Crises inæqualiter se habeant in suis temporibus, secundum velociorem vel tardiorem Lunæ motum: Hinc ergo est, quod quoniam hoc secretum Galenum & Hippocratem latebat, vtpote quibus solummodo, motus Lunæ medius erat cognitus, & non ille verus Crisium director, ideo in vera dierum criticorum inuentione hæsitarunt & claudicauerunt: quod quidem & Conciliator, idque verbis expressis sic significate videtur. *Galenus cum nondum in veri motus planetarum cognitionem venisset secundum medium motum Lunæ quandam supputationem coactus est excogitare, qua aliqua saltem coniectura ad præfatorum dierum inuentionem attingeret: namque Ptolomæus Aegyptius verorum motuum cælestium instaurator, atq; dierum criticorum per verum Lunæ motum prius ostensor, licet synchronos Galeno fuerit, ista tamen scripta ad Galenum mittere nequiuit. At accipienda est Aegyptiorum de inuentione dierum criticorum doctrina.* Hæc ille. Quibus euidens est, quod error Galeni & consequenter Hippocratis, qui erat Galeni magister, erat quod non intellexerint motum Lunæ cæterorumq; planetarum verum, sed ad motum eorum tantummodo medium respexerint.

Concludimus igitur, quod ex prædicto Hippocratis & Galeni in dierum decretoriorum numeratione progressu medici tyrones parum & quasi nihil ad veram & certam Crisium praxim intelligēdam conducuntur: & quid, obsecro, proderit enucleare quid aut quotuplex sit Crisis, quæ dierum criticorum natura, ordo & virtus, nisi etiam sciamus quando futura fuerit Crisis & qualis præsægire? Atqui hoc absq; veri Lunę motus intellectu & computatione vix, & ne vix quidem acquiri potest: nam (vti dictum est) cum ☾ aliquando celerius & nonnunquam tardius ad hunc vel illum angulum seu □ vel ☍ punctum peruenit, quo fit vt Crisis aliquando sesquiquinto die, quando scilicet ☾ mouetur celeriter, aliquando etiam sexto Crisis apparere incipit: cum vero medio motu mouetur sesquisexto die vel prope septimi diei finem morbus iudicatur: cum autem tardius ☾ mouetur, Crises vel 8. die vel tardius fiunt. Et quoniam in omnibus modus tenendus est, ideo Crises septimo die perfectiores quam diebus cæteris fieri animaduertuntur. Crisis etiam laudabilis fit die quinto, tunc enim Luna propter velocitatem est fortunata. Et nos dicimus ☾ tandem quando perficit minus quam gr. 12. 11. min. in 24. horis; & velox dicitur cum illum numerum graduum & minutarum excedit: vnde facillimum est colligere, quis sit motus medius, quem solummodo contemplatus est Galenus & Hippocrates. At quamuis replicabunt aliqui quod ex Hippocratis & Galeni documentis hoc compleri possit, tamen nos hisce respondemus, idque ingenue & bona fide, quod cum horum ethnicorum doctorum notitia non esset radicalis, sed potius coniecturalis, & longa praxis experientia fundata siue acquisita, & quasi vi atq; tanquam crinibus auulsis coacta, hoc est irregulari atque irrationali numerorum septenariorum & quaternariorum congerie & computatione collecta, ideo præterquam quod scientia sic condita est valde incerta, multum ad illam comprehendendam requiritur tempus, necnon defatigabilis labor experientia haud facili concomitatus, priusquam ad plenum doctrinæ illius intellectum perueniamus, vt viam faciliorem & certiorem tyronibus, rationemque magis securam qua non modo ad certum diei verum etiam horæ criticæ locum inueniendum attingant, idque modo & operatione duplici ostendam.

Ad istius igitur rei praxim secundum Ptolomęi doctrinam in *membro hoc libri huius quinti secundo* me accingam.



LIBER

LIBRI QVINTI, MEMBRVM SECVNDVM.

De Speculi ægrotorum critici compositione.

Capvt I.

In quo dierum criticorum, atque mutationum in morbis tam ad bonum, quam ad malum, per figuram octo laterum inueniendorum vsus, atque praxis declaratur.



Onnulli transmutationem in morbis ratione siue ad bonum siue ad malum periti figuram formauerunt octo laterum, locum ☾ in tempore decubitus in ascendente disponentes, atq; tunc angulus oppositus gradum ei oppositum possidebit, anguli vero medii cæli habebũt loca □. Deniq; domus intermediæ ab angulis suis 4. distabunt per 45. grad. Figura seu horoscopus sic disposita, planetæ prout in ephemeride illa hora reperiuntur locis ipsis naturaliter assignatis imponi debent. Hoc facto locus ipsius ☾ est obseruandus, & cum diligentia est animaduertendum quando corpus lunare vel □ vel ☍ ad locum gradus ascendentis siue tẽpus decubitus: nam ille locus, videlicet vel □ vel ☍ erit sedes temporis critici quod medici die septimo vel decimoquarto fieri tradunt: tunc enim temporis mutationem inueniemus contingere, quoniam illa loca, videlicet □ & ☍ tam diuersa & aliena à primo in ascendente seu angulo Orientis collocato, propter rationes superius à nobis allegatas. Cum autẽ Luna transeat per domos & loca intermedia (quamuis non omnino sint à primo aliena) tum quidem aliquam mutationem afferre assolet, & tametsi hoc tempus vere criticum non dicatur, tamen veri iudicatorii rationem habere recte videtur: atque ob istam rationem Intercidens aut prouocatorium dictitatur.

His igitur in prima serie consideratis, cum diligentia notandum est, quando vel ☾ vel aliquis alius significatorum occurrat planetæ alicui vel stellæ fixæ aut per coniunctionem aut aspectum, etiam quando accedunt vel ad loca vel aspectum planetarum in figura temporis decubitus, nec non quando alii planetæ accedunt ad loca significatorum in eadem figura. Exempli gratia quando ☾ vel dominus ascendentis occurrat ♂ vel ♄ aut alicui alii planetæ maleuolo aut benefico post tempus decubitus & quando ☾ & dominus ascendentis accedunt ad locum in quo fuerit ♂ vel ♄ vel alius planeta in figura temporis decubitus; nec non quando ♄ ♂ aut alius planeta applicat ad locum ☾ vel domini ascendentis in eadem figura, maximas fieri mutationes percipit. Imò verò accidit, & non sine ratione vt Crisis tempora mutentur & non sint eadem; mutationes verò hæ an in melius deteriusue tendant id ex signo quod tenet Luna ex affectione propria quod afficitur & configuratione cum aliis felici vel infelici consideratur. Vt si in tempore Crisis sit Luna in signo eius naturæ & conditionis, respectu materiæ morbi & actionis naturę quod magis naturam vel morbum adiuuare possit, sic mutationem fieri dicamus etiam prout bene vel male afficiatur, magis aut minus significare seu potius efficere potest in ratione contentionis morborum cum natura. Pręterea configuratio cum aliis planetis aut fixis in hoc multum facit: Luna enim prout configuratur cum planetis vel fixis quæ in aliquo rationem morbi vel naturæ habet, sic mutationem esse significat, seu potius fieri efficit.

In genere Luna configuratur cum fortunis, videlicet ♃ & ♀ in bonum, cum infortuniis vt ♄ & ♂ in malum esse significat. Porrò quando Luna aut dominus ascendentis applicat ad locum in quo fuit vel corpore vel aspectu beneficus, præcipuè dominus domus Lunæ, solis aut decimæ domus, mutatio fit in melius: cum vero ad locum malefici præcipue domini octauæ, duodecimæ vel sextæ, in deterius fiet: similiter dicendum est de applicatione benefici aut malefici ad locum ☾ vel ad locum domini ascendentis, vel ad ipsum gradum ascendentis. Hic tamen non semper tenent, nisi aliqua fuerit horum cum significatoribus confi-

guratio in ipſo tēpore concubitus. Quo modo hæ mutationes fiant & quales ſint, id ſimiliter ex ſigno quod tenet ☾ ex affectione propria & configuratione cū aliis deprehenditur, vt ſciamus quid poſſit Luna ratione ſigni affectionis & configurationis in materia morbi vel corrigenda vel euacuanda. Iſtiuſmodi praxis imago ſic depingitur.



Decubuit 1. die hora o ſeu meridiana Aprilis 1630. ☾ exiſtente in grad. 4. ♐ 54. m. pono ergo hoc ſignum in domo prima ſic & ſignum oppoſitum cum ſuo gradu & minuta in angulo Occidentis ei oppoſito. Tunc quæro in Ephemeride quando Luna ingredietur gr. 4. cum 54. ♓ nam tunc tempori efficiet aſpectum complete quadratū ad locum decubitus, videlicet ad gr. 4. 54. ♐ inuenioq; hoc euenire die Aprilis 8. horam autem illius ſtatus Lunæ per veri Lunæ motus inquiſitionem elicere in ſequentibus tentabimus. Tunc quæro in Ephemeride diſpoſitionem cæli pro illa hora in qua Luna ingreſſa eſt 4. gr. ♓ cum 54. m. Inuenio ergo illo die ♄ eſſe in △ cum ☾ idq; circa illam ipſam horam qua Luna locum criticum eſt ingreſſa. Porrò ét obſeruo, quod ♃ in hora decubitus fere reſpiciebat locum aſcendentis à ♓ in quo quadratura prima eſt facta, atq; immediate ante ☾ aduentum ad exactū quadrati punctum in 4. ♓ coniuncta erat cum ♃ in ☌ in 2. ♓. At quoniam etiam aſpectus præſens ♄ cum ☾ eſt perfectæ amicitiæ, ideo eius malignitas in multis corrigitur, & ☾ per pręſentiam ♃ cum quo recenter eſt coniuncta bene præparatur ad Criſim ſatis propitiam producendam. Tum poſtea, ſi nihilominus adhuc pergat morbus, locus oppoſitionis ſiue angulus Occidentis eſt reſpiciendus, & videndum eſt qualis erit cæli ſtatus dum ☾ ingreditur gr. 4. m. 54. ♊. Et percipio illud die 15. circa horam decimam poſt meridiem contingere, circa quod tempus inuenio □ fieri inter ☾ & ♂ & quamuis etiam eadem die & fere hora fit ✶ inter ☾ & ☿ tamen parum valebit propter ipſius inconſtantiam. Hinc ergo fit quod tremendam illo tempore & pernicioſam expectamus Criſim: at ſi euadat hanc vicem & adhuc perſiſtat

persistat morbus, Crisis seu quadratum 2. die 22. expectabitur, videlicet ☾ penetrante gr. 4. 14. ♏ in quo die ♃ se habebit ad ☾ in ☍ videlicet hora 3. 56. min.

Interea temporis spatia intermedia inter angulos, videlicet gr. 20. ♑ erunt, qui locus est intercidens vel prouocatorius, & quasi iudex euentus primi □ taliter præparabit iudicium suum vt stellæ in cœlo se habuerint cum ☾ ingreditur gradum illum, verbi gratia ☾ ingreditur gr. 20. ♑ die 4. Aprilis, in quo □ est inter duo lumina maiora, atq; et ☍ inter ☾ & ♂ & △ in ☾ & ♀ ergo necesse est, vt ista prouocatio efficiat vehementem & periculosam alterationem: tamen dies septima per ☌ ♃ cum ☾ aliquam promittit alleuiationem, & sic in cæteris, sed tamen dies ista admodum raro determinat siue iudicat.

CAPVT II.

In quo via adhuc exactior, iuxta Ptolomæi & Astrologorum Ægyptiorum doctrinam ad locos decretorios, atque alterationes criticas mediante figura 16. laterum inueniendas, atque discernendas innotescit.


Est etiam & alia locos & alterationes criticas discernendi via atque ratio, quam nobis scriptis fidelibus reliquere Ægyptii in mysteriis Astrologiæ peritissimi, idque per formam præcedentem duplicatam, nimirum mediante figura 16. laterum: quam quidem in arte critica progrediendi methodum confirmare videtur Ptolemæus in verbis istis. *Super ægrotis criticos inspice, ac lunæ peragrationem in angulis figuræ 16. laterum. vbi enim eos bene affectos inueneris, bene erit languenti, contra vero male vbi eos male affectos perceperis.* Hæc Ptolemæus. Secundum istiusmodi igitur Ptolemæi atque Astrologorum doctrinam instrumentum quoddam sphæricum fabricari conabor, cuius diligenti inspectione integra scientiæ criticæ praxis sine difficultate aliqua detegi atque manifestari potest. Et quamuis rem istam satis aperte per tabulas nonnullas tam quadratas, quam sphæricas, motui lunæ vero per quodlibet Zodiaci signum migrantis, satis perspicue ostendere queam, tamen quoniam hæc structura siue machina nostra rotunda opus est magis completum atque perfectum & ad negotium hoc criticum generaliter obeundum maxime idoneum, de ipsius imprimis fabricandi atq; conficiendi ratione, ac tunc postea de eiusdem vsu & in scientia critica vtilitate, paucis, & tamen (vti spero) efficaciter discurram. *Aph. 60. Centilo.*

CAPVT III.

De Speculi ægrotorum critici fabricandi formula, & quod ex quatuor consistat membris. Atque hic in primo loco ipsius Limbi critici compositionis, & in suos locos criticos partitionis ratio explicatur.

Sciendum igitur in primis est, quod Speculum hoc nostrum criticum ex quatuor confletur membris, quorum vnum est immobilis totius machinæ mobilis basis & quasi fundamentum, in cuius cauitate cætera tria mouentur membra: quare vt istud ex ligno firmo, solido & sicco consistat necesse erit. Vocamus autem basem istam immobilem gratia vsus partis ipsius circumferentialis quæ oculo apparet, Limbum criticum, quippe plana peripherialis cuius denotat locos criticos integræ lunæ per Zodiacum reuolutioni correspondentes. Debet ergo ista sphærica massa esse tantæ dimensionis vt intra suam marginem cœlum, seu orbem lunarem mobilem comprehendat, ita vt eius limbus seu margo vndique extra cœlum illud mobile cum suis punctis distinctis compareat. Atque vt gradus Zodiaci in quibus luna transit simul atque dignitates planetarum, naturæque stellarum fixarum melius atque directius à linea regulæ indicantis fiduciali demonstrentur, necesse est quod intra limbi spatium cauitatem habeat basis ista æqualiter profundam, vt in eam cœlum lunare mobile more tam exacto descendat vt nulla magna fissura appareat inter concauam limbi rotundi superficiem & rotæ seu cœli lunaris mobilis conuexitatem. Ac pariter vt superficies plana ipsius rotæ lunaris æquiualet in planitie illi limbi immobilis, quo regula iudicans directius & planius vtramque pertranseat superficiem. Sed notandum, quod limbus iste pergamena polita ac nitida obtegi debet, in qua characteres locorum criticorum depingi debent.


Limbum hunc criticum cum sua cauitate sic expressimus.



Hoc itaque sic perago, & ex ligno præpato. A.B.C.D. limbum designant immobilem. E.F.G.H. concauitatem concaua limbi superficie contentam, in quam rota, seu cœlum Lunæ iuxta suæ densitatis spatium immergi debet, describit.


Secundum ergo istius machinę membrum est rota magna mobilis, cuius superficies conuexa cum illa limbi critici antea designati concaua optime in configuitate conuenire possit, & consequenter rota ista magna more exacto basis seu limbi critici cōcauitati adaptari atque conuenire debet. Materiam ipsius ex ligno solidiori, sicciori atque duriori esse conuenit. Et quoniam rota hæc lunaris cum signorum & graduum eorum tum planetarum characteres, atque etiam stellarum fixarum, nomina, magnitudines atque naturas comprehendet, ideo superiorem ipsius superficiem cum albissima mundissimaque pergamena optime & absque vlla rugositate obducere atque cooperire illud ligno glutine firme affigendo solemus. Hanc ergo rotam ita fabricatam vocamus cœlum lunare mobile, quoniam demonstrat non modo Lunæ motum per Zodiacum, verum etiam ipsius naturæ mutationes de bono in malum vel è contra, & præcipue in locis criticis. Figura eius per se est talis.

Sed



Sed priusquam rotam, siue cœlum istud in suas portiones diuidamus magis essentiales, opus erit vt ipsum in basis criticæ cauitatem imponamus, vt hoc modo ipsum cum limbo critico exactius in suis partitionibus conuenire faciamus: nam si ambo simul in suis quartis diuidamus, necesse est vt inter se ad amussim in suis quartis ac quartarum subdiuisionibus consentiant. Rotam ergo in suo loco in primis, vti dictum est, disponimus, deinde ipsam massam ex binis ita conflatam in quartas exacte æquales propriis diametris sic partimur.


Hic



Hic ergo habemus basim immobilem seu limbum criticum A. B. C. D. habemus etiam eius cauitatem implenté cœlum lunare mobile. E. F. G. H. Quare ambo hæc in vnica mole disposita in quatuor quadrantes per duas diametros diuisimus exactos, quarum diametrorum termini in limbo seu margine critica designant exacte 4. locos criticos, quos ☾ in suo per 12. signa circuitu vel peragratione facit, quorum A. denotat cum locum decubitus seu initium inuasionis morbi, tum etiam situm diei critici quarti, vtpote in quem locum peracto & perambulato signifero luna ingrediens crisim in acutis vltimam efficit videlicet quartam. Est ergo A. locus in quo luna erat in initio morbi seu paroxysmi febrilis, aut saltem decubitus ægri, à quo mouens luna secundum signorum successionem versus B. vt primum ipsa penetrauerit gradum B. tunc respiciet locum decubitus A. per aspectum □ primum, & consequenter propter contrarietatem horum locorum inter se aspicientium apparebit prima illa mutatio quæ erit facta vel ad bonum, vel ad malum. At si crisis morbi penitus in isto □ primo non compleatur, tunc expectandum est dum luna perueniat ad C. in quo loco seu gradu luna per oppositionem respicit locum decubitus A: in quo crisis secunda fieri assolet. At si nec in ista parte perficiatur crisis, tunc donec ad gradum D. seu □ secundum attingat; nam in loco isto crisis tertia ad exitum quandoque perduci animaduertitur. Denique si nec in isto tertio loco seu □ secundo compleatur, tunc in termino A. à quo discessit luna seu loco initii morbi finis est expectandus. Denique si vlterius pergat morbus in suo vigore, non inter acutos atque lunares, verum inter chronicos & solares est reputandus, vt alibi satis copiose est declaratum. Quodlibet autem

autem horum locorum spatium frequenter diebus 7. à luna compleri assolet, tametsi alterationes quandoque insignes facit lunæ motus vel velocior vel tardior.

Verum enimuero, quoniam sensibilis obseruatur esse prouocatio & quasi ad iudicium admonitio in via seu itinere quasi medio inter locum crisis præcedenti (qui motus alterationis mediocris plerumque circa diem quartum contingit, tametsi quandoque rarius quandoque citius eueniat, iuxta varietatem motus lunæ) ideo opus est vt quatuor istos quadrantes (idque in solo limbo seu margine, & non in rota lunari) per medium ratione exacta diuidamus. Gradus autem seu punctos quos qualibet talis diuisionis linea seu diameter diuidit Iudiciarios seu Iudicatiuos nuncupamus, ad quos locos cum venit ☾ denotare videtur crisis proxime sequentis intentionem seu mutationis rationem, an scilicet fuerit ad bonum vel ad malum. Similiter restant etiam minores adhuc ac magis insensibiles mutationes, quæ fieri solent in medio motu seu via lunæ inter locum criticum à quo mouetur & locum proximum Iudicatiuum; atque iterum inter eius motum à quolibet puncto Iudicatiuo ad crisim: vnde fit vt cuilibet vnius quadrantis medietati vnicus talium locorum attinet. Quare diuidenda est cuiuslibet quadrantis portio dimidia exacte per medium, idque in margine sola critica, & non in rota lunari, nam linea regulæ indicantis fiducialis suo tempore explicabit in cœlo lunari residua talium diametrorum: vbi autem diametri transient in limbo ibi erunt loci illi critici minus principales, qui intercidentes dictitantur.


D
H
A
E
G
F
Cri= sis . 3.
Interc.
Indi- catimus . 4
Indi- catimus . 3.
Decub.
Hora=
Cri= sis . 4.
Cri= sis . 1.
D. Indi- cabimus

His

His ergo videtis, quod vt tres sunt locorum criticorum seu margine characterum species, ita quidem eorum quilibet diuersum decretoriorum dierum locum alium alio nobiliorem & in mutationibus efficaciorem denotat: nam arguit locum in quo crisis fit, vnde quando luna pertingit ad illum dicitur dies criticus, videlicet dies ille in quo iudicatur morbus, seu subito & velociter solet permutari à bono ad malum, vel è contra à malo ad salutem. Secunda species est hac prima debilior, & est testis quasi vel iudex effectus proximo die critico futuri, vnde dies indicatiuus seu iudiciarius dictitatur. Character autem eius est iste estque eius effectus longe minor quam ille loci critici, tametsi quandoq; morbũ die quarto terminari, imo vero die 10. atque 11. plerumque vidimus, aliquando ad malũ, sed frequenter ad mortem. Denique tertia species sibi octo in circulo lunari vendicat locos, estque in locis criticis minus efficax, & non aliter est medium inter locum criticum atq; indicatiuus quam ille indicatiuus æqualiter intercedit inter crisim proxime præcedentem atque illam immediate consequentem. Atque vt locus seu dies vel gradus indiciarius est secretus naturæ crisis immediate sequentis nuncius, ita quidem istiusmodi crisis locus licet obscure indiciarii naturam præ se ferre obseruatur. Dicitur autem Intercidens, quatenus cadit inter criticum atque Indicatiuum, & charactere tali insignitur eius sedes ↖. suntque intercidentes numero 8. quos etiam ordine suo à loco decubitus numeris computauimus 1.2.3.4.5.6.7.8. vt ipsi qui Indiciarii dicuntur in numero quaternario in quolibet lunari circulo deprehenduntur, quos etiam minusculis literis, a.b.c.d. notauimus.

Atque hoc modo secundum prædictam Ptolomæi doctrinam circulus, seu figura critica in portiones 16. æquales erit distincta, vt in ista limbi nostri critici partitione liquet, quippe cuius 4. quadrantes 4. designant & digito quasi indicant locos, gradus, siue dies principales criticos à loco decubitus numerandos: tum illi quadrantes in portiones binas æqualiter diuisi 4. alios locos & quasi angulos educent, quos Indiciarios vocamus. Denique æquali istorum spatiorum subdiuisione 8. producuntur Intercidentes: quibus simul additis, constituent 16. locos in vna figura critica, quos nos in limbo seu margine immobili speculi nostri critici aptissime & exacte consignauimus. Hos locos 16. authores à proprietate distinguunt: nam 8. intercidentes vocant dies Interficientes 4. Indicatiuos dies demonstratiuos, & 4. criticos.

CAPVT IV.

De cœlo, seu Rota lunari, & de ipsius in orbes atque sphæras diuisione. Denique de signorum cœlestium in gradus partitione, stellarumque fixarum magis insignium nominum, magnitudinum, atque naturarum in ipsa expressione.

COmpleto ergo negotio antedicto, videlicet locorum 16. criticorum productione & explicatione peracta, restat nunc vt cœlum lunare seu rotam lunæ mobilem suis necessariis adornemus. Extrahimus ergo rotam illam in 4. quadrantes, per suas diametros vt antea diuisam ex limbi critici cauitate, quousq; ipsam pro opere hoc nostro, vti decet, præparauerimus.

In primis igitur versus rotæ circumferentiam duos designo æqualium magnitudinum orbes non nimis latos, in quorum vltimo stellarum fixarum naturæ iuxta planetarum proprietates in infimo earum magnitudinis sunt exprimendæ. Deinde describo orbem admodum latum atque vastum, quippe in quo stellarum fixarum nomina secundum graduum longitudinem sunt explicanda. Tum postea sub isto orbe circinis caute circumductis orbem duplici linea circulari parallela satis angustum describo, vt per prædictas Rotæ diametros rotam in 4. quadrantes distinguentes in portiones 4. diuidatur, ita quilibet ipsius quadrans in partes 3. æquales distribui debet, quarum quælibet designabit signi Zodiaci spatium, & gradibus distinctis commetitur: vnde quælibet circuli seu orbis illius pars quarta in signa tria est diuidenda, & quodlibet signum in gradus 30. partiendum, & iterum illæ 30. partes in tres denarios sunt ordinandæ: vnde liquet quod quilibet circuli illius quadrans conflatur ex 90. gradibus, & quod per consequens integer circulus ex 360. consistit.

Tum postea describo alium circulum, atque in isto orbe signorum characteres depingo.

Post istum orbem produco alium, atque in ipso planetarum facies seu decanos explico cum ipsorum planetarum quorum sunt facies charactere.

Deinde aliam condo sphæram, atque in ea planetarum terminos exprimo. Porro etiam sub ista alium efficio orbem, in quo dominiorum triplicitatum tam diurnorum & nocturnorum quam communium figuras consigno.

Sub ista sphæra facio aliam in qua planetarum exaltationes reperiuntur.


Præter istam sub hac etiam sphæra orbis alius est delineandus in quo planetæ characteres imprimuntur, quorum est signum tale domicilium siue domus.

Tum postea sequitur alia sphæra casus & detrimenta planetarum continens cum signis planetarum qui detrimenta in talibus signis patiuntur.

Denique orbis infimus comprehendit planetarum gaudia. Atque huc vsque se extendit rotæ siue cœli istius lunaris mobilis mysterium.

Pars autem ipsius vacua est excauanda, vt in ipsius cauitate rotula horaria pro placito moueri queat.

Figura autem cœli istius lunaris in hunc modum exornati est huiusmodi.



Capvt


CAPUT V.

De Rotula quæ horaria dicitur, & de ipsius componendi ratione.

COmpleto igitur atque exornato cælo seu rota illa lunari more quo suprà, peruenimus iam ad rotulę illius horarię compositionem, quæ vacuum illum locum circa cęli lunaris centrum situm implere, & in illum arte excauatum ingredi debet, non aliter quam cælum seu rotam illam lunarem in concauitatem basis immobilis siue limbi critici vsque ad eius superficiem immergendam diximus.

Magnitudo ergo siue amplitudo sphæræ seu rotæ huius horariæ conformari debet ad capacitatem loci vacui in medietate cæli lunaris, & ex ligno buxeo siue aliquo alio solido & bene exiccato conflari debet; deinde vt *in præcedentibus* est dictum, pergamena nitida & munda obtegenda est eius superficies.

Lignum ergo sphæricum hoc modo pergamena obductum in orbes 8. æqualis dimensionis est diuidendum: atq; illi iterum orbes in 24. spatia æqualia sunt secandi, atque numerus horarum diei naturalis numero correspondens in orbe superiori est consignandus, atque sub iis characteres planetarum cuilibet horæ in qualibet septimanæ die præsidentium depingi debent hoc modo.




Hæc ergo rotula horaria in concauitatem vacui cæli lunaris mobilis collocari atque imponi debet, tali tamen cautela vt superficies vnius sit plana & æqualis cum superficie alterius, nec tamen modo fixo in concauitatem immitti conuenit; ita vt ad libitum moueri non possit, sed vt vbi se offert occasio huc atque illuc cum agilitate sufficienti conuerti atque circumrotari queat: eius autem vsum in posterum concipietis.

CAPUT VI.

De regulæ indicantis atque lineæ fiducialis præparatione.

VLtimum denique membrum quod concurrit ad speculi nostri critici compositionem est regula indicans in cuius fronte lineam inuenietis fiducialem. Eius autem fabrica seu structura est huiusmodi. Fiat circulus paruulus ad magnitudinem vacui loci qui circa rotulæ horariæ centrum reperitur, quo facto in 4. diuidatur quartas seu quadrantes hoc modo.

Deinde extendatur diameter a. b. ad longitudinem integræ ſemidiametri ſpeculi noſtri critici incipiendo à centro eiuſdem & progrediendo ad extremitatem vſq; limbi critici, ſitq; diameter tam directè à centri minoris circuli extra ad Speculi peripheriam, vt exactè cum Speculi integri ſemidiametris conueniat: namque diameter iſta debet eſſe linea regulæ iſtius, noſtræ indicantis fiducialis. Regula ergo erit talis.



Denique regula iſta eſt in tot ſpatia diuidenda quot in ſpeculo reperiuntur orbes, nec debent iſta in Regula hac indicante ſpatia vllomodo differre in latitudine ab orbium in ſpeculo expreſſorum diſtantiis; nam quodlibet in regula ſpatium debet perpendiculariter eminere orbi quem denominat, quoniam ſine tali relatione exactè indicare non poteſt. Linea autem in regula iſta indicante fiducialis eſt A.B. quæ in indicationibus atque demonſtrationibus ſuper gradus peculiares motus Lunæ atque locos etiam criticos imponi debet. Verumtamen ad exactiorem iſtius rei demonſtrationem limbum criticum immobilem cum cælo ſeu rota lunari, atque etiam rotula horaria cum regula indicante ſimul in compoſitione coniunctis, hoc in loco in chartis expreſſimus, quo melius tum poſtea ipſius ex ligno ſolido ſtructuram & fabricam intelligatis. Verum ſcire conuenit, quod integri ſpeculi latitudo & longitudo, cum ex acerie lignea componatur debet eſſe ad minus duorum vel trium pedum, quo res quælibet in inſtrumento luculentius exprimi atque explicari queat.

Hic ponendum eſt Speculum hoc in integra ſua fabrica.

CAPVT

CAPVT VII.

De limbi critici vsu.

COmpleta hoc modo Speculi istius critici fabrica, restat nunc vt 4. eius membrorum vtilitates stylo paulo clariori explicemus, & primum cum limbi seu marginis critici vsu, & partium ipsius ratione atque proportione, & earum appellationibus hæc.

Eius in 4. quadrantes diuisio est maxime notabilis, quoniam in iis locis siue gradibus vbi semidiametri in limbo intersecant delitescit Crisium seu dierum atque horarum criticarum mysteriū ratione oppositionis naturarum signi illorum graduum siue locorum ibi assignatorum ad locum seu gradum illum signi in quo ☾ erat in hora decubitus seu principio morbi, vt antea dictum. Atque vt hi gradus ita æqualiter & per quadrantium spatia ab inuicem distantes sunt num. 4. videlicet à loco seu gradu decubitus seu principii morbi secundum signorum successionem enumerati, ita necesse est vt quodlibet inter istos locos interuallum gradib. quadranti zodiaci correspondentibus mensuretur, & consequenter quod inter gradum decubitus & □ primum numerentur 90. gradus, hoc est intercedant integra signorum trium dimensio. Similiter inter □ primum & ☍ totidem. Atq; iterum inter ☍ & □ secundum totidem. Deniq; inter □ secundum & locum decubitus seu terminum à quo Luna est exorsa 90. qui additi integrum Zodiaci siue lineę eclipticę circulum videlicet 360. complent gradus. At vero ad secundam locorum criticorum speciem quod spectat, quos Indicatiuos & Indiciarios vocamus, sunt ipsi numero etiam 4. vtpote quorum sedes sunt absolute in medio cuiuslibet quartę seu quadrantis; nam linea transiens atq; diuidens per medium quadrantem quemlibet intersecat gradum, illum ad quem quando peruenit ☾ ibi tali modo agere incipit qualiter in loco critico proximè sequenti operari est solita, siue sit ad bonum siue ad malum. Vnde ab Hippocrate dies quartus dictitatur *iudex dici septimi sequentis.* Sequitur ergo quod cum integer quadrans constet ex gradibus 90. in cuius termino contingit Crisis, semiquadrantis portio consistit ex 45. gr. quasi parte dimidia 90.

Deniq; die seu horæ Intrīcidentes correspondent gradibus quos semidiametri spatia seu interualla inter loca critica & Indicatiua æqualiter diuidentia intersecant; vnde necesse est quod quilibet Zodiaci quadrans duos locos seu gradus intercidentes comprehendat, & consequenter quod spatium distantię eorum cum à locis criticis tū ab illis Indicatiuis sit dimidium distantiæ Indicatiuorum à criticis, videlicet 22. cum dimidio siue minutis 30. Hisce ergo constat quod loci seu gradus, seu dies isti Intercidentes sunt num. 8.

Exempli gratia pro die critico. Decubitus est factus dum Luna fuerit in gr. 12. ♊. Expecto ergo primam diem & horam criticam quando perueniet ☾ ad gr. 12. ♍ ratio est quoniam vt quadrans signiferi cōstatur ex 90. gr. numerando à loco decubitus, ita inter gr. 12. ♊ & illum 12. ♍ intersunt gr. 90. nam inter gr. 12. ♊ & 12. ♋ sunt 30. seu spatium integri signi, Iterū inter 12. ♋ & 12. ♌ totidē intercedunt signa, nimirum 30. gr. qui cum precedentib. 30, constituunt 60. tunc inter 12. gr. ♌ & 12 ♍ 30. restāt gradus alii, qui additi 60. constituūt 90.

At ab eodem decubitus loco numerando gradus seu dies indicatiuos requirit ad suam periodum non nisi dimidiam illius numeri critici proportionem, videl. 45. grad recessus lunaris à loco decubitus seu inuasionis morbi: quare si morbus inuasit ☾ existente in 12. gr. ♊ locus Indicatiuus siue demonstratiuus erit in 27. gr. ♋. Ratio est quia à 12. ♊ ad 12. ♋ numerantur 30. grad. & inter 12. gr. ♋ & 27. intercedunt 15. gr. qui additi 30. prędictis constituunt 45. quod est spatium inter locum decubitus 12. ♊ & locum seu gradum Indicatiuum 27. ♋ in quem cum Luna veniet indicabit qualis erit Crisis proximè sequens, videlicet □ primum, Atq; hoc idem faciendum est in graduum dierum criticorum sequentium inquisitione, numerando eadem ratione à loco critico iuxta signorum successionem vsque ad 45. gradum.

Deniq; ab eodem principii morbi loco numerando dies seu gradus Intercidens primus non nisi dimidium spatium requirit diei indicatiui, videlicet 22. gr. cum minutis 30. Quare quia morbus ortus est Luna peragrante gr. 12. ♊, primus dies seu gradus incidens eirt in gr. ♋ & sic in cæteris, vt per diligentem speculi istius examinationem facillime intueri licet.

De cælo, seu rota lunari.

Rotam istam mobilem in 12. portiones distinctam ideo lunarem & cælum lunare nuncupamus, quoniám in primis indicat & obseruat motum lunarem per quodlibet zodiaci signum atque etiam signi illius gradum. Porrò etiam illam haud immerito cælum dictitamus, quoniam comprehendit & detegit non modo stellarum fixarum principalium nomina, magnitudines & naturas, & gradus zodiaci cum quibus ascendunt, verum etiam planetarum fortitudinum, seu dignitatum, & debilitatum locos exacte describit, quorum maiori vel mi-

nori

nori dominio Luna in suo per 12. signa itinere alteratur vel mutatur de natura bona in peiorem vel è contra: vnde oritur quod iuxta horum syderum fortitudines in locis dictis decretoriis, & pręcipue in magnis seu gradibus criticis, magnas & veloces in bonum vel in malum ab illis locis influit Luna in ægrotum alterationes.

Sed quoniam de istis planetarum dignitatibus & detrimentis, atque etiam stellarum fixarum positionibus, magnitudinibus & naturis plura in genere, Tract. 2. part. 10. lib. 2. de technica mea macrocosmi historia disceptaui, multum de ipsis hoc in loco non dicam, præterquam quod

Dignitates dat cuiuslibet planetæ:
- Domus 5.
- Exaltatio 4.
- Triplicitas 3.
- Terminus 2.
- Facies 1.

Porrò etiam quod stellæ fixæ primę magnitudinis sint in suis influentiis maximi momenti & potestatis, & tales soleant producere effectus quales sunt ipsorum respectu conditionū planetarum naturæ, vt in extrema Eridani est stella primæ magnitudinis participans cum natura ♃ & ♀ quare influentiæ eius de iisdem erunt mixtæ naturis stellæ secundæ in fortitudine & potestate virtutis influxuum istis sunt proximæ: verbi gratia stellæ in vmbilico Pegasi & capite Andromedæ sunt 2. magnitudinis de natura ♀ participantes: vnde in natura ♀ potenter satis operantur suis influentiis. Denique his in virtute proximè accedunt stellæ 3. magnitudinis: sic in pectore Cassiopeæ est stella 3. magnitudinis de natura ♄ & ♀ quare distillat effectus in inferiora partim Saturninos partimq; Venereos, & sic in cæteris. De stellis vero minorum magnitudinum cuiusmodi sunt illæ 4. magnitudinis, 5. & 6. mentionem hoc in cælo non fecimus, vtpote quarum virtutes & actus non sunt adeo notabiles & manifesti.

CAPVT VIII.

De rotulæ horariæ vsu & praxi.

AD rotam autem horariam quod attinet, quoniam ab Astrologis planetarū horę dominatio numeratur inter dignitates eorum essentiales, quamuis minus principalem eam dictitauerint, ideo ipsam à iudicio hoc nostro critico minime reiiciendam, sed ipsi vtilitatē & adiumentum afferre haud exiguum posse tam ratione, quam experientia ducti putauimus. Non enim Ægyptios Astronomos latebat, cuilibet horæ diei planetam peculiarem præesse qui potestatem eminentissimam in eo temporis pauxillo sibi iuxta naturam suam vendicabat. Sed quoniam certum est quod die Solis primam horam sui diei gubernet Sol, vt & die Lunæ horam suam primam Luna, die Martis Mars, Mercurius, Iouis Iupiter, Veneris Venus, & Saturni Saturnus: ita quidem pro certo habuerunt istiusmodi Astrologi, quod cum quodam anni tempore, videlicet Sole ab æquinoctiis cuncta perlustrante, noctes atq; dies sint æquales, huiusmodi horæ æquali mensura tam nocti quam diei distribuuntur, hoc est horæ planetariæ non sunt æquo nec longiores nec breuiores, sed mensura æquales. E regione vero quando dies sunt vel æque longiores vel breuiores, hoc est cum noctes sunt longiores, vt in hybernali solis ad polū inclinatione contingit, contingit pariter quod horæ planetariæ etiam diurno tempore sint breuiores quam par est, & è contra horæ noctis longitudine respectu simili superant. At vero redeunte sole ab æquinoctio versus polum Borealem res modo contrario se habet, videlicet dies sunt longiores atq; itidem horæ planetarię, quę eos commetiuntur dilatantur. Ob istam igitur rationem imprimis consideranda est regula seu Canon iste.

Reg. 1.

Hora planetaria cuiuslibet diei artificialis semper ab ortu Solis in illo die est computanda.

Reg. 2.

Siue dies artificiales sunt æquales siue inæquales spatio à Solis ortu ad eius occasum horæ planetariæ semper 12. sunt attribuendæ.

Reg. 3.

Dies artificialis siue sit æquali seu æquinoctiali breuior siue eo longior, differt eo magis tam in ipsius longitudine seu breuitate quo ab æquatore versus polos recedit, vnde fit quod quilibet mensis, atque quilibet sic mensis pars alterare percipitur suam diem atque noctem artificiales. Hoc ergo exacte est cognoscendum, atq; omnis in motu Solis versus polos alteratio sensibilis est consideranda, quod vt melius intelligatis tabulam istam sequentem perpendatis velim.

Menses

Menses.	Dies.	Ortus ☉. Hor:	Min:	Longitudo Diei. Hor:	Min:	Longitudo Noctium. Hor:	Min:	Occasus ☉. Hor:	Min:	Dies.	Menses.	Minuta addenda ad Longitudinem Dierum cuiuslibet Mensis.
[Decem]ber.	10.	8.	11.	7.	37.	16.	23.	3.	[illegible]	10.	Decem.	
	20	8.	10.	7.	40.	16.	20.	3.	50.	1.		3.
Ianuarius	1.	8.	0.	8.	0.	16.	0.	4	0	20.	Nouember.	2.
	10.	7.	49.	8.	21.	15.	39.	4.	11.	10		7.
	20.	7.	34.	8.	52.	15.	8.	4.	26.	1.		4.
Februarius.	1.	7.	12.	9.	35.	14.	25.	4.	48.	20.	October.	3.
	10.	6.	55.	10.	9.	13.	51.	5.	5.	10.		7.
	20.	6.	36.	10	47.	13.	12.	5.	14.	1.		4
Martius.	1.	6.	18.	11.	23.	12	37.	5.	42.	20.	September.	11.
	10	6.	1.	11.	58.	12.	2.	5.	49.	10		16
	20.	5	41.	12.	37.	11.	23.	6.	19	1.		12.
Aprilis.	1.	5.	18.	13.	24.	10.	36.	6.	42.	20.	Augustus.	10.
	10.	5.	1.	13.	57.	10.	3.	6.	59.	10.		15.
	20.	4	43.	14.	53.	9.	27.	7.	17.	1.		10
Maius	1.	4.	25.	15.	9.	8.	51.	7.	35.	20.	Iulius.	12.
	10.	4.	12.	15.	35.	8.	25.	7.	48.	10.		12
	20.	4.	0.	15.	59.	8.	1.	8.	0.	1.		7.
Iuni-	1.	3.	51.	16.	17.	7.	43	8.	9.	20.	[Iuni]us.	3.
	10.	3.	48.	16.	23.	7.	37.	8.	12.	10.		

In ista tabula horæ & minutæ in diebus mensium, in quibus manifestæ mutationes fiunt explicantur. Et quamuis paucos in mensibus dies expressimus, tamen de illis fecimus mentionem solummodo, quia sensibiles diei augmentationes vel diminutiones in iis contingunt.

Iam vero horas inæquales in dies & noctes in hunc modum diuidimus.

In 10. Decembris die Sol oritur hora octaua cum 11. minutis, & iterum nocte occidit hora tertia cum 49. minutis post meridiem. Inuenimus ergo diem naturalem videlicet spatium inter ortum & occasum Solis consistere ex 7. horis cum 37. minutis, & consequenter noctem ex 16. & 23. minutis constari.

Iam vero scire velim quomodo 12. horæ planetariæ in spatium 7. harum horarum cum minutis 37. distribui æqualiter possint. Hoc ergo vt pro voto meo compleatur, conuerto horas 7. in minutas, eas producendo in 60. sic.

60
7
420 quibus addo prædictas minutas 37.
37
457

Tunc per 12. diuido productum sic

~~1~~
~~1~~. ~~9~~ ~~1~~
~~4~~ ~~5~~ ~~7~~ (38.
~~1~~ ~~2~~ ~~2~~
~~1~~

Inuenio ergo quod 38. minutæ correspondent vnicæ planetæ horæ diurnæ, & secun-

dum istam rationem horæ diei 7. cum minutis 37. in partes 12. æquales diuidentur quæ respondebunt ad quæsitum.

Porro etiam in qua horæ diurnæ portione quælibet hora planetaria sit inuenienda detegetur facillime, multiplici numeri 38. ex duarum horarum diminutione, dicendo quoties inuenitur 38. in 120.

$$\begin{array}{llll} & 1 & 6 & \\ 1 & 2 & 0 & (3.\ \frac{6}{38} \\ & 3 & 8 & \\ 1 & 1 & 4 & \end{array}$$

Tunc inuenio tres primas horas planetarias in 2. primis horis diurnis, verbi gratia, si dies sit Solis, tunc ab hora septima cum 37. minutis ad horam 9. cum totidem minutis inuenio ☉ ♀ & ☿ dominari; deinde capio alias duas horas, & facio vt antea addendo ijs 6. minutas quæ remanebant in vltima diuisione, & tunc tres aliæ horæ planetariæ ex tali diuisione exurgent, videlicet ☾ ♄ ♃ & sic in cæteris.

Pari si quidem sorte reducentur horæ nocturnæ in minutas, quibus adde minutas 23. hoc modo.

$$\begin{array}{r} 16 \\ 60 \\ \hline 960 \end{array}$$

Vnde liquet, quod horæ noctis sunt maiores quam par est: nam quælibet hora planetaria ex 12. nocturnis & 80. minutis, imo vero addendo 960. minuta illa nocturni spatij ex 81. conflabitur.

$$\begin{array}{llll} & 1 & 0 & \\ 9 & 6 & 0 & (80. \\ 1 & 2 & 2 & \\ & 1 & & \end{array}$$

Pro exactiori autem huius rei intellectu, istam effecimus praxim. Planetarias tam diei, quam noctis possumus directe cum illis diei naturalis in hunc modum comparare.

Accipio numerum diei ab ortu Solis ad occasum mense Decemb. 10. inuenioque ipsum consistere ex 7. horis cum 37. minutis. Tunc video Solem in ea oriri hora 8. cum 11. min. & occidere hora tertia 49. min. Incipio ergo à minuta 11. horæ octauæ ad min. 49. horæ 3. post meridiem ducere lineam, eamque in 7. partes cum 37. minutis diuidere.

Tunc ex opposito aliam duco linem parallelam & diuido illam in 12. æquales, & quodlibet horum 12. spatiorum respondebit ad horam planetariam, quæ se habebit ad horas 7. illas diurnas, vt per exemplum superius demonstratum videre licet: verbi gratia, si dies ille esset Solis, tunc prima hora planetaria dabitur Soli & incipiet à minuta 11. horæ 9. diurnæ, & finiet in hora eadem: nam cum hora planetaria talis consistat ex 38. min. solum modo, si imprimis 11. min. post horam 8. sint à 60. minutis extracta, manebunt 49. ex quibus si 38. subtrahantur residuum erit 11. horæ 9. cum quibus incipiet hora secunda planetaria, & finiet in min. 27. horæ decimæ diurnæ: quare hora secunda quæ erit Veneris participabit de minutis 11. vltimis horæ nonæ & de min. 27. horæ decimæ & sic in cæteris.


Vel sic; diuide numerum horarum naturalium cum minutis ab ortu Solis ad eius occasum in partes 12. æquales, verbi gratia, sit dies ad occasum vsque 7. horæ cum minutis 49. sic ponatur

9 10 11 12 1 2 3 49. min.

——— / —— / —— / ——— / —— / —— / —— / ————

Facio lineam aliam ei æqualem quam diuido in 12. æquales, & quælibet sectio, seu quodlibet spatium denotabit horam planetariam quæ correspondebit horæ naturali, sic, verbi gratia si est.

Vnde



Huc referatur Figura sub signo
* * *



Vnde patet, quod hora Solis & pars horæ Veneris contineatur in hora prima diei & sic in cæteris.

Taliter etiam agendum cum horis noctis ab occasu Solis ad ortum eius numerando.


Atque hæc sufficient de rotulæ horariæ mysterio.

CAPVT IX.

De regula demonstratiua, seu Indice fiduciali.

RESTAT nunc, vt verbum vnum vel alterum de regula speculi demonstratiua efficiamus, vtpote cuius est officium non modo limbi critici puncta, verum etiam lunæ gradus atque exactas stellarum fixarum sedes atque dignitatum planetarum loculos quasi digito indicare; imo vero & horam planetarum mediante directione lineæ ipsius fiducialis, tam ad verum decubitus gradum quam diei critici locum dirigere atque disponere, vti in praxi latius apparebit, de qua membro hoc sequenti sufficienter.





LIBRI QVINTI, MEMBRVM TERTIVM,

IN QVO SPECVLI ÆGROTORVM VSVS atque praxis explicatur.

CAPVT I.

In isto cap. cœli in Speculo critico lunaris gradus, videlicet ille, in quo ☾ erat in initio morbi, atque etiam in horis decretoriis conformantur, atque adaptantur ad limbi critici locos, & quod absque tali adaptatione iudicium fieri haud possit.



INQVIRENDVM est cum diligentia, in quo signo ☾ erat in hora vel decubitus ægri vel principij morbi: & si hoc accidat in hora meridiana, tum quæratur anni mensis in cuius die hoc vel illo ægritudo primum inuasit ægrum; atque inuento die illo, illico in columna lunæ inuenietis gradum ibi expressum in quo luna erat in illo. At vero si hora initij morbi vel decubitus ægri fuerit post Meridiem, videlicet vel 1. vel 2. vel 3. vel 4. & sic in cæteris vsque ad horam vigesimam quartam, tunc extrahendus est locus seu gradus ☾ meridianus illius diei à gradu vel numero motus ☾ meridiano diei sequentis, & in omnibus fac vt in cap. huius quarto docetur, vbi de modo inuentionis veri motus lunæ pro hora primæ morbi inuasionis seu decubitus ægri agitur.

Inuento ergo, idque exactè hoc modo, gradu in quo luna erat in hora decubitus, tunc ponenda est fiducialis regulæ demonstratiuę linea super locum decubitus ægri in limbo critico expressum, quem locum imaginamur in puncto anguli Orientis esse collocatum.

Post hoc conuerto gradum in quo luna erat tempore decubitus conuersione rotæ vel cœli lunaris, quousque perueniat & tangat lineam regulæ fiducialem, quo facto vel clauo acuto per foramen in latere limbi immisso figatur rota siue cœlum in eo loco, vt scilicet gradus lunæ in decubitu firme suo loco in limbo critico subsignato adhæreat.

Tunc remoueatur regula ad locum, seu punctum in margine, seu limbo, Intercidentis primæ, & intersecabit linea fiducialis gradum illum eclipticæ, ad quem cum luna venerit continget dies intercidens, quem alioqui vocant mortalem. Hunc ergo gradum cum illo decubitus scribe in charta.

Tum postea ad punctum Indicatiuum in limbo remoueatur regula, & linea fiducialis exprimet gradum in cœlo lunari, ad quem cum luna peruenerit continget dies atque hora Indiciaria: describatur ergo & gradus iste. Pariter faciendum est cum loco intercidentis secundi atque etiam cum critico primo seu □ primo. Verbi gratia ☾ inuenta est in gradu 1. ♌ in hora decubitus: conuerto ergo in primis regulæ lineam ad angulum orientalem limbi & voluo rotam lunarem quousq; gradus 1. ♌ veniat directe sub linea fiduciali, tunc ibi firmo clauo rotam: hoc facto conuerto lineam regulæ fiducialem ad Intercidentem primam, & inuenio 22. ♌ cum dimidio esse ab ipsa indicatum. Post hæc moueo lineam regulæ ad locum in limbo Indicatiuum 1. & intersecabit grad. 15. ♍ & sic in cæteris locos exprimendo in hunc modum.

Decum-

Decumbit 1. ♌. *Intercid.* 1.22.*gr.*30.*min.* ♌. *Indicat.* 15.*gr.* ♏. *&c.*

His igitur peractis, videlicet omnibus locis criticis per regulam patefactis, rotulam etiã planetariam sic cæteris adaptare licebit, vt hora planetaria decubitus suum respiciat locum, vt & horæ planetariæ cæteræ horis & locis criticis ad quos Luna veniet in sua peregrinatione per dictos locos attribuentur; Verbi gratia, si sit hora decubitus in hora eleuationis Solis die Saturni, ♄ character ei est conuertendus, & ita in cæteris, vt cap. 8. huius est dictum. Atque hoc modo speculum hoc criticum, ad quæstionem & dubium nostrum resoluẽdum, hoc est ad iudicium super ægroti euentum faciendum præparatum habetis.

CAPVT. II.

In hoc regulæ, seu Canones quidam peculiares ad Lunæ motum spectantes, & varias in locis criticis mutationes producentes, exprimuntur.

QVoniam Lunæ motus est in sua mensura & tempore inconstans, atque incertus admodum, & ipsius etiam existentiæ gradus in locis propositis suo numero & tempore absque Arithmetica computatione cognosci atque percipi non potest, ideo sine harum rerum manifestatione artem Criticam exactè explicari haud posse existimamus. Vt ergo in horum dubiorum medullam faciliùs penetremus, canones seu regulas istas particulares tyronibus exprimere vtile fore atque necessarium putamus.

Regula 1.

Tametsi crisium loci, videlicet □ primum à loco decubitus seu horæ principii vel ☍. vel □ secundum, atque etiam istarum quartarum subdiuisiones, videlicet gradus Indicatiui & illi Intercidentes, ex certis & distinctis atque proportionalibus Zodiaci partibus constant: nam ☍ conflatur ex grad. 180. numerando à principio morbi: & □ vtraque ex 45. gradibus, & quilibet intercidens ex 22. cum dimidio; tamen nihilominus quoniam Luna aliquando celeriùs, & nonnunquam tardiùs ad dicta loca seu gradus peruenit: atque hinc fit, quòd crises tam sensibiliter variare videantur. Super hanc ergo basim fundatur regula ista prima.

Regula 2.

Crisis nonnunquam sesquisexto die, vel prope finem diei septimi contingit, hocque fit ob celerem Lunæ motum, at verò si die quinto eueniat ipsa, arguit Lunam in suo transitu à loco decubitus, vel crisis præcedentis fuisse nimium in suo motu velocem. E contra verò si accidat crisis in die octauo vel tardiùs, eximiam & manifestam Lunæ in suo motu à loco decubitus vel à critico præcedente decedentis tarditatem. At ipsa in die exactè septimo eueniens mediocrem & temperatum denotat Lunæ motum per illum Zodiaci quadrantem.

Regula 3.

Crisis die exactè septimo completa est perfectissima & cæteris omnibus bonitate præferenda ob mediocrem Lunæ motum, mediante quo completur dicta crisis laudabilis: nec non & illa quæ die quinto perficitur reperitur esse laudabilis, quoniam Luna in velociori suo motu existimatur ab Astrologis esse fortunata.

Regula 4.

Luna tunc tarda est dicenda, quando facit in suo motu minùs quàm 12.gr.11.min. in spatio 24. horarum: è regione celer dictitatur ipsa, cùm minus suo motu diurno seu 24. horis, quàm gr.11. cum 11. minutis.

Quandoque, imò verò sæpiculè accidit, quòd crisis effectus non contingit in isto vel illo loco critico, nec quidem se detegit morbi vel ad bonum vel ad malum mutatio quousque integer Lunæ circulus compleatur. Quare etiam vobis regulas hasce proponimus cum diligentia notandas.

Regula 5.

Si crisis Luna ad primum □ perueniente non contingat (quod vtplurimùm die septimo accidere solet) tunc expectare debemus dum in gradũ oppositionis ingrediatur, quod plerumq; euenit die decimoquarto. Verùm si in ☍ non parturiatur crisis, aduentũ Lunæ ad □ secundum attendamus, quod fieri sæpiculè assolet die vigesimo. Deniq; si etiam non in isto loco contingat crisis, ad locum tandem principii morbi à quo discessit Luna mentis nostræ oculos conuertamus; quippe ad quẽ locũ cùm peruenit Luna (quod vtplurimũ die 27. cũ tertia

vnius diei parte fieri obseruatur) crisim contingere necesse est, si inter acutorum seriem sit enumerandus morbus: vt enim iste locus est periodus motus Lunæ in signifero, videlicet tam terminus ad quem, quàm à quo, ita quidem est terminator crisium Lunæ.

Regula 6.

At verò vbi morbi crisis in circuitu, seu mense Lunari non perficitur, vbi iuxta Astrologorum sensum talis morbus in acutorum numero non est reputandus, sed est potiùs inter chronicos seu solares numerandus, & consequenter non motus Lunaris, sed Solaris in tali casu est considerandus, nam Sol morbos chronicos vt Luna acutos suo motu moderatur. Si ergo morbus vltra cursum Lunæ in Zodiaco circularem continuatur, tunc quærendus est locus seu gradus signi, in quo Sol erat in hora decubitus, vel morbi principio, & omnibus faciendum est cum eo in sua Zodiaci circulatione respectu locorum criticorum, ac cum Luna in sua.

Regula 7.

Crisis vtplurimum in □ ad locum decubitus accidit, quoniam signa hoc in loco aspectu quadrato sese aspicientia, videlicet illud decubitus & quodlibet □ aut omnibus quatuor qualitatibus inter se pugnant atque opponuntur, vt ♈ & ♋. atque in tali conflictu exagitatur infirmi natura insurgere, & aduersus morbi malignitatem cõtendere, & pro posse suo sibi noxium expellere; quare si eo tempore à fortuniis & stellarum bonarum influentiis adiuuetur præualere solet ipsa in pugna, sin minùs, contrà. At nonnunquam fit vt duo illa signa quadrato sese intuentia vnica solummodo qualitate inter se contendant, atque in tali conflictu non ita deprimitur vitæ facultas ac in priori. Verumenimuero crisis ideo solet in oppositione frequentiùs contingere, quoniam locus iste cum loco decubitus cùm qualitate tum etiam & lumine pugnare obseruatur.

Regula 8.

In locis Indicatiuis si concoctionis signa appareant, signum futuri iudicii cùm Luna ad locum proximum criticum pertigerit, est expectandum, idque præsertim si cætera conueniant. E regione verò signa cruditatis arguunt contrarium. Luna autem ad primum diem Indicatiuum vtplurimum die quarto venire animaduertitur; ad secundum Indicatiuum sæpissimè die vndecimo, & dat signum crisis quæ fieri debet in ☍ seu die vtplurimum decimo quarto ad tertium Indicatiuum frequenter die decimoseptimo venit & index est quòd crisis in □ secundo ad exitum produci debet: denique ad quartum quem Luna vtplurimum ingreditur vigesimoquarto die.

Exceptio.

Verùm hoc totum quandoque ratione inconstantiæ motus Lunæ variari videtur.

Regula 9.

Dies certus, imò verò & hora in qua Luna ad loca prædicta critica peruenit, non potest propter motus Lunaris inconstantiam, hoc est ratione suæ tarditatis vel celeritatis, sine calculo siue computatione Arithmetica assignari aut patefieri: quare necesse est vt Medicus Arithmeticæ non ignarus diem veram atque horam, in quibus Luna ad dictos locos criticos pertigerit cautè & cum diligentia manifestet.

Quam computandi rationem tyronibus, vt ipsi illam faciliùs intelligant, in duobus capitulis hisce sequentibus luculenter aperiam.

CAPVT III.

In quo modus diei atque Lunæ graduum, motui Lunæ proposito correspondentium inueniendorum explicatur.

VT igitur diem atque horam in quibus ad hunc vel illum gradum Luna sit ventura sine magno tædio colligere queamus, inprimis tres sunt eligendi numeri ex quorum mixtione atque mutatione totum hoc dubium elucescere potest.

Primi numeri inuentio.

Imprimis ergo graduum numerus in quibus ☾ reperitur, tam in hora meridiana diei præcedentis quàm in illa etiam meridiana diei consequentis (inter quos gradus seu locus Lunæ propositus inuenitur) in ephemeride est perquirendus, quibus graduum numeris vtriusque horæ Meridianæ inuentis (quemadmodum exempli gratia à loco decubitus in quo Luna erat in principio morbi (quod accidebat 1629. Iulii 7.) videlicet à gr. 6. ♒. vadit versus

versus primam crisim seu primum □ &ad locum illius pertingit qui est grad.6.♉. atque ex ephemeridis inspectione inuenio hoc fieri die 14. sed horam cum minutis in qua fiet adhuc ignoro, quæ ideo vt planè elucescat quæro locum seu gradum cum minutis ♉, in quo Luna fuit hora Meridiei illius diei 14. atque inuenio ipsam esse gr.2.min.3.♉. Dispono ergo numerum minorem sub maiori atque abstractione facta inuenio residuum esse grad.13. cum min.21. qui erit primus numerus electus ad opus nostrum. Operatio est talis:

15.gr. 24. min.♉.
2. gr. 3.
13.gr. 21.min.

Sed quoniam variæ quandoque concurrunt in ista prima operatione ambiguitates, ideo cuique ipsarum suam propriam attribuemus regulam, vt per ipsam ab operatione hac nostra omne auferamus dubium.

Regula 1.

Vbi numerus graduum horæ diei præcedentis meridianæ tam in grandibus, quàm in minutis est minor quàm ille graduum horæ diei præcedentis meridianæ, ibi iuxta communem Arithmetices normam maior numerus à minori est abstrahendus, & residuum pro numero præcipuo seu primario ad istud opus electum erit, vti in operatione præcedenti innotescit.

Regula 2.

At si eueniat quòd numerus horæ meridianæ diei præcedentis, qui debet abstrahi à numero horæ meridianæ diei sequentis sit maior quàm numerus graduum sequentis, ita vt impossibile sit vt possit abstrahi, vtpote maior à minori. Verbi gratia, 1629. Iulii 16. hora meridiana diei sequentis videlicet 17. in gr.13.min.12.♊. inuenta est. Hic autem dies præcedens à consequente (quippe maior à minore) abstrahi non potest: sic enim stabunt:

13. gr. 12. min.
29.gr. 7.min.

Ob istam igitur rationem numero minori seu gr. diei sequentis, videlicet 13. addendum est signum integrum siue grad. 30. atque tunc abstractio inferiori, seu diei præcedentis graduum à superiori seu diei consequentis potest facillimè compleri; stabunt enim sic:

43.gr. 12. m.
29.gr. 7. m.
14.gr. 5. m.

Ita vt residuum erit 14. gr. 5. min. eritque numerus in hoc opere primus.

Regula 3.

Euenit etiam quandoque, quòd numerus minutorum numeri extrahendi sit maior quàm ille minutorum numeri superioris, ex quo extractio debet fieri. Exempli causa, 1629. Iulii die 7. ☾ erat hora meridiana in 6.grad.♒.min.21. die verò sequenti in 18.gr.♒. 5.min. sic stabunt:

18.gr. 5. min.
6.gr. 12. min.

In hoc statu siue casu grad. vnicus eiusdem, hoc est superioris seriei, nimirum ex 18. in minuta est rumpendus, dictaque minuta minuti 5. sunt addenda, & tunc stabunt hoc modo:

17.gr. 65. min.
6.gr. 12. min.
11. gr. 53. min.

Atque hoc residuum erit numerus primus in tali opere eligendus, videlicet 11. grad. 53. min.

Numerus secundus.

At verò iam pergemus ad propositum. Numerus secundus in isto opere erit 24. horæ. De cuius vsu inferius.

Numerus

Numerus tertius.

Ad numerum tertium inueniendum subtrahendus est motus Lunæ maior, hoc est, horæ meridianæ diei præcedentis à motu Lunæ proposito. Verbi gratia, inuenio in priori nostro exemplo minorem Lunæ motum seu gradum Meridiei diei 14. Iulii esse 2. & minutum 3. ♉. Motum autem Lunæ propositum cùm crisis adsit esse in gr. 6. ♉. Abstraho ergo grad. 2. à grad. 6. sic:

6.
2. gr. 3.
4.—3.

Erit ergo residuum 4. numerus tertius.

Regula.

At si numerus motus Lunæ propositi, hoc est, gradus in quo ☾ erit reperta in hora crisis primæ seu □ primi inuentus sit minor, quàm est minor Lunæ motus, tunc integrum gradui proposito Lunæ adhibendum est signum; Verbi gratia, si hora crisis sit expectanda dum Luna est in gr. 6. & minor Lunæ fuerit 16. gr. 7. m. tunc quoniam 16. gr. non possunt à 6. extrahi, addo integrum signum, videlicet 30. gr. ad 6. eritque 36. gr. Hoc igitur facto facillimũ erit minorem à maiori extrahere sic:

36.
16.
20.

In tali ergo casu erit 20. numerus tertius ad hoc opus eligendus.

Progressio ad operationis complementum.

Concludimus igitur, quòd principium morbi esset 1629. Iulii 7. ☾ existente in gr. 6. ♒. Prima itaque crisis est, seu □ primum, expectanda in illa hora qua ☾. pertingit ad 6. gr. ♉. quoniam iste aspicit gr. 6. ♒. in quadrili aspectu. Iam inuenimus per ephemeridis inspectionem hoc euenire die 14. Iulii, quoniam gr. 6. ♉. continetur inter gr. eiusdem 2. in quo ☾ erat hora meridiana illius diei, & gradum 15. quam possidebat hora meridiana diei sequentis. Iam verò horam atque minuta, si quæ sint, cognoscere cupio, quo periculi seu liberationis criticæ tempus exactè intelligam.

1. Numerus ergo primus inuenitur operatione superiori esse. 13. gr. 21. min. Numerus se-
2. cundus est 24. qui denotat horarum seriem. Numerus denique tertius est 4. vt in supradi-
3. cta numeri tertii inuestigatione patet. Procedimus ergo sic.

Primùm multiplico secundum numerum per tertium, & primùm gradus per horas.

24. gr.
4. gr. 3. m.
96. gr. 3. m.

Deinde minuta in horas sic multiplico:

24.
3.
72.

Tunc minuta producta colligo in horas per 60.

1.
72. (1.—12.
60.

Quotiens habebit horam vnam cum min. 12. addo prædictis 96. facientque 97. cum 12. min. Denique istum horarum numerum diuido per primum sic:

6.
97.
13.—21. m.
91. (7—6.


Reperio in quotiente 7. horas. At horæ 6. quæ supersunt, resoluendæ sunt per 60. in minuta, sic:

60.
6.
360.

quod productum diuido per 12.

00.
360.
122. (30.
36.

Restant





ORA. 8.m

10

IES

OLIS.

d Cap:VI



Sol oritur hora 8. cum minut: 11.


Dies artificialis constans ex 7. horis cum 37. minutis.


Sol occidit hora 3. minut: 49.





HORÆ DIURNÆ. Diei 10. Decemb.





HORÆ PLANETARIÆ. Die 10 Decemb.

Ad Cap: VIII. de Cris. myst.

Restant minuta 30. Ita vt tempus exactum crisis die 14. Iulii, hoc est, in quo ☾ peruenit ad 6. gradum ♉. erit hora 7. cum 30. minutis post meridiem.

Tædiosa & laboriosa videbitur operatio ista prima fronte: at cui ars Arithmetica est facilis & prompta, opus erit facile, quippe familiare & tritum.

CAPVT IV.

De modo inuentionis veri motus Lunæ, pro hora primæ morbi inuasionis, seu decubitus ægri.

COgnito decubitus seu morbi initii tempore siue hora:

Primùm ephemeridem inspicias atque mensis die eiusdem decubitus in ea inuento, respicias gradum in quo ☾ hora meridiana illius diei fuit; similiter animaduerte gradum in quo ☾ erit die sequenti.

His (inquam) bene obseruatis ad eliciendum verum Lunæ motum ad horam initii morbi seu decubitus, faciendum est vt suprà, videlicet subtrahendus est motus seu graduum diei præcedentis numerus ab illo proximè subsequentis.

At si numerus motus seu graduum meridiei diei sequentis sit minor quàm ille præcedentis, tunc adde motui diei illius sequentis vnum gradum integrum, & tunc procede sicut antea *cap. præcedentis Reg. 2.*

Post primi numeri inuentionem est dictum, abstrahendo præcedentem motum à subsequenti. Deinde, quod subtractione facta remanet per 60. est multiplicandum. Ac tum postea productus numerus per 24. est diuidendus. Denique quotiens est multiplicandus per tot horas quot à Meridie diei propositi transierunt, tum postea productus est per 60. diuidendus, & inuenies in quotiente gradus, atque in residuo minuta, quæ si addideris minori numero seu motui Lunæ horæ meridianæ diei præcedentis seu præpositi, resultabit tandem verus Lunæ motus pro hora quæsita.

Colligimus autem hanc operationem hisce paucis.

Subtrahe motum Lunæ minorem seu horæ meridianæ diei præcedentis à motu seu graduum numero in quo Luna inuenitur in hora meridiana diei subsequentis.

Multiplica residuum per 60.

Productum diuide per 24.

Multiplica quotum per numerum horarum à meridie diei propositi elapsarum.

Productum diuide per 60. & in quotiente iuxta tuum optatum gradum cum minuto inuenies motum Lunæ pro hora optata.

Exemplum erit tale. In exemplo superiori percepi anno 1629. Iulii 7. decubitus ægri factus est hora nona post meridiem. Iam scire velim locum Lunæ in illa decubitus hora: scio ergo illum locum comprehendi inter gradum meridianum diei illius septimi, qui est 6. ♒. cum 21. min. & gradum meridianum diei 8. qui est 18. ♒. cum min. 5. Vt igitur istum Lunæ locum seu verum in eo loco motum inueniam, sic operor.

Subtraho minorem motum Lunæ seu gradum horæ meridianæ diei præcedentis ab illo subsequentis.

18. gr. 5.
6. gr. 21.

At quoniam 21. minuta à minutis 5. extrahi non possunt, ideo per regulam 3. *prædicti cap.* super primum numerum frango vnum ex 18. gr. in 60. minuta, quæ addo 5. sic:

17. gr. 65.
6. gr. 21.
11. gr. 44.

Hîc ergo motum Lunæ diurnum habemus, hoc est spatium Zodiaci, quod compleuit inter horam meridianam diei septimæ, & illius octauæ.

Tunc multiplico hos gradus per 60. hoc est, resoluo eos in minuta sic:

11
60
660.

Quibus addenda sunt prædicta 44. motus diurni.

660
44
704.

Deinde necesse est, vt productum diuidamus per 24: vt ita percipiamus quot minuta Luna percurrit in vna hora:

```
    2
  3 2 8
  7 0 4   (29—8.
  2 4 4
  4 1 6
    2
   2 2
```

In quotiente ergo 29. tot enim minuta respondent vni horæ. Deinde quotiens multiplicandus est per horas tot, quot à loco meridiei numerantur ad locum in quo percussus est æger. Verbi gratia: decubuit æger hora nona post meridiem; multiplico ergo 29. per 9. sic:

```
   29
    9
 ------
  261:
```

Habemus ergo minuta 261: quod est spatium motus in horis 9.

Hunc ideo productum per 60. diuido, vt hac ratione reducam minuta ista in gradus sic:

```
     (2
  2 6 (1      (4—21.
    6 0
    2 4
```

Atque quotiens erit motus 9. horarum redactus seu resolutus in gradus, videlicet 4. grad. 21. min.

Denique gradus isti 4. cum 21. min. addendi sunt motui seu gradibus diei propositi seu 7. in quo æger decubuit, nimirum grad. 6. min. 21.

```
  6. gr.  21. min.
  4. gr.  21. min.
 ------------------
 10. gr.  42. min.
```

Atque isto modo se patefacit verus Lunæ motus pro hora 9. post meridiem diei propositi, videlicet 7. Iulii, in quo morbus incepit.

CAPVT V.

De regulis nonnullis, ad praxim criticam imprimis necessariis.

NVNC verò ad praxis criticæ medullam propinquius accedam, regulasque imprimis ad eam necessarias, & ad completiorem eiusdem notitiam conducentes hoc in capite detegam.

Admonitio.

Sed imprimis & ante omnia vos admonere velim, quòd omne illud quod vel fortunium vel infortunium, tam in cœlis, quàm in terris dictitatur ab Astrologis, à diuinis fontibus, hoc est, ab influentiis Dei vel in proprietate eius clementi vel seuera emanant. Vnde textus in persona Iehouæ: *Ego occidam, & viuere faciam; percutiam, & ego sanabo.* Et alibi: *Ipse vulnerat*
Deut. 3. 7. Iob. 5. 17. *& medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* In proprietate ergo suâ Dionysio appropriata, in
Iob. 19. 20. quâ percutere atque destruere solet ipsum alloquutus est vir patiens in hæc verba: *Manum*
Psal. 36. 6. *tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. Vita adest beneuolentia Iehouæ. Ipse Iehoua Deus*
Deut. 30. 20. *tuus vita tua est & longitudo dierum tuorum. Visitatio eius conseruat spiritum meum,* (inquit Da-
Psal 36. 9. uid.) At verò Deus ad istas diuersas suas proprietates diuersimode exercendas vtitur organis tam Angelicis, stellaribus & ventosis, quàm temporibus, videlicet horis & diebus, in quibus magis aptè & ab eo à creatione institutis operatur, in organo Angelico. Hinc ait textus: *Mitte manum tuam super carnem eius, & maledicet tibi.* Et tamen erat Satan qui percussit Iobū, hoc est, Iehoua mouebat & operabatur in Satana, quasi organo, vnde falsus est Satan se non sibi quicquam esse, sed soli Deo, seipsum Dei manum esse cognoscendo. Sic
Psal. 78. 47. Dauid: *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos angelos.* Quando-
Exod. 23. que in organo angelico clementer & benignè cum creatura agit. Hinc Scripturæ: *Ecce mitto Angelum meum ante te, qui custodiet te in via tua, & introducet te in locum tuum, eum audi &*

obserua

obserua, non enim dimittet cùm peccaueris, est enim nomen meum in illo, &c. Quo docemur, quòd Deus sit qui operatur in Angelico organo; nam nomen Dei est in illo: at nomen Dei essentiale Deus est: deinde quòd Deus per idem organum Angelicum cùm saluare & clementer agere, tum vulnerare & seueriter tractare potest. Et alibi: *Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, nam Angelis suis præcipiet de te, & conseruabunt te in omnibus viis tuis.* Psal.91.

Denique in organo stellari operatur quandoque benigniter, quandoque maligniter. Hinc scriptum sacrum: *Stellæ fundatæ sunt in verbo Domini*; ergo verbum illud Domini, *qui posuit tabernaculum in Sole; & inest Lunæ*, & consequenter operatur in Sole & Luna tam benigniter, quàm maligniter, est illud quod facit totum vel ad bonum vel ad malum in astris, & consequenter astra sunt ipsius organa: actor verò solus & vnicus qui operatur à centro ad circumferentiam est ipse Deus & non stella; vtpote qui vel beneficè vel maleficè secundùm voluntatem suam erga creaturam agit. Hinc Deuteron. *Solem, Lunam, astraq; creauit Deus in ministerium cunctis gentibus sub cœlo, ideo prohibuit ea adorari & coli*, &c. Hoc est, verbum in creatura, quod per creaturam operatur omnia in omnibus, est adorandum, & non creatura, quippe quod est organum solummodo per quod ipsum agit & operatur. In proprietate ergo beneuola (in qua seipsum declarauit Deus cùm creare atque informare voluit) *Solem, Lunam & Stellas creauit in salutare ministerium cunctis gentibus.* At in proprietate sua maleuola (in qua vtitur Deus ad affligendam creaturam morbo & morte) efficit vt Sol quandoque, in die atque itidem Luna in nocte morbis & malo afficiat impios, quod etiam videtur Psaltes in his significare: *Deus, ait, erit custos tuus, Sol te non percutiet diurno tempore, nec Luna nocte, Deus te præseruabit ab omni malo*, &c. Ac si dixisset, Verbum seu nomen Dei in organis stellaribus non mouebit erga te in seueritate, sed clementer. 4.Esd.10. Deut.4. Psal.121.5.

Denique temporibus præscriptis, & in naturæ ordine agit Deus vtplurimum vel beneuolè vel maleuolè: quare vt fatum quis euitaret monet Salomon, vt sapientiam summopere acquirat: nam ait: Sapiens dominabitur astris, hoc est, sapientia eum docet modum euitandi malitiam diei vel horæ infortunatæ, atque astutiam obseruandi atq; eligendi diem & horam fortunatam. Hinc Apostolus: *Assumite arma Dei completa, vt possitis resistere in die infausto inuasionibus diaboli.* Quòd autem per diabolum intelligat principem aëris, cuius est corrumpere aërem, ventosque corruptos excitare, sic, volente Deo, testatur idem Apostolus. Et Salomon de temporibus electionis mentionem facit abundè. *Est tempus* (inquit) *occidendi & tempus sanandi, est tempus destruendi & ædificandi, est tempus perdendi & tempus acquirendi, est tempus odii & tempus amicitiæ, est tempus belli & tempus pacis.* Et Syriacus magis particulariter ista: *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Ephes.6.12. Ephes.2.1. Eccles.3. Eccles.7.1

Quibus liquet, quòd sunt dies & horæ infortunii, videlicet cùm ♄ & ♂ habuerint in cœlo dominium: Vnde ab Astrologis infortunia dictitantur, atque iisdem temporibus Lunæ orbis spiritus eorum influentiis contaminatur, atque tunc Luna dicitur infortunata & malè disposita, atque in tali sua dispositione influxus malignitate plenos; sic volente Deo, influere cogitur. Vnde textus: *Cùm impius esset repleturus ventrem suum, in eum Deus iram æstuantem suam immisit, quam impluit in eum loco cibi eius.* Atq; alibi in eodem: *Stillant ab alto pœnæ in die iræ.* Sunt etiam è contra dies fortunii, in quibus Planetæ beneuoli dominium habent in cœlo: Et tunc etiam spiritus orbis Lunæ (vtpote earum influentiarum promptuarium seu sacrarium) bonis eorum influentiis imbuitur, & per consequens fortunata, bene disposita & affecta dicitur, in quo statu influxus benignitate plenos in aëra impluuntur. De huiusmodi Dei influxibus bonis intendit locus iste: *Colito Iebouam qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui*: hoc est, non impluet iram suam super te loco cibi tui, nec distillabit ab alto pœnas in die iræ. Iob.20.25. Iob.20.28. Exod.23.

His ergo præparationem sanctam & piam ad opus hoc Lunare criticum habetis, vt intelligatis dies & horas esse à Deo in naturæ cursu ordinatas tam ad salutem quàm ad morbos & necem, & quòd influentiarum diuinæ tam iræ quàm clementiæ custos & thesaurarius sit Luna, & quòd ipsa cùm impluit mandato diuino malas influentias ei à Deo commissas, infortunata, maleque affecta atque disposita dicatur, & quòd è conuerso si bonas in inferiora effundit influentias fausta, fortunata atque bene disposita dicitur. Sic ergo ad regulas practicas.

Regula I.

Obserua locorum decretoriorum gradus & situs in speculo atque etiam vera tempora, in quibus Luna eos ingreditur. Tunc cum diligentia inquire, an Luna fuerit in iis vel fortunata

tunata vel infortunata, si fuerit autem per se fortunata fortis & felix, atque etiam locus criticus in quo existit dignitatibus planetarum atque stellarum fixarum propitiarum & faustarum diues & exuberans, bonum præsagiet ægroto omen: sed si ipsa in se fuerit impedita atque debilis, locusque criticus maleuolorum astrorum cùm erraticorum tum fixorum fortitudinibus exuberet, infelicem denuntiabit ægrotanti successum.

Regula 2.

Notandum, quòd domus est fortior in significatione quàm signum, & signum quàm planeta, & planeta quàm stella fixa, & quòd causa morbi cognoscatur à domo, & signum in quo dominus domus est causa morbi pro tempore, & planeta à quo ☾ separatur ostendit humorem præsentem, & planeta cui applicat arguit naturam incrementi humoris.

Regula 3.

Loca illa in rota Lunari critica tunc dicimus infortunata, cùm planeta maleuolus, Saturnus nempe vel ♂ principale in ipsis habuerit dominium, hoc est dignitates plures sibi in locis illis vindicauerit: atque etiam stellæ primæ, secundæ vel tertiæ magnitudinis de natura vel ♄ vel ♂ aut vtriusque simul in iisdem habitauerint locis: similiter si dominus horæ in qua ☾ aliquem dictorum locorum ingressa fuerit vel ♄ vel ♂ augebitur morbi malitia & crisis pernicies. Sit ergo hæc tibi regula generalis, quòd imprimis locus in quo ☾ inuenitur in die vel ☾ decubitus est respiciendus, & præcipuè status Lunæ, videlicet an fuerit fortunata, & an in aspectu aliquo cum planeta maleuolo; nam iuxta signi & planetæ dispositionem cum quibus communicat ☾ iudicandum est. Tunc procedendum est ad alios locos criticos, vt dictum est.

Regula 4.

Luna in sua propria natura & per se dicitur fortis, fortunata, atque bene disposita, cùm est numero, lumine vel motu aucta, & cursu suo minimè vacua. E contrario aliquantulum diminuitur eius virtus in signis masculinis, & cùm est in cursu suo vacua, ac motu, numero & lumine diminuta, aut cùm eclipsim patitur, aut in suo incremento cum ♂ aut decremento cum ♄ perambulat.

Regula 5.

Dicitur Luna aucta à lumine à ☌ ad ☍ cum ☉. E regione eius decrementum luminis est ab ☍ ad ☌. similiter dicitur ipsa augeri numero à die 15. mensis ad 30. At creditur numero diminui à die 1. mensis vsque ad 15. eiusdem. Tarda autem dicitur, quando minus efficit suo motu in spatio 24. horarum, quàm 12. grad. & 11. min. E conuerso autem velox dicitur quãdo plus suo motu præstare, quàm 12. gr. 11. min. in 24. horarum spatio animaduertitur. Denique tunc dicenda est Luna in cursu suo vacua, cùm neminem planetarum à suo loco aspiciat.

Regula 6.

Si ergo Luna ad □ primum à loco decubitus peruenerit, videndum est an ipsa fuerit bene disposita cum respectu sui, tum respectu dispositionis loci in quo est. Similiter considerandum est, an aliquis vel bonorum & fortunatorum planetarum ♃ scilicet vel ♀ cum in dicto loco critico intueatur. Porrò etiam & aspectus bonitas, videlicet ille △ vel ⚹ felicius reddet opus □ & ☍ deterius ob rationes antea allegatas, vel an aliqui maleuolorum & infortunatorum, vtputa ♄ vel ♂ ipsam videat, atque etiam an aspectus tales fuerint boni, nempe △ vel ⚹, vel mali vt □ ☍. Denique stellarum fixarum 1. 2. vel 3. magnitudinis cum dicto loco critico conuenientium & correspondentium naturæ faustæ vel infaustæ sunt considerandæ, vt suprà. Si ergo fortunata & bene disposita in his omnibus, vel in maiori parte fuerit Luna, pro certo statuendum est talem morbi crisem (si accidat vt sæpicule contingit) ad salutem & felicem exitum prouenturam. Verùm vbi Luna fuerit malè ob rationes prædictas disposita & infortunata, atque in □ vel ☍ cum ♄ vel ♂, aut sub stellis fixis 1. 2. vel 3. magnitudinis naturas ♄ vel ♂, vel vtriusque habentibus, tunc veraciter est credendum, quòd crisis illo die & in illo loco minimè perficietur, aut si in illo contingat ad perniciem & damnum potiùs quàm ad salutem mouebitur, idque præsertim si inter acutos numeretur morbos, & aspectus □ vel ☍ fuerit inter ♂ & ☾ factus, quoniam ♂ sua caliditate reddit morbum ferociorem.

Regula

Regula 7.

Ad aſpectus veros inter lunam & alios planetas inueniendos ingrediendum eſt in Ephemeridem, inuentoque in ea anno, menſe & die, cognitaque per computationem Arithmeticam hora critica, aſpectus planetarum in eadem hora cum ☾ facillime in pagina Ephemeridis dextra apparebunt.

Regula 8.

Aſpice rotulam horariam & conſidera dominum horæ decubitus, nam ſi dominus loci ſit ipſe, vel de eius natura ſciendum eſt quod in ægroto ſenſibilis notabitur mutatio exigua quando dominus horæ decubitus reuertetur in ſtatum ſui dominii: vt ſi ♂ ſit dom. horæ & vel ♂, vel ☉ vel ambo potentes in loco tunc omni hora 6. aliquā percipies exaſperationem.

Regula 9.

Si dominus horæ & dominus loci critici naturę conueniant, ſiue ſit in bonitate, ſiue malignitate, tunc eo efficacior erit criſis, idque præcipue ſi cætera lunæ atque ſtellarum fixarum aſſentiant.

Concludimus autem praxim totam in iſtā vnica regula.

Regula 10.

Si dignitates loci cum luna ad eum venerit, & naturæ ſtellarum ei correſpondentium, & diſpoſitio planetæ horæ, atque etiam ſyderis lunam aſpicientis conditio vel in omnibus vel in pluribus conueniant, tunc quidem fortior erit criſis futuræ tam ad bonum quam ad malum effectus. At ſi variæ ſint & contrariarum diſpoſitionum, tunc ſtella quæ plura ibi loci dignitatum teſtimonia ſibi vendicat, erit mediante luna criſis futuræ author & domina. Verum enimuero ſi nimium dominus iſte atque luna vrgeantur à ſtellis in eo loco contrariis; tunc lenior erit in illa criſi (ſi contingat) effectus, ſiue circa bonitatem, ſiue perniciem verſetur ipſe, hoc eſt ſiue ſit ſtella propitia & fortunata, ſiue maligna & infelix.

His igitur cognitis exemplum hoc vnicum in lucem producam, atque ita tractatum iſtum concludam.

CAPVT VI.

In quo exemplum per hoc Speculum criticum practicandi exprimitur.

ANNO 1630. Iulii (ſecundùm computationem Gregorianam) die 9. hora poſt meridiem ægrum inuaſit morbus, vel ægrotus primum decubuit. Ad inueniendum ergo verum lunæ motum ſeu gradum pro die & hora propoſita in omnibus operor vt in cap. huius membri 4. ſum præmonitus. Inuenio ergo locum lunæ in hora decubitus eſſe grad. 11. min. 14. ♋. Quo inuento conuerto lineam regulæ demonſtratiuæ fiducialem ad locum limbi inſtrumenti Orientalem qui eſt punctum decubitus: poſita ergo linea ſuper locum illum; conuerto cœlum ſeu rotam Lunarem quouſque grad. 11. ♋ tangat lineam illam fiducialem: hoc facto fixetur rota in illo loco cum clauo acuto per limbi latus penetrante, hinc perquiro ſtatum imprimis lunæ, & tum poſtea loci rotæ in quo ille manet. Pro lunæ ſtatu percipio ipſam eſſe velocem in ſuo motu, quia exceſſit in ſuo motu diurno 12. gr. cum 11. min. facit enim 13. gr. 55. min. eſt in decremento adhuc luminis quia prope adeſt ☌ cum ☉ Attamen non eſt curſu vacua, quia in △ coniungitur cum ♃ quare exiſtimo eam ſatis fortunatam cum propter celeritatem in motu, tum quia non eſt curſu vacua, tum quoniam à ♃ beneuole inſpicitur. Ad loci vero ſtatum in rota lunari quod attinet eſt in ♋. & conſequenter in domo ☾ facies ☿ eſt terminus ♀ Triplicitas ♀ prope eſt exaltationi ♃ In caſu eſt ♂ ergo ipſe debilitatur: ex ſtellis fixis canis maior proximus eſt huic de natura ♄ & ♃ denique reſpectu conſiderationis quæ extra iſtud ſpeculum eſt habenda. Ephemeris eſt ſedulo inſpicienda pro anno, menſe & die decubitus, atque in pagina eius dextra contra diem 9. indicabit ☾ cum ☉ eſſe in ☌ hor. 15. min. 52. at circa ipſam horam propoſitam, videlicet horam 8. min. 24. ♃ in cum ☾ inuenimus. His ergo conſideratis morbus videbitur non eſſe adeo ferox, quatenus luna omnibus conſideratis videtur eſſe ſatis fortunata. Tunc priuſquam amoueo regulam, conuerto etiam planetam horam illius ad illum angulum: Tum poſtea duco regulæ fiducialem ſuper punctum primi

i 3 Inter-

Intercidentis in limbo, & cum luna ingredietur illum lineæ eclipticæ gradum; tunc erit dies Intercidens. Inuenio igitur locum Intercidentem siue mortalem esse 3. gr. cum dimidio ♌ Tunc quæro per cap. 3. doctrinam horam diei in qua ingreditur ☽ gradum istum & horam planetæ. Post hæc videndus est status illius loci, & quis planetarum atque stellarum fixarum plures ibidem habeat dignitates. Inuenio igitur inquisitione facta ♌ esse ☉ domum & triplicitatis dominum, at ♄ occupat faciem seu decanum istum. Verum terminum suum hic sibi vendicat ♃. Quare euidens est quod ☉ sit illius loci dominus, qui melioratur per terminum ♃ Pro stellis fixis nullam nisi vnicam, eamque non insignis magnitudinis reperio videlicet à præsepio Aust. quartæ magnitudinis de nat. ♂ & ☽ Atque iste est status istius loci respectu mysterii rotæ lunaris.

Ad statum autem istius loci Intercidentis primi extra rotam considerandum in Ephemeridem est ingrediendum, vbi in pagina dextra inuenimus ☽ aspicere ♄ in □ hor. 11. min. 50. Sed propinquius ad horam propositam Intercidentis ☽ inspicit in ⚹ aspectum hor. 17. min. 21. ♀ Quare non obstante illo □ inter ☽ & ♄ qui præcedit Intercidentem corrigetur præparatio ista ad diem Indicatiuum in meliorem partem. Intercidentis ergo regulam fiduciæ ad Intersectionem seu locum in limbo Indicatiui primi, atque percipiemus quod linea fiducialis transibit per gradum 26. ♌ nam hic locus distat à loco decubitus per 45. gradus. In hoc ergo loco inuenio ☽ velocem in suo cursu; quoniam fecit eodem die 14. gr. 36. nec etiam est ipsa cursu suo vacua quoniam aspicit ♄ in ⚹ & ♀ in □ At vero respectu dignitatum loci ☉ habet ibi 5. per domum ♂ vnam per faciem, atque etiam 2. per terminum, & ♃ est dominus noct. triplicitatis, quare superat ☉ quia 5. habet dignitates, at augetur eius calor per ♂ potestates 3. Verum enimuero adhuc augetur malum quia stella 1. magnitudinis in corde ♌ de nat. ♄ & ♂ & alia stella 2. magnit. in capite ♌ de nat. ♄ longitudine correspondent huic loco. Porro dominus horæ est considerandus per conuersionem planetæ rotulæ horariæ ad locum.

Ad accidentia extra hanc rotam contingentia quod spectat, in Ephemeride contra diem 12. in quo ☽ inuenitur in 26. gr. ♌ in dextra pag. ♄ aspicere cernimus lunam in ⚹ hor. 13. 46. & ♀ in □ hor. 22. 30. Quibus videre licet quod locus Indicatiuus siue demonstratiuus satis male de die critico præsagire videtur, & quod dies criticus manifestabit eximium ardorem cum malignitate propter testimonia ☉ ♂ atque stellarum fixarum, nec non & aspectum ♄ ad ☽ licet aspectus sit bonus, & illum □ inter ♀ & ☽ nam licet ♀ sit ex fortuniis vnum, tamen per aspectus prauitatem diminuitur & opprimitur ipsius bonitas. Qualis ergo est crisis futura nisi fortunati adiuuant aspectus, atque dignitates in loco illius ex statu loci siue diei istius indicatiui videre licet.

Tunc pergemus ad Intercidentem siue diem mortalem secundum, qui est mediocris actor inter Indicatiuum primum & crisim primam & lineam regulæ fiducialem pono super eius in limbo intersectionem, & demonstrabit in ecliptica lineæ grad. 18. ♍ cum dimidio. Hic ergo inuenio ☽ velocem in suo cursu, quia in spatio 24. horarum fecit 14. 41. Porro non est cursu vacua quia aspicit ☍ asp. ♃ hor. 11. min 25. Ad planetarum hoc in loco dignitates quod spectat, in domo est ☿ vnde dignitates 5. in facie ♀ per ♀ ergo non nisi 1. In termino etiam ♀ est vnde & duas alias dignitates ipsa, at ♂ sibi vendicat triplicitatem, & consequenter tres in isto loco fortitudines habet. Et quoniam ex ♀ dignitatib. deprimitur. 1. per eius hoc in loco casu, ideo debilior est aliquantulum. Dominus ergo est ☿ sed & potens est ♂. & quoniam ☿ participat cum fortiori, ideo in peius vt corruat morbus verisimile est: nulla eminentis vigoris seu magnitudinis cum hoc gradu conuenit stella fixa; sed prope eum ex vno latere, videlicet gr. 15. ♍ adest stella in cauda ♌ 1. magnit. de nat. ♄ ♀ ex altero, nimirum cum gr. 21. ♍ manet stella in vltima cauda vrsæ maioris 2. magnit. & de nat. ♂; sed satis distant istæ à loco critico.

Ex parte Ephemeridis inuenimus in eodem die ♃ in ♂ cum ☽ vid. hor. 11. 50. min. & ☽ cum ♂ in ☌ se habet. Quare & ☽ in hoc erit infortunata; & ♂ magnam habebit hoc tempore potestatem in ægrotum: Denique respicimus horam planetariam; in qua ingressa est ☽ dictum gradum.

Iam tandem ad primum criticum peruenio; quare pono regulæ fiducialem super locum criticum primũ in limbo speculi descriptum, & designabit in cælo lunari grad. 9. ♎ Vado ergo ad Ephemeridem & capio differentiam inter motum Meridionalem illius diei in quo ☽ ingreditur gradum illum 9. atque motum Meridionalem diei sequentis subtrahendo numerum præcedentem à consequenti. Inuenimus ergo ☽ fecisse illo die 14. grad. 29. min. Vnde pro certo statuimus ☽ fuisse illo die velocem in suo motu; vnde in hoc est felicior, nec est ipsa vacua in suo cursu, quia in isto die critico respicit ♀ in △ hor. 3. min. 4. & ♀ in ⚹ hor.

hor.17. min. 21. Porro locus est in domo ♀ vbi luna possidet vnam dignitatem ex facie: & quamuis proxime hunc gradum, videlicet gr. 10. ♎ assurgit sinister humerus Bootis in quo est stella 3. magnit. de nat. ♂ tamen non ita valet, quoniam est minoris magnit. ex tribus primarijs, & per gradum distat. Præterea felix est luna per motum per felicem aspectum cum felici planeta, nempe △ cum ♀ & ☿ in ⚹ se conuertit in bonitatem lunæ. Porro & Dominus horæ est conueniens. Quærenda est hora diurna temporis ingressus lunæ in gradum hunc criticum, per doctrinam in cap. huius 3. descriptam. Vnde bonam ob istas rationes & laudabilem expectamus crisim & benignam.

Concludimus ergo quod hoc modo & secundum istam methodum procedendum est cum cæteris Intercidentibus, Indicatiuis & criticis locis si crisis contingat in primo loco. Sitque regula ista vltima hoc totum abbreuians.

Regula concludens omnia prædicta paucis.

Sunt 8, dies Interficientes 4. critici & 4. demonstratiui. Vt ergo luna fuerit, vel bene, vel male in ijs affecta, ita de ægroti successu est iudicandum.

At ita Deo gratias die Decemb. 17. 1619. feliciter & propitio (vti spero) numine, hoc opus Criticum compleui.

LAVS DEO.



PRO-



PROGNOSTICON ARITHMETICUM,

siue

PORTIONIS PRIMÆ, PARTIS SECUNDÆ, MEMBRUM SECUNDUM.

De Signis prognosticis superstitiosa Pythagoræorum traditione magis, quam ratione solida stabilitis atque innitentibus discurrens.

MEMBRI HUIUS CONTENTA.

Membrum hoc secundum se extendit ad:
- Arithmeticam diuinatricem vel
  - Lunarem.
  - Solarem.
  - Meteorologicam

  De qua *liber primus*.
- Nomandiam, quę in literarum simul, atque numerorũ consideratione siue valorum computatione consistit: atque de ista *liber huius secundus*.



LIBER PRIMUS, DE ARITHMETICA DIVINATRICE.

CAPUT I.

Hoc ostendit, quod omnia numero, mensura & pondere consistant, & quod tempora secundum numerum in dies atq; horas tam probas & beneuolas, quam iniquas atq; maledictas ordinentur, atq; distribuantur.



NON inepte, aut inconsulte à Philosopho dictum est, *ex lite atq; amicitia cuncta in isto mundo fuisse composita* nam si consideremus ex materia atq; forma omnia esse conflata, atq; materiam ante vllam compositionem ex litigioso tenebrarum seu chaos sinu fuisse extractam, vnde litigiosi sui ortus gratia semper litigat atq; contendit, imo vero & ex sua propria inclinatione aduersatur formæ, nisi à luce per excellentiam alteretur, atq; obediens reddatur, itidemq; ipsam formam à spiritu seu amore igneo, qui ferebatur super aquas fuisse editam, rem intelligemus haud aliter quam à Philosopho erat allegatum se habere; omnia, inquam, ex bono & malo, ex luce & tenebris, ex fortunio atque infortunio, ex salubri atq; insalubri esse compacta. Iuxta istas ideo conditiones contrarias tempora statuuntur in hoc mundo, in quibus fatum quandoque male & nonnunquam bene cum mortalibus agit, hodie influentias effundunt cœli propitias atq; fortunatas, cras autem impluunt vindictam atque malignitatem: in hora ista mitigant dolores, & clementer cum ægrotis agunt, & sanitatem augent atq; multiplicant, in illa morbis, doloribus & morte affligunt. Hoc autem à scripturis accepimus sacris, quarum est sententia, quod *sit tempus occidendi & tempus sanandi, tempus destruendi & tempus ædificandi, tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus saltandi* Eccles. 3.

saltandi, tempus perdendi & tempus custodiendi, tempus dilectionis & tempus odii, tempus belli & tempus pacis. Similiter vir Sapiens *alibi. In die bona fruere bonis & malam diem præcaue; sicut enim hanc, sic illam fecit Dominus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Et Apostolus, *Assumite arma Dei vt possitis resistere in die infausto inuasionibus diaboli.* Quibus liquet, quod sint dies & horæ in quibus boni Angeli triumphant & dominium habent: sunt etiam & alii quibus gaudent Angeli seu dæmones maligni & perniciosi & in fortitudinibus suis exaltantur. *Eccl. 7.14.* *Eph. 6.11.*

Quod ergo sunt tempora, dies videlicet & horæ bonæ & felices, atque itidem malæ & infelices à Deo statutæ, euidens est: sed quomodo, aut qua ratione eas cognoscemus & ab inuicem suis locis, ordinibus, & numeris distinguamus, hic labor, hoc opus est scire. Astrologi de horis diebusque electionis quam acutissime secundum astrorum considerationem tractauerunt, vti *membro huius præcedenti, & alibi in tractatu nostro de electionibus* explicauimus. Porrò etiam de horis planetariis non absque causa probata mentionem fecerunt, de quibus etiam nos *antea.*

Iam verò de diebus & horis ex superstitiosa Pythagoreorũ traditione reuelatis verba efficiam perpauca. Et quamuis incerta, vtpote nulla ratione euidenti aut sufficienti quoad nos fundata, sed curiosa veterum traditione nobis oblata esse diximus, tamen non est dubitandum quin viri tam profundi in mysteriis Dei & naturæ speculatione qualis erat Pythagoras cum suis sectatoribus, de reb. inanibus atq; fictis agere aut verba facere noluerint: sed quod ipsi profundissima atq; occultissima Hebræorum cabala instructi numeros aliter quam vulgus perceperint atq; intellexerint, vti *in libro sequenti* vberius: de quali numerationis diuinæ specie hæc Martianus Capella. *Arithmetica salutauit Deum proprio nomine, cum septingentos decem & septem numeros complicatis in eos digitis Iouem salutabunda depromeret:* sed quid nobilissimus ille numerus velit, eiusque in membra sua respersio nouit Arithmeticus, qui non artem numerandi mercatoriam, sed proportiones inquirit formales: hoc enim in numero omnes numeros, omnemq; proportionem tum musicam tum Geometricam deprehendimus: imò verò in numeris formalibus offendimus Dei nomen quam exactissime. Necesse est ergo vt ipse qui numerorum formalium cognitione atq; ipsorum vsu est vere instructus *à spiritu Sapientiæ,* (qui est rerum vere formalium dator & præceptor) donum illud accipiat, nam, teste Salomone, *ipse ab ipso & per ipsum* instructus erat in mysteriis incognitis. *Ipse,* inquit, *dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, vt sciam initium, medium & consummationem temporum & vicissitudinum permutationes, & diuisiones temporum, anni cursum, & stellarum dispositiones, imo vero & omnia abscondita & improuisa didici. omnium enim me opifex docuit Sapientia.* Quibus euidens est quod per ipsam nouit formales rerum naturalium characteres, & consequenter tempora distinguere potuit, atq; dies bonos à malis discernere, iuxta illud *antea* allegatum Eccl. 3. nam *Sapiens dominabitur astris,* & consequenter fati superabit effectus, Hoc etiam agnouit Syriaci filius, vbi *diem tam faustum quam infaustum à Deo creatum esse* asseuerauit. Nec non & istud D. Paulus, vtpote *cui data esset scientia assumendi completa Dei arma ad resistendum inuasionibus diaboli in die infausto.* Porrò etiam non dies solummodo, sed diei particula est respicienda; vnde vir ille prudens. *A die bono non frauderis, & particula diei boni non te prætereat.* Hoc etiam instinctu præsagiebat Christus horam infaustam, eamq; à fausta distinguebat: nam dicit matri, *hora mea nondũ venit.* Et *alibi. Hora Iesu nondum venerat, ideo nemo apprehendit:* hoc est infausta nondum aderat hora, in qua data erat à Deo potestas Iudæis vt eum apprehenderent. *Sap. 7.* *Eccl. 7.* *Ecclesi. 14.* *Ioan. 2.* *Ioan. 8.*

Atque hoc totum Sapientia æterna duce discriminando & distinguendo Arithmetica formali tempora in suos status vel felices vel infelices. Sic D. Paulus præuidens marinum periculum in verba ista ad suos prorumpit. *Suadeo vobis bono animo esse, amißio enim nullius animæ erit ex nobis præterquam nauis; astitit enim mihi Angelus Dei cui ego seruio, dicens, Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum; propter quod bono animo estote viri &c.* In ista etiã diuina scientia Arithmeticæ prædictionis haud mediocriter versatus erat Pythagoras, quippe ab Hebræis & Chaldæis in ipsa instructus, & quamuis more Cabalistarum, symbola & typos nobis reliquit pro veritate, cortices pro nucleis, vmbras pro realibus, literas mortuas pro viuis & spiritualibus, ac (vt verbo dicam) numeros mercatorios pro formalibus, tamen ita in suos ordines, & quandoque sphærulas vel experientia ductus, vel ratione occulta ad hoc persuasus hos numeros externos redegit ipse cum discipulis suis (quorum Plato & Apollonius Tyaneus erant insigniores) vt sub typicis istiusmodi velis multum veritatis detexerit, quemadmodum libro sequenti clarius ostendemus. *Act. 27.22.*

Quare hoc in loco de Astrologia Pythagorica seu numerali solummodo typica experientia potius quã ratione nobis oblata disceptabimus. Quod ergo veteres vel lunari, vel solari, vel meteorologica temporum diuisione de periculo futuro quandoque præsagire sunt conati his paucis expediam.

Capvt II

Quomodo dies boni à malis, per obſeruationem numeri lunaris diſcernantur.

EXperientia ducti ſunt aliqui vt credant quod ſint dies aliqui in menſali Lunæ curſu, erga infirmos propitiores aliis, vel ferociores atque infeliciores; hoc ergo ſecundum ipſorum traditiones iuxta Lunæ numeros ordine ſuo aperiam.

Si quis ægrotauerit die menſis lunaris

Primo diu languebit.
Secundo, morbus non erit diuturnus, nec ita ferox.
Tertio, diu vexabitur, idque non ſine mortis periculo.
Quarto, aut cito recuperabit, aut cito morietur.
Quinto, vehementer ægrotabit, & oppido expirabit.
Sexto, vix recuperabit.
Septimo, medicamine cito & cum facilitate curabitur.
Octauo, etiamſi ſit ſenex, recuperabit.
Nono, poſt longam vexationem reſurget.
Decimo, ad priſtinam ſuam ſanitatem tarde reſurget.
Vndecimo, etſi diu remanſerit infirmus tandem reualeſcet.
Duodecimo, recuperabit.
Decimo tertio, diu laborabit & raro recuperabit.
Decimo quarto, multum alterabitur in illo morbo, ac tandem medicamentis curabitur.
Decimo quinto, diu ægrotabit, ſed tandem conualeſcet.
Decimo ſexto, ſi locum ſuum mutauerit, recuperabit.
Decimo ſeptimo, diu vexabitur ac tandem reſurget.
Decimo octauo, aut cito conualeſcet, aut poſt longum morbum recuperabit ſanitatem.
Decimo nono, ope medicinæ cito reſurget.
Vigeſimo, aut diu morbo opprimetur, aut immediate conualeſcet.
Vigeſimo primo, cito curabitur.
Vigeſimo ſecundo, quamuis tarde, curabitur.
Vigeſimo tertio, ſubito reſurget.
Vigeſimo quarto, medicabitur.
Vigeſimo quinto, multum durabit, & vix cum vita tandem euadet.
Vigeſimo ſexto, mortem, ſi hydrope non laboret, euitabit.
Vigeſimo ſeptimo, diu ſuo languore detinebitur ac tandem curabitur.
Vigeſimo octauo, cito recuperabit ſi ieiunium ferat.
Vigeſimo nono, non multum morbo ſuo grauabitur, ſed cito ſanus euadet.
Trigeſimo, cum difficultate euitabit mortem.

Hęc eſt quidem veterum traditio ex experientia & obſeruatione potius, quam vlla euidenti (quam ſcio) ratione ſtabilita aut renitens. Atq; ſecundum iſtam doctrinæ viam Aſtrologi videntur varios variarum Lunæ manſionum effectus collegiſſe, quippe qui nullam aliam illorum effectuum rationem reddere poſſunt, prӕterquam quod longa experientia atque obſeruatione edocti rem ita ſe habere didicerint.

Capvt III.

De diebus cuiuslibet Lunæ periculoſis, iuxta tum veterum Pythagoreorum, tum Aſtrologorum ſententias.

TRadunt etiam tam Pythagoreorum nonnulli, quam Aſtrologorum veterum haud pauci, quod duo in quolibet menſe lunari enumerentur dies infelices atque infortunati, quippe in quibus quodcunq; efficitur ad optatum & proſperum finem peruenit fere nunquam, & conſequenter pro peſſimis habentur dies iſti, ipſis qui in iis infirmantur, quoniam infelicem, vtpote periculoſi morborum exitum raro producunt, quemadmodum prӕdicti authores ſcriptis mandauerunt

Sunt-

Suntque dies isti ætatis Lunæ in	Ianuario	2.	vel	4.
	Februario	2.	vel	7.
	Martio	6.	vel	7.
	Aprili	5.	vel	8.
	Maio	8.	vel	11.
	Iunio	5.	vel	15.
	Iulio	3.	vel	11.
	Augusto	8.	vel	13.
	Septembri	2.	vel	11.
	Octobri	5.	vel	12.
	Nouembri	7.	vel	11.
	Decembri	3.	vel	13.

Hæc inquam est veterum traditio, sed quoniam nullam ad assertionem istam statuminandam inuenio rationem satis tritam, vos ad praxim atq; obseruationem istius rei refero.

CAPVT IV.

De numeratione solari, hoc est computatione, seu electione dierum quorundam, imprimis ex anno, & deinde ex mense solari, ac deniq; ex septimana, in quibus periculum minatur iis, qui in ipsis morbo afficiuntur. At in isto capitulo de diebus periculosis anni discurram.

VT numerationem seu Arithmeticam lunarem dictitauimus illam quæ ex dierum mensis lunaris computatione est conflata, ita quidem illam solarem vocamus quæ numeros ex anno, & mense solari atque septimana seligit. Haud aliter medici inter morborum lunarium seu acutorum, atque solarium seu chronicorum Crises atque dierum criticorum computationem fecerunt differentiam.

Vt igitur ad cognitionem pessimorum atque maxime infelicium anni dierum perueniamus, quo cautiores tam in ægrotantium obseruatione si in illis decumbant, quam medicamentorum adhibitione, atq; sanguinis missione fiamus, paucis vobis quid veteres Astrologi de ipsis existimauerint, dicam.

Sex (iuxta eorum traditionem) enumerantur in anno dies periculosi, videlicet	Ianuarii	3.
	Iulii	1.
	Octobris	2.
	Aprilis	vltimus.
	Augusti	1.
	Decembris	vltimus.

Monent igitur quod sex isti in anno dies maxima cum cautione atque diligentia obseruentur, & præcipue tres vltimi; atq; huic rei rationem adiungere videntur, *quoniam* (inquiunt) *in hisce tribus vltimis venæ implentur sanguine & consequenter morbi ex plethora facillime & more periculoso inuadere solent.* Concludunt igitur, quod quicunque infirmantur in illis diebus aut die 7. vel saltem 14. postea erunt in periculo mortis. Ob dictam ergo plenitudinis causam aiunt periculosissimum esse poculentis aut esculentis difficilis concoctionis nimium refarciri in istis 3. diebus.

CAPVT V.

De diebus periculosis, & infaustis mensium solarium, in quibus si quis ægrotare inceperit, morbus erit ipsi aut laboriosus, aut lethalis.

ALiquorum est sententia, quod magna sit in diebus mensis cuiuslibet differentia in bonitate aut prauitate, & inde concludunt si quis in aliquibus ipsorum in aliquam ægritudinem inciderit, illam ægritudinem aut periculosiorem & grauiorem aut mitiorem atque leuiorem iuxta diei in quo percutitur infirmus, naturam fore existimant.

Nã si quis ægrotare cœperit die alicuius mẽsis

Primo, aut cum difficultate euadet die 3. eiusdem, aut si vlterius progredietur morbus non absoluetur ab eo ante diem 30.
Secundo, tametsi diu ægrotet, tandem à mortis periculo liberabitur.
Tertio, in proximo nouilunio euadet sanus.
Quarto die vexabitur tali ægritudine vsque ad diem 28. quem si supertranseat conualescet.
Quinto, tametsi grauiter affligatur sanitatem recuperabit.
Sexto, quamuis euasisse videbitur, tamen die 5. mensis sequentis morietur.
Septimo, sine multo labore aut vexatione curabitur.
Octauo, si non conualescat ante diem 12. morietur.
Nono, etiamsi magno affligatur dolore, tandem nihilominus euadet.
Decimo, sine dubio expirabit.
Vndecimo, die sequenti liberabitur.
Duodecimo, nisi infrà biduum conualescat intra diem 15. vltimum suum claudet diem.
Decimo tertio, vsque ad diem 18. ægrotabit, quem si præteriuerit diem euadet sanus.
Decimo quarto, permanebit in eodem infirmo status vsque ad diem 15. mensis sequentis, atque ita liberabitur.
Decimo quinto, nisi intra dies 18. recuperauerit, moritur.
Decimo sexto, tametsi vexetur 24. diebus, tamen die 28. liberabitur.
Decimo septimo, morietur 10. mensis sequentis.
Decimo octauo, cito curabitur.
Decimo nono, euadet sine periculo.
Vigesimo, die quinto de hoc morbo liberabitur: verum enimuero periculum lethale ei mense sequenti imminebit.
Vigesimo primo, nisi ei occurrat mori intra diẽ mensis sequẽtis 10. liberabitur.
Vigesimo secundo, hoc idem eueniet quod vigesimo primo.
Vigesimo tertio, tametsi magno affligatur dolore, tamen mense sequente recuperabit sanitatem.
Vigesimo quatto, die 27. liberabitur, & tamen die mors ipsum mense insequenti minabitur.
Vigesimo quinto, quamuis parumper patiatur, tamen morbi periculũ euadet.
Vigesimo sexto, quamuis multum aggrauetur tamen mense sequenti liberabitur.
Vigesimo septimo, erit in periculo mortis.
Vigesimo octauo, mors appropinquabit, aut cum difficultate euadet.
Vigesimo nono, paulatim & gradatim in mense sequenti conualescet.
Trigesimo, erit in magno dubio euasionis.
Trigesimo primo, an liberabitur necne dubium atque incertum est.

Notandum est, quod ista numeratio est iuxta annualem computationem Gregorianam, siue veterem reputanda. Hæc est Astrologorum veterum assertio, nescio an sola experientia, seu obseruatione aliqua curiosa, vel ratione aliqua ipsis magis nota fundata, fortassè hoc à naturis contrariis aut peruersis stellarum quarundam fixarum cum signis in illis mensibus gubernantibus orientium naturis & proprietatibus, aut ob graduum vel fortunatorum vel infortunatorum signi mensem gubernantis positionem quorum affluentiis subiicitur cuiuslibet mensis dies: nam Sol per vnum istorum ambulans diem metiri solet. Quod autẽ gradus sunt tenebrosi, lucidi, puteales, augmentantes fortunam, diminuentes fortunam, atque debilitate affligentes, masculini atque etiam fœminini; denique nocturni atque diurni, qui omnes oppositas videntur habere ad inuicem conditiones, neminem Astrologiæ peritum latere scio.

Denique hæc est veterum Astrologorum traditio, in qua quamuis non exactà compareat veritas, tamen has ipsorum obseruationes minime à Sapiente penitus abiiciendas putamus, quippe in quorum obseruatione plurima in morborũ motu vel ad bonum vel ad malum intelligere atque percipere queamus: nec etiam ex altera parte hisce documentis fidem tam firmam adhibere debet sapiens, quoniam animaduertere fas est istiusmodi in diebus prædictis ægrotantibus documenta, vel faustis vel infaustis cælestium positionibus, vel medicamentorum virtutibus vel insigni ægrotantis vigore alterari & mutari: vtcunque tamen sufficit considerare quod dies tales in singulo mense ad hos vel illos in ægrotantibus effectus inclinare soleant.

CAPVT

Caput VI.

In quo morborum differentiæ à dierum mensium proprietate deriuari indicantur.

NOstradamus, vir quidem pro suâ Astrologiæ peritiâ famigerabilis, *in suis obseruationibus* nobis hæc sedulo notanda reliquit pro ægrotantibus in quolibet mense computando, secundum stylum veterem.

Qui decubuerit ex morbo die Ianuarii,

Secundo, causâ illius morbi erit aut vigiliæ, aut lassitudo, aut dolor articularis, & die 5. augmentabitur cum febre & nocturnis perturbationibus.

Tertio, matutino tempore erit in periculo mortis, aut per pleuritidem, aut per febrem continuam, aut obstructionem, aut catharrum seu rheuma descendens à capite ad humeros.

Octauo, erit aut à cruditate ventriculi cum dolore ventris, colica, aut vermibus aut per fluxum humorum putridos.

Nono, erit aut à fluxu ventris, aut propter exulcerationem intestinorum, seu partes inferiores male affectas, vel denotat febres remissas, subuersionem ventriculi, appetitum aut à cruditate aut hepatis & mesaraicarum obstructione deperditũ.

Decimo quinto, erit aut à bubone in inguine, aut aliquo alio morbo in partibus secretioribus, aut defluxione super tibias vel podagra, eritq; morbus longus & periculosus.

Decimo sexto, erit ab humore venenoso & periculoso, aut à plenitudine & ebrietate, aut existit febris continua & lethalis à cholera, aut fluxu alui, aut à pleuritide, vermibus, aut malo renum.

Vigesimo secundo, erit à vermibus aut humoribus phlegmaticis cum symptomatibus periculosis & mortalibus, aut à nimio labore & lassitudine, aut à colica & malo iuncturarum aut arenularum.

Vigesimo tertio erit ab ebrietate, plenitudine, cruditate, dolore capitis cum deliriosa dispositione, febre ardente, aut vermibus.

Vigesimo nono, erit à frigore, defluxionibus pituitosis, apostematibus, febribus ab obstructione causatis, vel à plenitudine cruda, item denotat pulmonum exulcerationem, dolorem viscerum & iuncturarum ab inflammatione.

Trigesimo, erit à febre continua ex obstructione effecta cum symptomatibus mortalibus.

Qui decubuit ex morbo die Februarii,

Quarto, post meridiem erit à plenitudine & abundantia sanguinis cum feruore aderunt etiam malum cordis & thoracis, & tensiones interiores, & calor febrilis, & accidentia lethali.

Sexto, erit à fluxu ventris aut febre, aut subuersione ventriculi nauseabunda, denotabit etiam quandoque pituitosos humores & vermes.

Nono, erit ex apostemate, aut ab effectu alio in partibus secretis, siue circa pudenda, vel ab humoribus venenosis cum symptomatibus lethalibus.

Decimo tertio, erit à plenitudine seu crapula cum cholera, febribus continuis, fluxu ventris, aut erit ratione doloris musculorum, pedum & tibiarum, aut ab humoribus venenosis & periculosis.

Decimo octauo, erit à refrigeratione, & catharris subtilibus cum tussi & impedimento thoracis & pulmonum, febre cum rigore, & magis nocte quam die, aut à colica calculosa, & accidentibus lethalibus.

Vigesimo, circa noctem, erit à repletione, & cruditate cum ardore thoracis, dolore capitis, phrenitide, siti, denotat etiam mortem infantium à vermibus.

Vigesimo quinto, erit ex plenitudine sanguinis & stipticitate alui, inflammatione, dolore colli & humerorum, aut ex obstructione, febre, defluxionibus, doloribus arthriticis, & accidentibus periculosis.

Vigesimo septimo, à febribus continuis, obstructionibus, humoribus putridis & contagiosis in venis, aut à rheumatibus & catarrhis.

Qui ægrotare incipit die Martii,

Tertio, erit morbus à repletione, cruditate, febribus ardentibus, dolore thoracis defectu cordis à qualitate venenosa & accidentibus periculosis & subitaneis.
Sexto, à cruditate, dolore & fluxu ventris, febribus & inflammationibus, appetitu deperdito, abundantia sanguinis, aut à pleuritide.
Decimo, erit per inflammationes & accidentia circa pudenda.
Decimo tertio post meridiem, erit in periculo mortis à repletione, febribus continuis, aut fluxu ventris per choleram.
Decimo octauo, erit causatus à labore, vigiliis & lassitudine in itineratione, defluxionibus, podagra dolore tibiarum, aduenit etiam quandoque mors infantibus à vermibus aut ab humoribus putridis in venis febres putridas efficientibus; & cõtinuas & contagiosas cum dolorosis symptomatibus.
Vigesimo primo, ex dolore capitis, febribus continuis, ardore, siti, phrenitide, periculo mortis aut à vermibus, perditione rationis, aut à nephritica passione seu calculo.
Vigesimo quarto, per crapulam seu plenitudinem, obstructiones, febres, inflammationes, dolores capitis, colli, iuncturarum cum defluxionibus aut ab humoribus venenosis, aut symptomatibus periculosis.
Vigesimo septimo, per vomitum, intemperiem, cacochymiam, & subuersionem ventriculi, vitium stomachi & plenitudinem sanguinis.
Trigesimo, à repletione cruditate humorum, passione cordis, thoracis, lumborum, febribus & ardore interiori, vnde si phlebotometur habebit ægre defectum cordis.

Qui ægrotare incipit die Aprilis,

Secundo, erit morbus à fluxu ventris cum sanguine, à dysenteria, febre, appetitu deperdito, subuersione ventriculi, aut à plenitudine & pleuritide.
Sexto, circa tempus nocturnum, & septimo, erit ab inflammatione & per accidentia in partibus inferioribus ab humoribus corruptis & contagiosis in venis orta, cuiusmodi sunt bubones pestilentiales, &c.
Nono, erit propter cruditatem, indigestionem, vomitionem biliosam, inflammationem, neruorum tensionem, viscerum erosionem, & alia accidentia mala.
Decimo quarto, erit per laborem, vigilias, itinera.
Decimo octauo, erit ab ebullitione sanguinis, inflammatione cholerica, dolore capitis, phrenitide, & in infantibus propter vermes.
Vigesimo, tempore nocturno, erit à plenitudine sanguinis, & aderit periculum mortis in die 9. sequenti, etiam nephritica passione, calculo, &c.
Vigesimo quarto, erit à cholera, subuersione ventriculi, ingurgitatione, vomitione, dolore laterum & colli.
Vigesimo septimo, nocte, erit à plenitudine sanguinis & humoribus venenosis, calore interno, febre mortali.

Qui ægrotare cœpit die Maii,

Primo, post meridiem, erit causa morbi ex abundantia sanguinis, à febre continua, syncope, vigiliis ab inflammatione ortis, phrenitide.
Quarto, erit ab inflammatione circa inguina & bubone pestilentiali.
Octauo, post meridiem, fiet à debilitate ventriculi, cruditate, vomitione choleræ, inflammatione, dolore neruorum.
Nono, fiet à labore, vigiliis, itinere & inæqualitate.
Decimo sexto, ortum male habebit à capite, aut plenitudine sanguinis, atque humoribus corruptis in venis.
Decimo octauo, fiet per plenitudinem sanguinis, febres & pestem, obstructiones, exulcerationes pulmonum, calorem interiorem, calculum, vermes.
Vigesimo tertio, erit à plenitudine sanguinis aut putrefactione humorum, febre ardente, continua, pestilentiali, syncope fluxu ventris, appetitu deperdito cum languore.
Vigesimo quarto, fiet à plenitudine sanguinis, & humoribus putridis cum calore interiori, malo cordis, febribus pestilentialibus.
Trigesimo, fiet ab inflammatione iracundia, cholera, febre, delirio.
Trigesimo primo, orietur à partibus inferioribus, videlicet à bubone vel Venereo vel pestilentiali.

Qui

Qui ægrotare incipit die Iunii.

Septimo, erit à malo genuum, tibiarũ, pedum, & à febre ardente, inflammatione, alteratione, & apostemate pestilentiali.

Octauo, fiet à nimio labore, vigiliis, lassitudine, & inquietudine, & metuenda est mors subitanea.

Decimo quarto, erit à plenitudine sanguinis, obstructione, febribus cõtinuis, malo seu dolore capitis, colli, & à lassitudine, & à bubone pestilenti circa collũ, axillas.

Decimo quinto, nocturno tempore, fiet à febre continua aut pestilentiali, aut ab ebrietate, plenitudine, obstructione pulmonũ seu peripneumonia, mors etiam infantium propter vermes est metuenda, aut à colica vel calculo renum.

Vigesimo, nocte, & vigesimo primo matutino tẽpore, erit à plenitudine sanguinis & corruptione humorũ, calore interiori, defectu cordis, febre cõtinua & pestilentiali, vel à defectu appetitus cũ aliis morbis eum concomitantibus.

Vigesimo octauo, mane, fit vel à bubone aut inflammatione inguinum, & aliarum partium circa pudenda, aut à peste cũ periculosis symptomatibus.

Qui ægrotare cæpit die Iulii.

Quinto, erit à lassitudine, labore vigiliis, febre continua & pestilentiali.

Sexto, fiet à plenitudine, excessiua vini potatione, febre cũ delirio, siti, dolore capitis, eminebitq; mortis periculum.

Duodecimo, continget à malo colli aut spatularum, capitis, & quandoq; à malo contagioso, aut ab appetitu deperdito & ardore intra corpus.

Decimo tertio, efficietur à febribus continuis, acutis & periculosis, per ventris adstrictionem & ardorem partium interiorum, aut ab arenula.

Decimo octauo, accidet ab abũdãtia sanguinis, à febre lẽta, pestilẽtiali & periculosa, defectu cordis, appetitu pdito, somnolẽtia & grauitate, nõ sine mortis periculo.

Decimo nono, erit à fluxu ventris, vlceratione intestinorum, subuersione stomachi, febre continua, grauedine spirituum.

Vigesimo quinto, fiet à partibus secretis seu pudendis, tã p bubones Venereas q̃ pestilentiales, aut aliter, aut à dolore viscerum cum accidentibus periculosis.

Vigesimo octauo, erit à pleuritide, cholera, febre, fluxu ventris, ebrietate, & totum hoc non sine mortis periculo.

Si ægrotare cæperit die Augusti.

Secundo & tertio, erit à defluxione, rheumate subtili, aut à febre cõtinua aut intermittẽte cũ rigore suspiriis & tensionibus præcordiorũ, dolore mammillarũ, plenitudine, crapula, phrenitide, dolore capitis, à mala & pestifera qualitate.

Nono & decimo, fiet à lassitudine, febre, vigiliis per obstructiones & putrefactionem humorem.

Decimo quinto, erit à cruditate, à vermibus, corruptione humorum, intemperie ventriculi, febre, duritate ventris, dolore stomachi, febre pestilentiali, vermibus, colica & arenula. At si 17. à catarrho vel rheumate.

Decimo nono, erit ab abundantia sanguinis, febribus continuis, defectu cordis, phrenitide, vigiliis, stupiditate, inflammatione totius corporis.

Vigesimo secundo, erit à vomitione, pter humores acres & subtiles, dolores iuncturarum, febres cum rigore, refrigeratione extremorum, peste, defectu cordis.

Vigesimo quarto, erit à vomitione choleræ, humorum cruditate, appetitus perditione, thoracis inflammatione, fluxu ventris.

Vigesimo nono, à rheumate subtili, febre continua, suspiriis, mamillarũ punctione, intestinorum distentione.

Si ægrotare cæperit die Septembris.

Primo, erit à malo capitis, febre cõtinua, vigiliis cũ siti, ardore stomachi & hepatis.

Quinto, fiet à dolore lienis, febribus, lassitudine & calore totius corporis.

Octauo, à sanguine cholera, & subuersione ventriculi, ab hypochondriaco flatu & mania.

Vndecimo, à frigore, rheumate subtili, tussi, febre, obstructionibus, dolore ventris vermibus, colica, arenulis & dolore renum.

Decimo quinto, erit à plenitudine sanguinis & humorum, sudore, inquietudine, inflammatione totius, stupore grauedine cum peste & vermibus.

Decimo octauo, nocte, erit à rheumate subtilibus humoribus acribus, febribus cũ horrore, refrigeratione extremorum, febre terriana, dupla febre & quartana.

Vigesimo secundo, erit à vomitione, aut cholera, aut cruditate, perditione appetitus, fluxu ventris & inflammatione thoracis.

Vigesimo septimo, à febre continua, quartana, tensionibus intestinorum, suspiriis, inflammationibus, hypochondriorum afflictione.

Vltimo die erit à malo colli, capitis plenitudine sanguinis, oppilationibus, febribus continuis, pestilentialibus & quartanis. Et sic in cæteris.

CAPVT

CAPVT VII.

De diebus fortunatis atque infortunatis, qui obſeruantur ab Aſtrologis cuilibet menſi ſolari ineſſe, in quibus per conſequens effectus, vel fauſti, vel infauſti, tam in ægrotis, quam aliis negotiis mundanis produci animaduertuntur.

ITerum alii in iſtiuſmodi negotio magis ſcrupuloſi, obſeruatione partim, partimque antiquorum traditione, notauerunt, atque pro certo concluſerunt 33. dies inforrunaros perperuum ex anni cuiuslibet menſibus eſſe eliciendos, in quibus cum morbos rum alia negoria mundana difficiles habere euenrus exiſtimant. Nos etiam in menſibus dies vobis enumerare ſic pergimus.

Sed imprimis notandum, quod calculandum eſt ſecundum veterem computationem.

Perpetuum numerantur in anno dies inſigniter mali.	Ianuarius.	8. videlicet	1. 2. 4. 5. 10. 15. 17. 29.
	Februarius.	3.	8. 10. 17.
	Martius.	3.	15. 16. 19.
	Aprilis.	2.	16. 21.
	Maius.	3.	7. 15. 20.
	Iunius.	2.	4. 7.
	Iulius.	2.	15. 20.
	Auguſtus	2.	19. 20.
	September.	2.	6. 7.
	October.	1.	nimirum 6.
	Nouember.	2.	15. 19.
	December,	3.	6. 7. 9.

Sunt autem & alii in hiſce menſibus dies ſatis mali, ſed non ita inſigniter infauſti ac reliqui 33.

Mediocrirer mali atque infortunati dicuntur dies in	Februario	26. 27. 28.
	Martio.	7. 10. 20.
	Aprili.	7. 10. 20.
	Maio.	3. 6.
	Iulio.	10. 15. 22.
	Auguſto.	1. 29. 30.
	Seprembri.	3. 4. 21. 22.
	Octobri.	3. 6. 24. 28. 29.
	Nouembri.	5. 6. 28. 29.
	Decembri.	5. 17. 22.

Horum

Horum autem effectus frequens etiam nos instruit experientia, atque ob istam rationem bonos cuiuslibet mensis dies à tam extreme malis quam qui non sunt in gradu tam eminenti mali distinguere erit facillimum. Nec tamen sat scio (vtcunque laborauerunt Astrologi atque Pythagorei hac sua diligentia ad cognoscendos atque distinguendos dies malignos à bonis) est ista dierum à Deo tam ad pœnam quam ad felicem mortalium statum decretorum distinguendorum ratio, quippe qui si à nobis complete fuissent detecti, in iudiciis nostris tam in ægrotorum statibus, quam negotiorum aliorum peragendorum ritibus more hominum vulgarium, ita quotidie falli aut in prognosticis nostris decipi potuimus. Sed sufficiet, quod paucis, iisque vere sapientibus ars ista (mediante qua fati influentias superare astrisque dominari datum est) reuelatur atque deregitur.

Experimentum Astrologicum.

Denique vobis dicam aliud experimentum in mensium dierum numeratione consistens, quo credunt an patiens viuet vel morietur, præsagiendum fore.

Imprimis notandus est dies, in quo patiens ægrotare incepit. Tunc computandum est quotus ille dies à 26. die Iunii illius anni numerando, hoc est, quot dies inter 26. Iunii & diem decubitus vel initii morbi intercedunt; tum postea numerus ille per 3. est diuidendus. Si igitur 1. remanserit cito euadet periculum. Si 2. restiterint diu ægrotabit. At si O. pro quoto inueniatur, erit in periculo mortis, vt quidam volunt. At ego quia promptam & euidentem istius rei rationem dare nescio, eam inter prognostica certa constituere, atque numerare non audeo.

CAPVT VIII.

Quomodo dies septimanæ mutationem iis efficiant, qui in ipsis decumbunt, aut ægrotare incipiunt.

Deniq, secundum dierum septimanę naturas inuenerunt veteres morbos tam in dispositione, quam in eorum progressionis ordine de statu in statum mutari. Hinc ergo concluserunt nonnulli:

Quod si quis ægrotare incæperit die

- Dominico, & quinto die postea, si melius non habuerit die 9. morietur. At si 8. vel 9. inceperit reuiuiscere, die 15. sanabitur.
- Lunæ, sanabitur vt plurimum nono die: Si autem perseuerabit infirmitas in diem 12. morietur die 14.
- Martis, saluus erit sæpicule die 3. at si adhuc adhæserit infirmitas illa in 6. vel 8. diem, sine dubio morietur.
- Mercurii, & septimo die sat bene dormierit, sanabitur, si vero in diem 12. perseuerauerit, post 6. vel 7. diem morietur.
- Iouis, recuperabit vt plurimum sanitatem die nono, at si adhuc longius perdurauerit morbus, saluus erit die 15. aut circiter.
- Veneris, hic melius habebit 7. vel 8. die. At si longius durauerit morbus, morietur die 15. Si vero die 8. vel 9. se mitigauerit dolor, se melius habebit die 16.
- Saturni, si vsque ad diem 6. perseueret, morietur vt plurimum die 15. At si 7. die bene quieuerit vesperi & nocte sine sensu morbi, hic die 14. sanabitur.

At in istiusmodi calculatione numerali videtur esse ratio, quatenus relationem habebit ad computationem criticam.

Sunt etiam & alii qui de morbis futuris per respectum dierum septimanæ ad primum noui anni diem habitum præsagire gestiunt.

Iuxta quorundam intentiones præsagier primus anni dies siue calendæ Ianuarii, si contingant die

- Dominico, morbos & mortem iuuenum atque bestiarum.
- Lunæ, febriũ multiformiũ dominiũ, & fœminarũ, mortalitatẽ & magnatũ.
- Martis, multitudinem infirmitatum, virorum, mulierum atq; infantium.
- Mercurii, dolores mulierũ prægnantiũ, & infantũ interitus, febrium periculosarũ dominiũ, idq; tempore autumnali, erit mortalitas fœminarum, iuuenum & puellarum.
- Iouis, morbos generales hominũ, & bestiarum ruinã, & mortẽ magnatum.
- Veneris, lippitudines quam plurimas, & iuuenum atq; infantum mortem.
- Saturni, generalem senum interitum, nec non & febres tertianas atque quartanas, quæ homines plurimum vexabunt, & senes morientur.

Denique concludunt alii quod

Si nox noui anni, siue primi diei Ianuarii fuerit
- Serena & clara, hoc est sine pluuia, aut alia aeris commotione, denotat annum futurum fore salubrem, & in omnibus copiosum.
- Cum vento
  - Orientali perturbata, præsagit mortalitatem, & præcipue bestiarum.
  - Occidentali, indicat interitum principum.
  - Meridionali, denotat epidemicam seu popularem mortalitatem.
  - Septentrionali, dat metum sterilitatis.

CAPVT IX.

Quomodo cuilibet complexioni ascribantur horæ tam faustæ, quam infaustæ, nec non & diei portiones tam felices, quam infelices.

QVoniam certum hoc est & à peritioribus medicis confirmatum, quod ipsius anni quartarum vna humori vni conuenit altera alteri, verbi gratia complexioni cholericæ magis conuenire videtur hyems, vt è regione phlegmaticæ æstas & veri melancholia, ita quidem sunt horæ diei in quibus malum est pro cholericis infirmari, atque etiam sunt & horæ aliæ quæ propitiorem pollicentur cholericis in morbum incidentibus euentum, atque sic in cæteris. Sunt etiam & nonnullæ diei portiunculæ ex horis pluribus conflatæ quæ vel huic vel illi humori ægrotantis sunt tam fausti, quam infausti, vti ex *infra* dictis.

Ad incidendum in morbum pro complexione
- Cholerica, hæ horæ sunt
  - Malæ: 1. 7. 8. 14. 15. 22.
  - Bonæ: 4. 12. 18.
- Melancholica, hæ horæ sunt
  - Malæ: 5. 3. 19.
  - Bonæ: 6. 13. 20.
- Sanguinea, istæ sunt horæ
  - Malæ: 6. 13. 20.
  - Bonæ: 5. 12. 19.
- Phlegmatica, hæ horæ sunt
  - Malæ: 4. 12. 18.
  - Bonæ: 1. 7. 8. 14. 15. 21. 22.

Pessimum diei
- Cholericis est ab hora 9. ante Meridiem vsque ad horam 3 post meridiem.
- Melancholicis est ab hora 3. post meridiem vsque ad horam 9. ante mediam noctem.
- Sanguinis est ab hora 3. post meridiem vsque ad horam 9 ante meridiem.
- Phlegmaticis est ab hora 9. ante mediam noctem vsque ad horam 3. post mediam noctem.

CAPVT X.

In quo numeratio quædam meteorologica imprimis ex 7. dierum septimanæ naturis ordinatis, ac tum postea ex mensium diebus morbos futuros præsagire videtur.

CVm certum sit, quod *omnia* (teste Salomone) *sua tempora habeant*, non quidem est dubitandum, quin ipsa meteora certa sibi temporum interualla vendicent, & quod secundum temporum illorum, siue sint pars diei, siue dies, septimana, vel mensis, in quibus contingunt proprietates, res importantes atque significant diuersas. Sic videmus quod tonitrua quæ matutino diei tempore accidunt ventos præsagiunt futuros, quæ vero in tempore meridiano sonant pluuias: at si circa vespertinum eueniant tempus denotant tempestates horrendas.

Volunt

Volunt etiam, ſed quo fundamento innixi haud ſcio, quod præſagiunt tonitrua diei

- Dominicalis, mortem Philoſophorum & Iudicum.
- Lunæ, mortem mulierum.
- Martis, ſalutem & frumenti copiam.
- Mercurii, mortem meretricum cum effuſione ſanguinis.
- Veneris, aſſacinationem viri magni & cædes cruentas.
- Saturni peſtilentiam cum magna mortalitate.

Certe confirmant Scripturæ ſit vox Dei, nec credendum eſt Deum aliquid fruſtra feciſſe. Et ſancti vere ſapientes atque Prophetæ Dei ſenſum intellexerunt, quando vocem ipſius audiuerunt, & per eum de futuris prædixerunt. Sed qui adeo profunde penetrauerunt experientia potius, quam regulari ſapientiæ doctrina didicerunt effectus haud minime momenti ſequi tonitrua, ſecundum proprietatem diei in quo contingunt. Quare

Si tonitrua fiant in calēdis

- Ianuarii, denotant illo anno fore ventos calidos & conſequenter intemperies tales.
- Februarii, præſagiunt peſtilentiam illo anno.
- Martii, arguunt lites & bellum futurum, & conſequenter morboſos belli effectus.
- Aprilis, ſalutiferum annum, fructum copioſum & pacem.
- Maii, important famem, bellum & conſequenter inſalubres eorum effectus.
- Iunii, ſignificant bellum, & ſubitaneam mortalitatem.
- Iulii indicant annum ſatis opulentum in fructibus, ſed mortalitatem in beſtiis & apibus.
- Auguſti, præſagiunt morborum plurimorum dominium, multa mala, & caritatem rerum.
- Septembris, demonſtrant anno illo euenturos plurimos morbos & magna fore bella cum ſtrage virorum.
- Octobris, oſtendunt annum fore ventoſum, & morbos fore iuxta venti plurimum prædominantis naturam.
- Nouembris, denotant ſalutem, pacem, lætitiam, & cornucopiam omnium bonorum.
- Decembris, arguunt idem quod calendæ Nouembris.

Per iſta igitur ſigna faciliime eſt colligendum, quod per integrum anni ſpatium mortalibus euenient tam in bono quam in malo, atque iſta ſigna ſunt vera atque probata, atque ab antiquis experta, & à ſapientibus haud recuſanda, vtpote ab ore omnipotentis pronunciata atque ordinata.

Concluſio.

Videris hic qualis eſt ars illa Arithmetica diuinatrix tum lunaris & ſolaris, tum meteorologica, quam quamuis haud ſine cauſa genuina incertam, inconſtantem, & ſuperſtitioſa veterum cum Pythagoreorum tum Aſtrologorum traditione potius quam ratione aliqua firma innitentem ſi ſphærarum doctrinam reſcipiamus diximus, tamen pro vera & occultiſſima eſt in vltimis reputanda: nam Deus nihil fruſtra fecit. Eſt ergo ignorantia hominum quæ mentes eorum adeo occæcat, vt non poſſint intelligere quid prognoſtica Dei meteorologica prætendunt. Iam vero ad lib. 2. peruenimus.



MEMBRI SECVNDI, LIBER SECVNDVS.

De Nomandia, ſiue Onomantia.

Capvt I.

Vbi de occulto & arcano Nomandiæ myſterio agitur.



Abaliſtæ diſtinxere ortum Cabaliſticum in tres areolas, videlicet *Ghemetria Notariaca*, & *Thmura*. *Ghemetriam* quaſi numeralem terreſtrium characterum ad inuicem dimenſionem vocant, quæ tamen pendet ab Arithmetica illa ob abſtractam ſui ſimplicitatem nullis ſenſibus tractabilem: quando autem litera ponitur pro dictione ars *Notariaca* dicitur: tertia conſiſtit in literarū mutatione cum altera pro altera ingenioſe colloca ur quam *Thmuram* vocant. In iſtorum trium Cabaliſticorum fundamentorum illis infiniti abſconduntur myſteria, nam ita diſpoſuerunt Hebræi ſua elementa aut characteres, quod ipſi tām ad literarū vſum quam numerorum expreſſionem vt plurimum vſurpari queant, ita vt non aliter quam in vulgati Arithmetica, figurarum mutationes fieri obſeruamus, numeri ſenſum ac valorem alterari cernimus, vnde per literarum Hebraicarum alterationem nouum inuenire poſſumus arcanum tam in ſenſu literali, quam in valore numerali. Euenit etiam vt ſub vmbra proprii nominis viri aut mulieris ſenſus & ſubiectum ſecretum abſcondatur; verbi gratia, legitur de Iſaac & Rebecca 25. Gen. ותהר רבקה אשתו id eſt, *concepit Rebecca vxor eius.* Ex quibus verbis diuinare poſſumus de ſecreto myſtico conceptionis Rebeccæ. nam verba indicant, quod Rebecca concepit אשתו quod in Ghemetria, hoc eſt, numerorum commenſuratione repetieris iuxta numeri æqualitatem ſignifica אש וקש. id eſt, ignem & ſtipulam: concepit ergo Rebecca ignē & ſtipulam: hinc teſte Abdia. *Erit domus Iacob Ignis, & domus Eſau ſtipula* Sed vt iſta melius intelligatis, oſtendam imprimis, valorem Arithmeticum cuiuslibet characteris ſancti, vt illo tandem cognito ad reliquorum tum poſtea cognitionem facilius perueniamus.

Hebræi (vt diximus) numerare ſolent per literas, & ſub nomine quolibet ſenſum numeralem habent. At talis eſt ipſorum numerandi ordo per literas.

ץ.	ף.	ן.	ם.	ך.	ת.	ש.	ר.	ק.	צ.	פ.	ע.	ס.	נ.	מ.	ל.	כ.	י.	ט.	ח.	ז.	ו.	ה.	ד.	ג.	ב.	א
900.	800.	700.	600.	500.	400.	300.	200.	100.	90.	80.	70.	60	50.	40.	30.	20.	10.	9.	8.	7.	6.	5.	4.	3	2.	1

&c.	ו.	ה.	ד.	ג.	ב	א.
	6000	5000.	4000.	3000.	2000.	1000

His ergo ſic explicatis euidenter oſtendemus, quid intendamus per Ghemetriam & quomodo ipſa ſit æquiualentia literarum atque proportionum, & qua ratione per æquiualentiam numerorum literæ duorum vocabulorum concordent exacte in vno numero, atque ita per vnum vocabulum vocabuli alterius ſenſus intelligi poſſit. Atque hoc totum faciunt Cabaliſtæ mediante Cabalæ membro quod Ghemetriam vocant vt *ſupra* verbi gratia in præcedenti exemplo ו ת ש א. Hic inuenimus quod iſti nu-
4. 4000. 3000. 1.

meri literis prædicti vocabuli reſpondentibus ſimul addi efficiant 705. ſimiliter in ש ק ו ש א. numeri literis correſpondentes additi eundem producent effectum,
300 100. 4. 300. 1.

& conſequenter idem erat, ac ſi dixiſſet textus, concepit Rebecca ignem & ſtipulam. Pariformiter etiam res ſeſe habet in hiſce vocabulis Hebraicis. ן. ו. ר. ט. ט. מ. Met-
50. 6. 200. 9. 9. 40.

tatron & י ד ש. Sadai. Quibus literarum valoribus ad inuicem æquiualentibus
10. 4. 300.

perſpicere poteſtis quod idem ſit reuera in valore & effectu Metattron quod Sadai, & quod ambo in virtute conueniant.

Quibus

Quibus recte consideratis percipiemus Nomandiæ siue Onomantiæ artem esse nihil aliud, quam quandam Cabalistarum traditionem, siue Cabalisticam receptionem, vtpote sub Ghemetria completissime comprehensam: atque super istas procul dubio baess Pythagoras, Plato, Apollonius Tyaneus & istiusmodi alii suas finxerunt rotas arti huic Nomandiæ siue Onomantiæ accommodatas, per quas nominum non modo propriorum, verum etiam aliorum valores Arithmetici eliciuntur, quo eorum enucleatione tertium quid desideratum elici queat: verbi gratia, ex prædictis verbis textus quod plana literarum textura sonauit, *Concepit Rebecca vxor sua* literis Hebraicis expressa, per artem similem Ghemetricam sensus internus atque misticus elucescebat, videlicet quod ignem & stipulam conceperit. In quibus verbis non modo occultorum Theosophorum, Cabalistarum atque philosophorum arcanum delitescit, verum etiam ipsius Iacobi, atque etiam Esaui fortunæ atque conditiones tam in vtero adhuc simul viuentium, quam post ipsorum partum sunt luculenter expressæ.

Ad Nomandiæ, seu Onomantiæ naturam quod spectat, certum est, ipsam ex principiis valde abstrusis atque abditis constare, & quamuis à Pythagoricis sub sphærarum speciebus exprimi videatur, tamen procul dubio istiusmodi illarum expressiones sunt typicæ ac mere symbolicæ, veritatem non aliter sub ipsis comprehendentes & occultantes quam illa Trithemii Steganographica, in se admodum obscura integram Sophorum intentionem abscondit: nam philosophi atque sophi antiquiores admodum erant in suis dictis & scriptis cauti atque astuti, modo mysterium sophorum sub griphis chymicis, modo sub ænigmatibus Cabalisticis, nonnunquam more symbolico, vt Pythagorici, qui sub specie literarum atque figurarum Arithmeticarum mortuarum suas intentiones formales & viuas quasi characteribus igneis exprimere voluerunt. Ex altera parte Magi naturales sub nominibus dæmonum & Angelorum hanc artem suam essentialissimam fecerunt; vnde ab ignorantibus mundanis pro cacomagis immerito habentur, cum reuera (vt mihi videtur) intendunt hi omnes nihil aliud quam commune & summum illud bonum quod omnes veræ Sapientiæ amatores tam auide inhiant, & noctes atque dies quærunt & optant, mediante quo de rebus futuris recte iudicare possumus: hoc ergo gubernatus est Ioseph in suis somniorum expositionibus, huic innixus est Daniel cum somnium Nabuchodonosoris explicuit, & non alio, quod etiam fassus est coram rege in his verbis; *Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi & arioli & aruspices nequeunt indicare regi, sed Deus est in cælo reuelans mysteria, qui indicabit tibi quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Dan. 2. 27.

Frustra igitur tentabunt mortales viam aliam, præterquam quæ ab isto lumine est reuecata, non modo Christianis, sed etiam ethnicis, imo vero neminem æstimo verum Christianum præterquam illum qui in istius luminis radiis sincere ambulat, quare pro melioribus habeo ethnicos illos, siue sit Plato, siue Pythagoras, siue Apollonius Thyaneus, quam mille millium eorum Christianorum qui se dicunt Christianos, & reuera verum Christum non nisi solo nomine cognoscunt, & tamen hi sunt illi superbi in hoc mundo qui ante diem iudicare præsumunt, clamantque veros illos Ethnicos Christianos qui Christum à mundi origine mundum vndique implentem atque viuificantem cognouerunt, coluerunt & in lumine eius detecto ambulauerunt, damnatos esse, & minime inter electos numerandos, cum re bene intellecta è regione res sit grauiter suspicanda. Hinc ergo est, quod nihil in hoc mundo preter communem sensum est effectum, quod arte diaboli non esse patratum existimant mundani: quasi vero non delitescunt infinita in naturæ gremio arcana mortalibus ad hunc vsque diem minime reuelata, imo vero in herbis, lapidibus atque animalibus (de secretis cæli influentiis & de exactis ipsorum temporibus nihil dicam) certis temporibus collectis, quorum virtutes simplices à Deo in prima creatione assignatæ stupende & præter captum humanum comperiri possunt. Et tamen ignarum vulgus, gens in malignitate posita, atque omnes denique mundani ignorantiæ velo occæcati naturales istiusmodi effectus, vtpote supra ipsorum capacitatem, diabolo, & non Deo statim attribuent, atque sapientem talia miranda operantem, pro magno nefando æstimabunt, ipsum rota atque igne iniquiter & more impio iniuste cruciando atque torquendo, nec Christo, si adhuc in terris in forma humana permaneret, atque miracula sua visitata præstaret parcere procul dubio vellent. Verum Deus omnium operator atque contemplator ipsos iuxta merita sua compensabit, & vitiosum ipsorum intellectum igne acutissimo expurgabit, vt facilius discernant actus Dei creaturis suis commissos ab illis diaboli: nonne enim istud est abominabilis Idololatriæ species, mirabilia Deo soli attribuenda diabolo (qui est præstigiorum pater, ascribere? atque hac ratione diabolum agnoscere derogando à maiestate diuina) esse mirabilium patrem.

Hæc ergo eſt ratio, quod veri magi atque ſapientes in hunc vſque diem ſua myſteria vulgo indetecta reſeruauerint, & ſub typis ea mortalibus communicauerint, vt oculos haberent & minime viderent, quid enim valeret margaritas porcis proiicere, aut panem filiorum hominum canibus communicare? Sed ad rem. Hinc ergo ſcientiæ Onomanticæ tanta incertitudo atque inconſtantia, videlicet, quia velo quaſi à ſapientibus eſt tecta atque cooperta. At tamen nihilominus ars non eſt ideo condemnanda, quoniam Artiſtæ ſunt ſpurii & ipſa ars ſucceſſione temporum commaculata, atq; erroribus mirum in modum conſpurcata. Et quamuis dubium haud minimi momenti poſſit oriri, videlicet cur numeri ſunt characteribus aliis præterquam ſolis Hebraicis attribuendi, cum illi ſint ficti & humano ingenio efformati, hi digito Dei deſcripti, atque penicillo igneo in hyle tenebroſa depicti: vnde & elementa quaſi hylementa dictitantur, atque ob iſtam rationem literæ ſiue characteres ſancti nuncupantur. Certe huic obiectioni durum eſt reſpondere, & conſequenter ſine ſumma incertitudine ſubſiſtere nequit ars iſta. At ſi quis replicaret omnes alios characteres, ſiue ſint Græci, ſiue Latini, &c. ad imaginem iſtorum ſanctorum ſunt figurati, & quod literę omnes in hoc mundo ad imaginem earum ſunt efficta, verbi gratia.

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

T. Sh. R. Co. Zad. P. Ai. S. N. M. L. C. I. F. Ch. Z. V. H. D. G. B. A

Fiat ergo hoc. Sed oritur adhuc aliud dubium. Cur ergo in iſta arte Onomantica non attribuitur valor cuiuſlibet literæ Hebraicæ ad illas aliarum nationum. Certè hic ergo adeſt aliud obſtaculum: nam proculdubio ſi Pythagoras (qui ſuæ ſcientiæ initium à Chaldæis & Hebræorum doctoribus accepit) voluiſſet ipſos in tali doctrina imitari, niſi intentionem propriam ſibi in iſtiuſmodi ſphæræ expoſitione haberet. Sed qualis eſt iſta ſua intentio, aut qualis cum characterem tum numerorum valor atque ordo, etiam nobis incerte relinquitur: nam vtrum ordo ab antiquitate eſt violatus atque corruptus, an vero in traditione & tranſcriptione numerus pro numero ſit mutatus, vel an aliquid aut ab inuidis aut inſcientibus eſt aut additum aut diminutum, res haud facilis eſt reſolutionis: hoc tamen certum eſt, mihique compertum, quod incongrua atque diſſentanea vbique per mundum reperiuntur exemplaria, imò verò (ſciens loquor) ex viginti exemplaribus quæ in veteribus inueni manuſcriptis, haud vnicum cum altero exactè conueniens reperi.

Concludimus igitur proculdubio eſſe artem Onomanticam, ſed ipſius pręcepta eſſe adeo ab antiquitate atque etiam ab ætatibus ſucceſſiuis conturbata & confuſa, vt nullo modo conſtanter per ipſam aliquid præſagire queamus. Qualis etiam ineſt (præter communem hominum vulgarium opinionem) nominibus propriis virtus & potentia arguit imprimis ratio illa qua inductus eſt Adam cuilibet creaturæ nomen ſuæ proprietati conueniens aſſignare. Nec quidem mutaſſet Deus nomina *Abræ* atque *Saræ* in *Abraham* & *Sahara* ſine ſumma conſideratione; ac ſi per additionem talem virtus & eſſentia vtriuſque eſſet in perfectione exaltata atque eleuata. Hinc ab eo tempore creuerunt in bona fortuna, atque ſeliciores facti ſunt in ſuo ſtatu cum Deo eſſe magis familiares, & opera per eum inſigniora compleuerunt; necnon ſine cauſa ingentis momenti mutatum eſt nomen *Iacobi* in *Iſrael*: ſimiliter Angeli mandato nominatus eſt mundi ſaluator *Chriſtus Ieſus*, & *Emanuel*. Quibus euidens eſt, quod ſi nominum propriorum internum, atque numerus formalis eſſet detectus, tunc integra rei proprietas atque natura detegeretur, & conſequenter additione nomini, ſeu nominis mutatione eſſentia rei alterari videretur: nam aliter nomina minime alteraſſet Deus ſanctorum, nec nomina ante partum aut Chriſto aut Ioanni aſſignaſſet: nec ex ſolo intuitu cognoſcens Adam creaturas iis & per excellentiam ſuper omnes ipſi Euæ nomina ſecundum proprietates ſuas dediſſet: nam vt Deus cuncta numero, menſura & pondere fecit, ita quidem per numeralem proportionem virtutem & proprietatem per menſuram adaptauit eandem proportionem, & per pōdus exteriora cum interiorib. permiſcuit: ac denique per numerum formalem numerauit creaturæ internum, erat enim numerus in animo conditoris, priuſquam aliquid erat creatum per menſuram ſpiritualem adaptata eſt proportio inter formam & ſpiritum, atque per pondus vtrique conueniens conformata ſunt ambo in vnum: ac denique in vaginam ſeu cyſtim ſymbolicam atque typicam, hoc eſt in corpus vnum, quippe ad imaginem ſui æterni: etiam numero externo, menſura externa, & pondere externo formatum ſeu repoſitum. Iſtam autem numeralem lucis perfectionem quæ ſe præbet diuerſimode omnibus numero, pondere & menſura ſic optime deſcribit comes Mirandulanus; Qui ſciuerit quid ſit denarius in Arithmetica formali, & cognouerit naturam primi numeri ſphærici, ſciet quod ſit fundamentum ſecreti magni Iubilæi in Cabala,

Prob. 69. Cab.

bala, &c. Denique ob hanc causam Agrippa formaliter eos considerando numeros diuinos haud inconsulte dictitauit.

Sed quoniam ad tale lumen centrale pertingere haud possumus sine influxu diuino siue fidelis magistri instructionibus, accedemus tam prope ac possibile est ad intentionem eorum qui per externam sphæræ Pythagoricæ contemplationem quicquam de ægritudinis effectu præsagire opinantur. Et quoniam spheras omnes differentes in suis numeris inueni, inter omnes alias duæ videntur magis huic arti superstitiosæ accommodatæ & appropriatæ, quarum fabricas, atque etiam operandi rationes quoniam videntur plurimum inter se discrepare vobis successiue obiiciam in capitulis diuersis.

CAPVT II.

Nomandia, siue Onomantia quid; & in isto primæ Sphæræ Pythagoricæ species depingitur.

Siue istam artem Nomandiam siue Onomantiam vocamus, eam intendimus esse inuentionem quandam Cabalisticam siue Pythagoricam qua res futuras per numeros nominis aut hominis aut rei alicuius alterius datæ aut propositæ simul congregatos, atque ratione Arithmetica ordinatos posse diuinari ac prædici credunt. Et quoniam incerta est in istius scientiæ aream progressio, inconstansque effectus ob artis violationem atque corruptionem, ideo per viam vulgarem incedam in ipsius praxi; ex viginti enim sphærularum manuscriptis vix vnum ad istam scientiam probabiliter aptũ adinueni; duo autem exemplaria inter cætera elegi, quorum fabricam & vsum vobis hic ordine aperiam. In quodam manuscripto veteri pulcherrimo Gallico idiomate conscripto, cuidam regi Angliæ dono dato inueni vnum rotæ Pythagoricæ exemplar, quod tam ratione viri regalis cui dono erat oblatum, existimans res friuolas & inanes principibus non esse offerendas, cum etiam respectũ probabilitatis ipsius in suo progressu practico in hac prima serie oculis vestris obiicio.

In orbe superiori exponuntur numeri qui respondent valori cuiuslibet characteris siue literæ quæ iis perpendiculariter subiicitur.


In orbe medio literæ exprimuntur quæ respondent nominibus quibuscunque in quæstione propositis.

In infimo orbe seu sphæra, numeri cuilibet diei septimanæ correspondentes subscribuntur.

Hoc peracto diuidenda est sphæra per diametrum directe in medietate à sinistro dextrum versus, & tum postea in regione seu hemisphærio cum superiori tum inferiori triplex est diuisio lineis parallelis distincta à sursum incipiendo & progrediendo versus diametrum sphæram in duas æquales partes diuidentem.

Deinde exprime figuras Arithmeticas istas in parte superiori, atque iterum has in inferiori cum distinctione ordinum atque proprietatum numerorum, vti in figura ista sphærica videre licet.

CAPVT



Capvt III.

In quo agitur de vsu huius sphærici instrumenti.

Sphæricum hoc organum diciturSphæra Pythagorę,qua traditur Apollonius suis diebus fuisse vsus. Quæstio igitur erit an infirmus morietur de ista infirmitate nec ne.

Ad completam istius quæstionis resolutionem consideranda sunt ista 7.

- Dies septimanæ in quo ægrotare incepit.
- Dies ætatis Lunæ in illo die decubitus seu initii morbi.
- Dies mensis numerando ab initio.
- Nomen matris ægrotantis.
- Nomen ægroti.
- Numerus concurrentis.
- Numerus regularis qui est semper 20.

Nume-

Numerum ergo diei septimanæ sume in quo morbus inuasit ægrotantem. Verbi gratia si decubuit æger seu inuasit paroxysmus die Solis, addere debemus 20. si die Lunæ 27. si die Martis 15. si die Mercurij 25. si die Iouis 11. si die Veneris 15. si denique die Saturni 17. Quemadmodum in orbe instrumenti inferiori videre licet. Sit ergo dies Lunæ.

Tum postea dies ætatis Lunæ est computandus, videlicet à nouilunio numerando ad diem in quo ipsa erat in die vel hora decubitus. Sit ergo 12. dierum ætatis.

Deinde collige numerum diei mensis, sitque die 15.

Post hæc elige valorem numeralem ex nomine matris ægrotantis: verbi gratia si esset Martha, M. dabit 23. A. 3. R. 12. T. 9. H. 6. A. 3. qui simul additi faciunt 56. sitq; nomen ægroti Ioannes, cuius I. denotat 15. O. 9. A. 3. N. 15. N. 15. E. 15. S. 9. qui additi faciunt 86. Hos ergo cæteris adiungo.

Tandem numerum concurrentis capio, qui eliciendus est in hunc modum.

Vbicunque inuenies in Ephemeride vel computatione communi annuali A. pro litera dominicali habebis 6. Si vero B. 5. si autem C. erit tibi 4. Si D. 3. at si inuenies E. aderit 2. si F. 1. denique G. litera dominicalis producet 7. Sit ergo litera D. quæ proferet 3.

In vltimo loco scimus numerum regularem constantes esse 20.

His igitur numeris omnibus in vnum congregatis resultabit in aggregato 133.

Tunc quidem progredior diuidendo istud aggregatum per 30. & quod residuum obseruo, inuenio enim 13. post diuisionem factam restare.

(1
1̸3̸(3(4
3̸0
1̸1̸

Hoc ergo opere sic peracto inspiciendum est in sphæra seu organo illo sphærico pro illo numero qui diuisione facta superest, videlicet an in hemisphærio inferiori vel superiori inueniatur. At quia reperio numerum 13. in ordine seu serie hemisphærii superioris media, ideo vitam & salutem pronuntio ægrotanti. Atque iste est effectus negotij istius prognostica ratione istius sphæræ præcedentis peracti.

Iam vero ad sphæræ inuentionis alterius secreti enucleationem progrediar in cap. sequenti.

CAPVT IV.

In isto capite sphæram alterius fabricæ, atque eius vsum ostendemus.

Istius sphæræ fabricandi rationem non multum à præcedenti discrepare videbitis. Verum enim vero in numerali ipsius proprietate ipsam permultũ à priori differre sentietis. Qualem autem ipsius iconem in veteri manuscripto deprehendi, hoc in loco fideliter expressi.

SPHÆRA PYTHAGORÆ.



Modus denique operandi est huiusmodi.

Sit, in primis quæstio an aliquis infirmus liberabitur à suo malo, vel saltem morietur ex eo morbo necne.

Ad hoc opus cognosci debent ista tria:
- Dies septimanæ in quo ægrum inuasit morbus.
- Numerus literarum cognominis eius.
- Ætas Lunæ, hoc est, numerus dierum à nouilunio.

Verbi gratia incepit quis ægrotare die Solis. Inuenio ergo in orbe interiori quod in die Solis 26. sunt addendi.

Deinde inuenio cognomen ægri esse Robertus. At reperio per orbis sphæræ exterioris examinationem quod 13. respondent literę R. & 9. literæ O. & 3. literæ B. & 25. ad E. & 13. ad R. & 8. ad T. & 5. ad V. & 9. ad 5. qui simul aggregati & coniuncti constituunt 85.

Denique percipio ætatem Lunæ esse 18. dierum in eo die quo primum morbus ægrotum irrepsit.

His

His ergo omnibus simul additis & in vnum collectis summa totius exurget ad 129. quem numerum per 30. diuido, & residuum quod sub 30. remanet reseruo; quoniam in eo consistit quæstionis prædictæ resolutio.

$\not1\ \not2(9$
$\quad 3\ 0\ \ (4.$
$\not1\ \not2$

Residuum ergo inuenio esse 9. quod quæro in rotæ cauitate, & quoniam inuenio illud in hemisphærio superiori, ideo pronuntio ei sanitatem atque conualescentiam, idque in gradu supremo, quoniam inuentus est 9. in circulo vitæ optimo, hoc est, quasi in meridiano salutis. At si esset 1. tunc in meliori salutis gradu inueniretur, quasi in angulo seu circulo Orientali salutis. Si 19. tunc in bono salutis gradu quasi in angulo seu circulo Occidentis.

E regione si residuum esset 15. tunc inueniretur in hemisphærio inferiori seu subterraneo & mortali, idque in circulo vitæ pessimo, quasi angulo mediæ noctis, atque ita in cæteris.

Sciendum autem est quod hemisphærium superius significat & præsagit tres vitæ seu salutis gradus, videlicet bonum, meliorem & optimum: at è regione hemispherium inferius est locus mortis, & habet 3. gradus mortales, videlicet malum, peiorem, pessimum, atque sic de cæteris.

Concludimus ergo quod quæstio præcedens est ad salutem resoluta, quoniam 9. residuum inuenitur in circulo optimo vitæ.

CAPVT V.

Quomodo ex sola literarum computatione, de primordiali mariti atque vxoris morte diuinare possimus, hoc est, quis eorum prius morietur.

CVM fuerit quæstio de vita mariti & vxoris, videlicet quis ipsorum morietur prius: Profecto, nec sine causa, satis admirari non possum quod tanta fuerit in isto tam nugoso atque irrationali experimento, à me reperta veritas, vt fateri coactus sim, quod vbi nulla se offert ratio manifesta, veritas etiam sit elicienda: nam in quam plurimis meorum amicorum atque etiam consanguineorum sum expertus regulam seu canonem istum, vtcunque ratione & demonstratione destitutum pro maxima parte euenire atque probari verum & confirmatum. Nam Thomas erat mihi pater, Elizabetha vero mater, quorum Thomas fuit natu maior, Elizabetha autem prima iuxta regulę istius doctrinam expirauit.

Nicolaus matrimonio duxit sororem meam Ionam, Nicolaus fuit natu maior, & Iona iuxta istius experimenti normam prior mortua est.

Thomas erat mihi frater natu maior, Catharina fuit ei vxor, Thomas mortuus est.

Ioannes duxit alteram ex sororibus meis Sara dictam, Ioannes per dictam regulam mortuus est.

Atque ita in pluribus alijs ita vt ex 10. exemplis vix vnum vel alterũ inueni errasse. Vbi ergo delitescit istius rei certitudo penitus ignoro, quod tamen sit in ea veritas docet experientia. Verum adhuc quod omnino firmum non sit tale fundamentum in eo persuademur quoniam aliquando experimentum esse erroneum & falsum obseruaui. Quale est illud his paucis accipite.

Cum ergo quæstio oritur quis ex duobus videlicet viro vel fœmina, siue marito & vxore, morietur prius.

Experimentum.

Primum sciendum est quis ex duobus sit ætate prouectior. Deinde cognitis vtriusque nominibus numerentur ordine literę eorum nominum incipiendo cum nomine senioris. Verbi gratia si esset Thomas & Elizabetha, disponantur literæ in hunc modum: THOMAS, ELIZABETHA. Tunc cum calamo tuo numerabis à T. versus dextram attribuendo T. ad seniorem & h. ad iuniorem, & o. ad seniorem, atque m. ad iuniorem numerando hoc modo.

T	H	O	M	A	S.
Thomas.	Elizabetha.	Thomas.	Elizabetha.	Thomas.	Elizabetha.

E	L	I	Z	A	B	E	T	H	A.
Thom.	Elizab.	Thom.	Elizab.	Thom.	Elizab.	Thom.	Elizab.	Thom.	Elizab.

Video ergo Elizabetham finire ordinem literarum, ac per consequens concludit regula ipsam prius morituram. Quam quidem rationem quasi sapientis intuitu vanam atq; plane irrationalem videtis: vnde eo magis admirari debemus quod in re quoad captum hominum tã friuola aliquid veritatis inueniri queat: & nisi experientia ductus exempla longe plura regulæ istius legib. conuenire percepissem, q̃ quæ ipsã oppugnant eã rem omnino falsam & plane ridiculam esse existimarem: nec tamen, fateor, tantam statuo ego in ea fidem, vt inter artes superstitiosas & plane inconstantes ipsam non collocari vllo modo persuadear. Quare in irrationali aut saltem abscondita ista Pythagoreorum scientia, seu potius inter typica atque externa ipsius symbola haud iniuria eam collocauimus.

FINIS.



PRO-

PROGNOSTICON METEOROLOGICVM,

siue

PORTIONIS PRIMÆ, PARS TERTIA,

Quæ ex obseruatione Elementali, idque libro vnico, signa haurit Prognostica.

LIBRI ISTIVS CONTENTA:

Signa prognostica quæ consistunt in elementari obseruatione eliciuntur, vel à conditione
- Ventorum, de qua *cap. huius* 1.
- Meteororum, atque de ista *cap.* 2.
- Compositorum, putredini obnoxiorum, & de his *cap.* 3.

CAPVT I.

De signis prognosticis, quæ ex ventorum obseruatione eliciuntur, idque tam secundum doctrinam sacram, quàm Galenicam.



QVID in radicali sua dispositione sit ventus, & quòd sit afflatus Angelicus in proprietate diuina vel benigna vel iracunda emissus, vnde Angelos alios ventorum cardinalium dominatores diximus esse tam bonos, qui ad voluntatem Dei benignam exequendam sunt ordinati, quàm malos, qui itidem seueras Iehouæ leges in mortales exercent. Quibus manifestum est, quod quando isti venti procedunt, necesse est vt iuxta proprietates iis à Deo attributas effectus producãt vel salubres vel insalubres, secundùm voluntatem eius qui eos e thesauris suis emisit; & per consequens euidens est, quòd venti sint quandoque euidentia morborum futurorum præsagia; idque authoritate non modo Hippocratica, verum etiam sacrosancta comprobare non erit difficile, & primùm cũ scripti sacri testimoniis exordiar. Ait Psaltes: *Deus verbo suo edit niuem sicut lanam, & pruinas sicut cineres dispergit, coràm frigore eius quis consistit?* &c. Sequitur ergo, quòd flante spiritu angelico à plaga Septentrionali morbi frigidi & sicci debeant tum postea abundare, cuiusmodi sunt apoplexia, stupor, paralysis, melancholia, tussis, &c. Est ergo diuturnus, venti Borealis spiritus talium morborum futurorum argumentum, & consequenter est signum prognosticum, nam vt plurimùm immediatè non se produnt post talia spiracula morbi, sed seminaria ventorum diu quandoque in vtero persistunt in suo incremento priusquam ad completum perueniant perfectionem, non aliter quàm sperma humanum in vtero muliebri. Nec intelligitur ille textus, vbi ait: *Iehoua te percutiet frigore*, &c. quòd semper in instanti spirationis Septẽtrionalis hoc faciat, sed plerumq; post venti illius cessationem accidit, vti *infrà* ex ethnicorũ atque Christianorum experientia declarabitur. Est ergo frigus vnum ex præcipuis ad vindictam capiendam contra impios flagellis: nam inquit Moyses loco eodem: *Si nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt facias mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, percutiet te Iehoua frigore,* &c. Qui autem sunt gelidi frigoris effectus, quive morbi quos homini affert, neminem in Medicina licet mediocriter versatum latere potest. Atque tali Moysis sermone docemur quòd transgressio Legis esset primaria morborum Septentrionalium causa, simul atq; quòd esset certum præsagium, quòd si mandata illa à Moyse proposita essent violata, illa sola violatio (quæ peccatum erat) esset prognosticum antecedens morbi futuri, vt Borealis ventus erat prognosticum consequens, quasi iræ diuinæ nuntius, quem quasi ipsius effectus sequebantur morbi frigidi.

Psal. 147.

Deut. 28.

Pro morbosa venti Australis proprietate, & quòd sit morborum corruptorum atq; pestiferorum futurorum signum ex istis docemur: *Deus ab Austro venit* (inquit textus) *operuit cœ-* *Abakuc.* 3. 3

Psal.91. los gloria eius, ante faciem eius ibit mors, & pestis & lues vastans in meridie. Et Psaltes ait: *Ne timeto à pauore nocturno, à peste in caligine, seu tenebris peruadente, a lue vastante in meridie, vel ab occursu dæmonij meridiani,* &c. Quibus euidens est, quòd flatu Dei irascentis in proprietate Australi aër corrumpitur qui corruptione non modo pestilentiam, verum etiam infinitos alios à putredine morbos producere solet. Hinc Moyses: *Si non vis audire vocem Domini Dei tui, & seruare præcepta eius, percutiet te aëre corrupto & æstu,* &c. Et alibi: *Faciet Iehoua, vt adhæreat tibi pestis, donec consumpserit te,* &c. hoc est, efficiet afflatu suo maleuolo ab Austro, aut à dæmonio seu percussore suo Australi ad mortem vsque percutiaris. (Deut.28.)

Concludimus igitur, quòd flatus, seu ventus Australis, quando est diuturnus, sit signum morborum corruptorum prognosticon. Ex plaga etiam Orientali flat minister diuinus in proprietate sua ardente atque æstuosa aërem taliter ignea sua siccitate alterans vt nō modo fructus comburat, verùm etiam febriles in homine dispositiones parturiat. Hinc Propheta: *Pessundabitur in ira, ventus vrens* seu Eurus *desiccabit eius fructus, & rami eius erant rupti, & marcore contracti.* Et alibi: *Ventus Eurus seu vrens adurebat spicas.* Et iterum: *Percussi vos vento vrente & aurigine & grandine, omnia opera manuum tuarum* Deniq; hoc optimè liquet ex Ionæ historia: *Præcepit* (inquit textus) *Euro silenti vt percuteret Sol caput Ionæ, adeò vt æstuaret, & petiit animæ suæ vt moreretur.* Hoc est, assentiente vento Euro simul cum Sole, adeò inflammatus erat & æstu perturbatus Ionas, vt febrili insultu vexatus cupierit animo suo emori. Hinc ideo Deus in ista proprietate (qua quandoque dicitur *ignis consumens*, videlicet quando æstu & ira incenditur) solet febre & ardore impios & inobedientes percutere. Quare ait Moyses: *Si vocem Domini non auscultaueris, & mandata eius non obseruaueris: Percutiet te Iehoua tabe calida, & æstuante ac vrente febre & siccitate, & vrigine & morbo regio,* &c. Quibus euidens est, quòd ventus iste Orientalis (qui ad proprietatem Dei æstuosam exercendam destinatur) sit euidentissimum morbotum æstuosorum ac biliosorum futurorum prognosticon; atq; ita in cæteris. (Ezek.19.12. Genes.41. Ion.4. Deut.4.24. Iob.41.18. Psal.6.2. Deut.28.)

At verò quid de isto subiecto putauerint veteres, paucis iam declarauimus. Hippocratis erat, imprimis, sententia, quòd *mutationes temporum potissimùm pariant morbos, & in temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris.* Et Galenus *super hunc*, hæc: *In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis ventorum aut horū defectus.* Quo sermone asseuerare videntur, quòd venti sint temporum mutationum causæ, & consequenter hæ causæ sunt morborum futurorum prognosticæ. Hinc ergo Hippocrates: *Austri auditum hebetant, caliginosos reddunt oculos, caput grauant, pigros faciunt, dissoluunt, & concludit, quòd quando huiusmodi tempestas, videlicet Australis præualuerit, talia in morbis patiuntur.* Et Galenus huius rei rationem dat, *Quoniam*, inquit, *calida & humida replent caput, & instrumentum sensuum humiditas obturat.* Et alibi Hippocrates hæc: *Austri dissoluunt corpora, humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, vertiginem faciunt, oculis & corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.* (Aph.3.1. Aph.l.3.5. Aph.3.17.)

Ibid. De Aquilone ista: *Quotidianæ constitutiones Aquiloniæ, densant, aluos exiccant, oculos mordent, & pectoris dolores augent.* Et alibi: *Tempestas Aquilonia tusses, fauces, aluum duram, difficultatem vrinæ, horrores, costarum dolores & pectoris, vltra communem ad alias partes læsionem.* Quibus euidens est, quòd hi venti in aëre diu prædominantes, sunt euidentia morborum talium futurorum prognostica. (Aph.3.5.)

Porrò etiam morbi procreari & præsagiri solent ex horum ventorum seminariorū permixtione, vnde Hippocrates: *Hyems sicca & Aquilonia, Ver pluuiosum & Australe, æstate facient febres acutas, lippitudines, dysenterias, & præcipuè mulieribus. At si hyems fuerit Australis & pluuiosa & clemens, Ver autem siccum & Aquilonium, mulieres quibus partus ad Ver inest ex quacunq; occasione aboriuntur, cæteris verò mortalibus dysenteriæ & lippitudines siccæ fiunt, senibus autem distillationes quæ citò interiment. Verùm si æstas sicca fuerit & Aquilonia, Autumnus verò Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fient, & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam & tabes. Deniq; si Autumnus sit Aquilonius & siccus iis qui naturam habent humidiorem, & mulierib. confert, reliqui verò erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis verò atra bilis.* Hæc Hippocrates & Galenus. (Aph.3.11. Aph.3.12. Aph.3.13. Aph.3.14.)

Quo discernere erit facillimum, quòd diuturni ventorum istorum flatus in tempore hyemali & Vernali sunt signa prognostica morborum in æstate sequenti futurorum: imò verò seminariorum duorum istorum ventorum oppositorum in aëre coitu citiùs etiam generātur morbi. At vt in generatione requiritur tempus ab iniectione seminum seu spermatum, (nam in instanti non fit motus, & consequenter nulla generatio) ita necesse est, vt post ventorum istorum spiracula eorum producantur effectus, & consequenter euidens est, quòd ventorum istorum apparitiones morbos tales futuros prognosticent siue præsagiant, vnde vt pro signis prognosticis habeantur venti fide firma ducti concludimus.

CAPVT

Caput II.

Quomodo meteora, seu corpora meteorologica ex ipsorum ventorum afflatibus in aëre procreata sint signa morbos futuros præsagientia.

QVA ratione, siue arte verbi æterni spagyrica meteora siue corpora in aëre tanquã communi elemento sunt condita, & spiritibus ventorum formalibus animata satis superq; tam in *historia nostra meteorologica*, quàm in *sectionis huius primæ part.* 3. *lib.* 4. & 5. est dictum: Hîc verò ostendemus, ea saltem à venti maligni afflatu producta esse in primo loco morborum futurorum causas immediatas, & consequenter morborum, mortis & malorum futurorum nuntios. Atque cum meteoris Orientalibus atque Meridionalibus quasi ignitis atq; lucidis exordiar. Quòd ex meteororum ignitorum speciebus Cometa sit principalis morborum, famis atq; contentionis nuntius testantur authores tam in Astrologia quàm re physica introducti. Ptolomæus enim ait cometarum effectus esse Martiales & Mercuriales: at effectus Martis ex morbis sunt febres pestilentiales & acutæ, insania, furor, libido, siccitas, &c. Illi verò Mercurii, sunt venti, tempestates, fames. Et sciendum est, quòd vt in aëre sunt variæ mutationes & pestiferæ, ita inter hominum conuersationes & temperiei dispositiones variæ. Sed quoniam reliquorum planetarum testimonia (quatenus cum his duobus coniunguntur vel per aspectum, vel corporalem concursum) accedunt, quisque planeta pro sua natura adiuuabit ad mutandos in aëre effectus horum præternaturales. Nam si Saturnus fuerit in dominio particeps, tunc tabem, morbos chronicos in homine, & niues, terræmotum in mundo adducit atq; famem : si Iupiter, febres profert, sed non ita malignas; si Mars, sæuissimam pestem, æstum & siccitatem. Cometæ Veneret paralyses, febres & libidinẽ pariunt: Mercuriales fulgura cient & tonitrua, ventos, terræmotus, & sæuas tempestates, & consequenter varias infirmitates eas sequentes. Denique sunt alii, qui cometarum effectus more poëtico sic generaliter numerauerunt:

Bella, famemq; ferunt, & funera multa Cometæ. Vel sic:
Octo mala fulgens Cometa per aëra signat,
Ventus, sterilitas, aqua, pestis, dominatur,
Rixa fit & tremor, moritur dux, mutatio regni.

Concludimus ergo Cometam vtplurimùm esse signum mali futuri prognosticon, tametsi aliquando importat omen bonum; sic enim erat signum tribus Magis Orientis Christi seu mundi Saluatoris Natiuitatem præsagiens.

Tonitru etiam cum fulgure est quandoq; iræ Iehouæ nuntius, & consequenter signũ mala, morbosq; futuros demonstrans. Hinc textus: *Deus ab Austro veniet, operuit cœlos gloria eius,* *Abakuc.* 3. 3
& laudis eius plena est terra, splendor eius vt lux eius, anteiuit eum pestis, & processit Anthrax ad pedes eius, &c. Quibus innuere videtur, quòd Deus veniens ab Austro in tempestate tonitruosa, & fulgure vndiq; elucescens, ducebat secum pestilentiæ atq; luis causas, quas ad vindictam suam exercendam dispersit in aëre. Et alibi: *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo, inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, ascendit super Cherubin, & volauit super pennas venti, & posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius, tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aëris, præ fulgore in conspectu eius transierunt grando & carbones ignis,* *Psal.* 17. 9.
& intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbonem ignis, & misit sagittas suas, & dissparuit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos, &c. Hîc quidem omne actus istius diuini mysterium cernitur, videlicet quòd nihil debeat attribui creaturæ, sed soli creatori qui centraliter agit: erat enim actus Iehouæ irati, qui emisit fumum, & ignis exarsit à facie eius, erat ipse qui inclinauit cœlos, & fecit nubem sibi tugurium tenebrosum, erat ipse qui ascendit super Cherubin, & volauit super alas venti, erat ipse qui cribrauit aquas è densis nubibus, erat à facie eius quòd fulgur, & grando & lapides Ceraunii quasi carbones emittuntur, erat ipse qui intonuit à cœlo edens vocem suam stupendã, ipse multiplicauit fulgura sua, & misit sagittas ad plaga & morte afficiendos impios. Non dixit Iehoua ascendit super Cherubin, & Cherubin volauit super alas venti, & venti fecerunt nubes, & nubes se in pluuias redegerunt, & ignis è nubibus exiliens tonitrua fecit & fulgura, & fulgur percussit impios; sed Deus mediantibus his omnibus iis vtens loco organorum, hæc omnia in sua propria persona perfecit. Denique quod spectat ad meteora in genere, dicimus cum viro patiente: *Turbinem, frigus, glaciem, gelu, nubes, pluuias, fulgura, tonitru ad nutum Dei parata esse*, &c. *Iob.* 37. 8.
quodcunq; præcipit Deus istis faciendum in superficie terræ, siue ad flagellum, siue ad faciẽdam beneficentiam, efficit vt præstò sint. Quare dicimus quòd necesse habemus credere, quòd vt Deus nihil frustrà fecerit, ita quidẽ ordinauit meteora esse signa prognostica effectuum cùm salubrium tum insalubriũ à Deo ordinatorum.

Sed iam quid Medici Ethnici de illis effectibus, qui meteororum apparitionẽ sequuntur, sentiant, iam paucis declarabimus. Conclu-

Concludunt Medici mathematici, quòd si tonat Calendis Ianuarii denotat ventos vtplurimùm Orientales & æstuosos anno sequenti, & consequenter morbos tales futuros, si Calendis Februarii præsagiet morbos plurimos, & præcipuè pestilentiam: si Calendis Martii litem & dissensionem inter magnates, verumtamen & putredines præsagiet, ex natura Boreali & Meridionali participantes: in Calendis Maii denotabit famem, & consequenter morbos famem concomitantes. In Calendis Iunii regnabit mortalitas & alii morbi. In Calendis Augusti arguet multos morbos futuros, multaque mala. Si in Calendis Septembr. præsagiet multas infirmitates & occisiones hominum: volunt etiam nonnulli, quòd tonitrua quæ accidunt die Saturni denotant vel saltem præparant quartam sequentem ad aërem corruptum & pestiferum: nam fulgura calefaciunt aërem humidum, & eum ad corruptionem aptum reddunt: at ex innaturali calido & tali humido conflatur subiectum corruptioni magis obnoxium; idque præcipuè in die quo dominatur Saturnus qui est infortunium maius. Fulgura igitur accendunt & æstuosum atque siccum reddunt aërem, & inflammant nubes & elementum igneum siue Orientale reddunt: At ait Hippocrates: *In siccitatibus febres acutæ fiunt*, &c: *quod tam de tempore ex ventis æstuosis seu fulgurosis quàm ex æstate consistente est intelligendum.* His ergo sat liquidò constat, quòd tonitrua fulguraque sint morborum futurorum præsagia. At verò de tempore nubiloso & pluuioso Galenus *in Hippocratem* ista: *Morbi pluuiosis temporibus fiunt febres longæ*; *nam* (inquit Galenus) *aëris ambientis humiditas pluuiosos aceruat humores, & non paruas generat aquosas humiditates.* Verùm Hippocrates *alibi* apertius: *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & anginæ. In siccitatibus tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, difficultates intestinorum.* Et *super hoc* Galenus: *Frigidiores & magis pituitosi humores generantur in multitudine pluuiarum; vnde profluuium alui in iis temporibus.* Concludit *super hæc* Galenus, quòd pituita & phlegma & per consequens morbi ex iis orti in temporibus pluuiosis generantur.

Aph. 3. 7. *In Aph. 3. 7.* *Aph. 3. 16.*

Pro humoribus autem qui fiunt à proprietatibus ventorum ista: *Pituita quæ à forti frigiditate* (id est, Boreali) *fit, acida euadit, quæ verò à caliditate implente caput* (id est, à Meridionali) *salsa existit, quæ à pauca fit frigiditate* (id est, Orientali) *paucam secum fert dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem habet; deniq; bilis à calido & igneo conflatur Orientis afflatu.*

Aph. 3. 12.

Quibus euidentissimum est, quòd tempus pluuiosum diù in aëre prædominans, hoc est cœlum diù nubilosum & triste humorum phlegmaticorum superfluitates, morbosque ex iisdem futuros portendit. Atque huc vsque de signis meteorologicis prognosticis.

Caput III.

In quo composita ex meteoris quæ putredini & corruptioni sunt obnoxia, indicantur esse quandoque signa pestis & morborum putridorum prognostica.

IN *præcedentibus huius capitulis* egimus de præsagiis, seu signis prognosticis cùm ventosis tùm illis meteoris quæ ex ventis fiunt. Iam verò in hoc de perfectè ex imperfectè mixtis, quæ corruptionem & prauitatem aëris portendunt, verba efficiam. Cùm ergo species quælibet iuxta multiplicatiuam aut sterilem aëris proprietatem in eodem anno vel crescunt & numero augentur, vel decrescunt atque multitudine minuuntur; ita obseruare debemus statum illius aëris an scilicet in interna sua conditione sit magis corruptus vel incorruptus: nam qualis aër est, tales res siue species (mediantibus influxibus cœli) procreari solent; verbi gratia, si sit salutaris, & in dotibus cœli multiplicatiuis exuberans, annum omni fructu & copia exuberantem producere notatur: verùm si influentiis planetarum sterilium & infaustarum oneretur & contaminetur aër, nimirum illis Saturni, Martis, vel caudæ draconis, rerum crescentium caritatem & parcitatem parere solet. E conuerso, vbi vel ratione influentiarum cœli multiplicatiuarum seu seminariis planetarum infortunatorum commixtorum, vel propter ventorum malignorum, sed in generatione opiparorum, aër istius vel illius anni gubernatur, cuiusmodi sunt Austrini, ibi docet experientia aërem talem ex meteoris siue imperfectè mixtis talia perfectè mixta producere solere qualis est illius aëris natura: at aër ille est multiplicatiuus, sed corruptus; vnde fit vt creaturas mirabiliter ex corruptione ortas multiplicare animaduertitur, cuiusmodi sunt muscæ, ranæ, vermes, venenata, &c. quorum multiplicatio insignis arguit annum illum esse morborum putridorum atque pestiferorum productorem, quoniam euidens est aërem circumambientem esse putredine plenum, quatenus

tenus in tanta multitudine res seu creaturas putridas & nociuas profert; vnde euidens, quòd aër nos ambiens sit insalubris, & consequenter quòd ille per os & poros inspiratus morbos in spiritu humano putridos parturiat necesse habemus credere. Porrò etiam in quo anno monstra & prodigiosa communiter nasci videmus, aut bella aut annonæ caritatē, aut morbos epidemicos terribiliter furentes plerumque obseruauerunt nonnulli: imò verò legimus quandoq;, quòd aut sanguinis aut ranarum, aut vermium aut huiusmodi aliorum facillimè corruptibilium casu ab elemento tanta tum postea putredine & corruptione infectū fuisse, vt pestes & morbos alios lethales inter mortales produxerit.

Quibus sat liquidò constat, quòd inexpectatum muscarum, atque verinium putridorum incrementum, atque monstrorum seu prodigiorum in natura partus inusitatus, vel sanguinis & ranarum, & huiusmodi aliorum in magna copia à cœlo descensus, possunt reuera pro signis morborum aduenientium atque insalubritatis futuræ prognosticis haberi. Atque ita paucis partem istam tertiam pertexim⁹: Progredimur ergo ad partem istius portionis vltimam.



CATOPTRI ÆGROTORVM PORTIONIS PRIMÆ PARS QVARTA ET VLTIMA.

Contenta:

Pars ista quarta absque crisium consideratione
- Morborum cardinalium præsagia concludit in *vnico libello.*
- Futuram infirmi { Salutem. / Mortem. } Præmonstrat in *vno* etiam *libello.*

LIBER PRIMVS, De morborum cardinalium præsagiis.

CAPVT I.

De duplici vnius morbi prognostico, quorum vnum est eius futuri & nondum apparentis præsagium, aliud accidentium in morbo iam furente portendit. Denique vtraq; morbi principalis, seu meteori morbosi Orientalis prognostica hîc describuntur.

CVM de præsagiis agimus, sciendum est, quòd quandoque morbi nondũ existentis aduentus præsagitur, non aliter quàm ventum futurum & non adhuc spirantem ex cœlorum rubedine prædicimus. At verò adsunt etiam signa nonnulla prognostica quæ post morbi inuasionem cõtingunt, & an morbi præsentis, atque iam prædominantis motus & actus in bonum vel in malum tendet lucidè præmonstrant. De signis ergo prognosticis quatuor morborum cardinalium seu generalium, hoc est de signis principalibus illorum morborum qui in proprietate Orientali, Meridionali, Occidentali & Septentrionali generantur & consistunt, videlicet febris causos siue ardentis, pestis, epilepsiæ & lepræ (de quibus in sectione præcedenti de morborum causis discurritur abundè) hîc ordine disceptare mihi quidem proposui, & in loco priori de signis prognosticis vtriusque naturæ, quæ cùm præcedũt tum sequuntur febrem siue capitalem Orientis morbum, discurram paucis.

Horum prognosticorum alia depromuntur ab externa cœlestium & elementarium consideratione, alia à præeunte dispositionis corporis ægroti temperie vel statu; signa verò febris futuræ præsagientia obseruatione cœlesti sunt, quod trigonus igneus qui præest Orienti, & dominium Solis & Martis in ipsis est febrilis intemperiei mortalibus in genere futuræ indicium satis securum: necnon in consideratione elementali diuturna ventorum Orientalium & Meridionalium spiracula; sic etiam æstas nimis æstuosa febres importat.

- Signa febris prognostica
  - A rebus naturalibus, nam febres aduenientes à
    - Materia frigida, & sexu frigido,
    - Ætate frigida, & arte frigida,
    - Regione frigida, temperie frigida,
    - Virtute debili.
    - → Periculosiores, longiores, difficilius generabiles, & difficiliùs resolubiles.
  - A rebus non naturalibus, nam febres aduenientes à
    - Aere calido, ac cibo & potu talibus.
    - Exercitio calido & vigiliis.
    - Accidẽtibus animi calidis.
    - Superflua inanitione.
    - Gracilibus.
    - → Minus periculosæ, breuiores, faciliùs generabiles, & faciliùs resolubiles.
  - A rebus præter naturam
    - A causa morbi, videlicet materia
      - Frigida.
      - Calida.
      - Mista.
      - → Febris est
        - Longior.
        - Breuior.
        - Mediocris.
    - A morbo, vt febris
      - Ephemera.
      - Perperacuta.
      - Peracuta.
      - Acuta.
      - Tropica.
      - Chronica.
      - → Habet statum die
        - Prima.
        - Secũda, aut tertia.
        - Sexta, aut 7.14. vel circa 27.30. vel 57.
        - Quadragesima.
    - A symptomate
      - Sæuius → facit morbum cæteris paribus → Breuiorẽ & periculosiorem.
      - Mitius → facit morbum cæteris paribus → Longiorem & min⁹ periculosum.

Prognostica verò quæ in febre contingunt ex futuris corporum cœlestium positionibus dependent præcipuè, atque ob istam rationem ad scientiam criticam pertinent, atque præter hæc quæ à positione Lunari eliciuntur, signa quidem dissolutoria dicta sunt in morbis omnibus acutis, seu Orientalibus & Meridionalibus & consequenter febribus prognostica crisis futuri statum vel bonum vel malum præsagiens.

CAPVT II.

In quo vtraque pestis, siue morbi venti Meridionalis cardinalis prognostica exprimuntur.

PEstis etiam, quæ est morborum Australiũ princeps, sua signa habet prognostica tam futurum euentum ipsius designantia, quàm ei præsenti coniuncta, ipsius exitum atq; euentum finalem siue sit bonum siue malum indicantia: nam inprimis radicem eius ab ira diuina prouenire, atq; illam in Deo iram à peccato oriri, ex testimonio Prophetæ Moysis *suprà* declarauimus. *Si non seruaueris* (inquit Moyses) *mandata eius, percutiet te Iehoua peste,* &c. Vnde euidens est, quòd transgressio Legis est indicium futuræ pestis, aut alicuius morbi periculosi seu lethiferi. At in obseruatione mundana notamus primùm ex signis cœlestibus magnam planetarum coniunctionẽ; nam si fuerit infortunata pestes, strages & bella atq; famem præsagire solet. Porrò etiam coniunctio Martis cum Saturno morbos quàm plurimos epidemios atq; pestem indicare animaduertitur. Ad cõsiderationem etiam elementalem, quod spectat certum est, quòd diuturnus Austri flatus sit pestilẽtiæ nuntius & generator: quod etiam vbiq; cùm Galenus tum Hippocrates *in libris Epidemicis, Aphorismis & alibi*, idq; *pluribus locis* affirmant: sed & hoc constãter affirmauerunt Scripturæ, videlicet, quòd ventus Australis sit aëris corrupti & pestis præcursor. Porrò etiã & bestiarũ & volatilium corruptorũ inusitata multitudo morbos pestiferos & à corruptione ortos in futurũ oriundos præsagiunt.

Iam verò signa pestis futuræ prognostica à corporis statu collecta ostendemus. Pestilentia igitur affecti non omnibus hisce prognosticis siue testimoniis infestantur accidentium futurorum, sed alia in aliis sunt magis conspicua: sit hæc regula stabilis, quòd vbi plurima adsunt signa ibi maius vel mortis periculum, vel salutis recuperatio est expectanda. Vbi igitur

tur adest pestis, ibi accidentia futura in ea lethalia præsagiunt signa quædam in ea prognostica.

Sunt prognostica mortis in peste futuræ, vbi vires naturales existunt,

- Debiles, si
  - Signa pestis demonstratiua perseuerant atque exasperantur, & natura debilis in suo languore nihil remittit, imò verò augetur potiùs ipsius debilitas. E contra signa illa remittuntur in suo feruore, & magis parua & obscura fiunt in viribus suis salutis spem pollicentur.
  - Pulsus sit valde debilis, languidus & inæqualis atque intercidens.
  - Vomitio assidua vrgeat cum frequenti syncope & grauitate capitis.
  - Carbunculus adsit, & instat carnis torrefactæ compareat vel nigrescat, vel liuidus videtur, vel si bubones præduri, & à suppuratione prorsus alieni videntur contactui.
- Validæ, si adfuerint
  - Difficilis & anhelosa respiratio.
  - Phrenitis, siue mentis alienatio.
  - Singultus frequens atque in dies crescens.
  - Eiectio nigricantis atque liuescentis excrementi.
  - Alui profluuium nimis liquidum, tenue, fœtidum, & atrum, aut liuidum, aut virescens.
  - Assidua corporis agitatio.
  - Horrenda facies, aspectusque inconstans.
  - Conuulsio insolita.
  - Oculorum conuersio, voxque rauca.
  - Balbuties, sudor aut mador fœtidus.
  - Vngues liuescunt, vox deficit, labra retrahuntur.
  - Singultus exasperatur, &c. quæ non sunt sola propria pesti, sed etiam aliis acutis.

Non (inquam) sunt ista omnia prognostica in vno quolibet ægtoto consideranda, sed quò plura ex his in eodem apparent ægroto, ibi maius imminere solet periculum.

CAPVT III.

De vtrisq; prognosticis epilepsiæ, siue morbi cardinalis, seu principalis Occidentis aduentum, atq; ipsius præsentis accidentia præsagientibus.

QVomodò & quare epilepsia, siue morbus comitialis ritè pro principali Occidẽtis plagæ morbo sit æstimandus, in *tractatu nostro præcedenti* de meteororum morbosorum differentiis satis apertè docuimus, videlicet quoniam vt plaga illa denotat humiditatum pituitosarum originem atq; temperiem, ita quidem epilepsiam quasi centrum morborũ Lunaticorum siue aquaticorum reputant veteres, vtpote cuius præcursor est scotomia & vertigo, eius comites, conuulsio, stupor, & cerebri partim à crassa pituita, partimq; à denso fumo seu vapore repletio. Porrò etiam ex altera parte apoplexiæ est proxima, quæ non aliter ad epilepsiam comparatur quàm vt magnum ad paruum: nam in primis eadem est vtriusq; materia, teste Galeno, videlicet aut crassa pituita, aut pituita cum melancholia iuncta: porrò ambo afficiunt in eadem parte, præterquam quòd in apoplexia oppilantur meatus magni & principales; in morbo comitiali non nisi parui, eique non principales, vnde fit, quòd paroxysmus huius est minor illo apoplexiæ, & non ita lethalis. Porrò sub apoplexia paralysis continetur, & in fine vt videmus, ventum Fauonium seu cardinalem in medio se habere inter grossum fumum Meridionalem venti Africi, & crassam aquam Cori: ita epilepsia vel quasi centrum respectu suæ existentiæ inter omnes morbos fumosos Meridionales & crassos phlegmaticos ad Septentrionem magis vergentes; & reuerà in hoc morbo detegitur centrale illud mouens, quod non nisi occultè percipitur in morbis cæteris: nam iuxta sacrarum literarum doctrinam, atque etiam Psellii testimonio, patet quòd à spiritu seu dæmonio immundo & Lunari dæmonio subiecto gubernetur: atque quoniam propter rationes antea à nobis prolatas in Lunari circulo Occidentalis angulus refertur ad plenilunium cùm in sua proprietate aquea, tum in positione, nam opponitur ortui Solis in ☍, ita quidem epilepsiam haud inconsultè Occidenti retulimus: imò verò & (quod addendum est) ab Euangelistâ dicitur *morbus Lunaticus*, atque ipsum hanc infirmitatem patientem *Lunaticum* vocat.

Sed

Sed vt ad propositum redeamus, plurima sunt epilepsiæ ante eius aduentum prognostica: nam in primo semper loco respectum debemus habere ad iram Iehouæ, & consequenter ad peccatum, ad iram, inquam, nam nisi homo à Deo deseratur immundus spiritus eum occupare non potest, iuxta istud scripti sacri: *Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis vt obueniant iis mala multa & angustiæ.* Deut. 31. 17. 18.

Sed hoc optime in Sauli infortunio declaratur, de quo scriptum est, *spiritus Iehouæ bonus recesserat à Saule, perturbabatque eum spiritus malus à Iehoua.* 1. Sam. 16. Sequitur ergo, quod peccatum debet præcedere, quippe quod est iræ Iehouæ incitator; quare ipsum pro mali futuri præsagio habere possumus, vtpote cui immediate succedit ira diuina, quæ malorum spirituum actibus est stipata.

Tunc manifeste se prodit organi lunaris actus cuius nutu dæmonia istiusmodi virtutem suam hauriunt, vnde in plenilunio & nouilunio sunt fortiora. Sunt igitur isti duo Lunæ status dæmoniorum epilepticorum insultuum signa prognostica. Porro etiam ventorum oppositorum, nimirum septentrionalis & Australis concursus mediocrem Occidentis temperiem constituunt, atque consequenter pluuias de natura Occidentis producunt: nam natura Meridionalis prohibet illam Septentrionalem retinere suam integram proprietatem siccam & congelantem, & è regione natura Septentrionalis non sinit illam Meridionalem in sua æstuosa & famosa proprietate dominari: quare vtriusq; vnione natura Occidentalis & pituitosa producitur, & consequenter morbi in tali anni temperatura tales regnabunt, quorum epilepsia est princeps. Quod etiam experientia potius, quam ratione radicali docti cognouerunt Hippocrates & Galenus in his. *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte sunt* Aph. 16. *febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, anginæ,* &c. *In temporibus* inquit, *pluuiosis, & consequenter Occidentalibus & Meridionalibus.*

Denique quod ad signa attinet tum futurum hunc morbum indicantia, tum accidentia in eo futura prædicentia hæc pauca:

Prognostica in Epilepsia sunt vel
- Ipsius futuræ & nondum apparentis
  - Grauedo visus & auditus.
  - Citrinitas linguæ ad pallorem seu albedinem tendens.
  - Venarum illarum viriditas quæ linguæ subiacent.
  - Scotomia, vertigo, atq; incubus antecedentes, quæ epilepsiæ nuntij æstimantur.
  - Somnia vt plurimum grauia & profunda cum simulachris in ijs falsis & timendis.
- Accidentium quæ in ea iam insultante eueniunt, denotantia eam vel
  - Curabilem videlicet
    - Si mulieri prægnanti venerit edito partu vt plurimum liberari solet.
    - Si paroxysmus nō sit longus sed cum benignitate lenis, nec totaliter in eo auffertur memoriæ facultas.
    - Si in capite Epileptici contingat morphæa alba.
    - Si fuerit in infante & infans ab vteri dispositione eam hauserit, & post partum multas per vomitum eiecerit superfluitates aquosas.
  - Incurabilē vel saltem difficulter nimirum
    - Si paroxysmus fuerit grauis & longus, tollaturque in eo memoriæ functio.
    - Si aliquis in tempore menstruorum, aut ex immundis spermatibus, aut ex parentibus epilepticis.
    - Si in quarto septenario eueniat ex causa priuata cerebri, & cōtinuauerit per ætates præcedentes.

Caput IV.

In quo vtraq; lepræ, seu morbi cardinalis plagæ septentrionalis prognostica recitantur.

QVod lepra sit capitalis & cardinalis proprietatis Borealis infirmitas, in *tractatu* etiam *superiori de morborum differentiis lib. vltimo* indicauimus; videlicet quatenus videtur esse morborum terrestrium princeps, medium quasi locum inter eos tenens. Verbi gratia si lepra in deterius vergat tunc in elephantiasim vertitur, ita vt lepra à quibusdam dicatur esse delicatior quædã elephantiasis: nam vt lepra albicans & satis dura, ita Elephantiasis est fusca, liuida, & magis dura. Ex altera parte psora, quæ est scabies sicca est lepra in potentia seu primus lepræ gradus, deinde psora sub se comprehendit serpigines, impetigines, scabies, pruritus, & id genus alia. Quibus liquet, quod lepra est horum omnium domina, & ad ista omnia se extendit. Porro etiam quatenus lepra ex humore melancholico cum pituita salsa conflatur, eatenus denotat ipsam non aliter cum ventis reliquis participare, videlicet cum Occidente respectu suæ humiditatis; adsunt enim in lepra pustulæ leues & crebræ, tametsi propter terream morbi dispositionem vergunt magis ad siccitatem. Adest etiam & natura Meridionalis, respectu saniosæ & salsæ conditionis eius, vnde accidit ei pruritus & pus quãdoque. Denique de proprietate Orientali participat, quatenus solet esse cum ardore: nam mediante ardore salsedinis in naturam elephantiasis redigitur, non aliter quam durum lignum adustione in carbonem nigrum. Præter ista certum est quod vt terra resolui potest in aquam, ita lepra in humorem conuerti queat: ergo de Occidentali natura potentialiter participat. Similiter illa iterum aqua in aërem Meridionalem pestiferum conuerti potest, atque ille denique in æstuosum halitum, dispositionem Orientalem in se comprehendentem. Quo euidens est quod lepra non aliter comprehendat sub se proprietates omnium ventorum, sed regnat & dominatur in ea septentrionalis, quam ipsa terra omnium aliorum elementorum proprietates in se habet: sed euidenter habet in ea septentrio seu proprietas terrea dominium. His ergo intellectis ad propositum hoc nostrum perueniemus.

Signa prognostica lepræ adhuc minime apparentis sunt, vel radicalia, & à supercœlesti contemplatione deriuata, vel ab obseruatione cœlesti, vel elementari, vel deniq; conditionis, temperaturæ, atque status ægroti corporis.

Ac primum ad illam obseruationem supercœlestem quod spectat, quoniam Deum semper debemus considerare (vtpote cuius solius est radicaliter vulnerare & curare) in omni morbo, sciendum est quod Deus in qualibet ex qualitatibus quaternis iuxta placitum suum soleat lædere quando irascitur creaturę. Quod quidem euidenter docemur ex his verbis Mosaicis. *Si non obseruaueris mandata Dei percutiet te tabe calida, & æstuante & adurente febre cum siccitate:* quibus Dei vindictam in proprietate sua Orientali arguit. Tunc pergit sic. *Et faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis, & vlcus Ægyptiacum, &c.* In quo sermone plagam Dei in proprietate meridionali arguit. Deinde sic. Et percutiet te frigore & hæmorrhoidibus, & scabie ac prurigine, adeo vt curari non poteris, &c. Quibus plagas in proprietate Dei septentrionali præparatas eumerare videtur, & per hæmorrhoides, scabies & pruritum, arguit lepram quæ ea omnia comprehendit. Denique ita pergit. *Percutiet te Iehoua amentia, & cæcitate, & stupore cordis, adeo vt palpes in meridie quemadmodum cæcus in caligine, &c.* Quib. designat plagas Iehouæ in proprietate sua Occidentali, vel à concursu ventorum septentrionalium & meridionalium (qui naturam producunt Occidentalem) procreatas: nam in dictis illis Mosaicis, Scotomia, vertigo, epilepsia, apoplexia, stupor & paralysis atque catalepsis videntur includi. Atque hoc obiter vobis notum facere gestio, vt morbidos quadruplicis proprietatis diuinæ actus facilius ex Prophetæ verbis intelligatis. Redeo ergo ad propositum.

Cum Iehoua vidisset inobedientiam Mariæ contra ministrum suum Moysen, dicit textus, *Iratusq; contra eam abijt, & nubes quoque recessit, & Maria apparuit candens lepra sicut nix.* Hic ergo peccatum prognosticum videtis mali futuri in genere, quippe mediante quo excitata est ira Iehouę, sed in qua proprietate impium & inobedientem percuti ei placuerit non est mortalium dicere, nisi per ventos aut meteora quasi per organa sua elementaria operetur, tunc enim ex misericordia sua in talibus characteribus homini effectus iracundiæ suæ futuros significare & quasi in aëre delineare gestit, quo ipse peccator ad pœnitentiam adducatur, vt ita pacificata ipsius ira aut impune euadat, aut clementius à percussore tractetur.

Ex


Ex ſignis prognoſticis à cœli obſeruatione deriuatis Saturni ſtatus eſt cum diligentiâ conſiderandus, quippe cuius eſt, iuxta Aſtrologorum ſententiam, efficere rheumá & lepram illam horrendam quæ elephantiaſis dicitur, atque omnes alios morbos qui ad frigiditatem & ſiccitatem tendunt.

Ex præſagijs elementaribus tempus ânni Vernale ob commune venti Borealis in eo dominiũ; atq; etiam facilem impreſſionem q̃ ſanguis de nouo creſcens atq; renaſcens capit à ventis talibus: nã vt videmus ex cõcurſu conditionis Borealis, & Meridionalis, ſi illa Meridionalis præſit nubes & tonitrua cum æſtu atque ardore & ſalſedine procreantur; vnde in eo concurſu lapis Ceraunius generatur, qui ex ſalſa partim, & partim ex acri & æſtuante, & partim ex ſulphurea & terrea proportione conflatur; ac deniq; Borealis virtus eum in terream congelat maſſam: ita quidem ſi præualet aliquantulum Boreas, nix & grando ſe intermiſcebit. Pariformiter maſſa lepræ terrea corrupta concreſcit & gignitur ex mixtione ſeminariorum ſeptentrionalium cũ humido & Auſtrali ſanguinis in vere recenter pulluleſcentis ſpermate, quorum denique actione & paſſione, ſcabies, impetigines, lepræ, atque huiuſmodi alia verno tempore exurgere & emergere obſeruantur, iuxta iſtud Hippocratis. *Vere fiunt atræ biles, morbi comitiales, lepræ, tuſſes, impetigines, vitiligines, puſtulæ vlceroſæ plurimæ, tubercula, dolores articulorum, &c.* 3. Aph. 20.

Denique ſigna tam lepræ futuræ quam præſenter inſultantis accidentium nondum apparentium prognoſtica quę ex corporis ægroti ſtatu eliciuntur, ſunt huiuſmodi.

Signa prognoſtica lepræ
- Futuræ ſunt
  - Color faciei rubeus, vergens ad nigredinem.
  - Anhelitus incipiens immutari, & fœtidum fieri.
  - Vocis raucedo.
  - Capillorum in ſubſtantia attenuatio.
  - Sudor male olere incipit.
  - Mores mali & doloſi ex melancholia praua deriuati.
  - Somnia melancholica & terribilia.
  - Grauedo quæ ſentitur in ſomno ſupra corpus.
  - Vel ſcabies, vel morphæa præcedens inficiens vniuerſum corpus, quæ de die in diem fœdiora apparent.
- Iam inſultãtis ſunt accidentia iſta
  - Corroſio cartilaginis narium.
  - Sciſſura pedum & manuum.
  - Groſſities labiorum.
  - Diſpoſitio corporis glanduloſa.
  - Dyſponea & difficultas anhelitus.
  - Vox rauca.
  - Terribilis aſpectus faciei & coloris nigri.
  - Pulſus occultus & paruus.
  - Cum venit ad manifeſtam corruptionem formę & figuræ non curabitur.

POR-




PORTIONIS PRIMÆ, PARTIS VLTIMÆ, LIBER SECVNDVS.

In quo futura infirmi { imprimis salus / deinde mors } portenditur.

CAPVT I.

Quod supercœlestem cum sanitatis, tum morborum & mortis describit rationem.



Sap.1.14. CVm Deus sit solus ille, qui tum morbo & morte affligere, tum sanitate & vita beare solet; sciendum est nihilominus *ipsum omnia ab initio creasse, vt essent, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, adeo vt in iis non relinqueret medicamentum exterminij; nam hominem creauit inexterminabilem. At vero erat* Sap.2.23. *malitia diaboli* (teste Salomone) *quia mors primum introiuit in orbem terrarum:* nam astutijs illius decepta erat Eua, atque persuasionibus Euæ seductus Adam est præuaricatus. Sic transgressa est lex diuina, & fractione mandati introgressum est peccatum prius in hunc mundum, quod teste Scriptura sacra erat morbi & mortis occasio: vnde ratione inobedientiæ priorum nostrorum parentum cum morbis tum morte affecit omnipotens genus humanum, alioquin in radicali sua fabrica immortale, vtpote ad imaginem diuinam formatum.

Hinc ergo est, quod cum Deus sit ille qui iustitiæ tenet trutinas æquali lancea libratas, ita quidē certum est ipsum misericordia esse plenū, & consequenter plurium peccatorū, & præcipue pœnitentiū, ita solet ex benignitate sua misereri; vt non ad mortē extremā, sed ad Iob.5.17. morbosam castigationem affligere soleat; iuxta istud viri patientis. *Beatus est homo quem arguit Deus: quapropter castigationem omnipotentis ne spernas, quoniam ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.* Atque intelligitur de pœnitentibus atque deiectis spiritu; at impijs & in malitia sua perseuerantibus mortem post morbum inferre solet. Vnde Isaias de istis Isai.59.2. hæc: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiat.* His igitur paucis via supercœlesti præsagire possumus An Deus ægrotum morte percutere sit paratus: nam tametsi Ezechiæ mors prædicta atque annuntiata erat ore Prophetæ, tamen precibus & pœnitentia ipsius mitigata erat in eum diuina ira, & retardatus est illius sententiæ effectus, atque pristina est ei sanitas restituta.

Quare euidens est, boni in morbo futuri præsagium, vbi cor ægri est contritum & humile, & ipse percussus pœnitentia peccatorum, & debita erga Deum reuerentia deiectus: nam ablato lacrymis pœnitentiæ peccato cessabit morbus, deferetur mors. Hinc ergo dixit Christus Paralytico, *Surge ambula, remittuntur tibi peccata.* Inde inferens, quod ablatione peccatorum necesse esset, vt quilibet morbus etiam auferatur. Hæc paucis de morbi & mortis ratione enarrare me iussit ordo & consuetudo mea, quæ est omnipotentiam Dei imprimis declarare, priusquam ad organa per quæ operari solet, descendamus.

CAPVT II.

Quomodo ex sola cœlestium obseruatione de vita; aut morte ægroti sit præsagiendum.

OBseruauerunt in Astrologia peritiores; quod ex astrorum in curia cœlesti positionibus cum vita atq; sanitatis recuperatio tum mors & destructio prognosticantur.

Ista igitur boni ominis in ægrotis futuri signa eligebant.

Signa

Signa prognostica salutis & conualescentiæ

- Si dominus ascenderit, & ☽ fuerint à ☌ □ vel ☍ ♄ aut ♂ aut alicuius alterius infortunati liber in suo motu directus, non combustus nec peregrinus, nec in suo casu, neque in domo 6. vel 8. nec aspectum habeat cum domino 6. domus, vel 8. vel 12.
- Si ☾ aspiciat dominum ascend. existens libera & se separans à domino 6. vel 8.
- Si ♃ ♀ ☉ aut ☾ fuerint in ascendente, & minime respiciant dominum 8. aut 6. sed existant liberi à malo, & in bonis permaneant signis.
- Si ☾ fuerit in angulo bene affecta, vel in succedente in suo incremento luminis & motus, atque libera à ♄ aut ♂.
- Si dominus ascendentis fuerit in quarta domo & liber à malo.

Signa prognostica

- **Mortis videlicet**
  - Si dom. ascend. & ☾ sit in ☌ aut aspiciat dominum 8.
  - Si dom. ascend. aut figuræ significator det suum lumen, aut sit in aspectu cum planeta aliquo in domo 4. existente, aut applicet ad eum.
  - Si dom. ascend. vel ☾ fuerit in combust. in 4. aut 8.
  - Si dom. ascend. sit retrog. aut cadens, aut in dom. 8. & si sua retrogressione se separet à dom. 8.
  - Si sit translatio luminis inter dom. ascend. & dom. 8. & præcipue si sit receptio ante translationem.
  - Si dominus ascend. sit in 8. & dominus 8. in ascend. non receptus.
  - Si in principio infirmitatis ☾ fuerit in loco ♄ vel ♂ geniture vel in ☍ eorum.
  - Si ♏ sit in ascend. ♈ in 6. domo & ♂ in ascend.
  - Si ☾ fuerit in ☌ □ vel ☍ cum ♄.
  - Si ☾ fuerit impedita, & quo magis eo deterius.
  - Si ☽ fuerit in ascendente in ☌ □ aut ☍ ♄ vel ♂ aut alicuius alterius planetæ male affecti in quæstione, nisi ille planeta dominatus fuerit in natiuitate ægroti.
  - Si dom. 6. fuerit retrog. vel comb. aut in 8. vel in ☌ □ vel ☍ cum ♄ vel ♂.
- **Longæ infirmitatis**
  - Si fuerit in Luna in loco vel signo malo prolongabitur morbus.
  - Si ☾ aspiciat dominum 6. domus erit transitus à morbo in morbum, aut saltem fortificabitur morbus.

Quam plurima præter ista de præsagiis more Astrologico vitæ & mortis signa hoc in loco producere nolumus, quoniam ea in Iatromathematica nostra *inferius* stylo largiori Deo auspicante pertractabimus.

Capvt III.

In quo signa quædam prognostica tam salutis, quam mortis, ex obseruatione corporis ægroti, idque iuxta Hippocratis, Galeni, Auicennæ, Rhasis & Haly sententias eliciuntur.

IAm vero de illis mortis & recuperationis signis age nus prognosticis quæ ex corporis ægroti & excrementorum eiusdem obseruatione eliciuntur. Et in primo loco de signis sanitatis & morbi euasionis prognosticis hisce paucis.

Signa futuræ salutis prognostica sunt

- Si virtutis & virium ægroti robur persistat cum tolerantia ægritudinis facili, Auic. 2.4. *Tract.* 1 *cap.* 25.
- Si aliqua se patefaciant concoctionis siue digestionis signa satis apparentia.
- Si pulsus fuerit magnus, vehemens atque ordinatus.
- Si post euacuationem factam adsit quædam quasi horripilatio.
- Si virtus vitæ fixa permaneat, tametsi mala videantur adesse indicia.
- Si anhelitus existat largus, ægerque in sua ægritudine sit completæ rationis compos 2. *aph.* 33.
- Si post somnum videatur patiens refici, & leuior atque melius se habere 2. *Aph.* 1.
- Si æger non appetat plus quam quod bene digerere potest, & pariter si digestiua eius facultas illam appetitiuam æquiparare queat.
- Si in vigore morbi reseruet sibi æger cum formam tum figuram naturalem.
- Si non mutat æger in ægritudine sua sui iacendi situm, sitque somnus eius à naturali minime alienus. Haly 10. *Theor.* 11.1.
- Si in externo contactu æqualis videatur eius calor 2. *progn.* 5.
- Si humores per secessum cum lumbricis die critico excernantur.
- Si hypochondria sint à duritie immunia, sed consuetam & naturalem mollitiem atque æqualitatem reseruent.
- Si sudore perfundatur corpus ægroti æquali, & vbi adest febris.

Hæc salutis futuræ signa à Galeno, Auicenna, Rhasi, Haly, & cæteris habemus confirmata.

Hoc vero in loco signa vel mortem vel eminens periculum ægrotis præsagientia paucis ex sola corporis ægroti obseruatione enucleare aggrediar,

- Insignis virium debilitas, perseuerante nihilominus morbi magnitudine.
- Nullum apparens digestionis signum.
- Oculorum immersio & profundatio.
- Facies tornatilis in acutis, vbi non causatur vel à fluxu ventris, vel à vigiliis, aut à fame.
- Tenebrositas albedinis oculis, atque etiam vbi oculus vnus apparet altero minor. Denique aut vbi accidit visus ablatio seu caliginosa quædam dispositio, aut tortuositas vel strabositas eiusdem adest, aut palpebrarum tortura.
- Lachrymæ inuoluntariæ, & maximè vnius oculi.
- Appetitus seu desiderium sub caligine vel tenebris manendi.
- Intuitus fixus & stabilis.
- Sicca lippitudo, oculus rubeus vel ceruleus.
- Somnus cum palpebris apertis; siccitas palpebrarum.
- Vehemens oculi apertio cum alienatione & debilitate.
- Pustula paruula sub oculis apparens cum desiderio rerum dulcium significat mortem die decima, teste Rhasi 31. *contin. tractat.* 1. *cap.* 1.
- Tortuositas, depressio, & figura nasi acuta.
- Distillatio aquæ citrinæ ex naso.
- Si non sternutat cum sternutatoriis. Auic. 2. *quart. tractat.* 1. *capite* 35.
- Si digitum ad nasum causa nulla impellente eleuat. *Ibid.*
- Exiccatio & contractio auris, & cum sordes seu excrementa per eam egredientia dulcescunt. Atque etiam auris in acutis dolor; similiter auditus deperditio.
- Dentium contritio seu confricatio, color eorum liuidus Corn. *l.* 2. *cap.* 4. 4. *Aph.* 33.

Post

Prognosti ca mortis ægroti futuræ, vel saltē periculi haud parui, sunt ista

Post sudores inhorrescere Corn. *Ibid.*
Deorsum ad pedes labi 1. *progn.* 16.
Frequenter absque causa mundificare dentes. Rhas. 31. *cont. Tract.* 1. *cap.* 1.
Denigratio linguæ.
Fœtor oris in acutis.
Os apertum sine oscitatione.
Tortuositas labri in acutis 1. *progn.* 12.
Granum sicut cicer ruber super linguam cum desiderio rerum calidarum. Auic. 2. *quarti tract.* 1. *cap.* 61.
Detectio extremitatum corporis sine manifesta caliditate.
Iacere super ventrem in somno præter consuetudinem.
Vapor per cutim calidus exurgens cum nihilominus anhelitus sit frigidus.
Tensio hypochondriorum præsertim cum fluxu ventris, maximè apparente pustula ampla nigra. Auic. 2. *quarti cap.* 44.
Contractio, seu conuulsio testiculorum & virgæ 2. *progn.* 10.
Frigiditas extremorum in acutis 7. *aph.* 1.
Obfuscatio digitorum & vnguium 2. *progn.* 8.
Adustio extremitatis & cutis cum frigiditate ventris.
Somnus diurnus cum vigilia nocturna 2. *prog.* 11. 12.
Collectio palearum 1. *progn.* 23.
Dolor viscerum in acutis, & præsertim si subito sedatur. Auic. 2. *quarti tract.* 1. *cap.* 51.
Nimia taciturnitas & vox parua præter morem,
Sedatio sitis in febre ardente, idque præsertim vbi adest linguæ nigredo.
Cum exteriora frigent, interiora verò vruntur.
Rigor frequens in febribus cum debilitate virtutis.
Sudor frigidus in acutis, maximè circa caput & collum.
Pulsus formicans, interceptus cum debilitate virtutis. Rhas. 31. *contin. tract.* 1. *cap.* 1.
Singultus sequens vomitum humoris simplicis vel fluxum ventris 2. *progn.* 39.
Fluxus ventris copiosus cum roboris decremento, nulla morbi alleuiatione sequenti.
Deiectio similis corticibus lupulorum. Rhasis 31. *cont. tract.* 1. *cap.* 1.
Vrina tenuis & pauca, vel eiusdem retentio in acutis.
Puri sanguinis in acutis mictio. Rhas. *Ibid.*
Vrina aquosa, fœtida, nigra, turbida, pinguis, colore loturæ carnis 4. *aph.* 69.
Vomitus cum vellicatione ventris, & deiectione excrementi varii coloris.
Capere vespertilionem nigrum vt illum necet. Italij *libr.* 10. *theor. cap.* 10.
Si æger sentiat super suum caput micem. Hipp. *de coac. prænot.* 501.
Icteritia ante septimum cum macie hypochondriorum 1. *loc. aff. cap.* 5.
Deiectio nigra, viridis, fœtida, pinguis, rubea, alba, spumosa, butyrosa, idque si die critico ista non contingat 2. *prog.* 20. 22.

Denique hęc sunt in ægrotis signa modum mortalia, videlicet si

Labia contracta.
Dentes adusti.
Frons rubea & rugata.
Vultus pallidior & macilentior.
Supercilia declinant.
Tempora præter solitum excauantur.
Oculus sinister minuitur, & ambo sunt reconditi.
Nasi summitas albescit, & nares extenuantur.
Collum exesum.
Pedes frigescunt.
Venter diffugit.
Pupilla in medio oculi, vel imago in ea non appareat.

Concludimus igitur quod hoc totum nonnulli alii volunt in ramos 18. contra-

here, quorum 9. ad salutem, 9. ad mortem tendere, idque haud inconsulte affirmant.

Sic ergo in istam distinctionem eorum intentionem redigemus.

Decem & octo sunt signa prognostica, quorum 9.

- Vitam prognosticant videlicet
  1. Fortitudo virtutis, quæ in facili ægritudinis tolerantia cernitur.
  2. Leuitas corporis, quando æger sine molestia se mouere potest.
  3. Mentis & rationis sanitas, appetitus non multum deiectus, & cibi recepti digestio & tolerantia.
  4. Effigies infirmi apparet similis sani.
  5. Sanitas spiritus seu anhelitus, & eius æqualitas vt in sanitate.
  6. Bonitas somni & in assueto tempore facti & infirmum recreantis.
  7. Est bonitas pulsus & eius æqualitas naturali assimilata.
  8. Fortitudo naturæ coctricis, tam in prima & secunda quam tertia digestione.
  9. Laudabilis euacuatio per sudorem, quantitate, qualitate & tempore.
- Mortem vel periculũ portendunt
  1. Debilitas virtutis ægri morbum pati nescientis.
  2. Grauitas corporis, quando ęger motum difficulter tolerat, vel per se moueri nequit.
  3. Delirium, seu mentis alienatio, difficilis appetitus, & cibi recepti grauitatis sensus.
  4. Mutatio vultus seu faciei ægroti in citrinam vel viridem.
  5. Anhelitus siue spiritus insalubritas & inæqualitas.
  6. Perturbatio & prauitas somni tempore haud consueto facti, estque ægro magis aggrauans quam iuuans: nam apparent somnia terribilia.
  7. Disturbatio seu alteratio pulsus in vermiculosum vel formicantem.
  8. Prauitas virtutis seu facultatis coctricis tam in primæ & secundæ, quam in tertiæ digestionis loco.
  9. Illaudibilis per sudorem purgatio quantitate, qualitate vel tempore.

Capvt V.

Hic Author mundo tradere gestit Secreta nonnulla vitæ & mortis, Hippocrati morienti attributa, quæ quatenus in veteri manuscripto pergameno sunt reperta, & à nullo (quod intelligat) alio in hunc vsque diem mandata typis, seu impressioni, vt in scriptis ipse ea inuenit, verbatim in publicum sic edit.

AD literam vobis describam manuscripti dicta veteris de Hippocratis circa vitam & mortem Secretis. Peruenit ad nos cum Hippocrates morti appropinquasset, præcepit vt virtutes præscriptæ in capsula eburnea cum eo sepulta ponerentur, ne aliquis eas detegeret. Cum ergo Augustus Cæsar vellet sepulchrum hoc visitare, inspexit ipsum, erat autem valde deturpatum. Præcepit Cæsar vt renouaretur & aliud extrueretur. Cum aperuisset sepulchrum inuenta est illa capsula eburnea cum scripto de virtutibus, quas Cæsar fecit probari, quæ dicuntur Secreta Hippocratis: & sunt signa prognostica quæ hic sequuntur.

Quando

Quando in superficie infirmi fuerit apostema cui non inuenitur tactus, & fuerit manus eius sinistra posita supra pectus suum, scias quod morietur 23. die, & præcipue si in principio ægritudinis suæ sæpe palpauerit nares.

Item cũ fuerint in vtroq; genu infirmi apostemata magna & vehementia, scias ꝙ morietur 22. die, & præcipue si in principio suæ ægritudinis sudauerit sudore magno.

Quum fuerit super vena, quæ est super ceruice, quæ generat somnum, pustula parua, & super ipsa fuerit quasi ad modum pulueris, scias quod æger moritur 42. die ab illo die quo cæpit ægrotare: signum illius est quod ægritudo fuit vehemens à principio.

Quum fuerit super lingua pustula sicut grana pentadactyla, scias quod patiens morietur eadem die. Signum illius est quod desiderauerit in principio ægritudinis suæ res in suis naturis calidas.

Item quum fuerit super aliquo digitorum pustula parua, nigra, similis orobo & dolebit, scias quod patiens morietur in duobus diebus. Signum est quod in sua ægritudine erit corpus graue.

Item quando fuerit in pollice sinistræ manus pustula similis fabæ vel substantiæ pallidi coloris quæ non dolet, scias quod patiens morietur à 7. die, ab initio sua ægritudinis. Signum est quod in principio suæ ægritudinis multum assellauit.

Item cum fuerit pustula in paruo digito sinistri pedis cuius color fuerit flauus vel niger, scias quod patiens morietur 12. die à principio suæ ægritudinis. Signum est quod desiderauit aceto a supra modum.

Item cum fuerint vngues fusci vel pallidi coloris, & in fronte pustula coloris sanguinei, scias quod patiens morietur 4. die à principio suæ ægritudinis. Signum est sternutationes & oscitationes à principio ægritudinis suæ multæ.

Quum fuerit in pollicibus vtriusque pedis pruritus vehemens, & color ceruicis fuerit valde fuscus, scias quod patiens morietur 5. die à principio suæ ægritudinis ante solis occasum. Signũ est ꝙ à principio suæ ægritudinis habuerit vrinã multũ exuberantem.

Quum fuerint super palpebra infirmi tres pustulæ, quarum vna nigri & altera fusci coloris valde, scias quod patiens morietur quinto die suæ ægritudinis ante occasum solis vel pallida & terrea albedinis oliuarum, scias quod patiens morietur die 28. à principio suæ ægritudinis: Signum que est quod erit in principio ægritudinis sputum multum.

Quum fuerit super palpebra oculorum in termino vnius pustula sicut auellana fusci coloris, scias quod patiens morietur in duobus diebus ægritudinis suæ, signum est quod in principio ægritudinis multum dormiui, & somnum graue habet.

Quum fluit sanies à naribus trahens ad rubedinem, & apparet in manu eius dextra pustula alba quæ non dolet, scias quod patiens morietur tertia die à principio suæ ægritudinis: signum est quod omnino non appetit cibum.

Quando apparet in coxa infirmi sinistra rubedo vehemens, quæ non dolet, scias quod patiens morietur 25. die suæ ægritudinis. Signum est quod in principio ægritudinis habuit pruritum vehementem, & apperit comedere oleta.

Quum fuerit pustula nigra post aurem sinistram, scias quod morietur patiens 24. die suæ ægritudinis. Signum est quod desiderauit in principio ægritudinis potare aquam feruidam desiderio vehementi.

Quum fuerit post aurem sinistram pustula dura, vel grauis, & alba admodum, scias quod patiens morietur 20 die à principio ægritudinis, & in illa hora in qua apparuit pustula. Signum est quod in principio ægritudinis, eiecit vrinam multam.

Quum fuerit pustula post aurem dextram rubea, calida, similis combustioni ignis, scias quod patiens morietur 8. die à principio ægritudinis. Signum est quod in principio ægritudinis multum vomuit.

Quum fuerit super latus dextrum pustula fusca non dolens, scias quod patiens morietur 9. die suæ ægritudinis ante solis ortum. Signum est quod patiens in ægritudine sua multum oscitauit.

Quum fuerit pustula in mento rubea ad modum fabæ Ægyptiacæ, scias quod patiens morietur die 3. à principio ægritudinis. Signum est quod expuit multum in principio ægritudinis.

Quum accidit dolor in præputio, deinde apparet in cubitu pustula fusca, scias quod patiens morietur 5. die suæ ægritudinis. Signum est quod desiderauit potare vinum in principio suæ ægritudinis.

Quum fuerit pustula fusca in ilio sinistro ad magnitudinem ciconii, scias quod patiens morietur die 25. suæ ægritudinis. Signum est quod accidit ei in principio somnus multus & grauis.

Quum fuerit super calcaneum pustula vel pustulę magnæ nigræ, scias quod patiens morietur 24. die suæ ægritudinis. Signum est quod à principio desiderauit aerem firmamenti & cibos feruidos vehementer.

Quum fuerit pustula subalbida supra sinistram partem pectoris, scias quod patiens morietur 4. die suæ ægritudinis. Signum est quod habuit in principio morbi pruritum vehementem.

Quum fuerit pustula quasi nux nigra, lenis, nõ dolens in medio capitis, scias quod patiens morietur 40. die suæ ægritudinis. Signum est quod accidit in principio ægritudinis desiderium melonis, & exuberatio vrinæ.

Quum fuit pustula sub ceruice, & in palpebra inferiori sinistri oculi, scilicet pustula alba, scias quod patiens morietur 11. die suæ ægritudinis. Signum est quod desiderauit dulcia in principio suæ ægritudinis.

Explicantur Secreta Hippocratis.

Hæc vobis temetiri velim, vt si quis ita non viderit antea ipsa diligenter perpendat: nam inuenimus quod ipsi Arabes fuerunt horum participes, quoniam Auicenna & Rhasis prognostica nonnulla mortis ab apostematis & pustulis huiusmodi in partibus seu membris corporis apparentibus acceperunt, vt partim *in præcedentibus* videre licet.

CAPVT VI.

De superstitiosis quibusdam experimentis, quibus dicunt mortem, vel vitam ægroti posse prognosticari.

CVriosi nonnulli magna indagatione quæsiuerunt modum vel ex excrementorũ tractatione, vel medicamentorum secreto⸗um vel intrinsecus administratione topica, quo an ægrotantes viuerent vel morerentur ex illo morbo præsagirent, & in priori loco solebant accipere vrinam ægroti, in eamque imponere vrticas, dicuntque quod si vrticæ illæ oppido exiccantur æger proculdubio de illa ægritudine morietur: sin vero in sua viriditate permaneant viuet. Hæc huius farinæ nonnulli.


Alii vero credunt, & experientia (vt aiunt) docti pro certo statuunt, quod si quis pinguedinem porci inexpertam accipiat, & plantas pedum ægroti cum ea fricet, ac tum postea illud laridum siue pinguedinem proiiciat cani comedendam, si canis illam comederit, signum erit futuræ ægroti sanitatis, sin minus concludunt pro certo quod morietur æger.

Alii pro experto habent, quod si aliquis folia 9. herbæ dictæ auricula muris, contuderit, atque illa ita præparata in cereuisiam siue hypocretam claram ex lacte & cereuisia conflatam imposuerit, deinde per linteum hoc totum colauerit, atque ægrotanti absorbendum administrauerit, concludunt quod si æger istam potionem intra 6. horarum spatium non euomuerit, mortis periculum euitabit, at si illam retinere nequeat tunc aiunt ipsum esse in periculo mortis.

Sunt etiam quidam qui asseuerare haud erubescant, quod de morte vel vita ægrotantis siue sit vir siue mulier, seu denique infantes, quispiam recte diuinare queat, si vrinam patientis illius accipiat, & lac mulieris iuuenis infantẽ lactantis ipsi infundat. Nam si lac descendat sub vrina tunc de personæ morte est diuinandum; at si lac maneat desuper vrinam, tunc arguet quod patiens sanitatem recuperabit. Dixere quidam confidenter experimentum istud esse verum & probatum.

Et quamuis agnoscam ego in[illegible]ntem esse in herbis aliisue simplicibus virtutem & proprietatem admodum occultam & facultatem mire magneticam, tamen hæc nullo modo ausus sum ego vtpote in his minime expertus, confirmare, aut mea fide asseuerare. Cuilibet vero licebit pro suo libito experientiam facere. Ego vero (vtpote vix credibilia) multa alia istiusmodi naturæ experimenta transibo, vt superstitiosis talibus relictis ad probabiliora accedamus. Quare in potrionem huius sectionis secundam penetrabo.

CATO-



CATOPTRI MEDICORVM, SIVE ÆGROTORVM GENERALIS, PORTIO SECVNDA.

Contenta.

Portio hæc secunda in partes distribuitur 3. quarum

- Prior Complexiones cardinales tam naturales, quam præternaturales in libro vnico describit in duo membra diuiso.
- Media morborum seu meteororum morbosorum præsentiam, eorumque à quatuor fontibus ventosis ortum in libro itidem vnico ostendit.
- Vltima instantia { Temporum morborum / Plenitudinis / Obstructionis } Indicia lib. vnico declarat.

LIBRI PRIMI MEMBRVM PRIMVM.

De signis complexionum simplicium, tam naturalium, quam præternaturalium demonstratiuis.

CAPVT I.

Quomodo complexiones quatuor in originali sua substantia sunt non aliter res vnica, quam elementa quatuor non nisi vnum radicale quiddam quadriformiter à ventis animatum.



T non sint reuera plura elementa radicalia, sed tantum vnicum,& quod istud vnicum sit quadrupliciter imprimis à flatu mundi Angelico alteratum,& consequenter elementa quatuor dictum in *sectione huius voluminis prima* est declaratum. Haud etiam aliter se res habet in humoribus, qui in consideratione radicali non aliter fuerunt chilosa pituita & consequenter humor vnicus catholicus, quam ille macrocosmicus erat aqua spissa vel subtilis, seu spiritus tam visibilis quam inuisibilis, qui in substantia seu existentia non differt, sed in densitate & tenuitate: nam quod est superius non est substantia aliud, quam illud, quod est inferius, vnde in radicali substantiæ tam macrocosmicæ quam microcosmicæ respectu omnia si quidem sunt vnum & vnum omnia. Sunt ergo omnes humores respectu eorum substantiæ nihil nisi phlegma, at quatenus illud phlegma quadrupliciter à proprietatibus mundi cardinalibus, seu saltem à spiritibus ab iisdem deriuatis alteratur, eatenus varia ei nomina imponuntur: non aliter quam spiritus sublunaris flante spiritu orientali igneum dictitatur elementum, spirante illo Occidentali aqueum, septentrionali terreum, & Meridionali aereum. Hoc etiam ab ipso Galeno habemus pro concesso, quippe qui pluribus in locis agnoscit quod pituita decoctione fit bilis flaua, & hæc iterum adustione in atram siue melancholiam conuertitur. Nonne etiam alibi agnoscit quod pituita tempore hyemali atque ventis humidis fiat, & quod ipsa verno tempore in naturam sanguineam mutetur, qui iterum sanguis æstiuo calore, ventisue calidis in bilem factus est flauam, quæ denique autumnali statu in dispositionem melancholicam migrat?

Quibus

Quibus certiores simus, quod vt microcosmus ex macrocosmo est extructus, ita quidem elementa illius ex illis huius sunt conflata, & consequenter à ventis varieformiter animata atque alterata: vnde sequi necesse est quod quælibet in homine complexio si sit simplex dependeat ab vnico vento, si mixta à pluribus: verbi gratia, complexio sanguinea vim suam primariam à meridie haurit, bilis ab oriente, pituita ab occidente & melancholia à Borea. At si complexio sit mixta in qua cholera habeat dominium & melancholia turgeat in gradu paulo minori, ibi proprietas talis complexionis elicitur præcipue à flatu Orientali cum simili septentrionis concurrenti; vnde sit quod ex tali ventorum in ventre elementi catholici concursu procreatur humor contrariæ naturæ, quemadmodum ex nube cum igne atque grandine turgente colligere possumus: & consequenter humor ét taliter mixtus in microcosmi spiritu componi atque generari potest. Sed quoniam *alibi* diximus ventorum vires à cœlestium influxibus prouenire, necessarium fore putamus complexionum patres in ignibus cœli rutilantibus dominantes prius perquirere, atque inuestigare, vt ratione meliori de prosapia earum elementali tum postea discurramus; quare de ipsis *capite sequenti* his paucis.

CAPVT II.

Quinam sint ex stellis tam fixis, quam erraticis complexionum, tam simplicium, quam compositarum patres, siue genitores: & primum de signis complexionum Orientalium tam naturalium, quam præternaturalium demonstratiuis.

QVum omnis in inferioribus mutatio accidat & originem suam sortiatur à cœlo, quid mirum si virium ventorum promptuarium cœlos dicamus, quum ex Martis & Solis thesauris vita plagæ Orientali, Iouis & Martis Meridionali, Lunæ & Veneris Occidentali, & Lunæ atque Saturni septentrionali tribuatur, Mercurius vero versipellis in naturam fortioris se conuertat? Porro etiam ex stellis fixis, triplicitas Ignea ♈ ♌ ♐. Orienti, Aerea ♊ ♎ ♒. Meridiei, Aquea, ♋ ♏ ♓. Occidenti, & Terrea ♉ ♍ ♑ septentrioni suos proprie influxus impluunt: Vnde euidens est quod tam stellæ fixæ quam erraticæ sint in complexionum structura authores siue genitores, quorum compositiones faciunt seu præparant atque per elementum sublunare distribuunt venti.

De istorum igitur effectibus complexionalibus hoc in loco paucis. Et inprimis de vento Orientali atque ipsius rectoribus verba efficiam priora.

Incipiemus ergo cum signis Zodiaci, dicimusque imprimis quod si in natiuitate aliquod triplicitaris igneæ signum locum ascendentis complete occupauerit, natum reddet cholericum, idque præcipue atque expresse si Sol vel ♂ sit eiusdem natiuitatis Dominus & significator.

Choleræ parens est vel Sol vel Mars: nam si

- Sol est fortior, Mars autem debilior, est cholericus in sua temperie ignea siue Orientali magis temperata; estque bilis magis flaua quam rubra.
- Mars vincit in suo dominio, ibi cholera apta est excedere metam naturæ, morbos calidos atque igneos seu Orientales proferre nata: estque talis cholera magis rubra aut ferruginea quam flaua.

Signa demonstratiua cholerae naturalis, siue cholerici Martialis seu Orientalis viri sani respectu

- Corporis sunt quod habeant naturaliter
  - Caput & capillos multos & nigros corui instar, & quo nigriores & magis crispi, eo biliosiores & sicciores sunt personę.
  - Frontem humilem, aures coloris liuescentis vel fuscas.
  - Faciem albam, gracilem, & tenuem.
  - Oculos profundos & nigros; in quorum aspectu est aliquando multus candor.
  - Supercilia nigra.
  - Nasum directum, sed aliquantisper aduncum.
  - Labia larga.
  - Pilos in barba nigros.
  - Buccas duras & graciles.
  - Collum tenue.
  - Corpus statura mediocri & quandoque satis procera, gracile & tenue, colore fuscum vel citrinum.
  - Brachia, manus & tibias tenues, cum digitis macilentis, vnguibusque oblongis.
  - Linguam aut coloris æruginosi aut citrini participem.
  - Vrinam intensam, tenuem & lucidam, & stercora citrina vel rubea.
  - Aluum vt plurimum constrictam.
  - Pulsum velocem & fortem.
  - Vocem vt plurimum acutam.
  - Dispositionem à calidis & siccis facile alterabilem.
- Animi sunt quod existant naturaliter
  - Contentiosi potationi dediti, facileq; ebrietate correpti, in quo statu si iracundia exagitetur furibundi fient, & sine temperantia leonino more æstuantes.
  - Maledici & malefactores.
  - Gloriosi & iactatores.
  - Robusti & audaces atque temerarii, se periculis facile exponentes, belloque delectantes.
  - A muliere facile gubernati.
  - Coitum multum appetentes & parum præstantes.
  - Vigilantes & non multum dormientes.
  - Sensibus perfecti & ingeniosi.
  - Multum loquentes.
  - Liberales in adolescentia & iuuentute, at auari in senectute.
  - Somnia ignea, fulgurea, contentiosa & de rixatione habentes.

Denique potestatem habet in ætate à 25. Aprilis ad 17. Septemb. & in qualibet die dominium habet ab hora 3. diei ad 9. eiusdem: quare eius intemperies magis affligit illis temporibus videlicet dicta anni quarta & horis in die. Porro etiam notatur quod vis cholerica magis affligit die, minus nocturno tempore.

Signa etiam demõstratiua præternaturalia producit Martialis siue Orientalis ista proprietas complexionalis per plura, quatenus inducit homini, cuius est

- Pulsum durum, velocem & frequentem.
- Vrinam intensam, vt plurimumque citrinam.
- Excrementa flaua.
- Citrinitatem oculorum, & quandoque rubedinem.
- Amaritudinem oris.
- Linguæ acrimoniam, asperitatem & siccitatem.
- Narium ariditatem.
- Faciei pallorem & albedinem.
- Ad nauseam siue vomitum pronitatem.
- Sitim, & consequenter ad poculentiam inclinationem.
- Appetitus defectum,
- Iracundiam & impatientiam.
- Vigilias, defectumque Somni.
- Somnia de igne, rebusue ignitis, cuiusmodi sunt fulgura, lampades, domus ardentes, &c. similiter de rebus rixosis & contentiosis, & huiusmodi aliis.
- Calorem æstiuum in fundo ventriculi & venis, idque præcipue in dextra corporis parte.
- Duritiem splenis à calore.
- Ventris adstrictionem: nam in cholericis vt plurimum languet expulsiua facultas. At si contingat fluor alui, erit fluxus ille biliosus & valde mordicans.
- Horripilationem instar puncturæ acuum, idque præcipue in dextra capitis parte. Imo vero sentietur sæpicule dolor in anteriori capitis parte, & ad radices oculorum; hocque præsertim à tertia diei hora vsque ad quartam eiusdem.
- Effectus morbosos quos parit, videlicet febres ardentes, tertianas, ictericiam, tussim siccam, raucedinem: imo vero & paralysim, tremorem, podagram atque apoplexiam, quamuis non directe, tamen contingenter & per pituitæ exiccationem procreare animaduertitur.

Sciendum est etiam quod vt plures sunt choleræ species, ita

- Citrina à Sole in 24. ♌.
- Vitellina à ♂ in ♈ & 29. ♌.
- Prassina à ♄ & ☿ in ♈ & ♌.
- Rubea à ♂ in ♈ ♌ ♐.
- Phlegminosa à ☉ vel ♂ in ♋ ♍ & ♓.

Capvt III.

Hic complexio Iouialis & Venerea, siue Meridionalis, aerea ac sanguinea, tam naturalis, quam præternaturalis per sua signa demonstratiua indicatur.

Complexio sanguinea vt est vel albicans vel nigrescens, ita quidem pro ratione suæ constitutionis & parentibus participat diuersis, habet enim illa albicans cõmunionẽ vel naturæ ♀ & ☾ vel ♃ & ☾ At vero sanguinea nigrescens de ♀ & partim de ♂ participare videtur, vnde & libidini admodum sunt pronæ istiusmodi complexionis, & si sint mulieres sæpe fiunt meretrices. Verum sunt nonnullæ harum quibus præcipue præest ♃ nam ♃ est planeta fortior & virilior quam Venus. Porro etiam ascendentis signum maxime ad complexionum istiusmodi sanguinearum temperaturam conducit, vt infra latius.

De istius autem complexionis Meridionalis tam naturalis, quam non naturalis dispositione ordine sic progrediar.

Com-

Complexio Iouialis siue Meridionalis aerea, siue sanguinea plurima habet signa demonstratiua, tum

- Naturalia
  - Corporis videlicet
    - Capillos flauescentes, vel pulchriter aut albescentes aut nigrescentes.
    - Pilos in barba raros, atque etiam in superciliis vnius coloris.
    - Faciem rubicundam, rubeam & subalbidam.
    - Frontem amplam.
    - Tempora rotunda.
    - Aures rubescentes.
    - Nasum directum.
    - Oculos pro sanguineo fusco nigricantes, pro albo glaucos.
    - Buccas admodum rubicundas.
    - Dentes pulchros & æquales.
    - Collum pingue & carnosum.
    - Cutim rubicundam & pinguedine medioctiter extensam & planã, contactu calidã & humidam.
    - Corpus boni habitus, & bene carnosum.
    - Brachia & membra pinguedine ornata.
    - Manus densas.
    - Sanguinem sub vnguibus apparentem.
    - Pedes & tibias moderate pingues, & boni habitus & non longas.
    - Vrinam intensiorem, citrinam, aurei coloris, & satis spissam & copiosam.
    - Stercora colore citrina seu flaua aut rubra, & firma.
    - Pulsum plenum, magnum, mollem & celerem.
    - Venas & arterias plenas, cæruleas & amplas.
    - Sudores copiosos & frequentes.
    - Digestionem bonam & multam.
    - Somno procliuitatem, nam multum dormiunt.
    - Somnia de rebus rubeis, sanguineis & voluptuosis.
    - Ad hæmorrhoiam aptitudinem.
    - Ad motionem apti atque agiles, & tamen à motu abstinentes ratione caloris & sudoris.
    - Staturam mediocrem, & vt plurimum decentem, corpusq; pilosum, bene compositum cum largis & carnosis membris, sed non pinguibus.
    - Facilem ab humido & calido alterationem.
  - Animæ nimirum
    - Liberalitatem.
    - Misericordiam.
    - Humanitatem.
    - Affabilitatem in gestu & sermone.
    - Fidelitatem.
    - Mutabilitatem in suis opinionibus.
    - Audaciam sufficientem.
    - Musicam, iocos, vinum, mulieres, societatem & hilaritatem.
    - Cordis leuitatem & iucunditatem.
    - Multam ad coitum possibilitatem & voluntatem.
- Vrinam spissam pinguemque per totum æqualiter cum substantia præter consuetudinem obscura.
- Pulsum velocem, magnum, frequentem, plenum & mollem.
- Venarum plenitudinem atque tumorẽ per totum.
- Calorem per totum corpus paulumper acrem, sed præ-

Præternaturalia nimirum

præcipue sub pulmonibus, in corde & renibus.
Faciem rubicundam.
Oculorum albedinem rubeam & sanguineam.
Ad somnolentiam pronitatem, nimiumq; somnum.
Oris dulcedinem & sputum dulce.
Spontaneam lassitudinem.
Capitis, oculorum & temporum grauitatem.
Oscitationes frequentes.
Somnia rerum rubrarum & sanguinearum.
Sensuum perturbationem, & tarditatem intellectus.
Linguæ & faciei rubedinem.
Dolorem circa anteriorem capitis partem cum punctione in temporibus.
Ad sanguinis è naribus gingiuis, ano & matrice fluorem aptitudinem.
Effectus euidẽtes hoc idem demonstrantes, cuiusmodi sunt morbi à sanguine, videlicet synochus pustulæ rubræ, morphea rubra, punctio in latere dextro, colica, & tunc manus & facies in aliquibus replebuntur maculis.

Porro obseruandum est quod vere & æstate abundant calido & humido in sanguineis, similiter in iis qui calida & humida diæta vtuntur, & qui consuetam phlebotomiam distulerunt: vnde factum est vt talem sanguinis plethoram seu plenitudinem sequantur morbi antedicti.

Similiter quod verno tempore à 8. Martii ad 14. Aprilis augetur sanguineum istius complexionis fomentum.

Denique sciendum est quod tempus in quo humor iste quotidie dominatur, est ab hora 9. noctis ad horam 3. diei.

Caput IV.

In isto capite signa complexionis lunaris, siue Occidentalis & aquaticæ tam naturalis, quam præternaturalis demonstratiua recitantur.

Complexio phlegmatica ideo lunaris & Occidentalis vocatur, quoniam Luna (quæ aquarum est moderatrix) est istius humoris seu complexionis phlegmaticæ astrum: quare certum est eam sensim iuxta lunæ quartarum proprietates de statu in statum alterari, non aliter quam aqua marina: nam in calida lunæ quarta augetur phlegmaticorum actus, & sic in cæteris. Porro Occidentalem eam vocamus quatenus illa quarta attribuitur elemento aquę, & consequenter complexioni pituitosæ. Porro etiam huic mundi plagæ dominatur & attribuitur plenilunium.

Com

Complexio lunaris siue Occidentalis siue aquea, siue phlegmatica habet signa demonstratiua,

- Naturalia, eaque
  - Corporis: nã habent huius cõplexionis viri
    - Faciem pallidam & albicantem, atque aliquantulum pinguem & vultum bene positum.
    - Capillos tenues, multos, planos, molles, raroque caluescentes.
    - Barbę pilos ad rubedinem seu flauedinem inclinantes.
    - Superciliorum multi pili.
    - Nasum curtum, & satis in parte anteriori acutum, ac in posteriori latum.
    - Labia densa & pallida.
    - Linguam pallidam.
    - Collum pingue & grossum.
    - Cutim mollem & planam, albam & contactui frigidam, & frigiditatem cum humiditate cito sentiunt.
    - Corpus per totum albicans, molle & spongiosum, & membrorum laxitatem atque planitiem cum pinguedine.
    - Oculos cæsios.
    - Pectus cõmuniter sine pilis & fabrica angustũ.
    - Brachia, manus & vngues pulchros, vt sanguinea.
    - Staturã decenter largam, aut pinguẽ & grossam.
    - Halitum suauem.
    - Venas & arterias vix perceptibiles, & sanguinem ex iis magis aqueum.
    - Motum corporis tardum.
    - Sputum album & post motum spumosum, & quantitate multum.
    - Vrinam grossam & pallidam, siue remissam.
    - Pulsum profundum, tardum, paruum, mollem.
    - Sudorem multum.
    - A frigidis & humidis facile alterantur, & subito refrigescunt.
    - Egestiones albas, pallidas, liquidas, spumosas ac flatuosas.
    - Somnolentiam, stupiditatem, segnitiem, grauedinem.
    - Somnia de aquis, pluuia, stagnisue piscinis.
    - Superfluitatem narium.
    - Appetitum paruum cum indigestione.
  - Animi, quod huius complexionis viri sint,
    - Non ita facile ad iram excitati, quin ipsam facile deponunt.
    - Mutabiles & inconstantes in suis operibus.
    - Omnibus præter morem largi & liberales; quare haud in eo sapientes.
    - Concilium non seruantes quando ira commouentur.
    - Temperati, at in vno loco commorari impatientes.
    - Cum seruis & famulis suis inquieti.
    - Nouarum inuentionum amatores, & multas habent cogitationes.
    - Veloces in suis actionibus, nam quod faciunt id leuiter & cito faciunt, & quod habent seruare nesciunt.
    - Multæ pietatis atq; compassionis, & bonæ contemplationis.
    - Pusillanimes, timidi, obliuiosi, indociles & disciplinæ haud capaces.

Preternaturalia nimirum.

- Vrina solito remissior, seu pallidior & spissior, & spumosa post laborem.
- Pulsus profundior & minor atque tardior, quam pro consuetudine.
- Pallidior facies quam erat consueta.
- Cutis est albior, plenior & mollior quam fuit antea.
- Superfluitas narium.
- Corpus in motu tardius, stupidius, segnius & grauius.
- Ad somnolentiam inclinatio maior quam antea.
- Sputum multum & post motum spumosum.
- Sanguis aqueus.
- Sudor copiosior.
- Dolor in posteriori capitis, & quandoq; aliarum partium eiusdē.
- Fluctuationes in ventre.
- Nausea & ad vomitum aptitudo, & quod e uomitione exit est pallidum & album.
- Egestio alba, pallida, liquida, spumosa siue ventosa.
- Putrefactioni subiectio, quoniam humidum à calido facillime putrefit.
- Febris quotidiana, apoplexia, paralysis, difficultas spirādi, raucedo, ventositas pulmonum & pectoris, cordis affectus frigidus, dolor lumborum, genuum, pudendorum, brachiorū, pedum à defluxionibus humidis & frigore: deniq; morbi omnes stupidi & soporiferi, & à pituita frigida orti, cuiusmodi sunt Epilepsia, catalepsis, &c.

Habet ista complexio dominium in hyeme ab 8. Octobr. ad nonum Martii, respectu quartarum anni, at respectu partium diei, præualet ista ab hora 3. noctis ad 9. eiusdem. Et sciendum est quod prædicta mala phlegmatica magis vrgent ægrotos in illis horis, & prędicta anni quarta maximē. Sed maxima istius humoris in anni quarta cernitur inter diem 10. Februarii & 12. vnde in eo tempore magis subiicitur corpus eius infirmitati: at in diei naturalis parte nocturna magis viget iste humor quam diurna, quoniam vis vnita fortior: at nocturno tempore prædominatur temperies frigida & humida, &c.

Capvt V.

In quo Signa complexionis Saturninæ, siue Septentrionalis, terreæ, hoc est melancholicæ demonstratiua recensentur.

IAm vero in regnum cælorum Saturninum, seu illud elementorum Septentrionale ingredimur, atq; complexionis Saturninæ seu Borealis siue melancholicæ naturam enucleare aggrediemur. Est ergo Saturnus complexionis melancholicæ pater cælestis, si sit naturaliter Septentrionalis & terrea: atque talem melancholiam frigidam & siccam eam dicimus, quæ si præternaturaliter disponatur morbos stupidos affert. At vero illa quam atram bilem vocant proprie ex adustione est facta, & morbos ex adustione parit, & proprie ex ♂ & ♄ simul conflatur talis complexio.

Vt ergo ad priorem melancholiæ speciem perueniam, in qua ♄ solus & consequenter Borealis & terrea natura dominatur per excellentiam: eam enim proprie melancholicam Saturninam & Borealem vocamus, cuius signa demonstratiua tam naturalia quam præternaturalia sunt huiusmodi.

Comple-

Complexio Saturnina siue Borealis siue terrea, siue melancholica habet signa demonstratiua vel

- Naturalia, eaq; vel
  - Corporis, possident enim hui⁹ cõplexionis viri,
    - Colorem plumbeum, fuscum, seu ad liuiditatem albescentem tendentem.
    - Staturam satis proceram & mediocriter longam, & iuncturas amplas, sed corpulẽtia graciles & tenues.
    - Cutem apertam & contactu duram & frigidam, & carnem talem siue capillos.
    - Pilos paucos, planos & colore brunos.
    - Barbam pilis tenuem & diu crescentem.
    - Fuscam oculorum atque albicantem liuiditatem, vel oculos ferociter intuentes.
    - Corpus macrum & facile à frigidis alteratum & discoloratum, vultum obscurum, faciem liuidam & nigricantem & satis spatiosam & superciliosam cũ fronte rugis contracta.
    - Supercilia pendentia cum multis pilis & longis deorsum tendentibus super oculos.
    - Magnum nasum & magna labia & dentes magnos instar equorum: suntque nasus & labia subpallida & male colorata.
    - Magnũ appetitũ, vnde multũ comedunt & deuorant.
    - Collum vt cornu cereatum.
    - Magnas manus & pedes, longasque tibias & brachia, magnaque genua.
    - Valde neruosi in æstate & venosi.
    - Odorem in æstate hirci.
    - Corporis fortitudinem.
    - Linguam coloris plumbi.
    - Vrinam pallidam, albam, tenuem, limpidam & clarã.
    - Pulsum paruum, tardum, durum, & vacuum.
    - Egestiones lutosas & ad liuiditatem cum spumositate tendentes, suntq; ruptæ & parum fœtentes.
    - Sudorem parumper olentem.
    - Somnia timida, & visiones terribiles, & circa res tenebrosas versantes.
    - Oris salsedinẽ sensibilem, & præcipue si atra sit bilis.
    - Digestionem tardam & malam.
  - Animi, sũt enim huius complexionis viri
    - Segnes, tardi & graues in motu, & tristes, raroque ridentes.
    - Diffidentes, suspiciosi & inuidi.
    - Iracundi, iramq; diu retinentes, peruersi & malitiosi.
    - Ambitiosi, superbi, gloriosi & philautia ducti.
    - Timidi & pusillanimes, solitarii & solliciti.
    - Inhumani & obstinati in opinionibus, & curiosi.
    - Profundæ cogitationis & sæpe doloribus & curis animi cruciati, habentq; imaginationes timidas.
    - Auari, sed & indecentes atque turpes & immundi in amictu seu vestitu.
- Præternaturalia, cuiusmodi sunt
  - Vrina tenuis, limpida, clara, & quãdoq; liuida & spissa atq; spumosa, atq; etiam nonnunquam tenuis & glauca ratione variæ expulsionis atque admixtionis humoris cum ea: at si adsit adustio rubra deueniet.
  - Pulsus vt antea paruus, tardus, durus & vacuus, nisi admixtione bilis celerior fiat.
  - Superfluitatum multitudo ab indigestione.
  - Ardor quandoq; oris ventriculi ab aciditate humoris, precipue vbi adest adustio.
  - Virtus digestiua affligitur, vt è regione retentiua fortificatur.
  - Vigiliç & insomnolentia, sed non in gradu tam intenso ac in complexione cholerica.

Graue-

Grauedo, & dolor capitis distensiuus in læua, qui circa vesperam vehementior erit.
Ventositas magna cum eructationibus acidis.
Somnia timida & terribilia, videlicet aut damni aut mortis amicorum, aut rerum tenebrosarum.
Vomitus, rugitus & tensio præcordiorum cum stomachi debilitate.
Difficultas respirationis.
Plenitudo phlegmatis & materiæ rheumaticæ à defectu digestionis.
Morbi qui exinde oriuntur, cuiusmodi sunt
- Quartana pura in Autumno.
- Insipientia.
- Morphea nigra.
- Morbi lienis.
- Lippitudines.
- Ephemera vbi atra bilis ex adustione adest, ex æstuosa spirituum intemperie.
- Tristitia & solitudo atque solicitudo.


Contingit melancholiæ prçternaturalis plenitudo seu dominium vel ratione status & quartæ anni Autumnalis, vel ratione dietæ frigidæ & siccæ, & quandoque vel ex retentione menstruorum, vel oppilatione venarum hæmorrhoidum, quæ solebant fluere.

Sciendum est quod ex annis quartis viget & dominatur humor iste in tempore Autumnali, & incipit dominium suum supra alias complexiones exercere à 18 Septemb. & regnat vsque ad 8. Octobr. Denique imperium quolibet die sibi vendicat ab hora 9. diei vsque ad 3. noctis. In quibus cum diligentia obseruandum est quod dolores cum capitis tum aliorum membrorum, atque morbi à melancholia enutriti plus vexent & perturbent ægrotos quam temporibus aliis.

Atque huc vsque egimus de signis demonstratiuis quatuor complexionum simplicium tam cælesti intuitu & consideratione quam elementari & ventoso respectu collectis. Iam vero ad complexionum mixtarum intuitum aliquantulum accuratiorem procedam.



LIBRI



LIBRI HVIVS PRIMI, MEMBRVM SECVNDVM:

De signis Complexionum compositarum tam naturalium, quam præternaturalium demonstratiuis agit.

CAPVT I.

Quod pabulum tam simplicium, quam mixtorum sit à Deo: quomodo mixtiones in cœlo prius ab astris præparantur, operante in iis verbo Dei, & tum postea à ventis commisceantur.

QVVM sit res satis rara complexionem mere simplicem inuenire, quæ non magis de ista, vel de illa participare animaduertatur, ideo operæpretium fore putaui rationem tam cœlestem quam elementarem istiusmodi simplicium complexionum in vnicam commixtionis reddere: nam in cœlo prius pręparatur istiusmodi mixtionis pabulum & fomentum, tam à stellis fixis, quam erraticis, siue naturarum vtriusque assimilatione in cœlis & more influentiæ in elementum mundi sublunaris Catholicum impluitur, in quo à spiritibus Angelicis ventis præsidentibus permiscetur, secundum Dei in mundo tunc regnantis proprietatem atque voluntatem: nam iuxta voluntatem suam proprietatem mutat omni die. Sic dixit propheta. *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant, &c.* Nam tametsi Deus à seipso seipsum dilatando emisit, & à natura seu organo Angelico primum recipitur eius voluntatis influxus, & in organum stellare confertur, à quo in organum ventosum impluitur: tamen semper est emanatio ista voluntatem diuinam per organa diuersa tam in cœlis quam in terris efficiens ipse Deus, videlicet verbum Dei & sapientia diuina à suo fonte non diuidenda.

In primo ergo loco complexionum mixtarum numerum recitabimus, & tum eorum causas enucleabimus; denique signa earum demonstratiua explicabimus.

Sciendum igitur imprimis est, quod quatuor humores in corporibus humanis distribuantur bifariam, videlicet aut totaliter aut partialiter. De totali in corpore complexionum mixtione, atque de ipsarum signis, in præcedenti membro satis sumus loquuti. In hoc vero membro de complexionibus partialiter sumptis, siue more simplici, siue more composito consideratis breuiter discurremus.

Complexiones, siue humores 12. viis seu modis distribuuntur: nam in quibusdam corporibus

1. Cholera solummodo excedit vel superat cęteros humores, quemadmodum cum ventus Orientalis, flantib. eodem temporis momēto cæteris ventis, dominium per excellentiam habere dignoscitur, & dicitur complexio cholerica, de qua superius egimus.
2. Cholera habet principale dominium, & melancholia nihilominus superat alios duos in corpore humores: non aliter quàm imperante in elemento Catholico Euro, siue Cæcio, satis tamen validus apparet in aëre Boreas, & in Meridionalem atq; Occidentalem potentiam habet; vt cum nubem ex prædominante afflatu Orientali, & satis forti spiraculo Boreali compositam, in ea mixtam videmus complexionem de fulgurea Euri prædominantis, & grandinosâ atq; frigida Boreæ in virtute proxime succedentis portione. Talem ergo complexionem Melancholicam Choleram vocamus.
3. Melancholia habet dominium primarium, & cholera videtur regnare sub ea super alios duos humores: vt cum nubes multo grandinis & niuis & pauxillo fulguris siue æstus componitur. Et talis mixta complexio dicitur Cholerica Melancholia.
4. Melancholia solum modo excedit reliquos humores, atque talis simpliciter melancholica dicitur complexio, vt vbi spiraculum Boreale solum dominium habens in aëre super illa aliarum quatuor. Et talem complexionem simpliciter Melancholicam vocamus.
5. Melancholia habet superioritatem, sed & sanguis etiam post eam & sub ea habet dominium in cæteros, vt cum ex dominante afflatu Boreali, & proxime in virtute superante Austro cæteros ventos nubes parum æstuosa, sed plus frigida & sicca in elemento conflatur; Et istam complexionem dictiramus Melancholiam sanguineam.
6. Sanguis superat, eiq; accedit, & quasi vices gerens est melancholia: non aliter quam Austro prædominante, & cum remissiori Boreæ spiritu quasi coeunte nubes procreatur magis æstuosa, quam terrea, & talis complexio nuncupatur sanguinea Melancholica.
7. Sanguis solum modo prædominatur cæteris, vt solum dominante Austro nubes tales procreantur, & dicitur talis complexio simplex Sanguinea.
8. Sanguis excedit in eminentia, & phlegma proximum ei adest in dominio non aliter quam ex vento Australi potentissimo, & Occidentali minus potenti nubes: & talis complexio vocatur mixta sanguinea phlegmatica.
9. Phlegma seu pituita superat, & sanguis in cæteros humores dominatur, vt excellente vento Occidentali, & proxime in virtute accedente Austro & istam mixtam complexionem phlegmaticam sanguineam dicimus.
10. Phlegma solum modo habet super cæteros dominium: vt si ventus Occidentalis solum modo in elemento Catholico spiraret; & talis complexio simplex Phlegmatica vocatur: de cuius signis superius egimus.
11. Phlegma habet primum locum & dominium, & cholera secundum, vt si ventus Occidentalis spirans fortiter debiliori vento Orientali occurrat in aëre, nubemq; talem generet; & dicitur ista complexio mixta Phlegmatica cholerica.
12. Cholera superat, & in virtute præest in gradu remissiori phlegma cæteris: non alitet quam Euro dominante, & cum Coro in remissiori tono spirante fit nubes talis. Atque hæc complexio dicitur Cholerica Phlegmatica.

Nec cuiquam videbitur hoc mirum, quod hominum complexiones in tot species distinxerimus, si multas in ipsis complexionum varietates rite respiciant: nam hæc est ratio quod in phlegmaticis quandoq; cum velox pulsus tum intensa vrina appareat, & in melancholicis pulsus frequens & quandoque magnus, & vrina rubea & spissa, videlicet vbi adest complexio pręternaturalis cholerica melancholica: at si fuerit melancholica cholerica, tunc

vrina erit magis remissa,sed nihilominus intensa,verum mediocriter spissa.Porro etiam ista est ratio melancholiæ adustæ, quam proprie Atram bilem vocant.

Denique vbi complexiones sunt mixtæ, ibi necesse est vt vrinæ varientur à calore & substantia complexionis simplicis: nec non est pulsus dispositio; quæ quidem est ratio quod medici in hunc vsque diem errauerint in vera complexionum cognitione, & quasi cæci in labyrintho pro via incognita palpauerint.

Vt ergo istud dubium atque palpabilem inter medicos errorem aufferrem, humorum siue complexionum istarum causas tam cœlestes quam elementares aperiam, & tunc signa earum demonstratiua enucleabo.

CAPVT II.

Quomodo signa cœlestia in ascendente inuenta sunt radicales complexionum tam simplicium,quam compositarum authores.

LVculenter ex *sequentibus* apparebit, quod complexiones humanæ non procedant aut à generatione aut procreatione aliqua parentum spermatica, aut à lacte muliebri seu nutricis, iuxta nonnullorum sententias, sed infunduntur & proportionantur partim ab influxus corporum cœlestium dominio, quæ in hora natiuitatis fuerunt super horizontem loci natiuitatis,& partim à ventorum mixtionibus, qui eos influxus per minimum in aëre permiscere solent. Et in primo loco cum corporibus sphæræ octauæ seu Zodiaci fixis in forma Canonum exordiar.

Regula 1.

Illud signum, siue illa signa, quæ inueniuntur in hotoscopo siue ascendente horæ natiuitatis pro certo demonstrabunt complexionem nati: Verbi gratia si inueneris signum ignea triplicitatis implere & solum modo occupare horoscopum, tunc affirmandum est, quod natus fuerit in complexione sua Cholericus: vt in priori distributione complexionum dictum est.

Regula 2.

Si vero inueneris maiorem ascendentis siue horoscopi partem signo igneo possideri, & residuum eiusdem à terrea occupari,tunc complexio nati erit Cholerica melancholica, vt in distributione secunda.

Regula 3.

At si posterior & minor signi ignei portio possideat ascendentem, maior vero signi terrei illum occupet, tunc natus erit complexionis melancholicæ cholericæ, vt in distributione tertia.

Regula 4.

Quando terreum signum occupat totum ascendentem, complexio nati erit simpliciter melancholica,vt in distributione quarta dictum est.

Regula 5.

Si in prima domo seu ascendente maior signi terrestris portio inueniatur,& residuum à signo aëreo impleatur, erit nati complexio melancholica sanguinea, vt in distrib.5.

Regula 6.

Vbi vero minor pars signi terrestris possidet horoscopum siue domum primam & minor portio signi aërei residuum occupet, ibi erit nati complexio sanguinea melancholica,vt distrib. 6.

Regula 7.

Cum signum aëreum implet totum horoscopum siue domum primam ibi complexio nati erit sanguinea,vt in disttib. 7.

Regula 8.

Verum si maior ascendentis portio occupetur à signo aëreo & minor ab aqueo, ibi complexio erit sanguinea phlegmatica,vt in distrib.8.

Regula 9.

Cum autem posterior signi aërei pars vnius impleat horoscopi spatium, & signum a-

queum possidet residuum, erit nati complexio phlegmatica sanguinea, vt in distrib. 9.

Regula 10.

Similiter si aqueum duntaxat signum impleat horoscopum seu domum primam, tunc nati complexio erit simpliciter phlegmatica: nisi sit cancer qui est sanguineus cholericus, & scorpio qui est phlegmaticus sanguineus, vt in distrib. 10.

Regula 11.

At si inuenias in prima domo seu angulo ascendentis partem signi aquatici maiorem, & signi ignei minorem, tunc illa nati complexio erit phlegmatica cholerica, vt in distrib. 11.

Regula 12.

Denique si in ascendente collocetur pars aquei signi minima & maior signi ignei, erit natus complexione cholericus phlegmaticus vt in dist. 12.

Conclusio.

Hoc quidem verum atque infallibile est, experientia comprobatum, nisi planeta aliquis in ascendente reperiatur; quod si contingat, tunc natura & qualitas planetæ illius concurrit ad planetæ illius constitutionem, illam miscendo cū illis aut signi, aut signorum. Atq; hoc quicunq; experietur verū inuenire potest. Non ergo mirum est si Zodiacus ab animaliū in eo positorum naturis siue vitæ complexionibus, quasi animal dicatur à quo radicales descendunt complexionum influxus in hęc inferiora, qui à planetis ipsis natura conuenientibus corroborantur: verbi gratia cholera flaua à Sole & rubra atque ferruginea à Marte: sanguis à Ioue & Venere, melancholia à Saturno, & phlegma à Luna.

Quomodò autem humores isti in corporibus ratione mixtionum cœlestis influxus alterentur, & à statu in statum commutentur, sic accipito.

CAPVT III.

De simplicibus triplicitatum 4. Zodiaci in complexionibus tam naturalibus, quam præternaturalibus componendis naturis atq; proprietatibus.

Triplicitas ignea agit in elementum ignis, & consequenter in fontem Orientis vētosum calidum & siccum, cuius signa sunt
- ♈ cuius gradus
  - Primi 18. temperate calidi & sicci choleram naturalem gignentes.
  - Vltimi 12. calidi & sicci in principio 1. gradus, choleram flauam gignentes.
- ♌ est calidior & siccior quam ♈
  - Primi 6. calidi sicci in primo gradu, faciuntque bilem flauam & amaram.
  - Proximi 18. gradus sunt calidi & sicci in 2. gr. causantes choleram flauam & morbos tales.
  - Vltimi 6. sunt calidi & sicci in principio tertij & pariunt choleram rubeam & morbos tales.
- ♐ est calidior & siccior quam ♌
  - Primi 12. gr. sunt calidi & sicci in gr. 3. faciuntq; multam choleram rubeam, suntq; febrium ardentium causæ, &c.
  - Vltimi 18. sunt calidi & sicci in gr. 4. faciuntque carbunculos, pestes æstuantissimas, & morbos acutissimos.

Hæc autem triplicitas ignea iuxta profundiorum astrologorum sensum spectat ad Orientem, & consequenter efficit ventos seu spiritus Orientales eorum virtutum siue influentiarum dispensatores in mundum inferiorem.

Tri-

Triplicitas aërea agit in aërem, & per consequens in eius fontem Meridionalem, imprimendo in illum calidum & humidum: huius signa sunt

- ♊ cuius gradus
  - Primi 18. gr. sunt temperatè calidi & humidi, sanguinemque naturalem gignunt.
  - Vltimi 12. sunt calidi & humidi in principio 1. gr. sanguinemq; dulcem faciunt parum supra naturæ sanguineæ modum, & morbos tales.
- ♎ calidior & humidior, quàm ♊, cuius gradus
  - Primi 6. sunt calidi & humidi supra naturæ leges, generantque sanguinem multum, eumque densum, crassum, & morbos tales.
  - Medii 18. sunt calidi & humidi in altiori adhuc mensura, & suos augent effectus, faciuntque morbos tales.
  - Vltimi 6. sunt calidi & humidi in principio tertii gr. plurimumque gignunt sanguinē, eumque spissum, & morbos tales.
- ♒ est calidior & humidior quàm ♎. vnde fit, vt distemperetur & nociuus sit & destructiuus, gradus huius
  - Primi 12. sunt calidi & humidi in tertio gradu.
  - Vltimi 18. sunt calidi & humidi in quarto, generantes multum sanguinem crassum, putridum, insalubrem, & morbos tales.

Hæc autem triplicitas Meridiem iuxta Guidonis & aliorum sententias eligit pro sua sede, & illam plagam influentiæ suæ promptuarium seu sacrarium statuit, vt per spiritus eiusdem quartæ ventosos in communem elemēti catholici campum distribuantur atq; dispergantur.

Triplicitas terrea agit in terram, & cōsequēter in eius fontem Septentrionalem, imprimendo in illam frigiditatem & siccitatem; eius signa

- ♉ cuius gradus
  - Primi 18. sunt frigidi & sicci, gignentes naturalem melancholiam.
  - Vltimi 12. sunt frigidi & sicci in principio 1. gradus, procreantque melancholiam aliquantulum præternaturalem, & morbos tales.
- ♍ quod est minus temperatum quàm ♋ & magis appropinquat destructioni, huius gradus
  - Primi 6. sunt frigidi & sicci in 1. gr. faciuntque melancholiam præternaturalem primi ordinis, & morbos tales.
  - Medii 18. sunt frigidi & sicci in 2. gr. gignētes prçternaturalem melancholiam secundi ordinis, & morbos tales.
  - Vltimi 6. sunt frigidi & sicci in principio tertii gr. efficiuntque melancholiam præternaturalem tertii ordinis, & morbos tales.
- ♑ quod est magis frigidum & siccum quàm ♏ & magis melancholicum, cuius gradus
  - Primi 12. sunt frigidi & sicci in 3. gr. gignuntque melancholiam in tali gr. & dolores seu morbos tales.
  - Vltimi 18. sunt frigidi & sicci in 4. gr. generantes melancholiam talem cum morbis desperatis eiusdem ordinis.

Hæc triplicitas iuxta Astrologorum sententiam ad plagam mundi inferioris Septentrionalem spectat, & in eam quasi arcam ipsius thesaurariam influxus sibi proprios, siue terrea sua seminaria impluit, vt mediantibus spiritibus Angelicis illius loci cum elemento communi per minima permisceant.

Triplicitas aquea agit in elementum aquæ, & consequenter in eius fontē Occidentalem imprimendo in illum frigidum & humidum, cuius signa sunt

- ♋ est signum salsum & aqueum, cuius gradus
  - Primi 18. sunt frigidi & humidi temperate, gignuntque pituitam naturalem.
  - Vltimi 12. sunt frigidi & humidi in principio. 1. gr. phlegma frigidū procreantes aliquantulum non naturale.
- ♏ est signum ♋ frigidius, salsum, ponderosum, cuius gradus
  - Priores 6. sunt frigidi & humidi in 1. gr.
  - Medii 18. sunt frigidi & humidi in gr. 2. faciuntque morbos tales.
  - Vltimi 6. gr. sunt frigidi & humidi in principio tertii gr. gignentes nō naturalem & salsam pituitam, & spissam atque putridam aquam, gignuntque morbos tales.
- ♓ est signū aqueum, salsum destructiuum tam animaliū, quàm vegetabilium, cuius gradus
  - Primi 12. sunt frigidi & humidi in 3. gr. vnde morbos tales afferre solent.
  - Vltimi 18. sunt frigidi & humidi in 4. gr. vnde phlegma fœtidū & corruptum, aquamque spissam corruptiuam producunt, & per consequentiam morbos tales.

Hæc triplicitas (teste Arnoldo) respicit mundi quartam Occidentalem, & de complexionibus phlegma: quare euidens est, quòd influxuum ipsius sacrarium arca thesauraria est ista mundi quarta, à qua (sic volente Deo) per spiracula eiusdem aquea, vndique in elementum mundi sublunaris catholicum dispergunt istius triplicitatis seminaria.

Atque hoc modo habetis rationem quomodo à parentibus fixis radicaliter emanant complexionum tam morbidarum bases atque fundamenta, non modo in hora conceptionis siue generationis, verùm etiam in quocunque tempore post generationem, tam ad creaturarum sustentationem, quàm ad earum punitionem & flagellum ordinata, & quotidie à superioribus in loca ipsis à Deo destinata influentia.

Iam verò de Planetarum cum istis mixtione agemus, mediante qua tot in mundo procreantur complexiones tam morbosæ quàm salutares variæ, verba efficiemus vtilia licet curta.

CAPVT IV.

In quo naturarum Planetarum alterationes, iuxta signa, in quibus existunt; & per consequens complexionum de statu in statum tam bonum, quàm malum mutationes enucleantur: & primùm de eorum statu in Triplicitate ignea.

Planetæ in ♈ ♌ ♐ triplicitate ignea, siue Orientali.

IAM verò vobis aperiam mutationes illas præternaturales complexionum, siue humorum quas faciunt Planetæ in triplicitatis igneæ signis, cùm ipsi sunt quæstionis significatores seu domini, non solummodo in mutationibus, sed morbi initio: nam vt in simplici triplicitatum consideratione complexiones simplices naturales describuntur, ita quidem hîc humorum tam præternaturalium quàm naturalium causæ cœlestes explicantur.

Inprimis autem cum primo signo triplicitatis igneæ, videlicet ♈.

Si figu-

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in ♈ gradibus

- Primis 18. & sic
  - ♄ est temperatus in caloie & frigore, sed est siccus in 1. gr. gignés tenuem bilem flauam & melancholiam, & morbos ex iis.
  - ♃ est temperatus in humiditate & siccitate, sed calidus in 1. gr. faciens morbos ex tenui, acuta & flaua bile sanguinem corrumpente.
  - ♂ est calidus & siccus in gr. 1. generans choleram flauam & rubeam, & morbos tales.
  - ☉ est calidus & siccus in principio primi, efficiens multam choleram flauam, tenuem & acutam, & morbos tales.
  - ♀ est temperata in omnibus quatuor qualitatibus, & tamen intemperiem facit aliquam à tenui flaua cholera cum tenui aquositate simul mixta, & morbos tales.
  - ☿ est temperatus in caliditate & frigiditate, sed siccus in gr. 1. faciens morbos ex tenui subtili cholera, cum tenui melancholia æqualiter mixta.
  - ☾ est temperata in omnibus quatuor qualitatibus, sed inclinat ad procreationem flauæ choleræ cum aquositate, & morborum talium.
- Vltimis 12. & sic
  - ♄ est frigidus & siccus in principio secundi, & producit plurimũ melancholiæ cum superfluo phlegmate & morbos tales.
  - ♃ est calidus in principio tertii, & siccus in principio secundi, gignitque spissam & acutam, siue acrem choleram, ex qua mixtione morbi tales procreantur.
  - ♂ est calidus & siccus in 1. gr. gignens choleram præternaturalem flauam & rubram, morbosque tales, sed cholera flaua habebit dominium.
  - ☉ est calidus & siccus in 1. producens acrem flauam bilem, morbosque tales.
  - ♀ est sicca in principio 1. & calida in 2. gignens tenuem pituitam & flauam bilem, morbosque tales, sed bilis habebit dominium.
  - ☿ est calidus in principio 1. & siccus in principio 2. faciens choleram magis tenuem, & tenuem melancholiam, morbosq; tales, sed cholera prædominabitur.
  - ☾ est calida & sicca in principio 1. gr. gignens flauam choleram & aquam, sed cholera habebit dominium.

Modus autem quo tales humores fiunt, est talis. Sciendum ergo est, quòd influentiæ cœlestes sunt respectu inferiorum quæ informant merè formales; vnde actum vel choleræ, vel melancholiæ, vel sanguinis, vel pituitæ, tam in simplici sua natura, quàm in mixta à cœlestibus fluere certum est: materia verò est ex communi elemento sublunari, quod aquam appellamus: dispensatores istorum donorum cœlestium sunt spiritus ventosi, quorum est formas cœlitus datas vndique per aërem expandere. Est ergo substantia humoris non à cœlo, sed à communi materiarum sublunarium thesauro seu promptuario elementari. Dat ergo cœlum, mediantibus Angelis & organis stellaribus, Olympi influxus formales, Angeli cœlestes eos illis quatuor cœli inferioris Angelis committunt, qui sunt ventorum cardinalium præsides: Stellæ ergo ab Angelis, Angeli à Deo, venti à stellis quasi organa immaterialia à materialibus, & Angeli inferioris ordinis ab illis superioris: horum omnium actor est ipse Deus.

Hîc ergo est mixtio Boreæ cum Euro, vbi ♄ cum ♈, & Meridies cum Oriente, vbi ♃ cum ♈, & Cæcius cum Euro, vbi ♂ cum ♈, & Subsolanus cum Euro, vbi ☉ cum ♈, & Fauonius cum Subsolano, vbi ♀ cum ♈, & Africus cum Cæcio seu Aquilone, vbi ☿ cum ♈, & Corus cum Euro, vbi ☾ cum ♈. Et sciendum est, quòd vt gradus sunt in alteratione qualitatum humorum, ita quidem gradus sunt proprietatũ in alteratione mixtionum ventorum.

Triplici-

Triplicitas ignea.

De ♌.

Si figuræ significator inueniatur in leonis gradibus

- Primis 6. & sic
  - ♄ est calidus gr.1.siccus in 2.faciens densam flauam choleram & melancholiam, sed habet choleră dominium cum pituita superflua, facitque morbos tales.
  - ♃ est calidus in gr.2. & siccus in 1. producens spissam choleram mixtam cum sanguine, morbosque tales, sed cholera prædominabitur.
  - ♂ est calidus & siccus in principio 2.gr. producens rubram choleram & flauam cum talibus morbis, habebitque flaua dominium.
  - ☉ est calidus & siccus in principio 2.gr.facitq; choleram flauam, morbosque tales.
  - ♀ est calida & sicca in 1.gr. faciens flauam choleram & tenuem aquositatem, morbosque tales.
  - ☿ est calidus in 1.gr.& siccus in 2. gignens satis densam choleram & tenuem atque subtilem melancholiam, sed cholera habebit dominium, morbosque similes proferet.
  - ☾ est calida & sicca, gignens morbos ex phlegmate & cholera flaua, sed cholera flaua habebit dominium.
- Mediis 18. & sic
  - ♄ calidus in 2.gr.& siccus in 3.gignitq; densam choleram & melancholiam, sed cholera habebit dominium cum phlegmate superfluo, facitque morbos tales.
  - ♃ siccus in 2. calidus in 3. faciens densam rubeam choleram, & sanguinem, morbosque tales, sed cholera præualebit.
  - ♂ est calidus & siccus in 2.gr. producens spissam rubeam choleram, & morbos ex ea.
  - ☉ est calidus & siccus in extremitate secundi, causans abundantiam flauæ bilis, & morbos ex iisdem.
  - ♀ est calida & sicca in 2.efficiens densam flauam bilem cũ aquositate tenui, morbosque tales, sed habebit cholera dominium.
  - ☿ est calidus in 2.gr. & siccus in 3. gignitque multum densæ flauæ choleræ cum tenui melancholia, sed cholera prædominatur, eruntque morbi tales.
  - ☾ est calida & sicca in principio secundi, gignitq; morbos & humores infrà in ea in gradibus 6. vltimis existentes descriptos.
- Vltimis 6. & sic
  - ♄ est calidus in principio tertii, & siccus in principio quarti, gignitq; rubeam choleram cum melãcholia, ex quibus morbi pestiferi atque admodum maligni exurgunt.
  - ♃ est calidus in principio quarti, & siccus in principio tertii, producens rubram choleram mixtam cum rubeo sanguine, sed prædominatur cholera, vnde morbi tales.
  - ♂ calidus & siccus consumptiuus in 3.gr.gignẽs multam spissam, rubram choleram, admodum calidam & siccam, adurentem & consumentem humidum radicale.
  - ☉ est calidus & siccus, facitque humores ei in 18. mediis grad. ascriptos.
  - ♀ est calida in principio gr.3.& sicca in principio 2. generans dẽsam choleram, rubeam, & tenuem aquositatem, sed cholera habebit dominium, morbosque tales gignit.
  - ☿ calidus in principio tertii, & siccus in principio quarti, gignẽs multum choleræ rubræ & melancholiæ tenuis, & cholera habebit dominium, facitque morbos tales.
  - ☾ calida & sicca in gr.3. gignitque multum choleræ rubræ & aquæ salsæ, & cholera rubra habebit dominium, facitque morbos tales.

Sciendum

Sciendum eſt, quòd vt videmus horum trium triplicitatis ſignorum naturas validiorem efficere in humore malignitatem: nam ♈ mitiores producit effectus ♌ ſeueriores, & ♐ atrociſſimos: ita quidem quilibet mundi cardo ventos habet tres, quorum cardinalis eſt mitior, collateralis ſeuerior: hinc in relatione huius triplicitatis cum ventis, ♈ Subſolano, ♌ Euro, & ♐ Cæcio natura & proprietate ritè comparantur, atque ita in cæteris.

Triplicitas ignea. *De* ♐.

Si figuræ cœleſtis ſignificator inueniatur in ♐ gradibus

Primis 12. & ſic

- ♄ eſt temperatè calidus & humidus, ſed ſiccus in grad. 1. gignens choleram flauam & melancholiam, facitque morbos tales.
- ♃ eſt ſiccus in 3. gr. & calidus in 4. faciens rubram choleram, & craſſum ſanguinem, atque morbos tales.
- ♂ eſt calidus & ſiccus in 4. gr. generans rubram choleram admodum æſtuoſam & ſiccam, & conſequenter conſumptiuam, facitque morbos tales.
- ☉ calidus & ſiccus in principio quarti, efficiens morbos ex nimiâ cholera denſa, rubra & flaua mixtis, ſed cholera rubra denſa habebit dominium.
- ♀ eſt calida in 3. gr. & ſicca in 2. faciens morbos ex denſa rubra cholera, & tenui aquoſitate, ſed cholera habebit dominium, facitque morbos tales.
- ☿ eſt calidus in 3. gr. & ſiccus in 4. gignens multum choleræ rubræ denſæ, & melancholiæ tenuis, morboſque iis conſentaneos.
- ☾ eſt calida & ſicca in 3. gr. facitque multum choleræ rubræ cũ aqua ſalſa, & talis humor erit ſalſus, morbique tales.

Vltimis 18. & ſic

- ♄ eſt calidus in principio quarti, & ſiccus in extremitate quarti, ſupra leges naturæ deſtructiuus & conſumens humidum radicale, facitque morbos tales.
- ♃ ſiccus in principio quarti, & calidus in extremo eiuſdem, facitque morbos periculoſos à rubra cholera, qualis eſt Noli me tangere.
- ♂ eſt calidus & ſiccus in fine quarti gr. & conſequenter ſupra naturæ limites, conſumens & deſiccans humidum radicale.
- ☉ eſt calidus & ſiccus in extremo 4. facitque morbos de cholera flaua ſpiſſa, extremè calida & ſicca, atque acuta.
- ♀ eſt calida & ſicca in principio 4. faciens denſam rubram choleram, & pituitam tenuem atque aquoſam, ſed cholera habet dominium.
- ☿ eſt calidus ferè in 4. gr. & ſiccus in extremo 4. faciens humores & morbos antea allegatos, ſed in altiori gradu.
- ☾ eſt calida & ſicca in principio gr. 4. faciens humores, videlicet choleram rubram & ſalſam pituitam, & conſequenter morbos in altiori gradu.

Non poſſumus ♐ naturam, vtpote magis malitioſam cuique ex ventorum Orientalium meliùs referre, quàm Cæciæ, quippe qui eſt ventus ſicciſſimus, corrodens, & malitiæ plenus, vt teſtantur authores.

CAPVT V.

Planetæ in triplicitate terrea seu Septentrionali, ♉. ♍. ♑.

De Planetarum statu in complexionibus, siue humoribus commutandis, dum in signis triplicitatis terreæ existunt.

Triplicitas terrea.

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in ♉ gradibus

- Primis 18. & sic
  - ♄ est frigidus & siccus in 1.gr. & gignit non multum melancholiæ & morbos tales.
  - ♃ non multum mutatur in qualitatibus præterquam quòd sanguis aptus sit in melancholicum succum & cholericum mutari, arguit ergo morbos à viscida pituita.
  - ♂ temperatus est in calido, at siccus in gr.1. gignens morbos ex rubra cholera & pituita æqualiter mixtis: vnde morbi quandoque calidi, quandoq; frigidi simul contingunt.
  - ☉ est temperatus in calido & frigido, sed est siccus in 1.gr. gignẽs morbos ex melancholia & tenui bile, at melancholia prædominatur, facitque morbos tales.
  - ♀ est temperata in humido & sicco, facitque morbos ex melancholia, & tenui pituita, & melancholia habet dominium.
  - ☿ est frigidus & siccus in 1.gr. producens duas melancholiæ species, videlicet densam & tenuem, facitque morbos tales.
  - ☾ est temperata in humido & sicco, sed frigida in 1.gr. gignitq; densam melancholiam & tenuem salsam pituitam, facitq; pituitam acidam, sed melancholia habet dominium.
- Vltimis 12. & sic
  - ♄ est frigidus & siccus in principio secundi, gignitque multum melancholiæ cum phlegmate, affligens cor & cerebrum.
  - ♃ est frigidus & siccus in 2. gr. faciens morbos ex sanguine melancholico dominante, & morbos tales.
  - ♂ est temperatus in calido & frigido, sed siccus in gr.1. faciens morbos ex melancholia & cholera æqualiter mixtis, vnde morbi erunt quandoque frigidi, & quandoque calidi.
  - ☉ est frigidus in principio 1. & siccus in principio 2. gignẽs morbos ex spissa melancholia, & tenui & acuta bili flaua, & prædominabitur melancholia, estque humor partim acidus, partimque amarus.
  - ♀ est frigida in principio 2.gr. & sicca in principio 1. facitque morbos ex spissa melancholia & tenui phlegmate, habebitq; melancholia dominium.
  - ☿ frigidus & siccus in principio 2.gr. facitque humores antea in grad.18. recitatos.
  - ☾ est temperata in siccitate & humiditate, sed est frigida in gr.1. producens spissam melancholiam, & tenuem salsam pituitam, facitque acidam pituitam: at melancholia habebit dominium.

Arca horum formalium influxuum thesauraria elementaris, seu regni sublunaris est plaga mundi Borealis, quippe quæ tam ab ipso Saturno quàm terrea triplicitatis virtute gubernata, & quasi sigillo contractiuo siue frigido & sicco insignita. At in aliorum Planetarum mixtionibus cum istis triplicitatis huius naturis, variæ contingunt præternaturales in humoribus naturalibus mutationes heterogeneæ, nõn aliter quàm ex simplici afflatu Septentrionali humor melancholicus insurgit, idque præcipuè gubernante Saturno ex ♃ cum his mixtione humor se habebit vt nubes genita ex proportionalis afflatus Meridionalis & Septentrionalis mixtione. At nubes ex spiraculis Euri & Boreæ producta erit, vt ♂ in ♉, si ex Subsolano & Borea, vt ☉ in ♉: Si ex Fauonio & Borea, vt ♀ in ♉: si ex Coro & Borea vel Africo & Borea, vt ☾ in ♉, &c.

De in.

De ♍.

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in ♍ gradibus

Primis 6. & sic

♄ est frigidus & siccus in 2. gr. inducens intemperiem à frigore & siccitate.

♃ est frigidus & siccus in 1. gr. gignitque choleram æruginosam & prassinam, seu humorem ex melancholia & sanguine, habetque melancholia dominium.

♂ est frigidus & siccus in gr. 2. faciens morbos ex melancholia & cholera rubra, & melancholia habet dominium.

☉ est frigidus in gr. 1. & siccus in 2. paritque morbos ex melancholia & densa cholera flaua, habetque melancholia dominium:

♀ est frigida in gr. 2. & sicca in 1. paritque melancholiam cum tenui aquositate; morbosque tales, & dominatur melancholia:

☿ est frigidus & siccus in principio 4. gr: gignitque melancholiam duplicem, morbosque tales, vt *superiùs* de eo est dictum.

☾ est sicca in 1. gr: & frigida in 2: faciens melancholiam & aquã salsam, seu pituitam acidam; & habet melancholia dominiũ.

Mediis 18. & sic

♄ est frigidus & siccus in gr. 3. inducens melancholiam seu intemperies melancholicas.

♃ est frigidus & siccus, pariens choleram & melancholiam mixtas.

♂ est frigidus in 2. gr: & siccus in 3. faciens humores & morbos, vt *suprà* in 6. primis:

☉ est frigidus in 2: & siccus in 3. gr. pariens morbos ex melancholia & densa flaua bili, habetque melancholia dominium.

♀ est frigida in 3. & sicca in 2. generans morbos *vt suprà* in grad. 6. primis.

☿ est frigidus & siccus in 3. gr. producens humores antedictos, sed in intensiori gradu.

☾ sicca est in gr. 2. & frigida in 3. seu principio 4. faciens morbos & humores nominatos in ista triplicitate.

Vltimis 6. & sic

♄ est frigidus & siccus in principio 4. gr. gignens multam melancholiam valdè frigidam & siccam cum phlegmate superfluo viscido, pariente indigestionem.

♃ frigidus & siccus in principio 3. gignens choleram & melancholiam, vt *suprà*, & melancholia habet dominium.

♂ est frigidus in principio 3. gr. & siccus in principio 4. producens spissam melancholiã & rubeam choleram, idque in intẽsiori gradu quàm in prædictis huius gradibus.

☉ est frigidus in principio 3. gr. & siccus in principio 4. efficiens melancholiam & densam bilem flauam, morbosque tales.

♀ frigida in principio 4. & sicca in principio 3. faciens morbos ex melancholia & tenui pituita in visceribus.

☿ est frigidus & siccus in principio 4. generans melancholiam duplicem & morbos tales, *vt antea*, sed in gradu altiori.

☾ est sicca in gr. 3. & frigida in 4. faciens melancholiam & aquã salsam siue pituitam acidam in gradu intensiori.

De ♑.

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in ♑ gradibus

Primis 12. & sic

♄ est frigidus & siccus in gr. 4. gignens melancholiam extremè frigidam & siccam cum phlegmate viscoso, facitque morbos tales.
♃ est frigidus & siccus in 3. grad. faciens melancholiam mixtam cum cholera, & melancholia habet dominium.
♂ est frigidus in 3. gr. & siccus in 4. facitque morbos à nimia viscosa & sicca melancholia & rubra cholera, at melancholia dominium habet.
☉ est frigidus in gr. 3. & siccus in 4. gignens melancholiam fœculentam & tenuem bilem flauam, morbosque tales, & melancholia habebit dominium.
♀ est frigida in gr. 4. & sicca in 3. procreans morbos ex melancholia & tenui pituita.
☿ est frigidus & siccus in gr. 4. producens morbos ex multa siccitate & melancholia obstinata, morbosque tales.
☾ est sicca in gr. 3. & frigida in 4. faciens morbos ex aqua salsa & melancholia acri, & melancholia habet dominium.

Vltimis 18. & sic

♄ est frigidus & siccus in extremo 4. gr. & consequenter mortaliter, faciens morbos melancholicos incurabiles.
♃ est frigidus & siccus in principio 4. gr. faciens morbos ex tenui melancholia & sanguine, & melancholia habet dominiū.
♂ est frigidus in principio 4. gr. & siccus supra naturæ leges, faciens morbos ex multa melancholia, & cholera rubra.
☉ est frigidus in gr. 4. & siccus supra naturæ limites, faciens morbos ex melancholia & tenui cholera flaua, & melancholia habebit dominium.
♀ est frigida in extremitate 4. gr. & sicca in principio gr. 3. efficiens melancholiam frigidam & tenuem pituitam, & melancholia habet dominium.
☿ est frigidus & siccus in extremo gr. 4. idque vltra naturæ temperiem, facitque morbos tales quasi incurabiles.
☾ est sicca in principio 4. gr. & frigida vltra modum in extremo 4. producens morbos ex melancholia & aqua salsa siue acida extinguente calorem naturalem, gratia extremæ frigiditatis.

Hoc ergo extremum huius triplicitatis signum Boreæ si placet comparare possis respectu proprietatis vtriusque, & memini ego in tempore vniuersalis gelu & glaciei quæ circiter septennium ab hinc contigit, quæ adeò erat magna vt animalia cum plaustris Thamesis fluuium transire potuerint, quòd Saturnus cum ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ & ☾ in ♑ erat inuentus, vbi ♄ omnes hos planetas in domum suam gelidam accipere videbatur, ipsosque in hospitium suum inuitare, vt dies Natiuitatis mundi Saluatoris in epulis & conuiuiis cum ipsis præteriret, eosve quasi captiuos in tali spatio retineret, vt vniuersum mundum sublunarem flatibus suis Borealibus durante eo tempore gubernaret. Hinc ergo liquet qualis est rigida & gelida ♑ in elemento sublunari potestas, qua cuncta mediantibus suis spiraculis Septentrionalibus suo imperio & proprietati subiicit.

CAPVT V.

De Triplicitate aquea, siue Occidentali ♋. ♏. ♓.

In quo planetarum status in complexionibus siue humoribus, tam naturaliter quam præternaturaliter commutandis, dum in signis triplicitatis istius manent, ostenditur.

Si schematis cœlestis dominator inueniatur in ♋ gradibus

Primis 18. & sic

- ♄ est frigidus in principio 2. grad. & humidus in principio 1. gignens frigidas & humidas ægritudines ex melancholia & aqua.
- ♃ est temperatus in frigido & calido, sed humidus in gr. 1. producens choleram vitellinam & phlegma aqueum, & phlegma prædominabitur.
- ♂ est temperatus in omnibus quatuor qualitatibus, & tamen facit morbos ex rubra cholera mixta cum pituita.
- ☉ est frigidus & humidus in principio 1. producens morbos ex tenui salsa materia & subtili cholera flaua, sed aqua prædominatur.
- ♀ est frigida & humida in 1. gr. faciens morbos ex pituita & salsa materia.
- ☿ est frigidus in grad. 1. & temperatus in sicco & humido, gignitq; tenuem melancholiam & aquam salsedinosam.
- ☾ est frigida & humida in gr. 1. faciens morbos ex cruda & vitrea pituita admodum frigida.

Vltimis 12. & sic

- ♄ est frigidus in principio gr. 2. & humidus in principio 1. producens frigidos & humidos morbos ex melancholia & aquositate.
- ♃ est frigidus in principio 2. & humidus in principio 3. gignitq; multum phlegmatis & aquæ cum sanguine mixtæ, phlegmaque prædominatur.
- ♂ est frig. & humidus in principio gr. 1. pariens morbos ex rubea cholera & phlegmate salso, & phlegma habet dominium.
- ☉ est humidus in principio gr. 1. & calidus in principio 2. producens morbos ex sanguine & tenui acuta cholera flaua.
- ♀ est frig. & humida in principio 2. faciens morbos ex nimio frigido & salso phlegmate, & aqua in brachijs & humeris.
- ☿ est frigidus in principio gr. 2. & humidus in principio 1. gignitque tenuem melancholiam & tenuem salsedinosam aquam seu phlegma, & aqua habebit dominiũ.
- ☾ est frigida & humida in principio 2. grad. gignens frigidum, & vitreum phlegma.

Hic cancrum referimus vento Fauonio, seu cardini occidentali cui assimilatur in proprietatibus suis; vt scorpionem vento Africo; & pisces Coro de quibus *infra*. ♄ ergo in ♋ parit humorẽ talem flatus Borealis & Fauonius suis mixtionibus seu coitu nubem, videlicet ex niuali & aquea substantia, qualem ♃ in ♋ talem; vt concursus afflatuũ Austri & Fauonij nubem. ♂ in ♋ talem ac concursus Euri vel Cæciæ cum Fauonio nube. ☉ in ♋ talem ac flatus subsolani cum Fauonio nubem vel humorem. ♀ in ♋ talem qualem Africus & Fauonius vaporem: denique ☾ in ♋ simplicem Fauonij effectum denotat, seu humorem phlegmaticum, aut saltem mixtionem cum Coro.

De ♏.

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in ♏ gradib.

Primis 6. & sic

♄ est humidus in 1. gr. & frigidus in 2. gignens multum putridi, fœtidi, salsi atque corrupti phlegmatis & melancholici, habetque phlegma seu aqua dominium.
♃ est frigidus in primo & humidus in 2. gignens choleram vitellinam, hoc est, humorem mixtum ex sanguine & pituita, habetque pituita dominium.
♂ est frigidus & humidus in 1. faciens morbos ex spisso, putrido & fœtido phlegmate, atque rubra cholera, habetque phlegma dominium.
☉ est frigidus & humidus in gr. 1. causans morbos ex viscido & fœtido phlegmate, atque cholera tenui, habetq; phlegma dominium.
♀ est frigida & humida in gr. 2. faciens morbos ex multa spissa, putrida & fœtida pituita seu aqua.
☿ est humidus in gr. 1. & frigidus in 2. faciens melancholiã multam tenuem & spissam, fœtidam & salsam pituitam siue aquam, habebitque aqua dominium.
☾ est frigida & sicca in gr. 2. gignitque fœtidam & salsam pituitam atque aquam putridam.

Medijs 18. & sic

♄ est humidus in 2. grad. & frigidus in 3. faciens morbos ex pituita acetosa, putrida & salsa, vt *infra*.
♃ est frigidus in 2. & humidus in 3. generans choleram vitellinam ex sanguine, & multum phlegma stypticum, vt 3. ad 1.
♂ est frigidus & humidus in gr. 2. efficiens spissum, fœtidum, viscidum, corruptum & salsum phlegma mixtum cum rubra cholera, & phlegma habet dominium.
☉ est frig. & siccus in 2. generans morbos ex putrida & corrupta pituita cum cholera flaua, & phlegma habet dominium.
♀ est frigida & humida in 3. gr. faciens humores vt antea, sed deteriores.
☿ est frigidus in 3. & humidus in 2. gr. generans morbos & humores vt antea sed maligniores.
☾ est frigida & humida in 3. gr. generans morbos ex viscoso, fœtido, putrido salsoque phlegmate seu aqua.

Vltimis 6. & sic

♄ est frigidus in principio 4. & humidus in principio 3. faciens humores in primis 6. gr. nominatos, sed in gradu altiori.
♃ est frigidus in principio 3. & humidus in principio 4. gignens choleram vitellinam ex fœtida, salsa & putrida pituita cum cholera & pituita habet dominium.
♂ est frigidus & humidus in principio 3. faciens morbos ex spissa, salsedinosa & corrupta atque putrida pituita seu aqua mixta cum cholera rubra, & aqua habebit dominium.
☉ est frigidus & siccus in principio 3. gr. gignens morbos atque humores tales.
♀ est frigida & humida in principio 4. faciens humores & morbos vt supra, sed periculosiores.
☿ est frigidus in principio 4. & humidus in principio 3. faciens morbos ex viscido, putrido phlegmate, ac tenui melancholia vt antea.
☾ est frigida & humida in principio 4. faciens morbos vt antea, & magis periculosos.

Influ-

Influxuum ♏ promptuarium videtur esse Africus, vt Fauonius Cancri, quippe quæ est plenilunij sedes: at ♋ est domus ☾. Ad reliqua quæ spectant faciendum est vt ante dictum est de mixtionibus planetæ cum signo, aut venti cum vento, vnde nubes seu humores sortiuntur varij.

De ♓.

Si figuræ cœlestis prædominator seu significator inueniatur in gradib. ♓

- Primis 12. & sic
  - ♄ est humidus in 3. gr. & frigidus in 4. faciens morbos ex multa frigida & humida pituita seu aqua putrida & fœtida mixta cum melancholia.
  - ♃ est frigidus in 3. & humidus in 4. faciens multam aquam salsam & phlegma putridum mixtum cum sanguine, dominabiturque phlegma.
  - ♂ frigidus & humidus in 3. gr. faciens morbos ex viscido, spisso & acido phlegmate mixto cum rubra cholera, at phlegma prædominatur.
  - ☉ est frigidus & humidus in 3. gr. faciens morbos ex spissa & fœtida aqua mixta cum cholera flaua, sed aqua habet dominium.
  - ♀ est frigida & humida in gr. 4. generans multũ viscidum, spissum & salsum phlegma & aquam.
  - ☿ est humidus in gr. 3. & frigidus in 4. gignens morbos ex viscido & spisso phlegmate & tenui atque acida melancholia; & phlegma dominatur.
  - ☾ est frigida & humida in 4. faciens morbos ex multa pituita salsa, viscida & putrida, simul atque phlegma vitreum.
- Vltimis 18. & sic
  - ♄ est humidus in principio 4. & frigidus in extremitate 4. supra naturæ leges corrumpens & destructiuus, indigestiuus & calidum natiuum extinguens, inferens mortificationem & mortem.
  - ♃ est frigidus in principio 4. & humidus in extremitate 4. supra naturam faciens morbos ex pituita multa putrida, habetq; aqua dominium.
  - ♂ est frigidus & humidus in principio 4. faciens morbos ex densa, viscida, salsa atque acida pituita mixta cum cholera rubra; & phlegma habet dominium vt 4. ad 1.
  - ☉ est frigidus & humidus in principio 4. gr. gignens multum crassum & fœtidum phlegma, & aqua mixta cum flaua bile, & aqua habet dominium.
  - ♀ est frigida & humida in extremitate 4. grad. faciens humores & morbos vt antea.
  - ☿ est frigidus supra naturam in extremo gr. 4. & humidus in principio 4. facitque humores & morbos supradictos.
  - ☾ est frigida & humida in extremitate 4. gr. supra leges naturæ lethalis, gignens humores vt *supra*.

Se habet ♓ in simplici sua consideratione ad ♋ & ♏ vt ventus Corus ad Fauonium & Africum; similiter planetarum cum ipso coitus respectum habet ad ventorum naturas vt supra, videlicet ♄ in eo vt Boreas cum Coro coiens, &c.

CAPVT VII.

De triplicitate aerea, siue meridionali ♊. ♎. ♒.

In quo capite planetarum status in complexionibus siue humoribus tam naturaliter quam præternaturaliter commutandis, dum in signis istius triplicitatis comprehenduntur, explicatur.

Triplicitas aerea.

Si figuræ cœlestis significator inueniatur in gradib. ♊.

- Primis 18. & sic
  - ♄ est temperatus in omnibus 4. qualitatibus, & tamē sanguinem distemperat cum melancholia & phlegmate superfluo, facitque morbos tales.
  - ♃ est calidus & humidus generans multum bonum & naturalem sanguinem, facitq; quandoque morbos.
  - ♂ est temperatus in humiditate & siccitate, sed calidus in 1. grad. faciens morbos à rubea cholera mixta æqualiter cum sanguine.
  - ☉ est temperatus in siccitate & humiditate, sed calidus in 1. gr. gignens morbos ex sanguine & tenui cholera flaua: at sanguis prædominabitur.
  - ♀ est temperata in caliditate & frigiditate, sed humida in 1. gr. producens morbos à sanguine & humoribus aquosis: at dominatur sanguis.
  - ☿ est temperatus in omnibus 4. qualitatibus, & tamen facit aliquam in sanguine intemperiem, ratione subtilis melancholiæ currentis in sanguine.
  - ☾ est humida gr. 1. & temperata in calido & frigido, faciens phlegma dulce ex sanguine, æqualiterque permiscentem.
- Vltimis 18. & sic
  - ♄ est calidus & humidus in principio 1. gr. gignens tenue & spissum phlegma ex sanguine & melancholia, & sanguis habet dominium.
  - ♃ est calidus & humidus in principio 2. gr. augens sanguinem animalem abundanter in quantitate, puritate & humiditate, faciens nihilominus morbos ex sanguinis multitudine.
  - ♂ est humidus in principio 1. & calidus in principio 2. faciens morbos à rubea cholera & sanguine, & sanguis habet dominium.
  - ☉ est humidus in principio 1. & calidus in principio 2. gignens morbos à sanguine, & tenui acuta bile flaua.
  - ♀ est calida in principio 1. gr. & humida in principio 2. faciens morbos ex sanguine & aqueis humoribus, habebitque dominium sanguis.
  - ☿ est calidus & humidus in principio 1. gr. faciens multum subtilis & tenuis melancholiæ cum sanguine, verum sanguis habebit dominium, facitq; mentis perturbationem.
  - ☾ est humida in principio 2. gr. & calida in principio 1. faciens morbos ex phlegmate & aqua mixtis.

♊ se habet ad ♎ & ♒ vt Auster ad Euro austrū, & Austro africum. ♄ in ♊ vt Boreas ad Austrum ♃ in ♊ vt simplex Auster benignus, seu complexio sanguinea ♂ in ♊ vt Auster & Eurus, & sic in cæteris.

Si figu-

De ♎.

Si figuræ cælestis significator inueniatur in gradibus ♎

Primis 6. & sic

♄ est calidus & humidus in 1.gr.generans morbos à sanguine infecto à melancholia & phlegmate superfluo.
♃ est calidus & humidus in 2.gr.generans multum spissum & calidum sanguinem, & morbos tales.
♂ est calidus in 2.grad.& humidus in 1.procreans corruptionem & infectionem sanguinis à rubra cholera, faciensque exinde morbos.
☉ est humidus in 1. grad. & calidus in 2.generans morbos ex grosso sanguine & cholera flaua tenui.
♀ est humida in 2. & calida in 1. generans morbos ex spisso sanguine & tenui aqua, & sanguis habet dominium.
☿ est calidus & humidus in 1. gr.faciens morbos & humores vt infrà.
☾ est calida in 1. & humida in 2. faciens morbos ex spisso sanguine & phlegmate salso, & dicitur dulce phlegma, quoniam sanguis habet dominium.

Mediis 18 & sic

♄ est calidus & humidus in grad.2. faciens infectionem sanguinis à melancholia & phlegmate viscido à melancholia & sanguine.
♃ est calidus & humidus in 3. augens spissitudinem & caliditatem sanguinis vltra gradum prædictum.
♂ humidus in 2 & calidus in 3.generans morbos ex sanguine & cholera rubra, & sanguis habet dominium.
☉ est calidus in principio 3.& humidus in principio 2.faciens morbos ex spisso sanguine & flaua cholera, & præualet sanguis vt 2. ad 1.
♀ est calida in 2. & humida in 3. gignens morbos ex tenui & subtili aqua & spisso sanguine, & sanguis habet dominium.
☿ est calidus & humidus in 2. gr. faciens morbos ex multa, tenui, acuta & subtili melancholia cum sanguine fluctuante: at dominatur sanguis.
☾ est calida in gr. 2. & humida in 3. faciens morbos ex dulci pituita seu phlegmate.

Vltimis 6. & sic

♄ est calidus & humidus in principio 3.gr.inficiens & inspissans sanguinem à melancholia & phlegmate Saturnino.
♃ est calidus & humidus in principio 4. grad. augens abundanter sanguinem in hepate & pulmonibus.
♂ est humidus in principio 3. & calidus in principio 4. gignens multum fæculentum & adustum sanguinem cum rubea cholera.
☉ est humidus in 2.& calidus in 3.faciens morbos ex sanguine & cholera vt antea, sed sanguis habet dominium.
♀ est calida in principio 3. & humida in principio 4. faciens humores vt suprà.
☿ est calidus & humidus in principio 3 .faciens morbos supradictos: at prædominatur sanguis vt 2. ad 1.
☽ est calida in principio 3. & humida in principio 4. faciens morbos ex pituita salsa, vt suprà.

De ♒.

Si figuræ cælestis significator inueniatur in gradibus ♒

Primis 12. & sic

♄ est calidus & humidus in 3. gr. gignens morbos ex sanguine mixto cum melancholia & superfluo phlegmate.
♃ est calidus & humidus faciens multum æstuosum sanguinem, atque fœculentum & spissum.
♂ est humidus in gr. 3. & calidus in 4. faciens morbos ex calido, spisso & fœculento sanguine, & cholera rubra, habetque sanguis dominium.
☉ est humidus in principio 3. & calidus in 4. proferens morbos ex spisso sanguine & tenui subtilique cholera flaua, habetque sanguis dominium.
♀ est calida in 2. & humida in 3. faciens humores & morbos vt suprà.
☿ est calidus & humidus in 3. faciens morbos ex spisso sanguine & tenui melancholia & præualet sanguis.
☾ est calida in 3. gr. & humida in 4. gignens morbos vt in ♊ & ♎.

Vltim. 18. & sic

♄ est calidus & humidus in principio 4. faciens morbos ex sanguine nimio mixto cum melancholia & phlegmate, & prædominatur sanguis.
♃ est calidus & humidus in extremitate 4. gr. vsque ad naturæ terminum, facitque morbos mortales & incurabiles ex abundantia spissi sanguinis.
♂ est humidus in principio 4. & calidus in fine 4. etiam supra naturam, faciens morbos ex multo crasso sanguine & cholera rubra, & sanguis habet dominium, sed est adustus & fœculentus.
☉ est humidus in 3. & calidus in extremo 4. supra naturam faciens morbos ex abundantia sanguinis calidi & spissi & tenui bile flaua, sanguine dominium habente.
♀ est calida in 3. & humida in 4. gr. faciens morbos vt suprà.
☿ est calidus & humidus fere in gr. 4. gignens multum spissi sanguinis & tenuis melancholiæ.
☾ est calida in principio 4. & humida in extremitate 4. facitque morbos & dulci pituita, videl. ex phlegmate mixta cum sanguine.

♒ optime Austro africo comparatur, quia est aquarum effusor cum æstu.

Pro relatione mixtionis cælestium atque ventorum antea sumus loquuti. Atque ita finem fecimus radicalium humorum atq; morborum causarum. Iam vero ad harum complexionum siue humorum mixtorum signa demonstratiua progrediemur.

CAPVT VIII.

In quo prædictarum complexionum mixtarum signa demonstratiua lucide depinguntur, & primum de cholerica melancholica, deinde de melancholica cholerica agetur.

Explicatis iam radicalibus humorum & complexionum causis tam cælestibus quam ventosis, in complexionum siue humorum tam preternaturalium quam naturalium per signa sua demonstratiua demonstrandorum via pergemus, & primum cum illis in quibus cholera dominium habet, videlicet Orientalibus exordiemur.

Causam complexionis exacte biliosæ seu cholericæ tenuioris compositionis in capite huius membri 3. declarauimus esse signi triplicitatis igneæ prioris in loco quæstionis situm & dominium, videlicet Arietis: at si fuerit humor intensior tam in colore quam consistentia, tunc signo 2. videl. ♌ refertur. Denique sagittarius facit humorem adhuc intensiorem, & pla-

& plane rubeum atque densiorem in sua constitutione: communis autem omnium humorum consistentia, & consequenter huius est aqua; forma autem eius à triplicitate ignea consideratione cælesti, vel à flatu Orientali consideratione elementali prouenit: nam ♈ refertur ad Subsolanum: est enim istud signum magis naturale quam cætera duo, non aliter quam Subsolanus quam venti Cæcias & Eurus. ♌ ad Eurum referimus, quippe qui est humidior quam Cæcias, & consequenter tenuior in suis effectibus: denique ♐ in sua siccitate & rubiginosa & spissa substantia atque malignitate refertur ad Cæcium, qui quatenus Boreæ appropinquat, spissior, siccior & magis corrodens & in colore obscurior est; quod in eo apparet quod nubium & nebularum quasi obscuritatum est congregator. Verum enimuero quando planetæ significatores accedunt ad ista signa aut sunt in iis, tunc quidem aut fortificant complexionem simplicem siue naturalis sit siue præternaturalis, aut illam faciunt tam naturaliter quam præternaturaliter mixtam: verbi gratia in natiuitate si ♈ occupet vel impleat totum horoscopum facit complexionis radicem choleram flauam tenuem: at si ☉ sit in horoscopo seu ascendente, tunc fortificabit complexionem eam reddens copiosiorem & acutiorem cum subtilitate: si ♂ ei inerit complexionem illam ad choleram rubeam magis propinquam efficiet. Verum vbi ♌ occupat ascendentis angulum, compiliosam illam biliosam magis flauam aut ad rubedinem vergentem facit: at vbi ☉ dominium habet, ibi intendit ardoris acuti vigorem; si autem ♂ in illo loco fuerit, cum gradatim inspissat choleram, tum efficit vt ad rubeum intendat colorem. Denique si ♐ locum habeat in ascendente integrum, omnia intendit in ista complexione, imo vero prædicti planetæ intensiores adhuc reddent complexionis huius cum colorem tum substantiam sua substantia, secundum dispositionem naturæ cuiuslibet; & hoc idem de cæteris complexionibus simplicioribus, siue sint exquisitæ seu compositæ, est iudicandum.

Complexionis simpliciter cholericæ signa demonstratiua in cap. 2. membri huius 1. expressimus. Hic vero complexionem cholericam cum aliis in inferiori gradu mixtam tam ratione solius mixtionis vnius signi cum alterius contrariæ conditionis portione in horoscopo, si sit in natiuitate, vel in 6. domo, quando est quæstio de morte; quam ratione mixtionis planetæ cum signo vel signis in eisdem locis inuentis examinamus. Verbi gratia si in ♄ inueniatur in signis igneis quando est dominus seu significator quæstionis faciet complexionem cholericam melancholicam, eritque cholera eo spissior vel tenuior quo signum igneum in quo inuenitur est vel mitius vel seuerius in sua natura ignea: atque etiam pars signi in quo est summe respicienda est. Porrò etiam ☿ in signis talibus repertus cholericam melancholicam complexionem parit.

Signa huius complexionis demonstratiua sunt talia.

Quid sit complexio cholerica melancholica, quidue melancholica cholerica, *superius* declarauimus.

- Signa complexionis cholericæ melancholicæ demonstratiua
  - Naturalia,
    - Corporis ſunt
      - Statura altiores quam mere cholericæ, quoniam violentia caloris frigore Saturnino obtunditur, vnde fit vt fumoſitates adſint maiores, & humidum radicale minus conſumitur, vnde longitudine augentur.
      - Corpora ſunt gracilia ratione ſiccitatis.
      - Cutis aſpera & mediocriter piloſa, & contactu temperata, colore palleſcens ad citrinitatem obſcuram vergens.
      - Tardius in barba pubeſcunt quam cholerici ſimplices.
      - Somnia de præcipitatione ab alto, furtis, cædibus damnis procedentibus ab igne, contentionibus, &c.
      - Capillorum color inter rubedinem & eburneum.
      - Status virtutis digeſtiuæ mediocris.
      - Pulſus minor & tardior quam ille cholericorum.
      - Vrina flaua & tenuis, ſtercora flaua & dura.
    - Animi
      - Non ita prægnanter ingenioſi, audaces & furioſi, iracundi, contentioſi, fraudulenti, doloſi, prodigales, magnanimi, eloquentes & temerarii ac cholerici mere.
      - Neque ita vigiles, inconſtantes, adulatores, veloces, glorioſi, & contemptuoſi ac cholerici.
      - Suſpicioſi, inuidi, auari, ſolitarii, ſtudioſi & curioſi pluſquam cholerici, iramque diutius retinent.
  - Præternaturalia.
    - Vrina erit magis intenſa & ſubſtantia tenuis cum quadam obſcuritate, & quandoque ad quandam pinguedinis ſpeciem vergens cum ſpumoſitate.
    - Pulſus mediocriter velox inter naturam cholericam & melancholiam, eſtque mediocris magnitudinis.
    - Inſomnolentia & vigiliæ.
    - Ventoſitates flatulentiæ, atque ructuationes.
    - Appetitus deiectio.
    - Omnia ſigna quæ eueniunt in melancholia hypochondriaca æſtuoſa, &c.
    - Denique omnia illa ſigna demonſtratiua quæ ex melancholiæ præternaturalis ſignis demonſtratiuis prædictis & illius cholerae componi ſolent, ſed euidenter præualere videtur ignea ſiue Orientalis natura.

Com-

Complexio Melancholica cholerica.

Signa complexionis melancholicæ cholericæ demonstratiua

- Naturalia
  - Corporis sunt
    - Proceri sunt in statura ob caloris repressionem.
    - Cutis est aspera & dura ac frigida in contactu.
    - Paucos habet pilos & capillos in corpore & capite, estque color eorum brunus, suntque rari & tenues.
    - Diu imberbes ratione frigiditatis dominii manent.
    - Superfluitatem multam narium habent.
    - Colorem possident pallidum & cum nigredine obfuscatum.
    - Digestio debilis.
    - Pulsus paruus, tardus, vrina subcitrina & tenuis.
    - Stercora inter flauedinem & nigredinem.
  - Animi, qꝫ sunt
    - Humani & sobrii, solitarij, studiosi, auari, dubii, suspiciosi, verecundi, timidi obstinati, mœsti, cogitabundi, altę & profundę cogitationis, ingenio tardi & non sine obliuione.
- Præternaturalia cum contingit ista complexio ab adustione, quæ adustio
  - Si sit recens sunt
    - Vrina intensa quemadmodum solet esse in quotidiana vera.
    - Facies colore subnigra.
    - Oris siccitas cum siti, acredo, sputum multum.
    - Pulsus aliquantulum velox & durus.
    - Extenuatio corporis.
    - Calor per totum corpus.
    - Eiectio nigricans, liuescens, viridis, vnctuosa, ventosa.
    - Sollicitudo & mœstitia.
    - Instantia vigiliarum.
    - Indigestio.
    - Tensio præcordiorum.
  - Si vetus
    - Vrina remissa, tenuis, subnigra, vel subliuida.
    - Alba oculorum subnigra, risusque obtusus, videntq; quasi muscas.
    - Tinnitus aurium.
    - Vigiliæ.
    - Egestiones nigræ, & cætera istiusmodi in complexionibus hisce simplicioribus enumerata. Deniq; morbi respiciendi sunt quos producunt ♂ & ☉ insignis terreis, de quibus in tractatu vrinarum.

Harum complexionum prior ex ♄ in signo aliquo igneo, vel ex ☿ applicante ad ♄ in iis transiente fit vel vbi maior horoscopi portio signo igneo, minor vero aereo impletur, vltima vero ex ♂ vel ☉ insignis terreis ambulantibus quando domini sunt quæstionis colligitur, vel vbi horoscopi aut 6. domus pars maior signo terreo impletur, signo vero igneo minor.

CAPVT IX.

Hic complexionis melancholicæ simplicis, & melancholicæ sanguineæ, atque sanguineæ melancholicæ signa enucleantur.

COmplexionis melancholicæ simplicis causam cœlestem asserimus esse vel signum aliquod triplicitatis terreæ implens aut horoscopum aut domum 6. & intensior erit complexio talis ratione naturarum signorum: nam vt ♉ arguit remissiorem melancholiam ita virgo intensiorem, & densiorem & ♑ adhuc gradum altiorem arguit. At si vel ♄ vel ☿ intuens ♄ contineatur in talibus signis existens dominus quæstionis, in gradu intensissimo erit melancholia, secundum signi portionem in qua inuenietur, vti *supra* est explicatum. At in respectu Elementali venti Aquilonares, qui sunt prædictarum cœlestium influentiarum distributores sunt illi, qui tali proprietate terrea informant elementum catholicum.

Ad signa istius complexionis magis simplicis demonstratiua quod spectat, ea quidem cap. 5. membri huius libri præcedentis expressimus. At vero complexiones mixtæ, quæ melancholiæ dominium vel primarium vel secundarium in se habent, sunt vel cōplexio Cholerica melancholica, in qua cholera habet primum locum & melancholia secundum, quippe quæ super phlegma super pituitam & sanguinem dominatur, vel cōplexio melancholica cholerica, in qua melancholia dominatur supra tres alios humores & cholera supra duos (de hisce duabus speciebus egimus cap. præcedente) vel complexio melancholica sanguinea, in qua melancholia summum tenet locum super alios tres humores, & sanguis super duos, videlicet bilem & pituitam, vel sanguinea melancholica, in qua sanguis prævalet in summo gradu & melancholia in secundo de quibus nos isto in capite agemus.

Causa autem complexionis melancholicæ sanguineæ est vbi maior pars signi triplicitatis terreæ seu septentrionalis, & minor aereæ seu meridionalis comprehendatur in horoscopo vel domo 6. vel saltem vbi ♃ vel ♀ sunt significatores quæstionis & in signis terreis inuenti: nam vbicunque reperiuntur in schemate cœlesti quæstionis domini, ibi complexiones in morbo in dispositionem talem præternaturalem mutari necesse est.

- Signa cōplexionis melancholicæ sanguineæ demonstratiua
  - Naturalia
    - Corporis sunt
      - Statura procerior quam illa melancholicæ simplicis, ratione temperiei caloris, mediocriter grossa, carnosa & firma.
      - Calor, rubedo fusca seu obscura.
      - Cutis nec dura nec aspera, sed temperata in mollitie & calore, non pilosa.
      - Barba pilis ornata anno circiter 21.
      - Vrina crocea, clara & lucida, & mediocris substantiæ. Egestio rubescens & laxa.
      - Pulsus temperatus.
      - Somnia iucunda, & quandoque veridica.
    - Animi, q. tales sint
      - Liberaliores, audaciores, iucundiores: minus obstinati & pusillanimes, solitarii & cogitabundi quam melancholici simplices.
      - Humani, sobrii, affabiles, patientes, fideles, misescentes, ac tandem quo magis contemperatur conditio melancholica à sanguine, eo mitior & suauior est eorum conditio.
  - Præternaturalia eliciuntur ex mixtione complexionis præternaturalis simpliciter melancholicæ & sanguineæ, & melancholia superabit. Porro etiam morbi respiciendi sunt quos producunt ♃ vel ♀ in signis terreis, in quibus melancholia superat, & post eam sanguis, de quibus in tractatu nostro de vrinis discurremus latius.

Signa

Signa cõplexionis sanguineę melancholicæ demonstratiua.

- Naturalia
  - Corporis sunt
    - Statura mediocris.
    - Corpus carnosum & non pingue, bene compactum cum venis apparentibus.
    - Cutis mediocriter polita & plana, atque in contactu calida, parum pilosa.
    - Barbam cito habent.
    - Pilos obscuri eburnei siue bruni coloris.
    - Buccas rubras cum colore ad luteum vergente parumper adumbratas.
    - Vrina flaua & mediocris substantiæ.
    - Egestio rubescens & aliquantulum laxa.
    - Pulsus magnus & plenus.
    - Somnia puteorum seu fossarum in terra profundarum.
    - Digestio est insufficiens.
  - Animi sunt conditiones quæ multum assimilantur sanguineæ simplici, sed non sunt adeo liberales, iocosi & audaces: nam conditio eorum participat de melancholia.
- Præternaturalia sunt compacta ex illis præternaturalibus sanguinis & melancholiæ simplicis. Porro etiam ♄ vel ☿ in signis sanguineis in quibus sanguis superat denotabunt morbos quos inducit complexio taliter mixta, atque etiam signa triplicitatis aereæ cum terreis mixta morbos producent taliter mixtos, siue spurie complexionatos, quemadmodum in tractatu nostro de Vrinis luculentius explicabimus.

Capvt X.

De signis complexionis sanguineæ simplicis, & sanguineæ phlegmaticæ, & phlegmaticæ sanguineæ demonstratiuis.

Causam complexionis simpliciter sanguineæ diximus esse in natiuitate, quando signum Aereum vel Meridionale, vtpote ♊ ♎ vel ♒ integre possidet vel implet angulum ascendentis, vel in morbo domum 6. vel quando ♃ vel ♀ significatores quæstionis existentes fuerint in vno ex istis signis: nam iuxta proprietatem signi in quo inueniuntur, vel mitiorem & tenuiorem vel intensiorem & grossiorem reddunt complexionem; nam ♊ magis naturalem & temperatam reddit complexionem; at ♎ mediocrem & ♒ spissiorem & morbos profundiores gignentem.

Ad signa autem demonstratiua istius complexionis simplicis quod attinet, ea in capite 3. membri præcedentis expressimus.

At vero complexionis mixtæ quæ sanguinis dominium vel primarium vel secundarium in se habent sunt, vel complexio sanguinea phlegmatica, in qua sanguis habet supremum locum & phlegma secundum, vel phlegmatica sanguinea in qua phlegma seu pituita sibi primum vendicat locum prædominans omnibus tribus & sanguis secundum sibi choleram & melancholiam subiiciens. Causa autem primæ mixtionis in qua sanguis eminentior est, vel fit quando signum aereum occupat maiorem signi vel horoscopi vel domus 6 partem, & aqueum minorem, vel vbi ☾ est in aliquo dictorum signorum, videlicet ♊ ♎ vel ♒, in qua mixtione sanguis habebit dominium ratione signi. Causa secundæ mixtionis in qua phlegma primum occupat locum, est quando maior signi aquei seu Occidentalis portio occupat loca prædicta & consequenter minor signi sanguinei pars implet illorum locorum seu signorum residua: Verbi gratia si maior Cancri pars insit ascendenti videlicet 20. gr. & minor Geminorum videlicet 10. gr. vel si ♃ aut ♀ existentes quęstionis significatores fuerint in aliquo signorum aqueæ triplicitatis, videlicet ♋ ♏ vel ♓ quemadmodum in prædictis sufficienter explicatur: nam tunc necesse habemus credere quod talis complexio quæ istiusmodi cœlestium mixtione fit erit in proprietate & conditione mixtæ & spuriæ.

Signa

Signa cõplexionis sanguineę phlegmaticæ demonstratiua

- Naturalia
  - Corporis sunt
    - Statura procerior quam sanguinei.
    - Corpora substantia sanguineis simplicibus simillima.
    - Capilli albescentes vt linum præparatum, aut lucidi eburnei.
    - Color corporis & faciei rubet, sed non vt sanguinei permixtus.
    - Vrina est subcitrina & mediocris, seu potius crassioris substantiæ.
    - Stercora seu egestio rubra in vna parte & alba in alia.
    - Pulsus moderatus sed aliquantulum tardior.
    - Digestio indifferens.
    - Somnia, volare in aere, aut cadere ab alto, aut in aquam.
  - Animi, ꝙ sunt
    - Minus liberales, tristiores ac luxuriosiores quam sanguinei, vt ipsi.
    - Nec ita audaces.
- Præternaturalia componuntur ex præternaturalibus complexionis sanguineæ simplicis & phlegmaticæ simplicis, de quibus antea in *membro huius primo cap.3.& 4.* Porro etiam morbi qui ex ☾ præsentia in signis aereæ seu meridionalis triplicitatis generantur, huic complexioni optime conueniunt, de quibus plenius in *tractatu de Vrina* discurremus.

Signa cõplexionis phlegmaticæ sanguineæ demonstratiua

- Naturalia
  - Corporis sunt
    - Statura mediocris & aliquantulum grossa.
    - Cutis plana & polita & in contactu frigida.
    - Corpora satis grossa & sine pilis, diuq; imberbes.
    - Capilli flauescentes & lucidi, aut clari, eburnei & instar lini carminati, plani & sine asperitate.
    - Color nec albus nec ruber, & in mediocritate inter vtrumque.
    - Virtus digestiua aliquantulum tarda, & minor quam ipsorum appetitus.
    - Vrina est pallidior & densior.
    - Pulsus est profundior & minor, quam complexio antedicta.
    - Stercora siue egestiones fiunt cum ruptione.
    - Somnia sunt admodum phantastica.
  - Animi ꝙ tales sunt
    - Non multum iucundi aut hilares, nec tristes.
    - Nec liberales nec auari.
    - Non multum audaces nec timidi, &c. quæ componuntur ex conditionibus complexionis mere phlegmaticæ & sanguineæ de quibus antea.
- Præternaturalia componuntur ex talibus complexionis phlegmaticæ simplicis, sed phlegma debet prædominari, de quibus *capitibus antedictis* inuenietis latius. Porro vide morbos productos à ♄ vel ♀ in signis aquaticis; vt in *tractatu de vrina* copiose.

CAPVT

CAPVT XI.

In quo signa complexionis phlegmaticæ simplicis & phlegmaticæ cholericæ, ac denique cholericæ phlegmaticæ demonstratiua deteguntur.

CVm aliquod signum aqueæ triplicitatis impleat domum Orientis vel sextam, reddit tum complexionem nati morbidam phlegmaticam simplicem; at vbi maior pars illarum domuum ab aqueo occupatur signo, minor vero à cholerico, ibi oritur phlegmatica cholerica complexio: verum si maior locorum dictorum portio à signo cholerico possidetur, complexio resultat cholerica phlegmatica.

Porro etiam si ♃ vel ♀ existentes quæstionis significatores fuerint in signis aqueis seu Occidentalibus, faciunt spuriam complexionem ex aqua seu phlegmate & sanguine, & phlegma seu aqua habebit dominium, vt in præcedentibus est dictum. At si ☾ inueniatur in signis aereis siue Meridionalibus, faciet complexionem sanguineam cholericam, vt *in superioribus* est explicatum.

Signa hominis phlegmatici demonstratiua *in cap. 4. membri prædicti* declarantur, tam præternaturalia, quam naturalia.

De mixta autem & spuria complexione phlegmatica ista.


Signa cõplexionis phlegmaticæ cholericæ demonstratiua:

- Naturalia
  - Corporis sunt
    - Statura procera.
    - Corpus non adeo magnum & pingue vt simpliciter phlegmaticus, magisque pilis repletur.
    - Barbam habent citius quam phlegmatici.
    - Capilli sunt coloris albi, eburnei, parumper pallescentes.
    - Cutis temperata in contactu.
    - Facies plerumq; lenticulis seu maculis flauis plena, & color albus cum aliquo citrinitatis obumbratus.
    - Appetitus est indifferens.
    - Pulsus est moderatus in motu & capacitate plenus.
    - Vrina subcitrina & mediocris substantiæ.
    - Stercora flaua & spissa.
    - Somnia natationis in aqua, & de niue ac pluuia.
  - Animi sunt (Quã phlegmatici)
    - Agiliores.
    - Audaciores.
    - Humaniores & affabiliores.
    - Minus somnolenti.
    - Non ita segnes.
    - Hilariores.
    - Ingeniosiores.
- Præternaturalia componuntur ex præternaturalibus complexionis phlegmaticæ simplicis & cholericæ simplicis, sed phlegma prædominatur. De istis complexionibus vide supra. Porro etiam vide pro morborum generatione à ♂ vel ☉ existentibus in signis aqueis, vt *in tractatu de Vrina* clarius.

- Signa cōplexionis cholericæ phlegmaticæ demonstratiua
  - Naturalia
    - Corporis
      - Statura mediocris.
      - Corpus firmum & grossum, nec pingue nec minus gracile.
      - Tibiæ magnæ.
      - Capilli tenues & molles satis, atq; ad flauedinem vergentes.
      - Cutis aliquantulum flauescens.
      - Digestio perfecta.
      - Pulsus velox.
      - Vrina crocea, lucida & tenuis.
      - Stercora rubicunda & dura.
      - Somnia de bello, præliis, fulgure, aqua calida, &c.
    - Animi, non enim differunt multum in conditione à cholericis sed non sunt ad iram vel furorem ita procliues, nec ita audaces, aut prodigi & dolosi propter phlegmatis moderationem.
  - Præternaturalia componuntur ex talibus phlegmaticæ simplicis & cholerae simplicis, sed cholera prædominatur; pro morborum generatione ☾ existente in signis cholericis, vide tractatum de Vrina.



POR-



PORTIONIS SECVNDÆ PARS SECVNDA.

De ſignis quatuor morborum Cardinalium demonſtratiuis libro vnico incluſa.

CAPVT I.

Hic ſigna morbi Borealis, ſeu meteori morboſi ſeptentrionis cardinalis demonſtratiua, videlicet Lepræ, more tam ethnico, quam literarum ſacrarum teſtimonio recitantur.



IN *præcedenti* noſtro diſcurſu, videlicet in *part.4. ſeu vltima, port.1. lib.1.* de ſignis morborum quatuor cardinalium prognoſticis verba fecimus copioſa: hoc vero in libello de ſignis ipſorum demonſtratiuis cum teſtimonio ethnicorum, tum more ſancto agemus, & primum cum illo ſeptentrionali, videlicet lepra, incipiam.

Ethnici volunt iſtum morbum vel à ſanguine vel à cholera, vel à phlegmate, vel à melancholia ortum ſuum ducere, & tamen concludere videntur quod in omni humore proueniat ab ipſius aduſtione, agnoſcuntque quod immediata lepræ cauſa ſit melancholia ſeu mala complexio frigida & ſicca: atque ita fatentur quod in tali conſideratione non ſit niſi vnica lepræ ſpecies: tamen quatenus reſpectum habent ad quatuor humores qui aduruntur, ita eam diſtinguunt in quatuor ſpecies quas nominibus propriis vocant: nam ſi aduritur cholera tranſit in melancholiam, ex qua oritur illa lepræ ſpecies quam leoninam vocant, quæ citiſſime ad ſuum incrementum peruenit gratia velocitatis naturæ igneæ: at ſi aduritur ſanguis fit illa lepra quam Alopeciam vocant, eſtq; cæteris mitior: ſi vero aduritur melancholia facit illam lepram quam Elephantiaſim appellant, quæ tarde venit ad ſuum augmentum: ſi deniq; phlegma vſtione generatur illa ſpecies quam Tyriam vocant.

Harum autem ſpecies per ſua ſigna demonſtratiua ſic diſtinguunt.

Si à ſanguine ſigna demonſtratiua erunt quod	Humor apparebit in carne cum multis vlceribus virulentis. Palpebræ ſolent inuerſari. Odor erit grauis & fœtidus per totum corpus. Vrina vergit ad ruborem & ſpiſſitudinem. Oculi rubent & facies tendit ad rubedinem. Ex quacunque cauſa leui exit ſanguis è naribus.
Si à cholera tunc ſigna demõſtratiua erunt quod	Color vergit ad citrinitatem nigram. Aderit punctura & mordicatio in facie & palpebris. Ex leui cauſa iraſcetur æger, eritque in moribus ſuis tyrannus. Vrina verget ad citrinitatem. Aliquando aderit impetigo & ſerpigo. Cito veniet morbus ad augmentum.
Si à phlegmate tunc ſigna demõſtratiua erunt	Color albus vergens ad niueum. Facies tumida. Extrema membra reſolutionibus furfureis & ſquamis albis inficiuntur. Vrina alba vergens ad ſpiſſitudinem cum quadam glaucoſitate ſanioſa.
Signa demonſtratiua lepræ à melancholia ſunt quod	Facies ad nigredinem tendet, eritq; turbata rubore ſi iraſcatur patiens, aut ſi infrigidatur aut timeat color erit liueſcens & turbatus. Mores ſunt melancholici, aderitque ſtupor & inſenſibilitas. Vrina erit tenuis & remiſſa.

Atque ita habetis medicorum Galenicorum sensum de quatuor lepræ speciebus respectu quatuor humorum ex quibus resultat ipsa: verum enimuero concludunt quod causa immediata & vnica sit humoris quasi in carbonem seu cineritiam quasi massam adustio, quam melancholiam atque massam frigidam & siccam faciunt, & consequenter terream atque Aquiloniam. Quibus euidens est, quod etiam ipsorum consensu & confessione lepra generaliter sumpta sit proprietatis septentrionalis, vtcunque ad massæ illius in carne concretionem concurrunt materiæ trium aliorum ventorum cardinalium siue humorum: nam vt videmus quod nubes ex concursu Boreæ & Austri conflata dominatione Boreali tandem in naturam Boreæ videlicet aut niuosam aut grandinosam vergit, tamen relinquit ibi Auster sua vestigia æustosa tametsi in remissiori gradu, atq; ita concretio illa fit salsa seu pruriginosa cum humore fœtido & contagioso. At si concurrant flatus Euti & Boreas, fit nubes magis sicca & ignea & adiuuat sua siccitate naturam siccam Boreæ: vnde subito ad suum incrementum venit, & hinc citius aderit adustio: hinc ergo fit quod in tempore gelido & Boreali ignis vehementius ardet & consumitur: imo vero fatetur Hippocrates frigus Boreale quandoque sub Riphæis habitantes sua acredine etiam vrere. At vero si rem serio consideremus, est vehemens siccitas quæ facit dissolutionem & consumptionem humoris rei, & consequenter vrere videtur.

Concludimus ergo quod vtcunque lepræ compositio de hoc vel illo vento magis participet, tamen præualet & dominatur in ea proprietas septentrionalis, videlicet natura terrea & melancholia, & quando adest vel abscessus vel pustula, hoc oritur à ventis Meridionalibus, seu Occidentalibus: at si maximus adsit fœtor, est argumentum quod ventus Meridionalis, qui ad putredinem est procliuis, possideat secundum in morbo isto dominium. Procedemus ergo ad signa lepræ generalia quæ sunt istiusmodi.

Signa demonstratiua lepræ infallibilia sunt hæc:
- Depilatio superciliorum & grossities eorum.
- Rotunditas oculorum.
- Dilatatio narium exterius & coarctatio interius cum difficultate anhelitus, & loquitur in naso.
- Color faciei lucidus, vrgens ad fuscedinem mortificatam.
- Aspectus faciei terribilis cũ fixo intuitu cũ gracilitate corporis.

Notandum denique est quod iuxta Galenistarum normam non sufficiet vnica solummodo harum indicationum ad lepram demonstrandam, sed requiruntur ad minus eorum duæ vel tres ad eam iudicio medici confirmandam.

Iam vero recensitis istiusmodi ethnicorum atque assectarum eorum Christianorum signis de lepra demonstratiuis restat nunc vt quænam sit scripturarum hac in re sacrarum intentio atque sententia aperiamus.

Sacræ literæ (in quibus nullum reperitur mendacium aut fallacia) aliter describunt lepram quam secta Galenistica, quippe quarum sensus est huiusmodi.

Signa demonstratiua lepræ:
- Incipiẽtis sunt ista videlicet:
  - Si in cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula vel abscessus.
  - Si pilus in album conuertatur colorem.
  - Si plaga sit humilior cute.
  - Si lucens candor fuerit in cute.
- Confirmatæ seu inueteratæ sunt:
  - Tumor albus in cute.
  - Scabies cum macula alba in cute.
  - Pilus conuersus plerumque in alborem, quandoque in nigredinem, nonnunquam in fuluorem.
  - Quandoque pustula vel vlcus vel apostema.
  - Macula alba & subrufa sequens curationem vlceris vel abscessus.
  - Quandoque caro cruda seu viua apparens, quandoque carnis medium lepra deuoratum est.
  - Candor plerumque in cute instar niuis, quandoque psora glabra adest.

Pro horum confirmatione habemus Leuitici *cap* 13. & quod manum Moysis & Mariæ & Huzziæ regis leprosam ad albedinem niuis esse factam suis locis legimus.

CAPVT

CAPVT II.

In quo signa morbi Cardinalis Occidentalis proprietatis demonstratiua, videlicet Epilepsiæ depinguntur, cum more Ethnico, tum scripti sacri authoritate.

RAtionem cur Epilepsiam capitalem Occidentis ægritudinem siue meteoron morborum fecerimus libro 4. & morb. different. luculenter expressimus: videlicet quoniam est morbus lunaris, & plerumque vehementiores eius paroxysmi fiunt circa plenilunium quod Occidenti ascribitur, nec non quia domus Lunæ, nimirum ♋ est signum Occidentale.

Signa exprimunt plurima iuxta complexionem ægri siue humoris proprietatem vnde oritur: nam (inquiunt) prouenient ex

- Phlegmate si
  - Spuma est multa, grossa, viscosa, alba.
  - Paroxysmus est prolixus cum agitatione multa.
  - Vrina est remissa & spissa cum quadam residentia instar vitri liquefacti.
- Sanguine si
  - Spuma vergit ad croceitatem, & facies est rubra.
  - Post paroxysmum apparent signa sanguinis, & rubedo venarum in oculis.
  - Vrina tendens ad ruborem.
  - Tempus est vernale.
- Cholera si
  - Paroxysmus fit breuis & leuis.
  - Spuma vergit ad citrinitatem & facies etiam.
  - Patiens est complexione cholericus & furiosus.
  - Vrina tendit ad citrinitatem & tenuitatem.
  - Tempus est æstiuum.
- Melancholia
  - Spuma est modica & liuens.
  - Facies tendit ad liuorem & nigredinem, & humiditates sunt paruæ in oculis & in aliis partibus.
  - Post paroxysmum apparet æger melancholicus, timidus cum quadam desipientia.
  - Tempus est Autumnale.

Mea quidem me fert sententia (vti *alibi* aperte disceptaui) quod causa istius morbi sit longe profundior quam aliqui istius farinæ hominum possunt iudicare: & quamuis necesse est quod causa morbi interna & spiritualis operatur & agit in quemlibet prædictorum humorum, tamen quod sit ipsa morbi anima quæ talia facit apparere & non vt ipsi varie cogitant humor iste vel ille non aliter quam nos nubem variam videmus fulgura, niues & grandines edere; sed spiritus in nube ea loco instrumenti vtitur: pari quidem ratione spiritus vtitur humoribus, imò verò & spiritu hominis elementari ad suos producendos effectus, & tamen non est organum, siue vehiculum quod istud præstare solet.

Concludit igitur scriptura quod sit dæmonium siue malus spiritus & non humor qui Epilepsiam inducit, omniaque in eo symptomata facit, qui in spiritu & humoribus agit iuxta complexionis conditionem quam possidet.

Epilepticus ergo hisce signis demonstratiuis cognoscitur

- Afficitur circa pleni vel nouilunia, vnde ab Euangelista lunaticus dictitarur.
- Subito in paroxysmi initio clamat & strepitum facit.
- Cadit siue voluitur in terram, & sæpe in aquam & quandoque in ignem.
- In suo casu dissipatur, & dilaniatur à spiritu percutiente.
- Emittit spumam copiosam ab ore, & stridet dentibus.
- Arescit in fine paroxysmi.

Matth. 17. a. 15. *Domine* (ait parens) *miserere filii mei, quia lunaticus est: nam sæpe cadit in aquam, & crebro in ignem, & increpauit dæmonium Iesus, & exiit ab eo in illa hora.*

Marc. 26. 9. *Attuli* (ait) *filium meum habentem mutum spiritum, qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum & spumat, & stridet dentibus, & arescit. Et cum Christus vidisset eum statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram volutabatur spumans, & frequenter eum in ignem & in aquam immisit vt eum perderet. Et comminatus est Christus spiritui immundo dicens, surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & exiit ab eo.*

Luc. 9. 39. *Ecce spiritus apprehendit eum & subito clamat & elidit & dissipat eum cum spuma, &c.*

Quibus videtis ista Epileptici, seu lunatici signa demonstratiua cum actore in spiritu & humore humano, (quem non humorem sed malum spiritum cum textu sacro vocamus) à scripturis producuntur, quare ea pro certis & infallibilibus statuimus.

Capvt III.

De Signis morbi Meridiei capitalis demonstratiuis, videlicet Pestis siue pestilentiæ, tam more ethnico, quam textus sacri authoritate confirmatis.

Qvod pestis dignissimum sibi in plaga Meridionali locum vendicauerit, *libr. 4. de morb. differ. membro* illo quod morbis Meridionalibus applicui, verbis expressis explicui: atq; etiam in Epilogo siue conclusione illius libri, vbi istud præcipue hisce duobus locis probaui. *Deo à Meridie veniente,* aut Propheta, *operuit cælum decor eius, anteiuit eum pestis, & processit Anthrax ad pedes eius.* Et Dauid ait, *Non timebis à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste ambulante in tenebris, à Lue seu dæmonio meridiano.* Quibus notare videtur Propheta, quod locus verus ipsius pestis sit Meridies, atque processus ipsius sit à plaga Meridiana, & quod sit morbus istius quartæ capitalis, quippe quo vtitur Iehoua irascens in proprietate sua meridionali pro mortalium atque peccatorum flagello. Imò verò & ipsi medici Ethnici hoc pro certo statuerunt, quod venti Australes sint putrefactionis & aeris corrupti parentes, dicuntque tunc pestilentiam febresque pestiferas atque morbos populares siue epidemicos esse expectandos, quādo annus maiori ex parte & per dominium fuerit Australis: nam Hippocrates, *Annus Austrinus pluuias à ventis in totum silens, &c. Erant Cranone carbunculi æstiui.* Et Galenus *super hoc: Cranone erant carbunculi æstiuis accesserant autem magis spirante Austro.* Et *alibi* ait Galenus. *Si totus annus fuerit calidus & humidus, necesse est magna pestilentia succedat.* Atque hoc idem in pluribus locis confirmatum reperietis.

(Marginal notes: Abak. 3. 1. — Psal. 90. 5. — Morb. vulg. — In libr. 3. com. 3. — Temp. lib. 2. cap. 4.)

Ad signa autem demonstratiua huius morbi, quod attinet, non plura exponunt scripturæ, nisi quod est omnium eminentissimum de pustulis, carbunculis siue vlceribus faciunt mentionem. *Erant* (ait textus) *in hominibus vlcera & vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti, & facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus.* Et *alibi, Percutiet te Iehoua tabe calida ac vrente febre, & vlcere Aegypti quo non poteris sanari.* Similiter percussus rex Ezechias peste, dictus est Propheta Esaias apposuisse massam ficuum super vlcus siue carbunculum, atque ita ad pristinam sanitatem restitutus erat rex. Non autem plura exposuit scriptum sacrum signa pathognomonica, quippe quæ omnibus fere experientia communi erant cognita, sed solummodo primordiale & summum, quod erat carbunculi, Anthracis atque pustularum apparitio.

(Marginal notes: Exod. 9. 10. — Deut. 28. — 4. Reg. 20. 7)

Nos vero, prout experientia medicos tam veteres, quam recentiores docuit, signa istius morbi communia hoc in loco aperiemus, tam in genere, eaque vel vbi consideratur pestis per se, vel quatenus cum febre putrida est coniuncta, atque etiam illa quæ eminens morbi periculum arguunt, hoc in capite explicabimus.

Signa

Signa peſtis pathognomonica ſiue demonſtratiua ſunt

- **Peſtis exquiſitæ ſine febris putridæ mixtione aut conſideratione, videlicet**
  - Pulſus obſcurus, frequens & intercidens, qui in principio, quando venenum conculcat & comprimit cor, eſt plenior & firmior, at vbi vires infringuntur & langueſcunt exilior & imbecillior, magiſque inæqualis & inordinatus.
  - Frequens ſyncope, & aſſidua vomitionis & naturæ prouocatio.
  - Nec ſitis nec ardor vehemens adeſt.
  - Vigiliæ & inquietudo.
  - Aſſidua corporis iactatio.
  - Virium & præcipue vitalium proſtratio.
  - Mors plerumque inopinata & ſine dolore.
  - Carbunculi vel bubonis vel exanthematum præſentia vbi peſtis eſt ſeuerior.
  - Vrina vt plurimum nec turbida nec confuſa, ſed ſubſtantia, colore, & ſedimento laudabilis: nam quamuis veneno contaminatur ſanguis, non tamen ſemper putreſcit.
- **Non ex peſtilenti labe, ſed ex materiæ & febris putridæ permixtione cũ ea, & tunc**
  - Capitis dolor.
  - Fluxio à capite in ſubiectam aliquam partem citra tumorem.
  - Delirium 4. vel 7. die, & ſic moriuntur.
  - Incendium ſiue calor vehemens.
  - Pulſus à naturali alienus.
  - Vrina multum turbata & confuſa, aliis craſſa, ſubnigra, liuida, vel ex rufo liueſcens cum craſſo, diuulſo & turbulento ſuſpenſo.
  - Hæmorrhagia è naribus vel fluxus ventris 4. aut 7. die.
  - Lienteria ſtatim à morbi initio.

Sunt etiam in peſte ſigna quædam ſtabilia quæ imminens in ea periculum denotant, ſuntque ſigna cum demonſtratiua tum prognoſtica: ſed ſciendum eſt, quod omnia hæc ſigna in quolibet peſte laboranti expectanda non ſunt, ſed ſufficiunt perpauca ſimul teſtificantia & apparentia, videlicet vbi duo vel plura comparent, &c.

Signa demõſtrantia mortem vel periculum in peſte futurum

- Pulſus languidus, inæqualis, intercidens, capriſans aut formicans.
- Vrina conturbata, nigra vel liueſcens, habens craſſum auulſum.
- Excrementa nigra vel liueſcentia.
- Alui profluuium nimis liquidum, tenue, fœtidum, atrum, liuidum & vireſcens.
- Vomitio frequens, nauſea, ſingultuſque frequens, illeque increſcens.
- Syncope frequens cum grauitate capitis.
- Carbunculi, caro veluti carbo aut torrefacta aut liuida apparet ac nigra.
- Bubo prædutus, & à ſuppuratione prorſus alienus, niſi forte intro ſe recipiens ſubito euaneſcat.
- Difficilis & anheloſa reſpiratio.
- Phrenitis, & frequenter circa 4. aut 7. diem.
- Sudor, aut mador fœtidus.
- Vngues liuidi.
- Labra retracta, vox ranca & balbuties.
- Oculorum conuerſio, horrenda facies, aſpectuſque inconſtans.
- Extremitatis naſi acuitas & contorſio.
- Aſſidua corporis agitatio.
- Neruorum inſultus, atque conuulſiones inſolitæ.


CAPVT

CAPVT IV.

In quo signa morbi capitalis, seu Cardinalis plagæ Orientalis demonstratiua, videlicet Febris ardentis, enucleantur.

QVod etiam Febris sit capitalis plagæ Orientalis morbus, vtpote præcipue in proprietate Orientali seu ignea pollens, in *lib. 4. de differ. morborum, membro* illo vbi de morbis Orientalibus egimus, luculenter declarauimus: videmus enim, atque etiam à scriptis sacris confirmatum habemus, quod Eurus seu ventus Orientalis summam vim habeat calefaciendi & desiccandi, atque consequenter consumendi. Anne febre ardente morbum inuenimus magis vrentem atque consumentem?

Quid igitur Ethnici de signis ipsis demonstratiuis obseruauerint imprimis, & deinde quid sancti, hoc in loco paucis.



Sacræ

Sacræ ſcripturæ demonſtrant febres non tot ceremonijs, ſed ſecundum ſenſum patientis in hunc modum.

Signa febris vrentis demonſtratiua ſunt, quod

- Caro conſumatur vt focus, hoc eſt, præ æſtu defluit ſubſtantia.
- Interiora exardeſcant.
- Cor caloris vehementia flaueſcat & exareſcat.
- Appetitus tollatur.
- Lingua propter ſiccitatem adhæreat carni oris.
- Virus febrile conſumit humidum radicale, & ebibit ſpiritum vitæ.
- Viſcera nocturno tempore æſtu & doloribus vexantur & efferueſcunt, ita vt quieſcere nequeant.
- Pulſus velociter, inæqualiter & cum vehementia laborat ſine ceſſatione.
- Flatu & ventoſitate intumeſcunt præcordia:
- Adſunt vigiliæ & inſomnietas propter viſcerum & cerebri ardorem & ſiccitatem.
- Palpebris videtur adeſſe vmbra mortis.

Percutiet te (ait Moyſes) *tabe calida & æſtuante ac vrente febre; & ſiccitate ac vrigine donec pereas.* Deut. 28.

Conſumuntur (inquit Dauid) *vt fumus dies mei, & oſſa vt focus exardeſcunt, percuſſum tanquam herba exaruit cor meum, quia obliuiſcor comedere cibum meum.* Pſal. 102.9.

Sagittæ omnipotentis (dicit Iob) *in me grauiores ſunt, virus earum ebibit ſpiritum meum. Palpebis meu adeſt vmbra lethalis, cuti meæ & carni adhærent oſſa mea: nocte os meum perforatur doloribus, & pulſus mei non requieſcunt. Eleuaſti me ad ventum, et impoſuiſti me, & elisisti me valide vt defluam ſubſtantia, nam experior mors auocat me, viſcera mea efferuefacta ſunt adeo vt non quieſcant &c.* Iob. 6. 4. Iob. 16.16. Iob. 19.20. Iob. 30.17. Iob. 30.27.

Quibus omnia prædicta ſigna pathognomonica exacte colligere poſſumus.





PORTIONIS SECVNDÆ, PARS VLTIMA IN LIB. VNICO COMPREHENSA.

Liber iste in membra distribuitur duo, quorum agit
- Prius de signis plenitudinis vel
  - Totius.
  - Partium singularum principalium.
- Posterius de illis
  - Temporum morborum.
  - Obstructionum.

LIBRI PRIMI, MEMBRVM PRIMVM.

De signis plenitudinis demonstratiuis.

CAPVT I.

De signis generalis plenitudinis demonstratiuis.

SVnt signa demonstratiua alia plenitudinis generalia, quæ vniuersale plenitudinis humanæ complexionis per totum corpus dominium arguunt. Sunt etiam & cuiuslibet membri magis principalis in temperie conditionem indicantia. De vniuersali complexionum dominio in *libro* seu *parte huius portionis præcedente* satis sufficienterque egimus. Hoc autem in loco partim signa plenitudinis magis generalia tangemus, partimque in illis membrorum particularium insistemus.

Signa plenitudinis generalis demonstratiua
- Vasorum (quæ plethora dicitur) sunt
  - Singulorum membrorum iners motus & ponderositas.
  - Dolorosus & lassitudinarius membrorum sensus.
  - Faciei & corporis rufus color.
  - Venarum amplitudo & distensio.
  - Cutis & totius corporis tensio.
  - Consuetarum excretionum suppressio.
  - Pulsus plenus & magnus.
  - Frequens vrinæ emissio.
  - Inappetentia & cibi fastidium.
  - Lassitudo in visu & somnia turbulenta.
- Virtutis tantum sunt
  - Repletio sine venarum & cutis extensione, sine pulsu pleno & magno, sine crassa & rubra vrina.
  - Minutarum corporis partium sensus ante motum & exercitationem grauis & non post.
  - Pruritus in somnis, mordicatio, incensio, odor fœtidus.
- Vtriusque simul sunt
  - Grauitas.
  - Segnities.
  - Inappetentia.

De hisce omnibus mentionem fecerunt Galenus 9. *meth. med. c.* 5. *& de curandi ratione per sanguinis missionem c.* 4. *& com.* 2. *in lib. de nat. hum. c.* 1. *& de plenit. c.* 1. 3. *&* 12. *&* 2. *Ap.* 17. & Rhasis *tract.* 2. *c* 19. & Alzar. *lib. theor. tract.* 5. *c.* 4 *&* 1. *Aph.* 3 *& lib. de dign. ex somniis & lib.* 2. *de causis sympt. c.* 5. *&c.*

Atq; talia sunt signa vniuersalis plenitudinis: iam vero ad plenitudinis particularis cuiuslibet principalis in corpore membri descendam. Sunt autem membra in corpore principalia in quibus repletio fit, Caput, pulmo, stomachus, intestinum, lien, fel, hepar, matrix in mulieribus, lumbi, renes, & vesica. De hisce ergo singulis suo ordine.

CAPVT

Capvt II.

Hic signa recensentur demonstratiua, quæ repletionem capitis ex quolibet quatuor humorum indicant.

Signa demonstratiua abundantiam siue repletionem arguentia in capite à complexione

- Meridionali siue humore sanguineo sunt
  - Dolor capitis acutus & vehementior; idque magis horis sanguineis, videlicet ab hora 9. ad 3. diei:
  - Caput contactu calidum:
  - Calor sentitur emergens à profundo:
  - Pulsus circa tempora altus.
  - Somnia rubeorum corporum.
  - Venæ plenæ & tumidæ. Facies rubea & parum intumescens.
  - Albedo oculorum, rubescunt aliquantulum.
  - Sputum in ore sentitur dulce.
- Occidentali siue humore phlegmatico sunt
  - Dolor grauans in anteriori capitis parte, vel in sinistra, idq; maxime horis phlegmaticis, nimirum à 3. hora noctis vsque ad 9.
  - Caput contactu frigidum.
  - Pigritia in capite & somnolentia; & hebetudo sensuum:
  - Facies pallida & subpallida.
  - Albedines oculorum expresse candidæ:
  - Somnia aquarum & pluuiarum.
  - Abundantia saliuæ in ore & insipiditas.
  - Sputum, secundum diuersitatem phlegmatis; facit enim phlegma sputum si sit
    - Dulce, dulce album & mediocriter digestum:
    - Salsum, salsum indigestum, album & substantia mediocre:
    - Acre, acidum, indigestum, tenue & liuescens.
    - Vitreum, indigestum, insipidum & conglobatum:
    - Naturale; insipidum, tenue, liuescens; vel quod melius est:
- Septentrionali siue humore melancholico sunt
  - Dolor grauans & densus, eritque maior circa vesperam:
  - Facies & alba oculorum liuida & subnigra.
  - Lippitudo & tenebrositas oculorum:
  - Tinnitus aurium.
  - Sputum in ore acre, seu potius acidum.
  - Vigiliæ & insomnietas multa:
  - Somnia nigrorum corporum:
  - Stupor & pigritia capitis & sensuum.
- Orientali siue humore cholerico sunt
  - Dolor capitis acutus & punctorius, maxime horis choleræ à 3. scilicet diei hora ad 9. eiusdem.
  - In anteriori capitis parte dolor sentitur profundus.
  - Caput contactu calidum apparet:
  - Facies & albedines oculorum ad citrinitatem tendunt.
  - Ori & sputo adest quædam amaritudo:
  - Manifesta linguæ siccitas persentitur.
  - Liquor per nares distillans, vrit & pungit:
  - Insomnietas & vigiliæ adsunt.
  - Somnia rubeorum corporum, ignis, fulguris & lampadum, &c.
  - Pulsus circa tempora est fortis & durus.

CAPVT III.

De signis illis demonstratiuis, quæ Pulmonis à quolibet humore siue complexione repletionem arguunt.

QVoniam pulmo est respirationis organum à phlegmaticarum præcipue superfluitatum aggregatione, nec non & aliorum quandoque humorum abundantia oneratum atque impletum, ideo de humorum eum implentium signis paucis dicemus.

Repletio pulmonis maxime ex tribus cognoscitur, videlicet ex
- Impedimento spiritualiū
  - Difficilis respiratio.
  - Tussis & raucedo.
- Sputi
  - Qualitate, cū sit in colore
    - Album.
    - Viride.
    - Citrinum.
    - Liuidum.
    - Nigrum.
  - Substantia cū sit
    - Spissum.
    - Tenue.
    - Viscosum.
    - Rarum.
    - Globosum.

Pulmo (vt de eius concauitatibus & canalibus loquamur) tribus repletur humoribus
- Principaliter & magis cōmuniter à phlegmate.
- Secundo à melancholia.
- Tertio à cholera.

Signa demonstratiua repletionis siue abundantiæ in pulmone à complexione
- Occidentali siue humore phlegmatico, sunt
  - Difficultas respirationis.
  - Tussis & raucedo in pluribus.
  - Grauitas & oppressio magis in nocte quam in die, idque maxime in horis phlegmaticis antedictis, & magis hyeme, quam alio tempore, & post cibum quam ante, & post somnum quam ante.
  - Sputi abundantia in ore secundum phlegmatis diuersitatem, nam si phlegma fuerit
    - Naturale, erit sputum aquosum, album, insipidum, tenue, & facile educitur.
    - Vitreum, erit sputum, globosum, subalbidū, & difficulter educitur.
    - Salsum, sputum erit album & facile educitur.
    - Dulce, sputum erit album, digestum, dulce, & facilis excreationis.
    - Acidum, erit sputum tenue, indigestum, liuescens & acetosum.
- Septentrionali siue humore melancholico, sunt
  - Difficultas respirandi.
  - Difficilis sputi reiectio siue excreatio.
  - Maxime infestatur ab hora 9. diei ad horam 3. noctis.
  - Sputum erit acre seu acidū, & nonnisi in parua quantitate.
- Orientali siue humore bilioso, siue cholera, cuius signa si sit
  - Citrina vel vitellina sunt
    - Difficilis respiratio.
    - Tussis arida.
    - Eructatio amara.
    - Raucedo.
    - Oris siccitas & amaritudo.
    - Linguæ siccitas & sitis.
    - Magna ex frigido aëre & potu alleuiatio.
    - Anhelitus feruens.
    - Pectus tactu calidum & calore emergens de profundo, & die magis quam nocte vexans, idq; magis horis prædictis choleræ quam alijs, & æstate q̃ hyeme.
    - Sputum citrinum, spissum, globosum ex cholera vitellina, at ex cholera rubra croceum vel viride, sed eductione facile, eritque qualitate amarum.
    - Faciei color rubeus & citrinus.
  - Nigra vel adusta sunt
    - Sputum nigrum & acidum, maxime autumno & hyeme, ac in senibus.
    - Frigiditas circa stomachum à profundo emergens.
    - Grauitas & distensio in pulmone.
    - Oris siccitas & asperitas.
    - Anhelitus frigiditas.
    - Color thoracis in plurib. liuidus & niger.

CAPVT

Caput IV.

Vbi signa demonstratiua humorum ventriculum siue stomachum nimium re-plentium exponuntur.

Stomachus ex tribus hisce humoribus repleri solet, videlicet
- Primùm & principaliter à phlegmate.
- Secundò à cholera.
- Tertio à melancholia.

Signa repletionis siue abundantiæ in stomacho à complexione
- Occidentali, siue humore phlegmatico, se habent secundùm phlegmatis speciem: nã si phlegma sit
  - Naturale & vitreũ signa sunt
    - Sputum si sit
      - Naturale, insipidũ & tenue, & facilis eductionis siue excreationis.
      - Vitreum, insipidũ, spissum, viscosum, & difficilis eductionis.
    - Indigestio.
    - Sitis absentia.
    - Ex copiosa ciborum frigidorum commestione aggrauatio.
    - Tensio & rugitus & torsio intestinorum.
    - Si fuerint circa os stomachi superiùs aderit nausea; eructationes insipidæ & spumosus vomitus.
    - Frigiditas sentitur circa stomachum in profundo.
    - Quando fit eorum resolutio in inordinatũ sudorẽ.
    - Egestiones albæ & spumosæ vtplurimum.
  - Salsum, signa sunt
    - Siccitas erit cum salsedine.
    - Sputum salsum.
    - Appetitus diminutio.
    - Quandoque nausea & vomitus.
    - Linguæ & palati desiccatio cum quibusdam etiam ex prædictis.
  - Dulce, signa sunt
    - Sputum dulce.
    - Eructationes dulces.
    - Fastidium cibi & potus.
    - Dolor & calor circa stomachum, & circa os à profundo.
  - Acidum, signa sunt
    - Sputum acidum & tenue.
    - Eructationes acidæ & spumosæ & densæ circa os stomachi.
    - Tensio & rugitus à ventositate.
    - Indigestio.
    - Frigus sentitur & dolor.
    - Egestiones liuidæ & cum sono seu crepitu.
- Orientali siue humore cholerico sunt
  - Siccitas oris & amaritudo.
  - Sputum amarum & citrinum.
  - Dolor in anteriori parte capitis, & ad radices oculorum, maximè in horis choleræ præscriptis.
  - Sitis & poculentorum frigidorum desiderium.
  - Appetitus diminutio.
  - Nausea & quandoq; vomitus cholericus, citrinus vel viridis.
  - Eructationes amaræ.
  - Egestiones citrinæ & virides.
  - Circa stomachum calor à profundo emergens.
- Septentrionali siue humore melancholico sunt
  - Sputum acre siue acidum.
  - Eructationes acetosæ & fumosæ.
  - Stomachus erit tam in profundo quàm tactu frigidus.
  - Indigestio, rugitus, distensio.
  - Torsio ex ventositate.
  - Dolor capitis.
  - Dolor in ventriculo grauans & distensiuus.
  - Appetitus ad cibum permanens & auctus.
  - Post cibum grauantur, hocq; præcipuè ex cibis melancholicis.
  - Egestiones sunt vel nigræ, & cum crepitu seu ventoso sonitu educuntur.

Capvt V.

Hîc signa repletionis intestinorum à quocunque humore demonstratiua enucleantur.

Cognoscitur an repletio sit in intestinis vel { Superioribus. / Mediis. / Inferioribus. } Ex loco doloris atque grauitatis ipsorum.

Intestina ex superfluitate horum trium humorum implentur, videlicet { Phlegmatis. / Choleræ. / Melancholiæ. } Quorum dominia cognoscuntur plerumque per egestiones.

Signa repletionis siue abundantiæ in intestinis à complexione {

- Occidentali, siue humore phlegmatico, si sit {
  - Salsum, sunt signa { Egestiones erunt tenues. / Sitis & salsitas / Oris desiccatio / Calor } aderunt.
  - Dulce, signa sunt { Egestiones albæ & mediocriter spissæ. / Sputum dulce. / Calor circa intestina.
  - Si acidum seu acre sunt { Egestiones acetosæ & spumosæ, tinctæ nigro & liuido colore. / Frigiditas sentitur in profundo, & similia.
- Orientali siue humore cholerico sunt { Egestiones citrinæ vel virides. / Calor, punctio & mordicatio sentitur interius. / Sitis & poculenti frigidi desiderium. / Oris amaritudo & siccitas. / Vnde si non citò curetur ista intemperies oppidò in dysenteriam migrabit.
- Septentrionali siue humore melancholico sunt { Egestiones liuidæ & nigræ cum ventoso sonitu in egressu. / Rugitus & distensio intestinorum. / Frigiditatis sensus in profundo; vnde nisi confestim in huius intemperiei curatione diligentia adhibeatur, subitò ratione corrosionis ipsius in dysenteriam transibit.

Capvt VI.

De signis demonstratiuis repletionis lienis ex cuiuslibet humoris abundantia.

Repletur lien multis modis, videlicet vel ex { Chronicis febribus præcedentibus. / Proprio defectu siue debilitate. / Pororum siue meatuum ipsius oppilatione, per quos ad stomachum vel intestina deportet melancholiam, vt sua grauedine adiuuet expulsiuam facultatem, vel aciditate tam appetitus virtutem quàm digestiuam.

Materia humoralis siue subiectum quod splenem implere solet, est { Principaliter melancholia. / Secundò phlegma. / Tertiò cholera. } Quæ suis propriis signis distinguuntur.

Signa

- Signa demonſtratiua plenitudinis in liene à cõplexione
  - Septentrionali ſiue humore melancholico ſunt
    - Vrina erit tenuis & alba aut lucida, clara ac radioſa, accidit tamen quandoque quod ob aliquã iſtius humoris redundantiam & cum vrinæ admixtione fit etiam quandoque vrina ſpiſſa.
    - Dolor ſub dextro hypochondrio & magis ſub ſiniſtro, aderitq; in iis locis duritia ſecundùm compoſitionem humoris.
    - Totius corporis grauitas, diſcoloratio, & pigritia, extenuatio & debilitas.
    - Eructationes acidæ, fumoſæ.
    - Sputum acre; ſiue acidum.
    - Facies alba, & candor oculorum liueſcens, fitq; totius in colorem non naturalem conuerſio.
    - Indigeſtio & poſt cibum aggrauatio.
    - Rugitus & tenſio circa præcordia.
    - Egeſtiones lucidæ & ſpumoſæ cum multa ventoſitate.
    - Grauantur ex labore, & maximè ex itinere fatigantur.
    - Cùm aſcendunt plethorici montem vel ſcalam deficiunt eorum crura, & poſt magnam fatigationẽ patiuntur anhelitus ſiue reſpirationis difficultatem propter ſpiritualium oppreſſionem.
  - Occidentali ſiue humore phlegmatico ſunt
    - Vrina eſt alba, ſpiſſa, vel alba & tenuis, ſed nõ clara.
    - Dolor & tumor ſub dextro ſeu potiùs ſub ſiniſtro hypochondrio.
    - Durities in iiſdem locis à ſuperiori parte remiſſior.
    - Eructationes inſipidæ & parum fumoſæ.
    - Sputum inſipidum & abundans.
    - Calor circa volas manuum & pedum.
    - Indigeſtio circa ſtomachum.
    - Rugitus & intenſio viſcerum.
    - Eiectiones albæ & liquidæ, ſpumoſæ & ſpiſſæ cum mucilaginibus.
    - Totius corporis diſcoloratio, & in colorem pallidum conuerſio.
    - Debilitas & fatigatio.
    - Pigritia totius corporis.
    - Maximè grauantur ex itineribus magnis & aſcenſionibus in altum.
    - Magis afficiuntur poſt cibum quàm antea.
  - Orientali ſiue humore cholerico ſunt
    - Vrina intenſa & tenuis.
    - Tumor & grauitas & durities in regione ſplenis, & à calore emergente de profundo.
    - Oris ventriculi deſiccatio.
    - Amaritudo atque ſitis plurima.
    - Vomitus quandoque & nauſea.
    - Faciei & totius corporis citrinitas.
    - Egeſtiones citrinæ & liquidæ & quandoque ſpiſſæ.
    - Totum corpus tabeſcit & extenuatur, ſiue emarceſcit; & hæc paſſio difficile aut nunquam curatur.
    - Calor nimis erit acer qui in ipſo excitatur, & facilè non extirpabitur.

CAPVT

CAPVT VII.

In quo ſigna repletionis cùm hepatis, tum fellis à quocunq; humore exprimuntur.

Abundant in hepatis cauitate & venis meſaraicis
- Sanguis.
- Cholera.
- Phlegma.
- Melancholia.

Qui omnes ſuis propriis diſtinguuntur ſignis.

Si illa repletio fiat à complexione Meridionali vel humore ſanguineo, neceſſe eſt vt conſequenter ab eo impleatur vniuerſum corpus. Signa autem talis repletionis recenſentur in *Membro* i. *lib. præcedentis*, vbi egimus de ſignis complexionis Meridionalis ſiue humoris ſanguinei.

Signa repletionis ſiue abundantiæ in hepate à complexione
- Meridionali, ſiue humoris ſanguinei ſunt, vt antea.
- Orientali ſiue humore cholerico ſunt
  - Vrina intenſa & tenuis cum ſpumà multa & citrina: aliquando etiam admixtione & diſſolutione humorum pinguis eſt & ſpiſſa, vt in Ictericis.
  - Calor ſentitur circa dextrum hypochondrium in profundo.
  - Sitis, & poculenti frigidi deſiderium adeſt.
  - Alba oculorum ſunt citrina.
  - Dolor in hepate pungens.
  - Decoloratio corporis, & mutatio in citrinum colorem.
  - Circa venas maior ſentitur calor, quam in aliis corporis partibus.
- Occidentali, ſeu humore phlegmatico ſunt
  - Vrina alba vel albedini proxima & quandoque pinguis ex humorum admixtione, quandoque tenuis ex eorum coniunctione vel diſiunctione:
  - Grauitas ſub hypochondrio.
  - Indigeſtio & digeſtio circa hepar & caput maximè poſt cibũ, & præcipuè ſi ſint difficilis digeſtionis, & admodùm flatulenti.
  - Frigiditas circa dextrum hypochondrium in profundo:
  - Diſcoloratio totius corporis propter aquoſum ſanguinem:
  - Grauitas & pigrities:
- Septentrionali ſiue humore melancholico, ſunt
  - Vrina tenuis & liuida, vel fit quandoque ſpiſſa ex admiſtione melancholici humoris, & ſpumoſa ex ventoſitate, & quandoque tenuis & glauca.
  - Dolor grauans & extenſiuus circa dextrum hypochondrium maximè poſt cibum, & ex cibis melancholicis:
  - Dolor cum ſtupore & inſenſibilitate.
  - Frigiditas quædam ſentitur in profundo.
  - Indigeſtio & præcordiorum tenſio ac rugitus, & diſtenſio circa hepar.
  - Decoloratio & pigritia totum corpus occupans.

Fellis repletio.

In felle vnus tantùm humor ſolet abundare, eſtque cholera, cuius naturale veſica exiſtit receptaculum. Contingit autem choleræ abundantia à nimia hepatis in calore intemperãtia, videlicet quando in maiori quantitate quàm natura requirit procreatur ipſa, vel quando eius meatus obturantur per quos naturæ inſtinctu vel ad ſtomachum, vel ad inteſtina transferri ſolet, & debet cholera à cyſti fellis, videlicet ad ſtomachum, quò virtus digeſtiua adiuuetur, & ad inteſtiná, quò virtus ſeu facultas expulſiua fortificetur.

Signa

Signa repletionis siue abundantiæ ratione fellis à complexione Orientali seu cholera propter

- Calorem nimium hepatis sunt
  - Vrina spumosa, citrina, tenuis vel pinguis.
  - Calor in profundo sub dextro hypochondrio sentitur.
  - Discoloratio totius corporis in citrinitatem; maximeq; oculorum albedinum, quæ valde citrinescunt.
  - Egestiones apparebunt citrinæ.
- Oppilationem meatuũ: nam si meatus
  - Superior, per quem deportatur cholera ad fundum stomachi oppiletur, signa erunt
    - Egestiones plurimùm citrinæ.
    - Corpus ab vmbilico inferiùs tinctũ in citrinum colorem, suprà verò nequaquam.
    - Indigestio in stomacho.
    - Rugitus & distensio ventris.
  - Inferior, per quem cholera ad intestina fertur, signa sunt
    - Nausea & vomitus cholericus.
    - Desiccatio oris & amaritudo.
    - Sitis & poculentorum desiderium.
    - Fastidium.
    - Corpus ab vmbilico superiùs citrino colore tinctum.
    - Rugitus circa intestina.
    - Egestiones albæ & spumosæ cum crepitu seu sonitu ventoso eductæ.

CAPVT VIII.

Descriptio signorum demonstratiuorum repletionis, seu abundantiæ à quocunq; humore in renibus & vesica facta, hoc in capite continetur.

Lumbi & renes tribus solent impleri humoribus:
- Phlegmate.
- Cholera.
- Melancholia.

Qui omnes suis propriis signis discerni solent.

Signa abundantiæ in lumbis siue renibus à complexione

- Occidentali, seu humore phlegmatico sunt
  - Vrina alba & pinguis nisi sint humores compacti mucilaginibus.
  - In vrina resolutiones longæ ad modum pilorum.
  - Grauitas sentitur in renibus.
  - Frigiditas in profundo cum dolore percipitur.
- Septentrionali siue humore melancholico, sunt
  - Vrina tenuis, liuida & ampullosa & quandoque spissa ex resolutione humoris melancholici & admixtione eiusdem cum vrina.
  - Dolor grauans & distensiuus sentitur & stupor circa renes.
  - Grauitas cum dolore in profundo.
- Orientali siue humore cholerico sunt
  - Vrina intensa & tenuis cum spuma multa & colore citrino: aliquando ex dissolutione & mixtione humorum pinguis fit, vel spissa ex admixtione choleræ, quemadmodum accidit in ictéritia.
  - Dolor acutus & pungens circa renes.
  - Calor sentitur in profundo.
  - In vrina resolutiones plures quàm in humoribus superioribus, graciles & in modum pilorum.

De vesica.

In vesica humores tres quandoque abundare solent, videlicet, vel
- Phlegma principaliter.
- Secundo melancholia.
- Tertiò cholera.

Quorum quilibet suis propriis & distinctis signis dignoscitur.

Signa repletionem siue abundantiã in vesica arguentia à complexione

Occidentali siue humore phlegmatico sunt
- Vrina remissa continens mucilagines & resolutiones in modum squamarũ piscium; in qua vesicæ intemperie contingunt stranguria & dysuria, hoc est difficultas mingendi guttatim & cum interuallo.
- Dolor & grauitas circa pecten & inguina.

Septentrionali seu humore melancholico sunt
- Vrina liuida & spumosa, liuida inquam, ex admixtione humoris melancholici:
- Stranguria frequenter aderit cum dysuria.
- Stupor & insensibilitas circa peritonæum.
- Dolor grauans & distensiuus.
- Frigiditas sentitur inter anum & pudenda.

Orientali siue humore cholerico sunt
- Vrina intensa & tenuis, vel quandoque spissa ex admistione choleræ:
- Dolor acutus & pungens.
- Vrina cum squamosa resolutione quæ in exitu ardet & pungit, & consequẽter tali vesicæ intemperiei stranguria & dysuria adsunt:
- Calor & dolor circa peritonæum in profundo:

Capvt IX.

De signis repletionis, siue abundantiæ humorum in matrice.


Circa matricem siue cauitatem eius tres solent abundare humores: Phlegma. Melancholia. Cholera. Quorum quilibet suis peculiaribus signis detegitur.

Signa repletionis siue abundantiæ in cauitate vesicæ à complexione

Occidentali, seu humore phlegmatico sunt
- Valde erit matrix humida.
- Mulier non multum coitu delectabitur, licet prius coitum appetat, nec erit ipsa viro grata & delectabilis.
- Plurimum in coitu humectabitur mulier siue matrix.
- Grauitas sentitur ab vmbilico inferius.
- Frigiditas sentitur in profundo.
- Orificium matricis erit molle.
- Menstrua phlegmaticis siue aqueis humoribus atq; mucilaginibus commixta destillabunt:
- Vrina pinguis, alba vel ad albedinem inclinans.
- Sæpe ex humoribus in ventositatem resolutis sequetur spiritualium ex matricis suffocatione compressio atque syncope.

Septentrionali siue humore melancholico, sunt
- Non delectabitur fœmina coitu, nec est ipsa viro in tali actu grata:
- Paucitas ipsis adesse solet spermatis.
- Grauitas & dolor distensiuus sentitur in profundo.
- Ventositas quasi quædam aura sentitur in matrice.
- Quandoq; à matrice ratione auræ loci procedit suffocatio & syncope.
- Frigiditas sentitur in profundo, & circa matricem & eius orificium stupor & insensibilitas.
- Menstrua pauca & liuida ex melancholiæ admixtione.
- Vrina tenuis & remissa, quandoque pinguis & liuida:

Orientali siue humore cholerico sunt
- Calor erit circa matricem:
- Dolor pungitiuus, siccitas, durities & calor circa orificium matricis.
- Coitum appetunt, & plurimùm in tali actu delectantur, & præ aliis viris sunt gratæ.
- Citissimæ sunt ad seminis infusionem, sed paruum est earum sperma.
- Menstrua citrino educuntur colore, idque cum pauca in eorum exitu mordicatione in collo matricis.
- Vrina rubra est, subrubra vel rufa.
- Siccitas & fissura adest labiorum:



LIBRI HVIVS MEMBRVM SECVNDVM;

In quo de signis obstructionum atque temporum morborum agitur.

CAPVT I.

De obstructione & de signis ipsius demonstratiuis tam generalibus, quàm particularibus.



QVONIAM obstructiones dignoscuntur atque Medicorum obseruatione colligunrur esse plurimorum in corpore humano morborum arque intemperierum occasiones; ideò de ipsius signis demonstratiuis tam generalibus quàm particularibus imprimis discurrere, & paucis animi mei sententiam explicare necessarium putaui.

Obstructio, inquit Galenus, *est vnus instrumentalium affectuum, & consequenter est plurimorum morborum author.* *Isag. art. Med. c.21.*


Signa demonstratiua obstructionis:

- Generalis, hoc est toti⁹ sunt:
  - Eorum quæ ingeruntur vel deferuntur tardior transitus.
  - Meatuum angustia ex vellicatione vel astrictione percepta.
  - Tristis sensus vel grauatiuus dolor post cibum assumptum.
  - Decolor & prætumida facies. De his Galenus *5. loc. affect. 5. & 9. meth. med. 2.*
- Particularium corporis partium, videlicet
  - Capitis
    - Totius præsentia
      - Apoplexiæ, arguit obstructionem totius cerebri à frigido, crasso & viscido humore in summo gradu.
      - Epilepsiæ, denotat obstructionē ab eadem causâ ventriculorum, sed in remissiori gradu.
    - Partis
      - Anterioris, quando sopor adest.
      - Posterioris, in catalepsis præsentia.
    - Hinc Galenus, Soporis, apoplexiæ & morbi comitialis causa est humor frigidus, crassus & omninò viscidus: verùm in sopore & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minùs: in apoplexia corpus magis affici solet. In sopore anterior pars magis, in apoplexia & morbo comitiali vtraque: in catalepsi seu catoche posteriora cerebri magis afficiuntur, *loc. aff. l. 4. c. 2.*
  - Meatuum cystis fellis, morbus regius & eius signa. *Aph. 3. 64.*
  - Viscerum dolor: nàm fortis obstructio facit viscerum dolorem, teste Galeno, *3. Aph. 66.*
  - Intestinorum Iliaca passio, & ventris torsio, *6. Aph. 40.*
  - Hepatis dolor. Hinc Galenus: Obstructio facit dolorem hepatis; *7. Aph. 53.*
  - Voluulus denotat obstructionem intestinorum, vnde Galenus: Obstructo tenui intestino à phlegmone aut alio fit voluulus; *de nat. fac. l. 3. c. 12.*
  - Febris ephemera & alia. Hinc Galenus: Obstructio si parua sit, diariam febrem facit, si fortis aliam speciem; *meth. med. l. 10.*
  - Calor corporis præter naturam; nam Galenus: Obstructio calorem in corpore excitat; *de caus. morb. c. 1.* &c.

CAPVT II.

In quo signa temporum morborum cùm vniuersalium, tum particularium paucis explicantur.

NVNC verò sic paucis explicatis obstructionis signis, de illis quæ tempora morborum designant nonnihil dicemus, quoniam non est possibile morborum tempora absque signis suis propriis atque legitimis exprimere aut distinguere. De illorum igitur tam vniuersalium quàm particularium indiciis hæc pauca:



De hisce mentionem facit Galenus 1. *de cris. c.* 3.7.18. & 1. *Aph.* 12. & 1. *de cris.* 18. *c.* 20. *com.* 2. *de victus ratione* 45. & *l.* 1. *decret. c.* 6. & *l.* 2. *c.* 2. Et *de totius morbi temp. c.* 3. & 1. *de cris.* 7. & 1. *Aph.* 7. & 2. *Aph.* 30 & 1. *de cris.* 10. *lib. de hum. com.* 2. & 1. *Aph.* 12. & in pluribus aliis locis.

Atque ita portionem huius ægrotorum Catoptri secundam (laus Deo) compleuimus, quæ de signis demonstratiuis solis tam in genere, quàm in specie pertractat.

ADMO-

ADMONITIO PICI.

Vtcunque in iſta portione modo vulgari & medicorum Ethnicorum more de ſignis his demonſtratiuis loquuti ſumus, vos tamen nihilominus certiores fieri me ſuadet pietas, quod vt Deus operatur omnia in omnibus, ita quidem cùm diligentia agnoſcere debemus quod Deus ſit omnium horum ſignorum demonſtratiuorum author radicalis: non aliter quàm omnia in cœlo ſigna ab eius manu conſtruuntur. Sic Deus per Angelicam & in Angelicam naturam, quæ mediantibus ſtellis & ventis & meteoris tam macro quam microcoſmicis operatur omnia in omnibus, facitque ſigna tam in ſpiritu mundi quam illo humano varia & ſpecie differentia, iuxta proprietatem Dei, in qua vel hæc vel illa operari aſſolet. Ei ergo attribui debet omnis virtus & potentia in ſæcula ſæculorum.



GENERALIS ÆGROTORVM CATOPTRI, PORTIONIS TERTIÆ PARS PRIMA.

Pars istius portionis prima versatur in obseruatione conditionis seu proprietatis figuræ { Cœlestis, de qua membrũ huius primũ intendit in Iatromathematicã versatum, quæ libris 3. est comprehensa. Terrestris, atq; de ista intendit membrum 2. in Geomantia medica, quæ libro includitur vnico.

MEMBRI PRIMI, LIBER PRIMVS,

De Iatromathematicæ elementis, siue principiis.

PROOEMIVM,

In quo Iatromathematicæ dignitas, Astrologiæque in re medica vtilitas explicatur.



Ippocrates (vt in libro Galeno ascripto, cui titulus est Mathematices scientiæ prognostica de decubitu infirmorum, *habemus) ait.* Quicunq; in medicina se exercent, eius autem philosophiæ ignari sunt quæ docet dare iudicia de rebus à natura earum (*Physiognomoniam vocant*) horum animus in tenebris perpetuo oberrans fatigatus consenescit: non solum non recte agere huiusmodi homines, sed etiam plurimum decipi: ait n. eorum animum errore confici ac defatigari qui vsum physiognomoniç ignorant. *Cum autem maxima pars Astrologiæ ad eam quam dicimus physiognomoniam, seu philosophiam iudiciariam pertineat, liquet ipsum, si partem laudauit, multo magis totum laudauisse. Atq; iterum* ibidem, *ait Galenus, ex sententia Dioclis & Caristii medicorum, quod* veteres medici ex diuersitate luminis & cursus lunç præcognitiones quç in morbis fiunt conficere soliti essent. *Et Haly in quodam ante paruulum opus Hippocratis* præludio, Medicus qui Astronomiam ignorat est tanquã cæcus viã baculo examinans, huc illuc miserabiliter cespitans pro qualibet boni maliue apparentia phantastica & inani vt fatuus trepidans. *Ob istam igitur rationẽ Plato ait.* Nolite ignorare Astronomiã sapientissimã esse: *& causam reddit Polomeus talẽ,* quoniã *(ait)* optimus Astrologiæ professor multos effectus stellarum auertere põt, quando naturas earũ non ignorat, & seipsum antequam effectus earum accidant diligenter præparat. In cent. verb. 5. *Tasnerus dicit,* Qui medicinæ est professor, Astrologiæ autem ignarus, non medicus sed impostor potius est dicendus. *Deniq; nos concludimus, quod cum mens & discretio humana ab altiori descendat principio quam ab illo fatali seu Astrali, ideo haud absurde censetur à Platone Astrologia esse res sapientissima, si à profunda mente & sapientia humana rite indagetur & percipiatur: nam illud fati ab intellectu humano bene cognitum atq; reuelatum mysterium facillime sapientia duce euitari atque deuiari potest. Ob quam causam ista Salomonis,* Sapiens dominabitur Astris. *Vnde euidens est, quod Iatromathematices cognitio sit medico admodum necessaria atque perutilis, quippe sine qua ad verum artis semeioticæ siue per signa prognosticandi fastigium pertingere non potest.*

De Iatromathematica igitur, ſiue Aſtrologia medica hoc in loco diſceptare, & de ipſius eſſentia atque vtilitate diſcurrere mihi propoſui.

CAPVT I.

Quod de elementis Aſtrologicis huic arti requiſitis, verbo, & per relationem ad tractatum noſtrum de Aſtrologia agit. Et primum de ſignorum Zodiaci proprietatibus.

NEceſſe eſt vt priuſquam operis iſtius medullam penetremus; ipſorum ſignorum atque partium eorum proprietates diligenter perquiramus, eaſque inuentas ſerio ponderemus. Verum quoniam idem ſaxum ſæpius voluere erit tam nobis quam vobis tædioſum, vos (lectores Aſtrologiæ adhuc rudes aut inculti) ſuadeo, vt librum *technica noſtra macrocoſmi hiſtoriæ ſecundum part.* 10. per totum introſpiciatis, quippe in quo inuenietis;

Quod ſignorum Zodiaci alia dicuntur reſpectu eorū poſitionis verſus mundi polos
- Septentrionalia, videlicet ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍. quoniam in ſeptentrionali plaga ſita.
- Meridionalia, nempe ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓ quia ad partem vltra æquatorem Meridionalem ſpectant.

At reſpectu motus & dominii vnius ſuper aliud
- ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐
  - Recte aſcendentia; quoniam cum iis maior æquinoctialis portio aſcendit.
  - Imperantia, quippe quę oblique aſcendentibus imperant.
- ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊
  - Oblique aſcendentia, vtpote cū quib. æquatoris medietas ſeu pars maior minime aſcendit.
  - Obedientia, quoniam 6. iſta oblique aſcendētia dicuntur recte aſcendentibus obedire, ſic ♑ obedit ♋ & ♒ ♌. &c.

Porro etiam reſpectu elementali ſigna triplicitatis
- Igneæ ſunt ♈ ♌ ♐ — Sunt enim calida, ſicca, bilioſa, amara, diurna, maſculina & Orientalia.
- Terreæ ſunt ♉ ♍ ♑ — Vnde etiam frigida, ſicca, melancholica, acida, nocturna, fœminina & ſeptentrionalia.
- Aëreæ ſunt ♊ ♎ ♒ — Et per conſequens calida, humida, ſanguinea, dulcia, diurna, maſculina & Meridionalia.
- Aqueæ ſunt ♋ ♏ ♓ — Quippe quæ ſunt frigida, humida, pituitoſa, inſipida, fœminina, nocturna & Occidentalia.

Denique reſpectu motus & quietis dicuntur alia
- Mobilia; vt ♈ ♋ ♎ ♑ quia tempora anni in quibus dominantur hæc ſunt mobilia, & mobiles reddunt res.
- Fixa; ♉ ♌ ♏ ♒ ſic dicta, quoniā tempora anni eorum dominii vel in aſcendente exiſtentia ſunt fixa & mutabilitati non adeo apta.
- Communia, ſiue media inter naturam fixam & mobilem ſunt ♊ ♍ ♐ ♓ quia illorum tempora anni communia ſunt cum prædictis duobus.

Quod

Quod signorum istorum alia sint:
- Humanam retinentia effigiem, videlicet ♊ ♍ ♒ ♐ & Haly inter hæc ponit ♎ propter vicinum ♍.
- Pennigera, nempe ♍ ♊ ♓.
- Quadrupedia, eaque vel
  - Mansueta, vt ♈ ♉.
  - Immansueta, vt ♌ ♐.
- Tortuosa, calamitosa, vitiosa & morbosa, vt ♈ ♉ ♋ ♍ ♑.
- Fœcunda, multamque prolem generantia, vt ♋ ♍ ♓. quæ ab effectu nomina sunt sortita.
- Sterilia vt ♌ ♍ ♊ & tamen iuxta Ptolemæi doctrinam ♊ multiplicat filiorum numerum.
- Vocalia, qualia sunt signa hominum.
- Muta vt ♋ ♏ ♓.
- Mediæ naturæ vt ♈ ♉ ♌ ♑ & pars ♐ vltima.

Quod signorum graduum alii dicantur ideo masculini quoniam planetam masculinum dum in istis manet fortiorem reddere animaduertuntur: fœminini alii, quippe qui hoc idem in planetis fœmininis operentur. Alii lucidi, fumosi, tenebrosi & vacui vocantur, propter stellas fixas in ipsis & cum ipsis existentes. Alii puteales, alii Azemena sunt dicti & fortunam augentes. Et quod ex istis lucidi fortunio, fumosi, tenebrosi & puteales infortunio afficiant, vacui vero neque boni neque mali causam afferunt. Augentes fortunam sunt in locis in quibus stellæ fixæ naturæ fortunatorum planetarum existunt, aut locum eleuationis bonorum occupant, aut terminos fortunatos, vnde & fortunati dicuntur. Sunt & alii qui corporis imbecillitatem aut partis vel detrimentum vel diminutionem afferunt, ob stellarum fixarum in iis locis existentium prauitatem, aut aliquam aliam causam: de his, inquam, omnibus copiose in *technicæ macroc. hist. part.* 10. *lib.* 2. quare si ista inuenietis nimis succincta ad dictum locum vos remittam.

CAPVT II.

De Elementis Astrologicis, quæ ad stellas erraticas pertinere videntur, sine quorum intellectu tyrones ad istius scientiæ medullam penetrare nequeunt.

Pro meliori huius rei intellectu velim etiam vt respectũ habeatis ad *technicæ macr. hist. part.* 10. *lib.* 3.

In quo inprimis docemur planetarum nõnullos esse:
- Bonos, nempe ♀ ♃ — Sic dictos quoniam nemini vnquam per se nocere animaduertuntur, sed à malo potius defendunt.
- Malos, nempe ♄ ♂ — Sic nominatos quoniam nemini per se bonum afferunt; sed à bono pro viribus suis retrahunt.
- Mediocres ☉ ☿ ☾ — Quoniam si frequenter sunt cum bonis boni, cum malis autem ad malitiam proni.

Planetarum fortitudines.

Et quod ex dignitatibus magis essentialib. eorum Dent testimonia:

Domus planetæ suo inibi commoranti.	5.
Exaltatio planetæ in ea existenti.	4.
Triplicitas planetæ in ea dominanti dum in ea est.	3.
Facies planetæ suo.	2.
Gradus masculini planetæ quem possident.	1.
	2.

Hora quæstionis dominus 5. de horis planetariis vide Astrologiam nostram, & de critica scientia lib. 4.

Simili-

Similiter quod quilibet planeta minus essentiales sibi vendicat dignitates: nam si existat in
- Medio cælo, Angulo Oriẽtis — 5.
- Angulo Occidentis, Seu domo 7., Angulo Terræ, seu domo 4., Domo 11. — 4.
- Domo 2., 5. — 3.

acquirit testimonia.

Quod vt gradus masculini sunt fortitudines planetis masculinis ita ipsi sunt fœmininis debilitates. E conrra gradus fœminini sunt fortitudines fœmininis planetis ac debilitates masculinis.

Quod planetæ fortitudo accidentalis accipiatur aut
- A Sole, nempe cum est
  - In Cazimi hoc est in corde solis. — 5.
  - Extra combustionem. — 5.
  - Orientalis si sit vnius ex 3. superioribus. — 3.
- Ab omnibus planetis cum est in aspectu
  - Sextili., Trino., Quadrato cum bonis. — 3.
- Ab ei⁹ inclinatione ab eccliptica, qua dicitur
  - Ascendens., Septentrionalis. — 3.
- A motu suo in epicyclo, vnde dicitur
  - Velox. — 2.
  - Directus. — 4.
  - In statione 2. — 1.
- A motu diurno si fortitudo eius augmentatur cum est super terram diurno tempore. — 2.
- A partibus seu plaga mundi ei maximè conuenienti. — 2.

Quod dicitur planeta in Cazimi seu corde solis cum eius longitudo vltra 16. minuta à Sole non distat, & tunc dicitur planeta vnitus soli.

Quod combustus dicatur planeta cum à sole vltra 16. minuta distet, hoc est quandiu orbe & radiis solis tegitur, ita vt nostris sese oculis non offerat, & quod huiusmodi combustio fiat quousque à Solis congressu recedens ab eo gradibus 15. remoueatur.

Quod tunc esse Orientalis tradatur, cum noctu ante Solem oriatur & tempore noctis ante eum occidat, vel potius sic.

Quod
- Tres superiores res nempe ♄. ♃. ♂. Dicuntur
  - Orientales à ☉ ☌ ad eius ☍.
  - Occidentales à ☉ ☍ ad eius ☌.
- Duo proximi inferiores nempe ♀. ☿. Dicuntur
  - Orientales cum mane ☉ antecedunt.
  - Occidentales, cum nocte post ☉ occasum supra terram conspiciuntur.
- Infima videlicet ☽ dicitur
  - Orientalis à ☉ ☍ ad eius ☌.
  - Occidentalis à ☉ ☌ ad eius ☍.

Quod ex his Orientalitas in tribus superioribus planetis det fortitudines, ac Occidentalitas in duobus inferioribus, imò verò & in ipsa ☽ quando ipsa est aucta lumine.

Quod aspectus planetarum sit cum duo planetæ sibi per interualla in Zodiaco vim maximam communicent.

Quod 5. exiſtant aſpectuum genera, nimirum	Duo amicitiæ, videlicet	Sextilis ✱ eſtque mediocriter bonus.
		Trinus △ atque iſte eſt aſpectus bonus.
	Duo inimicitiæ ſcilicet	Quadratus □ eſtque mediocriter malus.
		Oppoſitus ☍ & eſt egregie malus.
	Vnus anceps, hoc eſt cum bonis bonus & cum malis malus, vt coniunctio ☌.	

Quod ✱ aſpectus comprehendat 6. Zodiaci partem hoc eſt 60. gradus △ aſpectus 3. nempe 120. gradus, ſiue ſigna 4. □ quartam ſiue ſigna 3. vel grad. 90. & ☍ dimidiam videlicet 180. grad. ſeu ſigna 6. Porrò etiam de iſtis *lib. noſtro de criſibus* luculentius diſceptauimus. Sed in *prædicto lib. 3. parte* 10. *de tech. noſtra hiſtoria* copioſius etiam cum per figuram, tum per regulas varias ſcripſimus.

Quod Septentrionalitas, ſiue aſcenſus planetæ dicatur quando eius latitudo ab ecliptica ſeptentrionalis exiſtit, tunc enim traditur eſſe aſcendens, Meridionalis vero deſcendens vocatur, cum ſcilicet eius latitudo ab ecliptica eſt Meridionalis.

Quod planeta omnis præter ſolem directus dicitur, cum ſecundum ſucceſſionem ſignorum fertur in directa ſui Epicycli circumuolutione, ac creſcit motu ſuo ſecundum ſignorum ſucceſſionem. Et quod retrogradus vocatur cum contra ſignorum conſequentiam reuolutione Epicycli ſui ducitur, atque eo modo motus eius diurnus minuitur. Denique quod ſtationarius dicitur cum eius motus nec creſcit nec diminuitur, ſed idem permanet; ibique recitauimus quæ ſit ſtatio prima, quæue 2.

Quod ☾ in ſuperiori ſui Epicycli parte ſit tarda, in inferiori velox dicatur.

Quod Aux ſolis reperiatur in ♋ oppoſitum vero Augis in ♑.

Quod planeta ſemper dicatur velox motu quando ſecundum ſignorum ſucceſſionem fertur, & quod motus eius verus ſit velocior motu ipſius medio. E contra vero motus eius tardus eſt cum retrograde incedit, aut quando tardius incedit quam eſt eius motus medius. Motus denique planetæ æqualis dicitur cum verus & medius motus adæquatur.

Quod fortitudines planetarum diurnorum augentur dum ſuper terram diurno tempore exiſtunt, & tunc dicitur planeta eſſe in ſuo Haym. Diminuuntur autem ſi ſubter terram diurno tempore reperiantur. E contra fortitudines planetarum nocturnorum augentur exiſtentibus ipſis diurno tempore ſub terra, ac diminuuntur iis ſupra terram dicto tempore tranſeuntibus.

Quod aliæ terræ plagæ dicuntur maſculinæ, nempe Oriens & Septentrio, aliæ vero fœmininæ, nempe Occidens & Meridies, & quod ob iſtam cauſam planetæ maſculini in maſculinis partibus fortiores, & debiliores in fœmininis. Fœminini autem in fœmininis plagis ſunt fortiores, & debiliores in maſculinis.

Planetarum debilitates.

Porrò etiam in *eodem lib. 3. part.* 10. *tech. macroc. hiſt.* inuenietis:

Quod planetæ debilitas ſit graduum fortitudinis ipſius diminutio & languor, vt ipſius fortitudo eſt viceuerſa virium ipſius augmentatio.

Quod debilitas cuiuſq; planetæ	Eſſentialis quæ accipitur vel	A ſignis Zodiaci, cuius ſpecies	Magis eſſentiales ſunt	Caſus.	4.
				Detrimentum.	2.
			Minus eſſentiales ſunt	Peregrinitas.	5.
				Feritas, ſeu agreſtitas.	3.
				Vacuitas curſus.	2.
				In grad. fœmininis exiſtentia pro maſculinis & viceuerſa pro fœmininis.	3.
		A domibus cæli		Duodecima.	5.
				Octaua.	4.
				Sexta.	4.
	Accidentalis vt *infrà*.				

Quod caſus planetæ eſt locus directus exaltationi eius oppoſitus. Verbi gratia ♄ exaltatio eſt in 21. ♎ eius igitur caſus erit in 21. ♈ & ſciendum eſt quod caſus planetæ dicitur eius mors ſeu humiliatio, è regione eius exaltatio vocatur vita.

Quod detrimentum cum planeta exiſtat in ſigno ſuæ propriæ domui oppoſito: ſic detrimentum Solis, vel ☉ eſt in optimo ſigno à ♌ nempe in ♒ & ☾ in ♑ & ♄ in ♋. Atq; hæc planetæ debilitas dicitur eius exilium.

Quod planeta dicatur peregrinus cum nullum locum habet in aliqua magis eſſentiali dignitate, hoc eſt cum extra omnes dignitates ſuas ſitus eſt.

Quod-

Quodque ferinus dicatur cum signum aliquod possidet quod à nullo alio planeta respicitur, vnde etiam agrestis vocatur.

Quod denique planetæ cursus vacuitas sit cum planeta aliquis ab vno separatur, sed nulli alteri applicat quamdiu in eo signo manet, tum enim dicitur cursu vacuus.

De planetarum in gradibus masculinis aut fœmininis existentia antea loquuti sumus.

At iam de debilitatibus planetarum accidentalibus.

Similiter quod debilitatus dicatur planeta cũ sit aut

Sub terra diurno tempore si sit planeta diurnus, vel super terram nocturno si sit nocturnus	2.
Tardus in suo motu seu cursu	2.
In caudæ draconis præsentia	2.
A malo planeta separatus & ad malum applicans.	2.
Viam combustionis percurrens.	3.
In aspectu Quadrato. Opposito. Coniuncto. cum ☉	3.
Descendens & Meridionalis.	3.
Combustus.	5.
Retrogradus.	5.
Occidentalis si sit aliquis ex tribus superioribus, & Orientalis si ex tribus inferioribus.	2.
In statione prima existens.	1.
Sub radiis transiens.	4.

Nota quod ☾ dicitur infortunata ex parte ♂ quando est in suo luminis incremento, & infortunata ex parte ♄ quando est in luminis decremento.

De tarditatis planetarum ratione antea loquuti sumus.

Quod ☋ siue cauda draconis, propter suam malitiam infortunium fert planetæ.

Quod via combusta sumitur à 13. grad. ♎ vsque ad 9. ♏ in quo planetæ transeuntes dicuntur infortunati.

De aspectibus, descensu aut Meridionalitate planetæ, aut combustione, aut retrogressione, aut Occidentalitate, aut stationibus, ac de planetarum infortunio, dum sub radiis existunt *in superioribus* sum loquutus.

Hæc, inquam, planetarum tam fortunia quàm infortunia *in mea Astrol. part.* 10. *de tech. macr. hist.* satis luculenter habitis descripta; ei ergo vos pro ampliori eius rei discursu referam.

Denique concludimus quod planetæ dicuntur fortunati quando sunt Orientales, diurni, aucti & bene dispositi. Infortunati vero quando Occidentales, nocturni, lumine diminuti, retrogradi, deiecti, & male collocati.

CAPVT III.

ET quoniam alia adhuc elementa tyronem latere existimo, alia adhuc notatu in hac arte digna & necessaria paucis aperiam.

Applicationem ergo planetæ vocamus quando orbes radiorum planetæ per medium semidametri ipsorum orbium aspectu aliquo commiscentur.

Orbis autem, siue lux est ante & post gradum

♄.	9.
♃.	9.
♂.	8.
☉.	15.
♀.	7.
☿.	7.
☾.	12.

Separatio est cum vnus planeta relinquit alium per vnum gradum à vero aspectu, & semper separati dicitur quousque alterius radios euaserit: at cum ♃ semidiameter sit ex 9. grad. si ☾ separetur ab ☌ cum ♃ cum transit ab eo vsque ad 10. grad. min. 30. dicitur separata à ♃.

Nota quod plenetæ inferiores ad superiores applicant atque ab iis separantur, non è contra.

Prohibitio est quoddam planetis accidens, quod planetarum aspectus, coniunctiones aut radiationes impedit.

Fitq; prohibitionis actio tripliciter, videlicet vel

- Corpore, nam corpus planetæ potest impedire aspectum vnius planetę ad alium, si interponatur planeta inter duos: sic Sol in 1. gr. ♉ Martis △ & Venerem impedire potest.
- Aspectu, fit dum planetę radii propius tertio quam aspicientis vel corpore applicantis fuerit: sic ☾ in 2. grad. ♋ Solis & Veneris coniunctionem sextili aspectu prohibet, quoniam ☾ est propior ♀ quam ☉ Sol enim est in 1. gr. ♉ Venus in 3.
- Retrogradatione, accidit quando planeta alteri applicans regreditur antequam eidem coniungatur, aut eum perfecte respiciat.

Translatio luminis est cum planeta vnus transfert lumen vel naturam alterius ad tertium, quod fit dupliciter, videlicet vel vbi planeta leuis à grauiori separatur, atque immediate alteri iungitur: vt si ☿ à ☉ separetur & ♀ applicet, tunc lumen vel naturam Solis in Venerem transfert, vel vbi leuis se grauiori iungit, atque hic adhuc grauiori, tunc medius naturam aut lumen primi ad tertium traducit, veluti cum ☉ ♂ applicat, ♂ vero ♄ ♂ Solis lumen in ♄ transmittit.

Notandum, quod superiores inferioribus sunt grauiores, vt ♄ Ioue ♃ Marte, &c.

Receptio est vel fortis, cum planeta à Domino domus, vel exaltationis in qua est, aut aliarum maiorum dignitatum essentialium applicat; vel debilis & impotens, quando planeta domino termini aut faciei in qua est applicat, vt ☾ in ♋ existente ♀ aspectu ⚹ in eleuatione sua recipit, videlicet in ♉ Venus è conuerso ☾ in triplicitate sua.

Reditus est duplex, videlicet vel virtutis, quando planetæ ex propria domo aut dignitate alia combusto aut retrogrado existenti iungitur, vel luminis, quando duo planetæ inter se distantes alicui tertio iunguntur, tertius autem illorum lumen colligit, &c.

Plura alia posuerunt Astrologi planetarum accidentia, quæ hoc in loco recensere aut allegare nugosum fore existimo, quippe ad opus hoc nostrum superfluum atque inutile.

Ad partem seu locum fortunæ ita signatum ⊕ quod attinet, & de ipsius inueniendi ratione, verba fecimus satis copiosa *in tech. micr. hist.* vbi de genethliologia egimus; quare vos ad illum librum referri velim. De amicitia & inimicitia planetarum loquuti sumus in *tractatu nostro de crisib.* quo vos refero breuitatis causa.

Capvt IV.

De gradibus proportionis proprietatum tam signorum, quam planetarum.

QVoniam tam in libro de cælesti morborum causa, atque etiam de causis cælestibus complexionum *libr. præcedenti*, expressis mentionem fecimus de temperiei gradibus, ideo quid per gradus illis in locis, atque etiam in isto libello intelligamus, paucis dicemus.

Primus ergo gradus cælestis est cum res aliqua habet vnam partem frigiditatis & duas caliditatis, tunc res ista dicitur esse calida in 1. gradu.

Secundus gradus est quando habet 1. partem frigoris & 4. caloris, tunc dicitur esse calida in 2. gradu.

Tertius est quando res illa habet 1. gradum frigiditatis & 8 caliditatis, tunc dicitur calida in 3. gradu.

Quartus est quando habet 1. gradum frigiditatis, & 16. caliditatis, tunc dicitur calida in 4. gradu.

Atque iste est sensus noster in locis prædictis, vbi de gradibus caliditatis loquimur.

De illis verò frigiditatis res contrario modo se habet, videlicet vna pars caliditatis ad 2. frigiditatis, &c.

MEM-

MEMBRI PRIMI LIBER SECVNDVS.

De iis quæ ad praxim iudiciariam præparant, & immediate conducunt.

Capvt I.


De domuum cœlestium dispositione, & de naturali signorum secundum eorum successionem in ipsis collocatione. Denique eorum iuxta triplicitatum in dictis domibus situs ad amussim explicatur.

Secundum naturalem signorum Zodiaci situm ♈ sibi primum in figura cœlesti locum siue domicilium vendicat ♉ secundum, & sic in cæteris: nam iuxta Firmici Astrologi excellentissimi sententiam in instantia 4. creationis diei quando stellæ primum suum ortum acceperunt, in tali serie & talibus locis erant cœlestia à creatore disposita, videlicet ♈ in angulo Orientis ♉ in secunda domo, &c. Nec non & Planetarum quilibet in sua domo magis principali erat constitutus, videlicet ☉ in ♌ ☽ in ♋ ♂ in ♈ & ita in reliquis, vnde fit vt haud inconsulte situm istum naturalem dicti auerimus.

Hinc ergo sequitur, quod quælibet harum domuum sit proprii non modo elementi, verum etiam humoris in corpore humano prædominantis promptuarium, & quasi fons atque origo: nam quatenus ♈ est signum igneæ triplicitatis, ita eius domus est naturæ igneæ, videlicet caliditatis & siccitatis scaturigo, & complexionis cholericæ initium: sic etiam ♉ occupans domum secundam est frigidus & siccus, & consequenter melancholicus, & sic in cæteris, vt in *infra* descripta figura clarius explicatur.



At vero si respiciamus triplicitates signorum, eas in hunc modum dispohimus in figura, iuxta Diei naturalis partium temperiem; in quo signorum ordine humorum ortus qui sunt morborum causæ explicantur, atque etiam cum domus cœlestes tum in ipsis triplicitatum signis iuxta elementorum atque ventorum naturas designantur. Sunt enim signa triplicitatis Aqueæ & terreæ nocturna, illa vero ignea & aquea diurna & supra Horizontem posita.



Nota etiam quod sint domus aliæ quæ dicuntur

- Anguli
  - Orientis.
  - Medii cœli.
  - Terræ.
  - Occidentis
- Succedentes, vt domus
  - Secunda.
  - Quinta.
  - Octaua.
  - Vndecima.
- Cadentes vt domus
  - Tertia.
  - Sexta.
  - Nona.
  - Duodecima.

CAPVT

Caput II.

Quales morbi, atque etiam corporis partes cuilibet aſcribuntur ſigno Zodiaci.

Signum ♈ & domus prima ex
- Corporis partibus: Caput, Faciem, Oculos, Aures, Dentes — gubernat.
- Morbis: Lepram, Maculas rubras, Caluitiem, Febres ſanguineas, Puſtulas & papulas in facie, Variolas, Pruritum, Serpigines, Turbulentas epilepſias. — facit.

Signum ♉ & domus ſecunda ex
- Corporis membris: Collum, Guttur, Neruos — regit
- Morbis: Morbum regium, Nigram choleram, ſeu melancholiam, Anginam, &c. — gignit.

Signum ♊ & domus tertia ex
- Corporis membris: Humeros, Brachia, Manus, Spatulas — gubernat.
- Morbis: Omnes morbos in dictis membris à ſanguine procedentes. Defluxiones ſanguinis — procreat.

Signum ♋ & domus quarta ex
- Corporis partibus: Hepar, Pectus, Coſtas, Splenem, Mammas, Pulmones, Ventriculum — regit.
- Morbis: Puſtulas, Capillorum profluuium, Lepras, Impetigines, Impedimenta oculorum, Phthiſim, Pleuritidem, Tuſſim, Salſum phlegma. — generat.

Signum

Signum ♌ & domus quinta ex
- Corporis membris
  - Cor
  - Stomachum
  - Tergum
  - Thoracem
  - Coſtas
  - Hepar
  - } regit.
- Morbis
  - Curas
  - Vexationes
  - Febres à ſanguine
  - Puſtulas faciei
  - Apoſtemata peſtilétialia
  - Febres bilioſas
  - Ictericiam
  - } generat.

Signum ♍ & domus ſexta ex
- Corporis membris
  - Ventrem
  - Teſticulos
  - Inteſtina gracilia
  - Epiploon
  - } gubernat.
- Morbis
  - Infirmitates dictorum membrorum
  - Melancholicos affectus
  - } procreat.

Signum ♎ & domus ſeptima ex
- Corporis partibus in
  - Lumbos
  - Renes
  - Craſſa inteſtina
  - Vmbilicum
  - Clunes
  - Pectinem
  - Infimam ventris portionem
  - Veſicam
  - } Dominium habet.
- Morbis
  - Vrinæ retentionem
  - Dolores dorſi
  - Sanguinis fluxum per inferiora
  - Viſus obſcuritatem
  - } facit.

Signum ♏ & domus octaua ex
- Corporis partibus
  - Teſtes
  - Veſicam
  - Vuluam
  - Pudenda
  - Inguina
  - Anum ſeu nates
  - } regit.
- Morbis
  - Phlegma ſalſum
  - Puſtulas
  - Leproſas ſcabies vt in ♈
  - Cancrum
  - Fiſtulas
  - Hemorrhoides
  - Calculum
  - } gignit.

Signum

Signum ♐ & domus nona ex
- Corporis partibus
  - Femora
  - Coxas
  - gubernat.
- Morbis
  - Febres æstuosas
  - Pustulas faciei
  - Casum ab alto
  - Infirmitates dictarum partium
  - facit.

Signum ♑ & domus decima ex
- Corporis membris
  - Genua
  - Poplites
  - regit.
- Membris
  - Pustulas faciei
  - Lepram, vt in ♈
  - Scabiem
  - Surditatem
  - Amissionem loquelæ
  - Cæcitatem
  - Febrem
  - Fluxum sanguinis
  - facit

Signum ♒ & domus vndecima ex
- Corporis membris
  - Tibiis
  - Cruribus
  - æqualiter prædominatur.
- Morbis
  - Venarum incisionem
  - Morbos crurum & tibiarum
  - A 20. ad 25. gr. dolores oculorum
  - gignit.

Signum ♓ & domus duodecima ex
- Corporis membris
  - Pedibus
  - Talis
  - prædominatur.
- Morbis
  - Morbos dictarum partium.
  - Salsum phlegma
  - Pustulas faciei vt in ♈
  - Paralysim
  - Podagram
  - Scabiem, &c
  - facit.

Flud. Prognost. Supercœlest.

CAPVT III.

Quæ corporis membra gubernet quilibet planeta, quosque producat in corpore humano morbos.

♄ ex
- Corporis membris
  - Aurem dextram
  - Splenem
  - Vrinam
  - Mandibulas

  gubernat.
- Morbis
  - Quartanam
  - Morbos frigidos & ſiccos
  - Lepram
  - Morphæam
  - Cancrum
  - Choleram nigram & flauã
  - Catarrhos
  - Phthiſim
  - Iliacam paſſionem
  - Ictericiam nigram
  - Tenaſmum
  - Paralyſim
  - Fluxum ventris
  - Hydropem
  - Tuſſim
  - Morbos longos, &c.

  generat.

Vel ſic.

♄ eſt cæteris planetis in motu tardior, frigidus & ſiccus, ſeptentrionalis, terreus, maſculinus, diurnus, cuius domus nocturna eſt ♑ diurna ♒ Exaltatio gr. 21. ♎ caſus 21. ♈ detrimentum in ♋ & ♌ dicitur infortunium maius. Hic naturaliter ſecum ducit humorem ſuperfluum phlegmaticum, curſum in 30. annis perficit: & proprie ex ſeipſo talia occupat corporis membra, talesque in homine morbos producit qui inferius nominantur.

♄. ex
- Partibus corporis regit
  - Auditum dextrum
  - Pituitam crudam
  - Melancholiam
  - Oſſa
  - Cartilagines
  - Ligamenta
  - Dentes & mandibulas
  - Carnoſam partem ſtomachi
  - Vrinam
  - Retentiuam facultatem
- Morbis
  - Corporis facit
    - Omnes morbos à defluxione prouenientes
    - Podagram
    - Lepram
    - Scabiem
    - Cancrum
    - Paralyſim
    - Tabem
    - Ictericiam nigram
    - Febrem quartanam
    - Iliacam paſſionem
    - Hydropem
    - Catarrhum
    - Febrem hecticam
    - Phthiſim
    - Spaſmum ſeu conuulſionem
    - Tremorem cordis
    - Ventris ſolutionem
    - Omnes morbos à viſcoſo phlegmate
    - Surditatem.
  - Animi excitat
    - Timiditatem
    - Segnitiem
    - Stultitiam
    - Triſtitiam
    - Curas

De

De Ioue.

♃ est calidus & humidus in natura temperatus, aereus, sanguineus, Meridionalis, & vocatur fortunium maius, estque diurnus, masculinus, cuius domus diurna est ♐ nocturna ♓ exaltatio in 15. gr. ♋ casus in 15. gr. ♑ atque detrimentum suum habet in ♊ & ♍ facitque cursum suum in 12. annis, orbisque sui luminis est 9. gr.

♃. ex
- Partibus corporis regit
  - Iecur.
  - Stomachum.
  - Spiritus vitales.
  - Brachium sinistrum.
  - Sanguinem.
  - Pulmones.
  - Ventrem.
  - Aurem sinistram.
  - Sensum contactus.
  - Arterias.
  - Semen seu sperma.
  - Carnem.
  - Interiora Caluariæ.
  - Costas.
  - Manum dextram.
  - Partem cordis.
  - Cartilagines.
  - Virtutem digestiuam.
- Morbis facit
  - Peripneumoniam.
  - Pleuritidē, Anginam, & generaliter Apostemata omnia.
  - Cardiacam passionem.
  - Paralysim, spasmum seu conuulsionem, stuporem.
  - Inflammationem hepatis.
  - Dolorem capitis, Lethargum.
  - Morbos ex flatibus, fœtore, putrefactione.
  - Passiones spinæ.
  - Ventositates in corpore.
  - Synochum febrem, & omnes morbos sanguineos.

Testantur hæc prædicta
- Ptolemæus.
- Cornel. Agrippa
- Cardanus

De Marte.

♂ est calidus, siccus, igneus, Orientalis, cholericus, & vocatur Infortunium maius masculinus, nocturnus, maleuolus, cuius domus diurna est ♈ nocturna ♏ exaltatio gr. ♑ eiusque casus in 28. gr. ♋ detrimentū in ♎ & ♉ facitq; cursum quolibet altero anno.

♂. ex
- Corporis membris regit
  - Venas
  - Renes
  - Cystim fellis.
- Morbos facit
  - Corporis videlicet
    - Fellis inundationem, & consequenter Icteritiam flauam.
    - Arenulas & calculum renum.
    - Gonorrhæam.
    - Vermem in capite, lateribus.
    - Sanguinis vulnerum fluxum copiosiorem.
    - Luctationes, contusiones, plagas.
    - Rugas.
    - Phrenitidem, febresque ardentes.
    - Nauseam.
    - Dysenteriam in ♊ ♎ ♒.
  - Animi, nempe
    - Iracundiam.
    - Zelotypiam.
    - Suspicionem.
    - Prodigalitatem.
    - Ebrietatem.
    - Audaciam.
    - Temeritatem.

De Sole.

☉ est calidus & ſiccus, temperatus, de natura ignis, diurnus, maſculinus, cuius domus eſt ♌ exaltatio gr. 19. ♈ caſus in 19. gr. ♎ & detrimentum in ♒

☉. ex

- Corporis partibus regit
  - Cor.
  - Cerebrum.
  - Medullam.
  - Tibias.
  - Oculum dextrum mulieris & læuum viri.
  - Choleram flauam.
  - Neruum opticum.
  - Spiritus vitales.
  - Organa ſenſus interioris.
  - Manus.
  - Pedes.
  - Phantaſiam.
  - Virtutem attractiuam.
  - Dextram partem totius corporis.
- Morbis facit
  - Oris ægritudines.
  - Catarrhum.
  - Rheuma, ſiue fluxus ad oculos.
  - Malities egeſtionis.
  - Fiſtulas.
  - Frigiditatem ſtomachi & hepatis.
  - Fiſtulas matricis, & partium inferiorum.
  - Saporem acrem, & pungitiuum.
  - Syncopen.
  - Cardiacam paſſionem.
  - Ophthalmiam.
  - Puſtulas matricis.
  - Choleram flauam.
  - Oculorum morbos.

De Venere.

♀ eſt temperate calida & humida, facitque ſanguinem humidum, phlegmaticum diciturque fortuna minor, eſtque fœmina nocturna & bonæ naturæ, cuius domus vera nocturna qua gaudet eſt Taurus, nocturna vero ♎ exaltatio eſt 27. gr. ♓ caſus 27. gr. ♍ & in ♏ & ♈ eſt eius detrimentum. Orbis eius eſt 7. gr. circulariter, & mouetur per Zodiaci circulum ſpatio aliquantulum minori quam vno anno.

♀. ex

- Partibus corporis gubernat
  - Vuluam.
  - Matricem.
  - Teſticulos.
  - Sperma, ſiue ſemen.
  - Vim concupiſcibilem.
  - Carnes, pinguedinem & hepar.
  - Partem ventris.
  - Pectinem.
  - Vmbilicum.
  - Os ſacrum.
  - Spinam dorſi.
  - Lumbos.
  - Caput.
  - Os.
  - Vim, ſiue ſpiritum genitalem.
  - Renes.
  - Clunes, ſeu nates.
  - Olfactum.
  - Nares.

Morbis

Morbis facit:
- Suffocationem matricis.
- Alias matricis passiones.
- Gonorrhæam.
- Diabetem.
- Imbecillitatem stomachi, Imbecillitatem hepatis } ex causa frigida.
- Scabiem Gallicam.
- Molles egestiones.
- Fistulas.
- Ægritudines circa genitalia.
- Apostemata cordis, hepatis.
- Saporem dulcem, insipidum.
- Colorem album declinantem ad viridem.
- Passionem Cordis.
- Iliacam.
- Colicam.
- Priapismum.
- Hæmorrhoides.
- Morbos frigidos gutturis.

De Mercurio.

☿ est frigidus & aliquantulum humidus, melancholicus & phlegmaticus, seu phlegmaticus terrestris & Septentrionalis, masculinus cum masculinis & fœmininus cum fœmininis, calidus cum calidis & frigidus cum frigidis, bonus cum bonis & malus cum malis: est tamen nihilominus magis masculinus quam fœmininus, magis bonus quam malus, magis frigidus quam calidus, magis humidus quam siccus de sua propria natura, domus eius diurna est ♊ nocturna ♍ in qua domo maxime delectatur, & exaltatur in grad. 15. ♍ quæ est eius propria domus; & sciendum est quod nullus ex cæteris planetis exaltatur in aliqua ☿ domo. Perficit suum cursum in minori spatio quam vnico anno; estque eius orbis à suo centro vndique 7. gradibus.

☿ ex

Partibus corporis regit:
- Memoriam.
- Linguam & loquelam.
- Imaginationem, Ingenium.
- Manus & digitos.
- Fel & ossa.
- Crura.
- Amygdalas oris, guttur, vuulam.
- Pulmones.
- Facultatem retentiuam.
- Spiritus animales.
- Ventrem, coxas.
- Neruos cerebri.

Morbis

Corporis facit:
- Balbutiem.
- Lethargum.
- Linguæ impedimenta.
- Raucedinem,
- Morbos pulmonum.
- Morbum caducum.
- Colicam.
- Abundantiam sputi.
- Oppilationem fellis.
- Catarrhum & tussim.
- Vomitum.
- Ventositatem stomachi.

Animi gignit:
- Maniam.
- Deliria omnis generis.
- Desperationem.
- Vexarionem animi.
- Rationis præcipitationem.

De Luna.

☾ eſt frigida & humida, phlegmatica, fœminina, nocturna, cuius domus eſt ♋ exaltatio in 3.grad. ♉ caſus in 3.♏ detrimentum in ♑ eſt infortunata in ♎ quoniam in via combuſta à grad.15.♎ ad 15.♏ perficit ſuum in Zodiaco curſum in diebus 28. Eius orbis cum radiis ſuis ſunt 12.grad. cum ½ circulariter à centro.

Luna ex
- Corporis partibus regit
  - Cerebrum.
  - Oculum læuum hominis, dextrum mulieris.
  - Vuluam.
  - Siniſtra omnium.
  - Stomachum.
  - Gulam.
  - Medullam.
  - Spinam dorſi.
  - Menſtrua & omnia excrementa.
  - Virtutem expulſiuam.
  - Membra generationis.
  - Vim & virtutem creſcendi.
  - Virtutem expulſiuam.
- Morbis facit
  - Paſſiones lunaticas.
  - Suffocationem matricis.
  - Fluxus & catharros in humidis ſignis, & vomitum in frigidis & ſiccis.
  - Epilepſiam.
  - Paralyſim.
  - Colicam.
  - Catarrhum.
  - Menſtrua.
  - Lienteriam.
  - Hydropem.
  - Vultus obliquitatem.
  - Febrem quotidianam.
  - Lethargum.
  - Apoplexiam.
  - Scotomiam.
  - Oculorum dolores.
  - Neruorum debilitates.
  - Fluxus omnium generum.

CAPVT IV.


Ratio, quomodo ex figuræ ſignificatoris ſitu, ſeu in aliquo ſignorum cæleſtium poſitione tempore decubitus, ſeu morbi initii, aut ſaltem quæſtionis pro ægroto factæ, de loco ſiue membro affecto iudicare poſſimus.

IMprimis ſciendum eſt, quod Almuten ab Ægyptiis dicitur ille planeta qui plures habet in ſigno quæſtionis dignitates, vt ♂ in ♈ ♀ in ♉ ☿ in ♊ ☾ in ♋ ☉ in ♌ &c.

Cum medicus de parte affecta, ſeu membro in corpore ægrotantis læſo prognoſticare velit, neceſſe habet vt reſpiciat morbi ſignificatorem in quæſtionis figura, & diligenti intuitu locum ſiue ſignum in quo inuenitur perſcrutari: nam ea quæ *in capitibus præcedentibus* ſunt dicta, ſolummodo de nota verbis generalibus corporis locos, quos cum quodlibet ſignum tum planeta quilibet in genere ſibi vendicare videtur.

Inuento

Inuento igitur significatoris quæstionis loco, respiciendum erit in sphæra infrà descripta, quod membrum ille significator siue planeta designat: verbi gratia si ♂ sit figuræ quæstionis significator, atque ille in ♐ inueniatur. Rota infrà scripta denotabit malum seu membrum læsum esse testes & coxas, si in ♋ pectus, si in ♉ collum, & sic in cæteris iuxta ordinem in dicta sphæra assignatum.



MEM-



MEMBRI PRIMI, LIBER TERTIVS,

De Praxi, ſeu Iudicio Iatromathematicæ tractans.

CAPVT I.

In quo Regulæ nonnullæ ad praxim ſiue iudicium Iatromathematicæ præcipuè ſpectantes exprimuntur.



Vnt regulæ plurimæ in Iatromathematicæ praxi diligenter obſeruandæ, & in primo loco de domus ſigni & planetæ dignitate agendum atque dicendum neceſſarium, quoniam de hiſce ſingulis *membro prædicto.*

Regula 1.

Imprimis notandum quod domus cæleſtis eſt in omni iudicio maioris momenti, & in operatione efficacior & fortior quam ſignum ipſius, atque itidem ſignum quam planeta, & denique planeta quam ſtella fixa cum iis reperta.

Regula 2.

Secundo, quod cauſa morbi cognoſcitur à domo, atque ſignum, in quo Dominus domus eſt, eſt ipſa morbi cauſa ſecundum tempus, & planeta à quo Luna ſeparatur, denotat humorem præſentem, & planeta cum Luna poſt ſeparationem ipſius à præcedente applicat, arguit vim incrementi futuri humoris morboſi ſecundum magis & minus.

Regula 3.

Quare accurate eſt locus Lunæ in hora vel die decubitus conſiderandus, & videndum etiam eſt, an à planeta maleuolo ſit aſpecta, atque ita tum poſtea iuxta harum prædictarum regularum præcepta, quam exactiſſime iudicare oportet. His igitur bene ponderatis ad iudicii ſuper queſtionem profunditatem in hunc modum iuxta canonum *ſequentium* doctrinam eſt incedendum.

Regula 4.

Sit hoc pro regula generali accipiendum, quod ſi dominus aſcendentis, vel dominus horæ, aut dominus 12. domus in nouilunio aut 6. in plenilunio ſit in aliquo angulorum, & morbi ſignificator, obſeruandum, an ipſe aut eorum aliquis exiſtat, nam ibi loci inuenientur maiores dolores ſecundum ſignificationem ipſius vel illorum. Verbi gratia, ſi ♂ ſit dominus horę in aſcẽdente tunc erit maximus dolor in capite, ſi in 4. in ſtomacho, ſi in decima, in lumbis aut vaſis ſpermaticis, ſi in 7. in renibus; Atque hoc idem de domino domus 6. 12. & aſcendentis eſt dicendum.

Regula 5.

Eſtque regula generalis quod quoties inueneris dominum aſcendenti in domo 6. vel 7. ipſe patiens eſt cauſa ſuæ ægritudinis, aut ratione dictæ praue, aut alicuius alterius conſuetudinis malæ, aut à curis & vexationibus, idque præcipue ſi dominus 12. ſit in domo 6.

Regula 6.

Si morbus ſit à calido planeta in æſtuoſo ſigno, tunc patiens erit calidus intrinſecus & extrinſecus. Si à planeta frigido in calido ſigno, tunc æger erit calidus intra & frigidus extra, & ſic in cæteris.

Regula

Regula 7.

Si ☾ sit domina 6. domus vel 12. vt ♄ aut ☿ sit in frigido & signo, & ☾ sit à ☿ separata aut ♄ & applicat ad ♃ vel ♂ in ♈ ♌ ♐ ♊ ♎ aut ♒ tunc æger est quandoq; frigidus externe & calidus interne, & quandoq; calidus externe & frigidus interne à febre.

Regula 8.

Si dominus ascendentis domus ☾ & horæ aut duo eorum à signo in quo existunt exitu, argumentum est quod status corporis alterabitur, idque eo citius quo propius sunt ad suum è signo egressum, & in tali casu si Dominus ascendentis domus ☾ aut Dominus horæ moueant in meliorem statum quam fuerunt antea, quod tunc etiam corpus in melius & salubrius tendet, sin minus è contra.

Regula 9.

Si Dominus sextæ in plenilunio aut Dominus 12. in nouilunio, aut planeta à quo se separat ☾ sit in suo gaudio, aut in angulo, aut in 6. domo; aut 12. ipse eorum qui ita se habebit demonstrabit morbi humorē qui magis abundat & ipse patiens erit præcipua morbi causa.

Regula 10.

Obserua semper planetam & ipsius statum à quo ☾ se separat, nam ille planeta significabit statum ægri & quid fecerit ante decubitum. Exempli gratia, si ☾ se separauerit à ♀ in ♌ arguit quod patiens esset hilaris & iocosus, & quod sudaret. Tunc etiam obserua in quo signo ☾ erat: nam illud signum denotabit locum in quo erat ante morbum: vt si ☾ esset in ♋ erat in aqua, nam signa aquea denotant aquam, terrea terram, ignea labores circa ignem; aut in itinere, aut in luxuria & nimio coitu si ☾ separata est à ♄ in ♌ in domo 7. tunc erat luxuria inflammatus & sudabat. Signa aerea denotant equitationem; venationem cum accipitre, epulationem. Post hæc obserua, cui planetæ Luna tum postea proxime applicat, in quo signo planeta existit. Verbi gratia si ☾ applicat ♂ in ♉ tunc ♂ est frigidus, ita vt denotet morbum prouenisse à frigore post calorem, si ☾ sit in ♌ tunc à luxuria.

Hic autem notandum; (vt *supra*) quod domus sit fortior, quam signum in significatione; & signum quam planeta, & planeta quam stella fixa. Similiter quod causa morbi cognoscatur à domo; & quod signum in quo Dominus est, est causa morbi, & à planeta à quo ☾ se separat indicat humorem peccantem, & planeta cui applicat indicabit in quem statum humor ille erit mutatus.

CAPVT II.

In quo natura domus sextæ discutitur.

DOmus sexta ab omnibus Astrologis pro domo infirmitatis habetur, & per signum in eius cuspide indicabit an morbus sit recens vel antiquus, & an durabit diu, & vtrum curabitur nec ne, & an sit in ipsius decremento vel incremento, & an sit radicatus in ægro, vel an alterabitur in alium morbum; & quandoque ex ista domo vel planeta in ea aut Domino eiusdem inquirimus morbi causam: est enim ægritudo vna res, & eius causa alia, nam morbus potest esse febris, pestis, pleuritis, &c. at causa est cholera, phlegma melancholia, aut aliquis alius humor corrumpens.

Quando ergo signum mobile fuerit in domo 6. morbus non durabit sed cito conualescet patiens, nec fuit ille diu loco affectus nisi sit radicatus & à in locum discurrens.

At si signum commune illam occupet domum; denotat morbum quandoque venturum & quandoque transiturum per vices; hoc est, non in vno statu constare, sed patientem quandoq; satis bene, quandoq; admodum male; nonnunquā mediocriter se habere, & mouebit morbus de loco in locum. Et si Dominus sextæ fuerit in signo fixo, erit diuturnioris temporis.

Si vero signum fixum inueniatur in sexta denotabit morbum diu ægroto inhæsisse. Et si vltimus gradus signi fixi fuerit in sexta arguit morbum ad suum finem accedere, & quod breuissime in melius aut deterius se permutabit, & signum fixum indicat morbum fore magis tędiosum, & quod humores qui sunt morbi causa sint duriores & fixiores; & consequenter difficilioris digestionis aut expulsionis.

Si ♄ fuerit Dominus sextæ ostendit morbum esse maioris durationis quam si aut ♃

aut ♂ ei præessent, nam quo superior est planeta qui huic domui prædominatur, eo fortior erit morbus & causa eius rebellior, & per consequentiam durabilior & diutior priusquam maturabitur & digeretur, & ad expulsionem paratior reddatur. Quo autem inferior fuerit planeta eo minor erit vis eius aut causæ illius, & citioris per consequens digestionis & expulsionis, nisi signum fixum possessionem habuerit domus sextæ aut nisi ♒ sit in ista domo & ♄ in ♉ ♌ & ♒ nam hoc erit argumentum difficilis euacuationis causæ morbi. At si ♃ sit in sexta & ♄ in ♋ ♎ ♈ ♑ tametsi sit in 12. domo tamen æger potest recuperare in sufficienti tempore si ♒ sit in sexta si ♑ in sexta & ♄ in signo fixo, potest patiens in tempore sufficienti conualescere, sed magis tamen durabit quam antea. Atque hoc modo de cæteris iudicare potestis.

Si dominus ascend. sit in sexta patiens non recipiet medicinam, sed culpabit eam sine causa, verum si ♂ sit dominus ascendentis tunc morbus à cholera, iracundia & vexatione proueniet, aut à contusione vel luxatione, nec videbitur causa morbi naturalis, sed ab accidente quodam. Verum si ♂ sit dominus ascend: & dominus sextæ in nona expecta finem in ☌ cum ♄ aut aliquo alio maleuolo: si ♂ sit dominus sextæ in ♉ in septima arguit patientem esse suæ propriæ ægritudinis causam, idque si præsertim ☾ applicet ad ♂.

Dominus ascendentis in sexta & domus sextæ in ascendente erit morbus prolongatus vsque quo aliquis eorum decesserit à signo in quo est.

Si dominus ascendentis applicat ad dominum sextæ videbitur quod morbus nondum sit ad suam altitudinem, nam auget morbum, arguitq; suspicionem relapsus in eundem vel alium morbum post recuperationem, ratione suæ stultitiæ aut mali regiminis.

Si dominus sextæ applicabit ad dominum ascend. in □ vel ☍ denotat morbum magis magisq; increscere, & quod nondum ad statum suum peruenerit.

Si ☾ applicat ad dominum sextæ tunc augebitur morbus: at si ipsa sit domina ascend. & in domo sexta applicans ad ♀ in ♓ patiens est in causa suæ ægritudinis, partim ratione prauæ diætæ, & partim societate alicuius fœminæ.

Si dominus ascend. sit in plena ☌ aut aspectu cum domino sextæ arguit morbum esse in suo statu siue altitudine: at si præterierit aspectum, tunc denotat morbi malignitatem siue vigorem esse præteritum; si applicet ad coniunctionem aut aspectum, tunc nondum peruenit ad altitudinem, & quod tantum deerit ab altitudine quantum ab aspectu distauerit.

Si dominus domus nonæ fuerit in sexta infortunatus; combustus; in casu vel detrimento, aut opprimatur à ☌ aut ☍ ♄ aut ♂ tunc medicina non nocebit.

Si dominus nonæ fuerit in sexta fit morbus à veneficio vel magicis incantationibus, aut ratione quadam occulta.

Si fuerit ☌ ⚹ aut △ inter dominum sextæ & ♃ in nona & ☾ transeat à domino sextæ ad ♃ in nona tunc medicina facit in principio ægrotare patientem in sua operatione & sentietur in extremis partibus, sed postea magnam percipiet alleuiationem.

Si inueniatur in domo sexta aliquis planeta infortunatus, denotat quod morbus increscet, arguitque ægritudinis malitiam.

Si sit planeta fortunatus & bonus in sexta qui non existit morbi causa, denotat alleuiationem morbi.

Si dominus sextæ sit fortior quam dominus ascend. hoc erit signum quod morbus sit validior quam quem natura superare queat, arguitq; morbi incrementum. At si dominus sextæ sit debilior quam dominus ascend. est argumentum quod natura superabit morbum, & in fine causam ipsius expellet.

Si dominus sextæ sit in transitu ad aliquam dignitatem, tunc morbus in suo vigore & malitia multiplicabitur. At si cadat à sua dignitate, tunc etiam & morbi vigor decrescet.

Si dominus sextæ sit malus vel impeditus, vel malus in sexta malum est signum: at si bonus cito curabitur.

Si malus planeta fuerit in domo sexta transibit ab vna in aliam infirmitatem.

Dominus sextæ in 8. aut 12. malum est signum.

Si ♏ sit in ascend. ♈ in sexta & ♂ in ascend: arguet morbum migrare in deterius.

Dominus sextæ retrogradus vel combustus; aut in 8. in □ ☌ vel ☍ cum ♄ vel ♂ arguit malum vel mortem.

Dominus domus decimæ in 6. denotat auxilium à Deo prouenturum.

Si dominus 12. fuerit in sexta ostendit vexationem esse à dæmonio seu malo spiritu.

Si dominus ascend. sit in domo sexta non remotus sed peregrinus, & dominus sextę sit in 8. non remotus, & ☾ sit domina horæ in secunda domo & non aspiciat gr. domus octauæ in 12. gr. patiens non morietur tunc temporis, sed conualescet & deinde iterum relabetur.

Dominus

Dominus sextæ in 8. & dominus octauæ in sexta & si sit aspectus ✱ inter ipsum, & illum octauæ patiens cito recuperabit.

Si ☾ sit aut domina ascend. aut horæ, aut sextæ aut duodecimæ secundum tempus aut in sexta aut aliquo modo significatrix morbi, denotat fluxum aut humorem fluentem in patiente, aut vlcera fluentia & saniosa, vomitiones fluxus alui, menstruorum, fluxus aut lachrymas oculorum, narium fluxus sanguineos, gonorrhæam, rheuma, diabeten, &c.

Exempli gratia si ☾ sit:
- Ascendens arguit catarrhum & fluxum oculorum & aurium, & sanguinis è naribus profluuium.
- In quarta domo vomitionem.
- In quinta albedines seu menstrua alba fœminarum.
- In nona fluxum alui.
- In octaua fluorem vrinæ.
- In decima profluuium renum, aut gonorrhæam.

Si ♂ sit domin. ascend. & in sexta domo in ☌ ✱ vel △ ♀ aut in □ aut ☍ non erit malũ.

Si dominus sextæ sit retrogradus, combust. aut in detrimento aut casu, & in 8. domo in ☌ aut ☍ ♄ aut ♂ arguit morbum duraturum vsq; ad mortem; idque eo magis si ☾ applicat ad dominum sextæ 8. aut ad planetam maleuolum.

CAPVT III.

Hic ostenditur, cuius naturæ & generis sit morbus; atque an morbus sit de causa interna, vel externa, discutitur.

NAtura morbi generaliter naturæ domus sextæ conuenire solet: si autem inter signum sextæ & planetæ eiusdem atq; vitæ significatores aliqua sit configuratio: si vnius sit naturæ erit & morbus talis; sin vero multiplex fuerit eorum conditio, erit etiam morbi natura talis. Vt si æger afficiatur mala configuratione ♂ constat morbi causam esse Martialem, id est, calidam & siccam. At si contrariæ qualitates signum afficiant videlicet tam ♂ quam ♄ tunc non modo ex ♂ sed etiam ex ♄ natura erit morbus particeps, imo vero & ipsius stellæ fixæ naturæ cum in eodem sit longitudinis statu cum signo illo, atque ita de cœteris. De causa igitur non aliter permixtione naturarum iudicamus, quam colores varios ex mixtione colorum prouenire cernimus.

Sciendum autem est, quod quo grauior est planeta principaliter percutiens, eo etiam grauius ægrotum afficere videtur.

De cœlestibus morborum causis cum in *lib. 4. memb. 3. de causa morb. efficiente stellari*, tum *in lib. præcedente de signis demonstratiuis*, satis superque egimus, quare plura de ipsis hic non dicemus.

Ad dubii autem an morbus sit de causa interna, vel externa, resolutionem breuiter in istum modum me accingam. Causa interna magna ex parte dependet à mala conditione significatoris, atque etiam à qualitate signi infortunati & naturæ ipsius haud conuenientis. Quare si conditio morbi sit de natura alicuius horum vel amborum, tunc quidem statuendum est quod morbus præcipue à causa interna proueniat ratione intemperiei 4. humorum.

Significator ergo causa morbi est à sexta domo, atque planeta vel planetæ qui significant morbum prouenientem à causa interna aut naturali, eritq; ęgritudo secundum vigores illorum planetarum: nam si ipsi fuerint fortes, erit morbus talis, & si sint mali erunt etiam morbi & causa morbi tales.

Verum si significator morbi qui prouenit ab accidente sit dominus sextæ aut dispositor illius, & planeta maleuolus affligat ☾ aut ☉ aut dominum ascend. aut planetam à quo dominus se separabat, tunc aut in ☌ aut in alio aspectu in tempore quæstionis arguunt morbos à casu aut accidente prouenientes, seu à causa externa & aduentitia, videlicet à crapula, ebrietate, frigore, calore, exercitio, nimioue labore, vexatione & ira, timore, contusione, coitu, medicamentis, &c.

Regula I.

Attribuimus solem, lunam, signum ascendentis ad significandum corpus ægroti intrinsecus: nam si hi sint fortiores & à malo liberi, tunc denotabunt corpus, atque internum ægroti esse sanum, & è contra.

Regula 2.

Attribuimus dominum ascend. dom. ☾ & dom. ☉ atque horæ ad testificandum de accidentibus & causis externis: nam si maior eorum portio affligatur à maleuolis combustis per ☌ aut aliquo alio prauo aspectu, morbus erit per accidens.

Regula 3.

Si dominus ascend. sit retrog. & in domo nona aut in 8. & dominus 9. in 6. peregrinus, & ☾ applicet domino ascend. æger ratione alicuius medicamenti in morbum incidit.

Regula 4.

Si dominus sextæ sit in ascend. morbus erit hereditarius & ei à natiuitate prædestinatus, idque præsertim si ☾ separatur à domino 4. & applicet domino 6. aut alicui planetæ in ascendente.

Regula 5.

Si dominus ascend. sit in 6. morbus venit à stultitia & ab accidenti.

Regula 6.

Si dominus ascend. sit in 6. & dominus 6. in ascend. tunc morbus est bifarius; quatenus participat tam de morbo accidentali & externo atque hæreditario.

Regula 7.

Quando est signum fixum in 6. & ☾ in 8. & applicat domino 6. & est fortis in suis dignitatibus, diu perdurabit morbus.

Capvt IV.

An morbus sit in animo, vel corpore docet.

AD huius quæstionis resolutionem hæ regulæ imprimis sunt obseruandæ.

Regula 1.

Hi 3. videlicet ascendens ☾ & dominus domus ☉ denotant spiritum ac animum viri aut mulieris.

Regula 2.

Dominus ascendens & dominus domus ☾ arguit membra tam externa quam interna.

Regula 3.

Si ascendens ☾ & dominus domus ☉ impediantur, videlicet vel eorum omnes, vel duo, tunc morbus est in animo vel spiritu.

Regula 4.

Si ascend. & ☾ sint ambo impediti, & dominus eorum signorum liber, morbus est in animo & non in corpore.

Regula 5.

Si dominus domus ☾ & dominus fuerit cum ☉ fortunati; morbus non est in corpore.

Regula 6.

Si dominus domus ☾ & dominus sint cum ☉ infortunati, combusti aut sub radiis, est morbus in corpore.

Regula 7

Si dominus domus ☾ dominus ascend. & dominus domus ☉ sint corrupti, tunc erit morbus cum in animo tum in corpore simul:

Regula 8.

Si dominus domus domini aſcend. & dominus domus ☾ ſint infortunati in caſu, aut corrupti, magis dominatur morbus in animo quàm corpore.

Regula 9.

Si planeta aſcend. atque dominus domus ☾ ſint oppreſſi in domo 12. per ✱ ♂ tunc morbus eſt cum in animo tum corpore.

Regula 10.

Si aſcend. & domus ☾ ſint ſecuri, & domini eorum impediti, ægritudo eſt in corpore & non in animo.

Regula 11.

Si aſcend. & locus ☾ & domini eorum ſint omnes impediti & infortunati, tunc aderit ægritudo cùm in corpore tum in animo.

Regula 12.

Si planeta infortunatus intueatur aſcendentem, & non ☾ & dominus domus ☉ ſit infortunatus, tunc morbus ineſt animo & non corpori.

Regula 13.

Si gradus aſcendentis & loci ☾ magis affligantur quàm eorũ domini, magis regnat morbus in animo quàm corpore.

Regula 14.

Si dominus domus ☾ & dominus aſcend. magis affligantur quàm prædicti aut aſcend. aut loci ☾ gradus, magis redundat morbus corpore quàm animo.

Regula 15.

Si dominus loci ☾ & dominus domus ☉ fuerint in ſuis detrimentis, caſibus, aut peregrini, retrog. comb. exiſtant, & gr. aſcend. in □ ad ☾ & liberi à ♄ & ♂, tunc morbus fit ex animi cruciatu.

Regula 16.

Si dominus aſcend. & ☉ fuerint in ſuis exaltationibus, & dominus loci ☾ ſit in detrimento & caſu, afficietur æger corpore & non animo.

Regula 17.

Pro regula generali habeatur, quòd ♄ naturaliter arguit melancholiam & vexationem à melancholia, & conſequenter animi perturbationem, quare vbicunque ♄ inuenitur dominus aſcend. aut horæ aut 12. domus, aut 6. ſecundùm tempus, aut ſi ☾ ſeparetur à ♄ aut ſi ♄ fuerit in domo 6. aut in aſcend. aut in ☌ □ ☍ cum dom. aſcend. erit morbus à dolore animi ſeu vexatione & cura, quia multùm animo perturbatur.

Similiter ☿ ſignificat animum, & ſenſus atque imaginationes, arguitque ipſarum perturbationem cum timore, tremore, &c. Quare quandoque ☿ inuenitur eſſe aſcendens, vel dominus horæ, vel domus 12. aut 6. ſecundum tempus in aſcend. aut ſi ☾ ſit in aliquo aſpectu ☿ aut à ☿ ſeparetur, aut ſi ☿ ſit in ☌ □ ☍ ad grad. aſcend. ægritudo prouenit à vexatione & nimio animi cruciatu, à cholera, aut ad vindictam.

Regula 18.

Si ☉ ſit dominus aſcend. aut horæ, aut domus 12. tunc oritur animi vexatio à ſuperbia, philautia, vana gloria, & vini crapula.

Similiter ♀ facit luxuriam & coeundi appetitum, vnde tam animum quàm corpus perturbat. ♃ non facit vexationem animi, ſed corporis, & ſic in aliis.

CAPVT V.

In quo describitur ista quæstio paucis: An morbus sit radicatus nec ne.

Regula 1.

SI dominus ascend. ☾ & ☉ seu pars fortunæ sint vel omnes, vel ipsorum duo in domo 8. in signo fixo, aut in gradibus Azemenis, tenebrosis aut puteis, tunc morbus erit radicatus & vetus.

Regula 2.

Si dominus ascend. ☉ & ⊕ omnes aut eorum bini sint in grad. lucidis in mobili signo, morbus non erit radicatus, sed recens.

Regula 3.

Si dominus ascend. dominus domus ☾ & ⊕ sunt aut omnes, aut eorum duo in gr. lucidis, aut vnus in gr. lucido, alius in tenebroso, & præsertim in signo fixo, tunc patiens diu retinuit morbum suum; & per consequentiam est radicatus.

Regula 4.

Si dominus ascend. sit comb. & in gr. vacuis in signo mobili, & ☾ in signo fixo in gr. tenebrosis, ⊕. in signo fixo in gr. Azemenæ; morbus infirmo ab infantia adhæsit, & est radicatus.

Regula 5.

Si sit in domo 6. signum fixum & dominus sextæ fuerit in signo fixo, patiens diu ab illo morbo fuit afflictus. At si dominus 6. sit in signo Azemeno, tenebroso aut puteo; in sua propria domo vel exaltatione, hoc arguit morbum esse radicatum.

CAPVT VI.

Vbi de morbi perseuerantia agitur, & dubium, An diu sit morbus duraturus, nec ne, resoluitur.

Regula 1.

VT corporis significator afficitur vel magis vel minus, similiter vt se habet in configuratione cum aliis Planetis vel Stellis fixis; sic quidem de morbi facilitate vel difficultate est iudicandum: hoc est, an à natura facilè vel difficile, citò vel tardiùs possit expelli præsagiendum est.

Regula 2.

Vbi ergo significator non tam malè afficitur, nec grauiter ab infortunatis aut planetis contrariæ fortitudinis opponitur: sed est potiùs cursu velox & cum fortunatis coniunctus siue configuratus; arguet naturam infirmi esse satis robustam; & consequenter morbum diu contra eam durare non posse, denotabit.

Regula 3.

Si significator ægrotantis affligatur ab infortuniis, arguit ægroti infortunium, quod eò erit maius, quò significator vitæ erit debilior.

Regula 4.

Si dominus ascend. applicat ⊕. & ante fortunam illam contigerit retrogredi, hoc erit indicium diuturnæ fixationis seu durationis morbi.

Regula 5.

Si ascend. fuerit in domo 6. & dominus sextæ in ascend. erit morbus prolongatus.

Regula 6.

Si significatores morbi sint in signis fixis de natura & conditione eorum, morbus non curabitur facilè, & perdurabit diu.

Regula

Regula 7.

Dominus ascend. infortunatus à domino 6: domus vel 12. & ipse vel ☾ aspiciat infortunium, & maximè ♄ in dignitatibus suis tardum, diminutum & retrogradum, diu ægrotabit patiens. E contra si velox & cito exeat signum illud in quo est.

CAPVT VII.

Ad cognoscendum in qua corporis parte morbus erit, videlicet, an in dextra vel sinistra, seu à parte post vel antè, & an sursum vel deorsum in corpore.

Regula 1.

SI dominus quæstionis seu 6. sit infortunatus aut corruptus supra terram, hoc est, in horizonte nostro, aut si signum aliquod sit in terra corruptum, erit morbus in latere dextro corporis, & in parte superiori eiusdem.

Regula 2.

Si dominus 6. sit sub terra, hoc est extra horizontem nostrum, aut corruptus in signo diurno, erit morbus in superiori & anteriori parte corporis, vt in fronte aut stomacho, &c.

Regula 3.

Si dominus 6. sit sub terra; aut corruptus in signo nocturno; erit malum in posteriori corporis parte.

Regula 4.

Si dominus 6. sit corruptus ac infortunatus supra terram, tunc erit dolor in superiori parte corporis in dextro latere circa humeros aut spatulas.

Regula 5.

Si dominus 6. sit corruptus & infortunatus sub terra, erit in parte sinistra corporis.

Regula 6.

Si dominus 6. sit in ♓ in 8. domo, erit malum in superiori corporis parte in dextro latere circa humeros siue spatulas.

Regula 7.

♄ dominus 6. in domo 5. in ♒, non corruptus nec infortunatus, dolor est in inferiori corporis parte, vt in cruribus, tibiis, aut pedibus; in dextro latere & dextro pede.

Regula 8.

♄ dominus 6. in ♉ in domo 10. morbo afficiet vniuersum corpus cum tibiis, sed præcipuè in sinistro latere.

Regula 9.

♄ dominus 6. in vltimo gr. ♊ aut 1. ♋ in 12. domo, faciet dolorem in læuo latere, eritq; quasi punctura quædam.

Regula 10.

♄ dominus 6. in ♌ in domo 2. faciet morbum in corde, sanguine & dorso; si in ♍ in 12. in capite, si in ♋ in 9. in stomacho, si in ♐ in 3. domo; & sit Orientalis tardusque, erit in lumbis & renibus, vt est calculus aut sanguinis exitus exinde per vrinam scaturientis.

Regula 11.

♂ dominus 6. in ♏ retrogr. in domo 5. faciet morbum generaliter in omnibus corporis membris cum interno dolore, si in ♏ retrog. in ascend. Orientalis, efficit dolorem in externo corporis, idque vniuersaliter ex pustulis & vlceribus dolorosis, si in 6. in ♏. faciet illud idem. At si ipse dominus 6. sit in ♌ in ⚹ ☿, erit dolor in dorso, humeris & renibus tam ex vna quàm altera parte: si in ♍ in 4. domo, erit dolor per totum corpus, sed præcipuè in sinistra tibia & latere.

Regula

Regula 12.

♀ domina 6. in ♊ in domo 6. in ⚹ ♂, est dolor circa dorsum & humeros atque lumbos, si in ♊ comb. in 10. in △ ad ♂, morbus est in læuo latere circa splenem, & in maiori corporis parte, vt in stomacho, brachiis, capite & lumbis, si dominus 6. & in ♑. in domo 10. est morbus in sinistro latere & genu.

Regula 13.

Si aliquis planeta masculinus, vt ♄ ♃ aut ♂ in domo masculina & signo masculino, Occidentalis, corruptusque per aspectum sui inimici, tunc vnus æquiualet in effectu alteri, erit morbus tam in vna parte quàm in alia.

At iuxta doctrinam mei instructoris Simeonis Formani, viri in Astrologia expertissimi, has etiam regulas obseruatione dignas addidi.

Regula 14.

Si signum causæ morbi, quod est dominus 12. domus aut 6. secundùm tempus & statum ☾ sit in masculino planeta, & masculino signo & domo tunc morbus est in dextro latere, si verò sint duo masculini, & vnus fœmininus, est in latere sinistro, & è contra.

Regula 15.

Si significator causæ morbi sit in signo fœminino, & fœminino planeta & domo, est morbus in læuo latere, at si sint duo fœminini, & vnus masculinus est in dextro latere, & è contra: vt ♀ domina 6. in ♏ in 12. morbus est in matrice & renibus versus sinistrum: nam locus significatoris affecti partem affectam indicat. In genere ergo sciendum est, quòd pars dextra afficiatur, si corporis significator sit supra terram, sinistra verò si sub terra.

Regula 16.

Superiores quoque partes laborare solent, si superiores gradus signi transcurrant; particulatim verò illa domus est notanda, in qua moratur significator; atque etiam signum est obseruandum, quod domum possidet, vt scias cui parti corporis vtrumque dominetur. Si enim significator sit in ascend. vel ♈ arguit caput laborare, si in 2. vel ♉ collum, in 3. vel ♊ manus, brachia, humeros. In 4. vel ♋ pectus & pulmonem, si in 5. vel ♌, cor, stomachũ, hepar & matricem; si in 6. vel ♍ ventrem & crura, si in 7. vel ♎ Intestina: si in octaua aut ♏ testiculos, anum, vesicam, coxendicem & femur: si in 9. aut ♐ nares & ventrem: si in 10: aut ♑ coxas, tergum & crura; si in 11. aut ♒ tibias & cor: si in 12. pedes & superiorem partem capitis, & dextrum latus colli viri.

Regula 17.

Luna in angulo terræ existente in ☌ cum ♂ aut ♄ aut ab iis infortunata reddita, est dolor in pulmonibus cum difficultate respirandi.

Si ♀ sit domina 6. & infortunata facta à ♂ aut ♈ ♌ aut ♑ idem accidet.

Capvt VIII.

De periculo morbi, An sit lethalis, hoc est, vtrum infirmus euadet hunc morbum, nec ne.

Regula 1.

Si dominus ascend. sit in angulo & extra aspectum alicuius maleuoli planetæ, atque in loco bono, & non sub radiis ☉, nec retrog. non morietur.

Regula 2.

Si ☾ det fortitudines duas domino 6. erit fortior ægritudo; at si dominus ascend. det fortitudines duas domino 6. vel alicui stellæ malæ, erit ægritudo fortior: verùm si dominus ascend. det fortitudines domino 12. multum patienti malum audet de infirmitate sua, idque præsertim si fuerit in ☌, aut aspectu cum domino 6.

Regula 3.

Si significator sit stella infortunata iniens ad dominum ascend. per ☌ vel aspectum, demonstrat tarditatem sanitatis.

Regula

Regula 4.

Si ☾ sit cum domino ascend. & tarda, præsagiet tarditatem sanitatis: at si fuerit velox arguit morbi breuitatem.

Regula 5.

Si dominus ascend. sit festinus & celer in suo cursu, & quòd intret in aliud signum, vel de domo sua in aliam, ita tamen vt non ingrediatur dominus 6. vel 12. breui tempore finietur morbus.

Regula 6.

Videndum est, an sit aspectus aliquis inter dominum ascend. & ☾ vel dominum domus eius, & si planeta à quo separatus erit in ☌ secundùm quantitatem radiorum stellæ quæ est dominus malæ domus, & vide an aspiciat domum quantitate vnius gradus, tunc enim finire incipiet morbus.

Regula 7.

Si ☾ postquam recesserit à ☌ ☉ incipit in velocitate augeri, & appropinquat ad aspectum aliquem cum ♂ & præcipuè □ ☌ & ☍ eueniet quòd morbus sit periculosus & lethalis, sed si pariter perueniat ipsa ad ♃ aut ♀ recuperabit.

Regula 8.

Si ☾ decrescit lumine & motu & perueniat ad ☌ □ aut ☍ ♄ nisi morbus sit in decremento & patientem relinquat, vt primùm ☾ transit à ♄ erit morbus lethalis.

Regula 9.

Si ☾ veniat ad bonum planetam malum subitò relinquet infirmum. Denique sciendum est, quòd morbus tam diu decrementum suum faciet ac ☾ est velocior, at quando tardior est in suo motu, tum incrementum suum habebit morbus.

Regula 10.

Si ♏ sit in ascend. ♈ in 6. & ♂ in ascend. arguit morbum debere in deterius vergere.

Regula 11.

☾ in ☌ □ aut ☍ cum ♄ vel applicans est malum signum, similiter ☾ impedita præsagiet malum.

Regula 12.

Si ☾ fuerit in ascendente in ☌ □ aut ☍ ad ♄ vel ♂ aut aliquem planetam malignum siue infortunatum in quæstione, erit in malum nisi dominetur ægro in natiuitate sua, aut quòd ☾ ab alio recipiatur.

Regula 13.

☾ existente in loco malo & signo { Fixo prolongabitur / Mobili citò recuperabit / Communi, mediocri tempore permanebit } morbus.

Regula 14.

Erit transitus à morbo in morbum iuxta aspectum ☾ cum planetis, & si vim dederit ☾ domino domus 6. fortificabitur domus.

Regula 15.

Dominus 6. retrog. vel comb. aut in domo 8. in ☌ □ aut ☍ ♄ vel ♂ significat malum vel mortem.

Regula 16.

☾ in principio infirmitatis in loco ♄ vel ♂ geniture, vel in ☍ eorum malum afferent.

Regula 17.

Dominus domus 6. impeditus à domino ascend. per □ vel ☍ in gr. Azemenis in angulis, denotat ægritudinis incurabilitatem cum perpetuo dolore.

Regula 18.

Si dominus 6. ſit in aſcend. durabit morbus, ſed non ſemper dolebit. At ſi ſit in cadente domo tunc nec durabit morbus, nec dolebit ſemper, & euadet citò.

Regula 19.

Si dominus domus 6. ſit malus vel impeditus, vel mali in ſexta malum eſt ſignum, ſi verò boni planetæ fuerint in domo 6. citò curabitur.

Regula 20.

Si malus planeta fuerit in 6. domo, tranſibit infirmitas ab vna in aliam, ſimiliter dominus 6. domus in 6. 8. vel 12. domo malum præſagiet.

Regula 21.

Partes	Fortunæ. Vitæ. Mortis.	vel in	Via combuſta Maleſitæ Aſpectu maleuolorũ Locis cadentibus Inter malos obſeſſæ	malum important.

Regula 22.

Si fuerit translatio luminis à domo ☾ ad aſcend. malum ſignificat.

Regula 23.

Si dominus aſcend. & ☾ ſint liberi à ☌ □ aut ☍ ♄ vel ♂ aut alicuius planetæ infortunati, ſed directus non combuſt. nec peregrinus, nec in detrimento aut caſu aut in domo 6. aut 8. nec reſpiciat dominum 6. 8. aut 12. domus bonum importabit omen.

Regula 24.

☾ applicans domino aſcend. exiſtens libera à domino 6. vel 8. ſignificat ſalutem.

Regula 25.

♃ ♀ ☉ aut ☾ in aſcend. non reſpicientes dominum 8. aut 6. domus & liberi à malo & in bonis ſignis eſt ſignum ſalutis.

Regula 26.

☾ in angulo bene affecta vel in ſuccedente in ſuo incremento luminis & motus & libera à ♄ & ♂ ſalutem indicat.

Regula 27.

Dominus aſcend. in domo 4. vel 8. fortunatus ſanitatem prædicit; at ſi in 4. ſit infortunatus difficulter curabitur.

Regula 28.

Si dominus aſcend. ſit fortunatus in ſeipſo & in domo 4. retrog. comb. peregr. aut in detrimento vel caſu aut obſeſſus à malis, poteſt nihilominus curari. Verumenimuerò cùm ſemel curabitur aut incidet tum poſtea in relapſum & moritur, aut in alium morbum periculoſum.

Regula 29.

Signa vitæ.

☾ cum ♃ & ♀ bonum: ſimiliter ☾ in initio morbi ſine aſpectu ſi in die critico bonam ſtellam aſpexerit, bonum erit: ſimiliter ☾ ad □ vel ☍ perueniens ſine aſpectu, ſi fuerit in domo ſua, vel exaltatione ſua bonum erit ſignum.

Regula 30.

Tametſi ☾ cum ♄ vel ♂ fuerit, ſi bene ♃ vel ♀ aſpiciat, liberabitur æger.

Regula 31.

♂ poſt ☉ ☍ non eſt adeò formidandus, ac erit cùm ante ☍ foret. Porrò ♂ cum ☾ iunctus lumine increſcens minuitur in malitia.

Regula 32.

♄ Orientalis à ☉ ſi morbus fuerit à frigore, conualeſcet tandem infirmus. Et pariter ♄ Occidentalis à ☉, ſi morbus ſit à calido, conualeſcet.

Regula

Regula 33.

Magni momenti res eſt angulos cœli conſiderare tempore decubitus, ſi enim dum morbus incipit beneuoli adſint horoſcopo, ſiue aſcend. planetæ aut medio cœli ☾ tandem in □ vel ☍ cum malis non erit leue inde ad conſequendam ſalutem auxilium.

Regula 34.

Cùm in morbi initio ſiue quæſtionis hora ☾ & ☉ Orientisque ſiue aſcend. dominus, infortuniis mortisque domino fuerint liberi, nulla aderit mortis ſequentis ſuſpicio.

Regula 35.

Signa mortis.

☾ in ☍ cum ♄ & ♃ proderit parumper ægroto, & tamen non euadit, niſi ♄ fuerit retrog. & ♃ directus.

Regula 36.

☾ cum ♄ & ♂ ſine reſpectu ad ♃ vel ♀ malum, & quò tardior erit ♄ motu, vt cùm retrogreditur, eò peius.

Regula 37.

☽ ſine aſpectu in morbi initio, & die critico aliquam ſtellam malo aſpectu intuens, ſi ſtella ſit mala malum erit pro ægroto.

Regula 38.

☾ non applicans & ſine aſpectu in □ vel ☍ ſua, ſi in caſu vel oppoſito domus, vel in maleficum impingat, malum eſt.

Regula 39.

Si ♄ fuerit Orientalis à ☉ & morbus calidus inſuperabilis erit; & ſi Occidẽtalis, & morbus frigidus, incurabilis eſt putandus.

Regula 40.

☾ poſt morbi initium oppoſita domino aſcend. & dominus aſcend. retrogr. & comb. acerbationem accidentium indicat.

Regula 41.

Dominus domus mortis in □ ☌ vel ☍ cum ☾ malum & interitum indicat, niſi receptio fuerit inter ea, præſertim ſi retrogr. & infortunatus.

Regula 42.

♄ in ☍ cum domino domus mortis, malum mortis indicat.

Regula 43.

☾ in 4. domo cum ♂ maximè aſpicientibus beneuolis mortem arguit.

Regula 44.

☾ Orientalis non vltra 12. gr. à ☉ diſtans, mortem præſagit, & quò Soli propinquior reperitur, eò peius.

Regula 45.

☾ cum ♄ decreſcens in principio infirmitatis eſt argumentum, quòd ægritudo durabit: contrà, ſi cum ♂ fuerit ☾ in ☌ ☉ mortis eſt indicium.

Regula 46.

Si ab hora qua quis ægrotare inceperit ☾ è combuſtione exeat; creſcit ægritudo, donec ad ☍ gradum perueniat: tunc enim ſi iuncta fuerit malè præſertim cum domino mortis periculum portendit, aliàs euaſionem.

Regula 47.

☉ & ☾ dum ſunt domini horæ, & aſpiciunt dominum 8. domus, ægrotans non poteſt liberari.

Regula 48.

☾ impedita in principio morbi per radiationem malam & ☌ criſin frequenter dubiam & mortem ſignificat.

Regula 49.

☾ domina 6. domus, vel anguli Orientalis combusta, retrogr. aut domina emergentis in angulo 8. coniunctus ♂ aut ♄ morbos ciebit lethales.

Regula 50.

Dominus horoscopi vel ☾ impedita, signum est mortis periculi, vel diuturnæ ægritudinis.

Regula 51.

Astrum in Oriente præpollens, si sit dominus 8. & horæ, significat mortem, maximè si illud aliunde impeditum fuerit, & morietur quando peruenerit ad gradum 8. sedis seu dom⁹. Idem de sydere dominium in domo 6. sibi vendicante est censendum.

Regula 52.

Pars fortunæ infortunata vel eius significator ingrediens radios solares interitum denuntiat. Item pars fortunæ prope caudam draconis ad 4. partes vel sub terra, vel in 8. cœli domo, vel habens aspectum malum ad malos, affert testimonium mortis.

Regula 53.

Si ♄ fuerit in sua auge & morbus proueniat ex nimia retentione, est morbi in deterius progressus argumentum, si verò ex nimia solutione contrà.

Regula 54.

In ☌ ☾ cum ♄ si ☾ cursum intendit timendum, est de ægritudine diuturna & crisi horrenda: motu si tardetur & augeatur lumine minus arguit mali, quàm si lumine foret diminuta.

Regula 55.

Si ☾ ♃ & ♀ aspicit motu aucta & radiis ♂ & ☉ opponatur, moritur infirmus.

Regula 56.

Si dominus Orientis (si in sua retrogressione fuerit,) separatur à sydere dominium domus mortis habente, desperationis indicium est nisi propter retrogressionem à ☉ fuerit combustus.

Regula 57.

Denique pro regula habeatur, quòd à domino signi emergentis vel à ☾ si ille vel illa sint impediti, mortis vel sanitatis futuræ significationes vtplurimum sumuntur.

Quando hora vel mortis vel recuperationis accidet.

Facienda est figura 8. laterum, & locus ☾ in tempore decubitus in ascend. est locandus: angulus autem oppositus oppositum gradum teneat: angulus medii cœli habeat locum □ domus autem intermedia distet ab ascend. & medio cœlo æqualiter per 45. grad. Fabricata itaque in istum modum figura cœlesti vnusquisque planetarum propriam possideat in ea sedem.

Quo peracto locus ☾ est obseruandus, quando nimirum corpus illius exactè □ & ☍ ab angulo ascend. attingat, & illud tempus statuendum est criticum, quod Medici 7. vel 14. fieri tradunt, tunc enim manifestam mutationem fieri videbimus, quippe quæ loca sunt opposita & aliena à primo.

Cùm autem transeat per loca intermedia scil. gr. 45. &c. (quamuis non sint à primo loco omnino aliena) tamen aliquam mutationem efficere notantur, quod tempus etsi verè criticum non dicatur, tamen quasi veri iudiciarii rationem habere videtur: quare intercidentia aut prouocatoria dictitantur.

Sed quoniam de istis in *tractatu nostro præcedenti* de crisium scientia abundè sumus loquuti, ad pleniorem istius rei intellectum vos *lib. ipsius* 4. *&* 5. vbi de figura 8. & 16. laterum mētionem fecimus satis amplam atque luculentam, vos refero.

Regula 58.

De hora declinationis, vel aggrauationis.

Cùm in primordio morbi vel hora quæstionis ☉ ☾ & Orientis siue ascend. dominus sint liberi ab infortuniis mortisq; domino, salubris exitus est expectandus, & hora declinationis erit quantitas graduum coniunctionis fortioris liberi ducis atque fortunæ. Eadem etiam ratione (mutata forma) ipsius mortis hora percipietur, videlicet ex domini vel ducis fortioris cum domino mortis applicatione.

Regula

Regula 59.

De morbi alleuiatione vel aggrauatione.

Sciendum quod luminum potentius & efficacius in sua viciſſitudine viget, & horum ad duces figuræ fœlices applicatio vſque dum ſeparatur morbum alleuiat, maxime cum illorum felicium, morbique naturæ fuerint contrariæ. Verum ſi fiat cum infortuniis commixtio, grauedo & augmentum arguetur, hocque potiſſimum cum ipſa eandem habeant cum infirmitate complexionem.

Capvt IX.

In quo agitur de infirmitatibus, quas ☽ quodlibet ſignum Zodiaci peragrans excitare ſolet.

Lvnæ ſtatus eſt præcipue inter omnes alios planetas obſeruandus, quippe qui planeta eſt principalis in morboſo genere agens & operator. De ipſius igitur in quolibet Zodiaci ſigno ſtatu paucis iſto in loco diſcurremus.

Cum ☽ in ♈ exiſtit & fuerit dum quis incipit ægrotare,

- Cum ♂ aut ☉ erit morbus in capite grauis Solis calore productus, dolebuntque pulſus temporum, aderitque febris intermittens, ſentieturque dolor & æſtus in pectore & præcordiis, pulmones incendentur, eritque pulſus calidus. At ſi cum ☽ fuerit ♂ aut ♄ morietur æger ex hoc morbo intra 7 diem à die à quo ☽ fuerit cum ☉ per □ & hoc intelligitur ☽ creſcente.
- Infortunata, aſpexeritque eam in □ vel ☍ ♄ morbus eſt in capite & producit eum ad mentis vſq; alienationem, & faciet inſanire variando incrementum & decrementum, eritque morbus perſimilis illi qui videre non poteſt. In diminutione graduum vel luminis cum reuertetur ad primum aſpectum ♄ videlicet cum dimiſerit eum & per alium aſpectum eum aſpexerit; morbus mutabitur in bonum, vel in malum: nam ſi aſpexerit eum infortunium morietur, ſi autem non aſpexerit, euadet.
- Dimiſerit aſpectus prædictos ſcias morbum receſſurum, tamen dum ipſa non inuenerit ♃ vel ♀ per aliquem aſpectum priuſquam venerit ipſa ad ☌ ☉ morbus non recedet ſed ſtabit donec venerit ☽ in aſpectum □ vel ☍. Quod ſi dictos non inuenerit, ſed ☿ occurrerit illi, morietur infirmus.
- At ſi ♂ inuenerit eam, ſanabitur, dum morbum produxerit pituita, & quãdo languidus primo ſentit morbum dum ☽ addit ſuo lumini & gradibus, & ♂ & ☉ fuerint in ♑ morbus erit in capite, & abſceſſus ex pituita orietur in capite, profluetq; ei ſanguis è naribus.
- Cum ☿ in loco ☉ euadet infirmus, prius autem erit in magno diſcrimine, quoniam ☿ concors fuit cum ♂ in eodem negotio; ♂ autem non facit ſic cum ♄ & morietur æger cum ♄ fuerit loco ☉.
- Cum ♃ vel ☿ vel ♀ varius erit morbus.

Si quis ægrotare cœperit quando ☽ fuerit in ♉

- Si eam aſpexerit ♂ in □ vel ☍ erit morb. ex ſanguine. Hic immenſo calore & ſiti torquetur, vexatur magis nocte, nec poteſt dormire, vini potum appetit.
- Si fuerit in eo ſigno ♄ aut ♀ & non inueniat fortunam, morietur intra 9. dies aut 10. à die decubitus ſeu initii morbi.
- Si ipſa addit ſuo lumini & gradibus, tunc vt primum eam aſpexerit ♂ in ☍ vel □ & ☽ venerit ad ♄ & erit ☿ cum ea, morbus ex frigidis & ſiccis erit vel phlegmate, & æger erit totus frigidus & diſruptus adeo vt vix loquatur & pauca proferat, habet & ventriculum durum ac crudum, & conſequenter digeſtionem debilem, ſed interius ardet, & cum ☽ peruenerit ad ☍ à loco initij morbi morietur, niſi ☽ fuerit for-

tunata in eodem signo, quoniam talis locus magnum arguit periculum, & laborem magnum: quod si ☾ fuerit fortunata, euadet vsque ad dies 8.

Si ♂ & ☉ fuerint in eodem signo, noctu languor erit in thorace, ardebit in lingua & ore, egestio erit raro per aluum, balbuties & febris, eius causa erit sanguis, sitietque frequenter.

Si ☾ fuerit in △ cum ☉ & morbus decreuerit, viuet ille, si creuerit, occumbet quando ☾ veniet ad ☍ ☉ quod si inuenerit ♀ vel ♃ non morietur.

Si aspexerit eam ♂ vel ♄ in □ vel ☍ ægritudo ex amissione somni erit, vel ex aliquo mœrore, vel ex pluribus cogitationibus de aliquo negotio: quare dolebit æger per vniuersum corpus, ad minus per 10. dies. Post modum incidet in calorem, & noctu extensiones patietur, & dolorem dextri hypochondrii, & regionis iecoris, & si ☾ non fuerit cum aliquo ex infortuniis, morietur ille intra 30. dies.

Si fuerit aucta lumine suo & motu seu gradibus, & ♂ aspexerit eam in ☍ vel □ erit morbus ex bile rubra, aderitque febris cum vehementia pulsus. Quod si fuerit ♄ in hoc aspectu, & nullus fortunatus fuerit cum ☾ vitam perdet quando ☾ veniet ad ☍ illius loci in quo erat in morbi initio: at si fortunium respexerit in ☍ illa; recuperabit, tametsi magno cum periculo inceperit ægrotare.

Ægrotans dum ☾ existit in ♊

Si fuerit sola in ♊ morbus erit in capite; si fuerit in ☍ ☉ si quod ex infortuniis bono aspectu aderit viuet ille, alioquin morietur.

Si eam aspexerit fortuna bono aspectu viuet, vel ægritudo mutabitur in alium morbum, seu à caliditate in frigiditatem: sin aũt fortuna dimiserit eam, neque inuenerit aliam donec ☾ venerit ad oppositionem loci in quo fuerat in principio, eritque infirmitas occulta & cognitu difficilis, donec ☾ perueniat ad ☍ vel □ si tunc fuerit fortunata euadet, sin minus moritur.

Si sit cum ♂ erit morbus ex calore, & lachrymabit vnus oculus, & forsan fiet phreneticus, & multum timebit, & ante eum apparebunt diuersæ statuæ siue phantasmata, & pulsus vix inuenietur, & cum ☾ veniet ad □ & fuerit infortunata morietur æger, si fortunata euadet.

Sed quando ☾ fuerit cum ♂ & ☉ & applicat eam fortuna bino aspectu, & ☾ erit addens lumini & gradibus, euadet cum ☾ venerit ad □ ab illo in quo à primordio morbi fuerat.

Si aspexerit eam ♄ □ vel ☍ morbus propter frigus post calorem est productus, sicut in exitu è balneo, dolet ei quoque pectus, & tussi laborat & spirandi difficultate, habetque pulsum compressum, queritur de affectibus ventriculi, iliorum & renum.

Si ♄ non fuerit cum ipsa, vel eum non aspexerit aliquis fortunatus donec venerit ad □ illius in quo fuerat quando in morbum incidit, tunc æger mori debet circa diem 10. Quod si ☾ aspexerit fortunatum, viuet cum difficultate.

Si aspiciatur à ♂ in □ aut ☍ vomitum patietur infirmus vel dolorem ventriculi.

Si ☾ non intuita sit fortunatum aliquem occumbet antequam venerit ☉ ad □ vel alium aspectum.

Si ☾ fuerit casu vacua, morbus à nimio potu proueniet, eiusque turgent venæ, noctu valde tristatur, cupitq; erectus sedere in altiori loco, deiicere solet operimenta lecti, & non desiderat sermones aliquos; sed appetit tangere frigida.

Cum venerit ad ☍ ♋ euadet æger si bona fortuna eam aspiciat, verum si vel ♂ vel ☉ eam inuenerint morb. vertetur in maiorẽ caliditatem, pulsus eius non mutatur, quin imo excrescentias ostendit, perseuerabit morbus dum ☾ venerit ad □ vel ☍. Is tandem noctu timet, & quid horrendum videt, propterea vociferat multum: quando veniet ad △

Si quis ægrotare incipiat ☾ existente in ♋

ad △ sanatur, & si non inuenerit ibi fortunatum mutabitur morbus in aliã ægritudinem; sed conualescet quando ☾ reuertetur ad locum in quo erat cum infirmus cœpit ægrotare; sed si ibi nõ inuenerit fortunatum, morietur: quod si fortunatus eam aspexerit bono aspectu, reuertetur ad pristinam sanitatem.

Si ipsa fuerit in ♋ cum ♄ morbus erit ex frigido succo seu humore, & terminabitur in quarto die. Si autem ipsa cum ♃ & ♄ fuerit, morbus ex lassitudine itineris proueniet, vel ex coitu plurimo; cum vero ☾ recesserit à signo illo, veneritque ad ☍ & non inuenerit aliquem planetam, verendum est. Verum si inuenerit fortunam, cito restituetur sanitati, at si non inuenerit fortunatum, crescet morbus & morietur.

Si cum ♄ & ♂ morbus proueniet ex nimio studio, estque melancholiæ: quando autem ☾ egressa erit de illo loco & inuenerit fortunatum, restituetur sanitati, cum ☾ venerit ad □ illius fortunati. Quod si ☾ inuenerit aliquod infortunium, mori debet, quando ☾ erit □ illius infortunati: si vero inuenerit bonum planetam, euadet cum ☾ venerit ad ☍ locum in quo fuerat.

Verum si infortunium inuenerit, morbus fiet magis diuturnus & extendetur ad tempus donec redeat ad locum in quo fuerat in principio morbi, in quo æger restituetur sanitati: at si ☾ infortunium intueatur in aspectu malo cum tendit ad ☍ demens efficietur languidus: at si fortunium inuenerit mutabit morbum in aliam ægritudinem, tamen restituetur sanitati.

Si quis ægrotauerit dum ☾ fuerit in ♌

Si ♄ aspexerit eam in □ vel ☍ dolebit capite & ad vomitum vrgebitur, habebitque febrem, sed cum intermissione: languor vero erit magis internus quam externus, & cum defectu lubricitatis alui.

Si ☾ nullum respiciat planetam fortunatum, morietur æger cum ☾ venerit ad □ at si fortunatus aspexerit eam, patiens salutem recipiet cum ☾ venerit ad □.

Si ☾ fuerit in ♌ & intueatur ♂ ex □ vel ☍ morbus erit ex vbertate sanguinis; & patiens vehementer calefiet tum poculentis tum esculentis.

Si ipsa fortunatum aspexerit & aspectus fuerit bonus, magnam post defatigationem melius se habebit: quod si non aspexerit fortunatum bono aspectu, pro certo morietur, quando venerit ad ☍ loci in quo fuerat in principio morbi. Si vero prius aspexerit fortunam quam venerit ☾ ad □ morietur.

Si ☾ in ♌ aspexerit ♂ vel ☉ in □ ardenter in visceribus vretur patiens, & pectore atque capite dolebit, verum pedes & manus habebit frigidas.

Si ♂ vel ☉ fuerit cum ☾ in eodem signo, morbus procedit ex dolore cordis, & quando ☾ venerit ad □ illius loci in quo fuerat in primordio, valde est timendum: cum autem ☾ caruerit dictis aspectibus, & inuenerit ♃ in itinere vel ♀ priusquam venerit ad □ balneandum suadeo. Si vero ☾ ♄ inuenerit morbus iis vertetur in vesicam, & sanabitur cum peruenerit ☾ ad locum in quo fuerat. Quando ☾ inuenerit ☉ aut ♂ & fuerit cum ea ♄ vel ☿ veniet morbus ad extrema (vt diximus) ex dolore cordis, & erit longus morbus, & timendum erit ne in phthisim vertatur, & erit respiciendum quando ☾ venerit ad □ loci illius in quo erat cum incidit in morbum: nam si morbus creuerit erit diuturnus & morietur, si vero minuatur euadet cum ☾ venerit ad ☍. Quod si ☾ inuenerit infortunium viuet ille donec ☾ peregerit cursum ad locum vsque in quo fuerat cum æger incidit in morbum.

Si ♄ eam intueatur in □ vel ☍ infirmus ventriculi dolorem patietur & ventris atque viscerum, vel habebit apostema interius ex pituita alba, eritque

eritq; pulsus debilis, & ipsius infirmitas admodum occulta, ita vt non nisi ab Astrologo ea possit discerni. Si autem ☾ aspexerit fortunam euadet, sed post multos dies; quod si infortunium aspexerit occumbit die 4.

Si quis ægrotare incepit ☾ existente in ♍

Cum ☾ fuerit in ♍ & aspexerit eã ♂ in □ vel ☍ erit infirmitas ex magno calore interius, & propter superabundantiam in corpore, vt sunt dysenteria & fluxus alij ventris. Habebit æger pulsum validum & quandoque non inuenitur, paciturque cordis languorem, & ventriculo laborat. Denique si eum aspexerit fortunatus, euadet intra 30 dies; si infortunium morietur. Si fuerit ☾ cursu vacua, arguet stomachum debilem, fluxum ventris, vt diarrhæam, lienteriam, & stranguriam, aliaque vrinæ impedimenta vesicæ, vt difficultatem mictionis.

Si fuerit cum ☾ ☿ vel ☉ morbus erit grauis & vix loquetur & fluxum ventris patietur; & cum venerit ad ☍ loci in quo fuerat in initio morbi, si fortunatum aspectum habuerit, viuet æger, sin minus morietur.

Si ♄ ♀ & ☿ fuerit cum ☾ in initio morbi; vel ♃ erit infirmitas longa, & durabit donec iterum reuertetur ad ♍ vel ad □ aspectum cum eo loco.

Si ♄ eam aspexerit in □ erit morbus à repletione in capite, videlicet ex nimio potu vini, maiorque erit morbus cum ☾ est in diminutione luminis & graduum. Tunc æger oculis dolet & temporibus, queretur de pectore tussique ex pituita in pulmone, sternutatione & febre afficietur leui. Verum si ♂ in □ vel ☍ eam intueatur, vel alius maleuolus, morietur ille, sin minus viuet, & liberabitur, quando ☾ veniet ad □ vel ☍ ad locum in quo erat in morbi initio.

Si ☾ fuerit in ♎ eamque aspexerit ♂ □ vel ☍ morbus erit ex sanguine vt apostema, pleuritis, erit calor vehemens, aderuntque vigiliæ & turbatio mentis. At si aspexerit eam fortunium, euadet cum ☾ venerit ad ☍ loci. Si vero infortunium, morietur cum venerit ad ☍.

Ægrotante aliquo dum ☾ fuerit in ♎

Si ☾ fuerit vacua vel peregrina, æger pedibus manibusque laborabit, aderitque calor & febris grauis, & oculi grauescentes; cum autem peruenerit ad □ vel ☍ liberabitur per fortunium: si autem ♂ vel ☉ aspexerit eam per ☍ infirmitas magis aggrauabit in capite.

Si ☾ fuerit cum ♄ in ♎ lachrymabit æger & oculis & dolorem capitis patietur. Cum autem peruenerit ad ♃ vel ♀ in diebus criticis alleuiabitur & euadet, sin minus morietur.

Si ☾ in ♎ & ☉ vel ♂ in ☍ eius, erit morbus in capite ☿ cum ☾ idem; erit autem oculus lachrymalis & oppilabitur ab ipsis lachrymis desiccatis. Si vero ♃ vel ♀ inuenerit quando egredietur de loco in quo erat in initio languoris, recuperabit æger, sin minus in ☍ morietur.

Cum ♄ aspexerit ipsam in □ vel ☍ signi illius in quo quis inciderit in morbum, erit morbus ex putrefacto atque venenoso sanguine seu veneno. Quod si ☾ fuerit lumine & motu aucta, & fortunatus eam aspexerit, viuet ille.

Tamen dum ☾ in ♏ eamque ♃ aspexerit in □ vel ☍ intensus erit febricitantis calor: sed cum ☾ inde recesserit, & postmodum iungitur ♃ valetudinem recipiet.

Si ☾ fuerit vacua seu peregrina in ♏ causa morbi est pedum languor, eritque morbus ab initio leuis, nec æstimatur; similiter abscessum producit. Porro & vesica & ilia afficientur, & hæmorrhoides aderunt, circa pudenda apparebunt pustulæ, sed ☾ cum venerit ad △ loci in quo fuerat ab initio calidam afferet febrem, & cum peruenerit ad ☉ & non obuiauerit ei fortunatus, morietur. At si fortunatum in via inuenerit, nascetur apostema in hypochondriis & liberabitur.

Si ægrotare quis inceperit cum ☾ fuerit in ♏

Cum

Cum ☾ fuerit in ♏ & ♂ habuerit secum aut ♄ morbus infirmi erit febris acuta ex phlegmate salso. Si aspexerit eam fortunatus, erit crisis bona, & si infortunatus mala; si ☾ egrediatur de loco illo & eam aspexerit fortunatus, ad 14. diem tum morbus protrahetur & euadet, si infortunatus non euadet. At si nullus eam aspexerit in 4. 7. vel 14. loco, durabit morbus vsque ad 20. diem vel 28.

Si ægrotare quis inceperit cum ☾ fuerit in ♐

Si eam aspexerit ♄ in □ vel ☍ morbus erit ex phlegmate, & vniuersum cor afficietur calore, extrema vero frigida erunt, morbusque durabit donec ☾ iungatur cum ♄ quod si in itinere inuenerit fortunatum, non procedet vlterius, sin minus durabit morbus vsque ad ☍ loci in quo fuerat.

Cum ☾ fuerit in ♐ & aspexerit eam ♂ ex □ vel ☍ & ☾ erit acuta lumine, infirmitas erit occulta, quia medicus non potest scire eam absque Astronomia; quoniam modo dolebit ei caput, modo totum corpus, & patietur fluxum; at si fortunatus eam aspiciat, vel 4. vel 7. vel 17. die euadet, si infortunatus morietur.

Cum ☾ exierit de ♐ de ♏ & ♄ inuenerit eam; morietur æger; at si inueniat fortunam viuet, sed immensam patietur fatigationem.

Cum ☾ est in ♐ cum ♃ aut ♀ languor erit propter tussim cum dolore pectoris, sed quando ☾ ex hoc signo egressa erit & aspexerit eam ♄ ad 24. dies extendetur morbus, sed euadet.

Si ægrotare quis cæperit ☾ existente in ♑

Si eam in ♑ ♄ aspexerit ex □ vel ☍ & fuerit in diminutione luminis & graduum, ex nimio labore, sudoreque perfunditur, & frigore corripitur æger, & patitur dolorem pectoris & calorem ex sanguine corrupto, aut propter multum exercitium: conclusi sunt humores & sternutamenta fortia concutiunt cerebrum. At si ☾ aspiciat fortunatum, euadet; magno tamen cum labore, si vero fortunam non aspexerit, vel ab infortunio salutetur, morietur intra 30. dies.

Si eam in ♑ aspiciat ♂ vel in □ vel ☍ morbus erit ex vomitu atque intenso calore, patietur æger ventris solutionem, & eius ventriculus ardebit & tumefiet, ardenter febricitabit & plurimo sudore perfundetur, nec erit eius pulsus semper æqualis. At si ☾ aspexerit fortunatus, sanabitur ille, sin minus occumbet intra 30. dies.

Cum ☾ in ♑ aspiciat ♂ vel ☉ erit infirmitas ex mera defatigatione seu labore iuxta ignem, seu ex calore ignis, & habebit febrem ex cholera citrina vel rubra. Sed quando ☾ exierit inde, veniet morbus vsque ad 7. diem vel 14.

Si quis ægrotare incipiat ☾ existente in ♒

Si ipsa in ♒ aucta lumine & motu aspexerit ♄ in □ vel ☍ erit morbus ex labore nimio, fluet sanguis, atque morbus istiusmodi solet crescere & decrescere; ideo verendum est ne occumbat in ☍ ☾ ad locum in quo erat in morbi initio. Quod si mutetur in melius viuet ipse, si non, morietur intra 41. dies.

Cum ipsa fuerit peregrina in ♒ morbus erit in visceribus, patieturq; æger febrem ardentem diuturnam cum defectu animi: sed quando ☾ erit cum ☉ validior erit morbus. Aspice ergo ☾ quando egreditur à ☉ si inuenerit fortunam priusquam venerit ad locum in quo erat cum prius incidit in morbum, tunc euadet æger: sin autem fortunatum non inuenerit morietur.

Cum vero ☾ fuerit in ♒ & habuerit ♄ secum, morbus ex melancholia procedet, est enim radix cholera nigra. Quod si ☾ fuerit addens lumini & gradibus, fortunatumque in itinere inuenerit, priusquam venit ad ☍ ad locum initij morbi, conualescet: at si fortunam non inueniet, morietur.

Si ☾ lumini & gradibus addens ♄ aspexerit in □ vel ☍ morbus erit ex frigiditate cum dolore capitis & ventris: verum si ipsa aspexerit ☉ aut fortunatum, euadet, si infortunatum morietur.

Si ☾ fuerit addens lumini & gradibus, & eam aſpexerit ♂ in □ vel ☍ erit infirmitas à nimio calore, & ex mero ſanguine & cholera, atque etiam ex nimio potu & cibo. Et ſi non aſpexerit eum fortuna, in ipſo loco, in quo ægrotare incepit morietur: ſi verò fortunium eam aſpexerit, conualeſcet, cum venerit ad locum in quo erat ab initio morbi.

Si quis ægrotare incipiat ☾ exiſtente in ♓.

Cum ☾ ♀ & ♃ erunt in eodem ſigno ſub quo ægrotauit æger, morbus productus erit à ſudore vel ex nimio potu aquæ; is tandem laborat oculis, & febre cum frigore erit correptus: At cum ☾ venerit ad ☍ loci in quo fuerat ab initio morbi, recipiet ſanitatem. Cum ☾ erit in ♓ cum ♂ nimius calor internus concitauit febrem; cum vero fortunatus ☾ aſpexerit viuet ille; ſi vero oppoſitum erit occumbet.

Hæc vobis indicare volui in fine iſtius artis Iatromathematicæ, quo melius in iudicio criſium *in tractatu* Critico à nobis antea recitato vos inſtituam, atq; etiam in iudicio Aſtrologiæ medicæ doceam.

EPILOGVS.

In quo integra Iatromathematicæ ſcientia paucis & ſuccincte explicatur.



Sciendum imprimis eſt, quod in cauſa ægritudinis omnis iudicii ratio petenda eſt à locis cæli, atque planetis illis qui morbi rationem indicant; quare neceſſe erit inquirere quales ipſi ſint & quomodo ſe habeant.

Quæ ſignificationem habent & corporis & morbi vti aliarum rerum, duplicia ſunt; vel enim per ſe & ſecundum ſuam ſubſtantiam ſignificant, vel aliena ratione & per accidens.

Per ſe ☾ habet ſignificationem corporis & vitæ, per accidens vero (dominii nimirum ratione) ♄ & ♂ vel alius planeta cum ſint diſpoſitores ſignificatorum per ſe.

Qui vero ſint ſignificatores nondum Aſtronomis ſatis conſtare videtur: verum enimuero quorum eſt ſententia laudanda eo ſpectat vt in corporis & vitæ ſtatu aſcendentem præcipuè ☾ & ☉ conſideremus tanquam per ſe ſignificatores; eorum vero diſpoſitores ſiue dominos per accidens.

In morbi autem natura per ſe domum 6. vel planetam in ea conſtitutum; per accidens vero eius diſpoſitorem, vna cum maleuolis qui corporis ſignificatores quocunque modo afficiunt.

Quomodo autem cum loci prædicti tum planetæ ſe habeant non niſi in multis cernitur, videlicet in cuiuſque eorum natura, in ſigno, in ſitu quem tenet planeta, qui eſt ſignificator, in propria affectione, atque in configuratione.

In ſua natura, an ſcilicet ſint maleuoli vel beneuoli, maſculini vel fœminini, nocturni vel diurni, calidi vel frigidi, &c.

In ſigno cuius nimirum qualitatis ſiue naturæ illud ſit, hoc eſt an calidum vel frigidum ſeu igneum, vel terreum, &c. Cholericum vel phlegmaticum, maſculinum vel fœmininum, &c. fixum, mobile vel commune, humanum vel beſtiale, & poſtea cui membro corporis dominetur, & quibus præſit morbis.

In ſitu, videlicet an planeta ſignificator ſit in angulo ſuccedente aut cadente: an prope cuſpidē domus & anguli vel ab angulis abſit; an in domo qua gaudet vel minus confortatur: aut ſi domus ſit huius vel illius qualitatis, naturæ, complexionis & proprietatis, item quarum rerum ſignificationem præbeat illa domus & cui corporis membro præſit.


In affectione, an ſcilicet ſignificator ſit directus, retrogr. ſtationarius, velox, vel tardus,

dus, in auge vel opposito, in meridie vel Septentrione ab ecliptica lumine vel numero, seu gradibus auctus vel diminutus an combustus, sub radiis, aut radios solaris exiens, an Orientalis vel Occidentalis; an in sua similitudine vel dissimilitudine. Item an significator fortunetur vel infortunetur, an sit fortis vel debilis, potens & an liberè vires suas exercere queat vel non. Quæ omnia pro maiori parte referuntur ad capita affectionis & configurationis, & aliqua ex parte cernitur in hoc an sit significator in domo, exaltatione, triplicitate, termino aut facie, videlicet termino vel bonorum vel malorum.

In configuratione significatorum habitudines, quas habent tum ad inuicem, tum ad alios planetas, an sit videlicet in aspectu △ ✶ □ ☍ vel ☌ aut prorsus sit vacuus, an in aspectu sit applicando, separando, vel ad vnguem positus, an sit cum receptione vel luminis translatione vel reditu: An cum impedimento vel sine: an sit frustratio, refrænatio, obsessio, luminis abscissio, distractio: an sit in signis intuentibus, imperantibus, obedientibus, vel vnius vel alterius artificio. Habenda etiam est stellarum fixarum ratio, vt si significator planeta aut domus, in qua existit stellam aliquam fixam coniunctam habeat, nam tantum præstabit illa stella quantum planeta ipse, cuius naturæ planeta ille fuerit, si cum significatore coniungeretur.

De cæteris autem, quæ ad istam artem attinent, nonne in tractatu nostro de crisium scientia, atque etiam in causa morborum cælesti ea in præcedentibus *explicata; ac denique in historia siue prognostico vrinæ non visæ satis superque exposita inuenietis? De ipsis igitur hoc in loco plura non dicemus, sed vos ad loca alia istius naturæ referemus; vt in Geomanticam prognosticandi speciem celerius musam hanc meam immergam.*





PORTIONIS TERTIÆ PARTIS PRIMÆ MEMBRVM SECVNDVM,

De Geomantica diuinandi ſpecie, libro vnico comprehenſum.

Capvt I.

In quo Geomantiæ elementa, ſeu principia, & primo præparatio hominis interni ad eam, paucis declaratur.



DE principio interno Geomantiæ loquuti ſumus *in technice macroc. hiſt. tract. 2. part. 11. lib. 1. cap. 1.* atque in *capite eiuſdem* 2 de præparatione animæ artiſtæ ad punctorum Geomanticorum proiectionem, paucis egimus. Porrò etiam *in tech. micr. hiſt.* de vero Geomantiæ myſterio tractauimus, vbi etiam aperte indicauimus, ipſam non eſſe fictam, atque forte fortuna ab antiquis inſtitutam, ſed ipſius hominis interni actu & mente diuina gubernatam.

Punctorum vero Geomanticorum proiectionem, nec non eorum in figuras 4. maternas reductionem in prædicto macrocoſmi loco, vbi de Geomantiæ compoſitione egimus *capit.* 3. expreſſam reperietis. In cuius etiam *cap.* 4. filiarum 4 ex totidem matribus, quatuorque nepotum ex illis 8. ac tum poſtea duorum teſtium ex dictis nepotibus productionem: denique vnius iudicis ex ambobus extrahendi modum, atque rationem explicaui.


In *lib. eiuſdem* 2. figurarum Geomanticarum nomina, formas atque diſpoſitiones declaraui in hunc modum.

Figura-

Figurarum Geomanticarum alia appellatur

1. Acquisitio. —
2. Amissio. —
3. Lætitia. —
4. Tristitia. —
5. Caput draconis. —
6. Cauda draconis —
7. Albus. —
8. Rubeus. —
9. Puer. —
10. Puella. —
11. Maior fortuna. —
12. Minor fortuna. —
13. Populus. —
14. Via. —
15. Coniunctio. —
16. Carcer. —

Cuius effigies est talis



Referuntur autem hæ figuræ signis Zodiaci, nimirum

- Acquisitio. ♈.
- Lætitia & minor. ♉.
- Rubeus & puer. ♊.
- Albus & populus. ♋.
- Via. ♌
- Caput & coniunctio. ♍.
- Puella. ♎.
- Tristitia & amissio ♏.
- Cauda draconis. ♐.
- Populus. ♑.
- Maior. ♒.
- Carcer. ♓.

Dies

- Saturni & ipse ♄.
  - Directus Carceri.
  - Retrogradus Tristitiæ.
- Iouis & ipse ♃
  - Directus Lætitiæ.
  - Retrogradus acquisitioni.
- Martis & ipse ♂
  - Directus Rubeo.
  - Retrogradus Puellæ.
- Solis & ipse ☉
  - Velox Maiori.
  - Tardus Minori.
- Veneris & ipsa ♀
  - Directa Puero.
  - Retrograda Amissioni.
- Mercurii & ipse ☿
  - Directus Albo.
  - Retrogradus Coniunctioni.
- Lunæ & ipsa ☾
  - Directa Populo.
  - Retrograda Viæ.

♃ & ♀ directi Capiti draconis.
♄ & ♂ Retrogradi Caudæ draconis.

Harum autem figurarum Geomanticarum aliæ sunt

- Igneæ, quæ habent ex plagis mundi Meridiem, vt alii volunt, verum quoad nos Orientem, nimirum
  - Rubeus.
  - Minor.
  - Amissio.
  - Cauda.
- Aereæ, quæ habent iuxta quosdam Orientem, at quoad nos, & rectius Meridiem, nempe
  - Lætitia.
  - Acquisitio.
  - Puella.
  - Coniunctio.
- Aqueæ, quæ vt alii putant habent Septentrionem, verum rectius & quoad nos Occidentem, videlicet
  - Populus.
  - Via.
  - Puer.
  - Albus.
- Terreæ, quę iuxta quosdam habent Occidentem, verum quoad nos Septentrionem, videlicet
  - Maior.
  - Caput draconis.
  - Carcer.
  - Tristitia.

Porro

Porro etiam iſtarum figurarum aliæ ſunt

- Omnino bonæ & fortunatæ, nimirū
  - Maior.
  - Lætitia.
  - Caput draconis.
  - Albus.
  - Puer.
  - Acquiſitio.
- Omnino malæ & infelices, nempe
  - Triſtitia.
  - Rubeus
  - Puella.
  - Amiſſio.
  - Cauda draconis
  - Minor.
  - Carcer.
- Nec bonæ omnino, nec omnino malæ, ſed intermediæ hoc eſt, nec valde bonæ, nec valde malæ, nempe
  - Populus.
  - Via.
  - Coniunctio.

Denique harum quædā ſunt

- Fortes & ſtabiles, nimirum
  - Maior.
  - Acquiſitio.
  - Lætitia.
  - Puer.
  - Albus.
  - Caput draconis.
- Debiles & mobiles, ſcilicet
  - Minor.
  - Amiſſio.
  - Triſtitia.
  - Puella.
  - Rubeus.
  - Cauda draconis
- Mediocres, hoc eſt, nec fortes nec debiles.
  - Populus.
  - Via.
  - Coniunctio.
  - Carcer.

De domuum etiam figuræ Geomanticæ naturis non aliter iudicare debemus, quam de illis Aſtrologiæ, nam vt Aſtrologia agit de conſtellationibus cœli, ita Geomantia pariter ad illas terræ configurationes ſpectare ſolet.

Sciendum igitur in hac arte, imprimis eſt, quod priores in ſcuto Geomantico domus referantur 12. Zodiaci ſignis, quemadmodum in Aſtrologia eſt explicatum, videlicet prima domus tam in Aſtrologia quam in Geomantia datur ♈ eſtque ſemper per ſe domus mobilis iuxta ſigni conditionem; ſecunda ♉ eſtque domus ratione ſigni fixa; tertia ♊ eſtque mobilis, & ſic in cæteris, ratione ordinis & proprietatis ſignorum. Atque notandum eſt, quod quando prædictæ figuræ reperiuntur in iſtis domibus, tamen nihilominus domus non mutatur à ſua natura, ſed potius figuræ naturam parumper in ſuam alterare videtur. Vnde ſtabilitum erit ſemper, quod prima domus dicetur Aries, & retinebit naturam Arietis, & ſic in cæteris domibus.

Hacuſque de elementis Geomanticis, quæ ampliori area in *tractatu noſtro de Geomantia* expreſſa reperietis. Iam vero ad ipſius in prognoſticis morboſis praxim perueniemus.

CAPVT

CAPVT II.

De regulis nonnullis ad praxim iſtam Geomanticam conducentibus.

IN primo autem practicandi loco regulas has paucas, tyroni operæ erit pretium explicare, quo ſecurius ad iſtius praxis Oceanum accedamus, & facilius vigorem ipſius recolligamus.

Regula 1.

Figuræ in Geomantia ſtabiles & firmæ faciunt rem ſtabilem & firmam, ſiue in bono, ſiue in malo, ſecundum quod figuræ inueniuntur in bona, vel in mala domo.

Regula 2.

Debiles figuræ ita dicuntur; quoniam iudicium dant debiliter & ſine ſtabilitate, nec ſunt tam bonæ & ſtabiles ac mediocres, aut pro morbo, aut pro incarcerato, aut pro grauida.

Regula 3.

Mediocres figuræ dicuntur, quoniam locum habent inter fortes & debiles, ac quia indicant quæſtionem & petitionem mediocriter; hoc eſt non totaliter in bonum nec totaliter in malum.

Regula 4.

Domus malæ figuras per ſe bonas faciunt malas, per ſe autem malas faciunt domus malæ adhuc peiores & deteriores. E contra vero figuræ bonæ in bonis domibus ſunt meliores.

Regula 5.

Figura in domo contraria, videlicet fixa in mobili, vel mobilis in fixa peior redditur in iudicio. At fixa in domo fixa, vel mobilis in mobili fortiorem reddit ſignificationem.

Regula 6.

Prima quarta è 12. domibus, videlicet domus prima ſecunda & tertia ſeu ♈ ♉ ♊ ſemper tempus vernum ſignificat, & ſic in cæteris, prout in Aſtrologia eſt declaratum.

Pro aliis regulis ad iudicium Geomanticum pertinentibus vide *cap. primum lib. 3. de Iudicio Geomantico in fine tech. macr. hiſt.* expreſſum.

CAPVT

CAPVT III.

In quo natura cuiuslibet simplicis figuræ morbifica in 6. vel 12. domo inuentæ enucleatur.

Si
o o
o
o o
o
seu Acquisitio inueniatur in domo 6. quando facta est pro ęgritudine quæstio, denotabit longum morbum, sed tamen in fine curabilem. At si in domo 12. bonum erit pro morbido.

Si
o
o o
o
o o
seu Amissio in 6. arguet euasionem à morbo.

Si
o
o o
o o
o o
seu Lætitia fuerit in 6. denotabit liberationem à morbo, si in domo 12. illud idem, sed cum difficultate.

Si
o o
o o
o o
o
Tristitia in 6. vel 12. longum morbum & incurabilem vel mortem.

Si
o o
o
o
o
Caput draconis in 6. longum morbum.

Si
o
o
o
o o
Cauda in 6. mortem aut ęgritudines magnas cum angustiis, in 12. domo mortem ægroti.

Si
o o
o o
o
o o
Albus in 6. magnum morbum.

Si
o o
o
o o
o o
seu Rubeus in 6. morbum à cholera rubra aut sanguine, vt apostemata, vlcera, calefactionem sanguinis.

Si
o
o o
o
o
seu Puer in 6. longos seu diuturnos morbos.

Si
o
o
o o
o
seu Puella in 6. denotat morbum seruorum. Porro etiam vlcera, tumores, contusiones, & similia.

Si
o o
o o
o
o
Maior fortuna in 6. arguet morbum longum.

o
Minor in 6. denotat morbos magnatum.
Si o o
o o

---

o o
Si o o Populus in 6. portendit ægritudinum multitudinem.
o o
o o

---

o
Si o Via in 6. indicabit subitaneum morbi incrementum.
o
o

---

o o
o
Si o Coniunctio sit in 6. significabit longum morbum.
o o

---

o
Si o o Carcer in 6. arguet morbum in carcere longum, aut mortem, atque etiam morbum in locis hominis secretis.
o o
o

Regula 1.

Sit pro regula generali, quod si prima figura inueniatur in domo 6. erit argumentum minoris ægritudinis, si in 12. maioris.

Regula 2.

Si duplicat prima in 5. tunc morbus est futurus: at si in 7. est de amore, si in 8. ex pauore, si in 9. ab itineratione.

CAPVT IV.

De Prognosticatione per figuras Geomanticas, quando se duplicant in domo 6. vel 12.

Si se duplicabit figura domus
- Primæ in domo 6. portendit morbum, tribulationem, timorem; si in 12. tribulationem aut morbum grauem.
- Secundæ in domo 6. denotat morbum futurum familiæ, aut pauorem, aut magnam tribulationem & morbum, si in domo 12. magnam tribulationem & morbum atque vexationem.
- Tertiæ in domo 6. tribulationem, morbos, timorem aliquem, &c. At si in domo 12. longam ægritudinem.
- Quartæ in domo 6. quod breui incidit in morbum cum magno labore, si in 12. longum morbum & angorem.
- Quintæ in 6. significat morbum per contusionem aut corrosionem, aut huiusmodi alias vias.
- Sextæ in 12. domo morbum hominum & bestiarum.
- Septimæ in 12. domo, grauem morbum & longum.
- Octauæ in 12, morbum lethalem, &c.

CAPVT

CAPVT V.

In quo generalis de defectibus corporis, & de locis ipsorum prognosticandi ratio exprimitur.

Defectus denotant figuræ in 6. domo:
- Aereæ, tactus, atque appetitus comedendi.
- Igneæ, visus & virtutis digerendi.
- Aqueæ gustandi & facultatis retentiuæ.
- Terreæ, auditus atque virtutis nutriendi.

Porro si quæstio facta sit pro ægroto, & figura ignea sit in domo 6. quæ est ægritudinis domus, & adsint duæ aliæ figuræ in sua societate eiusdem complexionis & naturæ, dices patientem habere oculorum mala & quod erit in periculo perdendi oculos. Atque ità de cæteris.

Si fuerint figuræ terreæ in 6. tota vis ægritudinis erit intra corporis membra & neruos, & plus damni afferent auditui quam aliis sensibus, atque etiam facultati comedendi magis nocebunt, vexabunt naturam, heparque male afficient, eritque grauedo membrorum à melancholia.

Si fuerint figuræ aqueæ in 6. erit morbus à putredine phlegmatica in corpore, habebitque patiens defectum appetitus, & obturabitur aluus, eruntque ipsius spiritus admodum debilitati, & in corde deiectus: & si phlegmata fuerint sicca habebit os suum salsum & amarum, si dulcia habebit os suum dulce & multum sputum.

Si fuerint figuræ aereæ, erit morbus à nimia sanguinis abundantia, eritque aluus astricta, & rubedinem habebit patiens in facie, & habebit alia signa complexioni præternaturaliter calidæ assignata.

Si fuerint figuræ igneæ, erit morbus à rubra cholera, eritque maius malum in carne & capite, & in venis temporum dolor cum defectu appetitus, aderitque sitis, eritq; frons rubicunda & os amatum, & sic in cæteris.

Denique locus in quo morbos adest in ægroto sic cognoscitur si Rubeus, vel aut figura aliqua alia inueniatur in prima domo & non se duplicet in alia, tunc dolor seu malum est in capite, si vero veniat in domum 2. est in collo, si in 3. in brachiis, si in 4. erit in pectore, si in 5. in renibus, & sic in cæteris, vti *in Iatromathematica* nostra est dictum.

CAPVT VI.

De morbi natura, an sit curabilis nec ne.

Respice domum primam & 6. nam si figuræ earum sint terreæ arguent longam & grauem infirmitatem: si de aere aut de aqua contrarium denotabunt: si de igne grauis erit morbus, sed non adeo diuturnus. Porro si iudex fuerit ex primis 4. matribus, est malum præteritum, si de secundis est præsens, & si de tertiis erit morbus de futuro.

Si de morte patientis iudicare velimus, domus 1. 6. 8. & 15. sunt considerandæ, atque etiam figuræ in iis inuentæ. Notate ergo debemus an sint bonæ vel malæ; si enim sunt fortunatæ promittunt curationem, si malæ denotant augmentationem morbi aut mortem ægri: quæ sunt figuræ bonæ quæue malæ antea declarauimus, videlicet Cauda draconis, Puella, Rubeus, Amissio, Tristitia malæ, & earum contrariæ bonæ. Populus arguet multitudinem lugentium, Coniunctio præparationem pro sepulchro, & Carcer ipsum sepulchrum.

Si luna egrediatur de Puella & de minori fortuna, arguet sanitatem, sed Amissio de Puero mortem: sed luna in 7. veniens sanat ægrotum.

CAPVT VII.

In hoc vera & certa infirmitatis iudicia iuxta nonnullorum sententias enucleantur.

RESpicias figuram 1.domus & 6.& si sint bonæ & à bonis exeuntes arguunt liberationem à morbo. Porro duo testes & domus 5. sunt consideranda: nam si Carcer sit in domo 5.tunc erit morbus vix & cum difficultate curabilis. Præterea si tristitia cadat in domo 11. habebit patiens relapsum, atque etiam si fuerit in 2.& 6.

Si acquisitio aut caput fuerit in 7.& Cauda 8.est argumentum præsentaneæ mortis aut immediatæ euasionis.

Si via aut fortuna maior fuerit in 6.euitabit periculum.

Si populus fuerit in domo 12.ex duobus albis confectus, aut duobus coniunctionibus, aut duabus viis, aut ex duobus carceribus, aut duobus rubeis, aut de duabus amissionibus, aut duabus caudis, denotabit mortis periculum & populi planctum super mortuum. Albus denotabit fœminas lugentes, Coniunctio fabricam tumuli seu præparationē, Carcer fossæ seu sepulchri facturam, Rubeus mortem & sanguinem aut ignem.

Item si Rubeus sit in domo 8.aut 4.siue Amissio, arguet mortem violentam ratione possessionum aut latronum.

Si Puella sit in Coniunctione cum ipsis, arguit quod bona, seu possessiones mortui erunt in lite, & manibus lictorum iustitiæ.

Item via significabit pompam, quæ erit in mortui sepultura facta, & Amissio candelas aut faces accensas. Cauda draconis auulsionem capillorum, quam facient fœminæ pro defuncto.

At si Populus est de duplici fortuna maiori, aut de duplici lætitia, aut duplici Pueto, arguit populum in domo infirmi.

Si figura 6.se duplicat in domo 1.arguet caput magis dolere quam aliquod aliud membrum, atque sic de aliis corporis membris, videlicet si in 2. vel ♉ collum, &c.

Si Rubeus fuerit in 6. proiiciet æger sanguinem per nares aut per alium locum.

Si Carcer, aut Tristitia fuerint in 6.domo, aut fortuna minor, remouebit lectum versus partem significatam per figuram.


Si figura 6.se duplicat in 7.proueniet morbus ratione famis: at si in 8.à timore. Atque hoc idem est intelligendum de aliis domibus.

Si figura 6.domus se duplicat in forti domo erit infirmitas longa, & diu erit priusquam euadat. At si se duplicat in domo mediocri, morbus durabit non nisi tempore mediocri: at si in domo mobili, tunc cito finietur morbus.

Si figura 6.domus sit masculina, & si duplicauerit in domo forti, ægrotus languebit & in fine morietur: at si se moueat in mediocrem aut mobilem, morietur citius.

Plura de ista prognosticandi specie hoc in loco non dicam, quia scio paucos fore qui fidem ei adhibere velint: at dico ego iis non artem sed potius artistam spurium esse condemnandum: nam vltra imaginationem meam veritatem certam in ista arte inueni, cum animam ad ipsam debito modo & cum cordis sinceritate, atque mundanorum rejectione aut obliuiscentia applicui, vti alibi satis plane indicaui.

POR-



PORTIONIS TERTIÆ, PARS SECVNDA.


Hæc pars versatur circa contemplationem membrorum ægroti, & præcipue { Faciei, de qua in vnico libello, tractat Physiognomia. Manus, atque de ista agit itidem vnico libello Chiromantia.

LIBER PRIMVS,

De signis morborum tam demonstratiuis, quam prognosticis, ex Physiognomia tractat.

CAPVT I.

Quod sacræ scripturæ de signis præter naturam Physiognomicis sparsim in multis locis egerint.



E cum animi, tum corporis, ex solo faciei intuitu perturbatione, atque intemperie mentionem fecerunt scripta sacra pluribus in locis, quibus euidentissimum nobis fit, quod Physiognomia sit vna de præcipuis in natura prognosticandi scientiis, vtcunq; vulgus ignorans eam aspernari videtur atq; deridere. Hinc ergo erat quod in philosophiæ Socraticæ atq; Pythagoricæ quam sanctissime recondebatur: & ob ipsius vtilitatem Hippocrates de ea hæc iuxta Galeni testimonium, *Qui physiognomiæ sunt ignari, anima eorum errore defatigari & confici solet.* Nec quidem mirum, si ipsius etymologiam recte obseruemus, quippe quæ (vt antiqui volunt) à γνώμη, quod est signum, & φύσις, id est natura dictitatur, nimirum Physiognomia quasi naturæ signum. Vnde constat istam scientiam (quæ per signa ipsius naturæ interiores cum corporis tum animæ dispositiones in exteriora depingit) tam à sacris & spiritu diuino ditatis quam ethnicis, & sapientia mundana, & naturali repletis esse approbatam. Hinc dixit rex Artaxerxes ad Nehemiam, *Quare vultus tuus afflictus est cum non sis ægrotus? non est hoc nisi afflictio animi tui, &c.* At si dixisset, video ex faciei atque vultus tui characteribus animum tuum esse vexatum seu perturbatum. Quare Salomon alibi, *Animus lætus bene afficit vultum, & dolore animi spiritus frangitur*; nec mirum est si perturbato animo alteretur faciei fabrica, cum teste Dauide, *Fractio animæ perturbare soleat corpus ægritudine.* Hinc alibi, *Indignatio & mœror facit vitam deficere*; vnde & Iob, *Facies mea est lutulenta & tumida facta præ fletu; denique palpebris meis adest vmbra lethalis.* Denique quod curæ, timores, horrores vehementer alterent aspectum patientis, nemo ambigere potest. At Psaltes ait, *Animus meus dolet in me, & terrores mortis accedunt mihi, timor & tremor inuadit me, obtegit me horror*; quare & alibi, *Debilitatus & alteratus sum valde, rugio præ fremitu animi mei, suspirium meum à te non est absconditum, cor meum palpitat, derelinquit me virtus mea & lux oculorum meorum.* Quo sermone arguit, quod passio & vexatio animi afficiat cor, & affectio cordis in facie appareat, & toto corpore. *Eleuasti me* (ait Iob) *ad ventum, efficis vt defluam substantia, &c.* Infinita alia sunt indicia, quibus natura hominis interna suas per signa exterius exprimit passiones, quod quidem opus est integrum Physiognomiæ subiectum, de quo *isto in libello* plenius.

[Margin: *Nehem. 2. 2.* — *Prou. 15.* — *Psal. 69. 21.* — *Psal. 31. 11.* — *Iob. 16. 16.* — *Psal. 55. 5.* — *Psal. 38.* — *Iob. 30.*]

CAPVT II.

Quomodo complexiones cum naturales, tum præternaturales, mediante scientia ista, videlicet ex solo faciei & capitis intuitu, reuelari, atque patefieri soleant.

DE complexionum tam naturalium quam præternaturalium characteribus non modo in *tractatu nostro de Physiognomia in tech. micr. hist.* descripto, verum etiam in *superiori de signis demonstratiuis tractatu* seu *libello* satis copiose egimus, & tamen vt de iis paucis atque breuiter hoc in loco discurramus necessarium erit. Quare prius de illis naturalibus, ac deinde de præternaturalibus loquemur: & in primo loco cum natura Orientali exordiar, quæ consistit magis vel in natura Solari & quasi Subsolani, vel æquali portione de dispositione Martis & Solis participat, & est quasi Euri, vel in natura Martiali plus turget, & quasi Cæciæ afflatu exuberat.

Hæc 3. sunt signa generalia, Physiognomica, complexionẽ chollericam citrinã & Martialem arguentia

- Color
  - Aurium & cutis faciei
    - Ferrugineus.
    - Fuscus.
  - Capitis capillorum
    - Niger instar corui, & quo nigrius est caput, eo choleram intentiorem denotat.
    - Crispi sunt capilli, & tunc denotant choleram in 4. gradu.
  - Oculorum niger cum multitudine albedinis in conspectu vt plurimum, & albedo citrina.
  - Frontis ad nigredinem vergens.
  - Barbæ niger.
  - Linguæ ferrugineus & citrinus.
  - Corporis vniuersi ferrugineus aut fuscus.
- Figura habens
  - Frontem remissam.
  - Faciem macilentam & tenuem.
  - Nasum directum & aduncum.
  - Os rotundum.
  - Labia larga.
  - Manus subtiles.
  - Digitos longos.
  - Cutem duram per vniuersum corpus.
- Statura mediocris, & corpulentia macilenta.

Signa Physiognomica choleræ rubræ sunt color

- Faciei pallidus, vt in phlegmaticis.
- Cutis pulcher cum lentigine.
- Capillorum ruber tam in capite & palpebris quam alibi.

Tria ista communia signa Physiognomica probant complexionẽ sanguineam, Iouialem, seu Meridionalẽ

- Color, nã
  - Facies rubicunda, rosea, rubra cum albedine mixta.
  - Labia rubra & rosacea.
  - Capilli Alboflaui vt plurimum, aut nigrofusci.
  - Frons & barba sunt vnius coloris.
  - Aures sunt rubicundæ.
  - Oculi albocærulei, nigro fusci.
  - Vngues sanguine pleni.
  - Lingua rubra.
- Figura, nã ipsis sunt
  - Frons larga, obliqua seu conuexa.
  - Genæ rotundæ seu pingues.
  - Nasus directus.
  - Labia densa.
  - Aspectus modestus.
  - Dentes albi, æquales, bene ordinati.
  - Collum pingue.
  - Cutis crispa & mollis.
  - Brachia & tibiæ pingues.
  - Manus & membra crassa & compacta.
  - Pedes pingues non longi.
- Statura satis procera & compositio corporis pinguis & adipe repleta.

In san-

In sanguineis nigris est
- Colore
  - Facies fusca & adusta.
  - Genæ rubicundæ.
  - Capilli nigri in capite & palpebris.
- Habitu corporis pinguis & corpulentus vt antea.

Ista 3. signa sunt generalia Physiognomica cōplexionis lunaris, seu Phlegmaticæ seu Occidentalis
- Color, nāque sunt ei
  - Facies pallida, alba.
  - Capilli subflaui aut albicantes, molles & tenues.
  - Pili palpebrarum ad flauedinem vergentes.
  - Barbæ pili subflaui aut eburnei.
  - Labia pallida.
  - Cutis alba & clara per vniuersum corpus.
  - Oculi glauci, & grisei seu cineritii coloris.
  - Lingua pallida.
- Figura, nā huic complexioni sunt
  - Facies ad pinguedinem vergens, sed non tam pinguis vt sanguinea.
  - Vultus sobrius & modestus.
  - Capilli & pili corporis molles & tenues.
  - Nasus magis curtus quam sanguineo, & vt plurimum acutus in anteriori parte, & largus in posteriori.
  - Labia densa.
  - Collum densum & pingue.
  - Brachia & manus vt in sanguineo.
  - Oculi & caput vt plurimum morbis subiecta.
  - Halitus seu spiratio dulcis.
  - Manus & vngues pulchri & bene compositi.
- Statura, nam tales sunt
  - Vt plurimum homines paruæ, aut saltem mediocris staturæ.
  - Personæ bene compositæ & constitutionis bonæ.

Tria sunt signa Physiognomiæ generalia de complexione melancholica Saturnina seu Septentrionali; nempe eius
- Color
  - Faciei & vniuersi corporis liuidus & plumbeus.
  - Capillorum eburneus, niger & citò canescens.
  - Oculorum subflauus.
  - Labiorum atque nasi pallidus & mali habitus.
  - Linguæ plumbeus.
  - Excrementorum plumbeus.
- Figura, nā tales homines habent
  - Iuncturas magnas per vniuersum corpus.
  - Ossa magna.
  - Faciem largam cum cute magnorum granorum instar pellis bouinæ seu hirci.
  - Capillos multos duros.
  - Aures grandes & pendentes.
  - Frontem rugosam & pendentem.
  - Pilos multos in palpebris, qui deorsum super oculos instar tecti prominent.
  - Oculos profundos & aperte prospicientes.
  - Nasum magnum, & labia grandia.
  - Dentes magnos instar dentium equorum.
  - Os magnum.
  - Collum instar corii.
  - Magnas manus.
  - Tibias longas.
  - Genua magna, neruis, venisque repleta.
- Statura, quippe cuiusmodi sunt
  - Statura largi.
  - Iuncturis magni in toto corpore.
  - Ossibus grandes.
  - Macilenti & non corpulenti.

CAPVT

CAPVT III.

Quo temperies capitis, & aliarum partium naturales, per considerationem Physiognomicam exprimitur.

Temperaturæ hominum & præcipue cerebri, q̃ à Physiognomia deteguntur, sunt vel

- Naturales, q̃ sunt
  - Compositæ, eę vel
    - Sanguineæ seu Meridionalis, atq; his sunt
      - Capilli recti subflaui & nõ facile calui.
      - Venæ faciei plenæ.
      - Carnositas sanguinea.
      - Vigiliæ graues & in somno grauitas.
      - Multitudo superfluitatum.
      - Auster aduersus, at Aquilo optime cum iis se habet.
    - Cholericæ, & hisce adsunt
      - Prima capillorum generatio celer.
      - Vigilia multa.
      - Capilli crispi & nigri & multi.
      - Caput contactu calidũ cum asperitate.
      - Macies corporis.
    - Phlegmaticæ, atq; iis sunt
      - Caput frigiditati, repletioni atque distillationi obnoxium.
      - Excrementorum superfluorum redundantia.
      - Grauedo capitis.
      - Pinguedo fluida.
      - Caluities nunquam accidit.
      - Capillorum multitudo.
    - Melancholicæ, atq; huiusmodi
      - Superfluitatum multitudo.
      - Venis in facie carent.
      - Caro frigida & dura.
      - A frigidis facile læduntur.
      - Vigilia multa.
      - Facile grauedine & distillatione ob minimam causam capiuntur.
      - Cito caluescunt, & pauci atque plani pili.
      - Color fuscus.
  - Simplices, eæque vel
    - Calidæ, in quibus
      - Infantib. statim oriuntur capilli suntque flaui, nisi cerebrum sit multum calidum.
      - In adolescentia nigri & robusti atque crispi euadunt.
      - Excrementa sunt pauca per nares, oculos, aures, eaque concocta.
    - Frigidæ, quib⁹ adsunt
      - Plura in propriis meatibus excremẽta.
      - Capilli recti, fului vel fusci, stabiles, qui longe post natiuitatem fiunt tenues.
      - A frigore facilis offensio, distillationibus & grauedinibus perturbatio.
    - Humidæ, atque hisce sunt
      - Capilli plani & nequaquam calui fiũt.
      - Sensus turbulenti.
      - Excrementorum multitudo.
    - Siccæ atq; talibus hominib. adesse solent
      - Paucæ superfluitates.
      - Sensuum sinceritas.
      - Ad vigilias promptitudo.
      - Capilli robusti & celeriter crescentes, crispi potius quam recti, & cito caluescentes.
- Præternaturales, vide A.

De naturalibus cerebri temperamentis atque aliarum partium Galenus more Physiognomico optime in *tractatu suo de arte Medicinali* à c. 10. ad 80. satis egit. At quoniam nostrũ est, de illis præternaturalibus agere, ipsas *capite sequenti* plenius pertractabo.

CAPVT

CAPVT IV.

De temperiebus capitis & totius præter naturam more Physiognomico expressis.

EGimus in *libello de signis demonstratiuis*, de illis physiognomicis complexiones 12. indicantibus in genere tam præter, quam secundum naturam: hic vero de illis solummodo, quæ ad capitis temperaturam præternaturalem spectant, verba efficiemus perpauca.

- Ex complexionibus præternaturam se habentibus
  - Sanguinis in capite dominii
    - Signa physiognomica sunt
      - Dolor capitis acutus & vehemens.
      - Oscitationes, nausea, somnolentia.
      - Caput contactu calidum.
      - Sensuum perturbatio, & tarditas intellectus.
      - Pulsus circa tempora.
      - Venæ plenæ & tumidæ & spontanea lassitudo.
      - Linguæ color ad rubedinem vergens.
      - Facies rubea & subliuida.
      - Alba oculorum rubentia & sanguinea.
      - Os atque sputum dulce.
      - Grauitas corporis, oculorum, capitis & temporum.
    - Effectus morbidi sunt
      - Pustulæ rubræ.
      - Morphæa rubra.
      - Sanguinis eruptio è naribus & gingiuis, & huiusmodi alia.
  - Choleræ caput replentis
    - Signa physiognomica sunt
      - Dolor acutus & pungens in anteriori capitis parte.
      - Caput & tempora contactu calida.
      - Narium ariditas.
      - Facies citrina, & subcitrina.
      - Oris & sputi amaritudo.
      - Nausea inappetentia.
      - Linguæ siccitas & citrinitas.
      - Liquor per nares transiens, vrens & pungens.
      - Oculi citrini.
      - Horripilatio instar acuum.
    - Effectus morbidi sunt
      - Causos.
      - Tertiana.
      - Ictericia, & huiusmodi alia.
  - Phlegmatis in capite abundantis
    - Signa physiognomica sunt
      - Color albus, laxitas & mollities membrorum.
      - Dolor in anteriori vel sinistra parte capitis grauatiuus.
      - Grauitas, pigritia capitis & sensuum.
      - Somnolentia.
      - Linguæ albedo.
      - Facies pallida vel subpallida.
      - Albedines oculorum expresse albæ.
      - Hebetudo sensuum.
      - Oris & saliuæ insipiditas si sit phlegma insipidum, si dulce dulcedo, si salsum salsedo, si acidum aciditas.
      - Denique saliuæ multitudo & viscositas.
    - Effectus morbidi sunt
      - Quotidiana.
      - Apoplexia.
      - Paralysis.
      - Morphæa alba, & huiusmodi alia.

- Melancholiæ caput replentis
  - Signa physiognomica sunt
    - Sanguinis nigredo & crassities.
    - Dolor grauissimus & densissimus.
    - Facies alba & quandoque fusca.
    - Albedines oculorum liuidæ & subnigræ.
    - Lippitudo & tenebrositas oculorum.
    - Tinnitus aurium.
    - Sputum in ore acidum, linguæ nigredo.
    - Vigiliarum instantia & solitudo.
    - Caput contactu frigidum.
    - Eructatio acida.
    - Stupor & pigritia in capite & sensu.
  - Effectus morbidi sunt
    - Quartana.
    - Pusillanimitas.
    - Morphæa nigra, Morbus splenis.
    - Melancholia. Et huiusmodi alia.
- Vbi vero melancholia oritur ab adustione, ibi adustionis
  - Recentis signa sunt
    - Facies subnigra, macilenta.
    - Oris siccitas cum siti & acredine.
    - Pulsus velox & durus.
    - Extenuatio corporis.
    - Vultus mœstitia.
    - Tensio præcordiorum à flatu.
  - Veteris signa sunt
    - Alba oculorum subnigra.
    - Caligo quandoq; oculorum, & velut muscæ apparent præ oculis.
    - Tinnitus aurium.
    - Vigiliæ instantes.

CAPVT V.

Quod tractat de signis nonnullis obiter in Physiognomia contingentibus, quæ intemperiem, & ad morbum inclinationem arguunt.

PHysiognomici concludunt, quod oculorum distillationes atque rubore inflationes arguant humiditatem cerebri & phlegmatis abundantiam: & quod crassities atque amplitudo narium arguant hebetudinem, stoliditatem & amentiam. At vero quando nasus est liuidus vel rubeus, aut sane rubeis fibris intertextus seu punctulis, arguit egregiam hepatis caliditatem atque morphæam: sic facies etiam rubea complexionem calidam; at plumbea siue lucida atream bilem, vt & alba frigidam & phlegmaticam.

Porro etiam sunt & alia signa physiognomica absolute medica & ad prognosticum medicinale spectantia, cuiusmodi sunt ista *in regulis sequentibus* expressa.

Regula 1.

Gal. 9. met. med. c. 5. Faciei & corporis color rufus, venarum amplitudo & distensio, cutis totius corporis tensio, lassitudo in visu, singulorum membrorum iners motus seu grauitas arguit vasorum plethoram seu plenitudinem.

Regula 2.

Gal. 5. loc. aff. 5. & 9. met. med. 2. Sensus tristis, facies decolor & prætumida, & dolor grauatiuus post cibum assumptum indicant obstructiones.

Regula 3.

Aph. 13. & 3. de cris. c. 2. 3. 4. & 1. de cris. c. 14. Lachrymæ inuoluntariæ, labij siue alterius membri agitatio, obliuio præteritorum, præsentium ignorantia, multus æstus & vehemens rigor, difficilis anhelitus, dolor capitis, &c. si in acutis circa diem criticam contingunt, denotabunt crisim futuram per eiectionem.

Regula 4.

3. de Cris. c. 3. ad 33. proq. a 1. Oculorum hebetudo atque lachrymæ, nares rubicundæ hypochondriorum sine dolore tensio, difficultas spirandi, inflammatio & dolor capitis percussiuus: nares prurientes, atque faciei, temporumque dolor, in morbis acutis prope diem criticum præsagiunt crisim futuram per sanguinis è naribus profluuium.

Regula

Regula 5.

Decoloratio faciei, difficultas respirationis, capitis dolor, labii inferioris agitatio, saliua multa & tenuis, tensio hypochondriorum; in acutis & circa diem criticum ostendunt quod crisis breui debeat fieri per vomitum. *ad Glauc.* 15. *Haly* 10. *theor.* 9.

Regula 6.

Si in die critico horripilatio accidat post euacuationem, denotat crisim bonam. *Hipp. Gal. locus praallegatis.*

Atque infinita sunt alia signa physiognomica, non modo crisis futuræ naturam & meatum, sed etiam morborum futurorum rationem, & præsentium dispositionē indicare solet. *3. de cris.* & *Aph.* 20.

Qui autem Physiognomicæ characteres mortis futuræ præsagiunt ictum *in capite isto sequenti* explicabo:

CAPVT VI.

Physiognomica mortis signa isto in capitulo in ordine canonum, siue regularum explicantur.

Regula 1.

A Philosophis præstantioribus, Medicisq; peritioribus inuentum atq; comprobatum reperitur, quod si in ægrotantis siue languentis oculi pupilla idolum siue imago pro solito non compareat, certum sit interitus instantis argumentum.

Regula 2.

Si oculi in suis fossis seu foraminibus se abscondant, seu profunde se immergant, erit mortis indicium; nisi pulsus testetur contrarium: nam lethalis fumus à cerebello per optici ramos penetrans in duritiem crystallinam contractiuam redditur, vnde oculi more conuulsiuo ad interiora trahuntur.

Regula 3.

Si oculorum color in cæruleum siue azureum vel rubeum grauiter ægrotante homine conuertitur, est mortis cito superuenturæ indicium.

Regula 4.

Quando nasus in acuitatem subito, idque cum pallore migrat, grauiter laborante ægroto, mortis instantis indicat periculum: similiter si eiusdem tortuositas aut depressio adsit 1. *prog.* 7. & 12. Item distillatio aquæ citrinæ ex naso.

Regula 5.

Si os obseruetur modo largo hiare ac si mandibulæ inferioris membrana esset laxa, idque præcipue vbi rebellis adest morbus, mortem breuiter futuram prognosticat.

Regula 6.

Si dentes fiant tenuiores atque longiores quam pro solito, atque etiam rugosi sunt facti ac si lima fricarentur, indicium est mali finis. Porro etiam si gingiuarum caro denigrescat hoc idem portenditur.

Regula 7.

Si cutis faciei & aliorum membrorum conuertatur in colorem pallidum seu liuidum aut cineritium; arguit malum omen infirmo.

Regula 8.

Si subito admodum languescente ægroto post longum pallorem facies atque mammillæ deueniant rubicundæ, indicatur patientis casum esse desperatum.

Regula 9.

Si in profunditate, seu vigore ægritudinis halitus seu spiratio fœtore notabili sit correptus, est equidem mortis instantis argumentum.

Regula 10.

Cum grauiter ægrotans in sermone suo balbutire videtur, aut cum plenum vocabulū sine hæsitatione pronuntiare nequit, mortis periculum imminere docet experientia: similiter vox præter solitum parua & nimia taciturnitas.

Regula 11.

Si respiratio trahatur à profundo cum fumoso suspirio malum arguitur omen.

Regula 12.

Si radices capillorum atque vnguium, dentium ac plantarum pedum præter consuetudinem decolorentur, & obfuscentur in ægritudinis profunditate, malum erit.

Regula 13.

Si intestinum rectum egredi aut per anum cadere tentat ratione humoris vel acidi vel acris, timendum.

Regula 14.

Si facies & labia subito conuertantur in colorem pallidum cerusæ haud dissimilem, erit quidem interitus signum si contingat cum insigni debilitate.

Regula 15.

Tenebrositas albedinis oculorum, seu ablatio visus & palpebrarum tortura, similiter tortuositas & strabismus in acutis malum.

Regula 16.

Paruitas vnius oculi, lachrymæ inuoluntariæ, & maxime vnius oculi, sicca lippitudo & intuitus fixus, vehemens oculi apertio, pustula alba sub oculis apparens. Hæc omnia sunt signa mala 1.*prog.* 5.7.10.1.*ad Glauc.* 2.1.*cris.* 14.*lib.* 3.*c.* 2.

Regula 17.

Facies tornatilis in acutis, fluxus ventris sine vigiliis aut fame causantibus, malum.

Regula 18.

Somnus cum palpebris apertis, & siccitas palpebrarum, malum.

Regula 19.

Auris exiccatio, inuersio & contractio 1.prog.7.perditio auditus 7. *Aph.* 69. si in acutis lethale.

Regula 20.

Dentium confricatio, color eorum liuidus & viscosus 1.*prog.* 21.4.*Aph.* 53. frequenter absque causa mundare dentes, Rhasis 31.*cont.tr.* 1.in acutis malum.

Regula 21.

Post sudores horrescere malum, & sudor frigidus in acutis maxime circa collum & caput, 1.*prog.* 26.

Regula 22.

Denigratio linguæ, fœtor oris 1.*loc.aff.c.* 5.Rhas.*tr.* 10.*c.* 21.tortuositas labij 1 *prog.* 12.os apertum (vt antea) sine oscitatione 1.*prog.* 10. 17.27. Granum, sicut cicer supra linguam cum desiderio rerum calidarum, Auic.2.*quarti tr.* 1.*c.* 61.signa sunt mortis.

Regula 23.

Contractio testiculorum & virgæ 2.*prog.* 10.

Regula 24


Vapor ex cute calidus cum frigido anhelitu *com.* 2.*in* 6.*de morbis vulg.* 30. frigiditas extremorum in acutis 7.*aph.* 1.

Regula 25.

Singultus qui sequitur vomitum humoris simplicis vel fluxum ventris: similiter fluxus ventris multus cum debilitate virtutis: atque icteritia ante 7.diem cum macie, &c.

Hic ergo habetis ea signa physiognomica quæ ad medicinæ prognosticon spectant. Iam vero restat vt ad ea procedamus quæ ex chiromantica speculatione deriuantur, de quibus *liber* iste *sequens*.

POR-



PORTIONIS TERTIÆ, PARTIS SECVNDÆ LIBER SECVNDVS:

De signis, siue præsagiis Chiromanticis.

CAPVT I.

Medica Chiromantiæ definitio: & de malesana eorum sententia, qui ignorato artis istius mysterio, eam ignoranter culpare, accusare, atque condemnare aggrediuntur.



T Chiromantia in definitione generali traditur esse *scientia naturalis, per quam ex docta manuum inspectione de rebus præsentibus, præteritis & futuris diuinatio fieri solet*: ita nos quidem respectu huius nostri propositi & definitione magis peculiari dicimus ipsam *esse scientiam, quâ per manuum lineamenta tam salutarem quàm morbidam hominis dispositionem tùm præsentem intelligit, tùm futuram prævidet artista.* Nec quidem curamus, chymicos illos & scientiæ istius tam nobilis ac antiquæ calumniatores, qui solent spiritu viperino eam contaminare; atque nihili pendere; quippe quorum est (quicquid sub brutalem eorum sensum non cadit) negare, irridere atque summa cum audacia condemnare, cuiusmodi est Gygas ille magis in verbis, quàm in esse, Martinus scilicet Mersennus, Monachus, qui ore duro & verbis malè atque falsò compositis, Chiromantiam diffamare, & funditus tollere est aggressus. Anne quicquam fecit, aut ordinauit Deus & natura frustra? Quid? Nonne propter finem constituit Deus cuncta? Imò verò, ait Apostolus: *Deus cunctos numerauit in capite capillos, nec quicquam inutiliter & propter nullum finem creauit.* Anne ergo lineæ in manibus vanæ & inanes? Aut ipsas in singulis personis diuersiformes pro nihilo creauit opifex æternus? At si negare non possit monachus iste lineas has propter finem fuisse conditas, & in manu signatas; dicat velim, si possit, rationem aliam, cur lineæ tales in omnibus sint taliter expressæ. Quod quidem, si nequeat facere, tunc nos audacter concludemus, veritate euidentiori ducti, quod nos intelligimus, rem ita se in lineis Chiromanticis habere, quoniam hoc non mihi & aliis huius ætatis solummodo, verumetiam Antiquitatis sapientioribus illud obseruatione multiformi est reuelatum. Sed quid verbis pluribus hac in re est opus? verbum sapienti. Quare ad propositum breuiter.

CAPVT II.

In quo Chiromantiæ Elementa breuiter remetiuntur.

EX quinque digitis primus dicitur pollex: proximus Index: tertius medius seu medicus: quartus annularis: quintus auricularis. Atque rationem talium appellationum expressimus in *Tractatu quodam Chiromantico, Sect. 2. Portio. 6. lib. 1. cap. 2. de Technica Microcosmi Historia*, vbi etiam de istis omnibus subsequentibus pleniùs legetis.

Percussio manus est illa manus pars, quâ solemus res pugno percutere: notatur in figura infrascripta.

Manus restricta, seu iunctura dicitur, vbi ea iungitur brachio, vnde restricta dicitur; quia ibi restringitur: Hæc in sequenti figura describitur.

Montes digitorum sunt singula tubera, quæ à radicibus digitorum insurgunt, & singulis Planetis seorsim attribuuntur: Describuntur in figura sequenti per ☿ ☉ ♄ ♃ ☾ ♀.

Linea media naturalis est, quæ ad indicis tuber oritur, & per transuersam manus notatur in figura *inferius* descripta per C.

Linea vitalis, vitæ vel cordis eſt, quæ ſub tubere indicis, & quaſi inter pollicem ac indicem orta manum ſecat, & ad reſtrictam tendit.

Linea hepatis ſeu ſtomachi, ſiue vt alii volunt, quos ego ſequar, cerebri ſiue capitis, eſt quaſi baſis triangularis arcæ, quam cum hac conſtituunt linea vitæ & naturalis in angulum concurrentes: oritur autem hæc linea iuxta reſtrictam ſub tubere ſeu monte pollicis, & mediam naturalem ſecando profluit ad montem ☾. His autem lineis comprehenſum ſpatium dicitur ♂, vnde & ♂ triangulus dictitatur; & per literam D. notatur iſta linea.

Linea menſalis radicem & originem habet ſub Auriculari, ea parte qua Lunæ tuber reperitur, & in ſuo proceſſu indicem petit: atque iſta nominatur etiam linea fortunæ: notatur autem per literam F. in figura ſequenti.

Menſa manus eſt illud ſpatium, quod facit ſuis dimenſionibus quadrangulum, & ſitum ſuum habet inter lineam menſalem & naturalem: & notatur per G.


Via lactea eſt linea, quæ tranſit à percuſſione verſus receptam, & per literam K notatur in figura ſeq.

Linea martialis eſt, quæ tranſire ſolet per partem montis Veneris, à reſtricta deſcendens verſus angulum inter indicem & pollicem: & vocatur etiam linea mortis; & ſoror vitæ.

Cingulum Veneris notatur per L. in figura infrà ſcripta.

Linea Saturnina eſt quæ tranſit à reſtricta deorſum ad montem ♄, & per literam H. notatur in figura iſta.

Via Solis eſt recta linea deſcendens à radice interiori annularis verſus manus cauitatem, & ſignatur per C.



Super-

Superficierum, quæ in manu continētur, tres ſunt differentię, ſcilicet

- Mons
  - Veneris, ſeu tuber pollicis.
  - Lunæ, ſeu tuber percuſſionis manus.
  - Iouis, ſeu tuber in radice indicis.
  - Saturni, ſeu tuber in radice Medici.
  - Solis, ſeu tuber in radice Annularis.
  - Mercurii, ſeu tuber in radice Auricularis.
- Triangulus Martis.
- Quadrangulus, ſeu menſa aut ſpatium inter lineam iecorariam ſeu naturalem & menſalem comprehenſum.

Capvt II.

Quot ad iudicium Chiromanticum ſint requirenda.

In intuitu, ſeu inſpectione Linearum Chiromanticarum obſeruare debemus, ipſarum

- Qualitatem, in qua colorem lineæ, & figuram eius conſiderare debemus, & in figura, an ſit curua vel recta.
- Quantitatem, in qua longitudinē & profunditatem conſideramus.
- Actionem, videlicet an vna linea aliam tangat vel ſecet.
- Paſſionem, hoc eſt, an linea ſecetur vel tangatur ab alia.
- Locum ſiue ſitum & poſitionem.

Hîc autem regulas quaſdam neceſſarias annectere ad praxin neceſſarium putamus.

Regula 1.

Notandum eſt in omnibus lineis principalibus, quòd ſi ſint rectæ & indiſtinctæ ac bene coloratæ, ſemper denotent bonitatem complexionis.

Regula 2.

Nonnulli in diurna natiuitate dextram tam viri quàm mulieris reſpiciunt, in nocturna ſiniſtram: ſed omnes ferè ſiniſtram dant fœminæ, dextram viro.

Regula 3.

Manus ſiniſtra viri lineis plenior quàm dextra, hominem indicat effœminatum.

Regula 4.

Si lineæ ſunt rubicundæ, ſignificant factum eſſe propinquum & breui venturum: ſin pallidæ, arguunt illud eſſe præterlapſum & tempus præteritum.

Regula 5.

Cùm volueris hâc arte operari imprimis aquâ calida abluas manum: deinde ſicca eam & manu tua illam frica, ac tum poſteà ſecundum lineas bene apparentes & manifeſtas iudicare oportet: Denique quod tempus, in quo manus inſpicias, ſit clarum.

Regula 6.

Non capimus iudicium ab vno vel altero indicio, ſed à pluribus teſtimoniis ſimul vnitis: Quoniam vnum indicium alteri contradicere poteſt.

Regula 7.

Si plures lineæ in digito medio, quàm alibi in parte alicuius alterius planetæ appareant, argumentum eſt, talem natiuitatem Saturni eſſe, & conſequenter conditiones ♄ habere. Atque hoc idem de aliis aliorum planetarum digitis eſt cenſendum.

Capvt

Capvt III.

Hîc signa tam salutis, quàm morbi & mortis, ex lineæ vitalis obseruatione eliciuntur; Temporisq́; , seu anni vitæ numerus, in quo tales sunt eliciendi effectus, isto in loco detegitur.

Signa, quæ ex lineæ mensalis obseruatione exsurgunt, sunt cum

Salutaria: nã indicat hæc linea, si fuerit

- Furcata versus partem inferiorem: superabundantem calorem naturalem, virtutem naturalem, & bonam complexionem.
- Longa, recta, & viuo colore induta, vitam longam, & non nisi paucis obnoxiam morbis.
- Recta, atque non diuisa aut intersecta, beneque colorata arguit perpetuam complexionem sanam & bonam.
- Longa, alta, bene colorata, & bonam habet cum linea media naturali, ac illa hepatis & stomachi proportionem: hoc est, si omnes fuerint quantitates & longitudinis debitę & coloris boni, arguit vitæ longitudinem, & bonitatem ingenii & complexionis.
- Discontinuata atque etiam naturalis adiuuat tamen vitam, si modò mensalis sit continuata.
- Rubea & splendida sanguinis abundantiam: è contra pallens & liuida.

Morbosa aut lethalia: arguit enim, si fuerit


- Breuis, discolor, liuida & tenuibus ramulis sæpe obuersa & scissa, vitæ breuitatem ac virium imbecillitatem seu valetudinem aduersam.
- Curta & breuis versus pollicem, atque etiam tortuosa & circularis, periculum: quod tamen euitabitur, si curta sit versus cauitatem.
- Discontinuata atque interrupta; infirmitatem naturalem, & extremum vitæ periculum eo anno, quem linea in decem annos diuisa notabit.
- Transiens versus montem ♃, & non se coniungens cum naturali, melancholiam & vitam solitariam.
- Confusa, habens in se capillamenta, morbos: & si inueniatur iuxta cauitatem, in media ætate.




- Cum Solis charactere vno ☉ vnius oculi amissionem: si duobus, ☉☉ duorum.
- Fossa in medio, aut si multa adfuerint puncta: mortem subitaneam. De tempore autem horum ex præceptis *infrà* descriptis possumus iudicare.



- Infra hepaticum ascendens ad Saturni vsq; tuberculum: morbum Saturninum & pestem.



- Linea quædam transiens per hanc ad Martis caueam, sic vulnera & febres.



- In eius principio cum tribus paruis lineis tortuosis eam in hunc modum intersecantibus ad lepram inclinationem.



- Contigua seu continua cum lineis paruulis in parte superioris sic corpori infirmitatem & morbos.




Sed

Sed quoniam de vitæ tempore, in quo isti expectandi sunt effectus, enucleare atque detegere videbitur difficile, ego quid de hac re Artistæ cogitauerint, paucis hîc explicabo.

Quo tempore vel anno vitæ euentura sint illa, quæ in linea vitali denotantur:

Variæ sunt opiniones, tam in ratione diuidendi lineam vitalem, quàm in petitionis termino à quo: etenim quamplurimi incipiunt numerare à restricta, atque ita progrediuntur versus lineam naturalem. Eos verò naturam magis imitari statuimus, qui à principio mediæ naturalis incipiunt. Quod verò ad ipsam diuisionem attinet, variæ circa eam proponuntur opiniones, cum alii lineam illam in 70. partes, alii in 60. alii in 10. & deinde illas iterum in alias 10. diuidere solent. Nos autem mundum eiusque diuisionem imitando, hunc arcum vitalem, si sit plenus & largus, in partes 90. seu potius 9. diuidimus: cum quarta Zodiaci pars in gradus tot diuidatur.

Hinc igitur coniicimus, quòd quanto magis ista lineæ vitalis proportio à tali circuli arcu distiterit, tantò breuiorem fore hominis vitam: nisi nimis curta & flexuosa eius figura huic regulæ obsit; vtcunque tamen talis lineæ istius figuræ effigies dispositionem arguit præternaturalem: Verùm quoniam vita humana vtplurimùm non sit durationis tantæ, & consequenter lineæ vitales tantæ perfectionis & mensuræ non nisi raro sunt inueniendæ; solemus arcum istius lineæ in 70. partes vtplurimum diuidere, si sit satis longa; sin breuior & minus proportionata, in pauciores.



Exempli gratia: Si linea interſecans lineam vitalem, & infirmitatem grauem & periculoſam preſagiens, vel foſſa mortem ſubitaneam indicans, vel puncta periculum magnum prenuntiantia, vel character vnicus aut duo ſoli, vni vel ambobus oculis damnum minantes, vel diſruptio & continuatio periculum vitæ denotans, obſeruetur in aliqua prædictarum diuiſionum, tum prædicere potes, rem illam homini euenturam circa illud ætatis tempus, quod diuiſio iſta ſignificare & denotare videtur; videlicet ſi inter 30. & 40. vel 20. & 30. vel 40. & 50. &c. Porrò etiam de anno iudicare poſſumus, ſi lineæ particulam inter 20. & 30. & ſic in cæteris, in partes magis ſimplices & diſtinctas diuiſerimus.

Capvt IV.


Hic ſigna ex lineæ naturalis obſeruatione exurgentia, tam bona, quàm mala exponuntur.

Signa, quæ ex lineæ naturalis intuitu eliciuntur, ſunt vel


- Salutaria: nã indicat hæc linea, ſi fuerit
  - Recta, indiſtincta, nec capillamentis tranſuerſaliter diuiſa aut ſciſſa: Valetudinem optimam, jecur ſanum, memoriamque bonam.
  - Longa & ad Lunæ montem vſque porrecta: Vitæ longitudinem, & quanto hæc longior, eò etiam eſt vita extenſior.
  - Coniuncta cum vitali, bonam valetudinem, complexionem bonam, virumque ingenioſum; modo ſi ſit recta à ſuo loco.
  - Proiiciens ramos in vitalem, idẽ denotat quod coniuncta, preterquam quod fiat cum diminutione facti.
  - Diuagans in forma hemicycli præter ac citra ☾ mõtem ſic quanto productior erit, tanto vitam longiorem, ſed in ſenectute egeſtatem.
- Morboſa aut lethalis: arguit enim, ſi fuerit
  - Breuis & delicata, hoc eſt, non ampla, debile iecur, & cerebrum, ac aſcendentes à ſtomacho ad caput vapores, malam animam & infidelem.
  - Tortuoſa, non ſibi conſtans, ſed inæqualis, ac diuerſi coloris, prauitatem ingenii, malam hepatis diſpoſitionem, morboſque ex hepatis debilitate oriundos.
  - Curua & concauitatem manus non pertranſiens, morbos & vitæ breuitatem.
  - Satis alta atque eleuata ſuper cardiacam, cordis intemperiem, cum palpitatione ac ſyncope.
  - Cum radiis à Marte exurgentibus, vehementem hepatis inflammationem.
  - In medio ſignata cum cruce ✝ mortem vicinam.
  - Furcata verſus vitalem, naturam malignam & nimium calorem.
  - Non coniuncta cum vitali, cerebrum leue, phantaſticum, furioſum.

Proiici-

Proiiciens ramos intersectos, ita videlicet vt rami ab ea versus vitalem progredientes ab aliis quibusdam lineis intersecentur, phantasticum & ad iracundiam pronum.



Intersecta multis lineolis in hunc modum vitam breuem.




Habens in se puncta, damnum oculorum.



Demonstratio temporis seu ætatis, & ferè anni, in quo signorum istorum effectus euenire debet.

Diuidatur linea naturalis in tot partes, in quot vitalis erat distributa, incipiendo numerationem talem à monte indicis, & progrediendo versus illum percussionis, seu ☾ hoc modo:



Si ergo signum cadat sub Annulari, significat rem futuram in ætate declinante, si sub medio seu medico, in virili, sub indice in pueritia, sub Auriculari, in vltima senectute.

CAPVT V.

Describens signa tam salubria, quàm insalubria, quæ linearum Cephalicæ, Mensalis & Restrictæ dispositiones producere atque depingere animaduertuntur.

IN hoc capite linearum trium ex naturalibus vltimarum signa cum vitæ longæ & salutis, tum morborum, mortis propinquæ, atque vitæ breuis, secundum Scriptorum antiquorum testimonia, quam recentium experientiam patefacere conabor.

De ipsis igitur in ordine sic:

Quam alii, videlicet Tasnerus, lineā hepatis vocat, aliis Κεφαλικὴν seu capitis vel cerebri vocant: & videtur esse Trianguli Martialis basis: Nam quod ad me attinet, credo ego lineam mediam naturam esse illam hepatis, quatenus hepar æstimatur esse facultatis naturalis fons, quare linea naturalis ad illud aptius referri debet.

Signa, quæ ex lineæ cephalicæ dispositione oriuntur, sunt vel
- Salubria, nam indicat, si fuerit
  - Proiiciens in montem Lunæ rimulas seu lineas æquales, bonam cerebri constitutionem.
  - Coniuncta notabili concursu Restrictę, prudentem, & lætam senectutem.
- Morbida, arguit enim, si fuerit
  - Iuncta cum vitali & non cum naturali, indigestionem.
  - Pura, clara, & non vnita vni vel alteri lineæ modò dictæ, debilitatem cerebri.
  - Proiiciens in montem ☾ rimulas inæquales & compositas, in viro debilitatem, in fœmina animi dolores, atque in partu labores.

Signa, quæ ex lineæ menſalis obſeruatione exurgunt, ſunt etiam

- Salutaria, nam indicat, ſi fuerit
  - In proprio loco, bene diſpoſita, bonitatem & procreationem infantum: extra ſuum locum, contrarium.
  - Longa ſatis, & ſine interſectionibus æqualis, alta & recta, bonam naturæ qualitatem, debitumq; mẽmbrorum in homine principalium robur.
- Morbida, arguit enim iſta linea, ſi fuerit
  - Formata è pluribus lineis verſus quadrangulum, naturam malignam ex nimio calore.
  - Coniuncta cum vitali, capitis ſectionem ab inimicis.
  - Finita in medio montis Saturni, & groſſa in fine ſine ramis, ictum in capite, & mortẽ ex eo.
  - Proiiciens ramum inter indicem & mediũ, viro vulnus capitis, fœminæ periculum in partu.
  - Finita verſus medium indicis, naturam iracundam.
  - Bifurcata verſus indicem, vitam laborioſam.
  - Breuis, curta, inſciſa, contorta ac diſſecta, malam naturam & membrorum debilitatem.
  - Extenſa vltra medietatem tuberis indicis, ita vt tangat vel ſecet montem ♃, vehementem iracundiam.
  - Diuiſa ita vt vna pars reſpiciat lineam mediã naturalem, alia verò montem ♄ varium vitæ periculum.
  - Inſecta à linea directè à quadrangulo ad montem ♄ aſcendente, atque paruam illîc crucem ſic habente, mortem coactam.
  - Annexa Cardiacæ deficiente Cardiaca aut lethale vulnus, aut capitis truncationem.
  - Lineis confuſis conſpicua, ægritudines, ſub monte ☿ in prima ætate; ſub monte ☉ in virili, ſub ♄ in ſenio.

Signa, quæ ex lineæ reſtrictæ obſeruatione oriuntur, ſunt vel

- Salutaria, nam ſi
  - Habet in ſe hæc ſigna + aut *, vitæ tranquillitatem in ſenio ſignificat.
  - Proiiciat lineam ad naturalem, morum integritatem & vitæ longitudinem arguit.
- Morbida, arguit enim iſta linea, ſi fuerit
  - Tortuoſa, perpetuam ſeruitutem & laborem.
  - Inſciſa, tortuoſa & nimis pallida, corporis debilitatem.
  - Tortuoſa verſus reſtrictam, vel etiam verſus Hepaticam, laborem durum.

Caput

CAPVT VI.

De quatuor lineis accidentalibus.

Signa morbida à lineæ prosperitatis, seu vitæ, aut lineæ ♄ obseruatione orientia sunt: Si —— ——

- Procedat à recepta versus montem ♄ arguit infirmitatem ac dolorem neruorum, aut aptitudinem ad eos.
- Non sit continua & recta, ad febrilem dispositionem procliuitatem.
- Existat tortuosa aut duplex, hominem ad morbum Gallicum esse pronum indicat.
- Iungatur cum radice medij digiti, infirmitatem & humorem significat melancholicum.
- Recuruetur in manus concauo in semicirculum versus ferientem seu percussorem, præsagit hominem fore ad cancrum pronum.

Signum vnicum in apparitione viæ lacteæ malum notatur, videlicet, si illa est discontinua & disproportionata, cerebri debilitatem significat, idque præsertim in mulieribus: è contra vero, vbi illa est continuata & proportionata, fortitudinem.

Similiter si cingulum Veneris compareat (quod est linea semicircularis, transiens ab interstitio indicis & medii digiti ad spatium inter annularem & auricularem) dissectum turbatumque, in monte ♄ damnum prædicit & periculum à scortatione, & huiusmodi aliis negotiis libidinosis.

CAPVT VII.

In quo signa tam salubria, quam insalubria ex parte arearum, quæ dicuntur triangulus & quadrangulus explicantur.

Signa depromuntur ex inspectione trianguli, tam —— ——

Bona & salutaria, nam

- Quanto est concinnior, tanto est hominis temperamentum & ingenium felicius: vitaque ipsius longior seu protractior.
- Si habeat angulum superiorem rectum nec acutum nimis: significat optimum cordis temperamentum: è regione miseriam, si nimis acutum, & vitalem tangens.
- Si in spatio inter lineas triangulares habeat planitiem; bonam complexionem arguit, idque maxime, si bene coloretur.

Mala & morbosa, nam

- Si spatium vel area eius, lineis triangularibus inclusa, non sit plana, & præsertim vbi male coloretur, denotat frigiditatem & diminutionem caloris naturalis.
- Si habeat lineam superiorem versus mensalem cæteris longiorem versus pollicem, atque grossiorem, indicat spiritum ad iracundiam pronum.
- Si fuerit interruptus aut deficiens in aliqua vel pluribus partibus, importat vitæ breuitatem.
- Si habeat lineam proiicientem in montem ☾ rimulas inæquales atque incompositas, in viro arguit cerebri debilitatem: in fœmina multos animi dolores, & præcipue in partu.
- Si sit longus versus partem superiorem circa finem, hoc est, circa vitalem lineam, transiens per montem ☾ versus basin: Significat mortem vel submersionem in aqua.

Signa ex quadranguli obseruatione, sumuntur vel — —
- Salutaria & bona nã ipse
  - Incisuras & rimas habens coloris viui, arguit vitæ æquitatem & bonam temperiem: è contra naturam iniquam.
  - Amplus & latus, decentique figura: indicat longæuum.
- Morbida & mala, nam: si fuerit —
  - Angustus & exilis, timiditatem & exilem fortunam.
  - Talem comprehendent figuram (c) denotat malum oculorum.

Capvt VIII.

De signis, quæ ex planetarum montium, videlicet in manu tuberum obseruatione exurgunt.

MVlta etiam tam prospere, quam aduersæ valetudinis signa ex signis planetarum in manu fortunatis, atque infortunatis decerpuntur. Signa autem planetarum sunt, quæ in montibus vel locis planetarum, hoc est, in digitorum tuberibus inueniuntur; Si igitur signa siue lineæ in montibus repertæ sint æquales, vel characteres pulchri cernuntur, planetam felicem denotant. Sin lineæ sint turbatæ, & inconsuetæ, dedecorantur, atque infortunati dicuntur.

Signa Planetarum in montibus & digitis planetarum reperta, eos vel —
- Faustos significantia, sunt — —
  - Crux. ✠.
  - Stella. ✳.
  - Lineæ parallelæ tres vel plures. III.
  - Scala.
  - Ramusculus.
  - Quadratum. □.
  - Character. ♃.
- Infœlices arguentia, sunt — —
  - Semicirculus. C.
  - Craticula.
  - Character Saturni. ♄.
  - Capillamenta. ſ ſ ſ ſ ſ.

Si signa infortunata appareant in monte & digito Saturni, minantur — —
- Casum ab alto.
- Periculum vitæ in aquis.
- Ex morbis
  - Catarrhos.
  - Phthisim.
  - Melancholiam.
  - Passionem Hypochondriacam.
  - Hydropem.
  - Podagram.
  - Morbum caducum.
  - Denique arguit ipsum hominem esse conditionis Saturni, & consequenter ipsius morbis maxime subiectum: idque præcipue, si adsint lineæ plures in digito eius, qui est medius, quam in aliis, si per prædicta signa animaduertatur ipse esse infortunatus.
  - Huc spectant omnes morbi Septentrionales.

Si

Si signa infœlicia appareant in monte & digito Iouis, denunciant quandoque
- Apoplexiam; quando linea transuersum montem eius scindens, & ad montem ♄ abiens, ibi capillamenta faciat.
- Dolores cordis:
- Spasmum.
- Peripneumoniam, & vitia alia ex ventosa meridiei natura.

Mars in manu infeliciter per signa sua expressus, protendit
- Febres:
- Pustulas.
- Oculorum cutisque fœditatem.
- Apoplexiam, dominante Euro in :::...:
- Ignem sacrum.
- Vulnera.
- Cogitationes turbidas.
- Cum aliis morbis orientalibus.

Sol malis signis in manu expressus, prognosticat
- Fluxum ad oculos.
- Cordis tremorem:
- Syncopen:
- Cum cæteris morbis Solaribus, ex parte Orientis.

Venus etiam ab infaustis signis expressa in dictis manus locis, arguit morbos; ei in Iatromathematica nostra assignatos.


Mercurius signis maleuolis in monte suo significatus, arguit
- Maniam:
- Furorem.
- Morbos oculorum:

Luna infortunata per signa in suo monte explicata, significat
- Paralysim.
- Membrorum commotionem.
- Epilepsiam:
- Cholicam.
- Humiditatis abundantiam; cum cæteris morbis occidentalibus.

Atque ita breuiter, (ne iuxta vulgi ignari sententiam, circa ea quæ imaginaria seu superstitiosa potius, quam in veritate fundata, discursum efficerem nimis tædiosum) tractatum hunc nostrum; de Chiromantia medica, quamuis abrupte, hic finiam, vt ad alia inter medicos vulgares magis cognita, atque fortassis grata, accedamus.



POR-



PORTIONIS TERTIÆ, PARS TERTIA.

IAM VERO AD PARTEM PORTIONIS TERTIÆ Tertiam enucleandam, atq; discutiendam progrediar, quam in hunc expressimus modum.

Portionis Tertiæ, Pars Tertia, in consideratione atq; obseruatione Excrementorum ęgroti versatur, inq; membra diuiditur duo, quorum

- Prius Vrinam
  - Non visam, *libro vnico* Iatromathematicè tractat.
  - Visam; more Physiologico describit.
- Vltimum signa
  - Egestionis per
    - Vomitum
    - Secessum
  - Sudoris
  - Sputi

  in *libro vnico* exprimit:

De istorum ergo quolibet suo loco atque ordine: & primum de VRINA non visa:



ΟΥΡΟ-

OYPOMANTIA,

Hoc eſt,

DIVINATIO PER VRINAM.

Quæ fit mediante illa, vel
- Non-viſâ: quam Ouromantiam Iatromathematicam vocamus; atque iſta *libro* tantummodo *vnico* explicatur.
- Viſa: atque iſtam Ouromantiam Phyſiologicam ſiue naturalem dictitamus: Hiſtoria cuius integra *libris quinque* exprimitur.

DE OVROMANTIA IATRO-MATHEMATICA,

ſiue

Iudicium per Vrinam, Vrinâ minimè à Medico adhuc viſâ, aut introſpectâ, in vnico tantum libello concluſum, atque comprehenſum.



Flud. Prognoſt. Supercæleſt.



LIBER DE OVROMANTIA IATROMATHEMATICA.

CAPVT I.

Hic cum Authoris, tum Præceptorum in ista arte suorum experimenta, quatenus ea, partim per se obseruauit, partimque eorum praxi atque experientia accepit, breuiter recitantur, atque in sequenti isto tractatu siue libello luculentius explicabuntur.



Ir quidem in Astrologia & Medicina Iatromathematica expertus, Guilielmus Anglicus dictus, in seculo præcedenti librum quendam de Vrina non visa conscripsit, erudite satis, atque à nemine sapienti reiiciendum, nos vero etsi ipsum in aliquibus imitemur, tamen non modo via atque methodo, verum etiam inuentione (vti opinamur) meliori atque certiori, vt pote non modo præstantissimorum in hac arte virorum experientia ducti atque instructi, sed etiam propria nostra speculatione atque obseruatione suasi, incedemus: Quicquid igitur à Magistro Formano (viro in re Astrologica inter Anglos famosissimo) atque Domino Careo, Astrologo & Medico clarissimo, nec non à viro illo in ista scientia excellentissimo, quem cum reuerentia nomino, videlicet Magistro Allen de Aula Glocestrensi, mihi à pueritia in ista arte præceptore accepi, & in vsum meum proprium adhibere tentaui, & præcipue quæ à Magistro Formano habui, hoc in libello vobis patefacere intendo: Sunt enim experimenta nonnulla notatu dignissima, ab ipsa hora introductionis matulæ siue vrinæ in domum Medici extracta: & super quæstiones à medico vrinæ portatori (minime adhuc perspecta vrina) factas fundata; Ad rem ergo sic breuiter.

CAPVT II.

De mystica cælestium in anima quærentis, seu petentis operatione.

QVoniam dubium oriri potest, quomodo sit possibile, vt quæstionis nuncii, pro ægroti salute, petitione, status ægroti, mysterii cælestis inquisitione, detegi atque reuelari queat: opportunum esse putamus, vt actus superiorum in inferiora rationem paucis aperiamus.

Sciendum est igitur, quod mens hominis secundum cælorum cursum atque astrorum actum moueatur: accidit tamen, quod cæli hominem ad quæstionem mouendam atque dubium resoluendum non semper aptant aut præparant: Verum vt actio cæli perpetuo, idque absque vllo obstaculo aut impedimento operatur, ita quidem mens humana assidue & sine intermissione in motu ad hoc vel illud existit, quandoque ad hoc negotium, & nonnunquam ad illud, sed ad omnia simul nunquam. Hinc ergo est, quod quando cælestia inseruiant, seu animum hominis vnius adaptent ad rem vnicam, euenit quidem, quod eodem instante animum alterius ad alterum prouocat seu elicit, idque secundum constellationem, sub qua homo quilibet est natus. Hinc ergo fit, quod nemini detur, quæstionem ita siue de se ipso, aut de aliquo alio, modo si radicem habeat, aut impressionem habeat in

mente

mente altam, siue profundam; mouere, vt resolutionem acquirere possit plenam, nisi hora quæstionis cœli apti & conuenienter dispositi ad quæstionem resoluendam & ad rei veritatem enucleandam, inueniantur: non enim habebit petitor potestatem; quousque sit inter animum eius & cælos consensus atque conuenientia: modo si quæstio versetur circa intentionem bonam: ob istam ideo rationem, quando animus cum speciali ad statum ægroti corporis intelligendum, desiderio; conueniat cum motu & qualitate cælesti, tunc mouenda est medico quæstio aut per se, aut per nuncium ab eo missum.

Capvt III.

De quæstionibus nonnullis; quæ à medico sint nuntio & matulæ portatori proponendæ, priusquam ad iudicium se accingat.

PRiusquam medicus ad iudicii praxin se accingat, necesse habet, vt nuntio pro ægroto quæstiones proponat istas, videlicet, quodnam sit ægroti cognomen, videlicet an Thomas, Ioannes, Robertus, &c. deinde de patientis ætate in loco secundo diligenter est inquirendum. Tertio, an fuerit expresse ab ipso ægroto missus, vel an cum ipsius consensu venerit, necne.

Ad quæstionem priorem & mediam quod spectat; sapientis & astuti erit medici, ideo nomen Baptismi atque ætatem ægrotantis petere: nam hac ratione certior erit factus, an ægrotus fuerit vir aut mulier: nam si medicus de sexu à quopiam ignaro perquireret, eum fortassis vilius penderet, atque in iudicio ipsius non esset ita confidens.

Ad tertiam & vltimam quod spectat, in illius resolutione, consistit integrum istius nostræ artis subiectum: nam quandoque euenit, quod infirmus de medico minime omnino cogitet, & consequenter, vt ad medicum sua sponte mittat, non apparet veritati simile. Tunc igitur sequetur, quod quispiam alius ex suis amicis astantibus, seu assistentibus, siue sint consanguinei, siue affines, seu alii, pro ægroti statu cognoscendo, aut in sua persona adeat medicum, aut mediante nuntio perquirat.

Verum si nuntius dixerit, se nec præcise ab infirmo, nec cum ipsius consensu fuisse missum: tunc cum diligentia quærendum est, an à patre, matre, sorore, fratre, auunculo, amita, filio seu filia, vxore aut marito fuerit missus.

Si ergo missus esset ab ipso ægroto, aut consensu ipsius, tunc constanter domus prima, seu angulus orientis erit ascendens quæstionis: At si quilibet prædictorum, aut parentum aut consanguineorum, aut maritus, &c. tunc quidem eorum quilibet habebit peculiarem ascendentem suam, & per consequens secundum quæstionis factorem ascendens est serio inquirendus: quemadmodum ex praxi nostra subscripta luculentius apparebit.

Verum si aliquis peregrinus, nullam affinitatem in ægroto habens, sed sola misericordia, vel amore motus, sine patientis consensu venerit cum vrina, & de statu infirmi inquirat: erit domus quinta ascendens quæstionis.

Capvt IV.

In quo agitur de quæstione, in qua ægrotans, vel in sua persona vel per nuntium: atque etiam de illa, in qua alienus ab affinitate Ægri, sine ipsius notitia quærat.

SI Vrina ab ipso ægroto, aut per ipsius consensum allata, erit profecto talis quæstio ad domum primam relata, quæ erit in effectu pro quærente, pro vrina, & pro vita infirmi: domus sexta cum suo domino pro infirmitate, ad sciendum an adfuerit ægroto diu, vel non, & an in morbum alium mutabitur, nec ne, & huiusmodi alia: vt in capite de domo sexta in Iatromathematica planius explicatum inuenietis.

At si Vrinæ lator fuerit alienus, & sua propria sponte, sine ægroti consensu attulerit vrinam, & quæstionem fecerit: erit domus prima, & eius signum cum domino eiusdem loco ascendentis, nisi planeta alius plures in ea dignitates habuerit, & pro hepate habebitur.

Sexta, domus cum ipsius domino, pro infirmitate, vt antea.

Septima, cum ipsius domino, pro ægroto, videlicet ad sciendum, an curabitur seu alleuiabitur, nec ne, & quomodo ipsi cum medico conueniet, & an medicus aliquam ipsi alleuiationem afferet, denique an infirmus medico erit obediens, nec ne.

Octaua cum suo domino, ad sciendum, an æger recuperabit sanitatem de illo morbo, vel morietur, nec ne.

Nona cum suo domino, ad medicum transferetur: quippe qua intelligemus, an medicus curabit ægrotum, vel non.

Decima cum suo domino, ad sciendum, an manus vel digitus Dei sit in morbo, nec ne.

Vndecima cum suo domino, ad percipiendam medicamenti idonei naturam, & ad intelligendum, quomodo curatio sit incipienda, & quomodo finienda.

Duodecima cum suo domino, ad sciendum an morbus proueniat à causa naturali, vel à veneficio, vel à possessione maligni spiritus.

Denique si quarta cum suo domino, ad cognoscendum curationis finem siue effectum, similiter Pharmacopei naturam, & medicamina ipsius.

CAPVT V.

Vbi modus operandi, quando quæstio vel à fratre, vel sorore, vel auunculo, vel amita, vel affine sit facta, sine ægroti consensu, exprimitur.

IN quæstione vbi aliquis prædictorum sine ægroti consensu veniat, ad sciendum morbi statum, Domus tertia cum suo domino erit ascendens quæstionis, pro vita ægroti & pro vrina; & stabit in figura pro prima domo.

Domus septima erit pro Hepate: Domus decima pro morte: octaua pro morbo, vt in prædicto exemplo Sexta: Nona cum suo domino erit loco septimæ, vt in prædictis: & sic in cæteris domibus.

Exem-

Exemplum vbi frater aut soror affert matulam, & inquirit quæstionem pro infirmo sine consensu ipsius, Anno 1596. 20. Iulii, horâ antemeridiana 9. m. 50. vir quidam vrinam secum afferens quæstionem pro sorore sua ægrotante, idque sine eius consensu facit, videlicet an morietur, vel viueret de illo morbo; erat autem ipsa 30. annorum ætate.

Figura erat talis.



Mulier ista nocturno diei Saturni sequentis tempore, idque circiter mediam noctem est mortua.

Erat autem in sua ægritudine grauis in capite, atque somnolenta, cum magno æstu & ardore, turgescente nihilominus in ea melancholia: atque visa est febre duplicis paroxysmi laborare.

In iudicio per dictam figuram ☾ separatam à ✶ ☉ ipsamque vacuam & ad ♂ in ✶ applicantem inueni.

Porro morbus eius à ♀ in .... & ☾ separante à ☉ in ♌ erat effecta, videlicet à nimia melancholia, in 4. scilicet gradu, & à multa cholera flaua, calida & sicca in 2. gradu; vnde patet, quod morbi siccitas esset in 4. gradu, humidum radicale absumens, atque ob eam causam mortem inducens.

In quo iudicio notandum venit, quod domus 2. & 3. sint ascendentes: Prima domus cum suo domino erat pro curatione: & tertia domus cum suo domino pro ascendente quæstionis, pro ægroto & pro vita, ac vrina: Decima cum suo domino atque octaua pro morte: septima & nona pro regimine & gubernatione ægroti.

Porro etiam:

Domus octaua & sexta pro infirmitatibus & morbis.

Domus septima & quinta pro statu Hepatis.

Domus Nona & Decima pro medico.

Anguli in iſta quæſtione quatuor ſunt domus 3. 6. 9. 12.

Dominus aſcendentis eſt ♂ in △ ad domum octauā; quod eſt mortis argumentū.

♃ qui eſt dominus ♐ proxime aſcendens in tertiam, eſt in octaua, at in □ ad ☉ in octaua domo quæſtionis, qua obſeruatione mors etiam portenditur.

Notare debemus in his quæſtionibus, quod alia eſt domus figuræ, videlicet iuxta naturales domuum poſitiones, alia quæſtionis, quemadmodum eſt antea relatum.

Exemplum aliud 1596. 24. Maii, hora antemeridiana 7. m. 40. comprobatum, in quo cognatus ſeu conſanguineus miſit vrinam medico ſine conſenſu ægroti; ad inquirendum de eius vita vel morte.

Figura erat talis:



Morbus iſtius mulieris fuit in cerebro, ventre, corde & ſiniſtro latere. Laborauit antea de febre duorum paroxyſmorum: aliquando cum aggrauatione, & nonnunquam cum alleuiatione: melancholia erat admodum oppreſſa, morbus ipſam imprimis à ſubitanea formidine & terrore contingente inuaſit; valde erat debilis, & in ventriculo multum impedita.

Morbus factus eſt à ♀ exiſtente in Ⅱ & ☾ ſe ſeparante à ♄ in ♍ & habebat melancholia in animo ipſius dominium, quare & animo, ſeu ſpiritu plurimum erat perturbata.

Recuperauit valetudinem ſuam priſtinam.

☾ ſe ſeparans à ♄ applicat ad □ ☉.

Pro methodo iudicii domus tertia figuræ eſt pro aſcendente: ſtabitque pro ægroto, atque vrina.

Domus 5. & 7. pro hepate & virtute naturali debilitata.

Domus 8. & 10 pro morte.

Domus 6. & 8. pro morbo.

Domus 9. & 11. pro medico.

Domus

Domus 7. & 9. pro patientis regimine atque obedientia præceptis medici in iſta ſua ægritudine.

Domus 12. & 2. ad ſciendum an arte aliqua venefica afficiatur æger, aut an morbus ſit naturalis.

☾ in hac quæſtione recedens à ♄ qui eſt dominus domus morborum & mortis, in parte applicans ☉. indicat quod morbus præterierit ſuam vehementiam & vigorem, & conſequenter quod ſit in declinatione: quare colligimus patientem eſſe in via recuperationis: ☿ Dominus aſcendentis quæſtionis in ☿ applicat ♄ per □. Porro etiam receptio facta eſt inter ☿ & ♄ nam ☿ recipit ♄ in ſuam domum: & ♄ recipit ☿. in ſuam faciem: quo euidenter arguitur, quod in extremitate morbi ipſa incæperit reuiuiſcere.

Sed priuſquam vlterius progredimur, opus erit vt quædam regulæ in iudicio Aſtrologico generales rite intelligantur, quo melius & feliciori ſucceſſu in practica noſtra experientia pergere poſſimus.

Regul. 1.

In omni iudicio tria, ſeu Planetæ tres, imprimis ſunt obſeruanda pro quærente, atque totidem pro ſubiecto, de quo quæritur.

Regul. 2.

Pro quærente ſemper nota cum diligentia aſcendentem, dominum aſcendentis, Planetam in aſcendente & Lunam.

Regul. 3.

Pro rebus ſeu ſubiectis, de quibus facta eſt inquiſitio obſeruare debemus, dominum domus, ad quam res petita ſpectat: Planeta rem quæſitam ſignificantem: ac denique Planetam, qui inuenitur in domo rem quæſitam indicante, & habet dignitatem in ea, & non eſt remotus, ſed proximus in aſcendente ſeu cuſpide illius domus.

Regul. 4.

In morborum iudicio Planeta, qui eſt cauſa morbi, videlicer qui eſt dominus domus 12. aut 6. ſecundum domus ſit planeta à quo ☾ ſeparatur aut cui applicat: tunc ille Planeta habebit duplicem ſignificationem. Exempli cauſa. ☿ eſt in ♎ & eſt dominus domus 12 aut 6. & ☾ nuper ſeparauit ſe ab illo. Hic ☿ cauſatur duplicem humorem melancholicum, qui ſanguinem ſuperat: & patiens eſt phlegmaticus, & melancholia repletus & macreſcit & conſumitur: ſi in tali caſu Luna fuerit ſimul in ſigno melancholico, tunc eo magis augebitur melancholia, & tunc erunt tres partes melancholiæ ad vnicā ſanguinis At ſi in tali caſu ☾. applicat ☉. in ♍ tunc etiam adhuc magis augebitur ille humor. Porro ſi ♄. ſit dominus horæ, aut ☿ & in ſigno melancholico, vel in ſexta domo vel aſcendente ſit Planeta melancholicus; aut Planeta in ſigno melancholico, aut ſi ſignum melancholicum ſit aſcendens. Omnia hæc vel aliquod horum augent melancholiam; vel magis vel minus ſecundum numerum teſtimoniorum, quæ inueneris.

Exemplum vbi pater vel mater, ſeu auus & auia veniunt pro infirmo puero, abſque ipſius conſenſu.

In hoc caſu ducunt ſecum puerum vel puellam ægrotam, tunc prima domus cum ſuo domino erit aſcendens quæſtionis, aliter non. Verum quando parentes veniunt ſine ægroto, tunc domus quinta erit aſcendens quæſtionis.

Domus 10. & 4. cum ſuis dominis denotabunt cauſam morbi ſecundum tempus, & habebunt loco domuum 6. & 12. figuræ.

Domus 9. erit loco domus 5. ad iudicandum Hepatis ſtatum.


Domus 12. figuræ ſtabit pro domo 8.

Domus prima figuræ pro domo 9. in Medici inquiſitione, & ad ſciendum, ſi patiens ſumpſerit medicinam, necne.

Exempli

Exempli gratia; 1589. *die* 8. *Aprilis hora* 3. *post meridiem, pater venit pro filio, absque ipsius consensu.*

Figura erat talis.



Signa mortis in ista figura sunt: applicatio ☾ cum ♂ ad 12. domum figuræ, quæ est octaua quæstionis: Porro ♂ almuten seu Dominus ascendentis applicat ad ♃ Dominum octauæ domus: Estque ipse ♂ etiam retrogradus & in malo loco, & in □ ad 8. quæstionis; quod est argumentum mortis. Et ♂ in ♍ erat causator morbi cum ♃ in ♍ faciens multam frigiditatem, quæ extinguit calorem naturæ: aderatque febris duorum paroxysmorum ☾ separatur à ♃ & applicat ⚹ ad ☉.

Mortuus est ergo die Saturni sequente.

Aliud

Aliud Exemplum, in quo quæstio est facta à parente vrinam ducente pro filia ætate 11. *annorum*: 1595. *die* 13. *Ianuarii*: ♀ *retrogr. hora* 12. *die.*

Figura erat talis.



☾ separans à ♀ applicat ♃.

Erat autem morbus puellæ à frigore causato à ☾ in ♃ & consequenter à multa melancholia & Rheumate: Laborabatq; dolore capitis, ventriculi ventris & renum, atque descendebat morbus in ipsius membra, eratque grauedine quadam, tristitia & melancholia correpta, cum frigiditate & siccitate: admodum inquieta atque cachexia, seu prauo & cachectico virginum habitu, pallidoque colore ob mensium oppilationem possessa: erant enim corporis meatus grosso & frigido humore melancholico obstructi.

Deo volente & Medicina adhibita conualuit.

Aliud adhuc exemplum de Catharina Knight, ætatis 14. 1595. 26. Februarii. ☿ retrogr. hora 3. post meridiem, in quo mater portauit vrinam filiæ, absque ipsius consensu.

Figura est talis.

☾ separatur à ♄ & applicat ☉ ♃ & ♀.

Morbus istius filiæ erat causatus à ♀ in ✶ ☾ separata à ♄ in ♌ ex multa pituita salsa & cholera: sentiebat multum dolorem in ventriculo, cum ciborum indigestione de dolore cerebri, stomachi & laterum conquesta est, eratque super eius tibiam furfura quædam ad instar lepræ.

Iudicia vero facienda super quæstionem à parentibus, videlicet vel patre, vel matre pro filio vel filia, absque eorum consensu, erit huiusmodi; atque in hac forma dandum est iudicium super omnes alias quæstiones, vbi quis medicum absque ægrotorum consensu adeat.

Si dominus ascendentis sit fortis & in angulo ascendentis, atque maneat immunis ab vtraque domo octaua videlicet figuræ & quæstionis, & à dominis earum: tunc denotatur quod natura infirmi sit satis fortis, & quod consequenter ex tali morbo minime morietur: verum si dominus ascendentis sit debilis, atque infortunatus, aut combustus aut in 8. domibus, aut coniunctus cum aliquib. dominis domuum 8. tunc significat & minatur mortem.

Si vnus ex dominis duobus duorum ascendentium, videlicet figuræ & quæstionis sit fortis & fortunatus, & à malo immunis, & ab vtraq; domo octaua, & earum dominis: atque alter sit combustus, debilis, infortunatus, & in aliqua duarum domuum octauarum, tunc æquale erit iudicium de vita & morte, sed ad illum inclinabimus, qui est fortior in significatione figuræ. Verbi graria, si sit dominus horæ vel 6. vel 12. aut Planeta cui ☾ applicat: & secundum aspectum & fortitudinem ☾ aut si ☾ sit in domo 8. & applicat domino

domino tertiæ: & sit combusta, aut in via combustionis, aut in ☌ □ ☍ ♂ aut ♄ aut in 8. aut 6. domo: tunc quidem ad mortem magis, quam ad vitam declinare debet iudicium nostrum, è contra vero si ☾ sit libera & fortunata.

Si ☾ separatur à ☉ & applicat ad ☿ existente ☿ domino 6.12. aut 8. quæstionis: arguet ægrotum in delirium transiturum.

Si ♄ sit dominus 4. & 12. domus figuræ, & in 8. quæstionis, & ☾ applicat ad planetam in 8. figuræ, qui incipit venire in ☌ ad ♂ & dominus ascendentis quæstionis sit in suo detrimento, casu aut combustione, aut si à malis Planetis obsideatur, aut sit in ☌ aut alio aspectu cum aliquo dominorum domuum octauarum; est argumentum certum & infallibile mortis.

Si dominus ascendentis figuræ, & dominus ascendentis quæstionis sint ambo cadentes, & in 8. figuræ, aut quæstionis, aut aliquo loco, in quo ascendentem quæstionis aut figuræ non aspiciant, & si dominus 8. sit in 6. figuræ, denotat mortem.

Si ☾ separatur à domino domus 8. quæstionis, & applicat in ☌ ad ♂ in octaua figuræ; ☾ in septima figuræ, & dominus ascendentis figuræ aspiciat decimam figuræ, in vno signo; argumentum, quod patiens vix euitabit mortem.

Si dominus ascendentis quæstionis sit in 8. domo figuræ, & dominus ascendentis figuræ in octaua figuræ, & ☾ applicet ad aliquem planetam in 8. domo quæstionis, existentem dominum alterius ex sextis domibus nimirum quæstionis vel figuræ; arguet mortem.

Si ☽ fuerit in sexta figuræ, & applicat ♃ domino sextæ domus figuræ in vndecima: ☾ existente domina ascendentis; arguit ægrum habere apostema aliquod, & quod ex eo morietur.

Si ☾ separatur à ☿ in ♏ domino 6. domus quæstionis, & applicat ad ♂ dominum 6. figuræ in ♉ in 8. domo figuræ, denotat puerũ fore phreneticum, & quod ita morietur.

Si dominus domus 6. vt ♂ sit in 8. figuræ, & dominus ascendentis sit in suo casu aut detrimento, patiens morietur, priusquam morbus deseret, aut iterum post recuperationem decumbet, atque ita morietur.

Si ☾ separabitur à ♄ in ♌ 12. existente domino domus 6. & ☾ fuerit in 6. in ♒ & applicat ♃ domino 8. domus figuræ, atque etiam ad ♀ existentem in ☌ cum ♃ in domo 7. figuræ, tametsi ascendentis sit dominus, si ☉ fuerit in 8. figuræ, in signo 8. domus: patiens haud morietur adhuc, nam expectandum erit auxilium à Deo.

Si ambo domini ascendentium fuerint cadentes in suis detrimentis aut in ☌ □ ☍ ♄ aut ♂ aut dominus vnus ex duabus 8. domibus, aut in aliqua ex 8. domibus: argumentum erit mortis.

Sed si dominus ascendentis quæstionis, vt puta ♄ sit in 8. quæstionis, in ♌ aut in suo detrimento aut casu. in signo 8. domus, & Venus sit dominus ascendentis figuræ in 8. figuræ in ♉ & ☾ dominus ascendentis in ♃ & applicat ad ♃ in 7. domo figuræ in ♈. tametsi ☾ fuerit in □ ad ascendentis domum 5. & non intueatur dominum octauæ, & ☉ sit dominus 8. in 9. atque etiam sit dominus horæ, non tamen morietur infirmus hac vice, atque de ista ægritudine.

Si ☾ sit dominus 8. quæstionis aut figuræ, & in domo cadente, & applicat ad aliquem vtriusque domus 8. dominum in ☌ aut □ ☍ & vterque dominus ascendentis fuerit in cadente, est indicium interitus.

Si dominus ascendentis figuræ sit in 8. quæstionis, non remotus, & ☾ applicat ad dominum 8. figuræ, tametsi dominus ascendentis quæstionis sit ascendens figuræ, in signo non remoto, tamen arguet mortem.

Si ☾ applicet ad dominum 6. morbus non erit in sua altitudine, sed augetur in peius, siue sit in quæstione vel figura.

Si ambo domini ascendentes fuerint infortunati, retrogradi, siue combusti, aut in suis casibus seu detrimentis, aut in 8. figuræ aut quæstionis, aut fuerit in ☌ □ aut ☍ ad quemlibet dominorum domuum octauarum, aut si vnicus ex dominis ascendentibus sit in domo cadente, aut in domo 6. quæstionis aut figuræ, atque alter combustus atque infortunatus, aut in octaua, aut coniunctus cum aliquo dominorum 8. domuum, est signum mortiferum.

Si dominus ascendentis sit in aspectu aut ☌ cum ☿ quicunque fuerit dominus ascendentis, denotat ægrotantem delirio fore raptum.

Sequitur Exemplum de auunculo seu amita, qui vel nepotis vel neptis vrinam sine eorum consensu, adducentes, quæstionem faciunt de eorum morte vel vita.

In tali quæstione domus tertia figuræ erat ascendens quæstionis, videlicet pro vita infirmi, & pro capite & cerebro.

Octaua domus figuræ stabit in loco domus 6. quæstionis, pro causa morbi.


Decima domus figuræ habebit virtutem 8. pro morte.

Sexta domus figuræ pro stomacho.

Duodecima domus figuræ pro dorso & renibus.

Nona domus figuræ pro tibiis & pedibus.

Quæstio facta est 1606. pro Thoma Formano. 11. Octobris, pro hora 5.40. min. post meridiem: & facta est huiusmodi figura.



Laborauit iste peste, habuit carbonem in inguine, & contagione tam corde quam in vniuerso corpore grauiter affectus, cum continuo vomitu, deinde apparebant maculæ purpuratæ & nigricantes cum pustulis pestiferis: tandem die Lunæ sequenti circa horam .... à meridie mortuus est.

Morbus iste à ♃ in ♒ ♄ in 6. domo quæstionis: Vnde mortem tam ipsa hora, quam dominus afficiens morte, minabatur.

☾. separata à ☿ applicabat ♄ hora octaua, eadem nocte. Planetis ☉. & ♄ retrogradis.

Aliud

Aliud exemplum, in quo maritus ſine conſenſu aut cognitione vllius, cum vrina aui vxoris ſuæ venit; anno 1600. 2. Auguſti, 11. ante meridiem.

Figura erat talis.



Quæſtio iſta numeratur inter quæſtiones communes, in quibus figura non variatur. ☾ ſeparatur à ♃ & applicat ♀ eratque ipſa in vltimo gradu ♏ egrediens de ſigno, prædicens feſtinam aliquam alterationem: porrò ♀ cui applicat eſt dominus 8. & 12. & præterea aſpicit domum mortis: quod eſt euidens mortis inſequentis argumentum.

♄ in aſcendente coniunctus gradui aſcendentis, exiſtens dominus domus 4. & cadens à ſua exaltatione, denotat etiam mortem futuram.

Tandem defunctus eſt æger matutino tempore inſequente, circa horam 8.

Aliquando herus ſeu dominus, aut hera ſeu domina, vrinam ſerui ſeu ancillæ affert, abſque conſenſu ipſius: & quæſtionem facit pro vita.

In iſto etiam caſu faciendum eſt cum iis, ac in quæſtionibus generalibus ſiue communibus pro ægrotis.

Exempli gratia; quæstio facta est pro ancilla 1601. 4. die Iunii, ♃ retrogrado: hora 10. post meridiem.

Figura erat talis.



Dominus 8. erat in aſcendente, eratque ſignum malum in domo vitæ.

Dominus aſcendentis ☿ applicat □ ♃ domino domus 8. vnde mors præſagitur.

☾ applicat in □ ☿ domino 8. vnde etiam mors arguitur.

Mortua eſt nocte diei Saturni ſequentis.

Morbus eius habuit ſuam radicem à ☉ in ♊ ☾ ſeparata à ♀ in ♌ quod erat argumentum multæ choleræ in ſanguine abundantis: atque inuentum eſt ipſam cauſo laboraſſe, in fine cuius delirio capta locum ceſſit morti.

☾ ſeparata à △ ♀ applicatur □ ♃ poſt ☍ ☉ ♑ ⚹ ♄.

Aliud

Aliud exemplum, in quo Herus attulit vrinam ſui ſerui, abſque ipſius conſenſu, 1596. die 30. Septembris: hora poſt meridiem 12.

Figura eſt talis.



Hîc ☾ ſeparatur à ♀ & applicat ☿ poſt ♄.

Herus ſerui iſtiusipſe verbera baculo inflixit, caputque ipſius fregit ac vulnerauit: per dies 4. aut 5. poſt factum accerſiuit chirurgum, à quo certior erat factus cranium cerebri fuiſſe fractum; ſed tamen ſuas loco affecto applicationes fecit: à quo tempore tumore inflata eſt eius facies, adeo vt vix videre potuerit, nec non dolore inſigni laborabat in capite, ſtomacho, ventre & renibus: eratque ventoſitate vexatus cum pulmonum oppreſſione, nec non & febrem habebat cæteris coniunctam; vigeſcebat interne frigore, externe vero adurebatur. Herus autem ob factum timore perculſus, & de ſerui periculo dubitans, vrinam adduxit, & de ſtatu ægri fecit quæſtionem.

In iſta igitur figura ♃ & ☿ ſunt domini domus vitæ, eſt ♃ eſt fortis in domo vndecima quæſtionis, & ambo aſpiciunt domos vtraſque mortis, quod eſt bonum ſignum: Verum ☾ in ♊ eſt ſignum malum, ſed quia ipſa eſt in aſcendente quæſtionis, & applicat ☿ combuſto, & ☿ eſt dominus aſcendentis quæſtionis: arguit quod homo euitabit mortem, ſed cum magna difficultate: nam hîc ☾ quæ eſt domina domus 8. figuræ applicat ad ☿ domino aſcendentis quæſtionis, & ☿ eſt retrogradus: ☾ arguens, quod vita recipiat mortem, ſed quoniam ☿ eſt combuſtus, vadens ad ⊙ non poteſt recipere virtutem ☾ quæ eſt mors; ſed reſtituit mortem iterum ad ☾ & tunc ☾ applicat ad ♄ qui eſt dominus 9. quæſtionis, & ♄ eam recipit, quo indicatur, quibus modis & viis medicis debeat curari & viuere.

Exemplum aliud de ſeruo, qui affert vrinam ſui heri, aut heræ ſine eorum conſenſu: petitque quæſtionem vitæ & mortis.

In tali ſenſu colligendum eſt, quod domus 10. erit loco aſcendentis quæſtionis, pro hero vel hera ægrotante, & pro vrina, atque vita.

Prima domus figuræ erit pro quærente.

Quarta

Quarta & Sexta figuræ pro ægroto.

Quinta & octaua, pro morte.

Secunda & Tertia ad indicandum hepatis statum, & facultates debilitatas; & sic in cæteris.

Aliud exemplum, in quo filius vel filia veniunt pro suo auo, auia, vel matre aut patre, absque eorum consensu.

In tali quæstione domus 4. & ipsius dominus erit ascendens quæstionis pro ægroto, pro vita & pro vrina.

Vndecima domus figuræ, quæ est octaua quæstionis, videl. domus 8. à domo 4. erit pro morte.

Sexta domus à 4. quæ domus 9. figuræ erit pro infirmo, & sic de domibus cæteris.

Exempli gratia, filius venit pro patre, sine ipsius consensu; 1594. *6. Februarii, hora 9. ante meridiem.*

Figura est talis.



Hîc ☾ separat à ♂ applicat ☿.

Iste morbus erat à ♂ causatus in ♈ ☾ separat à ♂ applicat, 8. videlicet ex melancholia & rubra cholera, eratque timidus & iracundus, habuitque febrem intermittentem, ardentem, & valde sitiebat; diu durauit febris, & paroxysmus durare solebat per 12. aut 14. horas: dolore capitis erat aggrauatus, & in renibus & ventre; & curis erat oppressus. Euasit & vixit.

Sciendum est illum ab Ægyptiis vocari *Almuten* quæstionis, qui habet plurimas dignitates in signo quæstionis.

Si signum

Si ſignum quæſtionis fuerit { ♈—☉ / ♉—♀ / ♊—☿ / ♋—☾ / ♌—☉ / ♍—♀ / ♎—♄ / ♏—♂ / ♑—♂ / ♐—♃ / ♒—♄ / ♓—♀ } eſt almuten, ſiue Dominus.

Exemplum aliud, in quo filius venit cum vrina matris, ſine conſenſu eius: eratque quæſtio facta, anno 1600. 21. Martij, hora 8: ante meridiem.

Figura erat talis:

In qua ☾ ſeparatur à ♃ eſtque vacua, & venit ad aſpectum ☍ ☿.

Erat morbus effectus à ☾ in gradu vltimo ♌ intrante in ♏; ſeparata à ♃ in ♌ quæ genuit multam melancholiam & choleram ſimul mixtas cum aqua frigida & ſanguine, hinc ſequebatur vehemens pulmonum obſtructio, atq; etiam ventriculi & aſperæ arteriæ, ita vt vix potuerit reſpirare: & quaſi catarrhum dolorem in ſtomacho, capite & coxendice facientem: atq; etiam in tibia ſiniſtra, cum febre duorum paroxyſmorum, cum plurimis ſudoribus & nulla fere requiete, & magna debilitate: huic aderat maior calor, quam frigiditas. Sed erat ipſa iracunda; & quia ſol erat Dominus aſcendentis, & Dominus 8. quæſtionis erat in ſuo domo, & ♃ erat retrogradus, arguit, quod aut morietur, aut cum difficultate euadet.

Aliud exemplum, in quo vxor venit pro marito, aut maritus pro vxore, ſine ægroti conſenſu.

In tali quæſtione domus 7. erit aſcendens quæſtionis, pro quærente, vrina, & pro morte. ii Secun-


Secunda domus quæstionis pro figura, quæ est 9. figuræ, & 8. domus quæstionis, pro morte.

Prima domus figuræ est angulus orientis: pro persona ægrotante, ad sciendum, an æger de suo morbo alleuiabitur, nec ne; & quomodo medicus ei arridebit, & an medicina quicquam ei solatij adferet, nec ne; ac denique an æger in sua curatione gubernabitur.

Sexta domus figuræ & quæstionis erit pro causa morbi, & pro statu infirmitatis: & sic in cæteris.

Exempli gratia, vxor venit cum vrina mariti sui sine consensu ipsius, anno 1596: 13. *Augusti, hora* 4. *pomeridiana:*

Figura est talis:



In qua separatur ☾ à ♃ applicans ☌ ☉ p. ☿.

Morbus erat genitus à ♂ in ♏ & ♃ in ♉ ex multa melancholia admixta, videlicet ex tribus partibus melancholiæ, & vna parte choleræ, rubræ, & vna sanguinis, ita vt eius sanguis esset in melancholiam venenosam conuersus; replebatur eius superficies vesiculis siue ampullis, eratque valde siccus & dolore ventris, tibiis, partibusque extremis aggrauatus, nec non tumore erat inflatus.

Euasit tamen mortis periculum, sed non sine multo dolore post ægritudinem.

In hac quæstione angulus orientis est figura 7. quæstionis; & indicabit, quomodo patiens regulabitur: estque illius loci Dominus ♃, & est in ♉ in 5. domo figuræ: quod est argumentum, quod bene regulabitur, & quia ♃ aspicit nullam ex domibus 8. nec dominorum ipsorum aliquem, nec opprimitur ab aliquo prauo planeta, argumentum est, quod in fine superabit morbum.

Porro etiam Dominus ascendentis quæstionis tametsi sit in 8. figuræ, tamen ibi adest in 8. corde ☉ tametsi ☾ domina 8. figuræ sit, sin 8. in gradu vltimo ♌ vadens ad ☌ ☉ tamen ☉ est inter ☾ & ☿ & protegit ac defendit ☿ à periculo mortis, nam ☿ erit in Casimi, quousque ☾ præteriuerit ♉ vsque quo periculum mortis sit præterlapsum: nam immediate post nouiluniũ ☿ erit ex altera parte ☉ ita vt ☉ semper mansurus sit inter ☾ & ☿.

Aliud

Aliud exemplum; in quo vxor iterum venit pro marito suo; sine eius consensu, Anno 1597. die Martij 7. hora 9. antemer.

Figura est talis:



In qua ☾ separatur à ☉ applicatque in ⚹ ad ♄ peregrinum & retrogradum.

Hic fistulam in ano habebat, & ratione ignorantiæ Chirurgi erat in periculo vitæ suę, videlicet ratione quorundam medicamentorum, minime huic morbo aut complexioni viri conuenientium; valde ægrotabat; & febre detinebatur grandi seu forti ex cholera ♂ in ♒ & ☉ in ♈ conflata, eratque valde iracundiæ & furori pronus.

Hic ☿ & ♄ sunt domini ascendentium, & sunt pro vita, suntque hi ambo fortes, & immunes à malo, & ab vtraque domo 8. & earum dominis, quod indicat ipsum de hoc morbo non moriturum. Nam tametsi ☾ quæ est domina 8. domus quæstionis applicat ♄ qui est dominus ascendentis quæstionis, non potest nocere ♄, quoniam ☾ recipit ♄ in ♉ in suam propriam exaltationem: & ♄ pariter atque modo reciproco recipit ☾ in suam exaltationem; ita vt ibi receptio mutua inter eos.

Hic venit filius pro matre ægrota, ſine conſenſu ipſius, eratque mater 68. annorum: & quæſtio erat, an moreretur, nec ne; facta autem erat hæc quæſtio Anno 1597. 28. Nouembris, hora meridiana.

Figura erat talis.


☾ ſeparat à ♄ applicat ☍ ♃.

Erat eius morbus cauſatus à ♃ in ♊ ☾ ſeparata à ♄ curis & vexationibus afflictus erat eius animus, eratque pauida, phlegmaque dulce aſcendebat ad eius guttur, cùm flatulenta matricis ſuffocatione à melancholia & ſanguine dulcem pituitam efficientibus.

Tandem poſt clyſteris adhibitionem male appropriati ſubito mortua eſt.

Aliud

Aliud exemplum, in quo filius Medicum accedit ex parte matris suæ ægrotæ, absque ipsius consensu: Anno 1599. die Martii 2. hora decima antemeridiana.



☾ separata à ♀ est vacua, postea applicat ♃.

Mo[r]bus eius erat causatus ex ♄ in ♎ ☾ separatur à ♀ in ♓ propter nimiam melancholiam mixtam cum fœtido phlegmate, ac sanguine: Fluxum habuit alui, simul atque euomebat, & multo in humeris & dorso, atque lateribus dolore erat ipsa affecta: vnde indies magis, magisque consumebatur eius substantia, & die 8. postea mortua est.

☉ erat dominus ascendentis quæstionis: domina 8. quæstionis erat ☾ quæ exiens ex ♏. ibi est vacua, & appropinquans domino 8. quæstionis, quæ significat mortem, quia ☾ recipit ♃ dominum 8. sed ♃ non recipit ☾ & præterea dominus ascendentis est paratus transire inter 2. gradus lineæ domus 8.

☿ etiam dominus anguli Orientis, qui est vitæ domus est in suo detrimento & retrogr. ingreditur domum ♂, qui est dominus domus mortis figuræ, sine receptione, vnde significat mortem.

CONCLVSIO.

ATque hoc modo paucis habetis experimenta illa Iatromathematica, quæ ego & Præceptores mei sumus experti, videlicet per Iatromathematicā Ouromantiam, seu per inquisitionem Astrologicam naturæ morborum, per vrinam minimè inspectam, hoc est, per nuntii ipsius relationem, priusquam illam Medico ostendat.

Sed ego in sequentis tractatus libro quinto, *quomodo per viam Iatromathematices, etiam de vrinæ calore & substantia, antequam à Medico videatur, aut introspiciatur, possimus diuinare, ostendam, videlicet ex diligenti planetæ significatoris atque signi, in qua transit, naturæ atque dispositionis inquisitione. Hic autem libellum istum de Ouromantia Iatromathematica concludam: vt ad iudicium per vrinæ (vitro ex matula extractæ, & Medici intuitui obiectæ) obseruationem accedam.*

FINIS.



OVRO-

OVROMANTIA PHYSIOLOGICA,

SIVE

PER VRINAM SEDVLO INTRO-
ſpectam Diuinatio; in Libros diſtributa quinque:

IN QVIBVS

Vrinarum myſterium, eſſentia, ſpecies, cauſæ atque ſignificationes, tàm viâ nouâ, & antea minimè publicatâ, quàm doctrina vulgari diſcutiuntur.



CONTEN-

CONTENTA:

Ars ista Ouromantica in libros diuiditur quinque: quorum

- Primus, radicale vrinarum mysterium cum in substantia, tum in colore declarat; atque iste in capitula distribuitur sex, quorum ostendit
  - Primum, tres aquarum vtriusque mundi regiones.
  - Secundum, vrinam esse quasi sanguinis pluuiam.
  - Tertium, quod vrina formã suam à ventis sortiatur.
  - Quartum, radicem cum sanguinis, tum vrinæ esse salem naturæ vel naturaliter dispositum.
  - Quintum, quomodo vrina à ventis, atque anni quartarum dispositione alteretur.
  - Sextum, quòd totum illud in *capitulis præcedentibus* allegatum, praxi & experientia sit comprobatum.
- Secundus, vrinarũ essentias earumq; differentias, in capitibus quinque aperit; vtpotẽ quorum
  - Primum, vrinam describir secundùm intentionem
    - cùm Medicorũ veterum & modernorum,
    - tum ipsius Authoris.
  - Secundum, vrinarum species seu differentias à contractiua Dei proprietate ortas recitat.
  - Tertium, Quartum & Quintum, vrinarum à proprietate Dei dilatante differentias, tam in rinctura, quàm existentia seu substantia, tractat.
- Tertiùs, de vrinarum causis agit, & distinguitur in capitula 11. quorum
  - Primum, vrinæ radices in æthere fixas, videlicet, quatuor triplicitates, earumq; actus explicat.
  - Secundum, alterationes (quas Saturnus in dictis triplicitatibus existens producit) aperit & docet.
  - Tertium, colorum in vrinis originem inquirit atque enucleat.
  - Quartum, Quintum, Sextum, Septimũ, Octauum, Nonum & Decimum mutationes vrinarum exprimunt.
  - Vndecimum, vrinas secundùm quatuor ventorum proprietates distinguit.
- Quartus contentorum in vrinis causas discurrit, & in 7. distribuitur capitula; quorum
  - Primum & Secundum de vrinarum quãtitate tractant.
  - Secundum de vrinarum pondere & gustu agit.
  - Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, Septimum, vrinarum contenta & eorum causas enumerat.

Quintus

- Quintus modum in hac arte Ouromantica practicandi docet: atq; hic in membra partitur tria: quorum
  - Primum præparat viam ad praxin: nam eius caput
    - Primum vrinæ inspectionis vtilitatem docet.
    - Secundum patefacit vrinarum fallacias.
    - Tertium de vrinæ præseruatione agit.
    - Quartum exprimit modũ, quomodo colligi debeat.
    - Quintum Medici officium ostendit, priusquam inspiciat vrinam.
  - Secundum instruit, quomodo Medicus se ad praxin præparare debeat; quippe cuius caput
    - Primum ostendit, quomodo per vrinas iudicare debeamus.
    - Secundum iudicium facit de digestione, vel indigestione ciborum per vrinæ colores.
    - Tertium, quartum, quintum, sextum, iudicare docet, tam per colores, quàm substantiam.
    - Septimum ab vrinæ quantitate & substantia iudicium fert.
    - Octauum de contentis iudicat.
    - Nonum, An mulier sit grauida, nec ne, docet.
  - Tertium, seu vltimum authoris modum & methodũ per vrinæ inspectionem practicandi demonstrat: idque via & ratione noua & non antea publicata.





OVROMANTIÆ,

siue

DIVINATIONIS PER VRINAM, LIBER PRIMVS:

Radicale vrinæ mysterium enucleans.

CAPVT I.

Comparatio Macrocosmi cum Microcosmo triplex, idque secundùm textus Mosaici intentum, hic satis aperte disceptatur.



IN principio rerum, cum nihil adhuc in mundo maiori actualiter existeret, (sic volente mundi vtriusque Opifice) emissus est è tenebrarũ deformium centro spiritus diuinus, seu emanatio omnipotentis Dei sacrosancta, omnium purissima, lucidissima, actuosissima, præsentia cuius, ceu obstetricante aquæ olim deformes & quasi nihil ex chaos vtero sunt partæ, atque specie aquarum, seu naturæ tumidæ imbutæ, nam vt spiritus Dei pati nullo modo queat, sed ad agendum, seu actionem solummodo erat à suo fonte emissus atque ordinatus, ita inprimis, & ante omnia reuelauit subiectum illud aquosum, vt ei pro debita inseruiret materia passiua, circa quam versaretur, & in quam tanquam in patiëtem ad opus tam magnum, qualis est macrocosmi fabrica, maximè conuenientem ageret. Hinc igitur immediatè post spiritus istius prædicti lucidi atque actiui emanationem, dixit Propheta: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et Augustinus addit: *Ignram tis virtutem præbendo atque impertiendo.* Haud aliter quidem cum iste Omnipotentis spiritus Microcosmum siue fabricam humanam die creationis sexto condere voluit, eius quidẽ tam cœlum quàm terram ex macrocosmi compaginibus, tanquam ex aquarum variformiter, (secundùm creatoris placitum) informatarũ massa, arte mirabili, atque vix comprehensibili, & scientia quasi spagyrica verbi haud vulgaris extraxit & composuit; & apparet ista massa aquarum microcosmicarum in forma humana, tunc etiam spiritus Domini ferebatur super aquas humanas seu microcosmicas: nam spirauit in faciem aquæ spiratum vitarum, hoc est, emisit in aquas macrocosmicas in microcosmum iam factas spiritum viuificantem; atque hoc modo, mediante eodem vnico spiritu creata est vita vtriusque mundi lucida; nam dixit in vtriusque compositione: *Fiat lux*; seu informentur vtrique cosmi; & effectus est protinus eius voluntatem sequutus. Atque ista est generalis componendi mundi vtriusque ratio.

Deinde pergit textus ad diei secundæ opus, & ait: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ sunt sub firmamento ab illis, quæ erant supra firmamentum,* &c. Qui allegoricum huius loci sensum perquisiuerunt, illum tam spiritualiter quàm corporaliter exposuerunt, & tam naturam angelicam quàm naturalem eum significasse asseuerauerunt, ac si per diuisionem aquarum; non modo separationem puri ab impuro, videlicet cœli angelici, seu aquarum subtilium à grossioribus mediante firmamento, seu cœli angelici & sanctorum, siue intellectualis ab illo sublunari per æthereã seu stellarem: verumetiam prauorum atque peccantium angelorum à piis, innocentibus & obedientibus per locum, in quo angeli neutrales, seu de vtroque extremo participantes, & statum tam bonum, quàm malum insoluentes regnant, & portam quasi ad Paradisum seu voluptatem cœlestem defendunt contra angelos & animas rebelles atque inobedientes.

Pariformiter maſſa humana tres habet aquarum ſpiritualium regiones: quarum ſuprema eſt angelica, intellectualis ſeu mentalis, diuinitate plena: atque præcipuè ſuam in cerebro ſedem habet: Infima eſt illa naturalis ſeu elementalis, in qua infinitæ accidunt ob ventorum ſeu prauorum angelorum ſuffitus alterationes, nec mirum, cùm iſta hominis regio ex illa mundi maioris ſublunari extrahatur, in quo *princeps aëris ſeu tenebrarum habet dominium*, vt teſtatur Apoſtolus: nam iuxta plurimorum ventorum infelicium flatus, variæ in aëre ſeu elemento generali regionis iſtius procreantur meteora inſalubria, haud aliter quàm in macrocoſmo meteora multiformia omni momento in aëre ſeu elemento ſublunari formari cernimus, quorum præſentia mundus iſte inferior diuerſo modo atque ratione affligitur: inuiſibiles autem hæ microcoſmi aquæ ſpiritus propriè naturales dicuntur, qui in hepate radices ſuas haberit.

Denique firmamentum microcoſmi cœlo ſtellato in macrocoſmo rectiſſimè comparatum, ſuum in corde tenet regale palatium, in quo vitæ ſpiritus radicem ſuam habet; non aliter quam ille, qui dat aſſiduè & præſeruat vitam creaturis, poſuit tabernaculum ſuum in Sole firmamenti mundi maioris: Imo verò & in ipſo firmamento humano videmus, quod diaphragma vndique viam claudit, atque impedit nè meteora in regione ſeu aëre infima regionis orta acceſſum haberent ad cordis regionem, ſeu cœli Solem.

Porrò etiam locus ille Moſaicus more adhuc magis viſibili & materiali exprimi atque exponi poteſt: nam animalis ſanguis, qui eſt admodum ſubtilis, & vix in pura ſua natura perceptibilis, atque inſtar puriſſimi vini ſpiritus ſunt aquæ ſinceræ, puræ & ad regni empyrealis ſeu intellectualis impreſſiones ſuſcipiendas maximè propriæ: & diuiditur ab aquis ſeu ſanguine hepatico & groſſo, ſeu regionis infimæ, in quo praua configurantur vt plurimum meteora, per aquas firmamenti, ſeu ſanguinem arterialem, quæ dat vitam vniuerſæ maſſæ humanæ, quam Sol toti fabricæ mundanæ; eſtque iſta humidæ naturæ maſſa magis pura atque ſelectiori, verbi diuini arte ſtagerica, aquarum parte extracta, quàm eſt illa infima: quare ſanguis arterialis eſt illo venali longè purior & ſubtilior: vnde etiam in hoc loco diuiduntur aquæ ſuperiores & digniores ab illis indignioribus, vtpote omni humorum genere contaminatis, per aquas mediocres, & quaſi firmamenti de vtroque extremo participantes.

Deinde vadit textus Moſaicus ad diuiſionem aquarum inferiorum mediante aëre: qui etiam hoc in loco ſe habet loco firmamenti: *Dixit Deus: congregentur aquæ ſub cœlo in locum vnum, & appareat arida; & vocauit Deus aridam terram; congregationes verò aquarum vocauit maria*, &c. In quo ſermone liquet, quod ex aquis inferioribus partitio fiat groſſi à ſubtili, mediante aëre, qui eſt diuiſor, & de vtroque extremo particeps: nam ſine aëris ſiue ſpiritus interpoſitione aqua à terra non ſeparatur, regnat enim diuiſor, qui eſt ſpiritus diuinus & primus in vtroque mundo, actor in ſanguine abundanter, vti in ſequentibus apparebit clariùs: Eſt ergo diuiſio aquarum à ſicco, ſeu aquæ ſubtilioris à groſſa, vt hac ratione ſanguis in carnes atque oſſa faciliùs & meliùs concreſcere queat; quæ diuiſio niſi à natura naturante eſſet facta, carnes aquis ſalſis permiſcerentur, atque Anaſarca, ſiue Leucophlegmatia, & morbis atque tumoribus à ſalſa pituita perpetuò laborarent; non aliter quam in macrocoſmo, niſi diuiſio aquarum marinarum à terra eſſet facta, tota terra in limum & lutum nimis liquidum redigeretur, vti in locis aqua diu ſubmerſis & paluſtribus atque ſtagnalibus videre licet.

Caput II.

Quomodo Deus non aliter impleat aërem, siue sanguinem humanum, atque in eo quandoque beneuolè, & nonnunquam maleuolè, tam per meteora bona, quàm mala agat, haud aliter quàm in aëre macrocosmico; & quod vrina loco pluuiæ macrocosmicæ cuiuscunque generis ex aëre ortæ, in microcosmo se habet, quæ iuxta venti dominantis naturam alterari assolet.

CVM igitur emanatio illa Sacrosancta, quæ ferebatur supra aquas, erat spiritus ille Domini catholicus, qui ferebatur supra aquas, generale & commune rerum subiectum, i-
3.Pet.3. gneam iis atque formalem impertiens virtutem; & cum ex dictis *aquis* catholicis *cœlum & terra*, teste D. Petro, *essent* (etiam operante & informante eodem spiritu seu verbo) *creata*, & consequenter omnia, quæ ex iis & in iis sunt facta, neminem procul dubio mentis sanæ latere potest, quòd diuinus iste spiritus, deiforme (inquam) hoc verbum impleat omnia, cũ sit centralis cuiuslibet vel forma & actor, à quo omnia, & sine quo nihil; vnde Scriptura: *Cœlum & terra sunt plena maiestatis eius.* Et alibi: *Christus implet omnia.* Ac iterum: *Spiritus disciplinæ sanctæ implet orbem terrarum.* Atque iterum: *Cœli sunt sedes eius, terra vero scabellum pedum ipsius.*

Nec dicat quispiam inconsultè satis, quod verum sit, Deum esse vbique virtualiter, sed non essentialiter: Nam quid (obsecro) est eius essentia, nisi summa ipsius virtus? aut quomodo possibile est, vt ille possit præsenter adesse ibi, vbi essentia eius deest: Si ergo sit forma & vita cuiuslibet creaturæ maximè interna, hoc est, *centrum cuiuslibet rei* (vt quàm re-
Ioan.1. ctissimè antistes Hermes dixit) *cuius circumferentia est nullibi.* Vnde Euangelista: *Ab eo o-*
Sap.12. *mnia sunt facta, & sine eo nihil, in eo erat vita*, &c. Et Salomon: *Spiritus incorruptus inest omni rei.* Anne quisquam sibi constans, negare audeat, Spiritum istum diuinum, essentialiter, præsentialiter & virtualiter implere omnia, viuificare omnia, *operari omnia in omnibus*, (vt Apostolus ait) & *quod in eo viuamus, moueamur, & simus*? His igitur ita se habentibus, sat liquidò constat, vniuersum cœlum atque terram, omniaque quæ ex iis oriuntur, impleti atque animari, & huc illuc agitari ab eo, qui est omnium plenitudo, vtpote sine cuius præsentia omnia in hoc mundo sunt inania & vacua, imò verò & planè nihil. Est ergo spiritus iste essentialis mundi anima, quippe omnia in se & per se viuificat.

Cùm ergo hoc euenit in toto, haud equidem est dubitandum; quin etiam in qualibet totius parte illud sit verum. At homo ex mundi partibus conflatur atque completur; ex elementis enim habet suum corpus, atque humores illud constituentes, ex cœlo pabulum vitale, ex Deo mentem atque intellectum, & à Spiritu, dicto sacrosancto, suum totum, quippe qui dedit mundo suum totum ex omnibus eius partibus in proportione conflatus est homo, vt esset templum Spiritus istius sancti, haud aliter quàm mundus integer eius possessionem: & quemadmodum in Sole, seu mundi centro posuerit tabernaculum suum, à quo vitam omnibus ex æterna atque perenni sua misericordia impluit, ita quidem palatium suum constituit cor hominis, vnde verè Apostolus: *Membra vestra sunt membra Christi.* Et D. Ioannes: *In eo erat vita, & illa vita erat lux hominum*, &c.

Quibus rite contemplatis percipiemus, quòd vt mundus suum esse, actum & præseruationem immediatè haurit à præsentia diuina, ita quidem in Deo viuit homo, in Deo
Iudith. i. 8. mouetur homo, & in Deo existit: *Est ergo homo filius mundi* (vt testatur Mercurius Trismegistus) *& mundus filius Dei, ac denique ambo sunt opera & filii Omnipotentis. Emisit* (inquit Iudith) *Spiritum suum, & creati sunt, dixit, & facti sunt; quare seruiat Deo omnis creatura.*

Quod enim ita sit videlicet, quòd mundus sit ad imaginem archetypi creatus, nam ad formæ archetypicæ iconem atque similitudinem formatus est mundus typicus: ad cuius denique imaginem erat etiam homo conflatus: non erit friuolè atque indignè à me factum (vt opinor) si hominem cum antiquis Philosophis dicam Microcosmum, quippe iuxta Macrocosmi simulacrum, & consequenter ad imaginem diuinitatis efformatum.

Haud iniuria igitur dictum est diuinitaté in homine inhabitare, regnare, atque omnia in omnibus operari, iuxta voluntaté suã tam in homine, quàm in mundo. In mundo dictus est Deus implere cœlos, videlicet tum empyreũ & intellectuale, siue cœlũ cœlorũ; Æthereum siue vitale, & cœlum medium; sublunare & Elementale, siue infimum. In homine implet & animat

animat ſpiritu intellectuale ſiue mentale, quaſi Tertium cœlum, in cerebro ſedem habens, à quo per neruos voluntatis ſuæ radios vndiq; emittit; vitale, quaſi cœlum medium in thorace, palatium cordiale tenens, à quo mediantibus arteriis viuificæ ſuæ proprietatis actum vndique per corpus tranſmittit. Naturale ſiue elementare, quale infimum in ventre ſeu præcordiis, vbi hepar ſibi conſtituit tabernaculum: Et quemadmodum in Macrocoſmo commune horum cœlorum ſubiectum non eſt niſi vnica natura humida, vnicus ſpiritus aquaticus, in formas tres denſitate, octo tenuitate, ab inuicem diſcrepantes, & ſpagyrica verbi diuini, ſiue ſpiritus prædicti catholici diſtinctas, ac ſi quis diceret, in aërem triplices in denſitate differentiæ; ita quidem cœli Microcoſmi ſiue humani ſunt in ſpiritu vnico ſanguineo triplici natura & dignitate ab inuicem diſtincto cócluſi, cum ille animalis ſit omnium puriſſimus & tenuiſſimus ſanguis: vitalis, conſiſtentia & dignitate illi proximus; his groſſior eſt ille naturalis.

Atque vt in macrocoſmo videmus, quod mens diuina antea allegata in curriculo ſuo empyreo natans, tranſeat per medium aërem, & vitæ ornamenta induere videatur, & cum iſtis omnibus indumentis ſuis deorſum penetret in regnum aëreum, cuius etiam vehiculi naturam atque pro vltimo ſuo veſtimento induit, priuſquam in ſanguinem humanum, qui nihil eſt niſi aër inſpiſſatus, penetret atq; ingrediatur, ita quidem cum diligentia obſeruandum eſt, quod in ſanguine humano diuina mens, ſpiritus rationalis, ille vitalis, ac tandem naturalis in eodem vehiculo ſanguineo contineatur; at ſola mens vel à centro ad circumferentiam vſq; ſe dilatando, vel à circumferentia ad centrum vſque contrahendo ſe, *operatur* in homine *omnia in omnibus, & eum viuere & moueri, atque exiſtere* facit, iuxta Apoſtoli præceptum. *Actor.* 17.

Ob iſtam cauſam huic noſtræ aſſertioni aſtipulans, in hæc prorumpit Mercurius Triſmegiſtus verba: *Anima hominis in hunc vehitur modum: Mens in ratione, ratio in anima, anima, in* *Pimand.* 10. *ſpiritu ſeu aëre, ſpiritus ſeu aer in corpore, ſpiritus ſeu aer per venas arteriaſq; ſe quaqueque diffuſus animal vndiq; ciet, molemq; corporis ſuſpenſam ſuſtinet, atq; circumfert.* Atque hoc idem cum textu *Gen.* 9. 4. 5. Moſaico conuenire videtur, quippe quo docemur: in vno loco, quod ipſe *ſanguis ſit anima hominis*, non aliter, quam aër mundi inferioris. At in eodem capite dicit, quod *ſanguis ſit ſedes animæ*: haud aliter, quam caræ ipſius vitæ influentiæ ſeu dotes cœleſtes, in aëre, quaſi vitæ vehiculo, comprehenduntur, quas mediante aëre aſſidue per inſpirationem introducimus.

His igitur mentis oculo cum diligentia perſpectis atque conſideratis, videlicet quod ſpiritus Dei non modo impleat omnia in vtroque mundo, verum etiam operetur omnia in omnibus in iis, iuxta hæc ſcripta ſacra: *Deus non aliquo indigens dat omnibus vitam & inſpiratio-* *Actor* 17. *nem, & omnia.* & alibi: *Deus operatur omnia in omnibus. Ex ipſo, per ipſum & in ipſo ſunt omnia:* ac 1. *Cor.* 12. iterum, vt antea, *in eo viuimus, mouemur & ſumus:* Videamus (obſecro) quid operetur ſpiritus *Rom.* 11. 22. iſte diuinus ſapientia imprimis in mundo, & per quę organa, vt tum poſtea facilius de ipſius *Actor.* 17. in homine effectibus, poſſimus melius atque directius iudicare. Imprimis igitur (iuxta ea, quæ ſunt alibi à nobis relata) Deus cum ſit, cum tenebrarum tum lucis origo & opifex, per proprietatem quandoque tenebroſam & frigidam contrahendo ſe, & conſequenter creaturam in ſe, & quandoq; per lucidam & calidam dilatando ſe, atq; creaturam à ſe ſeu centro verſus circumferentiam. In iſtis ſuis proprietatibus operari ſolet ipſe tam in clementia & benignitate ſua ad mortalium præſeruationem, quam in iracundia & ſeueritate ad mortalium deſtructionem ſiue perturbationem: Organa eius immediata ſunt Angeli, quorum fons & caput eſt ſpiritus prædictus catholicus, à Deo primitus ad voluntatem ſuam in mundo exercendam emiſſus: vnde liquet, quod vt *iſte ſpiritus ſit caput Angelorum & principatuum* teſte Apoſtolo, ita quidem angeli ordinati ab eo ſunt quaſi radii ab eius fonte lucido in vna dictarum proprietatum emiſſi, ad voluntatem ſuam in cœlis atque terris exequendam.

Hic ergo Angelos ſuos fecit ventos, aut per eos animauit ventos, iuxta proprietates ſuas prædictas, vt Elementum mundi ſublunaris catholicum vel in naturam frigidam & contractiuam, videlicet aut terream ſeu aqueam per afflatum Septentrionalem à ſpiraculo Occidentali, vel dilatatiuam, nimirum aut igneam per ſpiritum Orientalem, aut aëream per ventum meridionalem reducerent. Vnde liquet quod elementum hoc mundi vnicum catholicum, quadriformi ventorum afflatu, quadriformiter alteretur, & quod tum poſtea mediantibus dictis ventis elementum illud in meteora redigitur iuxta venti prædominantis naturam, vel terream, vt niues, glacies, pruina, grando: vel aquea, vt ros, pluuia gelida: vel aërea, vt nubes tonitruales & fulgura, aerque corruptus & nebuloſus: vel ignea, vt coruſcatio, cometæ, & cætera meteora ignita.

Porro etiam quod huiuſmodi meteora à dicto ſpiritu ordinentur ad pœnam ſiue pu-

 nitio-

nitionem, & nonnunquam ad creaturarum beneficentiam, ex hisce Iobi sermonibus colligere fas est. *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuia, fulgur, tonitru, &c. quicquid præcipit Deus istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad terram, siue ad faciendam beneficentiam, efficit, vt præsto sint.* Nec satis est scrupulosis quibusdam replicare, quod hæc non à spiritu catholico fiant, sed à ventis, qui quandoque producunt iuxta naturas suas meteora, quandoque praua & infelicia, nonnunquam bona & salubria: at vero spiritus Dei est semper bonus & propitius; imprimis enim eos docebo, quod spiritus iste æternus aliquando ad iracundiam moueatur, & tunc seuere cum hominibus & creaturis, mediantibus suis organis angelicis & ventis, agere assoleat; deinde quod omnes eorum actus non pluribus, sed vnico soli spiritui summo & capitali reuera referri debeant: & per textuum totius veritatis probare aggrediemur omnia meteora, tam maligna quàm benigna essentialiter à catholico illo mundi spiritu prouenire: ac in vltimo loco applicabimus ea omnia, quæ de macrocosmo sunt dicta ad microcosmum, vt ad rectius tum postea mutationis & varietatis vrinarum iudicium perueniamus.

Iob. 37. 8.

Ad primum igitur quod spectat, videlicet quod spiritus seu angelus Dei magnus (quem *emanationem æternam* diximus) quandoque irascatur, & in iracundia sua malis affligat, testatur scriptum sacrũ: *ecce* (ait textus) *mitto angelum meum ante in locum illum, quem præparaui: caue tibi à facie eius, & ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo*: vbi liquet, quod angelus iste tam ad iracundiam quam ad beneficentiam sit paratus: at quod ille angelus magnus esset *spiritus ille sapientiæ, qui emanauit à Maiestate Dei*, alibi testatur Syracides in persona eius: *Ab ore Altissimi prodij. & tanquam nebula cooperui terram, thronus meus in columna nubis, &c.* & alibi Sapiens: *Fuit sapientia ijs tegumentum interdiu & lux stellaris noctu.* Quibus liquet, quod angelus ille erat *spiritus sapientiæ*, qui cum clementer tum seueriter cum Israelitis & hostibus eorum agebat in itinere eorum per desertum: quandoque maria diuidendo per ventos; vnde Moyses: *Vento Euro vehemente Iehoua abegit ipsum mare, & redegit ipsum mare in siccum:* & alibi, *Flauisti vento tuo & operuit eos mare, &c.* Atque per ventos iterum relaxat aquas ligatas: vnde alibi; *Eurum impellebat in cælu, & reducebat robore suo Austrum.*

Exod. 23.20 · *Eccles.* 3. · *Sap.* 10.17.

Exod. 41.41. *Exod.* 15.10. *Psal.* 78.26. *Exod.* 10. *Num.* 11.31.

Porro etiam vento plagas inducit in iracundia. Hinc alibi Moyses: *Iehoua duxit ventum Eurum in terram Ægypti, vt apportaret locustas in plagam, &c* Atque iterum in misericordia sua ventum Occidentalem emisit, ex aduerso, qui locustas illas auferebat, iterum in clementia: *Ventus profectus est à Iehoua, & coturnices dissecuit in castris.*

Exod. 9. *Iof.* 10. *Psal.* 104.

Porro grandinem & sonos seu tonitrua cum igne edit Iehoua mediantibus ventis, (aut vt Psaltes vult) *volans super pennas ventorum*, in rebellium pœnam: atque etiam in incredulorum terrorem tonitrua horrenda super montem Sinai redduntur: *Tonitru, grandine ac fulgure, lapidibus magnis de cælo:* At vero quod Deus fecerit angelos suos ventos, testatur Dauid: *Qui facis angelos tuos ventos & ministros tuos ignem vrentem.* Præterea, quod in itinere isto Deus per suum Angelum magnum mediantibus angelis prauis operatus sit in rebellium pœnam, patet ex verbis istis Psalmistæ: *Immisit in eos Deus viam indignationis suæ, viam & tribulationem per malos angelos.*

Psal. 78.47.

Ex prædictis ergo euidens est, quod Deus aderat in angelo illo magno, quatenus nomen eius erat in eo, vnde per totum sermonis Exodi filum ascribitur illud opus, quod angelo magno seu Sapientiæ erat ascriptum, Iehouæ: vt enim dicitur Angelus intendit textus de creatura primogenita, vnde Ecclesiasticus: *Sapientia ante omnia creata:* at vbi Iehouæ attribuit actum, ibi ipsum creatorem seu angelum internum intelligit: est enim angelus *Agalmata* dictus, quasi speculum politissimum, recipiens lumen essentiale maiestatis diuinæ; vnde & in angelo isto, iuxta verba Iehouæ, *nomen Dei:* at verbum Dei est lux eius, quæ in Spiritum angelicum, quasi in speculum recipitur: definitur igitur sapientia à Salomone, esse *candor & splendor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.*

Eccles. 1. · *Sap.* 7.

Quid plura? cum certum sit, quod æterna ista Sapientia, quamuis mediantibus ventis & angelis eorum variformiter iuxta ventorum & Angelorum proprietates operetur, tamen totum illud opus huic soli spiritui catholico attribuatur, cuius quasi digiti sunt angeli, qui sunt eius ministri, non magis ab eorum fonte seu capite differentes, quam radii solares à Sole: vnde quando operantur iracundiam eius complendam in malas, conuertuntur proprietates, an in benignitate, in bonam: Hinc dixit Propheta ex mandato Dei: *Veni spiritus à quatuor ventis:* inde arguens, quod spiritus vnicus contineat in se omnes ventorum proprietates, & consequenter, aera seu elementum commune in meteora cuiuscunq; conditionis redigere possit. Vnde pro sua voluntate sit igneus, & tunc vtitur igneis spiritibus, seu Orientalib. & ventis talibus, pro suis ministris: quandoq; aereus,

Ezech. 37.

aëreus, & in tali conditione vtitur aëriis ſpiritibus & ventis meridionalibus: nonnunquam aqueus, & tunc in conditionem occidentalem & aqueam ſe conuertit, habebitque pro ſuis miniſtris ſpiritus tales: deniq; pro ſuo placito fit terreus & ſeptentrionalis, & vento ſeptentrionali cum Angelis talibus in illa conditione agit & operatur: atq; hac ratione tam in contractiua, quam dilatante ſua proprietate, tamque in ſeueritate, quam clementia & benignitate meteora condit in aëre, ad placitum ipſius perficiendum, qui eum emiſit, ex ſeipſo, tanquam filium à patre ad perficiendum voluntatem ſuam tam in cœlis quam in terra; iuxta prædictam Iobi aſſertionem: *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgura & tonitrua, quodcunque præcipit Deus iſtis faciendum in terra ſiue ad flagellum, ſiue ad beneficentiam; efficit vt præſto ſint:* Iob. 37.
Verum, quod meteororum omnium productio prædicto adſcribitur ſpiritui, teſtatur Biblion Iob. 28. 25.
ſacrum: *Deus aptat ſapientia ſua pondus aeri, & appendit aquas in menſura, & facit pluuiæ ſtatuta; &* Iob. 26. 9.
viam fulgetro tonitruum: ligat aquas denſis nubibus ſuis, adeo vt non findantur, continet ſuperficiem Prou. 3. Iob. 28.
ſolii & expandit ad illud nubem ſuam: nubes ſuperiores diſtillare facit rores, & vtres cœli proſternit: ita Iob. 12.
cohibet aquas, vt areſcant, & ita emittit eas, vt ſubuertant terram. Denique hæc omnia ſapientiæ, ſeu vento Dei aſcribuntur, & tamen mediantibus ſuis organis ventoſis ſiue angelicis hoc facit: vnde textus alibi: *Iehoua inclinauit cœlos, & caligo ſub pedibus eius, aſcendit ſuper Cherubin, &* 2. Reg. 22. 8.
volauit ſeu lapſus eſt ſuper pennas ſeu alas venti, cribrans aquas de denſis nubibus cœlorum, præ fulgore eius nubes ſuccenſæ ſunt, carbones ignis adfuerunt, tonabat de cœlo Dominus, excelſus dedit vocem ſuam, miſit ſagittas ſuas, & diſperſit eos fulgur, & conſumpſit eos, &c. Quibus euidens eſt, hæc omnia Iehouæ fuiſſe aſcripta, & tamen vtitur ipſe angelo Cherubim, & vento in iſto negotio: quippe mediantibus quibus tam malum aduerſus inimicos & impios patrare, quam bonum in piorum beneficentiam efficere geſtit: vnde etiam alibi Dauid: *Ventus procelloſus efficiens verbum* Pſalm. 104.
Dei: atque iterum: *Angeli Dei validiſſimi robore efficientes verbum eius, auſcultantes voci eius, miniſtri eius facientes placitum eius, qui fecit angelos ſuos ventos & miniſtros ſuos ignem vrentem.*

Quibus ſedulo, atque ſerio conſideratis, & ad prædicta relatis, intelligere & colligere fas eſt, quod cum homo ſeu microcoſmus ex macrocoſmi compaginibus ſit à diuino opifice conditus, atq; fabrefactus, vt etiam ex iiſdem nutriatur tam ſpiritualiter quam corporaliter; nam quis, obſecro mortalium ſine ſpiritus mundani inſpiratione aut nutrimento externo elementali in ſuo ſtatu vitali perſiſtere queat? vt igitur ſe habet nutrimentum externum, ſiue ſit ſpirituale, ſiue materiale, tale erit nutritum, iuxta tritum illud; quod facit tale, eſt magis tale; ſi ergo intra diuina meteora in ſpiritu macrocoſmico infelicia mediantibus miniſtris ventoſis condantur, neceſſe eſt vt cum per nutrimenta elementaria intro ducantur ſeminaria eorum maleuola ad noſtra interiora, ibi in ſpiritu noſtro naturali talia ſolent condere meteora morboſa, ex qualibus ipſa in macrocoſmo fuerunt; aut ſi inuiſibiliter per aëra ad pulmones vel cerebrum inſpirentur, furtim introducere ſolet cum vitæ ſeminariis, vel contagioſa meridiei, vel æſtuoſa & ignea Orientis, vel madida & phlegmatica Occidentis, aut denique ſicca & melancholica Septentrionis ſpermata ſeu ſemina; vnde factum eſt, quod aer ſeu ſpiritus ſanguineus vitiari atque contaminari, & præternaturali diſpoſitione affici, idque in forma & conditione diuerſa dignoſcitur, niſi natura humana (ſic volente Deo) à bono angelo aduerſus prauorum ventorum atque meteororum inſultus muniatur, & ſigillo quaſi Dei viui conſignetur, vti in *cap. 7. 1. Apocalypſeos & in cap. 9. Ezechielis* legimus; atque hinc eſt, quod quidam ſeminariorum malignorum vndique per aera diſperſorum rabies euitant, alii vero eorum crudelitati ſubiiciuntur, quemadmodum in tempore morborum Epidemicorum euenire animaduertimus.

Nonne hoc idem experientia ſolummodo docti perceperunt Doctores ethnici; vbi aiunt flatus huius vel illius venti temporibus hiſce ſpirantis hos vel illos morbos futura anni quarta effecturos? Similiter ventos aquilonares diu flantes, aluorum ſiccitates, lippitudines, oculorum mala, pectoris infirmitates, &c: Auſtri diuturniores, Auditus grauitatem, vertigines; difficultatem membrorum, alui fluxus, & huiuſmodi alios morbos, in corpore humano procreare; Sed quoniam de iſtis alibi abundantius, in hoc loco plura non efficiemus verba: ſed ad propoſitum pergemus.

Vt ergo quilibet ventus ordinatione & operatione diuina generat nubes, flatus, atq; alios effectus meteorologicos iuxta ſuam naturam, ita quidem neceſſe habemus credere, aër ſeu elementum generale, inprimis ad venti naturam ſit alteratum, quam alterationem tum poſtea ſequuntur humores; &c. Species meteorologicæ tales; vnde liquet, quod ventus igneus ſeu orientalis natura illud facit æſtuoſum, & conſequenter æſtuoſos gignit humores, ſeu nubes tenues, cum fulgure, ſeu coruſcatione, mixtas; ſuntq; nubes eo tenuiores, quo ſicciores, & ſi in humores reſoluantur, faciunt igneos humores ſiue æſtuoſos cũ ſalſedine ſicca.

Horum ergo ſeminaria in corpore alterant elementum ſanguinarium, gignuntq; in eo

vapores

vapores ſiccos, qui cum madore ſeu ſero ſanguinis mixti illud æſtuoſum atque intenſum cum tenuitate propter ſiccitatem igneum faciunt; & quo magis fulgurantia & calida ſunt dicta ſeminaria, eo magis intentior erit pluuia ſeu vrina deſcendens à cœlo aereo ſeu ſanguineo ipſius hominis: quod quidem accidere ſolet iuxta conditionem venti ab oriente flantis: nam Subſolanus facit ſuo ſpiraculo cœlum temperatum in calore præcipue, ſi cum ſpiraculo Fauonii coeat; ſin minus reddit naturam aeris ad choleram citrinam & ſolarem magis pronam, vnde fit vt in hoc ſtatu vrina ſeu pluuia cæli ſanguinei ſit parumper intenſior & magis ab aureo colore ad crocietatem vergens cum tenuitate propter ignis dominium: Verum ſi ab humore occidentali contemperetur, pluuiam vrinalem colore auream & temperatam in ſubſtantia reddet: Verum ſi Euri ſpiritus præualet, & in aere vtriuſque mundi præternaturaliter operetur tunc pluuiam & vrinam vtriuſque efficiet altioris atque intenſioris caloris à crocitate ad extremam rubedinem vſq;, nec non cum ſubſtantiæ ſubtilitate ac pelluciditate: Verum ſi cum eo chorus coeat, ſpiſſior reddetur, & pituitam putridam & viſcoſam in venis includi arguet, propter denſam afflatus Chori diſpoſitionem. Verum ſi ex altero latere Cæcias diu dominium in aere habuerit, aſſiſtente etiam Sole ſuis radiis, tunc nubes ſiccas & pluuias ſeu vrinas tales ſignificabit, quas propter intenſam eius ſiccitatem & caliditatem intenſe rubras & vinetas, atque ad viriditatem ſiue aduſtionem borealem tendentes facit. At ſi Africus coeat cum eo, erit ſpiſſior & non ita ſicca; Verum ſi Auſter beneuole flat, vrinas facit ſpiſſas, non aliter quam Auſter congregare ſolet elementum commune in denſos vapores & nigras nubes; arguit etiam quod vrina erit ſatis intenſa ob meridiei calorem; Verum ſi flatus meridionalis fuerit mitis & naturalis, aerem & ſanguinem reddet naturalem: & conſequenter eorum ſerum, videl. pluuiam aeris & vrinam ſanguinis talem, hoc eſt, aurei coloris cum intenſiori ſpiſſitudine. Verum ſi Boreas cum eo coeat, ea magis diminuet de ipſius ſpiſſitudine, & diminuet de eius colore citrino, quo fortior erit Boreas in ſuo afflatu: At ſi in latere Orientali Euro auſter flauerit, vrinam magis tenuem reddet, at colore intentiorem, & erit longe Euro ſpiſſior, & putredinem magis æſtuoſam arguet; At ſi cum circio coeat, mitigabitur aliquantulum in ſua ſpiſſitudine, nec erit adeo intenſa, niſi adſit propter contrarietatem maxima putredo, & tunc humor Auſtralis congelabitur, & inſpiſſabitur, quemadmodum in febribus denſis apparet; Denique Auſter Africus maiorem in aere atque ſanguine humorem, ſed non tantum coloris, ac in cæteris duabus: quare vrina erit magis tenuis, & ad ſalſedinem procliuior, nec in colore adeo intenſa, ſed ſubcitrina cum ſpiſſitudine quadam non naturali: Verum ſi Aquilo cum eo coeat, ſanguinem & aerem magis gelidum & ſpiſſiorem; nec ita intenſum reddit, niſi adſit putredo cum ſalſedine.

Porrò etiam ſi Fauonius præualet in aere, tunc illum aquea natura naturali more & temperate humectat, ſanguinemque etiam ſuo madore perfundit, vnde ab vtroque videl. aere & ſanguine, diſtillant pluuiæ ſeroſæ magis aqueæ, cum pauca vel fere nulla tinctura; non ſine ſpiſſitudine ſatis inſigni, quoniam frigus boreale aliquantulum condenſat aqueam illam diſpoſitionem: Verum ſi Subſolanus coiuerit cum eo, tunc erit ipſa vrina in ſubpallidum aut ſubcitrinum colorem mutata, nec in conſiſtentia ſua adeo ſpiſſa: At ſi Africus in aere vel ſanguine dominium habuerit, pluuias parum æſtuoſiores efficiet, & conſequenter vrinas ſubcitrinas, & ſpiſſas, defluxiones tenues & acres indicans: Verum ſi cum eo coiuerit Cæcias, erit vrina citrinior, & ſalſior ac ſiccior longe: Denique ſi Corus vim habet in aere mundi & ſanguine hominis, erit vrina aquea, ponderoſa & ſpiſſa, & colore magis glauco, arguens caloris natiui refrigerationem; talis erit pluuia facta ex nube, grandine & aqua mixta: At ſi Eurus coeat cum ipſo, phlegma faciet viſcoſum, & putredinem ex eo, aut morbum caducum, aut huiuſmodi alios humores, eritque vrina ad glaucedinem tunc tendens, & ad luteam conſiſtentiam, cum viſcoſa mucoſitate.

Denique Boreas reddit aera, & conſequenter ſanguinem, lentum, ſiccum, frigidum, vnde & pluuias niuales, vel grandinoſas facit; at gratia frigiditatis vrina alba, vt aqua rupis redditur, & clara ac tenuis gratia ſiccitatis, nam vt frigiditas remiſſiſſimum facit colorẽ, ita ſiccitas congelat leniiorem ſeri partem, in maſſam ſanguinis; vnde tenuis & clara reddetur talis: At ſi Auſter coeat, cum Borea, participabit cum perceptibili colore & denſior erit; Verum ſi Aquilo dominium habeat in aere vtriuſque mundi, tunc quidem nubes & gelu afficiet illum mundi, & viſcidis humoribus, atq; denſis illum ſanguineum hominis, flatuſq; ſiccos efficere ſolet in vtroq;, vnde etiam pluuias tales in vtroque mundo, videl. niuoſas in maiori, & vrinas admodum tenues & ſubtiles in minore, ratione duplicis ſiccitatis, colore candidam ſeu albam, inſtar vini Rhenani limpidiſſimi. At ſi pariter ſpiret in oppoſito Auſter Africus, tunc diminuitur eius ſiccitas parum, & ſenſibiliter ſentitur parumper incorporare vrinas, aut nubeculis ipſas aliquantiſper obtenebrare.

Hîc ergo obiter est notandum, quod vbicunque in tenui vrina siue sit Orientalis, siue Septentrionalis ventus humidus opposite flare cernitur, ibi in vrina tenui nubes inuenietur suspendi: verbi gratia, si vrina sit tenuis & aurea cum hypostasi laudabili, candida & coniuncta, arguit naturæ sanitatem, per commixtionem afflatus humidi Fauonii cum illo Subsolano, at superat calor natiuus beneuole à Subsolano datus: Verum vbi contenta reperietis præternaturalia, vt eneoremata, male formata, seu nubes rebelles, male suspensas & male compositas, tunc arguet ventum oppositum humidum flare contra ventum aliquem male spirantem, & semper notandum, quod spissitudo in vrina fit à vapore venti humidi, non aliter quam ex afflatu australi vel Occidentali nubes in aere congregari cernimus: nam venti sicci per se vel pellunt atque dissipant nubes potius, quam vt eas congregent; est enim oppositorum spiramen, quod aerem condensat, quorum humidus præbet materiem, siccus constringit & ligat.

Concludimus autem cum Circeo, quippe qui ventos circumgyrantes creat, in maioris mundi aere, & in minori Scotomiam, vertiginem atque epilepsiam: vnde fit vt pluat niues atque grandines ab alto, à macrocosmi aere, & vrinas tales gelidas aqueas bullis siue ampullis plenas; Verum si ex aduerso spirat Euro auster, nubes turbinosas & tenebrosas creat, cum pluuiis talibus, atque vrinas in homine rebellibus nubibus, aut viscosa materia mixtis.

Iam vero ea, quæ à nobis sunt iam dicta, partim authoritate cum sacra, tum Galenica, & Hippocratica, tum experientia oculari confirmare aggrediemur.

CAPVT III.

Quomodo testimoniis, tam Ethnicis, quam sanctis probetur, morbos, & consequenter præternaturales Vrinarum mutationes, à ventorum proprietatibus procedant; Et quod Deus hæc omnia operetur, cum in mundo, tum in homine, mediantibus Angelis suis.

QVod facit tale, est magis tale, ait axioma philosophicum: atqui aer microcosmicus aut per victus rationem introsumptus, aut per inspirationem introductus fecit sanguinem talem, qualis est, ergo qualis est iam nunc sanguis animalis, ab aere creatus, magis talis procul dubio erat aer eo tempore, quo seminaria ventosa sanguinem alterantia, priusquam in corpus erant inspirata; Porro etiam qualis est sanguis, qui facit serum seu vrinam, quam emittit, talis procul dubio erit eius vrina, seu serum, quod emittitur.

Primam particulam sic probat Galenus cum Hippocrate consentiens; *In temporibus,* ait, *magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis ventorum, aut horum defectus. &c.* Ac si dixisset, cum textu Hippocratis: *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos:* Hoc est, iuxta venti naturam in elemento catholico dominantis, sequentur in corpore humano morbi propter participationem sanguinis cum aere seu elemento generali, quod seminariis venti alterantis præternaturalibus corrumpitur, quem vt homo ex necessitate inspiratione introducat, sparsim in *libro de tuenda sanitate* fatetur. Tunc secunda particula sic sequitur. *At alterato vitiosis venti seminariis sanguine à statu naturali, necesse est, vt vrina siue serum eius sit tale, qualis ipse sanguis,* h. e. à statu suo pristino alteretur, iuxta naturam venti alterantis. Vnde si venti afflatus aerem mundanum reincrudauerit, aut rigidiorem aut humidiorem, aut licciorem aut calidiorem, atque magis coctum, quam parem, reddiderit, sequitur quod talis etiam erit sanguinis status, talisque per consequentiam, vrinæ. Hinc ergo non est mirum, si vrina quam facilime statum præternaturalem sanguinis & consequenter vitæ detegere solet: Nonne etiam verbis expressis ista denotant medici Ethnici in sola experientia stultorum matre versati? Hinc ergo in ventorum siccorum, siue sint Orientales, siue Aquilonares, dicti Medici veteres ista:

In temporibus siccioribus febres acutæ fiunt; si annus magna ex parte talis fuerit: qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos expectare oportet: 3. Aphor. 7.

Et consequenter vrinas tales, videl. Orientales intensas, & quales in febribus exquisite tertianis, & à mera cholera factis.

Pro occidentalibus & Meridionalibus sic:

Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte fiunt febres longæ: nam aeris ambientis humidi-

Æſcul in aph.3.7. *tas pituitoſos accruat humores, & non paucas generat in ſanguine aquoſas humiditates: Sicca vero tempora ſunt pluuioſis ſalubriora magis & minus mortiſera.*

Et conſequenter in talibus affectionibus vrinæ tales ſunt expectandæ.

Pro Septentrionalibus ſic:

Tempeſtas aquilonaria facit tuſſes. faucium aſperitatem, aluum duram, difficultatem vrinæ, coſtarum dolores, atque pectoris infirmitates.

3. Aph. lib. 5. *Si æſtas ſit borealis & ſicca, accidunt iis qui ſub Arcturo ſunt, lippitudines aridæ, febres acutæ & diuturnæ, & aliquibus bilis atra, quia liquidiſſimum & aquoſiſſimum in bile conſumitur, denſiſſimum vero ac acerrimum relinquitur.*

Et conſequenter tales vrinæ apparebunt.

Iterum pro temporibus pluuia redundantibus, videlicet meridionalibus & occidentalibus.

3. Aph. 16. *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte ſunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, Apoplexiæ & Anginæ. In ſiccantibus tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia vrinæ, difficultates inteſtinorum, &c.*

Porro quod diuturni venti auſtrales ſint cauſæ peſtis & morborum Epidemicorum ſparſim narrat ipſe; Et conſequenter vrinæ tales.

Infinita iſtius generis argumenta alia ex Authoribus iſtiuſmodi Ethnicis elicere poſſumus, mutationis ſanguinis præternaturaliter rationem à ventis arguentes: & conſequenter, vrinæ tam in qualitate quam in quantitate atque conſiſtentia varietatem arguentia, quæ omnia breuitatis cauſa omittam, vt ad Authoritates à textu ſacro depromptas perueniamus, inde indicãtes, quod Deus in macrocoſmo ſit ſolus ventorum, aeris & meteororum alterator, in bonum vel in malum, prout ei optimum videbitur; ac deinde, quod conſequenter per macrocoſmi ſpiritum in microcoſmi ſanguine, meteoris in eo partis, atque vrinis quaſi nubium aeris ſanguinei pluuiis, immediate agat & operetur multiformiter.

Deut. 20. Pro morbis ſeptentrionalibus, ait Moyſes, *Percutiet te Iehoua frigore, & dabit tibi cor trepidum, hebetationem oculorum, mærorem animi, pauebiſque noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua, &c.* Hic ergo expreſſe videtur Antiſtes depingere effectus morbidos venti Septentrio-

Iob. 27. nalis: nam ait Iob: *Venti aquilonares producunt frigus. flante autem concreſcit gelu:* Et Dauid: *Deus*

Pſal. 147. *fortis edit flatu ſuo niues, quaſi lanam, & pruinam ſicut cinerem diſpergit, coram frigore eius quis con-*

Iob. 27. *ſiſtat?* Et Iob: *Frigus, glacies, pruina, nix, quicquid præcipit Deus iſtis faciendum in ſuperficie orbis terrarum, ſiue ad flagellum ſiue ad beneficentiam. præſto ſunt, &c.* Quibus euidens eſt quod morbi omnes frigidi à flatu Dei vel magis contractiuo, videl. Septentrionali, vel minus, nimirum ab Occidentali: quippe à quibus quartis mundi Deus mediantibus angelis ſuis emittit flatum ſuum ad effectus ſuos aduerſus creaturas impias & peruerſas exercendas, vel ad terræ atque creaturarum beneficentiam.

Verum ſi ventus Septentrionalis per ſe in proprietate Dei ſtiptica & contractiua flauerit, tunc quidem ſerenat cælum atq; depurat aerem & ſanguinem à ſpiſſis nubibus, verum reddit ſpiritum mundi, atq; etiam illum hominis ſiccum & frigidum, congelationi & fixitati aptum, & in homine per conſequens magis fixum, attonitum, mœſtum, pauidum, & ancipitem, atque flatu aquilonari plenum, etiam nullo aut humore gelido, aut nube niuali, aut meteoro vitreo aut glaciali in corpore aut ſanguine apparente. Quid enim eſt flatus melancholicus, quam ventus frigidus & ſiccus? & conſequenter Septentrionalis: quid humor aut vapor groſſus, quam nubes aut humor congelatus ab ea mundi plaga? Hinc ergo ſequitur, quod vrinæ quæ à cælo ſeu ſanguine iſtiuſmodi melancholico ſeu boreali deſcendunt, ſint tales, tam in colore, conſiſtentia atq; quantitate, videlicet crudæ, tenues, albæ & mediocris quantitatis.

Ion. 4. 9. Ad Orientales morbos quod ſpectat, ait textus: *Præcepit Deus vento calido & vrenti*, vel vt alia interpretatio habet; *Parauit Eurum ſilentem, vt percuteret Sol ſuper caput Ionæ, adeo vt æſtuaret taliter, vt peteret animæ ſuæ, vt moreretur.* Hinc ergo notare poſſumus, quod quando Deus noluit Ionam morbo febrili affligere, non vſus eſt aliquo ex aliis ventis, ſed ſolo Orientali, vt ex verbis Prophetæ apparebat. Similiter mediante Euro in mundo maiore arbores, rami,

Ezech. 19. 12. & fructus eorum marcore ſunt contracti, teſte Ezechiele: *Et ventus vrens, ſeu Eurus adurebat*

Geneſ. 41. 6. *ſpicas*, teſte Moyſe. *Et Euro, vento Iehouæ è deſerto aſcendente exaruit & ſiccatus eſt fons*; vt ait Ho-

Hoſ. 13. 13. ſea. Et pro mundo minori Amos: *Percuſſi vos in vento vrenti & multitudinem hortorum veſtro-*

Amos. 4. 9. *rum, miſi in vos peſtem prorat ione Ægypti.* Et Iob. *Turbo improbum noctu furtim abripit, aſportan-*

Iob 37. 20. *te ipſum Euro abiit, quia more procellæ corripit eum à loco ſuo*; Et Haggæus: *Percuſſi vos vento vrente*

Hag. 2. 18. *& aurigine & grandine, & omnia opera manuum veſtrarũ.* Et ſciendum eſt, quod in iſta Dei proprie-

Deut. 4. 24. *Hebr.* tate vocatur *ignis conſumens*, tam à Moyſe, quam Apoſtolo. Et Iobo: quippe in qua conuertit

Iob. 41. 18.

com-

commune elementum in ignem & fulgura, quorum postea, vtitur (teste Salomone) cum pro beneficio tum ad flagellum, verba sunt: *Ignem mittit Deus, ne comburat, modo Deus ignem facit ardere inter aquam, vt terra iniustæ fœtus corrumperet; Nam creatura tibi qui fecisti omnia subseruiens, ad punitionem contra iniustos intenditur, & remittitur in beneficentiam pro iis, qui confidunt in te:* Quo videre potestis, quod creatura in se bona, facta sit in iracundia Iehouæ mala, atque crudelis & ferox creaturis: mouente centraliter virtute Angelica: Hinc Psaltes; *qui facis Angelos ventos, & ministros tuos ignem vrentem*; Hinc ergo alibi hæc: *Effunde æstus tuos in alias gentes, quæ non cognoscunt te, nã consumptor consumpsit Iacobum*; Hinc igitur de istiusmodi spiritibus igneis intelligens Iob: ait in sui morbi æstuosi vigore: *Sagittæ Omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, &c.* Quo sermone de spiritibus Dei in proprietate sua ignea, seu Orientali exultantibus intendit vir patiens; de quorum effectu etiam alibi hæc ad ipsum Iehouam: *Efficis vt defluam, substantia, viscera mea efferuefacta sunt adeo, vt non quiescant, atque pulsus mei non recumbunt.* Sap. 16.22. Psal. 104. Psal. 15.9. Iob. 6. 4. Iob 30.17.

Denique hæ Dei in proprietate sua Orientali plagæ optime ex istis Mosaicis explicantur; *Percutiet,* (ait) *te Iehoua, tabe calida & æstuante, ac vrente febre, & siccitate, & vrigine, & morbo regio, &c.* Quod autem hæ omnes plagæ sint proprietates venti vrentis, siue Euri effectus, testantur loci ex Prophetis producti.

Concludimus igitur, quod vrinæ igneæ etiam à cælo seu aere hominis sanguineo in proprietate Dei Orientali inflammato, more pluuiæ vel nubis, fulgure & coruscatione per mixtæ descendere ex necessitate debet, quæ propter caloris ignei præsentiam est intensa, subtilis, ignea, & quasi pluuia seu nubilosa materia ex aqua & igne permista.

Pro morbis Meridionalibus à Iehoua mortalibus immissis ista: Abak. 3.3.

Ait Propheta Abacuc: *Deus ab Austro venit, operuit cælos gloria eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius; anteiuit eum pestis, & lues vastans in meridie, &c.* Quo sermone arguit, Deum esse principalem in Peste & lue actorem, & quod instrumenta, quibus in corrupta ista proprietate agit, sint Diabolus seu dæmonium meridiei, & ventus auster; denique quod effectus sint lues vastans in meridie seu pestis.

Et Psaltes hoc idem confirmat in his: *Non timebo à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine peruadente, à lue vastante in meridie, seu ab occursu dæmonii meridiani*; In meridionali ergo proprietate Iehouæ, mediantibus suis Angelis prauis Australibus, quibus vtitur in isto suo actu, aera vtriusque mundi, seu imprimis macrocosmi Elementum ab halitu australi, à dæmonio illius plagæ expirato, & tum postea, illud microcosmi per macrocosmum: atque ita morbi Epidemici & populariter grassantes generantur. Ob istam igitur causam, ait textus: *Percutiet te Iehoua peste & aere corrupto, donec pereas*: & alibi; *Si aer corruptus fuerit in terra tua, orabis in domo ista, &c.* Porrò etiam ad istum mundi angulum referuntur omnes alii morbi tam contagiosi quam non contagiosi, si à putredine violentiam sortiantur suam; vti alibi *in lib. 4. Membr. 2. de morborum differentiis* plenius est declaratum. Psal 91. Deut. 28.


Concludimus igitur, quod tales etiam erunt vrinæ in microcosmo & pluuiæ in macrocosmo, videlicet perturbatæ satis spissæ, & rationis mixtionis caloris æstuosi cum putrida humiditate, intensæ & rubræ, cum nebulis vt plurimum corruptis ratione humiditatis.

Denique quod ad Occidentalem attinet ventum, ipse etiam à proprietate Iehouæ Occidentali animatus varios producere solet morbos frigidos & humidos. Si sit ita, quod testatur Reuelator, videlicet, quod *quatuor Angeli sint positi in quatuor angulis terræ, habentes dominium super quatuor ventos quibus datum est nocere terræ & mari ac arboribus*, tunc quidem certissimum est, quod sit etiam in plaga Occidentali Angelus nocens, & morbis in illius Dei proprietatis virtute creaturas affligens, paratus mortales morbis phlegmaticis, aquaticis, & lunaribus ad nutum Dei percutere, atque afficere: quemadmodum in Lunatico seu Epileptico à Matthæo, Marco & Luca ad viuum descripto: Porrò etiam in ista proprietate Iehoua mediantibus organis suis Angelicis stupore & amentia percutit, vnde Propheta: Percutiam omnem equum stupore, & ascensorem eius in amentiam: Porrò de Hydropico mentionem fecit Lucas. Sic Alcimum illum nefarium paralysi & resolutione partium percussit Iehoua. Matt.17.15. Mar. 9. 17. Luc.9.29. Zach. 12.4. Luca 14. 1. Maccab. 9.55.

Concludimus, & pariter clausulam istam, videlicet quod vrinæ à cælo seu aere microcosmico, atque pluuiæ ab aere macrocosmico debent esse tales, videlicet frigidæ, aqueæ, pallidæ, & crassioris consistentiæ, vtpote in quibus argumentum virtutis coagulatiuæ Septentrionalis adhuc adest, nam aqua est in media spissitudinis dimensione inter aerem & terram, est enim nõ ita spissa vt terra, nec ita tenuis ac subtilis, vt aer; Hinc etiam est propter caloris defectum, quod talis vrina est tam pallida, verum si intensior, videlicet subcitrina vel citrina reddatur, arguit coitum venti calidi cum eo.

Hæc omnia, videlicet humores, morbique tam corporis, quam animi cuilibet cæli vento correſpondentes hoc in loco melioris & certioris inſtructionis cauſa, in figura iſta deſcripſimus, & oculari experientia demonſtrauimus, vt certiori fide ad ea, quæ à nobis in iſto tractatu ſunt allata perſuadeatis: Nam aqua in matracio, ſeu vitro in puncto 1. colli eiuſdem reſidens arguit temperiem aeris mundi, qualis etiam illa ſanguinis, dum aer in ea ſit tanta, aut ſimili moderatione: tunc enim aer eſt in æqualitate ſuſpenſus, nec nimium eleuatur eius libræ lanx verſus ſeptentrionem, nec nimium deprimitur verſus meridiem, ſed æquali conſiſtit cum æquatore gradu, qualiter ſolet eſſe animi temperatura in menſe Aprilis aut Maii, aut in Septembri; vnde ad afflatum Subſolani & Fauonii referuntur iſti gradus, videlicet 1. & 2. vtriuſque extremitatis: ſed pro vlteriori huius figuræ deſcriptione vos ad *Partis 3. lib. 2. particulæ 1. cap. 1. finem* (in quo capite meteororum morbidorum differentia in genere pertractatur) vos remitto, vbi etiam figuram iſtam reperietis ad amuſſim deſcriptam.

Humorum in corpore prædominantium gradus.



Pari

Pari ratione per relationem ad istam figuram atque morbos & ventos, quibus morbi illi subiiciuntur, vrinarum tam colores quam consistentiam, aliter etiam *inferius* declinauimus atque demonstrauimus, vt *in fine cap. sequentis.*

Capvt IV.

In quo vrinarum secundum tempora anni proprietatum mutationem, atque etiam ventorum & effectuum eorum præternaturaliter à colore in colorem alterari, & à consistentia in consistentiam demonstratione oculari ostenditur: & quod duo illa extrema vid. torrefactio seu extrema coctio & cruditas in vrinis exinde eliciuntur.

IN demonstratione oculari inferius descripta possitis discernere relationem illam exactam, quæ solet esse inter ventorum, morborum atque vrinæ proprietates, & si quandoque fiat ex ventis mixtio seu coitus in productione meteori, sequitur etiam pariter in morbo atque vrina debere compositiones fieri: non aliter quam pictores faciunt in colorum mixtionibus.

Verum quoniam de istius conclusionis experimentalis effectu, Sect. 1. Partis 1. libri 3. cap. 5. *mentionem fecimus vberiorem, illius capitis medullam iterum hoc in loco pro meliori istius demonstrationis intellectu remetiri haud inutile fore putamus: verba mea in eo sunt ista.*


Cum igitur vrina humana sit sanguinis serum & quasi aeris humani pluuia, sanguinemque animæ sedem esse testantur Scripturæ sacræ, vti certe est declaratum: atque ob istam rationem maximum vitæ mysterium in sanguine delitescere, nobis innuere videntur; non nobis videatur mirum in ipsam vrinam spiritum inuisibilem virtutis haud minimæ, & status vitalis nuntium veridicum immergi atque abscondi, non minus quam in humoribus quatuor cæteris, de spiritibus, quorum occultis cap. præcedenti sermone egimus breuissimo. Cum ergo spiritus iste in vrina absconditus, & in ea inuisibiliter immersus, nec oculo nisi per solum effectum apparens, sit de spiritus aerei in homine natura, cuius est quidem quid superfluum; necesse est credere, quod & ipse aeris, seu spiritus vitæ in aere inclusi statum & dispositionem per effectum ostendere queat, videlicet an ipse in corpore humano mediocriter, & iuxta naturæ leges sit dilatatus, vel si per aliquos gradus à 1. puncto, vel interfectione C. C. contrahatur, & versus polum hyemalem eleuetur, vel è contra vltra mediam interfectionem 1. vel C. C. versus polum æstiualem per gradus aliquos plus minusue dilatatione extendatur. Vt ergo in pomo vel tritico, ad maturitatis metam semper (spiritu eius formali intrinsecus paulatim operante) à gradu extremo cruditatis gradatim & pedetentim tendere, atque secundum sulphuris in spiritu isto mercuriali, auctum & incrementum ipsum magis magisque in colore tingi atque alterari cernimus, videlicet ab aquea cruditate in flauedinem, & à flauedine magis magisque in intensam rubedinem: ita quidem res se se habere in spiritu mercuriali ipsius hominis, & consequenter vrina eiusdem euidenter percipere possumus; nam vrinæ integer progressus diametralis per spatium à polo hyemali instrumenti ad illum æstiualem, atque per interfectionem mediam, quam facit æquator, seu linea æqualitatis in pyramidibus, in qua optima quidem spiritus seu aeris humani temperies, indicatur, ad amussim explicatur: nam vt aeris (aliter oculis haud percipiendi) intensionis vel remissionis gradus, per aquæ visibilis descensum aut ascensum signari atque indicari solet, ita quidem aeris rarefactionis & contractionis proportiones per solam colorum variationem discerni solent; quo enim magis augetur in mercurio vrinæ interno vis sulphurea, eo etiam intensior erit eius color. Quomodo autem sulphur in spiritu aereo, siue mercuriali in hominis humore

augeri soleat, abunde idque oculari testimonio in Anatomia nostra, de tritico *declarauimus, & de eo magis expresse* in tractatu nostro de vrinis, *diuino numine propitiante disceptabimus.*

Iam vero integram vrinæ diametrum à polo æstiuali per æquatorem ad illum hyemalem, non figuris indice aqueo, vt in nostro instrumento notatis, sed gradib. coloratis depictis & distinctis in hunc modum descripsimus: Intersectionis enim seu sphæræ æqualitatis signum erit color aureus, quippe in cuius compositione est medietas inter intensam frigiditatem & caliditatem: vnde fit, vt quo magis remissa inueniatur vrina, eo magis abundet contractiua frigoris virtus; & fit in mercuriali spiritu retrogradatio à temperie ad intemperiem frigidam, & à coctione ad cruditatem: & quo magis ab isto medio colore vergit ad extremum aqueum, eo magis decrescit in ipsa sulphuris viui vigor & actio, & consequenter in pondere & mensura formali diminuitur, nam pondera sapientum sunt respectu sulphuris existentis in mercurio. Gradus autem contractionis spiritus vrinæ à medio aureo, siue rufo versus polum hyemalem sunt hi, videlicet color subrufus citrinus, pallidus, albus liuidus, niger. E regione vero quo magis vrinæ color est intensus & supra metam auream in sua natura exaltatus, eo etiam magis sulphuris exaltationem super & vltra spiritus mercurialis proportionem arguit, imo vero ipse spiritus in naturam sulphuream, non aliter quam fumus in flammam magis magisque dilatatione crescendo conuerti videtur: eius vero incrementi gradus à sectione æqualitatis versus polum æstiualē sunt, color croceus, sub rubicundus, rubicundus, inopus more hepatis, viridis & niger vt pluma corui. Hinc ergo, quod vtriusque poli nigredo mortem denotet, & in funebri mortis contactu conuenire videatur, manifestum est; illa videlicet æstiualis & calidi à combustione nimia, in qua humidum radicale penitus absorbetur, & ab ignea seueritate deuoratur & consumitur, vt in carbone videmus, illa vero hyemalis & frigidi à mortificatione & mortifera congelatione, in qua & à qua calidum innatum penitus extinguitur & præfocatur. Hoc quidem per speculi istius nostri obseruationem hic ad oculum delineauimus.


VRINA-

VRINARVM CVM BOREALIVM, tum Australium Scala.




At vero restat adhuc experimentum aliud, per quod vrinarum à termino extremæ cruditatis ad illum extremæ coctionis & ad adustionem vsque dimensio seu latitudo optime exprimitur: hoc est, à termino extremo proprietatis Borealis, ad illum extremum Orientalis, ac si circulum ventorum in lineam rectam reduceremus more demonstrationis præcedentis, atque in istum modum.

Septentrio.



Facimus ergo iuxta istam descriptionem nostram de vrinis demonstrationem in hunc modum.



Probatur

Probatur, quod ista demonstratio sit certa, & à nemine mente sano reprobanda, experimento isto consequente.

Neminem in naturæ mysteriis vtcunque mediocriter versatum latere existimo, quod vitriolum sit sal quoddam minerale ex proprietate Boreali præcipue dependens, quod exinde declaratur, quoniam si ipsius more Chymico extrahatur oleum, admodum acidum deueniet ipsum: at vero quod acida omnia sint frigida & sicca seu non, fateor, sine interna acuitate, & consequenter proprietatis maxime Borealis seu Aquilonatis, testatur experientia: stabit ergo, oleum vitrioli ex vna parte pro extremo boreali seu hyemali, seu humore acido & melancholico.

Similiter medicis compertum est è regione, quod oleum salis Tartari per resolutionem in loco frigido factum sit admodum amarum & acre: quare illud statuimus pro altero extremo, videlicet orientali seu æstiuali.

Iam vero restat, vt inueniamus medium quoddam quasi vernale inter ista duo extrema: quod hoc modo præstare solemus; sit ergo oleum Tartari exacte bonum & à superflua sua aquositate purgatum; Quo facto, accipe ℥ j. huius, & totidem olei vitrioli, & simul vasi vitreo indantur; pugna igitur facta & strepitu præterito olea sic mixta in salem sentietis conuerti, neque extremi Borealis siue hyemalis nimium crudi proprietatem habentem, neque illius orientalis seu æstiualis nimium torrefacti: hoc est, nec acidum nec amarum, sed in medio inter hæc duo consistentem, videlicet dulcedine quadam grata ipsum inuenietis præditum: in modum fere sachari. Nam sacharus, atque mel quatenus sunt in via transitus à natura aerea in igneam: quam quidem semitam capiunt, & ad quam metam collimant omnes res naturales, videlicet ad statum perfectionis, quæ in throno igneo est collocata, eatenus (inquam) deficili migrant in biliosam cholericam, seu igneam dispositionem, cum sint in medio motus ab imperfectione ad perfectionem.

Hinc ergo constat, si humor exacte borealis seu melancholicus & acidus regnat in sanguine, vrina erit alba, tenuis, cruda & consequenter cruditatem & frigoris in corpore dominium cum siccitate.

Verum si apponamus ℥. vnicæ olei vitrioli non nisi ℥ ß. olei Tartari, tunc mitigabitur parumper aciditas olei & dominari incipiet calor in eius frigiditate, & non erit adeo crudum: in statu quidem sensibili existente sanguine in corpore, vrina incipiet citrinescere: at si ad ℥ j. olei vitrioli dragma apposuimus olei Tartari. 6. tunc quidem erit oleum cum suo sale minus acidum, atque sanguis melancholicus in istiusmodi statu erit fere ad mediam perfectionem seu sphæram æqualitatis tendens: & in huiusmodi sanguinis cum calore naturali proportione vrina erit citrina.

Denique vbi ambæ portiones sunt æquales, saporem æqualem seu temperamentum sanguinis ad iustitiam siue ad pondus assignant. Verum si ad ℥ ß. olei vitrioli ℥ j. illius Tartari addimus: tunc augebitur acredo atque calor Salis, atque amarescere incipiet. In quo etiam statu existente sanguis humanus, aderit in eo intemperies calida, atque in tali statu erit vrina intensa & in crocietatem tendens: Verum si ℥ ij. olei vitrioli ad ℥ j. olei Tartari adiecerimus, profundiorem in sale efficiet acrimoniam & ardorem.

In quo statu calor febrilis & admodum æstuosus aderit sanguini humano, eritque vrina adhuc magis intensa.

Et reuera, si rem recte considerare velimus, percipiemus quidem, quod totum coloris vrinæ alteratione consistit in reuelatione sulphuris interni ipsius salis naturæ, qui naturali hominis concoctione extrahitur ex alimento. Nam si naturæ arcanum recte scire velitis, intelligendum est, quod vt anima mundi vndique per aerem seu commune elementum est expansa, & per minima mixta ita quidem eius sedes est in sale mundi volatili, ex quo aer purus & simplex, licet in se inuisibilis, conflatur; sed istud arcanum in natura eximium, imo vero excellissimum in cap. sequente plene pro captus mei possibilitate enucleabo.

Flud. Prognost. Supercœlest.

Capvt V.

De internô Aeris, seu potius communis mundi sublunaris elementi mysterio, & quod spiritus mundi in simplici sua essentia sit sal volatilis inuisibiliter in mari Catholico mundi volans; in cuius interiori sulphur naturæ habitat; & quod de nouo quotidie ab influxu cœlesti magnetica quadam virtute, nouum sibi sulphur attrahat; vnde omnium rerum vita, præseruatio, & multiplicatio.

ADmirandum, & occultissimum est Aeris seu Elementi sublunaris, siue spiritus catholici internum inuisibile, quippe quod est sal quidam volatilis in quo sinceri delitescunt & resident viuifici cœlorum influxus: atque quandoque fatales & vitæ aduersæ, sic volente Deo, iuxta istud Iobi: *Cum impius esset impleturus ventrem, in eum Deus æstuantem suam iram emittit, quam impleuit in eum loco cibi eius.*

Iob. 20. 23.

Istius salis in inuisibili aeris sinu occultati in istis meminit Philosophus: *Versatur subiectum nostrum toti mundo ob oculos, & non cognoscitur: O cælum nostrum! O aqua nostra! O Mercurius noster! O sal noster! in mari mundi versatus! O vegetabile nostrum! O sulphur nostrum fixum & volatile! Aqua manus non madefaciens, sine qua nemo mortalium viuere potest, & sine qua nihil nascitur & generatur in toto mundo, &c.* Et quidem recte hoc dixit Philosophus iste, cum mediante isto sale viuimus, sentimus, calore naturali & humore sustentamur, vigescunt & crescunt atque præseruantur corporis humani artus, seu membra, generatio mediante spermate est facta, ac denique per illum multiplicamur & præseruamur; Quod totum vt clariori stylo intelligatis vos, sciatis velim, quod ab isto sale occulto ratione duplici nutriamur, videlicet immediate à fonte istius salis catholico, videlicet à sale virgineo & minime adhuc specificato: vel mediate, nimirum à sale isto prius specificato, hoc est, nutrimenti vel carnis, vel piscis, vel frumenti, aut alterius rei vegetabilis speciem antea induente.

In priore sensu, sal istud mediante spiritu mundano seu aere per inspirationem, in simplici & virgineo suo statu, ad cerebrum atque cor attrahitur atque introducitur, atque in ista spiritualis atque inuisibilis nutritionis specie sustinetur scintilla vitæ, quasi pabulo suo proprio, & in natura minime ab ea differente, non aliter quam ignis tabescens nouo ligno vel carbone reficitur.

Hinc ergo est, quod sal talis virgineus seu immediate à fonte catholico emanans, verum hominis specimen induit, & seipsum more Mercurii cœlestis conuertit in internam hominis effigiem, vnde non modo à diuino influxu in isto sale recondito, augetur ipsius spiritus intellectualis, verum etiam semen procreatur inuisibile, quod in generatione geniti est internum effigiem similem in vtero effingens, qualis erat species paterna, à qua immediate effluxit.

De admirabili istius salis natura, omnes rerum species induere valente, abunde loquuti sunt non modo Philosophi sapientiores in Chymia vera versati, sed etiam ipsæ sacræ literæ vbique sparsim, sed in diuerso sensu.

Et vt primum Philosophorum testimoniis vtamur, ait Author præallegatus, *Id inquit, accipere debes, quod est, sed non videtur, donec artifici placeat: est aqua roris nostri, ex qua extrahitur Salpetra Philosophorum, quo omnes res crescunt & nutriuntur:* De modo illum salem colligendi & multiplicandi hæc; *In superficie terræ radii radiis iunguntur & producunt flores & omnia, propterea quando pluuia fit, accipit ex aere illam vim vitæ, & coniungit illam cum sale nitri, quia sal nitri terra est instar calcinati tartari, sua siccitate aerem ad se trahens, qui aer in eo resoluitur in aquam: talem vim attrahendi habet ille sal nitri terræ, qui etiam aer fuit, &c.*

Hic Philosophus narrauit modum, quo sal istud catholicum vegetabilium speciem induat, mediante quo vegetabile illud, vtputa triticum, crescit & multiplicatur, & fit tum postea nutrimentum generi humano aptum, videlicet, ad nutriendas partes ipsius naturales seu membra tam interna quam externa hominis externi seu elementaris, vt *infra* latius.

At

At vero quatenus in virginea sua natura, videlicet priusquam coiuit cum alia specie, seipsum conuertit in speciem humanam; hæc ipse: *Creatus homo de terra, ex aere viuit: est enim in aere occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, &c.* quibus arguit aerem illum per pulmones ad cor atque arterias attractũ, in quo delitescit arcanum illud sal, quod interno vitæ sali additum, prolongat atque præseruat vitam, nisi Deus ob peccatum hominis maleuolos & morbidos (vt dictum est) influxus, seu maleuolorum spirituum spermata, seu halitus venenatos, cum bonis vitæ dotibus ei inclusis permisceat, aut permiscere sinat. De isto sale Rosatius Philosophorum hæc, sed in sensu magis abdito, quam vt stulti aut vulgus ignarum intelligat. *Vapor est lapis noster, vitæque elixar, & sciatis, quod sapientes antiqui multa concludunt de sale, quod dicunt saporem sapientum, & clauiculam quæ claudit & aperit, & iterum claudit, & nemo aperit:* Quibus verbis elicere possumus, quantum mysterium ex salis interni contemplatione sit eliciendum. Et *alibi sal fusibile, & oleum incombustibile, & sapor sapientum: Item nota sal metallorum transmutat mercurium in Solem & Lunam: sic sal animalium transmutat animalium quodlibet in veram temperaturam, & optimam complexionem, &c.*

Hic ergo videtis vim atque virtutẽ vitæ sanæ inesse sali istiusmodi sapientum, nam stulti vix credent esse in aere talem salem: & tamen eorum vita in eo tantummodo consistit, vnde Philosophus *loco antea citato: versatur toti mundo ob oculos, & non cognoscitur; aqua manus non madefaciens, sine qua nemo mortalium viuere potest, & sine qua nil nascitur & generatur in toto mundo, &c.*

Non intelligunt, (inquam) diuinitatem atque vitæ lucem esse in eo, sine quo, teste Ioanne, nihil existere queat, quatenus in verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum, quærat in tenebris, & tenebræ, seu ignorantes non comprehenderunt aut intellexerunt eam: *In mundo erat, & mundus per ipsam est factus, & mundus eam non cognouit*: in sale ergo statutũ est diuinitatis tabernaculum, non aliter quam in Sole cœlesti, vnde fit vt virtute illius lucis centralis, siue spiritus Dei incorrupti in centro habitantis conuertitur sal istud inuisibiliter in aere volans, in sulphur igneum, nam aliter fulgura & coruscationes, atque meteora ignita, quasi ex nihilo & inuisibili non fiunt, nec quidem in sanguine color aliter rubeus non efficitur, nec quandque intensior, & nonnunquam remissior fit tinctura sanguinis & vrinæ; nisi ratione naturæ istius salis aut magis cruda, & Saturninis seu Borealibus spiritus congelari & crudiores facti; aut lunaribus influxibus, aut Occidentis afflatibus magis laxi & aquei facti. At quando sal istud spiritus Dei æstuosi naturam imbibit, videlicet vel Orientalem, vel meridionalem, tunc ab aquea natura in igneam & sulphuream migrare solet, ita vt videre liceat, quod à re quasi stulta, incognita, neglectaque, vtpote inuisibili, omnia totius mundi maxima dependeant atq; eliciantur, vt per rem istam tam nobilem ab ignorantia mundi tam ignobiliter æstimatam & vilipensam, stulti tandem in imaginationibus suis confundantur, quod quidem indicare videtur Apostolus in verbis ipsiusmodi expressis: *Quæ stulta sunt mundi, eligit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi eligit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia eligit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret: vt non gloriaretur omnis caro in conspectu eius, &c.* Et profecto, cum aer in se sit inuisibilis, admirandum videbitur mundanis, ex qua arca thesauraria Deus sulphur & flammas seu præsteris materiam, mediante qua tam subito Sodoma & Gomorrha essent destructæ, aut vnde factum est, quod eodem instanti retrospiciens vxor Lothi in salis statuam, seu figmentum memoriale incredibilis & infidelis animæ mutata sit, cur inquam, in salis statuam? certe durum esset mundano dicere, nisi more ficto & mendaci Aristoteles asseueret, quod illud totum ab exhalatione calida & sicca esset factum, certe ad exhalationum tantarum extractionem atque exaltationem longum requireretur tempus; at vero hoc in instanti est factum: ita vt in hunc diem signum sulphuris in speciem bituminis facti pro testimonio adsit: sed ad rem nostram animalem vt redeamus.

1. Cor. 5.

Sap. 10.

Est quidem sal virgineus & in simplici sua natura vitæ pabulum & cibus per pulmonem ad cor atque arterias introductus, estque balsamum vitæ pretiosissimum, aereo spiritu inclusum & per arterias in corpore vndique expansum, atque calore natiuo facile accensum, & in sui simile subito conuersum? in quo & per quem Deus agit immediate in creatura, vnde fit quod tam sal quam sanguis in tanta reuerentia atque honore

apud Hebræos, atque in lege Mosaica essent æstimata; videlicet sal mysticum ob eius ad diuinitatem propinquitatem, in qua illa de causa est vitæ origo, & sanguis, quippe qui est ipsius salis, atque et animæ seu vitæ sedes: est enim sanguis nihil aliud præter salis vitalis in vnam substantiam fluidam & magis materialem concretio atque congregatio, qui ideo ob salis viuacitatem, volabilitatem & calorem sulphureum currit & mouetur de vena in venam, atque de loco in locum.

At si volabilitas possit tolli, & ingenio diuino fixari, tunc quidem à creatura non euolabit, & cum ea fixe permanebit in æternum, atque hoc est, quod omnes Philosophi pii & sapientes, omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, atque Apostoli Christo duce, tam auide venati sunt: Hoc eorum summum bonum: nam quid (obsecro) solatii comparauit Prometheus per suam ignis cœlestis surreptionem, nisi ipsum ita tractare potuisset, vt secum fixe & firme retineret. Taliter igitur salem istum tractare desiderant veri Chymici; vnde eorum sapientior hæc, vt supra: Creatus homo de aere viuit, est enim in aere occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, cuius spiritus inuisibiliter congelatus est melior, quam terra vniuersa Mediante hoc Elias, Elisæus Christus atque Apostoli curauerunt morbos deploratos; assistente eo, atque centraliter in eo operante spiritu incorrupto expectanda est à mortuis resurrectio, vitaque æterna. Hinc ergo Christus de istiusmodi salis fixi & ad sabbathi corruscantis statum reducti
Marc 9.49. subiecto intelligens: *Omnis homo igne salietur, & omnis victima sale salietur: Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Et a-
Luc.14. 34 libi: *Bonũ est sal; si autem sal quoq; euanuerit, in quo condietur, neq; in terrã, neq; in sterquiliniũ vtile est, sed foras mittetur, &c.* Quibus euidens est, inter salem fixum & permanens atque vola-
Matth.5.14. tile differentia & vtilitas: Verum alibi sic: *Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, vnde salietur:* Et reuera est, hominem nihil aliud esse, quam sal, & à sale nutriri; at si sal illud ingenio miro & sapiente non fixetur, sed euanuerit, inutile erit residuum, & plane pro nihilo habebitur; quare condiendum erit cum igne & sale, hoc est, fixetur lux in eo, & cum eo, vt vitam æternam in spiritu nostro retineamus, quo speciem nostram spiritualem perpetuam coram Deo efficiamus, duce diuino, vt hoc in die vltimo ignem extremum sine consumptione perdurare queamus Hinc de corpore Christi, de pane Angelorum, de manna abscondito, de pane à cœlo descendente tot verba facta, scriptumque.

Sed nostrum est hoc in loco de sale volatili, quatenus ad hanc vitam conducit, discurrere; quod descendit immediate in vehiculo aereo in hominis pulmones, cor, arterias, & cerebrum, & est sanguinis vitalis, siue arterialis substantia visibilis per appositionem facta; in qua ideo parum aut fere nihil seri seu materiæ vrinalis reperitur, quoniam in omni attractione aeris per inspirationem per vim quandam magneticam sal sali additur, & quod quidem est humidum nimis, aut aereum vaporosum per expirationem emittitur foras.

At vero in sanguinis naturalis creatione atque nutritione res longe aliter se habere cernitur; nam cum tam carnes animalium, quam substantia vegetabilium ad corpulentiam suam augendam atque sustinendam, multum de humore terræ atque pluuiarum & aquarum habeant, ideo necesse est, quod sal illud, quod ex mari Philosophico ad eorum vitam sustinendam contraxerunt, cum humore plurimo grosso & aqueo permisceatur; quare cum nutrimentum vel carnis, vel potus, vel tritici, vel r. dicum, vel fructuum recipitur in ventriculum, tametsi quod crassum & magis terreum est, per intestina post primam spagyricam naturæ operationem, separetur, tamen tanta est contigui as & proximitas inter aquam & aerem, vt vinum sine vlteriori naturæ depuratione secerni nequeat, quasi vetum naturæ vegetabilis pabulum, salsedo videlicet aerea, simul cum aquis inutilibus, mediantibus venis mesaraicis quasi per filtra ad officinam hepatis eleuatur: in quo ignea imprimis superfluitas in cistam fellis, & tum demum terr a subtilis in vas spleneticum, nec tandem sufficit ipsius vis segregatiua, vt aqueam serositatem à naturali aeris salso separet, sed simul in venam cauam, residet cum sanguine seu verso aeris succo salso permixta, quousque instrumento in naturæ officina tertio, à sanguinis veri mole separetur, videlicet renibus, mediantibus duabus emulgentibus, atque ita vrina de salsedine maris, à qua recessit, participans, dorsum in suum mare proprium seu vesicam cadit.

At

At vero vt videmus, quod aqua magis communicat cum terra, ratione naturalis sui situs, quam aer, ita quidem vrina rapit secum omnem illam terræ salsedinem, videlicet illud sal, quod à terra creatur, seu specie, in quam mutatur, & spiritualem illam aeream in sanguine relinquit: Nec mirum est me dixisse internum esse sal volatile, vt & salis sulphur igneū: nam in ossium, carnis & sanguinis more chymiæ vulgari rectificatione, inueni maximam eorum partem in salem quendam armoniacum, atque oleum aereum esse sublimatum; quod autem erat superfluum aut aqueum, erat vrinale aut terreum & sal igne naturali in cineribus fixatum: Sed ad propositum: Vrinam autem sale armoniaco plenam esse, quis dubitat? cum sit commune, illum salem ex vrinis vt plurimum elicere, quem salem habuit ab aere, & consequenter à sanguine; Sed maximè in vrinarum mole abundat aqua, nam sal aeris est ille armoniacus etiam dictus à philosophis propter suam subtilitatem & volatilitatem: vnde quidam: *Extractionem autem salis nostri Armoniaci vel Mercurii Philosophorum ex aqua nostra pontica non ita aperte reuelaui, &c.*

His igitur ad amussim perceptis, ostendemus iam nunc rationem, quomodo secundum illius voluntatem qui est centrum istius salis, & consequenter cuiuslibet rei, cuius circumferentia est nullibi: Sal istud radios suos sulphureos, vel nimium dilatat, & quasi tam in aere macrocosmico, quam sanguine microcosmico coruscat & fulgurat per dilatantem Dei proprietatem, vnde tam aera quam sanguinem æstuare & quasi bullire facit, ac etiam quandoque eos in suo centro contractiua Dei proprietate constringit & ligat, cum aera tum sanguinem gelidum efficiens, secundum operationem diuinam, ac denique hoc totum demonstratione oculari ostendere conabor: quo vos in ista mea asseueratione fidentiores faciam.

Cum sal istud catholicum centrale sit immediata animi mundi sedes, atque ista mundi anima omnia viuificans sit emanatio seu spiraculum ab ore omnipotentis, tanquam à centro ad circumferentiam emissio; nam ait Sapientia; *Ab ore Altissimi prodii, &c.* necesse est, vt mediante hoc sale mystico & per eum virtus diuina centraliter dilatescens, iuxta proprietates generales, videlicet contractiuam priuationi, passioni, tenebris, quieti & frigiditati ascriptam, &c. dilatatiuam positioni, actui, luci, motui & caliditati attributam, agat, à centro dico ad circumferentiam, vel à circumferentia ad centrum, in centro cuiuslibet rei existens taliter, vt circumferentia eius sit nullibi, ita vt omnis motus à centro, quatenus est ab interno principio, quo nihil est centralius, nihil prius, & consequenter motus iste est voluntarius non coactus, aut aliunde percitus, sed à voluntate & iuxta voluntatem agentis vnici ortus. Hinc igitur videmus, in macrocosmo, quod quando fulgur à sale nubis centrali emittitur (in qua actione Iehoua dicitur *emisisse ignem de ore suo*, & quod *carbones sint ab eo incensi*, & *quod* 2 R.g.22.8.
præ fulgore in conspectu eius nubes sint succensæ &c.) ista à nubis centro emissio fuerit, iuxta voluntatē Iehouæ in densa nube super Cherubin sedentis, & super alas venti volantis facta; videlicet ad voluntatem eius obeundam: Vnde alibi: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuer-* Iob.38.35.
tentia tibi dicent adsumus. Et Sapiens: *Ibunt directo emissiones fulgurum, & tanquam à bene curua-* Sap.5.22.
to arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insiliunt: Et alibi Iudith: *Audite cum tremore vocem, seu eloquium, seu sonum ab ore eius egredientem; sub toto cælo dirigit eloquium illud, & lucem super terminos vel oras terræ; tonat Deus, voce sua facit mirabilia, cum niui dicit, esto in terra, aut imbri, aut pluuiæ, mox pluuiæ imbresque fortitudinis eius adsunt, &c.*

Quibus liquet, quod omnis lucida emanatio fiat dilatatione à centro ad circumferentiam, atque etiam quod facta sit secundum placitum eius, qui eam emisit: At nihilominus aer omnis & maria & terra patiuntur vim & virtutem istius emissionis, & mouentur reagendo, hoc est, per resistentiam motu voluntario, hoc est, coacto ad ea perficienda, quæ à Deo seu actore centrali sunt ordinata: siue sit ad generationem & multiplicationem, siue ad corruptionem & interitum: simili plane modo cernimus sal in homine centrale (quod à parente macrocosmico radicaliter accepit, & omni momento tam per inspirationem quam nutritionem habet) quando ipsius vitæ actor ab eius centro ad circumferentiam vsque speciem suam igneam & lucidam dilatando emittit, non modo sanguinem, sed cætera corporis membra (quæ sale naturæ per sanguinis irrigationē condiuntur) calore incitari simili, haud aliter, quam fulguris sulphurei à sale nubis centrali emissione, aeris spiritus, nec non & ipsa terra atq; corpora animalium æstuare & sudorifero madore perfundi cernimus: haud equidem respectu dissimili, si voluntate interni actoris in animo humano corpus moueatur violento aliquo motu siue exercitio (*in Deo enim viuimus, mouemur & sumus*, teste Apostolo) accensione salis corporei vniuersum corpus accendit & vndique sudoribus persluere, atque in eius superficie affici: At vero quando in maledictione & quasi in fulgure ab animæ centro hominem alloquitur Deus, tunc quidem febrili calore æstuat sanguis eius, & iuxta Iehouæ maleuolentiam putredine afficitur sal illud atq; sanguis, & consequenter vniuersum corpus.

Et quemadmodum videmus, quod vna candela inflammat totam ciuitatem, ita quidem vna vel altera in salis, malis Iehouæ spiritibus coinquinati & mediante aere introducti portio facilime inflammat, atq; maligno æstu accendit integram aeris sanguinei massam, & consequenter totum hominem seu microcosmum, quemadmodum in temporibus pestis in pestifera Meridiei proprietate, atque quartis anni Orientalibus seu febricientibus, in quibus venti Iehouæ Orientales dominium habent, videre atque obseruare liceat, & à Galeno & Hippocrate, & (quod maius est) à sacris docemur literis. Sed quid in hac re verbis pluribus est opus, cum experientia & praxis vulgaris hoc idem nos doceant.

Accidit tamen nihilominus, (quemadmodum ex istis, quæ iam sunt dicta, apparet) vt excitetur atq; exagitetur internum istud agens motu à circumferentia ad centrum, tam bene, quam à centro ad circumferentiam, verbi gratia, quando sal illud in microcosmo radicitus conseminatum, à sale macrocosmi flammis maleuolentiæ Iehouæ contaminato, & inter alia microcosmi salubria per inspirationem aut nutrimentum introducto, accendatur, non aliter, quam candelæ plurimæ salubres à sulphureo grano fœtido aut inquinato & grauiter olente illuminantur, & ad sui consumptionem vrere coguntur; aut ligna alicuius domus, aut arbores plurimæ fœtida tonitruum flamma accenduntur, salque tali vt simul iuncti & accensi in igneam sulphuris naturam facile conuertuntur, cum simile facilime à sibi simili superetur: Nec dicendum aut excogitandum est ipsum Deum in Deo agere; nam indi- Sap. 12. uidua est diuinitas, quamuis ipsa sit cuiuslibet rei centrum (*inest enim incorruptus Dei Spiritus omnibus*, teste Salomone) tamen ipsa est circumferentia cuiuslibet rei, cuius existentiæ circumferentia est nullibi, h.e. extra omnia; quare idem est Deus qui agit in nobis, qui etiam operatur omnia extra nos, & tum postea quatenus est in seipso, occultatus est extra omnia eorum quæ fecit: Sed ad rem. Habetis ergo modum & rationem hoc in loco expressam, quomodo Deus (cuius est operari omnia in omnibus, vel dilatando se vel contrahendo, vel modo & statu vtriusque, seipsum in centro delitescentem cuiuslibet rei) se dilatet, vel ad actum positiuum, generatiuum & naturalem: vel ad illum priuatiuum, corrumpentem, & prestandum in vtroq; mundo, quorum iste est actus eius in seueritate, ille vero in clementia & misericordia: in vtroque agit tam ab extra, h.e. à salis specifici circumferentia, mediante sale catholico in aere macrocosmico latente, ad ipsius vsque centrum: in alio, à centro salis specifici ad eiusdem vasis circumferentiam, idq; in proportione vel maiore vel minori: vti in morbis vel intensioribus vel remissioribus calidis videre licet.

Iam vero ad alium eius actum reuertemur, qui de potentia diuina magis participat, quam de eiusdem actu, quoniam per eum fit contractio radiorum salis internorum à circumferentia centrum versus: qui motus ad priuationem, stuporem, immobilitatem atque quietem tendit, nam tali motu siue actu fiunt tenebræ, & dominium solet habere frigus, quoniam *Deus, qui est totus lux, & cui* (teste Euangelista) *non sunt tenebræ vllæ*, in tali actu reducit se ipsum ab actu ad potentiam diuinam, & in se quiescere videtur; In tali igitur proprietate contractiua fortiori, fiunt in macrocosmi aere, propter salis ipsius occulti contractionem ad circumferentiam, niues, grandines, gelu & pruina: intrinsecus operante in eo sale spiritu seu afflatu diuino creaturam madidam in ista sua proprietate frigida & septentrionali coarctante, & à circumferentia ad centrum contrahente. At si talis virtus mouens & conuelliens à circumferentia centrum versus, euocetur à sale proprietatis contrariæ, sic volente principio interno agente meridionaliter, tunc iterum relaxatur actus ille contractiuus atque dilatans etiam erit factus: quod ex scriptis sacris sic confirmamus: *Emittens sermonem, emittens niues sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, demittit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistit?* Hic ergo contractiuam spiritus secreti virtutem in aere macrocosmico habetis, in quo fit Saturnina spiritus mundani à circumferentia ad centrum contractio: Tunc sic pergit textus: *Emittit verbum suum, & liquefacit ista, simul ac afflat ventum suum, effluunt aquæ.* Hoc est spiritus salis in aqua delitescens, qui contractione gelida fixus atque immobilis, & in suo centro confirmatus, iam externo salis aerei meridionalis contactu per expergefactionem & euocationem spiritus interni in centro quasi dormientis seu quiescentis actus iterum fit fluidus & mobilis, h. e. à centro ad circumferentiam tendere prouocatur.

Ratione plane haud dissimili in microcosmi sanguine & spiritu aereo atque sale eorundem centrali res se habet: Nam nolente spiritu salis incorrupto emittere radios suos, aut sale aeris mundani frigida seu boreali primi motoris proprietate contracto, & in humana organa aut per inspirationem, aut victus rationem introducto, sequitur quod contactu vnius salis rigido & contracto non aliter alteretur natura alterius, quam quando quis venenum aliquod siue toxicum permanens & vincens intrinsecus assumpserit, integrum homi-

nis

nis spiritum seu salem aut balsamum, ab eodem licet in parua quantitate multatum atque alteratum videmus in speciem veneni. Sic quidem iuxta Pselli sententiam, *malus spiritus de natura aquaticorum siue subterraneorum in sanguinem humanum voluntate primi motoris penetrans, inspissat subito meatus & congelat sanguinem, ac contrahit spiritus ex sale volatili formatos*; vnde oritur stupor, Epilepsia, Apoplexia, atque membrorum insensibilitas: At vero si salus illius macrocosmici portio sit de plaga Occidentali, & ipsius seminariis impleatur, h. e. si proprietate Dei Occidentali afficiatur; tunc non modo mediocriter sua frigiditate condensat salem illum microcosmicum suo contactu, verum et illum liquidiorem aut fluidiorem quam æquū est, efficere, notatur, vnde oriuntur defluxiones frigidæ, & omnes morbi ab iis orientes. Verum si latius adhuc se dilatant sulphuris in sale in homine relaxate radii, erit defluxus ille cum maiori æstu, siue acrimonia, & conditione meridionalis.

Hic vero obiter notare debemus, quod cum multi sint cum proprietatis Dei dilatantis, tum ipsius contrahentis gradus, ita quidem magis aut in maturitate aut incruditate alteratur substantia tam humoralis quam solidioris naturę, in quibus consistit pro fundamento: Nam vt salis dispositio est seipsum eo magis in naturam sulphuris conuertere, quo magis ipsius accenditur ignis centralis aut per se aut ratione sulphuris ignei externi internum excitantis; ita quidem quo magis præualet in eo dilatans principii diuini virtus, erit eo magis ipse in igneam naturam conuersus: & consequenter magis coloratus & tinctura sulphurea insignitus, atque humorem, cui permiscetur, in colorem talem tinget. E regione vero quo magis contractior & magis abdita fuerit sulphuris centralis natura, & in suo occulto abscondita, eo frigidior & pallidior erit sal ille, & consequenter sanguis & ipsius humor serosus. Hoc quidem in pomi & fructus crudi maturatione discerni potest, in qua primum occultatur sulphur, & consequenter viridis, pallida & cruda, atque inconcocta æstimabitur: at vero vt sulphur illud paulatim excitatur & radiis solaribus euocatur, ita sensim magis magisque citrinescere & ad maturitatis perfectionem pertingere obseruatur, quousque ad intensam citrinitatem vel rubedinem, vel alium colorem speciei conuenientem venerit.

Concludimus igitur, quod secundum ea quæ iam sunt relata, appareat, quod vrinæ intensio atque remissio ab istis causis internis proueniat, & quod quo magis inueniatur ipsa intensa, eo magis aucta sit sulphurea salis natura, super cruditatem materiæ, & consequenter eo calidior atq; ęstuosior existit natura sanguinis, cuius fundamentum est salsa aeris substantia, in qua centraliter vigescit vegetatiua, & animalis atque vitæ virtus seu agens centrale: E contra, quo magis natura ista sulphurea delitescit, atque occultatur, seu quiescit in salis centro, eo magis dispositionis borealis est ille sal, & per consequens magis contracta atque occultata & inuisibilis est sulphuris cælestis natura in se: vt hic videtur.




Vnde sequitur, quod sanguinem aut liuidum aut nigrum & terreum reddat, & consequenter vrinam albam, fuscam & tenuem, ob tincturæ lucidæ seu sulphureæ defectum.

Verum si parumper ☉ licet debiliter moueat, seu appareat, aut crescere videatur, vigor sulphureus in istum motum: tunc erit sanguis colore rubicundior, parum & vrina aliquantulum intensior: vti in subpallida videmus.




Verum


Verum enimuero si adhuc magis præualet natura eius ignea, tunc erit subcitrina & citrina: sic



Verum si ad salis vsque circumferentiam tantummodo se extendat, tunc erit sanguis optimæ temperaturæ & coloris, & consequenter vrina aurea & lucida, & quasi in mediocritate inter duo extrema se habens: sic



Verumtamen si flamma excedat salis circumferentiam, tunc quidem more fulguris è nube propria erumpit, & aera proximum suis radiis conflagrare animaduertitur, vti accidit in febribus & huiusmodi aliis æstuosis.



Ob istam igitur rationem vrinas diuisimus in contractas & frigidas, atque dilatatas & calidas, vt inferius latius.

CAPVT VI.

In quo Experimentum quoddam notabile exprimitur, illud fere totum à nobis antea relatum indicans, simul atque sanguinis & vrinæ pabulum, atque eorum, cum in substantia, tum tinctura alterationis ratio, & morborum quorundam procreationis origo, luculenter ab Authore explicatur.

IAm vero experimento quodam notabili in Panis siue Tritici anatomizatione mihi reuelata vos docere aggredior, quid sit in nutrimento omni illud, ex quo in nutrito sanguis, cholera, melancholia, vrina, vel oriuntur, qua ratione sanguis rubificatur, bilis citrinescit, flauescit, rubescit, melancholia liuescit, nigrescit, vrinave variis in corpore tincturis alteretur. Denique vnde vegetandi facultas atque viuificandi virtus; & qua ratione morbi frequenter in vno tempore ex hoc in alio ex illo humore, idque ratione victus siue nutrimenti contingere soleant. Et quamuis hoc totum satis copiose in *Anatomia nostra de pane seu Tritico* disceptauimus, tamen vt ista paulo pleniori verborum serie aperiam, haud inutile fore existimaui.

In primo ergo loco Tritici farinam siue panem accepi in bona quantitate, illumque cucurbitulo vitreo vel terreo satis amplo indidi, cui tum postea recipienti satis amplo & capaci prius ipsi adaptato, ignem graduum adhibui, & à massa exurgebat tandem magna liquoris crocei siue intense flaui quantitas, in cuius fundo massam nigram picis nigræ instar adinueni residentem. Tunc liquorem illum flauum per inclinationem à massa nigra separaui, illam ita Balneo tractaui leni atque beneuolo, vt ipsam seu serosam materiam ab alia & crassiore materia caute extraxerim, atque in Alembici vitrei fundo inueni substantiam residentem admodum flauam, & cum colore tum substantia melli haud dissimilem. Portionem ergo magis phlegmaticam reseruaui ad partem per in vno vitro.

Deinde

Deinde accepi residuum mellis consistentiam habens, illudq; in paruulum cucurbitulum infudi, illudq; vapore solummodo balnei calidissimi tractaui; & liquorem admodum vnctuosum, & in vitro instar vini canarici, imo vero olei vestigia vidi in capite Alembici granulas quamplurima instar salis seu grandinis colore candido adhærere: quod cum diligenti obseruatione percepissem; intellexi statim totum istum liquorem fuisse reuera nihil aliud præter salem quendam purissimum atque limpidum volatilem de natura seu substantia ipsius aëris; & cum quid intrinsecus essent albicantia illa grana summitati vasis adhærentia experiri in animo meo venissem, carbonem accensum vitro adhibui; atque subito grana illa in liquorem non candidum; qualia apparebant grana, seu aureum & flauum subito resolui obseruabam: quo statim concludebam materiam istam fuisse balsamum aëreum ipsius panis; in quod verior & purior sanguinis animalis portio erat fundata; atque vt hoc ipsum experientia adhuc vlteriori atque certiori comprobarem, liquorem illum limpidum & colore candidum radiis solaribus in alembico apposui, atque (quod mihi videbatur mirum) in spatio trium vel 4. horarum liquorem rubini instar in ruborem satis profundum esse factum animaduerti, & quo diutius in sole manebat, eo ipsum tinctura rubicunda intensius euadere notaui, quo statim; sensu paulo maturiori ductus, eram persuasus, quod ista fuerit vera humoris sanguinei substantia, & fomentum indubitatum, quippe cuius sulphur internũ caloris vel ignis vel Solis, de facili à centro quasi ad circumferentiam euocatum, in colorem confertim rubicundum instar sanguinis se prodebat atq; reuelabat; non erat ergo sanguinis tingẽdi siue tincturę fons in hepate; vt Galenici & Aristotelici falso sunt imaginati, sed ex reuelatione & euocatione sulphuris rubicũdi in sale aëreo candente occulti, in manifestum. Imo vero & inest in sulphure seu forma ista in salis aërei centro occultata quædã facultas sibi simile sulphur seu formam à sole macrocosmico attrahere, non aliter quam eius vehiculum salsum ab arca aeris thesauraria suæ substantiæ augmentum habet; iuxta illud Philosophi: *Sal sali & radii radiis iunguntur*; vel vt Empedocles ait: *Natura in sua natura lætatur, & gaudet, natura naturã amplectitur*; vel vt alii volũt, *Simile suo simili gaudet, delectatur & augetur*; vel *simile nutritur à suo simili.* Hac igitur consideratione rationẽ multiplicationis annualis grani Tritici & omnium aliorum vegetabilium oculis quasi apertis cernebam; & consequenter quod ista ratione non modo vera sanguinis animalis substantia esset ad partiũ seu membrorum elementalium præseruationem & auctionem continuata siue multiplicata, sed etiam ex sanguine illo, seu etiam illa sanguinis substantia per appositionem, vnionem & assimilationem in carnes & ossa aliasque partes est mutata: & consequenter quod partium elementarium tam in vegetabilibus quam animalibus vegetatio & multiplicatio sit facta mediante isto humore, vtpote cuius sulphur internum, sibi similem virtute (vt dixi) magnetica attrahere à Sole macrocosmico flammam, eiusque sal suum simile à cista seu promptuario omni momento affectat atque inhiat: Sed quod in ista substantia consistit totius tam vegetabilis quam animalis vigor, istiusmodi sum doctus experientia: Fæces istius vltimæ extractionis in ollam reposui terream, & lamina tenui ferrea cooperiri iussi, & ecce: Intra trium septimanarum spatium ipsum ferrum mediantibus spiritibus à fæcibus ollæ inclusis assurgentibus siue immergentibus, in spicula instar croci portiuncularum sursum ad aciculæ altitudinem tendentia vigescere animaduerti, quod vt pluribus haud fortasse auditu aut lectu durum videbitur, ita quidem nisi hisce meis oculis vidissem; vix & ne vix quidem credidissem: Hac ergo obseruatione edoctus fui, quomodo inprimis mediante isto salis spiritu facta est vegetatio, tam in animali quam in vegetabili, actum postea ratio exinde est comperta, cur vegetabile quodlibet in suo incremento sursum aspiret, videlicet quoniam ad motum istius spiritus in altum vehitur. Denique quod ista natura seu humor salsus sit, de aeris nterno docemur in eo, quia participat cum de natura ignea seu oleo igneo tritici, quam de eius substantia aquea, & per consequens certum est, quod in medio situm suum naturalem habent, inter aquam & ignem, & pro conclusione necesse habemus credere, quod sit de aëris purissimi essentia.

Hic obiter respondere opus est obiectioni, quam quis fortassis scrupulosus obiicere potest, dicendo: Si illud verum sit, quod aër in suo interno sit nihil sal quidam sulphureus, & de facili inflammabilis, vnde est quod mortalia omni horæ momento istum spiritum per inspirationem imbibentia, salsam ipsius naturam gustu haud percipere queant. Tali ego: Si sal illud vndique per aërem expansum sit per subito aut spagyrica naturæ industria, vt in salis nitri procreatione (qui testantibus omnibus philosophis aër est) aut subtili veri Alchimistæ artificio congregatum, facilime ad gustum apparebit eius natura atque proprietas, quæ in subtili sua dispositione discerni non potest, non aliter quam ignis flammam in aëris expansum dispersam nec lædere nec vrere, sed tantum modo insensibili aut vix perceptibili

saltem, calore afficere solet, tametsi certum est aerem & salem eiusdem sulphurea natura esse plenum, sed occultatur eius virtus semel dilatata; Verum si flamma illa contrahatur, tunc quidem ardet & consumit manifeste, vt in fulgure, & subiecto aliquo accenso apparet: haud aliter res sese habet in salsa aëris natura, quæ apparet contracta gustui, expansa vero vix persentitur: Porro etiam sciendum est, quod catholicum aëris sal sit Philosophorum Mercurius, se mutans variformiter secundum speciei naturam, cui coniungitur, verbi gratia in Sacharo dulcescit, in Tartaro amarum fit, in Vitriolo acidum, in Alumine acerbum, & sic in cæteris: Est etiam quædam aëris pars, quæ in terris magis, alia in aquis, alia in aperto cœlo versari assolet, & consequenter salsedinem suam iuxta hos locos, aut magis fixam, vt in terra, vel mediocriter fixam, vt in aqua marina & salsa, vel admodum tenuem & volatilem, qualis est ille sanguinis animalis, cuius crassior pars transit ad ossium nutritionem, mediocris per vrinam effunditur, subtilis ad propriam suam consistentiam reseruatur, atque ad teneram carnis mollis procreationem adaptatur.

Iam vero ad propositum nostrum redibimus, & de phlegmate prout extracto verba, licet pauca, efficiemus: Certe hoc phlegma de aëris salsedine participat, atq; gratia illius neque aëris odorem, neq; ipsius aut salsedinis gustum, aut absolutum coloris defectum habet, sed verum habebat tam vrinæ formæ seu coloris quam odoris speciem: Verum erat mera aqua salsedine quadam mixta, & haud parum & quasi nihil de vnctuosa & spissa aëris seu salis natura participans: vnde apparens mihi videbatur, quod aquea ista superfluitas, quæ erat in maxima quantitate respectu portionis aëreæ, non aliter quam animalis sanguis respectu vrinæ esset vera vrinæ animalis quam renes mediantibus emulgentibus secernere solebant à sanguinis massa, substantia siue materies, idque probatum atque compertum tam à calore quam olfactu: Verum hoc in ea obseruaui, quod quo calidior esset locus, in quo erat ista substantia aque reseruata, eo intensior apparebat eius color seu tinctura, quod ideo accidisse notaui, ratione euocationis tincturę sulphureæ in sale, qui liquori ipsi adhuc restitit: atque ob istam considerationem collegi, quod intensionis vrinæ maioris aut minoris ratio esset sulphuris à sale sanguinis à maiori vel minori calore euocatio: ipsius vero remissio ratione occultationis sulphuris, & consequenter tincturæ in sale, quod fit ratione nimiæ frigefactionis sanguinis. Haud aliter quam videmus, quod granum tritici, si eius virtus vegetatiua fuerit calore solis in calido & nō naturali hyeme immature extructa sursum statim volat, & viridem dabit tincturam, at si aut pruina aut niue cooperiatur, & amplexatur diu manebit priusquā sulphuris & salis sui interni virtutem emittet ratione frigoris ipsius aëris. Quibus liquet quod imprimis ista vegetabilis superfluitas sit vrinæ animalis substantia, deinde quod causa intensionis ipsius sit euocatio tincturæ ipsius salis ab occulto in manifestum per externum sibi simile, & è regione, quod ipsius remissio fit ratione retentionis tincturæ seu sulphuris sui salis in occulto, quod accidit vel virtute septentrionalis proprietatis, vel illius occidentalis contractiuæ, è regione vt tincturæ euocatio seu manifestatio à proprietate vel orientali, vel meridionali dilatante dependeat.

His vero cognitis atque intellectis ostendam, quomodo cholera & melancholia ex massa nigricante exurgant, & in primo loco de fomento siue pabulo choleræ discurram: Post istam ex liquoris distillati in partes binas diuisi è Tritico obseruationem, massam illam picis instar nigricantem in fundo recipientis inuentam tractare incœpi, & in primo loco aërem magis maturum, & cœlesti tinctura pleniorem extraxi, verum post ipsum igneum exurgebat elementum fœtidum, squallens & nigredine commaculatum, quod frequenti rectificatione in forma olei rubescentis aspexi, sed more cadaueris putridi fœtentis atque ingrate olentis: & in qualibet rectificatione relinquebat post se scoreā seu cutim nigram in fundo retortæ, quo arguitur quam sit elementum ad corruptionem & tenebras suscipiendas paratum: nam postquam per diem stetisset, illud antea depuratum oleum iterum nigredine ex omni parte obfuscatum animaduerti, quo certus eram quod istud elementum esset putrefactionis pater, vt phlegma seu elementum aquæ illius mater siue passiuum, vtpote quæ duo à sanguinis naturæ constitutione sint aliena, & proinde ab eius massa modo antea relata expulsa: è regione vero sulphur illud cœleste in sale aëreo est debita sanguinis & vitæ substantia, in qua sal aëreum est vitæ mater & passiuum, sulphur autem cœleste est ipsius pater & agens, iuxta illud Hermetis: Pater eius est sol, mater luna, &c. Tunc postea iudicare sum persuasus, quod cholericum istud elementum rapido conatu in melancholiam tendat, non aliter quam ignis actione lignum alioquin album in nigrum carbonem esse conuersum deprehendimus: nam vt in circulari motu elementorum siue ventorum, videmus terream naturam, seu plagam septentrionalem incipere, vbi ignis seu oriens desinere solet, ita quidem elementum choleræ naturali inclinatione solet mutari in nigram melancholiam,

quæ ob istam rationem à medicis atradictitatur bilis seu cholera: vt illa melancholia quæ est admodum frigida & terrea est fæx illa nigra, quæ in fundo retortæ remanet post cæterorum elementorum ab eo extractionem; de quibus statim.

Ad colorem autem elementi istius cholerici rubri, quod spectat, sciendum est, quod ille proueniat à sulphure elementari multis impuritatibus contaminato, atque perinde non naturaliter ratione suorum accidentium vrente; quemadmodum in sulphure, vino & minerali videmus. Et tamen certum est, istud sulphur à sole aëreo suum ortum habere, & in eo suam habere sedem, sed præternaturaliter videtur & quasi abortu & violentia esse partum, vt in flamma sulphurea à cœlo descendente, & in prestere Phaethonteo contingebat.

Est ergo cholerica ista dispositio martialis iræ plena; & ardet semper vel magis vel minus, si in minori quantitate & sine manifesta corporis læsione, hoc est, si non emittit radios suos vltra suos limites, tunc citrina seu flaua est & naturalis dicitur; verum si excitatur adhuc magis vltra suam propriam circumferentiam parum emittit radios, tunc in primo præternaturalitatis gradu habetur, & vitellina atq; porracea vocatur. Si vero vlteriori violentia extendat suos radios, tunc ratione feruoris magni mutatur in choleram rubram, se habentem in suo actu & colore vt carbo candens, in præcedentibus vero speciebus vt flamma vel lutea vel fulua vel viridescens.

Denique si cum proprietate sua contracta in sua vehementia à circumferentia ad centrum, se quasi in tenebris obuelauerit, non aliter quam fulgur in tristi & nigerrima nube, tunc quidem in colorem migrat nigerrimum. Atq; hoc totum fit secundum substantiam aëream; in qua sal illud impurum atque innaturale reperitur; Atque secundum harum choleræ specierum in sanguine dominium polluitur atque inquinatur sincera ipsius natura, & à statu naturali in illum supernaturale conuertitur: Verum si atra bile affligatur, tunc participat partim de cholera rubra præternaturali, & partim de substantia terrea & adusta, eritque melancholia eius adusta & radens.

Quare sciendum est, quod secundum præternaturalem sanguinis sic polluti dispositionem vrina mutari notatur: & quandoque intensior, & nonnunquam remissior inuenitur, secundum sulphuris & salis corrupti speciem, quæ in sanguinis puri & naturalis massam dominium habet, non aliter quam aerem macrocosmicum in se purum & naturalem quandoque coruscationibus & nonnunquam fulgure magis fœtido & sulphureo; & haud raro nubibus densis, ex pluuia grandineque compositis commaculari & quasi passionibus præternaturalib. affligi testatur experientia. Hinc aëris temporalis inigneam dispositionem mutatio; hinc pluuiis æstuosis quasi sudore madescere notatur, hinc sonis & tonitrubus; quasi eructationibus macrocosmicis perturbari, & quasi formidine incuti animaduertitur, hinc melancholia quasi & curis & solicitudine ratione obscuritatis, quã nubes nigræ in faciem eius inducunt, contristari videtur. Atque haud proculdubio aliter res sese habet cum microcosmo, vtpote qui est macrocosmi filius, non aliter ab interno motore pro peccatis iactitatus, quam macrocosmus; quemadmodum in morbis omnium generum videre licet.

Denique post cœlestis à tritici chao balsami extractionem, quod restat in fundo retortæ, est de natura melancholiæ terreæ frigida & sicca; nam talis est illa melancholiæ species, quæ dicitur fæx sanguinis, quia in sanguine dominante, facit eius serum tenue, atque album & limpidum; ad liuiditatem seu fuscum colorem parumper inclinantem:

Atque ita mysticæ istius de vrinarum ortu seu radice historiæ, finem facio.





LIBER SECVNDVS, IN QVO VRINARVM ESSENTIA DESCRIBITVR.

CAPVT I.

In isto capite Vrinæ definitio, tam secundum Medicorum antiquorum, atque recentiorum, quam ipsius Authoris intentionem traditur.



Finit. med. cap. 2.

AIT Galenus, quod *semper sit incipiendum cum rei essentia, quam explicare volumus*: Nos ergo doctrinam eius imitantes, quid reuera sit vrina, tam iuxta medicorum antiquorum & recentiorum, quam nostram intentionem explicare aggrediemur, priusquam ad ipsius differentias causasue describendas & enucleandas accedamus: quare cum veterum lotii seu vrinæ definitionum formulis exordiemur.

In lib. 3. Epid. 5. Iuxta Hippocratis & Galeni sensum: *Vrina est serum humorum in venis contentorum.*

De fac. Nat. lib. 1. c. vlt. Et Galenus: *Vrina est totius sanguinis excrementum*: & excrementum vocat, quatenus ab ea nulla corporis portio nutritur.

De anal. vin. cap. 15. Vel sic: *Vrina est sanguinis superfluitas.*

Fin. med. c. 2. Vel plenius sic: *Vrina est superfluitas excolata sanguinis in magna vena, quæ per renes & vreteres in vesicam dilabitur.*

Ibid. Vel sic: *Est excrementum, quod in iecore gignitur, in vena caua collocatur, in renibus discernitur, per vreteres in vesicam vrinariam deriuatur, per cuius etiam collum excernitur.*

At Lycus definit eam *esse renum nutrimenti excrementum.*

Hæ sunt vrinæ Medicorum ethnicorum definitiones: at iam nonnullas Modernorum scriptorum de vrina opiniones paucis recensebo.

Wilichius iuxta Galeni sensum definit eam *esse excrementum secundæ concoctionis, quæ fit in venis.*

Isaacus & Ægidius in *tractatu de vrinis. Vrina est colamentum sanguinis aliorumque humorum de naturæ actionibus natum*: Vultque Ægidius *vrinam idem esse sanguini, quod serum caseo.*

At Forestus more anili magis superficialiter agens, ait, quod *vrina sit lotium illud, quod mingitur*. Nec quidem mirum est, quod ibi loci dicat, quod ista definitio sit pueris nota, cum reuera idem dixisset, ac si vrinam esse vrinam dixisset.

Petrus de Arbano: *Vrina est colamentum sanguinis, ex hepate veniens in vesicam.*

Denique Isaac Gerdonius: Forestus & Actuarius in hanc incidunt sententiam: quod *vrina sit colamentum sanguinis, & cæterorum humorum, qui ex naturæ actionibus proficiscuntur.*

Porro alii volunt eam *esse subtilem, & aquosum humorem, siue superfluitatem ipsius sanguinis.*

Ego vero in vrinæ naturæ expressione aliam atque haud vulgarem incedam, atque calcabo viam, sed ipsius essentiam secundum propositi nostri præcedentis atque etiam consequentis scopum exprimere, sensuque magis aperto in hunc modum explicare haud erubescam.

CAPVT II.

Hîc Author vrinam definit, ſecundùm intentionem ſuam, & quodlibet definitionum membrum explicat.

VRina eſt quædam quaſi pluuia ab aëre microcôſmi ſanguineo decidens, quæ vel ob fulgurea in & nebuloſam Meridiei proprietatem aut coruſcantem ſulphuream & ſiccam illam Orientis tingitur, atque colore intenditur, vel pruinoſo Septentrionis ſicco, aut Occidentis humido algore remittitur: hoc eſt, vel extremè alba, limpida & tenuis, aut pallida & ſubpallida, & in ſpiſſioris aquæ ſubſiſtentia eſt facta.

Dixi, quaſi pluuia, quoniam vt pluuia macrocoſmica in guttis cadit, & à ſplendidioribus & pulchrioribus aëris nubibus ſecernitur, ac ſi à puro impuriſh quid & ſuperfluum expurgaretur: ita quidem vrina ex maſſa ſanguinea quaſi nubibus naturalibus per renes & vreteres deorſum guttatim effunditur.

Dixi eam vel ob fulguream & nebuloſam Meridiei proprietatem alterari, atque intendi quandoque non aliter quam in macrocoſmo nubes denſas atque pluuiam ſulphure ſalis in nube accenſo, & à centro verſus circumferentiam dilatato in igneam conuerti tincturam atque naturam æſtuoſam videmus. Haud profectò aliter ſulphur in ſale ſanguineo accenſum, & à centro ad circumferentiam dilatatum, hoc eſt, ab occulto ſe in ſanguine manifeſtans, accendit non modo nubem ſanguineam, ſed etiam per nubem ipſam pluuiam etiam accendit tam in colore, quàm in qualitate, vnde fit, vt nubis ſanguineæ oculis minimè apparentis diſpoſitionem ſiue ſanam ſiue morboſam, per pluuiæ eiuſdem complexionem ocularitur cernimus & iudicamus. Et quoniam Meridies parere ſolet nubes ſpiſſas cum fulgure, ideo propter nebulas vel plus, vel minus, quas iſta ſanguinis diſpoſitio permiſcet ſuæ pluuiæ pluuia aliquantulum ſpiſſior cum ſulphurea ſua tinctura apparere ſolet, vt in morbis ſanguineis, hoc eſt, à ſanguine corrupto apparet, in quibus propter ſulphuris æſtum putreſcit ſanguis, & emittit cum vrinis ſubtilem ſuæ putredinis ichorem. Hinc ergo fit, quod in morbis à ſanguine putrido talis vtplurimum vrina apparere obſeruatur; non enim fit putrefactio, niſi vbi humidum putredini aptum ſulphuris impuri actui ſubiicitur, ipſiusq; impreſſiones de facili recipit.

Verùm aliter ſe res habet, vbi ſulphur magis purum radios ſuos more coruſcationis Orientalis emittit; nam vt ab Oriente coruſcationes nulla nube manifeſta apparente, ſed ſicco manente aëre emitti ſæpiuſcule cernimus, quorum præſentia aër temperate ſiccus æſtuare cogitur: pari quidem ratione ſanguinem ſimili intemperie calida à ſulphuris in ſale accenſione affici videmus, in quo nihilominus actu æſtuoſo ob humidi ſuperflui defectum ſolà in ſanguine intemperies calida & ſicca abſque putredine contingere notatur, vti in febribus magis exquiſitis & igneis ſeu cholericis, atque illis in ſpiritibus accidentibus videmus; in quibus tametſi vrina ſit præter naturæ leges intenſa & tincta, eſt tamen in ſua conſiſtentia ob ſanguinis ſiccitatem & putredinis defectum tenuis atque ſubtilis.

At verò vbi ſulphur ille vltra naturæ mediocritarem centrum ſui ſalis verſus contrahitur, ibi vrina ſeu pluuia alba & tenuis atque limpida redditur, arguens borealem ſanguinis frigiditatem & ſiccitatem, quoniam conditionis borealis eſt contractiua ſua facultate ligare atque conſtringere in ſe fibroſas ſanguinis partes: atque vt pluuia vrinalis ab eius parte deſcendens eſt limpida ad liuiditatem parumper tendens, ſed alba inſtar aquæ rupis: haud aliter quam videmus in aëre in proprietate Septentrionali ducto, quod ſit limpida & ſicca, & quod denſior eius portio in pruinas cogatur. Verùm ſi nubibus vel niualibus vel grandinoſis regatur ratione reſiſtentiæ venti oppoſiti, tunc congelarum humorem phlegmaticum cum ſanguine parit, meatus obturantem & Apoplexiam, Epilepſiam & ſtupores atque conuulſiones parientem; in quo caſu vrinæ ſolent eſſe in proprietate Occidentali, perturbatæ & ſpiſſiores cum craſſioribus contentis. Sed aliter vrinam iuxta noſtram intentionem ſic definimus:

Vrina eſt ſubſtantiæ aqueæ à ſale aëris ſanguinis ſanguinei ſeparatio, ſpagyrico naturæ ſiue verbi vitæ artificio peracta, quæ ſubſtantia aquea vel ob ſulphuris in ſale aëreo occultationem, contractiua illius verbi centraliter operantis proprietate factam, magis minusve præter naturæ æqualitatem in colore ſeu tinctura ſua remittitur, vel ob illius manifeſtationem, à dilatante prædicti ſpiritus centralis actu prouenientem, vltra naturæ metam, aut leges intenditur & tingitur; vel ſaltem mediocriter & clementer, in mediocri naturæ vitalis ſtatu ſe habens, caloris natiui corruſcatione, ſiue radiis ſalubribus tingitur.

Amplum nimis videbitur fortasse quibusdam istius definitionis, siue descriptionis filum; verum illud melioris ipsius rei naturæ explicationis causa in seriem ita longam protraximus.

In ea diximus, substantiæ aqueæ à sale sanguinis separatio, ratione experimentali antea prolata; & quoniam in Chymiæ vulgari opere, quo sanguinis essentiam extraximus, integram eius substantiam magis essentialem esse salem reperimus, quemadmodum in ossium & carnis præparatione, quæ ex sanguine fiunt, hoc idem inuenimus: Tunc diximus: Verbi
Ioh.1. vitæ artificio; quoniam verbum est centrale illud, *in quo,* teste Ioanne, *est vita; vel spiritus Dei*
Sap.12.1. *incorruptus, qui inest omnibus,* vt testatur Salomon: *qui* (vt affirmat Apostolus) *operatur omnia*
1.Cor.12. Actor.17. *& in omnibus; & in quo viuimus, mouemur & sumus:* quare ipsum esse verum & vnicum in naturæ officina chymicum, mediante arte cuius spagyrica grossum à subtili, & purum ab impuro, & vtile ab inutili, in quacunque forma vel specie diuiditur. Quod autem illud duplici in vtroque mundo facultate seu proprietate operetur, videlicet vel contractiua, in qua emittit speciem sulphuris igneam, vel illam retinet in se; vbique sparsim in discursu nostro præcedente declarauimus: atque etiam quod vtriusque extremi in medio adaptatione & concursu mediocri, naturæ æqualitas & consequenter vrina aurea, ab æquali sulphuris in extremum emissi atque ad centrum reuocati portione & temperatura conficitur.

Vel ipsam definimus sic:

Vrina est aquea quædam superfluitas insigni natura chymia mediantibus emulgentibus atq; renibus à sale sanguineo separata, quæ colore secundùm sulphuris in sale dominium, hoc est, manifestationis aut occultationis gradum magis minusve aut intenditur aut remittitur.

Hæc quidem ex prædictarum definitionum explicatione efficitur apparens.

Vel sic:

Vrina est quædam diuisio inter massæ sanguineæ vtile atque inutile spagyrica verbi virtute facta, quæ per inutilis emissi præsentiam atque ocularem obseruationem, quasi literarum nuncio missarum lectionem, ipsius vtilis absentis seu non visi status tam naturalis quàm præternaturalis, in calore, frigore, humore & arido, à quatuor ventis in elementum catholicum expiratis colligitur, diuinatur.

Præcedentia huius definitionis membra sunt antea explicata, atque etiam quod per vtile purum intelligimus sanguinem, per impurum, serum eius inutile & excremētitium, quod in vrinæ consistentiam migrat: Quod etiam quasi nuncius sit salutis vel insalubritatis sui fontis, in eo arguitur, quia de substantia & colore sanguinis aliquantisper participat, quæ duo sunt characteres ipsius sanguinis absentis status, quos ipse quasi literas, siue signa, per aqueam vrinæ substantiam quasi nuntium seu tabellarium Medico videtur mittere, vt de exacta ipsius temperie, & ventorum proprietatum in eo dominio iudicare possit.


Vel denique in hunc modum:

Vrina est quædam in microcosmo aëris puri sanguinei ab aqua impura serosa cribratio, intrinsecus à verbo vitæ, mediantibus natura organis facta, in qua impurum præsens depuri absentis natura siue salubri siue insalubri participans, ipsius absentis imaginem oculis medici tanquam in speculo repræsentat.

2.Reg.22. Sic dicunt Scripturæ, quod *Deus cribret aquas de nubibus cælorum* macrocosmi: haud aliter se res habet in microcosmo. Denique vrina dicitur *esse quasi speculum, in quo internum corporis speculatur.*



LIBER



LIBER TERTIVS, IN QVO VRINARVM SPECIES, SIVE differentiæ ostenduntur.

CAPVT I.

De radicali Vrinarum subiecto: & quod sit aqua in sua substantia nuda.



T *fundamentum cum cœlorum, tum terrarum*, teste D.Petro, *erat aqua*, mediante spagyrica verbi virtute in speciem cœlestem seu inuisibilem, atque terrestrem visibilem, ita quidem aquæ grossæ visibiles inter ista duo extrema existunt, atque ex cœlorum compressione atque in nubes condensatione oriuntur, vel saltem ex medio eti terræ resolutione; sic nubes ad aërem quasi de re inutili exonerandum in formam pluuiarum dissoluta in terram: sic terra resolutione iterum in aquam grossam, ex qua erat prius, resoluitur. Pari siquidem ratione microcosmus & est & consistit per macrocosmum; & ipsius sanguis aëreus nebulosam siue serosam in sua regione substantiam, qua impeditur & oneratur, in forma pluuiæ deorsum guttatim, vt de istiusmodi superfluitate exoneretur atque expurgetur; vnde etiam sequitur, quod radix eius primaria esset ex generali macrocosmi fonte aquæ. Verum vt commune & catholicum aquæ sublunaris elementum variformiter à spiritibus angelicis alterari cernimus: vnde fit, vt spiritus Orientis spiraculo fiat igneum, illo illius Meridiei aëreum, at afflatu Occidentis aqueum, vt & illo Septentrionis terreum, ita res se habet cum aëre & aqua microcosmicis, videlicet sanguine & vrina, quippe qui ambo Orientaliter informati calescunt, siccescunt & attenuantur, Meridionaliter calescunt, madescunt, & vel putrida vel non putrida madoris coctione inspissantur, atque colore seu tinctura intenduntur: Occidentaliter frigescunt & humectantur, & frigoris præsentia adeo obtunditur, & ad centrum repellitur naturæ sulphur, & incrassatur humor, vt cum ipsum sanguinem pallidiorem & magis pituitosum, tum vrinam pallore quodã aqueo coloratam & spissitudine quadam aquea perfusam videamus. Denique Septentrionaliter frigescunt & arescunt, & per consequens extremo pallore, candore atque limpiditate ratione suæ tenuitatis afficitur vrina, gratia sulphuris in suo sale sanguineo occultationis.

Ob istam igitur rationem vrinas non aliter in suas iuxta ventorum proprietates in ipsis dominium habentes, quàm morbos, in *Portione nostra de morborum differentiis*, distinguemus, atque eo magis, quoniam quales sunt morbi qui à dictorum ventorum radiis oriuntur, tales etiam necesse est vt existant vrinæ, nam cum seminaria ventorum morbosa meteora preternaturalia ipsis propria, in sanguine per sanguinis ab habitu salutifero in morbidum mutati, mutationem generant, aliter fieri nequit, quin quod vrina, quæ est sanguinis colamentum, resentiat, & secum ferat naturam sanguinis, à quo sortitur, nõ aliter quam serum ipsius lactis seu casei.

Ob istum ideo respectum, talem ipsarum vrinarum facimus distinctionem, siue diuisionem:

Vrinæ inter se specie ab inuicem differunt, atque alterantur, à proprietate vitæ spiritus, vel { Contractiua, Dilatatiua.


Quænam sit virtus Dei contractiua, & quomodo operetur, qualesve soleat producere effectus, quod præcipuus in ea actor esset frigus, cuius est condensando pellere & mouere à circumferentia ad centrum, & ibi in tenebris & deformitate quiescere, in *Tomi istius parte* 1. atque etiam *in Tomi præcedentis lib.* 1. & *in fine Meteorologicæ nostræ historiæ* luculenter indicauimus.

Vbi etiam locorum percipietis, quod dilatatiua Iehouæ virtus ratione contraria moueatur, videlicet à centro ad circumferentiam mediante calore, qui producit motum, qui

qui eſt lucis filius: Hinc in pulſuum motu Syſtole & Diaſtole: Hinc ſomnus & vigiliæ: Hinc quies & motus: Hinc morbi frigidi & calidi: Hinc vrina intenſa & remiſſa, &c. Hiſce autem duabus in genere proprietatibus ideo bifariam mutatur vrina in ſpecies diuerſas, quoniam ſub qualibet earum variæ comprehenduntur morborum ſpecies, quarum nuntii ſolent eſſe vrinæ, quæ ſecundum meteororum ſpecierum conditiones ſuas alterant materias, formas, ſeu eſſentias.

CAPVT II.

Hic vrinarum à contractiua Dei proprietate informatarum ſpecies paucis recenſentur.



INprimis ſciendum eſt, quod tametſi à Medicis Ouromantiæ peritioribus 19. tantùm colorum vrinarum ſpecies recenſeantur, tamen rei veritate ſunt tot in vrinarum coloribus mutationes, quot inter mixtiones ventorum, ſeu elementorum, ſeu denique in dimenſione inter terminum à quoad quem, videlicet inter nigredinem & albedinem gradus.

Hoc verò loco de differentiis vrinarum agimus, in quibus nulla magna adeſt in coloribus differentia. De vrinis verò Septentrionalis naturæ intendit Galenus in locis iſtis ſubſignatis. *Vrina Cryſtallina* eſt illa, quam Galenus vocat exquiſitè aquoſam, atque iſtam *alibi* ait *eſſe albam & perſpicuam*: atque *hæc aqua, tam in ſanis quam morbidis eſt extremè tenuis, in qua nihil aut ſubſidet aut pendet*, vt ipſe *alibi*: *arguit vrina cruda & Cryſtallina eſſe in venis ſuccum*: ac ſi dixiſſet, quod ob frigidum & ſiccum Septentrionis afflatum in ſpiritu & ſanguine humano eius ſal & humor, frigore eiuſdem coagulatur & congelatur, & ſulphur in occulto ſuo reconditur, ſiue repellitur ad ſalis centrũ, nam falſa eſt illa ipſius aſſertio, vbi dicit, quod cryſtallina aqua fiat, quia liquor per os aſſumptus bili infectus nondum ſit; quoniam omnis tinctura in vrina procedit non à bile, ſed ſecundum vel naturalem vel præternaturalem ſulphuris è ſalis natura ſeu ſanguinis emanationem maiorem vel minorem, vti in experimento noſtro de Tritico eſt relatum. Denique in eâ arguitur iſtiuſmodi vrina habere proprietatem Septentrionis ab effectu, quoniam videlicet inſignem hominis cruditatem, indigeſtionem, atque naturæ debilitatem arguit; quis autem omnium ventorum eſt naturæ magis oppoſitus & contrarius Septentrionali? quis planetarum vitæ humanæ Saturno inimicior? quippe quorum frigiditas egregia oppugnat calidum innatum ſeu naturale vitæ ſulphur, eius verò ſiccitas extrema arefacit & conſumit humidum radicale ſeu ſalem & balſamum vitæ: Hinc ergo eſt quod ſulphur naturæ in centro quieſcens & ſe à contrario contrahens, ſalem non tingit, & conſequenter vrina non coloratur; quare ob iſtam rationem neceſſe eſt, vt

Lib 1 criſ. cap.12.
4. Aph. 22.
lib.4. de tuend. ſanit. cap.7. lib.2. de tuend. ſan. cap.4.
De ſignif. vrin. lib.2. cap.4.

est, vt indigestio extrema, atque cruditas seu concoctionis defectus sit præsens. Vnde Galenus: *Vrinæ tenues, aquosæ, perspicuæ & albæ extremam cruditatem significant.* Vnde sequitur, quod tales arguant morbos, quoniam adest caloris naturalis defectus, quibus humor seu succus crudus digeratur: & alibi ipse de vrina crystallina (quam absolutè *aquosam* nominat) ista vrina est omnium pessima, importat enim plurium partium cruditatem, retentricis videlicet virtutis & alteratricis: id est, stomachi & venosi generis; imò (inquit ille) tam praua est istiusmodi vrina, vt ne signum quidem concoctionis principii medio se offerat; Ob istam igitur rationem, ait talem virium debilitatem, videlicet ob natiui caloris defectum, arguere; vnde senes, in quibus sulphur naturæ ætatis frigore est repressum, & balsamum aëreum naturæ diminutum, istiusmodi vrinis quandoque, imò verò frequenter sunt præditi. Vnde ipse alibi: *Vrina alba & tenuis, & permanens multam arguit virium debilitatem, vt cum in senibus appa-ret vel ægris, qui premuntur diuturnis morbis ob naturæ debilitatem.* *Aphor. 4. 72* *lib. 1. de cris. c. 12.* *Lib. de vrin.*

Proxima crystallinæ est aqua niuea, estque tanquam limpidissima aqua; & istam vocat Willichius aquosam minus exquisitam, & tamen periculosam arguit cruditatem; est tamen minùs quàm crystallina periculosa; ambæ tamen sunt vltimæ imbecillitatis signa, vt *infrà* latiùs.

Ad Vrinas verò Occidentales quod spectat, videlicet lactea, alba & spissa est argumentum principii decoctionis; hinc Galenus: *Vrina alba & spissa sanitatem promittit in hepatis affectibus.* Porrò alba lactea & Karopea atque glauca sunt gradus vrinarum Occidentalium, qui in generali sua significatione indicant vniuersalem frigiditatem; quæ cum fuerint spissæ in genere phlegmatis multitudinem denunciant: & consequenter in proprietate Occidentali existunt; nam vt videmus in niuibus, grandine atque glaciei dissolutione semicompletâ mussilaginem quasi quandam liquidam & spissam esse factam; & quod ita diminutio fiat propter accessum pauxilli caloris vel Orientalis, vel Meridiei; vnde gelidæ & congelatæ illæ materiæ liquescunt, in naturam Occidentalem, quæ participat cum natura vtriusque poli, ita quidem cum post extremam cruditatem sulphur paulatim excitatur, à salis sanguinei centro emiserit suum fulgur, humores in sanguine gelidi & quasi congelati atque densi iterum fluere incipiunt, cum spissitudine, & concoctio in primo gradu apparere incipit; non autem fit illa à choleræ tinctura, vt ait Galenus, sed ab interno sanguinis sale sulphureo. Non est enim Occidens adeo frigidum vt Septentrio, nam si hoc esset, minime flueret aqua eius, sed quia omnis motus seu fluxus fit à calore, ideo arguit, quod Occidens participat de calore Meridionali; at quoniam ob illam congelati liquefactionem humiditas illum calorem concomitetur, ideo aqua illa redditur magis spissa & turbida, quam illa Septentrionalis. Hic ergo vix apparet concoctio, & tamen aliquantulum ob eius spissitudinem apparet magis cocta, quam illa quæ est tenuissima. *De diuin. num. 310.*

Apparet autem spissitudo in vrina Occidentali, quoniam humiditas in sanguine non ita exactè dissoluta patumper in forma tenuis nubeculæ in corpore vrinæ dispergi videtur, vnde multiformiter iuxta humoris condensati naturam incrassari videtur, videlicet quandoque instar spermatis, nonnunquam vt mussilago, vel vt lac, &c. ita vt aqua tali, videatur componi ex tenui prædicta vrina & mussilagine dissoluta in sanguine ad instar nubis.

Verum enimuerò quandoque euenit vt proprietas Septentrionalis, in tantum præualet super naturam sanguinis, vt sulphur etiam seu igneim naturæ petat à centralibus suis angulis siue latebris, idque ibidem inuadere atque oppugnare tentet, vnde extingui videtur naturæ siue calidi innati, in salis centro delitescentis carbo, quam extinctionem Medici mortificationem vocant, & tunc ob flammæ & ignis extinctionem sal nigrescit instar carbonis, & non modo tingit sanguinem nigredine, verùm etiam per sanguinem ipsam vrinam in forma cornu nigri: at verò cum frigus istud mortificare incepit, erit sanguis atque vrina liuida ac plumbea, arguens flammam esse ferè extinctam: vnde talis vrina arguit debilitatem & ferè extinctionem caloris natiui.

CAPVT III.

In quo sanguinis & vrinarum à dilatante Dei proprietate tingendi ratio recitatur.

QVemadmodum certum est, experientia teste, aquam omni respectu esse contrariã igni, quippe quorum prior est tenebrarum proles, vltima lucis; ita quidem constat nihil in hoc mundo creari posse debita absque istorum duorum commixtione, & per consequentiã manifestum est omnia ex lite & inimicitia concordis pacis vinculo simul ligata consistere: hinc ergo factum est, quod aquarum massa præbet in compositione materiam, vt è conuerso lux ipsi formam atq; existentiæ gratiam concedit. Ob istam igitur causam Deus quatuor in mundi plagis quaternis ordinauit ventos angelicos, qui vim atque potestatem haberent peculiarem in dicta duo rerum principia, videlicet formam lucidam & materiam tenebrosam siue aquas. Vim ergo super aquas aut siccas aut lentas aut magis fluidas Septentrionalis spiritus, super liquidas & recenter resolutas ille Occidentalis. Quare euidens est, quod vbi materia dominium habeat super formam, quo debilior existit forma lucida, eo magis præualet frigus vel Septentrionale vel Occidentale, quod est tenebrarum athleta: at quo fortior est frigiditas, eo magis supprimitur lucis actus, sulphurq; igneum in suis abditis reconditur, & sulphur esset externum, siue sit solaris siue igneæ, aut Orientis aut Meridiei virtutis, repellitur, ita vt sulphuris radium coruscantem in centro salis naturæ quasi dormientem à centro circumferentiam vsque euocare impeditur. Hinc ergo factum est, quod hyeme gelida & glaciali herbæ destruantur, & seminum sulphura in centrum repellantur ab externo frigore; & ibi quiescere cogantur, atq; iuxta Agricolæ axioma, in eo tempore non sursum, sed deorsum magis spectat tale sulphur absconditum, nam concludit, quod niuali atq; glaciali tempore semina frumenti suas in terra radices hac de causa proiiciant. Verum (inquit Agricola) *si hyems fuerit calida, vt tempus Vernum, propter dominium calidorum, tunc frumenta sursum nimis subitò ascendere, radicesque nullas in terram iactare*, dicit, vnde à frumento tali proficuum nullum expectat, atque ratio est, quod æstuosa ventorum calidorum seminaria, elementum commune accendentia euocant nimis festino sulphur à grani sale, faciuntque sal eius volatile centrale in altum raptim tendere. Haud aliter se res habet cum sanguine creaturæ, nam si aër externus à ventis frigidis diu regatur, sanguis & præcipuè phlegmatici & melancholici gelidus & spissus, ac quasi congelatus redditur, talisque ipsius sulphur in abditioribus delitescit angulis, & vrinam tingere non potest, quoniam impeditur calor solaris, aut æstuosa ventorum virtus euocare internum corporis sulphur, ratione dominii ventorum frigidorum. Nonne videtur Galenus hoc idem asseuerare, vbi ait, quod *hyems & tempora frigida, seu in quibus venti frigidi dominantur, sint pituitosis & melancholicis grauia & haud tolerabilia*; quoniam augent frigiditatem complexionum talium, & consequenter magis includunt sulphuris atque balsami naturæ vires in suis latibulis? E regione verò biliosis sunt hæc frigida tempora grata atque salubria. Nonne etiam alibi agnoscit cum Hippocrate, quod magnæ temporum mutationes in calido frigido, humido & sicco à ventis, morbi procreentur magni? Porrò etiam videmus, quod anni status varii alterent vrinas, nec non & ætatum complexiones hoc idem præstare, videlicet tempora vernalia vrinas hyemales remissas parumper intendere, æstiualia verò illas etiam vernales multo magis tingere cernimus: quod fit euocatione sulphuris in sanguinis centro seu sale delitescentis, à calore solari externo, aut caliditate ventorum calidorum maximè prædominantium. Imò verò videmus, quod exercitio seu violenta corporis motione sulphur intrinsecus delitescens emittat coruscationes suas, quibus corpus antea frigore infectum iam calescit, & aut rubedo in corporis superficie sanguinea excitatur, aut sudores vndique eliciuntur, vnde & vrinæ sunt factæ magis tinctæ atque intensæ. Nonne conuenit hoc cum nostra in tritico experientia? in qua apposito carbone sali ipsius tritici centrali candido vi caloris illius euocatur sulphur ipsius internum, & in colorem fuluum siue croceum subitò conuertitur, & quando applicuerit liquorem aëreum crystallinum Soli calore ipsius Solis per sulphuris interni euocationem, in speciem rubini est liquor ille antea candidus tunc conuersus: quibus euidens est, quod quo magis accenditur atque euocatur sulphur in sale balsamico delitescens, eo magis tingetur sanguis, & secundum sanguinis tincturam intendetur etiã vrinæ color. Sed cum diligentia considerandũ est, q̃ iuxta Philosophi dicta radii macrocosmici illis microcosmicis iungantur, & maiorẽ efficiant tincturam, nam omnis nostra nutritio tam spiritualis quã corporalis est me-

est mediante illo sale naturæ, quem quotidie vel à nutrimento, vel ab aëre seu elemento inspirato haurimus: Nam sal creaturæ centralis habet, vim quandam magneticam similem sibi salem & consequenter sulphur à macrocosmi fonte allicere atque attrahere; quò viuat atque sustentetur.

His ideo præcognitis ad rem nostram accedemus.

CAPVT IV.

Hîc vrinarum à proprietate Dei dilatante informatarum species enumerantur.

EX prædictis percipimus, quod quò magis gelidæ sunt tempestates, eo magis remissæ cognoscuntur esse vrinæ. Verbi gratia: vrinæ hyemales maximè sunt remissæ, præcipuè in melancholicis ac phlegmaticis, nec nō respectu habito ad totam anni seriem in omni complexione remissior naturali ratione existit vrina in Hyeme, quam Vere, & tempore Verno quam Æstate. Vnde videmus etiam quòd æstate ob sulphuris corrupti accensionem & euocationem nimiam febres periculosæ sunt tempore æstiuali procreatæ, & consequenter tam sanguis quam sulphur à prauis ventorum calidorum spiritibus contaminatum vrinam vltra naturæ metam tingunt. Hîc autem intelligendum est, quod quò magis sulphuris apparitionis siue manifestationis signa apparent in vrina (quæ quidem eliciuntur à tincturæ & spissitudinis incremento) eò quidem magis à termino extremæ cruditatis, qui est in Septentrione ad medium concoctionis naturalis tenditur: atque iterum, quo magis à medio concoctionis naturalis in corpore procedit natura sulphurea ad terminum cruditatis oppositum, eò magis excedit leges naturæ, ac semper magis magisque intensior redditur vrina, atque æstuosior sanguis: quò vsque ad extremam adustionis metam pertingitur, cuius signum est picea nigredo: terminus autem in quo apparere videtur concoctio est in vrinis Occidentalibus, videlicet, Glauca, Karopea, Subpallida & Pallida; in quibus vltimis videtur sulphur parumper à proprietate venti vel Subsolani vel Austri euocari & fortificari: vnde subpallidus color est quasi succus carnis semicoctæ remissus: pallidus verò instar succi carnis magis intensè concoctæ.


Iam verò ad vrinarum cæterarum colores cum concoctionis naturalis gradus, tum adustionis excessus indicantes properabimus:

Vrinæ à proprietate Dei alterante informatæ, dicuntur vel

- Orientales, vtpote ex calido ſicco creatæ, ſuntq; vel in proprietate
  - Subſolani
    - Colore
      - Subcitrinæ, vt pomum remiſſè citrinum: fitque ex mixtione choleræ cum aliis humoribus vel melancholiæ, & tunc erit tenuis, vel phlegmatis, & tunc erit ſpiſſa.
      - Citrinæ, vt color pomi citrini intenſior.
      - Subrufæ, vt aurum remiſſum.
      - Rufæ, vt aurum purum & Orientale, eſtque medius iſte color inter rubrum & citrinum; vnde plus eſt hîc de cholera ſeu ſulphure, quam in citrina.
    - Conſiſtentia, tenues mediocriter.
  - Euri
    - Colore
      - Rubeæ, vt crocus Occidentalis.
      - Rubeæ, vt crocus Orientalis.
      - Rubicundæ, vt flamma ignis remiſſa.
      - Rubicundæ, vt flamma ignis intenſa: fiuntque hi tres colores, ſi tenues, ex cholera rubra, vnde vergunt ad ruborem igneum cum ſubtilitate: ſi vergãt ad clarum ruborem cum ſpiſſitate, fiunt ex dominio ſanguinis, ſi ſpiſſitudo vergat ad nigredinem, ex ſanguine & melancholia: nam ſanguis dat ruborem, & melancholia nigredinem.
    - Conſiſtentia, limpidæ & tenues.
  - Cæcii
    - Colore
      - Inopeæ, vt color hepatis.
      - Kyaneæ, vt color minii nigri.
      - Viridis, vt caulis.
      - Cæruleæ, vt color cœli.
      - Nigræ, vt inchioſtrum: fitque hic color in vrinis tribus modis: vnus eſt extinctio caloris, & congelatio ſanguinis à frigiditate: vnde inſpiſſatur, & denigratur, eo quod in ipſum non intrat lumen vel ſplendor caloris. Secundus eſt, aduſtio vehemens ſiue incenſio ſanguinis, humiditatem naturalem conſumens, & manet materia terreſtris: tertia cauſa eſt expulſio melancholiæ nigræ cum vrina: & hoc fit duobus modis, vel per viã expulſionis ſecundum naturam, & per criſim, ſicut accidit in fine febris quartanæ, & ægritudine lienis, & in paſſione mulierum, & in retentióne menſtruorum, aut ex oppilatione ſplenis, qui deficit in fæcibus attractus ab hepate & ſanguine; quare redundat melancholicus humor ſuper totum corpus, oriturque ſoteritia nigra.
    - Conſiſtentia, tenues ſed obſcuræ.
- Meridionales, quippe à calido humoroſo creatæ, ſuntque
  - Colore
    - Rufæ, vt aurum intenſum.
    - Rubeæ, vt crocus Orientalis.
    - Rubicundæ, vt flamma ignis.
    - Inopeæ, & quaſi coloris hepatis, eſtque color quaſi compoſitus ex nigredine & rubedine.
    - Kyaneæ, ſeu colore minii nigri; eſt enim color iſte compoſitus ex nigredine.
  - Conſiſtentia, ſpiſſæ cum obſcuritate.

Quomo-

Quomodo autem vrinæ istæ correspondeant ventis, *in libro* 3. de Instrumento nostro experimentali expressimus, atque iterum illius rei demonstrationem hoc in loco explicauimus.



CAPVT V.

Cur author illas Vrinæ species Orientales vocat, & quam ob rationem has Meridionales vocat.

VRinas etiam prædictas vel tinctura mediocri auctas vel eius excessu onustas à ventis calidis illam vim Sulphuream hausisse dicimus: at quoniam earum quædam sunt substantia, siue consistentia tenues, necesse est vt credamus, quod tales ex prædominantibus ventis calidis & siccis & non humidis existant, quoniam siccitas est ratio tenuitatis, attenuat enim calor, & quo magis attenuatur, eo magis in naturam igneam & siccam & per consequens, tenuem euadit: similiter frigiditas borealis quo magis vellit & contrahit à circumferentia centrum versus, eo magis relinquit exteriora & circa centrum versantia tenuia: Sic pruinoso tempore aër est ideo tenuis, quia densior eius pars à frigore eiusdem contrahitur, vnde fit quod contractum deorsum, centrum versus cadat in forma pruinæ & glaciei, & per consequens, aër magis in circumferentia...... tenuis: pariformiter res se habet in vrinis borealibus, siue melancholicis: Similiter in altero vento igneo more sicco, aëra per extremam subtiliationem in coruscationes seu fulgura, siue salia volatilia, quæ sunt aëris occultem in dispositionem Sulphuream, subtilem, lucidam & perspicuam conuertunt; vnde madidam aëris substantiam eius spissam in subtile conuertendo non modo eum rarefaciunt, sed clarum & perspicuum reddunt: haud aliter res sese habet cum sanguine, & consequenter cum eius sero, quod est vrina.

Pro colore, neminem latere potest, liquorem aliquem quo magis coquitur, cum sub-

substantia aliqua tincturaSulphurea plena,eo magis magisq; intēdi in colore,vnde sequitur quod aëris sal in macrocosmo eò magis emittit & manifestat radios suæ tincturæ occultæ; quo magis sit ignea anima ventosa euocans. At quoniam spiritus Subsolani est beneuolus, & vitæ spirator; & in medio tam in suo situ mundano, quam temperie positus, ideo mediocri afflatu calido perspirat aëra, eumque mediocriter tingit, hoc est, in solarem & aureum colorem, lucidasque producit, in suprema aëris regione nubes serenitatis nuntias. Porro etiā ipse Sol,qui est istius anguli dominus choleram solet citrinam in corporibus creare, seu potius euocare sulphuris interni radios in mediocri & fulua seu aurea proportione, mediante quo fulgore vrina etiam taliter, qualiter sanguis, tingi videtur. Nam vt tota virtus venti subsolani in viuifico solis influxu consistit, ita quidem meteora talia vitæ conuenientia tam in macro-quam microcosmo producit. Hinc sanguis mediocriter coctus: hinc vrina mediocriter tincta:hinc digestio perfecta & non in coctionis superfluitate. At si aër macrocosmicus perfletur spiritu Euri, cui præsunt ♌ atque ♂ & consequenter ☉ & ♂ tunc per gradum vnicum aut alterum supra medietatis metam intenditur aëris sulphur, intenduntur meteora, & fulgura, vt crocus aut flamma ignis, procreantur: quorum seminariorum mediatione, in proportione simili sulphur in microcosmi sanguine accenditur, & per consequens vrina redditur talis in diuersis gradibus, videlicet rubea, vt crocus occidentalis, seu minus intensa, quam illa Orientalis, rubicunda vt flamma ignis, quandoque in gradu remissiori & nonnunquam in intensiori: Porro etiam propter æstus in aëre multiplicationem cum siccitate ignea etiam tenuior redditur aër, & subtiliora & magis profunde in sale penetrantia meteora in vtroque mundo: Hinc ergo vrinæ tenuitas.

Sed tamen obiter obseruandum erit, quod quo magis dominantur isti flatus ignei in aëre, tanto tenuiores sint vrinæ in aspectu; verum è conuerso quo magis obtunduntur eorum acies ab afflatibus humidis oppositis, magis vel minus spissiores redduntur, videlicet si Eurus prædominans cum Coro magis minusue coeat, vel subsolanus cum Fauonio,vt in vrinis naturalibus, vel Cæcius cum Africo,&c. Atque hoc etiam de cæteris ventis est intelligendum.

At verò si proprietas Cæcii regnat in aëre, cui præcipue præest ♂ qui est choleræ rubræ creator, eum magis obscurare cernitur in tinctura ob æstum & calorem suum corrosiuum, qualis est sole existente in Leone & dominante isto vento: Hinc fulgura ob profundam & adustam eorum tincturam, fusca vel obscure rubea, vt hepar, vel vt minium nigricans, vel viridia more caulis, vel cœrulea, vt flamma sulphuris vulgaris, quorum dissipatione tenebræ succedunt, vt in carbone post flammæ & ignis dissipationem nigredo. Seminariorum ergo talium in microcosmo introductione fulgura istiusmodi obscura & profunda tinctura eliciuntur, à sale aëris sanguinei extremam importantia adustionem, vnde etiam contingit quod vrinæ tales more pluuiæ à cœlo seu aëre sanguineo impluantur: videlicet Inopeæ, quæ hepatis coloris sunt instar: Kyaneæ, quæ coloris minii nigri speciem præ se ferunt: Virides, ad instar caulis: ac tandem deuorata & adusta substantia, sequitur nigredo.

Ad Vrinas Meridionales quod spectat, certum est ipsas haud multum in calore & sulphuris tincturæ euocatione & accensione discrepare: nam vt in æstuosa Orientis dispositione concurrunt cum Solis tum Martis proprietas; qui quoniam sunt ambo calidi & sicci, igneam producunt ab illa mundi quarta animam: ita quidem Iupiter in meridie est principalis Dominus, sed Mars etiam ei quandoque adest quasi comes; & in operibus Meridionalibus adiutor, vnde factum est quod ob humidi Iouialis dominium; caloris illius plagæ spiritus non sint absque madidis Iouis suspiriis: at quando Mars fit Iouis comes, vt in æstuosis atque calidissimis Meridiei proprietatibus contingit,quibus aër corruptus & morbidus redditur, ibi cœlum non modo nubibus madidis atque densis, sed etiam ex iisdem nubibus fulminat Iupiter, regno assistentis Martis feruore: Haud etiam aliter eorum seminaria æstuosa & putrida in microcosmum aut per inspirationem aut victus rationem introducta corrumpunt more sceptico ipsius sanguinis molem, meteoraque ibi similia in eo pariunt; Vnde factum est, quod vrina etiam ab aëre illo corrupto talis emittatur, videlicet colore Rubea, Rubicunda, Inopea, Kyanea, &c. atque consistentia siue substantia spissa, ob sanguinis meridionalis madorem corruptum, vrinas nebulis similibus implentem.

Et dicunt authores, quod calor Inopos fiat quatuor modis: Primus est cum calor feruens in vehiculis valde mediocritatem excedens agit in sanguinem, & primo adurit eius gressum, quoniam eius aquosum est volatile, & non cito à calore concluditur; secundo cum calor

calor excedens adurit choleram, & adurendo choleram, primum adurit eius subtile, quoniam eius subtile citius comprehenditur quam grossum eiusdem choleræ: tertio cum bullit sanguis in venis propter malignam caliditatem, & facit apostemata in hepate: quarto cum cholera pungit in sanguine & adurit sanguinem.

Porro color Chyanos est mixtus ex albo, nigro & rubro: & fit propter admixtionem diuersorum humorum seu naturarum variorum ventorum: qualis accidere solet in retentione menstruorum, & Hæmorrhoidarum obstructione; cum videlicet venæ matricis vel in ano replentur ex melancholia & phlegmate, ac sanguine grosso, quasi ex congregatione naturarum borealis, occidentalis & meridionalis, &c.

Hic denique notandum, quod si flatus septentrionalis cum hoc vento meridionali coiuerit, obtundet aciē caloris effectus meridionalis pro ratione validitatis ipsius, similiter spissitate sua diminuet spissitudinis Meridionalis effectu, & consequenter vrinas Meridionales non ita densas efficiet, at saltem eas in consistentiam nebulosam in vrinæ substantiam pendentem reducet. Nam vbicunque diuisionem inuenietis in vrina, ibi naturam vnius venti à sibi opposito diuidi atque distingui per quandam antipathiam, credatis velim.



LIBER

LIBER QVARTVS, DE NATVRALIBVS

Vrinarum causis, in membra diuisus duo.

PROOEMIVM.

IN Tractatus huius libro primo *de radicali Vrinarum mysterio egimus: hoc vero libello de causis earum naturalibus, videlicet inprimis cœlestibus ac tum postea elementalibus, nobiscum discurrere proposuimus: nam vt Deus per Angelos suos est cœlestium dispositor atque ordinator, ita etiam per stellas, quibus angeli superiores præsident, agit ipse in inferiora siue sublunaria, tam macro- quam microcosmica, mediantibus etiam angelis inferioribus quos fecit ad influxus suos supercœlestes atque cœlestes exequendos,* ventos *atque* ignes vrentes, *vt testatur Dauid.*


Et quoniam variantur effectus omnes inferiores, tam in substantiæ spissitudine, quam in eorum tincturâ atque colorum proportione, modis quasi innumeris, ostendemus nos in membro istius libri priori, omnes illas mutationes, quæ fiunt in inferioribus ab impressionibus superiorum fieri, idque iuxta naturas Triplicitatum quatuor in signis Zodiaci, quam in Planetis, qui eas, in quibus sunt; Triplicitates, non modo alterant, verum etiam ipsi alterantur, & de natura ipsis propria in alienam recedere videntur: tunc ostendemus impressiones seminales eorum, quas angelici ventorum spiritus accipiunt, & per vniuersum elementum sublunare expandunt & dispergunt, quousque aer siue elementum parturiat meteora influxuum naturis correspondentia, tam in micro- quam in macrocosmo. Hinc ergo in macrocosmo nubes, rores, pluuiæ, niues, pruinæ, tonitrua, fulgura, cometæ, gelu, &c. Hinc in microcosmo cholera multiformis secundum suæ radicis naturam: Hinc sanguis præternaturalis siue corruptus iuxta etiam suæ radicis proprietatem. Hinc Phlegmatis diuersiformis in sanguine dominium: Hinc humoris melancholici conditionis varii in natura humana insultus: Et consequenter vrinæ omnibus hisce correspondentes, tam in colore quam in substantia, quoniam vrina est imago sanguinis, sanguis imago aeris siue communis elementi, quod simile semper est vento, qui ei dominatur, vt & ventus astris illis, quorum influxibus & seminariis animatur: Signum animat & quasi de nouo creat seu potius alterat Planetæ naturam, Planeta mutat influentiarum cœlestium actum, Influentiarum actus animat nouum ventum, & secundum venti naturam diuersimode alteratur & animatur elementi catholici spiritus, qui iuxta talem suam conditionem meteora in eo creat, quorum sperimata in spiritum microcosmicum cum per inspirationem tum per alimentum introducuntur, quem in naturam suam mutare solent, nisi fortior natura eis resistat; mutato vero spiritu sanguineo alteratur ipsius serum siue vrina.

Nonne multis in locis, idque verbis expressis, hoc idem videntur Galenus & Hippocrates confiteri? ait Galenus: Sequitur febris putrida vel dyssenteria, nisi fiat circa canis ortum mutatio. *Et alibi Hippocrates:* Si superuenerit circa canis ortum aqua & hyberna tempestas, & Etesiæ perflauerint, spes est quietis, & quod Autumnus salutaris erit, sin minus, contrarium est expectandum:

dum: *Similiter pro habitatione in regionibus ventis ſubiectis, pro Zonis, climatibus pro Pleiadūm ortu, proque canis & Arcturi effectibus vide Galenum* in Aphor. 14. *Quod etiam Canis ortus febres efficiat, & quales effectus morbidos producant cæleſtia in inferioribus, ac tum poſtea quos morbos venti producere notentur, ob eorum in aere dominium, vndique ſparſim declarauerunt tum Hippocrates tum Galenus* in Aphoriſmis, Morbis Epidemicis, atque pluribus aliis locis, *nimis inutiliter hac in parte recenſendis.*

Verum quoniam tot vrinarum ſpecies obſeruare, medico tyroni & qui Aſtrologiæ eſt ignarus, admodum difficile atque arduum videretur; ideo in capite Membri huius vltimo *duodecim tantummodo complexiones atque vrinarum in ſubſtantia & colore variantium, atque iis competentium ſpecies enumerare aggrediar.*





MEMBRI PRIMI,

CAPVT I.

In quo de quatuor Complexionibus simplicibus à quatuor cælestis regionis Triplicitatibus, totidemque ventis dependentibus, & de vrinis earum cuilibet conuenientibus agitur.



VT sunt quatuor in cælo Triplicitates, à quarum formis siue influxibus non modo Planetæ cæli, verum etiam venti mundi inferiores quatuor, & consequenter vnius elementi alterationes quatuor, meteororumque naturæ quadruplices dependent, similiter & per consequentiam quatuor in microcosmo complexiones, siue humores, atque ex ipsis quatuor Vrinarum genera species sortiuntur suas: ita in prima serie vnius ab altera dependentiam explicare operæ fore pretium existimaui.

In Triplicitate ignea

- ♈ animat ventum Subsolanum: & gradus eius
  - Primi 18. sunt temperate calidi & sicci, faciuntque choleram citrinam & naturalem flauam: & consequenter vrinam fuluam & citrinam.
  - Vltimi 12. calidi & sicci in principio gradus 1. faciuntque choleram intemperatam, & consequenter Vrinam rubeam, vt crocus Occidentalis.
- ♌ animat Eurum, & gradus eius
  - Primi 6. sunt calidi & sicci in principio primi gradus: gignuntque flauam choleram distemperatam, acutam & amaram in primo gradu: & consequenter Vrinam rubeam vt crocus Orientalis.
  - Medii 18. sunt calidi & sicci in 2. grad. faciuntque choleram flauam intensiorem; & per consequens Vrinam rubicundam primi ordinis.
  - Vltimi 6. sunt calidi & sicci in principio grad. 3. gignuntque choleram rubram: & per consequens, Vrinam rubicundam instar intensę flammæ ignis, seu vinetam.
- ♐ animat cæciam, & gradus eius
  - Primi 12. sunt calidi & sicci in grad. 3. faciuntque choleram rubram valde calidam & siccam: & per consequens Vrinam rubicundam intensam.
  - Vltimi 18. sunt calidi & sicci in 4. gr. suntque consumptiui, gignuntque choleram intense rubram, & æruginosam: & per consequens Vrinam Inopeam, vel colore hepatis: Kyaneam, vel vt minium nigricantem, vel viridem vel cœruleam.

Hæc ignea Triplicitas, teste Arnoldo, recipit orientem, & de complexionibus choleram: vnde haud iniuria ventis atque humoribus talibus applicatur.

Notandum, quod vbi mentionem facimus de cholera hic, intendimus igneum sulphuris & sale sanguineo euocati actum, qui est tincturarum tam in sanguine quam Vrina, omnium origo.

- In Triplicitate Aerea
  - ♊ animat ventum Euroaustrum, & gr. eius
    - Primi 18. sunt calidi & humidi temperate, gignuntque sanguinem bonum, & consequenter vrinam auream cum mediocri spissitudine.
    - Vltimi 12. sunt calidi & humidi in principio gr. 1. faciuntque sanguinem magis intemperatum in æstu, & consequenter vrinam spissam & parum per intensiorem, quam & color aureus.
  - ♎ animat ventum australem: & gr. eius
    - Primi 6. sunt calidi & humidi supra naturam in gr. 2. gignuntque spissum sanguinem, & consequenter vrinam rubeam & spissam.
    - Medii 18. sunt calidi & humidi in principio gr. 3. inspissantque sanguinem, & consequenter vrinam densiorem atque intensiorem reddunt, videlicet rubicundam in priori gradu.
    - Vltimi 6. sunt calidi & humidi in 3. gr. faciuntque sanguinem & vrinam paulo intensiorem.
  - ♒ animat ventum Austro-Africum: & gr. eius
    - Primi 12. sunt calidi & humidi in fine 3. grad. redduntque vrinam rubicundam in altiori gradu.
    - Vltimi 18. sunt calidi & humidi in 4. grad. gignuntque multum distemperatum, spissum & putridum sanguinem: & consequenter vrinam spissam, putridam, obscuro modo intensam, & ad colorem Inopeum, seu hepatis tendentem.

Hæc Aerea Triplicitas, teste Arnoldo, respicit Meridiem, quare haud iniuria talibus ventis, complexionibus & vrinis ipsam adaptauimus.

- In Triplicitate Aquea
  - ♋ animat ventum Fauonium, cuius gradus
    - Primi 18. sunt frigidi & calidi temperate, gignuntque phlegma naturale, & consequenter vrinam spissam & intensam, videlicet Pallidam.
    - Vltimi 12. sunt frigidi & humidi in principio primi grad. gignuntque phlegma aliquantulum innaturale: & per consequens vrinam subpallidam, & magis remissam.
  - ♏ animat ventum Africum, cuius gradus
    - Primi 6. sunt frigidi & humidi in primo grad. faciuntque vrinam magis pallidam seu remissam.
    - Medii 18. sunt frigidi & humidi in 2. grad. & per consequens, vrinam reddunt per vnum adhuc gradum remissiorem.
    - Vltimi 6. sunt frigidi & humidi grad. 3. gignuntque multum phlegma salsedinosum, & per consequens ratione salsedinis vrina aliquantulum intendi cum spissitudine solet.
  - ♓ animat ventum corum, cuius gr.
    - Primi 12. gradus sunt frigidi & humidi in 3. gr. gignuntque phlegma spissum, & consequenter vrinam remissam talem.
    - Vltimi 18. sunt frigidi & humidi in 4. gradu, arguuntque phlegma turpe & corruptum; quare & vrinas tales.

Hæc Triplicitas, testantibus Arnoldo & cæteris respicit partem mundi Occidentalem, & per consequens ventos, complexiones & Vrinas tales arguit & facit.

In Triplicitate terrea —

- ♉ animat vẽtum circium: cuius gradus
  - Primi 18. sunt frigidi & sicci, gignuntque melancholiam naturalem: & consequenter vrinam subpallidam & tenuem vel limpidam.
  - Vltimi 12. sunt frigidi & sicci in principio 1. gradus, gignentes melancholiam aliquantisper innaturalem: vnde vrinam colore remissam cum substantiæ tenuitate.
- ♍ animat ex ventis Aquilonem: cuius grad.
  - Primi 6. sint frigidi & sicci in primo gradu, gignuntque melancholiam innaturalem in 1. gradu, & per consequens vrinam cæteris remissiorem & subtiliorem.
  - Proximi 18. sunt frigidi & sicci in 2. gr. faciuntq; melancholiam innaturalem altioris gradus, & consequenter vrinam magis intensam, cum quadam liuiditate & tenuitate.
  - Vltimi 6. sunt frigidi & sicci in principio 3. gradus, gignentes melancholiam innaturalem in principio 3. gradus, & consequenter vrinam aqueam & puram cum liuiditate quadã.
- ♑ animat vẽtum Boream: & eius gradus
  - Primi 12. sunt frigidi & sicci in 3. gradu, generantque melancholiam in eodem gradu, faciuntq; per consequens vrinam, vt aquam rupis, sed cum quadam liuida obscuritate.
  - Vltimi 18. sunt frigidi & sicci in gradu 4. gignuntque melancholiam extreme frigidam & siccam, insignem cruditatem producentem, vnde per consequens radices sunt vrinæ limpidæ, albæ & Crystallo similimæ, sed plumbea quadam liuiditate.


Hæc Triplicitas, teste Arnoldo cum cæteris respicit plagam mundi Septentrionalem, & consequenter ventos, complexiones atque vrinas tales creare & animare dicitur.

His ergo de signis seu radicibus humorum, & vrinarum simplicium ortu intellectis ostendemus iam in secundo loco, quomodo Planetæ ex dictis complexionibus & humoribus simplicibus compositiones varias in dictis Triplicitatibus faciant, & consequenter vrinas iuxta humorum in compositione rationem, multiformes pariant: & primum cum Saturno incipiemus.

CAPVT II.

Hic Author omnes illas ex humoribus magis simplicibus in compositione alterationes, nec non & Vrinarum mutationes, quas ♄ facit in Triplicitatibus, mediantibus ventis ipsis subiectis, recitat.

SCiendum imprimis est, quod planetæ natura admodum alteratur à signo, quia signum est in operatione planeta fortius.








Si ♄ fuerit in signis Triplicitatis igneis, videlicet in

- ♈ idem faciunt quod potens Subsolanus & remissior Boreas in suo coitu: gignuntq; humorem ex bili flaua tenui cum melancholia, quibus etiam pituita superficialis salsedinosa inest: vnde vrina tenuis admodum, sed citrina, aut subcitrina potius est expectanda.
- ♌ idem efficiunt, quod Eurus potens & Aquilo remissior suo coitu, generantque humorem melancholicum cum cholera magis intensa: quibus superflua pituita permiscetur: quare vrina magis intensa & crocea fere, atque tenuis inde oritur.
- ♐ idem producunt, quod Cæcias potens & Circius debilior suo coitu, gignuntque humorem ex cholera rubra & melancholia conflatum, sed cholera dominium habebit, & per consequens vrina erit rubicunda, cum obscura quadam nigredine aut liuiditate, sed erit tenuis.

Hic

Hic sciendum est, quod ♄ occupet dominium plagæ Septentrionalis, & est humoris ideo melancholici præses, quoniam animat ventos illos frigidos & siccos, qui Elementum mundi taliter informant, ex quo consistit & nutritur elementum microcosmi: Porro etiam ♈ vt dictum est, præest vento subsolano ♌ Euro. ♐ Cæciæ, siue Cæcio: quod etiam sint Triplicitatis orientis ab omnibus conceditur. At v. quoniam signum Triplicitatis cuiuslibet est fortior planeta, qui reperitur in iis; ergo tametsi ♄ reputetur esse admodum frigidus & siccus, tamen à signi natura superatur: Hinc ergo est, quod in signi dominio choleram super melancholiam dominari haud iniuria fecimus, & consequenter vrinam intensiorem: at v. quoniam duo adsunt siccitatis testimonia, vnum videlicet ex parte ♄, alterum signi ignei, ideo concludimus vrinam debere esse tenuem valde & non spissam.



Si ♄ fuerit in signis Triplicitatis Aereæ: siue in —

♊. idem præstant in humoris compositione, atque venti Euro Auster potens, & Circius paulo impotentior suo coitu: gignunt enim humorem sanguineum cum melancholia mixtum, non sine pituita superflua: vnde oriuntur & fiunt vrinæ pallidæ vel subcitrinæ, satis spissæ.

♎ idem edunt in humoris compositione, quod ventus Auster potens & Boreas minus valens suo coitu: producunt enim sanguinem à melancholia multum contaminatum, existente phlegmate superfluo mixto, eritq; phlegma spissum & rebelle: hinc ergo succedunt vrinæ fuluæ & ad citrinitatem vergentes cum spissitudine.

♒ idem efficiunt in humoris compositione, quod venti Austro Africus potentior & Aquilo debilior suo coitu: gignunt enim sanguinem mixtum cum melancholia, quos concomitatur phlegma superfluum, sed sanguis suum habebit dominium: quare vrina erit lutea, spissa satis vel saltem mediocriter.

Hic Saturnus dominium habet in Circium, Boream & Aquilonem, vt & ♊ in Euro Austrum, ♎ in Austrum, & ♒ in Austro Africum: vnde sequitur, quod mixtiones vnius atque alterius idem sonant: atque hoc idem in superioribus atque inferioribus erit intelligendum.






Si ♄ fuerit in signis Triplicitatis Aqueæ, videlicet in ——

♋ idem præstant in humoris comparatione, quod venti Fauonius dominans & Boreas debilior in suo coitu: producunt enim multum phlegma cum melancholia, & phlegma dominabitur: vnde patet, quod ex istiusmodi in sanguine mixtione vrina emittetur pallida & mediocris in spissitudine.

♏ idem perficiunt in humoris compositione, quod ventus Africus potens & Circius minus valens in suo coitu: producunt enim multum, putridum, fœtidum & corruptum phlegma cum melancholia, habebitque aqua dominium: vnde vrina erit remissa, spissa mediocriter, & colore subpallida.

♓ Idem faciunt in humoris mixti fabrica, quod ventus Corus potens & Aquilo minus valens in suo coitu: generant enim frigidum & humidum phlegma cum aqua putrida & corrupta mixta cum melancholia: vnde ob eius frigus extinguetur calor natiuus, & sequetur mortificatio: hinc succedit tali humori vrina pallida, seu alba cum liuiditate obscura, & quandoque fusca nigredine.

Hic ♄ qui est Septentrionalis fortitudinis, cum aquatica Occidentis natura, & ventorum illius quartæ proprietatibus se miscet, quibus præsident signa triplicitatis aqueæ.





Si ♄ fuerit in signis Triplicitatis terræ, videlicet, in

♉ Idem proferunt ad humoris compositionem, quod ventus circius dominans cum relatione aliqua ad occidentem: vnde producunt multum melancholiæ cum superfluo phlegmate: vnde sequetur vrina pallida & admodum alba, cum tenuitate euidenti.

♒ Idem efficiunt in humoris compositione, quod ventus Aquilo potens cum aspectu paruo ad Africum, seu potius Corum: vnde humorem producunt melancholicum in magna quantitate cum phlegmate spisso & rebelli: & consequenter vrina erit alba & mediocriter tenuis, cum sedimento chymoso.

♑ illud præstant ad humoris mixtionem, quod ventus Boreas in dominio cũ pauca affinitate ad Corum vel Fauonium: vnde humorem producunt melancholicum extreme frigidum & siccum, cum superfluo, spisso & rebelli phlegmate: quare sequetur vrina alba, liuida, plumbea, tenuis, cum grosso contento.

Sed illud totum succinctius in modum istum sequentem, idque meliori methodo atque ordine contraximus.



EMBLE-



EMBLEMA TOTIVS PRÆCEDENTIS MORE METHODICO DESCRIPTVM.

In quo humorum atque vrinarum ſpecies ſiue alterationes
a Saturno in quatuor Triplicitatibus præternaturaliter ſe
habente, & intemperate operante, deriuatæ, ſuccin-
ctæ, & tamen luculenter reci-
tantur.

Saturnus intemperiei significator in Triplicitate

Terrea	♄ in ♉ ♍ ♑	Impluit influxus seu seminaria intemperata Melancholiæ	Leniores, tenuiores & naturales. Ferociores & innaturales. Rebelles & extreme frigidos & siccos.	Cum superflua pituita seu phlegmate, spisso & rebelli, quorũ seminariorũ effectus, ventorum partu producuntur in aere, videlicet	Septentrionalium cũ dominio. Occidentalium seu Meridionalium parce	A
Aquea	♄ in ♋ ♏ ♓	Impluit influxus seu seminaria intẽperata Phlegmatis	Magis naturalis & tenuis cum aquositate. Innaturalis fœtidi. Admodum frigidi, corrupti & morbidi.	Cum Melãcholia, quorum seminariorum effectus seu influxus ventorum partu in aere producuntur videlicet	Occidentalium cum dominio. Septentrionalium cũ subiectione	B
Aerea	♄ in ♊ ♎ ♒	Impluit influxus, seu seminaria intemperata sanguinis	Naturalis magis sed parum distemperati. Innaturalis & corrupti	Cum Melãcholia & superfluo phlegmate, atque horũ seminariorum effectus ventorum partu in aere producuntur videlicet.	Meridionalium cum dominio. Septentrionalium occidentaliorum remissiorum.	C
Ignea	♄ in ♈ ♌ ♐	Impluit influxus seu seminaria intemperata choleræ vel	Citrinæ & tenuis. Vitellinæ & spissæ. Rubeæ & densæ	Cum Melãcholia & superfluo phlegmate, quorũ seminariorũ effectus, ventorum partu producuntur in aere videlicet	Orientaliũ cum dominio. Borealium minus potentum	D

Concursu

A Concursu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinalis

- Substantia siue consistentia tenuis, quippe in qua dominatur terrea.
- Colore, si ♄ fuerit in
  - ♉ Pallida, alba cum quadam liuiditate, si flent
    - Circius cum dominio.
    - Occidentalis vel Meridionalis admodum pauce.
  - ♍ Alba admodum cum sedimento chymoso, si flent
    - Aquilo cum dominio.
    - Occidentalis vel Austro Africus parce.
  - ♑ Crystallina, liuida, plumbea, si flent
    - Boreas cum dominio.
    - Occidentalis vel Auster.

B Concursu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinalis

- Substantia siue consistentia spissa, cum quadam mediocritate, quippe in qua aqua dominium habet.
- Colore si ♄ fuerit in
  - ♋ Pallida, & subpallida, si simul flent
    - Fauonius cum dominio.
    - Boreas in gradu remissiori.
  - ♏ remissa aquea cum liuida quadam obscuritate, si flent
    - Africus cum dominio.
    - Circius cum remissione.
  - ♓ alba obscura cum fuscedine & liuiditate, si
    - Corus cum dominio.
    - Aquilo in statu debiliori.

C Concursu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo, pluuia cadit vrinalis

- Substantia seu consistentia quodammodo spissa, quippe in qua aer meridianus dominium habet.
- Colore, si ♄ fuerit in
  - ♊ Pallida subcitrina, si simul spirent
    - Euro auster cum dominio.
    - Circius cum remissione.
  - ♎ Citrinescens, fulua, si simul flent
    - Auster cum dominio.
    - Boreas debilior.
  - ♒ Fulua, lutea, & turbida, si simul spirẽt
    - Auster Africus cum dominio.
    - Aquilo in statu paulo humiliori.

D Concursu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo pluuia, emittitur vrinalis.

- Substantia siue subsistentia tenuis, quippe in qua dominatur ignis.
- Colore, si ♄ fuerit in
  - ♈ Citrina, fulua & tenuis cum quadam liuiditate, si flent
    - Subsolanus cum dominio.
    - Boreas minus potens.
  - ♌ Rubea & subrubicunda cũ liuida quadam obscuritate si simul flent
    - Eurus cum dominio.
    - Aquilo parum debilior.
  - ♐ Rubicunda obscure Inopea, Kyanea, si simul flent
    - Cacias cum dominio.
    - Corus minus potens.



E quispiam superstitiosus, siue incredulus potius vlteriori rapiatur dubio, cur complexionum siue humorum atque Vrinarum radices Triplicitates fecerimus, talis ambiguitatis eum hic facio certiorem, quod experientia à me meisque magistris sit compertum, quod illud signum vel signa ea, quæ in Horoscopo siue Ascendente natiuitatis reperiuntur, pro certo & infallibiliter demonstrabit complexionem siue humorem in nato dominantem; nam cum signum in prima domo igneum in instanti natiuitatis reperiatur, pronuntiabimus natum fore complexionis cholericæ: Verum si in Horoscopo inueniamus maiorem signi ignei portionem, & minorem terreæ, vt puta ♈ & ♉ tunc illa persona vocabitur cholerica melancholica. Verum si vltima solummodo signi ignei portio possideat ascendentem, & residuum domus illius maiori terrei signi portione occupetur, tunc talis natus erit melancholicus cholericus: & sic in cæteris; vti alibi in signis complexionum demonstratiuis aperte indicauimus; Quibus liquet, quod non sit istud inconsulte à me factum, triplicitates vocare naturales humorum radices, & consequenter Vrinæ, quippe quæ est colamentum solummodo dictorum humorum.

In præcedenti autem Demonstratione videtis in primo loco ♄ in medio quatuor Triplicitatum situm: deinde ibidem demonstratur, quomodo ipse à propriâ & genuina sua natura alteret signorum dictorum naturas, atque itentidem ab ipsis more egregio alteretur: tum postea, quomodo ipsorum simul mistorum influxus siue seminaria deorsum infusa, venti in primis in aere seminent, ac tandem suis spiraculis quasi manibus obstetricantibus, tanquam partum maturum è ventre aereo, in forma aliqua meteorologica parturiant; & quod mediantibus ipsis Elementa, humores & meteora tam salubria quam morbosa in vtroque mundo eliciantur, siue in lucem edantur. Et consequenter pluuia tam macro-quam microcosmica, h. e. vrina multiformiter de statu in statum alteratur, pro ratione humorum à ventis procreatorum.

Et quoniam valde tædiosum atque inutile erit, idem duobus modis publicare, ideo in methodica istiusmodi progressione siue Emblematica docendi formula incedam, hoc est, naturam cuiuslibet alteriùs Planetæ in Triplicitatibus reperti, atque earum virtutibus alterati, in formis plane similibus ostendam.

Hic obiter notare potestis, quod vbi aio, quod Cæcias cum Borea, vel Circio, vel aliquo alio procreet choleram rubram, hoc idem etiam intelligi possit in concursu flatus Australis dominantis cum Boreali in gradu remissiori, idque præcipue si Mars cum ♃ in operatione Australi coniungatur, verbi gratia, horum concursu fulgura rubicunda, & æruginosa fiunt, quibus incrustatur lapis Ceraunius aliquando, vt portio illius instar minij obscura reddatur, seu instar sulphuris rubicunda, & Inopei coloris: nam ignea Austri & Martis natura cum caliditate Iouis, pugnant cum siccitate Saturni Septentrionalis frigore; Sed quoniam duo sunt caloris in actione Australi, & non nisi vnicum frigoris Septentrionalis testimonium, ideo calor ille extreme igneus est factus, & augmentatur eius ignea natura per antiperistasin, vnde flammæ igneæ compressione sulphur ipsius in humorem vel siccum seu spissum accrescit, vel in sulphur rubeum, ac quasi choleram rubeam, & æruginosam, instar ferri æruginis redigitur, quæ substantia sulphurea est ideo admodum sicca, & corrosiua, quoniam siccitas Borealis cum illa Martiali corrodit, atque præterea humida Iouis natura in signis cholericis tollitur, ita vt ipse alteretur in naturam quandoque ipsius signi ignei, præcipue si ♂ in eo inueniatur: vt in capite de Marte in signis igneis siue Triplicitate ignea inuenta clarius enucleabitur: Atque hoc idem est intelligendum de aliis ventis, videlicet quod meteora variformia possint componere aut coitu in angulo recto, aut obliquo, aut obtuso,

obtuso, aut opposito concursu, sed cum effectu efficaciori in recto, & opposito concursu: Quare sciatis velim, eundem humorem compositum posse variformi ventorum occursu conflari; quemadmodum in sequentibus latius.

CAPVT III.

Vnde hauriant humores, & consequenter Vrinæ suos colores, varios, & quomodo signis & Planetis diuersi secundum naturales suas dispositiones assignentur colores.

SEd priusquam ad alias aliorum Planetarum mixtiones cum Triplicitatibus pergamus, opus in primo loco obseruatu dignum, putamus ostendere, quomodo ex Planetarum cum signorum naturis mixtionibus non aliter mutatur humor, & consequenter vrina, quam vnum colorem in alium mutari additione tertii cernimus. Sic colorem rosinum conflamus, addirione minii seu plumbi rubri partibus 2. cum parte 1. plumbi albi. Similiter additione auripigmenti & minii hoc idem præstamus: sic mixtione salis & mellis, si per octo dies simul steterint, in colorem rubeum deuenient: Sic ex colore Azureo, cum alumine & cupri cineribus mixto, orietur color purpureus; Sic ex fuligine camenæ, alumine & minio fiet color igneus. Sic color niger cum plumbo rubro mixtus, dabit calorem taunetum. Sic fel piscium, aut bouinum, addito pauxillo aceti, atque parumper calcis, si in pastam reducantur, erit auripigmentum: Sic ex croco & vitellis ouorum fiet luteus color. Sic mel mixtum cum pauxillo aceti, sed in maiore quantitate, quam est ipsum, sitque mixtio facta in vase cupreo seu plumbeo, deinde obturetur bene, addendo prius parum calcis, stetque vas illud sub altera olla, eritque materia in colorem viridem conuersa.

Porro si acetum ponatur super lamina cupri in cæruleum euadet colorem, vel teratur calx cum succo granorum sambuci, & erit coloris cælestis: vel miscendo ℥j. plumbi albi cum ℥9. Indici, & in aceto coquantur: & quod supernatat, erit color Azureus. Similiter ex calcis testium ouorum partibus duabus: Æris viridis & salis Armoniaci 6. partibus si cum forti aceto permisceantur, & in olla simul optime lutentur creabitur color Azureus. Color expresse albus ex calce viua, calce cruda, & testibus ouorum fieri solet: ex vitro puluerizato & sulphure in puluere: ponantur super ignem, donec candescant, tunc refrigescant & terantur, eritque albedo exquisita. Ex flamma candelæ cereæ fit color niger, quasi ex adustione; Ex gallis & vitriolo fit color niger, quasi ex mortificatione.

Quibus videre licet, quod variorum colorum mixtione, aliquod tertium produci soleat. Verum cum certum sit, quod omnis tincturæ tam intensæ quam remissæ radix consistat in sulphuris naturalis vel manifestatione vel occultatione, & quod sulphur elementare tam occultum quam manifestum formam suam à cælestibus sortiatur, non est dubitandum, quin quod cœlestia corpora tam erratica quam fixa in se habeant colores ipsis à natura destinatos, & consequenter quales sunt eorum colores interni, talia etiam sibi assumunt corpora, quæ ipsorum influxu recipiant colores externos & visibiles.

Porro etiam certum est, quod planetariis cum signis Triplicitatum mixtionibus colores tertii, & de vtroque extremo participanres creentur, tam in vrinis, quam in humoribus.

Hinc est quoniam Mars est rufus in colore & rubicundus, ideo humores corporis conuertit in rubedinem & denominationem rubræ choleræ ei assignat: At Sol quatenus est aureæ tincturæ, illum in citrinam atque etiam croceam formam conuertit, & vocabitur cholera citrina: Saturnus in nigram vel pallidam vel liuidam seu cineritiam, vnde humor in hoc statu dictitatur melancholicus. Iupiter quatenus eius color naturalis ad viriditatem marinam, vel cæruleam, aut cælestium flauescentem, ideo cum obscuritate quadam reddit humorem obscurum cum flauedine lutea: Venus etiam quatenus dicitur esse albescens, & viridis, ætherea, occultum suum sulphur siue tincturam in suis influxibus includit: Mercurius colorem griseum & cælestem more argenti viui, imo vero & mixtum ha-

bet,& influxus facit similes in inferioribus, Album,griseum, cinericium, pallidum, croceum,atque viridem marinum,argenteum,&c.

Pariter etiam & signa suis congaudent coloribus : nam triplicitas terrea participat cum obscuritate, liuiditate & nigredine Saturni & ☿. Sed in altiori vel remissiori gradu secundum signi perfectionem : videlicet ♉ limpidior & clarior, ♍ & ♏ non ita terra & obscura vt ♑ similiter de Lunæ atque Veneris tinctura participant naturaliter signa triplicitatis Aqueæ, vnde tincturam seu sulphur albũ ouũ cũ obscuritate.& ♓ magis quam ♏,atque ♏ magis quàm ♋. Porro etiam triplicitatis igneæ signa coloribus ♂ & ☉ fruuntur. Ar ♈ de aureo & citrino,atque ♌ de fuluo & croceo solis sulphure habent, ♐ de rubore flammeo atque igneo, & Inopea & Kyaneo Martis tinctura sibi vendicat.

Denique triplicitas aerea solet de aliis participare,& præcipue de tinctura triplicitatis aqueæ occultata,atque illa igneæ manifestata.

Secundum horum influentias tincturis variis naturaliter exornantur quatuor venti cœli,quippe quorum septentrionalis triplicitati terreæ, Occidentalis aqueæ, Meridionalis aereæ,atque igneæ Orientalis subiicitur:vnde euidens est,quod tinctura occulta Septentrionis sit nigredo,Occidentis albedo,Meridionalis, mixta cum orientali & occidentali, seu lutea,& mixtio quædam ex albedine & rubedine.

Zachar. 6. Hinc ergo ait Propheta : *Ecce quatuor quadrigæ , quoniam in quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varii : & dixit Angelus, hi sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, & stant coram dominatore omnis terræ. In qua erant nigri equi egrediebantur in terram Aquilonis : & albi egressi sunt post eos : & varii egressi sunt in terram Austri,&c.* Quibus Prophetæ verbis explicari videtur cuiuslibet venti color, seu spiritus sulphuris sui interni,nam liquet septentrionalem spiritum incrassare, & per incrassationem obtenebrare,& liquores in album, obscurum & liuidum vertere, &c.

Denique ex horum,videlicet cum stellarum tum ventorum mixtionibus variis, meteora variformia,humores,atque vrinas ab inuicem natura, & qualitate atque colore siue tinctura differentes cernimus: Nec quidem mirum, cum iuxta omnium medicorum cõsensum morbi generentur varii à ventorum diuersorum dominio, & per cõsequens varia sanguinis alteratio,variaque humoris ab vno statu & natura in aliam mutatio, & consequenter Vrinarum de colore in colorem, & de qualitate permutatio.

Concludimus ergo,quod non sit mirum,si dixerimus quod Saturni cum ♈ congressu cholera à citrina cum melancholia in gradu remissiori procreetur ; cum choleram citrinam creet per se ♈ & melancholiam ♄ in sua natura.

Verum,quoniam signum est fortius quam planeta, ideo cholera flaua dominium habebit super melancholiam : & melancholia ♄ est liuescens & pallescens ob sulphuris occultationem,vt cholera citrina suo sulphure manifestato valde tincta; hinc ergo istiusmodi colorum mixtione,creatur vrina non tam intensa,vt est illa choleræ vitellinæ seu flauæ,nec tam remissa,ac est melancholia pallida,sed in mediocritate inter ista duo, videlicet citrina & subcitrina : Et sic de cæteris.

Ad substantiæ,siue consistentiæ causam quod spectat : sciendum est, canonem esse inter Medicos generalem,vrinam tenuem significare siccitatem;vnde sequitur quod tam signa sicca,quam Planetæ aridi,atque etiam venti,qui ab ipsorum influentiis informantur, denique ipsa elementa,meteora atque humores, qui à talibus ventis informantur, cum sint sicca,quod vrinas creent tenues per consequentiam intelligamus. Nam in statu horũ omniũ frigido & sicco, quo siccũ,quo magis vel minus est siccum , importat eo magis vel minus humiditatis absentiã & cõsequenter spissitudinis corpulentæ defectum:nam *vt cœli substantia erat facta ex aqua subtili, ita aqua densa, & ipsa terra ex aqua grossa est cõposita,* teste D.Petro.Spiritu do ergo aquea eo magis abest,quo magis dominatur in vrina vel aere terrea siccitas,verbi gratia, in aere (quem vrinæ hoc in loco comparamus) videmus flante Borea nubes depelli,& aeris spissum humidum in pruinas condensari,quæ ad terram & aquam cadere notantur.

Pariformiter sicca spiritus melancholici & septentrionalis natura, coagulat dum in sanguine est, densiorem ipsius seri naturam,eamque non aliter ei adhærere facit, quam sicca & contractiua terreæ naturæ densitas aeris in forma pruinæ & glaciei terræ & aquæ fixe inhærere cernimus,vnde fit vt vrina maneat tenuis cum quadam liuiditate,& cineritia seu Saturnina aut plumbea obscuritate : Verum si siccitas est ignea,qualis est illa igneæ Triplicitatis Martis , Solisue : tunc in tali casu etiam fit attenuatio propter humiditatis absentiam;vnde quo magis humiditate caret humor, eo magis tenuis, clarus & perspicuus erit; prætereа caliditas & iam attenuando subtiliat & rarefacit.

E con-

E conuerſo tamen fit vrina ſpiſſa & denſa per humiditatis præſentiam, quoniam vrina in ſubſtantia ſpiſſa eſt præcipuum humiditatis argumentum, iuxta Medicorum ſententiam: Eſt ergo ſpiſſitudo præcipuum ſiccitatis abſentiæ ſignum; vnde liquet, quod radices iſtiuſmodi vrinarum ſunt in Triplicitatibus Aerea, & Aquea, atque etiam in planetis Iouis, Lunæ & Veneris, ſed cum differentiis, & per conſequens in ventis Meridionalibus atque Occidentalibus; quare contingit, vt in morbis talibus, videlicet vel Meridiei vel Occidentis Vrinæ vt plurimum tales in ſubſtantia atque colore excernantur.

His igitur cognitis ad ♃ per quatuor Triplicitates percurrentis examen pergemus.

C A

De humorum & Vrinarum speciebus à Ioue, in operante,

Iupiter morbi significator in Triplicitate

Terrea (♃)	♃ in ♉ ♍ ♑	*Impluit influxus seu seminaria intemperatam sanguinem mutātia in*	*Melancholiā vel choleram æruginosam* *Æruginosā choleram & Prasinam* *Melancholiā tenuem*	*Cum obstinaci & superflua pituita, quorū seminariorum effectus, ventorum partu producū. tur in aere videlicet*	*Septentrionalium cum dominio.* *Meridionalium magis parce.*	A
Aquea (♃)	♃ in ♋ ♏ ♓	*Impluit influxus seu seminaria intempera ta sanguinem mutantia in*	*Phlegma cū cholera vitellina.* *Choleram vitellinam, quæ ex sanguine & phlegmate fit* *Salsam aquam & putridum phlegma.*	*Cū superflua aquositate mixta cum sanguine, quorum seminariorū effectus, ventorum partu producuntur in aere, videl.*	*Occidentalium cum dominio.* *Meridionalium cū subiectione*	B
Aerea (♃)	♃ in ♊ ♎ ♒	*Impluit influxus seu seminaria intemperata sanguinis*	*Naturalis* *Nimis calidi & spissi* *Magis adhuc spissi, æstuosi ac fæculenti*	*Quorum seminariorum effectus ventorum partu producūtur in aere, videlicet*	*Meridionalium cum dominio.* *Occidentalium parum & quasi nihil.*	C
Ignea (♃)	♃ in ♈ ♌ ♐	*Impluit influxus seu seminaria intemperata*	*Choleræ flavæ { tenuis, spissæ, acutæ.* *Choleræ vitellinæ, intensæ, densæque.* *Choleræ rubræ, spissæ.*	*Mixtæ cum sanguine, quorum seminariorū effectus, ventorum partu producuntur in aere videlicet*	*Orientalium cū dominio.* *Meridionalium cum subiectione.*	D

PVT IV.

quatuor Triplicitatibus existente & conflatis.

A *Concursu quorũ in aere Microcosmi sanguineo pluuia descendit vrinalis*
- *Substantia seu subsistentia mediocris, sed ad tenuitatem magis inclinans, quippe in qua dominatur natura terrea.*
- *Colore, si ♃ fuerit in*
  - ♉ *Subpallida, & parum intensior, si simul flent*
    - *Circius cum dominio.*
    - *Eurus magis remisse.*
  - ♍ *Karopea & magis remissa, si flent*
    - *Aquilo cum dominio.*
    - *Auster africus magis parce.*
  - ♑ *Subpallida & satis intensa, si flent*
    - *Auster cum dominio.*
    - *Boreas parce.*

B *Afflatu quorum ab aere Microcosmi sanguineo pluuia descendit vrinalis*
- *Substantia seu subsistentia spissa, quippe in qua dominatur phlegma & sanguis.*
- *Colore si ♃ fuerit in*
  - ♋ *Lutea & pallida, si flauerint*
    - *Fauonius cum dominio.*
    - *Auster remissius.*
  - ♏ *magis pallide lutea & turbida, si*
    - *Africus cum dominio.*
    - *Euro auster parce.*
  - ♓ *Lutea seu fulua cum obscuritate, si flent*
    - *Corus cum dominio.*
    - *Austro Africus parcius.*

C *Afflatu quorum in aere Microcosmi sanguineo, nubes creantur, & pluuiæ vrinales descendunt*
- *Substantia atq; consistentia spissa, quippe in quibus dominatur Meridies, sanguis & aer.*
- *Colore, si ♃ fuerit in*
  - ♊ *Subfuluæ seu subluteæ, si cum solo dominio flauerit Euro Auster.*
  - ♎ *Fuluæ, luteæ, & subrufæ, si flauerit Auster.*
  - ♒ *Rubeæ, luteæ, & subrubicundæ, si flauerit Auster Africus.*

D *Concursu quorũ pluuia vrinalis ab aere Microcosmi sanguineo emittitur*
- *Substantia seu consistentia magis tenuis quam spissa, quia ignis prædominatur.*
- *Colore, si ♃ fuerit in*
  - ♈ *Citrina, aurea, rufa, si*
    - *Subsolanus cum dominio.*
    - *Auster non nisi parce.*
  - ♌ *Fulua, aurea, crocea, rufa, si*
    - *Eurus cum dominio.*
    - *Austro Africus parce.*
  - ♐ *Subrubicunda, rubicunda, Inopea, si simul flent*
    - *Cæcias cum dominio.*
    - *Euro Auster, seu Eurus parce.*

CAPVT

C A

In quo humorum atque Vrinarum species siue alterationes à Marte in perante, deriuatæ, succinctè

Mars intemperiei significator in Triplicitate

Triplicitas		Signa	Influxus	Species	Effectus	
Terrea	♂ in	♉ ♍ ♑	*Impluit influxus seu seminaria intemperata Melancholiæ, cum*	*Cholera rubra æqualiter mixtà* *Cholera rubra spissa : at melancholia gubernat* *Cholera rubra sicca, spissa & rebelli, dominante melanch.*	*Quorum seminariorum effectus, ventorum partu, producuntur in aere, videlicet*	A – B
Aquea	♂ in	♋ ♏ ♓	*Impluit influxus seu seminaria intemperata Phlegmatis*	*Salsi.* *Putridi, corrupti, fœtidi, rebellis, salsi* *Spißi, rebellis acidi*	*Cum rubra cholera, & aqua salsedinosa; Quorum seminariorum effectus, ventorum partu producũtur in aere, videlicet*	C – D
Aerea	♂ in	♊ ♎ ♒	*Impluit influxus, seu seminaria intemperata*	*Rubræ choleræ cum sanguine* *Rubræ choleræ rebellioris cum sanguine fæculento, spisso, & vsto.* *Sanguinis æstuosi, spißi & fæculenti cum cholera*	*Quorum seminariorum effectus ventorum partu producũtur in aere, videlicet*	E – F
Ignea	♂ in	♈ ♌ ♐	*Impluit influxus, seu seminaria intemperata cholera*	*Flauæ & rubræ, sed flaua dominatur* *Magis intensæ & flauæ, cum rubea, sed dominatur flaua* *Rubea admodũ intensæ & siccißima, & consumptiua*	*Quorum seminariorum effectus ventorum partu producũtur in aere, videlicet*	G – H

PVT V.

quatuor Triplicitatibus præternaturaliter existente, & intemperate ō-
& tamen luculenter recitantur.

A *Septentrionalium cũ dominio.* / B *Orientalium cum subiectione*

Concursu quorum ab aere Microcosmi sanguineo pluuia vrinalis emittitur ——

- *Substantia & consistentia tenuis, quippe in qua siccitas tam terrea, quam ignea dominatur.*
- *Colore si ♂ fuerit in*
  - ♉ *crocea & rufa : si simul spirent* { *Circius cum dominio. Eurus parce vel Euro-Auster.*
  - ♍ *rubea & rubicunda : si flent* { *Aquilo cum dominio. Cæcias parce vel Austro-Africus.*
  - ♑ *rubicunda, inopea, Kyanea, nigra* { *Boreas cum dominio. Cæcias, vel Auster sine dominio.*

C *Occidentalium cum dominio* / D *Orientalium cum remissione.*

Concursu quorum ab aere Microcosmi sanguineo, emittitur pluuia vrinalis

- *Substantia magis spissa quam humida, quippe in qua magis præualet Aqua seu phlegma.*
- *Colore si ♂ fuerit in*
  - ♋ *lutea & fulua : si flent* —— { *Fauonius cum dominio. Cæcias magis parce.*
  - ♍ *rubicunda & crocea : si flent* —— { *Africus cum dominio. Cæcias in submissiori gradu.*
  - ♓ *rubra, rubicunda Inopea, turbida, si* { *Corus cum dominio. Cæcias seu Eurus parce.*

E *Meridionalium cũ dominio* / F *Orientalium cum remissione*

Concursu quorum ab Microcosmi sanguineo emittitur pluuia vrinalis —— ——

- *Substantia & consistentia mediocriter spissa, sed magis spissa, quam tenuis, quia humor præualet.*
- *Colore, si ♂ fuerit in*
  - ♊ *rubea, subrubicunda, si flent* { *Euro auster cum dominio. Cæcius parce.*
  - ♎ *rubicunda, viuenta : si flauerint* { *Auster cum dominio. Cæcius vel Boreas parce.*
  - ♒ *rubicunda intense, Inopea si simul spirent* { *Austro Africus cum dominio. Cæcius magis parce.*

G *Meridionalium cum dominio* / H *Orientalium cum remissione*

Afflatu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo emittitur pluuia vrinalis ——

- *Substantia siue subsistentia tenuis, clara & lucida, quippe in qua ignis solus habet dominium.*
- *Colore, si ♂ sit in*
  - ♈ *fulua, crocea, solo flante subsolano, spiritu Martis agitato.*
  - ♌ *rubicunda, rubicunda, flammea, solo Euro spirante, Marte agitato.*
  - ♐ *Flammea, Inopea, Kyanea, Cæcio prædominante, idque sole in ♋ vel ♌ existente.*

rr CAPVT

C A

In quo humorum atque Vrinarum species à Sole in quatuor deriuatæ, lucide, quam-

Sol morbi significator in Triplicitate

Terra.	☉ in ♉ ♍ ♑	Impluit in fluxus seu seminaria intempera-ta Melancholiæ cum	Tenui flaua bile Spissa flaua bile Tenui & acuta flaua bile	Sed dominatur melancholia atque istorum seminariorū effectus producuntur in aere partu venterū	Septentrionalium cū dominio. Orientalium cum remissione	A
Aquea.	☉ in ♋ ♏ ♓	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata phlegmatis	Tenuis & falsi cum tenui & acuta cholera Spissi, salsi & putridi & choleræ tenuis. Spissi, fœtidi & bili flaua tenui	Cum aqua dominãte: quorum seminariorum effectus pariuntur in aere, partu ventorum	Occidentalium cum dominio Orientalium cum remissione	B
Aerea.	☉ in ♊ ♎ ♒	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata, sanguinis dominantis	Tenuis cum bile flaua Spissi cum tenui bile flaua Admodum densi cum tenui bile flaua	Quorum seminariorum effectus pariuntur in aere, ventorum partu	Meridionalium cum dominio. Orientalium cum remissione.	C
Ignea.	☉ in ♈ ♌ ♐	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata choleræ	Citrinæ tenuis cum rheumatis. Multæ flauæ cum pauxillo rubeo. Rubræ, spissæ & flauæ, sed rubra dominabitur	Quorum seminariorum effectus pariuntur in aere ventorum partu	Orientalium cum dominio. Nullo alio vento concurrente	D

PVT VI.

Triplicitatibus præternaturaliter se habente, & operante; uis breuiter, describuntur.

A *Concursu quorũ ab aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria*

- *Substantia siue consistentia tenuis, quippe in qua dominatur siccitas, tam terrea, quam ignea.*
- *Colore, si fuerit ☉ in*
  - ♉ *Limpida pallida cum quadam obscura flauedine; si flauerit*
    - *Circius cum dominio.*
    - *Subsolanus cum remissione.*
  - ♍ *Magis limpida cum pallore & citrinitate, si flent*
    - *Aquilo cum dominio.*
    - *Eurus magis parce.*
  - ♑ *Niualis Crystallina cũ flaua tinctura.*
    - *Boreas cum dominio.*
    - *Cæcias aut Auster cũ remissione.*

B *Concursu quorũ ab aere sanguineo pluuia emittitur vrinaria*

- *Substantia mediocri, sed magis præualet spissitudo ob aquæ abundantiam, seu Occidentis.*
- *Colore si ☉ fuerit in*
  - ♋ *Pallida cum aliqua sulphuris flauæ tinctura, si flent*
    - *Fauonius cum dominio.*
    - *Subsolanus cum remissione.*
  - ♏ *Subpallida, pallida & subcitrina, magisque crassa, si*
    - *Africus cum dominio.*
    - *Cæcius magis parce.*
  - ♓ *Karopea pallida, & sublutea.*
    - *Corus cum dominio.*
    - *Eurus cum remissione.*

C *Concursu quorũ ab aere sanguineo, pluuia emittitur vrinaria*


- *Substantia magis tenui quam spissa, quoniam vis Meridionalis siue signi est fortior illa solis.*
- *Colore, si fuerit ☉ in*
  - ♊ *Magis fulua & intensa: si flent*
    - *Euro auster cum dominio.*
    - *Subsolanus cum repressione.*
  - ♎ *Fulua, lutea, & quãdoq; crocea, si*
    - *Auster cum dominio.*
    - *Eurus magis parce.*
  - ♒ *Lutea, crocea, si flauerint simul*
    - *Austro Africus cum dominio.*
    - *Cacias cum repressione.*

D *Afflatu quorum ab aere sanguineo, pluuia emittitur vrinaria*

- *Substantia valde tenuis, quippe in qua prædominetur solummodo proprietas Orientalis.*
- *Colore, si fuerit ☉ in*
  - ♈ *Aurea, fulua, subcrocea, à flatu Subsolani informata.*
  - ♌ *Crocea, rubea, rubicunda, à flatu Euri informata.*
  - ♐ *Rubicunda & Inopea, quandoque si Cacius prædominetur.*

C A

In quo humorum atque Vrinarum species à Venere in
deriuatæ, paucis lucu-



PVT VII.

Triplicitatibus præternaturaliter se habente, & operante; lenter explicabuntur.

A. Concursu quorũ in aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria
- Substantia magis ad tenuitatem, quam spißitudinem tendente, & quasi mediocri.
- Colore, si ♀ fuerit in
  - ♉ Caropea, & quasi pili cameli, si spirent
    - Circius cum dominio.
    - Euro auster sine dominio.
  - ♏ Caropea & Glauca si simul flauerint
    - Aquilo cum dominio.
    - Austro africus sine.
  - ♑ Glauca, Caropea, si simul spirent
    - Boreas cum dominio.
    - Auster parce.

B. Concursu quorũ in aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinalis
- Substantia admodum spissa, quippe ex humiditate tam meridionali quam Occidentali participante.
- Colore si ♀ fuerit in
  - ♋ Alba, lactea; vt serũ lactis, cũ tinctura vix perceptibili, si simul spirent
    - Fauonius cum dominio.
    - Auster parce & remißius.
  - ♍ Lactea, glauca, vt serum lactis, si
    - Africus cum dominio.
    - Euro auster sine.
  - ♑ Lactea; Glauca, spermatica, si
    - Corus cum dominio.
    - Austro Africus sine.

C. Concursu quorũ in aere microcosmi sanguineo, pluuia emittitur vrinaria
- Substantia satis spissa, quippe tam ex humido Occidentali, quam Meridionali.
- Colore, si ♀ fuerit in
  - ♊ Flauescens, vt folium salicis, ab arbore lapsum: vel pallida & spicea: si Euro auster flauerit.
  - ♎ Flauescens vt folium prædictum salicis, subpallida & subspicea, si Auster solus vel cum Africo.
  - ♒ Karopea, subspicea, cum glaucedine, si flet Austro Africus solus vel cum Fauonio.

D. Concursu quorũ in aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria
- Substantia mediocri, sed magis ad tenuitatem tendente.
- Colore, si ♀ fuerit in
  - ♈ Fulua, citrina si
    - Subsolanus cum dominio.
    - Fauonius, aut Auster sine.
  - ♌ Lutea, subcrocea, si flent
    - Eurus cum dominio.
    - Africus sine.
  - ♐ Crocea, subrubra, si flent
    - Cæcias cum dominio.
    - Austro Africus cum remißione.

C A

In quo humorum atque Vrinatum species à Mercurio in deriuatæ, in sermone

Mercurius morbi significator in Triplicitate

Triplicitas		Signa		Humores		Venti	
Terrea.	☿ *in*	♉ ♍ ♑	*Impluit influxus seu seminaria*	*Melancholiæ duplicis tam spissæ quam subtilis.* / *In altiori gradu.* / *In proportione profundiori*	*Quorum seminariorũ effectus pariuntur in aere ventorum partu*	*Septentrionalium cum dominio.* / *Nullorum aliorum nisi Occidentalium parce.*	A
Aquea	☿ *in*	♋ ♏ ♓	*Impluit influxus seu seminaria*	*Tenuis melancholiæ cũ salsa aqua in dominio.* / *Multæ tenuis melancholiæ cum spissa, fœtida & salsa aqua* / *Spissi & viscidi phlegmatis, cum tenui, acida & frigida melancholia*	*Quorum seminariorum effectus pariuntur in aere, ventorum partu*	*Occidentalium cum dominio* / *Septentrionalium fine*	B
Aerea.	☿ *in*	♊ ♎ ♒	*Impluit in fluxus seu seminaria*	*Subtilis melancholiæ, mixtæ cum sanguine* / *Tenuis acutæque melancholiæ, mixtæ cum sanguine* / *Spissi sanguinis cũ tenui melancholia*	*Quorum seminariorum effectus pariuntur in aere, ventorum partu*	*Meridionalium cum dominio.* / *Septentrionalium magis parce.*	C
Ignea.	☿ *in*	♈ ♌ ♐	*Impluit influxus seu seminaria*	*Tenuis subtilis choleræ, flauæ cum melancholia tenui* / *Choleræ flauæ spissioris cum melancholia tenui* / *Choleræ rubræ spissæ, cum tenui melancholia*	*Quorum seminariorum effectus pariuntur in aere ventorum partu*	*Orientalium cum dominio.* / *Septentrionalium fine.*	D

quatuor Triplicitatibus præternaturaliter se habente; perpetuò depinguntur.

A *Concursu quorum ex aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria*
- *Substantia tenuis, quippe in qua abundat tam terrea septentrionalis, quam melancholica ☿ natura.*
- *Colore, si fuerit ☿ in*
  - ♋ *Niuea, crystallina, & quasi aqua rupis cum liuida claritate.*
  - ♍ *Crystallina & aquea limpida, parumper liuiditate obscurior.*
  - ♑ *Admodum limpida & clara, alba cum nigra vel liuida quadam occulta fuscedine.*

B *Concursu quorū ex aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria*
- *Substantia mediocris & ad spissitudinem magis inclinans ratione signorum, & ventorum occidentalium dominii.*
- *Colore, si fuerit ☿ in*
  - ♋ *Lactea seu aquea vt serum lactis, si*
    - *Fauonius cum dominio.*
    - *Boreas sine.*
  - ♏ *Aquea vt serū, glauca, si flauerint*
    - *Africus cum dominio.*
    - *Circius sine.*
  - ♓ *Aquea vt serum, glauca, Karopos, seu vt pilus camelorum.*
    - *Corus cum dominio.*
    - *Aquilo sine.*

C *Concursu quorū ex aere Microcosmi sanguineo pluuia emittitur vrinaria*
- *Substantia mediocris, sed ad spissitudinem magis inclinans, ob aeris in ea abundantiam.*
- *Colore, si fuerit ☿ in*
  - ♊ *Alba, serosa si flauerint*
    - *Euro auster cum dominio.*
    - *Circius magis parce.*
  - ♎ *Alba, serosa, ad glaucedinem tendens, si flent*
    - *Auster cum dominio.*
    - *Boreas magis parce.*
  - ♒ *Serosa lactea, ad glaucedinem tendens, si flarint*
    - *Auster africus cum dominio.*
    - *Aquilo cum remissione.*

D *Concursu quorū ex aere Microcosmi sanguinea pluuia vrinaria descendit*
- *Substantia tenuis valde, ratione suæ dispositionis cum igneæ tum melancholicæ, atque Mercurialis.*
- *Colore si ☿ fuerit in*
  - ♈ *Crystallina, vt aqua rupis parumper tincta citrinitate, si*
    - *Subsolani cum dominio.*
    - *Boreæ magis parce.*
  - ♌ *Pallida, subcitrina, citrina, & fulua, si simul flent*
    - *Eurus cum dominio.*
    - *Aquilo sine.*
  - ♐ *Fulua, crocea, subrubra, rubra, si flent*
    - *Cæcias cum dominio.*
    - *Circius magis remisse.*

CA

In quo humorum atque Vrinarum species à Luna in quatuor deriuatæ, breuiter at-

Luna morbi significator in Triplicitate.

Terrea. (♉ ♍ ♑ ☾)	in ☾	♉ ♍ ♑	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata Melancholiæ	Spissæ & tenuis aquæ	Quorum seminariorum effectus, ventorum partu producuntur in	Septentrionalium cũ dominio.	A
				Spißioris & salsæ aquæ aut phlegmatis acidi			
				Acutæ & salsæ aquæ seu phlegmatis acidi		Occidentalium sine dominio.	B
Aquea. (♋ ♏ ♓ ☾)	in ☾	♋ ♏ ♓	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata phlegmatis	Crudi, Vitrei & admodum frigidi	Quorum seminariorum effectus in aere parturiuntur afflatu ventorum	Occidentalium cum dominio	C
				Salsi, fœtidi cum putrida aqua			
				Valde spißi salsi, rebellis cum viscida aqua		Sine vllo alio vento	D
Aerea. (♊ ♎ ♒ ☾)	in ☾	♊ ♎ ♒	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata	Sanguinis & Phlegmatis æqualiter	Quorum seminariorum effectus in aere parturiuntur afflatu ventorum	Meridionalium cum dominio.	E
				Sanguinis densi & dulcis pituitæ			
				Sanguinis spißioris cum dulci pituita		Occidentalium cum remißione.	F
Ignea. (♈ ♌ ♐ ☾)	in ☾	♈ ♌ ♐	Impluit in fluxus seu seminaria intemperata	Cholera flaua & aquea	Quorum seminariorum effectus in aere parturiuntur afflatu ventorum	Orientalium cum dominio.	G
				Cholera magis intensæ & phlegmatis			
				Cholera rubra cum aqua salsa		Occidentalium cum remißione.	H

PVT IX.

Triplicitatibus præternaturaliter se habente & operante, que paucis enumerantur.

A

Concursu quorum ab aëre Microcosmi sanguineo emittitur pluuia vrinaria
- *Substantia mediocri, sed magis ad tenuitatem tendens, ratione signorum & ventorum Septentrionalium.*
- *Colore si ☾ fuerit in*
  - *♉ Aquea & alba: si simul flauerint*
    - *Boreas cum dominio.*
    - *Fauonius, sed in gradu remisso.*
  - *♍ Alba & mediocriter densa, vt aqua, si flauerint simul*
    - *Circius cum dominio.*
    - *Africus sine.*
  - *♑ Alba cum obscuritate quadam, si flent*
    - *Aquilo cum dominio.*
    - *Corus sine dominio.*

B

C

Afflatu quorum ab aëre Microcosmi sanguineo pluuia vrinaria emittitur
- *Substantia valde spissa, ratione proprietatis duplicis in ea Occidentalis.*
- *Colore si ☾ fuerit in*
  - *♋ Alba, lactea & quasi lactis serum, si* — *Fauonius dominium habeat.*
  - *♏ Candida, serosa, glauca; si flet* — *Africus dominium habeat.*
  - *♓ Alba, serosa, glauca & Karopea, atque spissa, si* — *Corus solummodo spiret.*

D

E

Concursu quorum ab aëre Microcosmi sanguineo pluuia descendit vrinaria
- *Substantia spissa ratione madoris signorum Meridionalium atque Lunæ.*
- *Colore si ☾ fuerit in*
  - *♊ Subpallida, si*
    - *Euro-Auster cum dominio.*
    - *Africus cum remissione.*
  - *♎ Subpallida, pallida, subcitrina, si*
    - *Auster cum dominio.*
    - *Fauonius sine.*
  - *♒ Pallida, subcitrina si*
    - *Auster-Africus cum dominio.*
    - *Corus cum remissione.*

F

G

Concursu quorum ab aëre Microcosmi sanguineo pluuia descendit vrinaria
- *Substantia mediocris & magis tenuis ratione dominii Triplicitatis igneæ.*
- *Colore si ☾ fuerit in*
  - *♈ Citrina, subaureaque si spirent*
    - *Subsolani in dominio.*
    - *Fauonii cum remissione.*
  - *♌ subfulua, aurea, subcrocea, si flent*
    - *Eurus cum dominio.*
    - *Corus sine.*
  - *♐ Subcrocea, crocea, subrubicunda si*
    - *Cæcius cum dominio.*
    - *Africus sine.*

H

Capvt X.

Hic ordo prædictarum tabularum, atque de coloribus, atque substantiæ vrinarum ratione varia in Planetis, Triplicitatibus & ventis consistente, relatio adhuc luculentior pertractatur.

IN tabulis, seu capitibus de Planetis in Triplicitatibus existentibus (vi diligenti obseruare potestis) hunc obseruauimus ordinem: in prima sede Triplicitatum signa habetis expressa, & notare debetis (vt in Iatromathematica nostra est dictum) quod in omni iudicio signū est fortius planeta, vnde ita cum discretione in istis nostris ordinibus egimus, quod tametsi planeta sit potens in humorum suæ naturæ productione, tamen signum in quo reperitur, est eo adhuc validius, quare tam signum quam ventus ei subiectus potentior est, quam aut Planeta, aut ventus cui præsidet ille Planeta; vnde factum est, vt in tali humoris compositi procreatione signum non modo alteret parumper Planetæ naturam, sed & humori prædominetur. Agit ergo signum in Planetam, atque ita influentiæ, siue seminaria hermaphroditica à cœlo stellato in elementare impluuntur, quæ ventum seu ventos ipsorum proprietati conuenientes excitant & animant: vnde si planeta & signum in natura conueniunt, ventus vnius mundi plagæ excitatur. Verbi gratia: ♄ in ♉ ♍ vel ♑ cum omnes sint terreæ, frigidæ ac siccæ dispositionis, animare solent ventos Septentrionales, nam simile suum simile amat & appetit, sibi autem dissimile naturali inclinatione exhorret atque odio habet. Verum si signum & planeta sint variarum naturarum, tunc signum excitabit ventum natura suo influxui conuenientem, atque ex altera parte planeta prouocabit ventum sibi proprium; vnde si signum & Planeta in vnica tantum qualitate conueniant, in alia verò dissentiant, tunc erit cōcursus talis factus à ventis transversalibus. Verbi gratia: si ♄ fuerit ♈ vel ☾ in ♑ in priori Subsolanus ex parte ♈, & Boreas ex parte ♄ spirare solent, quorum ♄ & ♈ conueniunt in siccitate, dissentiunt verò in aliis qualitatibus, quatenus ♄ est frigidus ♈ calidus. Sic etiam ☾ est frigida vt ♑, sed illa est è contra humida, hæc verò sicca. At si ambo, nimirum signum & Planeta in suis proprietatibus discrepent, vt ♎ & ♄, quorum illa est calida, & humida, hic frigidus & siccus, tunc quidem agitant & animant ventos natura & situ oppositos; videlicet Austrum & Boream; & sic in cæteris: Videtis ista cum naturæ ordine omnino conuenire. Procedimus ergo in hunc modum: Saturnus in ♑ excitat Boream cū solo dominio ad sua seminaria gelida vbique in aëre dispergenda, atque disseminanda, & in fine sua agitatione partum ex dictis seminariis meteorologicum ex inuisibili aëris matrice seu vtero, spirituali quadam manu obstetricante facit; estque ille partus humoralis secundum influentiæ mixtionem varieformiter consignatus; verùm in tali mixtione merè terrea, erit meteori species melancholica: atque ita in omnibus aliis.

Ratio verò, quomodo colores vel mixti, vel tam exacti humori vel vrinæ iuxta Planetæ præsenter in Triplicitate dominantis, atque signi imperantis naturam, dari atque contingere potest, est huiusmodi: Nam vt inter crudum lignum & cineres quasi duo extrema, sunt diuersi gradus, ita quidem in Planetarum cum signis actu varii solent effectus produci, nam lignum viride, album & crudum ☾ in sua proprietate, & signis aqueis fumus primus, qui accidit ligno post ignis appositionem cum liquore affluente ♀. At fumus magis fuscus & siccus ☿ cum terreis signis, cum incipit flamma ♃ & signis aëreis: at aureus & citrinus flammæ color Soli, vt & rubicundus, ac vehemens cum rubedine carbonis candentis. ♂ cum signis igneis: denique extincto igne carbonis nigredo Saturno & Marti simul; ac denique cineres Soli ♄ cum signis terreis. Hinc ergo phlegma per naturam ligni Lunarem, atque vrinam aqueam spissam expressum habetis, per frigidiorem fumi speciem, naturam in ligno Veneream; quæ est parum calida, & multum humida, vnde vrina spissa & subpallida, quippe ex sanguine tali: deinde quando fumus fit siccus, adeo vt intendi sit paratus, & in principio ligna candida ante flammam nigrescere facit, tunc aderit natura Mercurialis, quæ melancholiæ subtili & fumosæ atque fluxili præest, vnde ob fumi siccitatem; vrinam magis tenuem facit & pallidam, quippe in ligno sulphur non est accensum, denotatque sanguinem fuliginosum seu flatuosum & fumosum; sic quidem in cœlo Mercurium esse præcipuum ventorum & sæpiusculè siccorum excitatorem constat. At cum flamma candida incipit apparere, tunc incipit in ligno regnare natura ♃, videlicet temperatè humidus, quoniam humor ligni in primum

in primum sulphuris euocati atque apparentis gradum apparere videtur, vnde & temperate est etiam calidus, vt est vitæ creaturæ actus: quare denotat sanguinis temperiem & fuluum atque subaureum & aureum vrinæ colorem; sed quando incipit humor diminui ob sulphuris ignei apparitionem, tunc migrat humida seu aërea Iouis conditio in igneam Solis prioris gradus, & tunc cholera flaua & citrina videtur dominium habere in sanguine, & sic facta est vrina aurea, subcrocea & crocea, iuxta gradus illius latitudinem, qui est inter apparitionem flammæ prioris; atque illam rubicundam atque carbonem candentem. Tunc à croceo colore ob extremam siccitatem seu humidi deuorationem fit transitus in rubicundum, qui durat vsque ad flammæ extinctionem ob extremum humidi defectum, in quo spatio dominatur Mars, & choleram flauam gradatim in choleram rubram adustione & residui humoris vltimi consumptione redigit: tunc enim aduritur seu extremè æstuat sanguis, & vrina redditur secundùm latitudines illius gradus, rubicunda, inopea, Cyanea & viridis: tandem extincto igne relinquitur carbo nigerrimus, omni ferè humore, præterquam quem ab aëre trahit, destitutus: hîc partim Mars, vtpote in quo reliquit suæ adustionis vestigia, dominii sui finem, & Saturnus dominii sui initium habere dignoscuntur, quare an sit carbonea ista substantia bilis atrà dicta, an melancholia nigra nihil interest, quoniam calor adhuc in ea non est penitus extinctus, & tamen frigus Saturni siccum dominium supremum habet, sed non integrum: hinc ergo sequitur, quod in tali statu sanguis vratur instar carbonis in sua vera substantia, aut nimio sulphuris dominio pessundetur: & consequenter aut ob sulphuris defectum & humoris sanguinei vrina colore crystallina & aqueâ, & substantia tenuis & subtilis redditur, aut substantiæ sanguinis adusti permixtione, nigra & corui plumæ instar atra redditur.

Quare vrina atra post febrem extremam, idque præcipuè si non accidat die critico, extremam denotat adustionem: Verum si melancholicus quidam morbus præcesserit, post lõgam caloris Martialis extinctionem, h. e. post salis & sulphuris in cineribus mortificationẽ, & vitæ sanguinis ab extremo frigore extinctionẽ arguit, vnde vbi talis vrina post extremos morbos frigidos apparet, idq; præeunte colore cineritio, arguit calidi naturæ mortificationem. At si color præcedat viridis vel Cyaneus, importat adustionem, seu humidi naturæ cõsumptionem. Deniq; in cineribus ligni residentibus solam habent Saturnus & ☿ potestatẽ, in quo statu existente sanguinis radice, vrina reddetur substãtia tenuis, rationis Septentrionalis humiditatis defectus, & candida cum liuiditate; vel si cineritia sanguinis natura permisceatur, liuida atque cineritia siue plumbea: atque hoc modo videtis planetarum atque signorum colores atque substantias iuxta ventorum proprietates discrimen luculenter & manifestè ex ligni igne consumendi progressu explicatas. Iam verò ipsarum mixtionum ex ipsis in coloratione effectibus iam nunc aperiam:

☾ in signis vel aqueis vel aëreis, vrinam albam & lacteam facit, eorũ mixtione, vt ex calce viua, corticibus ouorum & calce naturali, simul mixtis cum lacte caprino color exactè albus resultat.

♄ in signis igneis per adustionem quasi congelatis facit vrinam candidam; vt si vitrum quasi subiectum boreale puluerizatũ cum sulphure misceatur, & olla cooperta vratur igne leni ad vitri excandescentiam, post eius refrigerationem & contritionem fiet color albus, quasi calx Septentrionalis seu Saturnina per Martialem adustionem.

☉ existente in signis Orientalibus seu igneis vrinam reddet fuluam, croceam & rubram: sic ex croco seu subiecto solari, & vitello oui quasi subiecto ♈ vel ♌ fit flauedo quædam coruscans, qualis accidere solet in vrinis Sole Triplicitatem igneam peragrante.


At ♂ existente in ♌ aut ♈ vt color Rosinus ex auripigmento & plumbo rubeo, in æquali quantitate factus; vel color igneus & taunetus ex ♂ in ♐, vt ex nigredine fuliginis camenæ & pauxillo vel nigri coloris & plumbi rubri: hinc ergo vrina rubicunda, vt flamma ignis, & vineta seu inopea. At si ♂ in ♐ fuerit admodum adurens: tunc colorem vel viridem facit vel Cyaneum: viridem sic; vt lamina cuprea per menses 6. in aceto, idq; loco tepido relicta, deinde in Sole siccata; & ærugo super lamina erit nigra: seu potius teratur æs viride de natura venti Cæcii siccum & corrosiuum cum pauxillo mellis, & vini, & erit viriditatis talis: habet enim æs viride naturam ♐ & mel atque vinum Orientis. Porrò acetum habet vini acrimoniam & Orientis aciditatem, & cupri viriditatem corrosiuam & siccam Cæcii naturam: hinc per transitum ab Oriente in Septentrionem fit viride inter rubicundũ intensum, & cæruleum, vt in candelæ flamma apparere assolet, videlicet quod inter flammã intensam & cæruleam seu saphyream intercedit viriditas; vti itidem inter viriditatem & purpuream nigredinem Lichnii. Vnde ex Orientis & Septentrionis, videlicet rubicundi coloris & nigredinis mixtione fit cæruleus color; sic ex calce seu alumine Septentrionis & baccarũ Sambucinarum succo, quasi ignei Orientis subiecto, fit color cæruleus.

Denique fuligo candelæ cereæ cupreo vasi adhærens & aquæ gummi Arabici permista, oſtendit tranſitum ab actuali viriditate Martis in nigredinem actualem Saturni, per colorem purpureum: vnde euidens eſt aduſtionis argumentum. Verum ſi vitriolum Septentrionale miſceatur cum gallis Septentrionalibus; vtpote ambo quaſi ♄ in ♃ frigida & ſicca, tunc illud argumentum mortificationis in extremo frigore: & vt vitrioli cæruleitas cum albedine gallarum liuiditatem eorum mixtionibus faciunt, ante eorum in exactam nigredinem migrationem, ita vrina liuida eſt nigricantis mortificationis ſigni præcurſor; & ſic in cæteris: combinantur enim colores, rubicundus, viridis, cœleſtis ſeu ſaphyreus & niger.


Capvt XI.

Quod Author propter magnam in coloribus vrinariis dimenſionem, earum ſolummodo ſpecies recitat, quæ ad duodecim complexiones antea in ſignis Demonſtratiuis recitatas, ſpectant.

Vt complexio quælibet ex duodecim ante à nobis recitatis, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſita, radicem pro ſua conditione vel ſimplicem vel compoſitam habet, ita quidem earum quælibet ſtatum ſanguinis atque vrinæ ab inuicem diuerſum habere dignoſcitur:



Typica istius rei demonstratio, videlicet tam humorum, quam vrinarũ, secundùm ventorum dispositionem sic depingitur:



Ex vrinis Complexionum compositarum, illa

- Melancholicæ cholericæ est intensa, qualis in quartanis quandoque & quotidianis apparere solet: sed tenuis & paululò obscurior.
- Cholericæ Melancholicæ est magis intensa, etiam substãtia tenuis, cum quadam obscura liuiditate & spumositate.
- Melancholicæ sanguineæ, est clara & colore crocea, & substantia mediocris.
- Sanguineæ Melancholicæ, est flaua & substantia mediocris.
- Sanguineæ phlegmaticæ, est subcitrina & satis spissa in substantia.
- Phlegmaticæ sanguineæ, est pallidior & spissior.
- Phlegmaticæ cholericæ, est subcitrina & mediocris in substantia.
- Cholericæ phlegmaticæ, est subcrocea cum splendore, & substantiæ tenuioris.



LIBRI QVARTI MEMBRVM SECVNDVM, DE VRINARVM QVANTITATE.

CAPVT I.

Quod duplex sit Vrinarum quantitas, atque de cuiuslibet illarum ratione: Denique de substantiis vrinarum aliquid in istis agetur amplius.



VONIAM *in præcedentibus* de vrinarum coloribus atque substantiarum siue consistentiarum ipsarum varietate in tenui & spisso, iam satis superque egimus, vt iam de ipsarum quantitate in ordine priori, ac tum postea earum pondere & contentis accidentalibus, quæ iis euenire solent, verba efficiemus perpauca; priusquam ad iudicandi per vrinam rationem atque methodum perueniamus.

Ad quantitatem autem ipsarum quod spectat: Tres notantur in vrina quantitates, videlicet, Multum, parum, & mediocre. Vbi multum adest quantitatis, plurimum arguit frigoris siue Occidentalis siue Septentrionalis; quoniam si frigus Septentrionale in corpore dominetur, constringit ventrem, vt testatur Galenus: & consequenter copiosiorem reddit vrinarum molem, quoniam omnis illa humiditas, quæ ad stercorum mollefactionem concurrere solebat, vadit iam ad vesicam per renes. Porrò etiam frigiditas Occidentalis meatus magis lubricos atque laxos reddit, quo phlegmatica sanguinis substantia fit pronior ante completam concoctionem gliscere per meatus vrinarios; atque etiam istius proprietatis præsentia debilitatur facultas retentiua, vnde fit vt sine difficultate se dilatet, atque serosam sanguinis substantiam effluere permittat. E regione verò vbi nimium aderit caloris, ibi calor ille more occulto ebibit partim seri substantiam, partim per subtilem & inuisibilem per poros expirationem, emittit, partimque per sensibilem, videlicet proprietate sudorifera mediante. Quid de hac re plura, cum sat sit sapienti verbum?

7. Aph. 33. Nec tamen *hoc in tractatu* omittere volo parumper de vrinarum substantia cum Galeno & Hippocrate dicere, qua de ipsa pleniorem accipiamus intellectum:

Dicimus ergo quod duplex sit vrinarum substantia {
- Æqualis, cum videlicet omnes eius partes sunt vnitæ.
- Inæqualis, cum partes ipsius inæqualiter distant ab inuicem, & sunt ab inuicem auulsæ.

Vrina si sit {
- Tenuis est duplex {
  - Permanens, quæ scilicet tenuis mingitur, & sic manet.
  - Transiens, quæ tenuis mingitur, sed paulò post mutatur atq; perturbatur.
- Spissa est triplex: nã eius species est — {
  - Vna, quæ cum tales mictæ sunt, postea resident.
  - Altera, quæ tales mictæ sunt, & tales permanent.
  - Tertia, quæ purè mingitur, & postea perturbatur.

Tenues vrinæ dicuntur generari gratia erroris facultatis commutatricis à concoctionis scopo:

Iuxta Actuarii normam {
- vel quia caliditas excesserit modum mediocrem.
- vel quia frigiditas superauerit, vnde aquea nimia humiditas, tunc aut nihil omnino, vel non nisi parum mutatur.

At verò ego alibi prestantiorem istius rei rationem indicaui; dicimusque, quod vbi frigiditas quædam cum humiditate non adest, ibi nulla spissitudo esse possit: hinc ergo Occidentis pro-

tis proprietas est præcipuè rem in mediocri sua natura inspissare, nam præbet humiditas materiam inspissationis, sine qua nulla fieri potest spissitudo; & frigiditas coagulat materiã illam, ad inspissandum aptam. Hinc quoniam natura Meridionalis ex natura humida Occidentis requirit ad suam compositionem, ideo ad coagulandum mediocri frigore est apta; imò verò ratione frigiditatis & humiditatis quas habet ab Occidente, in se spissa est, nam est frigiditas quæ eius naturam in nubes coagulat seu condensat. E regione siccitas, quoniam est sterilis & macra, corpulentiæ spissitudinem negat; vnde siue cum frigore Septentrionali concurrat, siue calore Orientali, tamen ob istam rationem semper reddit substantiam vrinæ vel aquæ tenuem. De harum autem vrinarum significationibus & indiciis *libro sequenti* latiùs dicemus.

CAPVT II.

In quo de Vrinarum pondere & gustu disceptatur.

DE vrinarum pondere nemo dubitare potest, cum sit omnibus notissimum, quod illud fieri possit tam secundum ipsarum substantiam in spissitudine & tenuitate, quã in eius qualitate vel calida vel frigida, nam quanto magis res aliqua frigore est cõtracta, tanto densior & ponderosior redditur. Hinc ergo est, quod vrinæ pallidiores sunt grauiores propter frigoris præsentiam, quod naturaliter tendit deorsum, vt aqua est grauior aëre, vt è regione terra, & vrina terrea est aquea ponderosior. E regione vrinæ calidæ ideo sunt censendæ leuiores, quoniam plus aëris & ignis in se habent, quorum est naturaliter sursum tendere, vti in fusa videre licet, quæ in se est ponderata, at vi ignea in altum eleuatur: similiter videmus hominem melancholicum esse pro sua mole phlegmatico grauiorem, & phlegmaticũ sanguineo, & sanguineum melancholico; quod fit propter elementi grauioris super illud leuius dominium: sic etiam ratione animæ igneæ & aëreæ videmus, quod homines viui sint longè cadaueribus leuiores. De his ergo non plura, præterquam quod vt omne elementum naturale sibi vendicat pondus ab alio in dignitate seu leuitate & grauitate diuersum, sic procul dubio omnis vrina suum proprium & à natura ipsi adaptatum habebit pondus, secundùm naturam elementi, de quo maximè participat.

Pro vrinarum denique gustu, ipsarum temperiem & consequenter humoris, cuius est vrina nuntius & testis, gustus solet peroptimè distinguere: nam dulcedo arguit sanguineum, amaritudo cholericum, salsedo pituitam salsam, &c.

CAPVT III.

De Vrinarum contentis, & in primo loco de sedimento, siue hypostasi & nebula.

Contenta quæ vrinis solent accidere, sunt ista, videlicet:
- Nebula & hypostasis.
- Chymus siue humor, Sperma, Pus, Sanguis.
- Cineres, Atomi & Ramenta.
- Squama, Crynoides, Furfura.
- Pilosa contenta; Arenulæ.
- Ampulla, Grana, Spuma.
- Circulus siue Corona.

Ad hypostasin quod attinet, ὑπόστασις Græcè idem sonat, quod subsidentia seu sedimentum; & tamen à quibusdam nomine generali pro omni eo potest capi, quod suspendi videtur in substantia seu corpore vrinæ.

Hypostasis vocabulum sumitur
- Generaliter pro cõgregato illo, quod contrahitur in corpore vrinæ, quod si inueniatur in regione
  - Suprema à Galeno appellatur nubecula Latinè, Græcè νεφέλη, metaphoricè & per similitudinem, quoniam adest in vrinæ substantia, quædam substantia grossa, tanquam nebecula in superiorem aëris regionem eleuata.
  - Media est quoddam innatans, quod à quibusdam dicitur sublimamẽtum, à Græcis ἐναιώρημα, & quasi nubes seu meteoron nubilosum.
  - Infima à Galeno vocatur subsidentia, quippe quæ cæteris subiici videtur, vnde ista pro hypostasi rectius & magis propriè accipi debet.
- Specialiter, pro denso & collecto illo corpusculo seu sedimento, quod in ima regione collocatur.

Quibus

Quibus liquet, quod cum nubecula, seu nebula, seu nubes, siue sedimentum sub hypostasis nomine soleat comprehendi: quorum tamen omnes ego meteoron vaporosum & nubilosum, vno vocabulo, situ & loco tantummodo distinctum vocabo: atque ita ad meteori istiusmodi in campo vrinario quasi vrinæ cœlo apparentis, causarum descriptionem sic accedimus.

Admirabilis profectò est illa quæ se habet inter macro- & microcosmum relatio, imò verò in pluribus præcedentium probaui, quod non modo microcosmi spiritus & substantia omnis à macrocosmo deriuetur, & perpetuum sustentetur, verum etiam omnis in eo virtus & actio inde mutuentur: vnde euidens est, quod nihil sit in microcosmo, quod non sit & habeat à macrocosmo. At verò vrina tametsi sit substantiæ in microcosmo sanguineæ excrementum, tamen tanta est inter sanguinem & istud suum excrementum serosum relatio, vt status vtilioris in microcosmo portionis in inutili & excrementitio quasi speculo videri soleat. Hinc igitur est, quod per vrinam morborum in corpore delitescetium naturam cernimus, videlicet an sit æstuans Orientaliter vel Meridionaliter, vel an rigens & frigescens Borealiter vel Occidentaliter.

Quibus euidens est, quod vt sanguis aëreus atque spiritus in microcosmo triplex sua habet à macrocosmo meteora tam salubria, quam insalubria, siue sint ventosa, famosa, vaporosa, pluuiosa, niualia, grandinosa, glacialia, pruinosa, fulgurea, & ignita. Et vt microcosmi totum suos actus & effectus habet à macrocosmo, ita itidem vrina totam suam vim atque virtutem meteorologicam, siue igneam siue ventosam, siue niuosam, siue vaporosam aut nubilosam, siue pruinosam, &c. à macrocosmo acquirat. Hinc ergo coruscationes in vrina sulphureæ, hinc eius grossities, hinc ipsius tenuitas & claritas; hinc circuli varieformes, hinc nubes in qualibet quasi aëris regione, hinc pallor & sulphuris occultatio, hinc mediocritas in his omnibus; hinc venti & ventorum tam simplicium quam mixtorum effectus, hinc Lapidis quasi Ceraunii fragmenta, quæ omnia habet à microcosmo, quoniam microcosmus horum omnium seminaria & radices per inspirationem & nutritionem à macrocosmo.

His igitur ritè consideratis, vnde in mundanis orta est tanta in naturæ arcanis cæcitas, tanta ignorantia, vt de contentis accidentalibus cum in sanguine & spiritu microcosmico, tum in vrina, quæ est quasi pluuia ab aëre eius sanguineo cadens? Si ritè ergo consideremus situm, naturam, ortum & speciem cum colore & substantia meteororum macrocosmicorum, non æstimamus difficile, situs, naturæ, ortus, speciei, coloris & substantiæ rationem, meteororum in microcosmo, aut ipsius pluuia vrinali, expiscari atque indagare. Atque antequam cum vrinæ contentis incipiam; de substantia vrinæ per totum in primo loco discuttere erit opus; quippe ex qua videntur nubes & nubeculæ, atque alia contenta exurgere.

Si humor procreetur à radicibus vnius naturæ; verbi gratia, ex ♄ vel ☿ in ♉ ♍ vel ♑ complexio siue humor melancholicus simplex, mediantibus ventosis Septentrionis organis: & tum istius humoris sanguinei serum erit admodum tenue, vt crystallus, vel aqua rupis sine nubibus aut sedimentis. Sic etiam si ☉ vel ♂ sit significator, atque in ♈ vel ♌ vel ♐ reperiatur, humor exactè biliosus, mediantibus ventis Orientalibus procreabitur, cuius serum erit subtile & limpidum, æqualiter per totum. Verum si ♃ vel ♀ fuerint in signis suæ naturæ aëreis; videlicet ♊ ♎ ♒ animabuntur venti Meridionales, & creabitur humor sanguineus simplicior, cuius serum erit æqualiter per totum, spissum ratione aëreæ humiditatis ventorum, & humores heterogenii.

Similiter si ☾ in ♋ vel ♏ vel ♓ reperiatur, per organa sua ventosa Occidentalia seminaria in communi elemento dispergit, vnde humor simpliciter aqueus, phlegmaticus, homogeneus, & consequenter humoris serum, seu vrina, alba, serosa, glauca, & spissa per totam suam substantiam, sine vlla in nubeculam, nubem, ad sedimentum diuulsione. Quoniam nulla communiter fieri solet substantiæ in talia contenta mutatio, vbi humor est homogeneus, simplex, & à vento vnius naturæ, quare semper in substantia tali per totum, hoc est, vniformiter se habebit.

Verum si humor conflatur ex Planetis in signis naturæ eis vel mediocriter contrariæ, vt ex ♄ in ♈ vel ☾ in ♎, vel ♂ in ♑, ibi humor fit ex concursu duorum ventorum transuersalium, vt puta Boreæ & Subsolani, &c. Si naturæ omni modo contrariæ, vt ♄ in ♊, ☉ in vel ♂ in ♋, ☾ in ♈, ibi humor fit ex concursu duorum pluriumve ventorum contrariorum, vt puta Circii & Euri: Cæcii & Africi: Subsolani & Fauonii, &c.

Ratio autem homogeneitatis & non diuulsionis in vrina, se habet vt illa aëris in puta &

non

non turbata sua dispositione: Nam cum Septentrio solummodo flat in aere, serenum fit tempus, & cælum nubibus immune est, vnde serenator dicitur Boreas: Pariformiter si solus Auster beneuole in cęlo flat, sine concursu venti alterius, ęstuat aer clementer, & à nubib. liber erit: Sic etiam ventus Orientalis vel Occidentalis solum dominium in cælo per se habentes, serenum efficient cælum: Verum vbicunque in cælo nubes apparere solent, illud fit (vt *in historia mea meteorologica*, est demonstratum) non ex vnico vento, sed ex binorum pluriumve ventorum concursu; nam ibi loci declarauimus, quod nubes cuiuscunque speciei, non ex vaporibus à terra aquisve surgentibus (quemadmodum Aristoteles autumauit) conflentur, sed ex aeris compressione & condensatione, quæ quidem compressio ab vnius solius venti afflatu effici aut præstari non potest, nam compressio fit ab oppositorum seu transuersalium concursu.

Hinc ergo euidens est, quod vbi ventus solummodo vnicus in cælo flare cognoscitur, ibi non alteratur vel limpidus & tenuis, vel spissior & desior aeris status, nec in partibus spissitudine substantiæ diuersis disponitur: Haud aliter res accidit in vrina, à radice siue radicibus vnius conditionis orta: non enim includit flatus contrariæ conditionis; quare non mutatur aut diuellitur in partes inæquales. At quemadmodum videmus in aere seu communi elemento, h.e. cælo sublunari, quod quando duo venti (quorum vnus alteri prædominari notatur) simul spirent, suis spiraculis aerem aeri apponendo & comprimendo nubes varieformes producant: haud aliter spiritus radicis heterogeniæ seu diuersæ naturæ, in vrina seu sanguine inclusus: non aliter quatuor in cælo vrinario contendunt paulatim, sed in contentione conglomerant & comprimunt simul substantiam in vrina vix sensibilem, in nebulam vel nubem, vel sedimentum, non magis oculis manifestum, quam nubes in cælo ex aeris vix sensibilis compressione & appositione, euidenter omnibus apparent. Dicimus ergo nebulam, nubem, hypostasin, seu sedimentum in vrinis creari à spiritibus contrariæ fortitudinis ventosis, ei occulto modo inclusis. Operatur verbum in angelis, angeli animant ventos, venti spiritus infinitos mouent iuxta naturam venti prædominantis, spiritus occulte pugnant in aere, & concursu suo nubes condunt & vehunt in aere: & in microcosmum penetrantes, tales etiam in ipsius spiritu sanguineo parturiunt conflictus seu contentiones, & consequenter per vrinas etiam insensibiliter se miscent, & in eo confligunt: Nec quidem cuiquam docto videatur mirum, me dixisse spiritus ventosos esse in tam infinito numero, vt omnem aera impleant, & consequenter in ipso microcosmo non aliter agant & reagant, quam in macrocosmo: Nam cum certum sit spiritum Sapientiæ Sanctum, qui est Angelus seu nuntius Dei catholicus & ter maximus, in quo tanquam Angelorum fonte & capite consistunt omnes Angeli tam superioris quam inferioris ordinis, implere orbem, & cum ipse sit, qui animat informatque ventos, h.e. facit angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem, & consequenter, vt ipse vbique adest in vtroque mundo, ita per ministros suos vbique regnantes omnia operatur in omnibus, necesse habemus credere, quod vtcunque humores, elementa, meteora & eorum effectus, ad causas referimus naturales, tum hæc omnia tam in homine quam in mundo & omni re alia à spiritus inuisis & mirabiliter exiguis, omnia operantibus & omnibus præsentibus, & à spiritu summo spirituum gubernatis: Hinc Rabbi Moyses, *Angelum illum summum Intellectum agentem*, vocat à quo formæ omnes influunt: Raba Breseth eum vocat *præfectum vniuersitati*, à quo gubernantur omnes virtutes singulares, tam mundanæ, quam humanæ, siue sint animales siue naturales, quæ pariter sunt angeli, quorum multitudo est infinita quoad nos: *vnde* (ait ipse) *creator quotidie creat cœtum Angelorum, quos alii vocant formas, vtpote qui sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero plena est.* hæc ille. Ac si dixisset, quod quotidiano flatu ventorum, seu spiritus siue actus diuini emissione, de hac vel illa mundi quarta, totum elementum nouis quasi spiritibus, formis siue influentiis tam generationi quam corruptioni dicatis, informetur & alteretur de statu vnius elementi in illum alterius: Hinc ergo in Porta lucis legitur, quod *è terra vsque ad Firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum formis, ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ ac miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ, tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aere: ex iis ad pacem, ex iis ad bellum, ex iis ad bonum, ex iis ad malum, ex iis ad vitam, ex iis ad mortem. & omne id in habitatione inferiori, in quo nos sumus*: vt dicit Ioseph Castaliensis.

Quibus videre liceat, quomodo venti macrocosmici per suos spiritus occultos vbique tam in micro quam in macrocosmo agant, secundum naturam influentię, quam sortiti sunt, & consequenter actiones & passiones istiusmodi in vrinis sunt à dictis causis centralibus deriuatæ, tametsi hoc mundum rudem & vulgus imperitum in hunc vsque diem lateat. Sic ergo in causis vrinarum hypostasium cognoscendis atque eliciendis procedimus.

In ipso macrocosmo videmus nubes, tam situ & positione, quam natura & conditione discrepare, sunt enim aliæ candidæ, quæ versus supremam aeris regionem & supra illam nubium fuscarum & nigrarum vectæ virtute spirituum ventosorum magis agilium & leuium, & dicuntur nubes siccę, quę non cadunt aut resoluuntur in pluuias, sed in guttas quandoque roridas distillant, atque hi serenum purumque cœli vultum portendunt. De quibus hæc Sapiens: *Nubes superiores sapientiæ distillant rorem:* & iterum: *Roris guttas quis genuit, aut è cuius vtero egressa est glacies, pruinam cœli quis gignit, &c.* Porro etiam videmus, quod ex claro & sereno aere, quasi ex fonte inuisibili, spirantibus benigniter Subsolano & Fauonio, rores limpidi, albicantes, & rotundi impluantur, & in terræ & campi superficie globoso suo more insistant atque reperiantur: haud aliter se res in microcosmo habet, serenante & clarescente, h. e. in statu salutari existente eius spiritu sanguineo: vnde vrinæ succedunt puræ & claræ, tanquam aer; & frigescente eo, quasi nocturna constitutione frigescente aere macrocosmico, hypostasis alba, & subtilis, rotunda & æqualis, antea in suo fonte minime percepta, more roris ab aere macrocosmi claro descendet, vnde & sanguinis salutem atque serenitatem arguere solet: At tales hypostases seu sedimenta rite dictitantur: fit autem nubes ista rorida & clara ex benignis vitæ afflatibus clementer spirantibus, videl. Fauonio & Subsolano, simul in microcosmo spirantibus in vnum, congregata; vnde facta est tam leuis, tam æqualis, in forma seu figura & partibus.

Prou. 3.
Iob. 38.

Videmus etiam in macrocosmo, quod nubes quandoque colore, substantia & conditione variæ, secundum ventorum dominantium naturas & proprietates, vel in media aeris regione, vel in infima vehantur, quasi super alas venti; vnde fit, quod quo vehementiores & rebelles magis sunt ventorum dominantium spiritus, eo sint durabiliores. Hæ v. nubes, si à ventis igneis siue Orientalibus, siue Meridionalibus dominantibus cum illis Borealibus in gradu remissiori creantur & congregantur, tunc iuxta venti dominantis naturam informabuntur, & colorabuntur, & iuxta venti in opposito flantis naturam vel densiorem vel sicciorem vel magis rebellem habebunt substantiam, eritque earum conditio ratione formæ venti potentioris informantis: vt si venti calidi & lucidi informant, erit nubes fulgurans & tonitrualis, idque præcipue si ventus passiuus sit frigidus & siccus, à quo & secundum conditionem cuius formatur fulguris domicilium. Sic in tempore hyemali & Septentrionali videmus ignem velocius ligna & materiam combustilem consumere, tum propter contractionem formæ igneæ in re combustili, per antiperistasin, tum quia siccitas Borealis cum illa Orientali coniungitur, quare vehementius & citius absorbebitur humor flammæ resistens, & consequenter flamma erit violentior: Sic creata sunt fulgura & tonitrua. At si Boreas, vel aliquis Septentrionalium vel Occidentalium prædominetur, tum ignea vel Orientis vel Meridiei extinguetur virtus, & magis in potentia erit quam in actu, & superabit virtus aut niuea & grandinosa, aut aquosa in tali nube; quare & colore & substantia & conditione alterabitur ab alia prædicta specie: Atque hoc totum in aere facit Iehoua, seu æterna Sapientia per spiritus suos ventosos, tam in macro-quam microcosmo. Nam in microcosmo, si ignea præualet virtus, & spiritus talis igneus concurrat cum spiritu sibi opposito, sed non adeo potenti, tunc nubem in vrinis congregari cernemus illius caloris, substantiæ & qualitatis, cuius erunt venti simul in nubis complementum spirantes & concurrentes.

Nonne obsecro non modo à medicis præstantioribus, verum etiam quotidiana experientia hoc idem inuenimus atque habemus comprobatum? nam de sedimento candido & niveo, de subspiceo & spiceo, de flauo, rubeo, rubicundo, cruento, vineto seu inopeo, liuido, viridi, subnigro, & atro sedimento mentionem faciunt Galenus, Hippocrates, Rulnerus, Willichius, Forestus, Ægidius, Isaac & alii; quibus significare voluerunt gradus dominii ventorum igneorum siue sulphureorum in corpore humano; nam quo magis intenditur sedimenti, atque etiam nubis Enaiorematis color, à colore niueo vel albicante, eo magis volunt naturam igneam in ipso prædominari: Atque gradus dominii sunt color subspiceus, spiceus, flauus, rubeus, rubicundus, cruentus, & qui adustionem arguunt, inopos, viridis, subniger & niger: Nonne hoc idem à Physicis in nubibus & fulgure macrocosmi obseruatur? quippe à quibus docentur, quod fulgur & nubes albicantia & lucida, sint de fumo subtili, quare non sustinet magnum calorem aut inflammationem, & per consequens parum aut nihil vrit: atque hanc speciem aiunt maturare fructus. Aliud fulgur est flauum, & illud fit de fumo vaporoso & glutinoso, portenditque calores magnos & ignem periculosum in nube: non aliter quam talis nubes seu sulphur in nube vrinæ, in sanguine seu aere humano. Tertia fulguris species est rubra vt ignis, de fumis spissis, valde coctis & Martialibus compacta, estque nihil aliud, quam ignis in fumis spissis conceptus; dicuntque hoc fulgurum genus valde furere per aquas & pluuias; haud aliter talem nubem vrinæ sulphur periculosas

losas in sanguine inflammationes à cholera rubra & Martiali arguit: Quarta est fumosa & nigricans, & tale fulgur dicunt sulphur esse multum terrestre, sub obscuritate & fumo mirifice inflammatum; haud aliter tale in vrinæ nube sulphur, adustionem in sanguine significat. Quinta species est viridescens & profunda, habetque magnam communicationem cum materia terrestri, & adusta, cum humido viscoso: Hoc etiam idem indicat sulphur in nube vrinæ nigrum, in sanguine. Sexta est plumbea & albicans, quæ dat flammam siccam & valde dilatatam in longum & latum, &c.

De substantia autem nubis hæc referunt: Nubes in tempore tonitru albicans, aut parum aut nihil omnino est timenda, nam parum habet vaporum & exhalationum, & consequenter leues facit coruscationes & parum durabiles. At nubes rubescens super nigredinem denotat abundantiam fumorum siccorum, & per consequentiam materiæ fulgureæ, quare facit fulgura magis furibunda. At nigra partim rubescens, & partim viridescens omnium est periculosissima, nam rubedo eius magnam seminariorum igneorum quantitatem denotat, nigredo spissos & copiosos vapores: denique viriditas denotat humiditates & aquas in magna quantitate: vnde fit vt pugna inter calidum, frigidum, humidum & siccum, magnæ in aere pugnæ, cursus & inuasiones, perturbationes & tempestates sequantur; in qua conflictus specie, simul grandines magni cum igne & lapidibus, atque pluuiis apparere solent. Haud aliter euenire solet in vomitionibus & egestionibus, in peste factis, atq; etiam quandoque in vrinis.

Plura de istis rebus non discurram, sed ad aliorum contentorum causas discurrendas iam progrediar.

CAPVT IV.

De Chymo, siue humore, spermate, pure & pinguedine, atq; de istorum in Vrinis contentorum causis.

TAmetsi omnia ista contenta præter pinguedinem in fundo matulæ resident, tamen est euidens inter ea, cum substantia tum proprietate discrepantia.

Inter saniem, siue pus, Chymum siue humorem, sperma, Pinguedinem, & Hypostasin, hæc intersunt:

- Sanies in suo exitu mordicat & infert dolorem, & si quatiatur vrina, turbida à materia istiusmodi purulenta reddetur vrina tota: porro etiam odorem habebit grauem & fœtidum: deniq; post vrinæ perturbationem, materia ista putrida subito petet matulæ fundum.
- Chymus, seu humor, etiam post motum vrinæ petet fundum vrinæ, sed non tam cito ac sanies, quoniam plures in se habet partes aereas, quam pus, quod etiam in eo apparet, quoniam screatus purulenter tendet ad aquę in quam expuitur, fundum, cum è conuerso phlegma natabit super aquam.
- Spermaticæ resolutiones apparent diuulsæ per totum vrinæ corpus, habentes figuram longam & rotundam.
- Pinguedo semper solet supernatare vrinam.
- Hypostasis deniq; habet secum claritatem, pulchritudinem & radiositatem manifestam, quæ cum residet in fundo compacta valde erit alba pineata & æqualis: & cum mouetur vrina non fit turbida, nec post vrinæ motus cessationem velociter fundum petit, & quandoq; minime omnino descendit.

Testatur Galenus & Placentinus, quod Chymus, siue humor in vrina apparens oriatur à crudis, grossis & viscosis phlegmaticis humoribus, quos natura per renes expellere tentat, & perfecte illud officium præstare non potest.

Distinguitur iste humor tantummodo secundũ loca, in quib. inuenitur: nam chymus pendet vel in Vrinæ { Summitate. / Medietate. / Fundo. } Et quęlibet istiusmodi humoris positio suas proprias habet significationes; vt *lib. sequenti* apparebit.

Spermatica contenta vt plurimum apparent in vrinis, & egredi coguntur, seque in vniuersam corporis vrinæ substantiam permiscent.

Contingunt autē vel ratione
- Coitus recenter facti.
- Solutionis nocturnæ.
- Gonorrheæ.
- Virgæ paralysis.
- Debilitatis facultatis testiculorum retentricis.

Pinguedo causatur vt plurimum ob adipis renum vel totius corporis liquefactionem à calore igneo: vt testatur Galenus 7. *Aphor.* 35.

7. *Aph.* 35. Cognoscitur renum ab aliis corporis partibus colliquatio sic, nam
- Si in aliis corporis partibus adeps sit colliquatus præter renes, tunc paulatim & non statim & coaceruatim exit, nam de liquefactione primum participant venæ, quasi vicinæ parti liquefacti, deinde de vena ad venam transit, denique ad renes, ac tandem ad vesicam.
- Si in renibus contingat colliquatio, fit statim & coaceruatim, & celerrime fit pinguedinis liquefactæ eiectio; atque hac ratione distinguitur renum, ab aliis partibus colliquatio.

Lib. cauf. procatarct. cap. 2. Sanies contingit in vrinis, teste Galeno, vel
- Phlegmatum solutione in saniem seu pus, quod pus per vrinas emittitur: atque huic nihil album subsidet, & fœtorem habet.
- Solutis Febribus, atque sanies talis nequaquam statim assimilatur; huic autem aliquid albi subsidere solet, atque etiam fœtidum habet odorem.

Capvt V.

De Cineribus, Atomis, siue ramentis, Squamis, Crynoidibus, Furfuris, Pilosis contentis, Arenulis.

Atomi instar illorum solarium quandoque in vrinis apparent: atque hic, vti authores volunt, resolutione humorum in nodos circa iuncturas concretorum in minutas partes, quæ solent cum vrinis permisceri. Verum quam sit hoc ipsorum simile, in eo videtur apparere, quoniam via aut meatus, per quem à iuncturis retrorsum in venas ista materia ramentosa possit reduci, & mediantibus vehiculis, quibus penitus ignoratur, ab iis qui rem prout est, & directis trutinis ponderare atque ponderare volunt. At vero vt mihi videtur, ariditatem membrorum & sanguinis arguet, sicut etiam dicitur puluisculus aliquando in extrema siccitate à cælo implui: at vero nolumus nos hac in causa irregulares reddere, sed normam veterum sequi.

Furfura sunt contenta squamis minora: Crynoides à Cryneo, id est, tertia parte grani; sunt autem similes furfuri, sed in omni dimensione eo maiores, assimilanturque Crynoides partibus frumenti albis, quæ non bene moluntur, habentque grossitiem sensibilem. Denique squamæ sunt tenuiores & subtiliores furfuribus, & magis rotundæ & albæ, similes squamis piscium. Sciendum autem est, quod medici velint hæc contenta prouenire ab vniuersali solutione, per calorem accidentalem in profunditate membrorum facta: vt in vltimis hectices speciebus contingit. At euenit etiam nonnunquam, vt squamosa istiusmodi contenta nihil sint aliud, quam scabies vesicæ per vrinam emissæ.

Pilosa autem cum caruncviis contenta à fibrosis renum ramentis procedunt: & alii volunt, quod etiam à fibrosis & pilosis aliorum membrorum euacuationibus contingant.

Denique arenulæ haud aliter in renibus, quam in nube macrocosmica puluerea, & lapides & arenulas congregari atque generari credendum est: videlicet ex materia salsa, sulphurea & glutinosa, calore rabido in duritiem compactis.

CAPVT VI.

De Ampulla, Granis, Spuma & Sanguine.

TÆdiosum profectò foret de istis omnibus more largiori tractare, & medicorum veterum de istorum contentorum ortibus conceptiones vix probabiles explicare: Meum autem erit omnia tam succinctè, quam possum, atque ad propositum exprimere, atq; sententiam meam de ipsis planis verbis explicare.

Ad ampullas, grana & spumam quod attinet, hæc tria contenta solent apparere in summitate vrinæ, videlicet in ipsius circulo. De horum ortu opinio est omnium generalis vulgarium medicorum, videlicet quod vel à motu aut ventositate, vt in mari, vel ab ebullitione, vt in oleo bulliente, vel à casu, vt patet in stillicidio, oriantur: tamen ego relictis istis causis tam generalibus ad magis particulares accedam: Et quamuis videbitur istud arcanum esse nimis profundum, quam vt in illud mortalium quispiam se sufficienter immergat, quippe in cuius (vt aliqui scribunt) inquisitione ipse Aristoteles seipsum (desperatione raptus) in mare præcipitem dedisse traditur, videlicet quia rationem centralem bullarum in mari atque stellis pluuiæ accidentium, inuenire non potuit: tamen (vt mihi videtur) rationem à priori petere non erit difficile ampullarum non modo in mari, verum etiam in pluuiis, atque itentidem vrinis inuenire.

Sed imprimis audiamus, quid Galenus, secundum aliorum sententiam, de istarum bullarum ortu existimauerit, paucis: *Bullæ*, inquit Galenus, *secundum aliquos fiunt ex spiritu aliquo qui profluit ab arteriis, quæ sunt in renibus quæ gratia acrimoniæ vrinæ aperiuntur, & sic emittunt aliquot spiritus, qui faciunt bullas in vrina, &c.* 7. Aph. 34. Quam imaginaria & phantastica sit opinio ista, neminem mentis sanæ latere potest: videlicet quod arteriæ in renibus, omni vice per vrinæ acrimonium debeant aperiri, & emittere de spiritu ipsis incluso, & quod sine hoc bullæ in vrinis apparere nequeant: certè hac ratione arteriæ de spiritib. suis assidue debent perdere atque emittere. Quod quidem si esset, quidni etiam in arteriæ dilatatione non effluere simul cum spiritib. sanguis? at nos probabiliorẽ calcabimus semitã, quæ talis est.

In præcedentibus ergo diximus, quod internum ipsius aeris & consequenter Elementi catholici sit sal, atq; iterum salis internũ centrale, sulphur quoddam, diuinitus in illud immissum.

Diximus etiam, quod istud sulphur sit vel magis, vel minus, in sale cuiuslibet rei & vniuersi aeris, occultum aut manifestatum; quo ergo occultior est sulphuris in sale actus, eo minus periphetice se dilatat spiritus salis: quo'a. magis suos reuelat sulphur radios, eo latius emittit suum spiritum: Porro etiam vnum sal ob istam rationem est magis volatile, vt illud aquæ marinæ, atque vrinæ: tertium valde volatile, quemadmodum est illud aeris: dicimus ergo, quod quando salis granulæ sunt admodũ fixæ in vrinis vel aliis rebus non multum, imo vero vix sensibiliter à suo centro dilatant se, mediante suo sulphure fixo & occultato, vnde fit, vt sal tale vrinis immersum eleuat in eius superficie grana exigua, quæ diu solent ob siccitatem salis perdurare, nam sulphur debiliter emittens salis spiritũ efficit, vt ille salis spiritus inueniens se vndique aquis munitum, quasi spiritu quodam debili æqualiter à centro salis emisso, aquam in grana rotunda contrahat: Verum si sit sal illud magis volatile, atque sulphur viuum, tunc magis spiritum salis à centro circumferentiam versus eleuat, atque spiritus isto modo in aqua inclusus ampliores bullas rotundas facit pro vnctuositate salis & viuacitate spiritus ipsius. At si sal conditione varium simul permisceatur, tum spumam multis bullis & granis mixtam facere contingit. E sciendum est, quod quo magis fixum & terreum, atque vnctuosum est sal, eo magis durabilis erit ampulla: Verum si fuerit volatile, vt illud aeris, tunc de facili resoluetur, nec erit adeo durabilis.

Concludimus ergo, quod igneus sulphuris interni actus faciat salem emittere suum spiritum, quasi ventum, qui emissus atque aquis vndique circumspectus vndequaque eleuat aqueam substantiam in bullã: sic enim in macrocosmo facti sunt venti, videlicet emanatione sulphuris salis in aere vbique existentis, ad nutum seu actum, cuius sal dilatatur in spiritum, & dilatatione strenue obseruantur flare. Hinc ergo est, quod immediate post fulgura & coruscationes venti soleant in aere excitari ingentes, nec non & nubes more vesicarum & ampullarum inflari, quorum resolutione iterum pluuiæ cadunt. Quare dicimus pro certo, quod more isto æterna sapientia centraliter agat, atque operetur omnia in omnibus vel dilatando se à centro ad circumferentiam, vel contrahendo se

Iob. 28. à circumferentia, idque in omni operatione & meteororum creatione tam in macro- quã
Psal. 135. microcosmo. Vnde Iobus: *Deus sapientia aptat pondus aeri, appendit aquas in mensura, facit plu-uiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum.* Et Dauid: *Ascendere facit nubes & fulgura, cum pluuiam*
Iob. 28. *facit, qui educit ventum è thesauris suis.* Et alibi Iobus de istiusmodi sulphuris interni actu: *Iam non respiciunt homines lucem, cum nitida est, in superiorib. nubib. quas ventus transiens purgauit, &c.* Dicimus ergo spiritum Dei incorruptum esse sulphuris centrum & primum agens: sulphur est actus igneus spiritum salis ventosum emittens, mediantib. quibus nubes instar vterum conflantur & in pluuiam resoluuntur, & à posteriori res omnes in pariforma: Hinc alibi: *Quis Saphyreas nubes efficit sapientia? & vtres cœli quis prosternat?* De sanguinis in vrina apparentis occasione *lib. sequenti* copiose discurremus satis: hic tamen sciendum est, quod perueniat vel à venæ in renibus fractione, aut in vesica, aut è venę erosione &c. vti *in libro sequenti.* At hoc sufficiet de istis.


CAPVT VII.

De circulo, siue corona in superficie vrinæ reperta, & de ipsius ortu.

QVemadmodum in lacte videmus, quod est subtilius & magis aereum atq; igneum, supremam lactis superficiem occupare, videlicet cremorem ipsius, aut in macrocosmo nubeculas limpidas supremam possidere aeris regionem, & quasi in summa ipsius superficie suspendi: haud aliter se res habet in corpore vrinæ: quæ vrina cum sit microcosmi ex quo emittitur, quasi speculum, ita quidem tribus suis regionibus depingit statum spirituum in tribus microcosmi regionibus seu cœlis comprehensorum. At quoniam regionis vtriusque spiritus sunt cœteris inferioribus digniores, non aliter quã intellectualis siue empyreus in macrocosmo cæteris ipsi in mundo naturali subditis; sic quidem spiritus in vtroque mundo per excellentiam & tenuitatem ab inuicem distinguuntur, nam quod est magis subtile, locum naturaliter possidet excelsiorem: Hinc ergo statum spirituum atque humorum in capite vel cerebro explicare videtur circulus ille, qui in summitate vrinæ natare assolet. Et quoniam spiritus & humores in cerebro contenti varieformiter meteoris insalubrib. siue ventosis, siue aquosis, siue igneis atque terreis, iuxta venti prædominantis conditionem, affici solent, ideo circulus in vrina talem assolet induere, & sibi assumere formam siue impressionem tam in colore, quam in substantia, siue sit naturalis, siue præternaturalis, qualem accepit cerebri substantia & spiritus animalis, siue fuerit per inspirationem ab aere, siue per attractionem per suturas siue per extractionem à nuttimento cibi vel potus, siue per illam communicationem, quam habet cum cæteris membris corporis male affectis. Hinc ergo est quod circulus siue corona in vrinis inuenitur iuxta capitis temperamentum quandoque esse crassa, alba, aquosa; quandoq; subspicea aut spicea & crassa, nonnunquam subrubra & purpurea: aliquando spicea & tenuis; fulua & tenuis: pallida & tenuis; liuida & tenuis; Primum liuida, deinde rubescens; quandoque viridis, & nonnunquam nigra: alia tremula, & quædam bullis seu granis ornata: propter rationes siue causas antea à nobis publicatas.

De harum autem vrinæ coronarum significationibus & indicio plura *Libro isto seq.* discurram.

LIBER



LIBER QVINTVS,

PRAXIM OUROMANTIÆ SIVE DIVINATIONIS PER VRINAM, DETEGENS, IN MEMbra distinctus tria.

Quorum
- Prius viam ad praxim Vrinariam conducentem præparat, hoc est, quæ necessario sunt obseruanda, priusquam ad Ouromantiæ praxim quis accedat, paucis & tamen luculenter declarat.
- Medium, Ouromantiæ siue artis per vrinam aspectam diuinatricis, effectum siue practicam ipsius medullam more communi reuelat, & præcise docet.
- Vltimum Authoris in Ouromantiæ praxi methodum siue experientiam, qua ipse in suo super vrinam visam iudicio, idq; successu satis felici & veridico incedere solebat, ad amussim pertractat.

LIBRI QVINTI,


MEMBRI PRIMI,

CAPVT I.

In quo Vrinæ inspectionis vtilitas est explicata.

PRo vasibus, quæ Vrinam ad vesicam è vena caua ducere solent, eorum quidem descriptionem *in Anatomia nostra vulgari*, loco ipsi destinato, reperietis: atqui vero eorum figuram hic iterum exprimere, priusquam ad ipsius inspectionis vtilis descriptionem procedamus, non inutile fore putaui.

Quo-



Quoniam à Medicis præcipue Galeno *cap. 5. de Prognost.* concessum est, excrementa totius corporis in aliqua proportione per vrinas expurgari, ideo pro certo tenendum est, nullam esse in corpore infirmitatem, cum qua vrina in aliqua mensura non participet, & consequenter quæ ex vrina, si recte & accurato intuitu introspecta, colligi non possit. Et Willichius haud inconsulte aliam rationem reddens, ait: *De omnibus corporis morbis per vrinam iudicare possumus, quia omnes venæ sunt continuæ venæ cauæ:* quare & Forestus vtcunque de Vrinarum incertitudine scripsit, conscientia quasi ductus fateri cogitur, quod *vrinæ inspectio sit medicinæ portio haud exigua:* Galenus asseuerare videtur, *Vrinas esse cruditatis & coctionis indicia:* Quare alibi, *Si perfecta sit coctio, tum vrinæ sedimen erit leue, continuum & æquale, si vero debilis, arguetur per vrinæ pallorem & aquositatem: at vero in cruditate aut coctione consistunt omnes quasi corporis ægritudinis:* Hippocrates monet, vt instrumento aliquo læso vrinam inspiciamus: Porro etiam *ibidem* ait Galenus super illum locum, quod vrinæ sunt obseruandæ in ventris, thoracis, intestinorum, pulmonum & neruorum morbis, nam si bonæ appareant, multum valent ad sanitatem. sin malæ, portendunt ægri periculum: Denique testantur tam Forestus, quam Gordonius, quod *vrina perfectius semper virtutis naturalis statum ostendit, quam pulsus.* vt è regione pulsum magis de temperie vitali veridicum esse tradunt, quam vrinam: vtcunque a. (e res habet, de illa etiam indicium facit vrina. Hinc igitur concludit Plinius *in sua historia naturalis*, quod magna Vrinæ non solum ratio, verũ etiam religio apud authores inueniatur, quippe ex qua auguria sanitatis traduntur, & nos cum cæteris concludimus, vrinam clarius ostendere morbos iecoris, venatum humorumque statum manifestius at exteriores aliasque partes obscurius, quare pro pleniori cæterarum partium cognitione tractetur Pulsus, quoniam amborum consensu clarius de morbo tam manifesto, quam occulto elicietur iudicium.

Capvt II.

Quot modis fallere soleat vrina, quæ vrinam alterare animaduertantur: Et quomodo vrina falsa & fictitia à vera detegi cum facilitate queat.

QVænam sint Authorum de ista re sententiæ, his paucis accipite.

Fuchsius air, quod *ventus perturbat, frigus congelat, vel saltem mutat vrinas.*

Fernelius hæc: *Quo tardius aliquis à pastu minxerit, eo coloratior est vrina.*

Galenus sic: *Frigora, rigores, animi defectus, vt timor, ingens tristitia, incipiensque verecundia, & huiusmodi alia, mutant vrinam, nec non & aeris frigiditas & caliditas.* Lib. 4. de tuen. san. cap. 6.

Aciterum: *Aliquando vrinæ deteriores redduntur, in iecoris affectib. quib. imperiti medici nonnunquam decepti sunt, grauis namque morbi periculum adesse arbitrantur, cum nihil aliud sit, quam prædominatio virium expulsiuarum medicamentorum auxilio iecoris, in viscosis humorib. vnde fit purgatio viscerum, tum colore, tum odore pessima.* cap. vlt. lib. 6. de locis affect.

Et alibi Forestus: *Comperimus vrinam vnius coloris & substantiæ, cum iisdem contentis, diuersos quandoque morbos, imo contrarios, & sibi inuicem diametraliter oppugnantes indicare, vt vrina tenuis & cruda apparet tum in sanis, quorum ventriculo indigestio adest, atque etiam in febricitantib. vbi delirium vel adest vel aderit, ideo ne iudicent medici in hoc casu, priusquam videant ægrum, vel ipsius saltem statum vere intelligant:* Sic ēt *in hydrope vrinæ laudabiles spectantur, quamuis ex eo morbo æger subito moriatur, aqua super præcordia irruente, ægrumque subito præfocante. Fallax quoque in morbis pectoralib. in quibus sputum magis quam vrina, est spectandum. Sic in iis, qui sanguinem, bilem, pituitamve evomunt, vrina nihilominus spectatur optima, quanquam suspirium vltimum agere animaduertantur.* 4. Aph. 72.

Hippocrates ait, *vrinam nec neruorum contractionem, nec paralyticam passionem, nec iuncturarum, nec podagricam, nec chiragricam, nec musculi affectiones ab vrinis dignosci posse.* Lib. 4. Mor. acut.

Galenus: *Pueri & homines qui otiose degunt vitam, satis multam reddunt vrinæ quantitatem, quoniam hic plus est de inconfecto & crudo humore, & rationem ibi reddit istius rei aliam; Porro inedia & labor fuluas & magis intensas reddunt vrinas: similiter in muliebri sexu vrina colore albior emittitur cum copiosiore contento, quam in masculino.* 1. Cris. c. 2.

Deniq; in hoc concordant medici, quod vrina aliquando optimos fallat medicos. Ego vero ea quæ vrinam alterare solent, in hunc modum vnicæ distinctioni inclusi.

Septem recensentur, quæ vrinam alterare, & consequēter medicum decipere assolent, videlicet —

- Ætas, est enim vrina —
  - Pueritiæ discolorata & spissa.
  - Virginis magis liuida & serosa.
  - Iuuentutis colorata & mediocriter tenuis.
  - Senis pallida & tenuis.
- Sexus: est n. illa —
  - Viri magis colorata, & digesta ac tenuis.
  - Mulieris minus colorata & magis spissa & turbida.
- Tempus: nam —
  - Æstas minuit colorem vrinæ.
  - Hyems colorem multiplicat.
- Qualitas, nam —
  - Caliditas auget colorem.
  - Frigiditas eum diminuit.
  - Siccitas attenuat.
  - Humiditas inspissat.
- Complexio: nam facit vrinam —
  - Melancholicus discoloratam & tenuem.
  - Phlegmaticus discoloratam & spissam.
  - Cholericus coloratam & tenuem.
  - Sanguineus coloratam & spissam.
- Habitudo corporis: nam —
  - Inanitio diminuit vrinæ quantitatem, & addit colorem.
  - Repletio auget quantitatē, & diminuit colorē.
- Actio: nam —
  - Quies diminuit colorem.
  - Motus auget colorem.

Denique, quoniam vrina quandoque fingi, atque arte componi assolet, vt medicus hac via tentetur, verbi gratia, vrinæ speciem hydromellite vel aqua ficuum vel cereuisia effingere & dementiri quandoque volunt, matulæ allatores, tunc possumus hydromellitem per spumam citrinam percipere, aquam ficuum in eo, quod eius sedimen descendat non in medio matulæ, neque ordinate, si moueatur, & si fuerit cereuisia ex odore comparebit: denique ad quamcunque vrinam fictam detegendam sit ista tibi cautela; videlicet quod vrina sola inter omnes alios liquores; procul sit splendidior, quam prope: reliqui vero liquores è conuerso se habent, & ob istam rationem vrina ficta ab illa vera facillime discerni potest: atque istius rei rationem talem reddit Cardanus; *Quoniam* (inquit) *vrina continet sedimentũ sola atq; in ima parte tantũ, quod obumbrat eam prope, at procul illa pars, quæ continet sedimentum à pura illustratur, quia igneam habet in se lucem; at cæteri liquores non habent vmbram, qui puri, vel si impuri, illa impuritas totum perturbat liquorem & obumbrat, vnde fit, quod, quo remotiores sunt, eo obscuriores.* Et Gordonius ait: *Quod vrina bestiæ differat ab illa hominis, eo quod vrina hominis appareat magis spissa de prope quam de longe, & quando magis elongatur, apparet magis clara,* dicitque de vrinis aliorum animalium, quod sit non ita.

CAPVT III.

A quibus præseruanda sit vrina, vt de ea iudicium certum & infallibile habeamus? & si ab aeris inclementia corrumpatur vrinæ forma, quomodo ad suum statum pristinum sit reducenda.

À quatuor præcauendum est in vrinis, ne iudicium rectum impediatur, nimirum ab —

- Aeris frigore quo citius corrumpi, incrassescere, & à naturali suo statu transformare videtur.
- Gelu, ne vrinæ calor ita destruatur, vt ignis calore ad statum suum pristinum nunquam reuocetur aut reduci queat.
- Calore nimio, vtpote qui hypostasis figuram impedit, nã mediante calore nimio perturbatio à nimia ebullitione est facta.
- Vento, ne perturbetur eius substantia, & facta sit ipsius hypostasis separatio.

Verum si ab aeris frigore moderato mutatur vrina; à specie propria, & in formam alienam permutetur: in hoc statu fiat vrinæ in statum suum pristinum vel ignis nudi aut aquæ calidæ auxilio, siue præsidio reductio siue alteratio: nam per ipsam impossibile est aliter iudicare: Porro etiam tametsi ignis artificio à statu præternaturali in naturalem alteretur, vrina sic alterata, tamen ipsius iudicium habebimus suspectum, nisi vrina illa sic mutata & in matulam vitream reaffusa, siue sit in domo ægrotorum, siue in ædibus medici cum sua naturali hypostasi aspiciatur, quare expectandum est parumper, quousque hypostasis comparere potest.

Regula 1.

Si tamen fieri potest, præstantius est vrinam inspicere, priusquam suam mutauerit formam: quoniam hypostasis calore alterata nunquam ad perfectam suam reduci potest formam: vt Forestus testatur.

Regula 2.

Quæ crassæ minguntur & mox resident, melius est eas per se relinquere, vt subsideant, nam ad ignem tales raro resoluuntur, & difficulter, ita vt potius ebullire videantur, quam resolui.

Regula 3.

Quæ tenues sunt, cum minguntur, mox vero propter aeris frigiditatem incrassescunt, tales per ignem dissoluere oportet: harum tamen vrinarum iudicia post igneum earum examen suspecta sunt, cum ab extremo aeris frigore aut gelu corruptæ sunt; quippe quæ quamuis ad ignis probamen reducantur, tamen diminuitur in ipsis calor naturalis atque etiam diminuetur vel penitus euanescet earum hypostasis: imo vero & ipsarum substantia annihilabitur.

CAPVT

CAPVT IV.

Quod vrina per totam noctem non retinenda: quo tempore, & quomodo sit colligenda, & qualis debeat esse matula : denique in hoc capitulo agitur de loco, in quo conuenientius vrina debito modo collecta, sit inspicienda; ac in vltimo loco, quomodo sit inspicienda.

CVm vrina, quo magis retinetur in corpore, eo fit intensior ob coctionem nimis diuturnam, ideo post tempus completionis coctionis naturalis emittenda est ipsa : & quamuis Galenus *lib.1.de cris.cap.12.* de tempore collectionis lotii egerit, tamen nos paucis de ea *hoc in loco* sic.

Illa vrina est potius à medico eligenda, quæ noctu post primum somnum reddita sit, illo enim vtplurimum completi assolet concoctio, cum in stomacho tum in hepate. Nam ista concoctio iuxta communes naturæ leges compleri solet vel 6. vel circiter 7. horarum à cœna spatium: Verum enimvero quibusdam contingit talis concoctionis perfectio vel citius vel tardius, pro ætatis vel complexionis ratione: v. gr. Pueris aut iuuenib. citius quia robustiores: senibus v. tardius propter imbecillitatem. Atque tunc potius accipienda est vrina, quia si diutius est in corpore (vt dictum est) à calore exiccatur, & propter nimiam ebullitionem intensior redditur.

Porro etiam tempus diurnum huic negotio est inconueniens, quippe quo vrina vel motus vel exercitii violentia, vel curis facillime intendi, atque cum in substantia tum in colore alterari potest.

Quælibet a. in nocturno tempore mictura diuersis vasis vitreis est recondenda, siue reponenda; ac tum postea earum vna quælibet est suo ordine respicienda, vt hac ratione illarum vrinarum inter se varietatem oculis propensiorib. intueri atque animaduertere queamus: Iste enim est medicorum Italorum mos atque consuetudo in eorum communi apud ægrotos praxi, quoniam hac sua norma se varietates atque mutationes in vrina, & consequenter in corpore omnes cognoscituros atque percepturos autumant. Porro etiam sciendum est, quod vas siue matula, in qua vrina est recipienda, debeat esse in parte sua superiori, nec arcta, nec nimis lata, nec secundum suam substantiam à materia viridi componi, quoniam fucabit & mutabit colorem contenti; sed sit ex vitro tenuissimo, mundo & albo ac pellucido compacta, vt hac ratione veri vrinę colores quã rectissime appareant: Denique sit taliter matula disposita atque ordinata, vt nec sit admodum patens, quoniam in talib. vrinæ quantitas præsertim, an sit pauca vel mediocris, vel nimis ampla regulariter discerni non potest, propter nimiam atque immoderatam ipsius vasis distensionem, nec erit eius collum nimis strictum , aut prolixum , aut eius fundum sine proportione latum, aut planum, se parumper in figuram oualem protuberans.

Et quoniam spiritus & calor naturalis in vrina adhuc delitescentes, sunt præcipuæ in recto per vrinam iudicio causæ, ideo cauendum est, ne exspirent siue exhalent è vitro: nõ igitur erit probi indicii , nisi matulæ orificium sit optime obturatum: vt hac via spiritus per exhalationem, nequeant tam cito expirare: ob istam igitur rationem est Auicennæ sententia, quod *postquam à tempore emissionis vrinæ transiuerit hora vnica, non sit ipsa boni iudicii, propter velocem caloris ab vrina expirationem.*

Post hæc de loco, in quo vrina est contemplanda atq; inspicienda paucis: sit locus lucidus, sed non nimis, quoniã lux solaris reddit vrinæ colorẽ remissiorẽ ad videndũ, quemadmodum in candelę præsentia solis , minor videtur esse lucis portio, quam reuera est; Quare in ista praxi requiritur, vt locus sit mediocris luminis, ita vt nullus in vrina color à sua proprietate naturali alteretur; aut lædatur ad oculum : E contra vero si locus sit nimis obscurus, tunc soli propius accedere conuenit: at cauendum est, quod matula non retineatur sub radiis solis.

Denique non sit obiectum ab oculo remotum nimis, nec propinquum, quia vrina nimia propinquitate spissior iusto apparebit, & nimia longinquitate clarior iusto, & cõrenta magis inuisibilia: Pariter si sit possibile, inspiciatur vrina post horam vnam , à qua redditur, quoniam in hoc tempore natura acquiret omnes variationes, cum quibus medicus rectificat eius significationes.

Flud. Prognost. Supercœlest.

Capvt V.

Quid faciendum sit, ut primus nuntius medicum cum vrina conuenit: Et quomodo inter vrinam viri & mulieris sit discernendum.

SEdulo & cum diligentia notandum est, quod cum medicus à nuntio visitatur, aut ad ægrotum vocatur, debeat esse in cognoscendo studiosus, in præcipiendo cautus, & ordinatus, in respondendo circumspectus, & prouidus, in prognosticando ambiguus, in promittendo iustus, nec quicquam siue ad sanitatem tendat siue non, denunciet, sed adiungat semper hæc in suis promissis, (fauente Deo) assistente Deo, per gratiam diuinam, numine diuino propitiante, &c. nam hac ratione nihil tibi, sed Deo totum attribuere videberis: atque ita Deo eris gratus, & ab hominibus pro pio & probo æstimatus: Deinde sedulo contemplare, an vrina sit vel viri, vel mulieris: nam si istud tibi ignotum videatur, in æstimatione minori apud illum, qui portat vrinam, habeberis.

Istam igitur inter vrinam viri atque mulieris differentiam diligenti intuitu reperiemus: nam mulieres copiosiorem possident quam viri substantiam: Porro etiam vrinæ muliebres semper obseruantur esse maioris grossitiei & albedinis, & minoris pulchritudinis, quam illæ virorum, quod quidem accidere solet propter frigidam atque phlegmaticam mulierum temperiem, & consequenter digestionis debilitatem, atque superfluitatum abundantiam, nec non & canaliũ amplitudinem: hinc ergo fit quod ea, quæ solent è mulieribus exire, similiter quædam ex matrice mucositas emittitur cum vrinis quandoque.

Præterea masculorum vrinam si moueamus, turbatur atque maior turbationis portio ad superiora tendit: Verum mulierum vrina vix fere turbidatur, ex motione propter paucam separationem spirituum, atque tales vrinæ habent plerunque supra earum summitatem spumam rotundam; & si contingat, vt sint turbidæ, earum quidem turbatio erit pauca: Denique quoniam masculus est calore natiuo plenior fœmina, ideo eius vrina est magis splendida coruscans & intensa, illa vero mulieris magis obtusa, obscura, & spissa, quippe quod mulier est viro longe frigidior & humidior. Dicimus ergo, cum iis quæ sunt *superius* dicta, quod vrina vera sit magis colorata, digesta & tenuis; illa viri mulieris minus colorata, spissa magis atque perturbata.



LIBRI



LIBRI QVINTI, MEMBRI SECVNDI,

CAPVT I.

Quomodo per Vrinam sit iudicandum.



Ciendum est, quod vt in Iatromathematica domus dicitur in iudicio fortior quam signum, atque iterum signum quam planeta, ita quidem in Ouromantia certior est contentorum significatio & potentior, quam illa Vrinæ, quoniam contenta applicantur propriis membris, & iterum quam color vrinæ certior est eius substantiæ proportio in spissitudine & tenuitate, nam color in vrina est solummodo caloris atque frigoris argumentum, substantiæ spissitudo vel phlegmatis vel sanguinis dominium arguit, atque etiam corpulentię membrorum statum demonstrat, siue in tenuitate, siue in grossitie.

His ergo in loco priori cognitis, ad iudicii methodum, secundum veterum normam procedimus sic more retrogrado, quasi à debiliori ad potentius:

In iudicio exacto:
- Primum Vrinæ color est sedulo obseruandus.
- Secundò, ipsius considerabitur substantia cum quantitate.
- Vltimo loco deniq; eius contenta & resolutiones se offerunt notanda.

Regulæ verò certæ ad hoc pertinentes sint istæ, quæ sequuntur.

Regula 1.

Si Vrinæ color sit nimis intensus, arguet choleram rubram.

Regula 2.

Si substantia eius sit nimis turbata, & obumbrata cum rubedine arguet choleræ rubræ ortum à putredine.

Regula 3.

Si Vrina sit tenuis & remissa colore, significat ægritudinem ex melancholia: si vero spissa & alba, ex phlegmate.

Regula 4.

Contenta plerunque denotant loca affecta, quare eorum situs seu positio est inprimis obseruanda.

Regula 5.

Certior est contentorum significatio, quam Vrinæ, quia contenta applicantur propriis membris, infirmitatibus & dispositionibus.

Regula 6.

Quando color & substantia & contenta simul in iudicio conueniunt, tunc quidem præsagium est triplici testimonio confirmatum.

CAPVT II.

De iudicio magis generali à coloribus, circa indigestionem, digestionem, super assationem, adustionem, atque mortificationem, facto.

Inquit Galenus: *lib. 2. de Febr. diff. cap. 7. Vrinæ cruditatis & coctionis sunt indicia:* Nec mirum, cum certum sit, quod tota medici per vrinæ inspectionem intentio sit vel hominis

digestionis vel indigestionis, vel superassationis vel adustionis, vel tandem mortificationis argumentum in ipsa discernere. Horum autem effectuum vrinas in hunc modum expressimus:

Vrinæ quæ demonstrant
- Indigestionem sunt aut
  - Septentrionales seu Melancholici, q̄ sunt
    - Colore albæ, & parumper cum liuiditate liuescentes.
    - Substantia tenues, cum quadam limpiditate.
  - Occidentales seu Phlegmaticæ, quæ sunt
    - Colore albæ, lacteæ, glaucæ, cum obscuritate & Karopeæ.
    - Substantia spissæ, sine manifesta claritate.
- Digestionis naturalis
  - Principium, in quo sulphur Orientale, seu Subsolani apparet, quasi solis radii in crepusculo, sunt
    - Colore suppallidæ & pallidæ.
    - Substantia nō ita vt in prȩcedentibus spissa, ratione sulphuris apparitione.
  - Medium, in quo sulphur naturæ adhuc est eminentius, vt in solis ortu, sunt
    - Colore subcitrinæ, & citrinæ.
    - Substantia ob maiorē choleræ dominationem minus spissæ seu mediocres.
  - Complementum, in quo Fauonius & Subsolanus æqualiter coēunt, sunt
    - Colore subrufæ seu aureo pallore, & rufæ vt aurum purum.
    - Substantia, mediocres.
- Digestionis excessum si participant de proprietate
  - Meridionali siue sanguinea, sunt
    - Colore, rubeæ, rubicundæ.
    - Substantia, spissæ.
  - Orientali siue cholerica, sunt
    - Colore, rubeæ & rubicundæ.
    - Substantia tenues.
- Adustionem completam, si naturam venti Orientalis Cæcii: vel Boreæ cum Austro corrosiuam & spissam: vel Cæciæ, aut Euri cum Australibus habuerint: quod apparebit, si sint
  - Colore Inopeæ, Kyaneæ, virides, nigræ vt inchiostrum post viriditatem.
  - Substantia, vel spissæ vel tenuiores, secundum humoris naturam.
- Mortificationem, sunt
  - Colore liuidæ, vel atræ post liuiditatis apparitionem.
  - Substantia, magis vel spissæ vel tenuiores secundum humoris naturam.

Sed


Sed quoniam velimus, vt iſta omnia oculis & ſenſui veſtro magis elucescant, horum hoc in loco demonſtrationem ocularem propoſuimus, in qua omnes vrinarum colorum gradus atque eorum in digeſtione & indigeſtione effectus pauciori labore elicere atque concipere queatis.



Iam vero morbos magis particulares, quæ à praua iſtiuſmodi in ſanguine diſpoſitione dependent & oriuntur, vobis perpaucis recitabo.

Capvt III.

De Vrinarum coloribus, quæ indigestionem tam à parte Septentrionis, quam Occidentis promittunt: videlicet Alba, Aquea, Crystallina, Lactea, Karopos, Glauca, vt cornum lucidum.



Hîc vero obiter vos intelligere velim, quod tales vrinę apparere animaduertantur subito & præter expectationem in nonnullis morbis vel post colorem siue tincturam intensam & nonnunquam vbi non apparens frigus, sed calorem lædere atque malo affligere obseruatur. Verbi gratia: ait Galenus: *Alba vrina in Pleuritide arguit mortem, cap. 316. Dinam.* Et *alibi tenuis & alba cum interclusa febre causo morti proximum indicabit ægrotum: atque huic si demensio non adsit, est tamen argumentum, quod aderit statim.* Et *alibi. Si in ardenti febre appareat talis vrina, phrenitidem significat*, quia cum bilis flaua sit præcipua eiusmodi febris causa, per quam tamen non tingitur vrina, cum sit serum sanguinis, manifestum est huiusmodi humorem priorem reliquisse sedem, atque iam gratia leuitatis materiæ sursum versus petere.

In lib. Vrin. Com. 1. Gal. in lib. 3. Epidem.

Similiter, alibi talem vrinam siue dictorum humorum insultum fieri volunt, videlicet ob renum calorem, qui gratia illius intemperiei trahit serum ante coctionem in abundantia: Similiter quando quis calculo in vesica laborat, vrina redderur lactea & serosa sine insigni phlegmatis abundantia.

Hæc

Hæc omnia postquam sedulo consideraui, percepi quidem in vrinarum tingendarum ratione aliquid magis occultum atque arcanum quam est aut humor Septentrionalis aut Occidentalis, videlicet spiritus ex iis partibus in sanguine occultatus, qui humores potius generant, quam vt ipsis succedant, aut procreentur ab humoribus; diximusque nullam febrem à putredine ortam fieri sine coitu aut concursu venti aut septentrionalis aut Occidentalis, ventis calidis oppositorum, & quod eorum spirituum in humore tanquam nube, quam contrahunt & sibi quasi tabernaculum constituunt contendentium effectu, putredo à tali heterogeneitate nata, exurgit. Hinc ergo quandoque fit vt spiritus sulphurei ventorum calidorum cogantur ab illis frigidorum à loco in locum, at calidi seu sulphuris spiritus magis naturaliter in sua fuga tendunt sursum, & aquei illi seu terrei spiritus sicci secundum suæ naturæ inclinationem magis deorsum habitant in venis, vnde vt spiritus ignei magis in capite furiunt, & spiritus animales adurunt, & mentem furibunda rabie percitant, ita quidem sanguis potius rigere & mortificari ex latere contrario animaduertitur; Nonne ob istam etiam rationem in eodem febris paroxysmo, quandoque patientem rigore & frigore affici, in quo statu vrina est remissa, & quandoque admodum calore affligi animaduertimus? Et quamuis medici hoc attribuant choleræ & pituitæ, tamen reuera factum est hoc à confluxu spirituum oppositæ fortitudinis in humore delitescentium, qui assidue struunt in corpore tabernacula sibi conuenientiora, ignei cholericam, aquei phlegmaticam terrei melancholicam: Nam quid (obsecro) in rei est causa, quod si hodie euomitione forti magnam phlegmatis viscidi proportionem ab epilepticis euacuemus, ita vt quis putaret nihil in eorum corpore fore residui: & tamen nihilominus, si die proximo sequenti aliud adhibeatur medicamentum vomitorium, inueniemus eandem fere materiæ illius quantitatem, in ventriculo & visceribus recollectam: non aliter quam eandem araneam, (tela ipsius antiqua ancillæ cuiusdam industria ei ablata) nouem ante postridiem recondere siue retexere obseruatur.

Porro etiam talis esse potest ratio in sanguine, quod in nephritica passione, vrina alba & aquea redditur, non enim sequitur, quod ideo non adsit insignis frigiditas, tametsi calor & color ibi sentiatur, non aliter quam quis (postquam inter niues & gelu satis diu extiterit) subito ad ignem accedens, à confluxu, qui factus est inter extremum frigus loci & calorem ignis, magnus sentitur ardor & dolor, non quod ignis hoc solummodo faciat, sed vt ambo simul: Porro etiam sciendum est, quod vni membro adesse inflammatio, cum nihilominus in eodem subiecto alia frigore rigescere queant. At concedatur, quod hoc fieri possit, vt Vrina per accidens in album colorem migrare queat: Dicimus profecto, quod talis vrina facilime mediantibus signis suis propriis distingui potest, nam quæ vrina taliter candida est facta aut propter nimiam poculentiam, aut propter nimium paruam succi ciborum aut pororum in venis commorationem, aperto suo ab aliis dignosci potest aspectu; nam aliter res se se habet cum vrina, quæ naturalem sanguinis impressionem accepit, atque illa quæ de sanguinis proprietate vix gustauerit, quare si vrina impressionem acceperit à sanguine, tunc quo magis distat ab oculo, eo erit splendidior, quæ autẽ minime vel vix gustauerit, splendidior erit oculo, quo est propinquior oculo: Ad accidentalem autem vrinæ commutationem, quæ fit à calculo in vesica, facilimum erit eam per suas residentias cognoscere. Hæc eadem, quæ hic sunt dicta, de cæteris vrinis subsequentibus sunt iudicanda.

CAPVT IV.

De Vrinæ indicio, quæ per colores, subpallidum & pallidum, subcitrinum atque citrinum arguunt digestionis tam principium quam mediocritatem, videlicet subpallidæ, pallidæ, subcitrinæ & citrinæ.

VRinæ eiusmodi, videlicet subpallida, pallida, subcitrina & citrina, quo magis sunt spissiores, eo magis nominatur in iis phlegma, si vero sunt tenues, melancholia præter choleræ portiunculam cum ipsis est mixta.

Si istiusmodi Vrinæ fuerint in ——

- Genere, idque substantia medioceri
  - Si in iuuenibus accidant, denotant calorem natiuum paulatim vigescere, nec non & digestionis incrementum.
  - Si contingant in — Mulieribus, Pueris, Senibus — Arguunt frequenter Tertianam nothã, & quandoq; quotidianam.
- Specie —
  - Tenues arguunt
    - Oppilationem vel Renum, Hepatis, Splenis — Si sint cum tenuitate claræ.
    - Caliditatem Renum, Hepatis — Si in multa quantitate & calore citrino.
    - Passionem lienis ab obstructionibus, & dolorem arthriticum.
    - Indigestionem & cruditatem: accidunt enim tales vrinæ in digestionis principio vel augmento: & debilitatem si sit pallida, tenuis.
    - Admixtionem Phlegmatis cum choleræ abundantia, præsertim in citrinis & subcitrinis.
    - Podagram, si sit subcitrina, præsertim si apposita manu vrinali superior eius pars liuet cum resolutionibus in fundo.
    - Stricturam pectoris si apposita manu superior liuet pars, & nullæ in fundo apparent resolutiones.
    - Quartanam, si sit pallida & tenuis, tunc enim melancholia abundat.
  - Spissæ & turbulentæ significant ——
    - Pleuritidem in sinistro latere: sicut rubea & spissa in dextro: differunt enim temperie hæc duo latera.
    - Fluxum Ventris, si in pauca quantitate.

Vrina pallida fit vbi modica bilis aquositatem tinxit. In *spurio libello de Vrinis cap.3.*

Pallida & tenuis debilitatem indicat & cruditatem, nam tametsi incipit coquere; non tamen in substantia, melior est tamen pallida quam alba. *ibid.*

Tenuis & pallida significat substantiam inconcoctam, & imbecillitatem, & si diu ita manserit, à periculo immunis perdurare nequit patiens, quousque morbus sit concoctus. Hippocrates de Vrinis.


Vrina quæ non nisi modice pallet peractæ modo secundæ concoctionis est signum. Galenus *cap.4. lib.2. de sanitate tuenda.*

Capvt V.


De Vrinis Subrufa, Rufa, seu Fulua & Aurea, Crocea, Subrubea, Rubea, atque Subrubicunda, & Rubicunda, quid tam naturaliter, quàm præternaturaliter importent.

FVlua Vrina fit, vbi bilis magis copiose aquositatem seri tinxerit, quam in pallida, atque Hippocrates non simpliciter vituperauit vrinam fuluam, sed quæ cum fuluedine sua habet

bet tenuitatem: tunc enim est morbi crudi argumentum; est tamen tenuis fulua, quam tenuis pallida, & tamen eius substantia est inconcocta.



Galenus *in atra bile: cap. 8. Fulua tenuisque Vrina inconcoctum significat morbum, at si diu talis perstiterit, verendum vt patiens durare possit, donec maturatio fiat in morbo:* & iterum *cap. 5. Prog. Vrina rufa significat febrem ex inedia, &c. ibid.*



Fulua & Flaua in hoc differunt, quia fulua albior & turbulentior est flaua; sic flaua seu crocea est splendidior, & purior & magis ignea; vt testatur Galenus. *Cris. 1. cap 12.*

Flaua seu crocea non modo cruditatem sed etiam materiæ inopiam significat, vt si quis inedia oppressus sit. Importat etiam multam caliditatem in profundo corporis à bile flaua, quemadmodum in Tertiana; Indicat etiam vigilias & curas. *In lib. Spurio.*

Flaua denotat medietatem inter sanguinem & bilem flauam in sanis. 1. *Cris. cap. 12.*

Crocea significat aliquando ægritudinem ex animi perturbatione, vt iracundia, vigiliis, curis, &c. *cap. 307. de Dinam.*

Crocea, aut rubea, aut sanguinea importat Febrem Tertianam. *cap. 311. de Dinam.*

Subrubra vrina & subrubrum, quod subsidet, diuturniorem morbum quam rubra importat, non tamen lethalis est, sed potius salubris. *Epid.*

Prærubra Vrina ex renibus non perperam fungentibus opere & munere, iecur affectum esse dicimus. *Pror. 1. com. 1. text.*

Rubicunda exacta non potest tenuis fieri. *lib. de spuria Vrina.*

Rubicunda cum contentis athomosis mouentibus, tanquam vndæ maris, significant Colicam passionem.

Rubra in Spasmo, Apoplexia, Epilepsia, Pthisi aut Colica, vt plurimum mortalis est.

Vrina tenuis & rubicunda in febricitante significat Tertianam ex cholera rubra.

Rubra seu subrubra & spissa, & superius cum appositione manus apparens liuida, &

obumbrata, cum dulcedine oris, venarum plenitudine, pulsu pleno & veloci, significat Pleuritidem ex sanguine.

Rufa & magis tincta per totum spissa, obumbrata & confusa in substantia cum resolutionibus athomosis in modum pendentibus in medio, significat Pleurisim.

Vrina rubea multoties apparet in morbis frigidis, & in oppilatione hepatis & splenis, & hydropisi, quia cholera retinetur in hepate, & ad sua loca amandari non potest, quare ebullit & miscetur cum vrina: & similiter in Colica frigida. Quare medicus hoc in casu calida cum frigidis permiscere debet.

Causos & synoches & Phlegma salsum cognoscuntur in vrina rubra per vrinam mediocriter spissam; similiter scabies vel febris ex phlegmate salso: cholera adusta, & abundantia sanguinis corrupti & calcefacti.

Caput VI.

De Vrinarum colore Inopo, Chyano, Viridi & nigro: ac denique Oleagineo, siue Vrina oleosa.

Tales Vrinę significant
- Generaliter, adustionem in hepate & renibus, atque ebullitionem fortem.
- Specialiter
  - Venam ruptam in renibus.
  - Febrem continuam de sanguinea materia, vel de cholera mixta cum sanguine putrido tam in venis quam hepate.
  - Vlcerationem vesicæ & stranguriam.
  - Menstruorum purgationem.

Vrina Vinosa in nephreticis doloris argumentum significat. *Dinam. cap. 326.*

Vrina Vinei coloris admodum perturbata, confusa & crassa, quantitatis exiguæ, & si patientis venter lubricus, arguit fluxum hepaticum.

Vrinę liuidę significant
- Generaliter, debilitatem caloris naturalis in hepate & venis, & viis animalium, atque corruptionem in hepate.
- Specialiter
  - Per se
    - Febrem continuam.
    - Hydropesiam.
    - Virtutis difficultatem.
    - Pthisim & tussim.
  - Per accidens
    - Stranguriam.
    - Apertionem venæ.
    - Ruptionem venæ in viis.
    - Vlcerationem vesicæ.
    - Catarrhum.
    - Epilepsiam.
    - Vitium matricis.

Talis Vrina quantitate pauca cum difficultate multa in febre continua arguit mortem: Verum si in multa quantitate & in die critico apparuerit, significat solutionem oppilationis lienis atque hepatis. *1. Cris. ca. 12.*

Verum vt ad directum istius vrinæ examen perueniamus, scite oportet iuxta Galeni normam, quod Vrina lucida in genuina sua significatione denotet frigiditatis effectus. Et quamuis aliquando appareat in febribus putridis, teste ipso, *lib. 5. cap. 8. de diff. Febrium*, tamen si intentionem nostram bene consideretis, videlicet quod meteoron tale febrile sit factum ex nube quasi fulgurosa, afflatu partim Septentrionali & partim Meridionali compacta, in cuius actione & reactione, quando à frigore superatur fulgor meridionalis, tunc mortificationis gradus primus apparet in Vrinis, quæ est liuiditas: at si fulgur meridionale

nale à fortiori frigore septentrionali, ab vno loco in alium expellitur, & adhuc non dum patiatur extinctionis actum, tunc vrina à rubedine intensa in aqueam albedinem subito est in febribus putridis conuersa, quando videlicet: aut præsens adest delirium, seu phrenitis, vel pro certo immediate est expectanda: Ob istam rationem vrina in febribus semper malum prætendit: Hinc etiam alibi Galenus: *Liuida in arida febre perniciosa, & tunc eam accomitantur hæc signa; horror, dolor capitis & Viscerum, bilis vomitu deciitur: venter est aridus factus; cutis liuida; labia & oculorum alba videntur vt in strangulatis; colorem mutat & ex liuido subuiridis est factus.* Galen. *com.1. in lib.6. Epidem. text.* 20.

Vrina subliuida vel alba in pleuritide arguit mortem. *Dinam.* 316.

Vrina viridis significat
- Generaliter adustionem in hepate & Venis.
- Specialiter
  - Icteritiam viridem ab adustione siue oppilatione, si sit tempus breue, in quo apparere incepit.
  - Icteritiam viridem cum oppilatione, si longum sit tempus in quo apparere incepit, nam humores congregati in hepate & venis, vt non respirent ad sua loca propter oppilationem ebulliunt fortiter in locis calidis, & vrinam faciunt viridem.
  - Hemitriteum.
  - Spasmum de inanitione, & mortem gratia adustionis.

Vrina viridis pessima est, quando sit in transitu ad nigram; est enim viride quoddam principium ad nigrum: atque signum suæ malitiæ est, quando in morbis malignis appareat in Vrina: & sciendum est, quod si Vrina fiat viridis in critico die mortem significet in acutis: *Dinam. cap.* 308 Vrina viridis si se mutauerit in album aquosum colorem, typicam ægritudinem importat futuram.

Viridis & turbulenta apparet vrina in his, qui ex multo labore deficiunt, & frigescunt in morbis causatis ex animi perturbatione. *Dinam. cap.* 307.

Viridis Vrina, teste Plinio *in Historia libro* 20. *cap.* 6. indicat viscerum morbum.

Vrina nigra si sit quantitate
- Multa; significat
  - Quartanæ solutionem.
  - Fluxum menstruorum.
  - Icteritiam nigram, ex melancholia & humoribus adustis.
  - Rupturam venæ in viis.
  - Condilomata.
  - Hæmorrhoides.
  - Vitium in hepate & splene.
  - Quartana.
- Pauca & spissa
  - In febre continua perfectam adustionem & mortem.
  - Nota, quod si
    - Liuida vrina præcesserit nigram, arguet Caloris extinctionem siue mortificationẽ.
    - Viridis præcedat nigram, adustionem, Spasmum, & mortẽ.

In mulierib. & viris vrina nigra, in pueris aquosa est deterrima: *In Prog. Hipp. com.* 233.

Vrinæ in turbulentis vigilibusque decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudore, denotant phrenitidem, præsertim si surditas adsit. *Proret. Hipp. text.* 4.

Nigræ Vrinæ ob serum bilis atræ vna cum excrementis aquosis emissæ procreantur; gemina vero bilis atræ existit generatio, nempe ex bile adusta & supra modum assata, vel ex crasso sanguine; quare febribus & phreneticis iure tales meiuntur, quippe quæ affectiones calidæ existunt: *ibid.*

Inter Vrinas quæ per se totæ sunt nigræ, deteriores his habentur, quæ quod ipsis innatat, duntaxat nigrum habent. *ibid.*

Nigræ subsidentiæ vt excedentem caliditatem atque igneam ostendunt, vel ex frigore vehementem extinctionem; sic & extrinsecus nostras corporis partes nigro affici colore videmus, partim scilicet ex nimio calore; vt qui se Soli exposuerunt, partim ex vehementi frigore & veluti mortuæ, quemadmodum in senibus aut quibuscunque aliis supra modum refrigeratis. *Crys. lib. 1. cap. 12.*

Pessima est omnium vrina nigra, adeo vt neminem vnquam seruatum viderim ex iis, qui talem vrinam minxerunt: minus vero exitiosa, si id quod subsidet, nigrum est; & adhuc minus, id quod solummodo in medio natat: ac multo minus si nebula. *ibid.*

Nigra vrina in morbo lienoso non est mortalis. Galen. *in Hipp. lib. 3. de morb. vulg. com. 3. sup. 20.*

Vrinæ color licet esset niger, nihil attulit periculi, quia retenti essent menses admodum melancholici, vnde mulier merito morosa euadit. *ibid sup. 84.*

Habebat Vrina periculosum signum, vrinarum tenuitatem & nigredinem, vnde natura vix longo tempore morbum debellauit. *ibid. super 82.*

Vrinæ subnigræ in febre ardente, in qua nigra pendebant dispersa. Insomnis erat Metonis, delirabat; vrinæ tenues & subnigræ. *ibid.*

Vrinam quo spissiorem, eo eam inuenit Galenus experientia doctus deteriorem. *in Progn. Hipp. cap. 5.*

Ex illo ipso Hippocratis loco colligimus vrinam nigram significare ——
- Salutem, & tunc natura corpus purgare incœpit, vt in fine quartanæ.
- Mortem, vel via
  - Mortificationis à frigore.
  - Adustionis per calorem.

Nigræ Vrinæ pernicies declaratur ex Philisci historia, cuius mortem antecedebant huiusmodi vrinæ, teste Hippocrate *lib. 5 Epidem.*

Totum vrinæ nigræ arcanum includere videtur Galen. *in lib. 5. Ascrip. quæsiti Hippoc. & Prorrh. lib. 1. com. 1. tex. 4.* vbi asseuerare videtur, quod vrinæ corpus soleat esse nigrum; vel propter ——
- Tostum sanguinem, & tunc color viridis vel fuluus præcessit.
- Totius corporis frigefactionem & tunc liuidus præcessit color.
- Melancholici humoris expurgationem, quæ fieri assolet in lienosis & melancholicis morbis.

Quæ trinæ differentiæ crassissimas habent substantias; nam vt crassæ inueniantur atræ vrinæ, necesse est.

Harum periculosissima est prima quæ si grauiter simul oleat, vt patiens moriatur, necesse est; at si sublime tantum sit nigrum, tunc non ita mala.

Et quamuis Galenus *ibi loci* verbis expressis dicat, *vrinas nigras debere necessario esse crassas*, tamen *alibi* sibi ipsi videtur in his contradicere: Dicit enim: *Vrina nigra & tenuis in acutis, cum aurium obtusione & insomniis, & in se nebulas habens, tempus illius ægritudinis longum importat, & fluxum sanguinis imminuere ostendit: Dinam: cap. 308. & alibi.*

Vrina tenuis & nigra malum signum est; significat enim quod natura vix longo tempore morbum debellabit. *lib. 3. Epid. com. 3. text. & alibi.*

Nigra & tenuis accidit mulieribus puerperis, ac si fuligo quædam iis inesset.

Porro etiam *alibi* sibi ipsi contradicere obseruatur Galenus: Nam vno loco dicit (vt antea) *Pessima est vrina nigra, adeo vt neminem seruatum viderim ex iis, qui talem vrinam minxerunt. Cris. lib. 1. cap. 12.*

At *alibi* ait: *Nihil est boni in morbis, quod vrinas nigras (quæ prauæ sunt) compensaret, nisi quod lien sit solummodo, vel simul cum eo affectus, vt accidit aliquando in acuta, vti Herophontis putat, historia. Epid. lib. 1. com. 3. Text. 20.* Et *alibi* sic: *Vbi menses melancholici multum retinentur, ibi niger color non est periculosus. Epid. lib. 3. com. Text. 86.*

Quibus euidens est, ipsum Galenum in Vrinæ nigræ historia siue explicatione quodammodo hæsitasse.

Nigra

Nigra & turbulenta in hepaticis, & velut capillosa, aut aliquid rasuræ habens mortem indicat. *Dir. am. cap.* 320.

Nigra & intemperata & tenuis in splendidis affectibus malum periculosum denotat. ***ibidem.***

Denique ex his est colligendum quod vrinæ appareant, teste Galeno: *Prorrh.* 1. *com.* 1.
- Per se totæ nigræ, quæ deteriores sunt.
- Gratia contentorum nigrorum nigræ apparent, vt sunt innatantia, nebulæ, vel sedimenta.

De Vrina Oleaginea, siue pingui.

Vrinæ liquefactionem arguentes important liquefactionem, si sint
- Oleaceæ, Oleosæ — Pinguedinis.
- Eruosæ hypostases, Furfureæ hypostases — Carnis corporis.
- Foliosæ hypostases, solidarum partium.

Tres sunt Vrinarum oleacearũ differentiæ, quarum aliæ
- Colorem olei habent, & hę liquefactionis principium significant. *Gal. in Spur. cap.* 9.
- Speciem olei prę se ferunt; & significant augmentum liquefactionis.
- Oleosæ sunt, hoc est, vt ipsum oleum, tum colore tum substantia, significantque vigorem liquefactionis.

Consumptionis & liquefactionis, hi sunt in febribus æstuosis gradus: nam in
- Primo, noua & recens pinguedo consumitur
- Secundo, durior & vetustior pinguedo.
- Deinde noua & recens caro instar polentæ.
- Mox dura & vetusta caro vt squamosæ.
- Postremo solida iam corporis membra; vt furfura

In prognost. Hipp. com. 2.

Noua & recens seu nuper concreta caro à calore igneo in saniem resoluitur, vetustior, & durior tanquam carnes quæ frixantur in sartagine, consimilis est, exiccata manens Oleosa, quæ in acutis arguit mortem. *Epid. lib.* 3. *com.* 3. *text.* 29.

Pinguedo liquefacit per feruidum & adurentem morbum. *Epidem. lib.* 3. *com.* 3. Non sunt pingues & oleosæ vrinæ salubres, nec tamen magnopere exitiosæ: Periculum enim in his vrinis non ob prauitatem subest, sed ob febris vim: quorum aliqui si reliqua cuncta sint salubria, breui liberantur. *ibid.*

CAPVT VII.

De Vrinarum substantia in genere: Ac de ipsius quantitate Vrinæ.

TAmetsi *in libro præcedenti* de Vrinarum substantiæ causis satis aperte simus loquuti, tamen vt *isto in loco* de specierum ipsius significatione, & præsagio, verba nonnulla faciamus, vtile fore putauimus.

Substantia Vrinæ consideranda est vel respectu ipsius
- Materiæ conditionis, & sic distinguitur in
  - Tenuem.
  - Densam.
  - Mediocrem.
- Proportionis partium in ipsius compositione, atque ita dicitur vel
  - Æqualis.
  - Inæqualis.
- Quantitatis, atque hoc modo est vel
  - Multa.
  - Pauca.

Ad materiæ Vrinarum membra quod spectat, hæc sunt consideranda.

Vrina in principio spissa, cum fit tenuis, significat digestionem respectiue.

Vrina in principio tenuis, cum fit spissa, significat digestionẽ, quamuis Galenus dicat,

ipsam

ipsam & aliam inconcoctionis esse signum: & rationem sic reddit: *quoniam*, inquit, *vna nondum concoqui incepit, alteri vero perturbatio inest, quoniam flatuosi spiritus ipsi permixti sunt*; Et tamen nos dicimus hanc Vrinam esse concoctionis signum, respectu alterius quæ est absolute tenuis, & sic permanet; Nam teste eo: *Tenuis incorrupta extremam indicat cruditatem. neque natura in hac aggressa est concoctionem: è regione, tenuis perturbata naturam concoctionem incepisse ostendit.*

Vrina semper vnius in natura seu consistentia conditionis, hoc est habitum suum non mutans, sed permanenter vt erat micta permanens, arguit indigestionem simpliciter.

Vrina in principio morbi mutata, & attenuata, mala est: cum vero in statu vel declinatione vel in fine ægritudinis vrina cito attenuatur, bona est, quia significat digestionem.

Vrina tenuis alteratur vel ex —
- Aëre frigido, & tunc inficit Vrinale.
- Perturbatione humorum, vel indigestione materiæ, & tunc vas non inficitur vel maculatur ab ea.

Vrina
- Turbulenta manens significat dolorem capitis præsentem.
- Tenuis & postea turbata, præsagiet dolorem capitis futurum.
- Turbulenta, & postea se clarificans, importat dolorem capitis præteritum.

Tenuis Vrina est aliquando
- Bona, si in copia sufficienti adueniat non febricitantibus, cum prius crassa, gummosa & pauca præcesserit, præsertim si talis eueniat à principio, vel è vestigio stabilitur hypostasis.
- Mala si in pueris, præsertim aquosæ simul: periculosa tum viris tum mulieribus, si in febribus & aliis crudis morbis.

Cum substantia est nimis tenuis est signum, quod alimentum nondum sit conuersum: vnde cruditatis est istius modi vrina argumentum: *Cris. lib. 1. cap.* 12. Estque ista substantia iuxta sententiam eius *ibidem* expressam, duplex vel permanens vel transiens: Permanens quę sicut mingitur, & sic permanet; Transiens quæ sic mingitur, & paulo post perturbatur.

Qui diu tenues & crudas mingunt vrinas, si cætera adsunt iudicia, hos ad regionem supra septum transuersum abscessum exspectare debet. Galen. *in Atra bile. 6. & in lib. 3. Epid. com. 5.*

Tenuis Vrina post crassam rubram suspensiones habente, non subsidentes, delirium importat vel præsens, vel futurum, vt patet in Hermocratis historia *ibid.*

Ab Vrinarum tenuitate cruditas morbi iudicetur: *In Hipp de vict. ratione, com. 4. part.* 42.

Tenuitas Vrinæ materiæ inopiam demonstrat: *in Spurio lib. cap.* 13.

Quibus Vrina tenuis cum vertigine & capitis pulsatu, à febrium principio fit, iis expectanda est ad crises febris acumine augeri, & tandem dementia. Galen. *Ascript. Quæsit. in Hippoc.*

Vrina tenuis cum nebulis significat phrenitidem in acutis, & præsertim, si vitiosus sit eius odor. *Dinam. cap.* 308.

Tenuis cum pinguedine in pleuritide significat mortem, præsertim si adfuerit tussis sicca & insomnia. *Dinam.. cap. 316.*

Tenuis si post crisim venerit; & longo tempore perseuerauerit, fit cuiuslibet morbi repetitio. *Dinam. cap.* 312.

At si talis post crisim in malum se colorem mutauerit, & patientes primæ ætatis sint, significat corporis contractionem. *ibid.*

Quatenus Vrinæ sunt tenues, hactenus requirebant concoctionem. *Epid. lib. 1. com. 3. text.* 27.

Tenues & æquabiles diu mictæ, & reliqua existentia salubria, significant abscessum ad esse in septo trausuerso *Epid. 3. com. 1.*

Quando Vrinæ tenues sunt, tunc haud secundum naturam venæ se habent. *Aph.* 4. 77. nam tenues vrinæ venas pati, & non vesicam indicant. *ibid.*

Quibus vrina ob humorum copiam tenuis est, iis iure optimo contrahuntur febres, quæ ante concoctionem sanari nequeunt. Comm. in libello de victus ratione in morbis acutis. *Text.* 46.

Tenuis

Tenuis, clara, cum plumbeo circulo & hypostasi exigua maximam cruditatem adesse, & malam ventriculi concoctionem, & propter talem circulum cum tali vrina, obstructionem in liene; & præterea melancholiam, & tunc aderant signa Hypochondriacæ passionis. Forestus, & videlicet *lib.3 de locis aff. cap.5. & 6.*

Regula.

Notandum iuxta Galeni assertionem, quod cruditas est illud quod secundùm naturam est contrarium & quod maximam ostendit membrorũ imbecillitatem affectorum. 1. *Cris. cap.7.* quare ea dicuntur cruda, quæ maximè sanis dicuntur:

Vrina crassa.

Vrinarum spissarum iuxta Galeni normam, quædam	Tales mictæ sunt & postea resident Tales mictæ sunt & tales permanent Puræ mingũtur, & postea perturbãtur.	1. *Cris. cap.12.*

Ex istis prima est bona, tertia pessima, secunda verò in medio se inter vtramque se habet, quoniam nec mala nec bona dici potest, sed respectiuè solummodo: quoniam quæ statim residet parum aliquid æqualis turbulentiæ superesse demonstrat, at quæ sic manet, vigere adhuc, quæ est in sanguine, agitationem ostendit. At quæ prius tenuis & extra turbata est, signum est, quod non nisi iam incipit: quare & longiore tempore & fortiori virtute ad concoctionem indiget. *ibid.*

Quæ turbulenta mingitur, statimque subsidentiam bonam habet, morbum non ita post coctionem significat, ideo optima. *ibid.*

Sic illa quæ manet perturbata, tamersi peior sit, quam ea quæ statim subsidet, melior est tamen ea, quæ futuram perturbationem significat. *ibid.*

Turbatæ mictæ, si illicò subsideant principium coctionis indicant, Galenus *in Epid. lib.3. com.1.* Si non subsideant, cruditatem & flatuosam turbationem. *ibid*

Turbida, qualis Veterinorum, crudis humoribus venas refertas indicat: non tamen cessare naturam, sed eos in iis valenter concoquere pergit. *in lib.4. cap.6. de tuend. sanit.*

Si celeris fiat separatio liquidi à crasso, & quod subsidet sit albũ, leue & æquale, iam iam superaturam humores crudos naturam indicat. *ibid.*

Si tenuis mingatur, & turbida deinde fiat, iam crudi succi concoctionem naturam aggredi docet. *ibid.*

Vrina alba & spissa significat phlegma resolui, & cum vrina emitti.

Crassi à liquore in turbidis vrinis separatio fit vel	Properè, & quod subsidet est album, leue & æquale, superiorem lõgè naturam succis, quos concoquit, ostendit. Tardè, & sedimentum bonum, naturam temporis spatio superaturam succos annunciat. Non omninò, vel quod subsidet malum est, naturæ imbecillitatem significat in concoctione.

Cur vrina crassa denotet dolorem capitis, nos docet Galen. *in Aph.4.70.*

Vrina crassa permanens, alteransque colorem ad albedinem, multum crudum humorẽ in corpore colligi ostendit. Galen. *in spurio libello.*

Necesse est, vt vbicunque sit subsidentia, ibi sit etiam vrina crassa. *ibid.*

Tenue mictum & postea turbulentum, vtique inconcoctum ex circumfluentia crassi flatus arguit, significatque naturam incepisse concoquere. Galen. *Ascript. Quæst.*

Vrina crassa micta, & permanens ac perdurans crassa, qualis iumentorum, pubescere ac vigere significat crassos humores spiritus, vt feruorem, in his cephalæam seu capitis dolorẽ, aut præsto est, aut statim aderit propter perturbationem aut fumosas exhalationes, quę sunt in humoribus. *ibid. & de Vrin. cap.1. & 4. Aphor.70.*

Crassa mictura statim residens, quiescere quidem in humoribus ebullitionem, & attenuari moderatam significat quantitatem. *ibid.*

Vrina turbulenta, & non varia, crisim cum dolore aliquo venturam ostendit. *De Dinam. cap.308.*

Vrina spissa cum furfuribus supernatantibus, si accidat iis qui scabiem habent in vesica, dolorem futurum designat. *ibid. cap.329.*

Quantitas.

Vrina denique quæ in quantitate est nulla & tenuis, denotabit quandoque febrem.

Vrinæ mali coloris, quo sunt pauciores eo periculosiores; quo copiosiores, eo minus malæ.

Si in nocte mingitur multum, significat exiguum excrementum. *De sig. cap.* 1.

Multum in febribus ostendit nil boni. Galen.

Multæ si tenues & nihil decretorii vel boni importantes, non bonæ, quia tametsi multæ sint quantitate, tamen nullum ferunt secum signum, quod natura purget corpus, aut per vrinam infestantia remoueat. *Epid.3.lib.com.3.text.*41.

E regione vrinæ paucæ, si simul tenues, crudæ, & decolores, pernitiosæ. *Epid.lib.1.com.3. super text.25.*

Vrinæ defectus in Causo fit gratia extremitatis caloris interni exiccantis attractam humiditatem, vel gratia humorum crassitiei. *Com.4.in libello Hipp.de victus rat.*

Paucitas vrinæ potest accidere gratia affectus attrahendi virtutis in iecore, adeo vt cibū in ventriculo iam in succum redactum atque transmutatum relinquat, ita vt per aluum exacte concoctus, liquidus tamen, & haudquaquam exiccatus excernitur, vt testatur Galenus *lib.6.de loc. aff. cap.6.*

Atque ob istam causam natura aptam vrinæ copiam reddere nō potest, cum iecur, quod est principium sanguinis, materiam chylosam tum sanguinis tum seri, eius nempe vrinæ, attrahere nequit.

Pauca eaque rufa & intemperata, mortem. *De Dinam.cap.*313.

Crassa & pauca in morbi declinatione significat purgationem superfluorum à natura per renes. 4.*Aph.69.*

Vrinæ crassæ plerunque sunt paucę, quia crassities vix potest renes penetrare. 4.*Aphor.69.*

Pauca, cruda, tenuis, & decolor vrina pernitiosa. *Epidem. lib.1. com.1.text.25.*


CAPVT VIII.

In quo contentorum vrinæ effectus particulatim recensentur.

Contenta quæ in vrinæ substātia seu corpore contingere, atque videri solent (vt *in libro superiori* est dictum) sunt:

- Circulus, siue Corona.
- Ampulla, Grana & Spuma.
- Nebula, Nubes.
- Putredo, Sanies, Pus.
- Chymus, siue humor.
- Sanguis.
- Arenulæ.
- Pilosa contenta.
- Furfura.
- Crynoides.
- Squamæ.
- Atomi siue Ramenta.
- Sperma.
- Cineres.
- Hypostasis.

Sciendum est inprimis, quod vt in vrinæ iudicio attendendum sit ad colorem vrinæ, ad eius substantiam, quantitatem & qualitatem, & alia accidentia, & præcipuè ad contenta; ita quidem, idque præcipuè contentorum gratia ad regiones vrinæ corporis sui massæ proprias, ante omnia est respiciendum, namque regio vrinæ correspondet regioni corporis; vt ergo in corpore humano quatuor habemus regiones depictas, videlicet animalem, vitalem, naturalem & generatiuam, & partibus per inferiora expurgantibus, ita quidem vrinam in regiones tot distinguimus:



Circulus est regio prima, testis Animalium.

Secunda regio, testis Vitalium.

Tertia regio, testis Naturalium.

Quarta, testis vasorum spermaticorum, Matricis, Renum, Vesicæ.

Prima regio est circulus detegens digestionem animatorum, & capitis.

Secunda

Secunda vocatur aërea,& est regio vrinæ,quæ est immediatè sub circulo,& se extendit à circulo versus fundum per duos digitos, & designat naturam spiritualium,siue vitalium;regnatque super pectus & totum clibanum ipsius;supra diaphragma.

Tertia est regio perforata,& incipit à supeficie infima regionis secundæ,& durat vltra medium vrinæ,& attestatur supra regionem nutritiuorum,sicut & stomachus,hepar,splen & intestina.

Quarta regio se extendit ab imo Tertiæ regionis ad basim matellæ,& testatur supra generatiuorum & inferiorum membrorum expurgantium regionem, cuiusmodi sunt, renes, vesica,& matrix:& similia membra inferius à natura disposita:

Regula 1.

Cùm ergo apparent in aliquibus harum regionum contenta,tunc testes erunt super similes sibi regiones,quare cum contenta, & tum propter contentorum significationes regiones inprimis considerandæ,non solum gratia cognitionis morborum,verum etiam propter particulam in ægrotante,in qua sita est infirmitas.

Regula 2.

Certior est ergo contentorum significatio,quàm vrinæ,quia contenta applicantur propriis membris,infirmitatibus & dispositioni.

De Circulo, siue Corona.

Circulus fit ex partibus leuioribus,& magis aëreis totius vrinæ;

Corona siue circulus in vrina —
- Similis vrinæ in colore,idem significat,quod vrina ipsa.
- Tremulus,arguit corporis grauedinem, idque præcipuè & maximè ipsius spinæ.
- Albus seu pallidus,&
  - Grossus significat
    - Grauedinem occipitii.
    - Hemicraniam.
    - Instabilitatem capitis.
  - Tenuis arguit melancholiæ dominium in parte capitis sinistra.
- Albus,spissus, declinans versus albedinem, ostendit obliuionem & mollitiem in cerebro,& præcipuè in parte posteriori,propter dominium phlegmatis.
- Citrinus,subrubeus,indicat choleræ dominium in dextra parte capitis,& tunc est tenuis.
- Rubeus,spissus, obscurus arguit
  - Dominium sanguinis in parte capitis anteriori.
  - Dolorem & Apostema in anteriori parte capitis, cum dominio sanguinis.
- Igneus & rubicundus notat morbum calidum cerebri,& præcipuè in dextra parte.
- Liuidus & plumbeus, significat cerebri infirmitatem, videlicet
  - Epilepsiam.
  - Paralysim.
  - Apoplexiam.
  - Spasmum siue conuulsionem.
- Viridis demonstrat in cerebro & meningibus adustionem; atque phrenisim.
- Niger & grossus arguit hæmorrhoides,vel purgationem melancholiæ.

Ideo denotat Circulus albus & grossus dolorem à pituita in occipitio,quoniam pituita dominium habet circa illam capitis plagam vel sedem. Similiter niger vel albus & subtilis arguit dolorem à melancholia in sinistra parte capitis, quia ibi loci melancholia habet dominium;vt spissus atque rubeus dolorem in anteriori,quoniam ibi præualet sanguis; vt itidem cholera in dextra dominiũ habet,vnde circulus igneus arguit dolorem in dextra parte ex cholera.

De Ampulla siue Bulla, Granis & Spuma.

Ampulla, Grana & Spuma in circulo significant dominium humiditatis viscosæ, in qua inclusa est ventositas: Hæc in quantitate ab inuicem differunt; nam grana est minor ampulla; est enim grana, quasi spuma intercisa.

Nota, quod:
- Ampulla significat ventositatem in nutritiuis & intestinis cum humido viscido.
- Grana arguit casum humorum in vrina, hoc est, à cerebro ad inferiora.
- Spuma ostendit calorem mouentem humiditatem per viam ebullitionis, & significat excessum caloris in hepate & nutritiuis: & specialiter si vrina fuerit multum discolorata, & tunc etiam ventositatis dominium importat.
- Ergo Ampulla denotat renum passiones, spuma passiones mediorũ membrorum, grana passiones capitis.

Bullarum seu Ampullarum aliæ:
- Perpetuæ.
- Dispersæ.
- Ad medium vrinæ corpus inclinantes.

Quæ perdurant, magis accidunt, quando tumor aliquid tenacitatis habet, ex qua tenacitate fiunt magis stabiles & difficulter solubiles. 7. *Aph.* 34. Suntque tales, videlicet spiritus flatuosi, cum vrina exeuntes, frigidæ renum ægritudinis signum, quæ quidem frigiditas aggerit flatuosum spiritum: atque ideo aiunt talem ægritudinem fore longam, quoniam omne frigidum est difficulter solubile, quatenus concoctionem cum difficultate admittit. *ibid.*

Ampulla significat renes proprie, & quod in illis membris inferioribus calor sit debilis, & humiditas aquosa, grossa & viscosa.

Granæ distantes à circulo linealiter, & tardè redeuntes ad circulum, ostendunt fluxum humorum à capite ad pectus, vnde significat dolorem & grauedinem pectoris.

Granæ in circulo per motum depressæ inferius & superius reuertentes significant rheuma à capite.

Grana in medio circulo significat rheuma ad stomachum & repletionem stomachi, quare significat stomachi indigestionem, vel vomitum.

Grana linealiter apparens sub circulo & concussione depressa, manens sub circulo, significat rheuma ad pectus.

Regula 1.

Nota, quod in concussione vrinæ, videndum sit, qualiter granæ maneant depressæ inferius vel superius, nam per hoc iudicare possis ad quod membrum fiat fluxus à capite, & hoc iudicium confirmatur ex imbecillitate partis affectæ.

Regula 2.

Fluxus humorum fit à capite ad nares, vt coriza, ad oculos, vt Ophthalmia, ad aures, vt in tinnitu & surditate, ad guttur, vt in raucedine, ad vuulam, vt quando relaxatur, ad maxillas, & facit dentium dolorem, ad pectus, vnde tussis, ad pulmones, vt in asthmate, ad intestina, vnde fluxus ventris, ad stomachum, vnde vomitus & indigestio, &c. Atque super has defluxionum species iudicium ferre solent granulæ.

Granarum glomeratio se tenens sub nube alba, vel quasi alba, vt plurimum pectoris stricturam significat.

Nota quod granæ in vrina significent super passiones capitis, vbi humiditas est subtilior & calor fortior, & licet humiditas esset grossa & calor debilis, cum vapor includitur in humiditate, expellit totum illud ampullosum per continuitatem venarum & arteriarum ad hepar & ad membra inferiora: & cum diu moratur, ex suo longo motu accipit calorem, vnde vapor & humiditas subtiliantur, & per vrinam emittuntur.

Regula 3.

Spuma significat passiones membrorum mediorum, scilicet cordis, hepatis & aliorum vicinorum, licet in loco calidiori generentur. Quo calidior ergo est locus, eo subtilior est spuma.

Spumosa vrina mulierum significat stomachi ventositatem & dolorem latentem: & si vrina sit clara & subrubea, clara & tenuis, significat dolorem plus esse in dextro latere matri-

cis,

cis,quam in sinistro; si sit spuma cum vrina alba & tenui,significat dolorem plus esse in sinistro,quam dextro latere.

Regula 4.

Ista tria contenta ideo non apparent in suis propriis regionibus,sed sublime petunt,quia non naturaliter,sed per violentiam generentur;quia subtile & vaporosum includitur in humido,vnde eleuatur humidum: Color spumæ caloris intensionem vel remissionem arguit, sicut vrinæ facit.

De nebula.

De nebula stylo paululum lucidiori in eo loco,vbi de hypostasi discurremus,verba faciemus ampliora.

De Putredine,Pure,vel Sanie.

Putredo vel sanies in fundo vasis significat vlcerationem in vesica & renibus,quæ distinguitur per loci dolorem,tunc etiam vt plurimum aderit stranguria.

Pus in vrina significat dolorem
- Renum per vomicam accidentem inordinato horrore,& exiguo rigore, deinde aliquando febre correptus erit patiens.
- Vesicæ,positum cum horrore & febre.
- Circa septum transuersum & thoracem.
- Circa dextram præcordiorum partem.

In quibus confert magnopere, puris quantitas, & obseruatio, quomodo se misceat cum vrina. *Galen.lib.6. loc.aff.c.4.*

Pus est vel
- Exactè mixtum cum vrina, & tunc à supernis partibus venit, videlicet aut gibba hepatis aut pulmonis,aut septi transuersi,præcordiisve.
- Mediocriter mixtum cum vesicâ,videlicet de renibus descendit & tunc caruncolis similis apparet. *Ibid.*
- Interdum
  - vel nullam habet mixtionem.
  - vel quodammodo superfertur.
  - vel solum excernitur,& significat in vesica suppurationem existere.

Nota quod
- Vrina
  - Aut tota à pure cum spissa emisso turbatur.
  - Aut pus per partes quasdam inæqualiter dispersum comprehendit. *Ibid.*
- Aut pus solum sine vrina egredi quandoque solet.

Sanies in vrinis accidunt
- Vel phlegmatum solutione in saniem conuersorum per vrinas saniosas, & hic non subsidet album quicquam & fœtorem habet. *De caus. procreat.c.2.*
- vel febricitantibus,solutis febribus:& hæ nequaquam primo assimulantur, his enim aliquod album subsidet, & fœtidum habet odorem.

Pulmonis vomica per aluum & vrinam purgatur,quæ vero sub septo transuerso sunt per vrinas. *ibid.*

Pus vrinæ sumitur
- Proprie pro vero pure alicuius vomicæ,suppurationis,vel huiusmodi.
- Impropriè, pro vrinarum tum crudarum tum crassarum excretionibus.

Pus aliquando accidit in febribus,& tunc dupliciter fit,videlicet aut
- superante natura,& tunc est quasi tumorum pus.
- superante natura, & tale neque colore,neque odore videtur.

Est enim putredo humorum in vasis,id est,in venis & arteriis: similis ei,quæ inflammationibus & abscessibus,aliisque collectionibus accidit. *Diff.feb.lib.1.cap.6.*

Lib.1.diff. feb.cap.6.

Pus in vrinarũ fundo est triplex, nimirum
- Optimum, estque album, crassum & sibi simile, leue tangenti, & minimè fœtidum.
- Peius & semiputridum, fœtidum & tenue, substantiam obtinens colore liuidam, seu liuescentem.
- Pessimum, vbi nulla apparet concoctio, magisque secundò fœtet, læuius est eo, substantia, & ad nigredinem tendit magis.

In spurio lib. de vrinis. Tale sedimentum vel vrina hepar vlceratum demonstrat, & ipsam essentiam dissolui, & tenuis eius pars serosi humoris colorem habet; crassa verò sandarachæ, puris & sanici. Huiusmodi autem vrina & sedimentum mortem significant; si verò seruentur ægri, hydropem enunciant. Galenus.

Ibid. Aliquando pus excernitur in iecoris & lienis affectibus. Galenus.

Epid.lib.1. com.11.tex. 42. Vrinæ purulentæ, crassæ, copiosæ & variæ in quantitate cum rubedine & dolore, ostendunt, quod superfluitatem humorum vitiosorum totum corpus deponat.

Hypostasis seu Tophus (vt vult Galenus) cineritii coloris, ex purulento humore, aut ex purulento, pituitosoque composito potest esse, quæ pituitam crassam & viscidam significat; & talis accidit in articulorum doloribus, & his qui renum lapidibus afficiuntur, quia aliquandò Tophus gignitur ex solo purulento, aut ex purulento & pituitoso composito, &

Epid.lib.6. com.1. tex.6 tunc color erit magis cineritius: aliquando ex pituita crassa & viscida subsistentia factus est Tophorum color, id est, cineritius: & est signum lapidis.

Chymus. De nat.com. 2. Crudum & pituitosum in vrina contentum, hoc est Chymosum, est voracitatis signum; *De nat.com.2.*

Ibid. Crudus humor cum sit concoctus, pus est; *Ibid.lib.2.diff.morb.*

De dinam. cap.316. Vrina tenuis & saniosa si initio ægritudinis pleuritidis fiat, & per multos dies durauerit, Phrenitidem futuram significat, præsertim si tussis sicca & insomnia adfuerint. *De Dinam. cap.316.*

Pus & sanguis in sedimento sunt renum & vesicæ exulcerationis argumenta. *De sign.vrin. cap.1.*

Phlegma in vrina sicut Sol in Sol in limpidis coloribus renum indignationem denuntiat. *De Dinam.cap.312.*

Vrina saniosa & sic plurimum egesta, & veluti coagmentata, aliquam renum eruptionẽ, aut calculi initium arguit. *Ibid. cap.329.*

Loc affect. lib.6.cap.4.

In indiciis non parum confert puris quantitas, & quomodo totum in
- Confusum
- Non cõfusum

miscetur enim aut per
- Partes aliquas vrinæ inæquales.
- Per totam vrinam.

Ibid. Loc.aff.lib. 6.cap.4. Plerunque Pus solum sine vrinis excernitur, idq; haud obscure in vesica suppurationem indicat.

Pus in vrinis (vt dictum est) exactè mistum emittitur, si à partib⁹ supernis proueniat Pus: quod verò mediam inter hæc conditionem seruauerit, id à renibus descendisse certum est.

Denique Pus significat plerunque præteritorum accidentium affectus.

De Chymo.

De nat. human.com.1. tex.22. Permultos vidit Galenus, qui cum otiosi fuerint, cum vrinis magnam excernerẽt copiam muco adsimilem.

De alim. fac. lib 1.c.9 Crudus humor in vrina puri similis quandoque emittitur, tamen ista est inter hæc differentia, quod pus communiter olet grauiter, at humor iste minimè; nec etiam est adeo lentus, sed potius in crassitie peccans.

Porrò humor post motum vrinæ petit fundum, sed non tam citò quàm sanies, quia plures habet partes aëreas: similiter humor in fundo vasis, quamuis sit aliquando albus, turbidus, tamen absque radiositate atque pulchritudine veræ hypostasis apparet, & cum miscetur in corpore vrinæ, assimulatur sero liquefacto, & turbat vrinam manifestè. Præterea ab hypostasi sic differt: Cum fortiter mouetur vrina, euanescit hypostasis, siue perturbatione vrinæ in particulas vix visibiles dissoluitur. At humor iste mouendo matulam suauiter non dissipatur, & si duriter moueatur, non euanescit, sed rumpitur in multas partes, vt puluis.

Si

Si Chymus pendeat in vrinæ
- Summitate, significat membra vitalia & animalia: compressionem & oppilationē diaphragmatis, vt Asthmá, & Dispnea, & Arthritica passio.
- Morbos stomachi à repletione superfluitatum & inflationis corporis & matricis; & reuolutionem intestinorum, denique significat morbos membrorum nutritiuorum.
- Fundo, ægritudines renum, & circa lumbos, dolorem & debilitatē tibiarum & genuum, similiter Nephritidem, Tenasmon & strangurium in genere.

Si talis apparuerit in fundo matulæ
- Sine febre, communiter & generaliter significat lumborum & renum passionem à crudis & phlegmaticis humoribus, quos natura expellere voluit, sed non potuit.
- Cum febre denotat periculosos morbos ex grossis & viscosis humoribus & duris, quos morbos nunquam superabit patiens, nisi sit fortis ætate & viribus: & tunc dandum erit, priusquam recuperabit sanitatem.

Nota, quod talis Chymus in summitate natans in principio morbi indicabit humores subtiliores & facilè superandos: Si teneat mediam regionem, sunt expulsu & superatu superioribus difficiliores, faciliores tamen, quàm humores grossi in fundo: denique si fundum matulæ possideat, cum crassitie & viscositate in vigore morbi, tametsi fortis sit natura, exitus tamen morbi timendus.

Istiusmodi humor in fundo arguit stranguriam, quæ fit à coagulatione crudorum humorum collectorum circa collum vesicæ, & tunc aliquando pars illorum humorum miscetur cum vrina, & cum vrina transit & exit cruda & indigesta: qua de causa humor ille in vrina semper tēdit deorsum in matula: significat ergo membra generatiua; significat etiā aliquando Nephrisim & viscosorum humorum circa renes copiam.

De sanguine in Vrina.

Significat communiter
- Rupturam venæ in renibus vel in vesica, & distinguitur dolore loci, quantitate & figura: nam sanguis qui prouenit à vesica est paucus & coagulatus: sanguis verò à renibus & Kili est multus & non coagulatus.
- Excoriationem.

Accidit tamen quandoque, vt proueniat ab hepate, & tunc sanguis est purus & bene cōmistus cum vrina, & dolor sentitur in dextro hypochondrio: & quandoque in venis, & tunc est trumbosus & grauis odoris, grossus & residens in fundo, & in vrina minimè mixtus, & sentitur dolor in pectine, & in extremitate virgæ.

Si veniat à Kili vena, tunc sanguis est purus, sed non ita sicut ab hepate: & sentitur dolor in 7. spondili, facta computatione ab inferiori versus superius.

Si veniat à renibus & in renibus sit origo mali, tunc sanguis mictus purus est, & aliquantulum mixtus cum vrina, & est maior in quantitate, quam cum procedat radicaliter à vesica.

Si denique proueniat, siue exoriatur à vesica, & tunc erit (vt dictum est) in minori quantitate.

Testimonia Galeni.

Nota, quod vrina aderit quantitas
- *Sanguinis parum cum maiori pituitæ portione mixti, & tum apparet color, vel vt pallidum mixtum cum albedine, vel vt mixtio ex albo & rubeo, vel ex flauo & albo, & aliquando rufus erit, atque ita altior vel remissior pro maiori vel minori sanguinis portione. 4. Aphor. 78.* 4. Aphor. 78
- *Sanguinis solummodo puri sine pituita à rupta vena, & tunc est exquisitè rubra. Epid. lib. 6. com. 1. Text. 6.* Epid. lib. 6. com. 1. tex. 6.
- *Sanguinis cum grosso aliquo humore, & tunc atrior erit. Ibid.*

Qui sponte sanguinem mingunt, & non repentè, iis à renibus venula rupta significatur. 4. Aphor. 78. 4. Aph. 78.

In vesi-

Ibid. *In vesica vena potest frangi ex abundantia sanguinis influentis; quod in renibus est impossibile, quia venæ vesicæ sunt nudæ, & sine fulcro naturæ.*

Ibid. *Sanguis ex renibus sæpius & sine causa manifesta excernitur.*

De sig. vrin. cap. 1. *Quibus sponte sanguis mingentibus exit, iis à renibus significatur venæ fractura: Qui sanguinem & grumos mingunt, stranguriaq; affliguntur, doloręq; ad perinæum ac perigastrum incidit, arguit circa vesicam esse ægritudinem.*

Epid. lib. 6. Com. 1. Tex. 6. *Sanguinis mistura cum vrina rara, & pituitæ vomitu, & stupore in fœmore, importat dolorem fenum.*

Com. 1. Tex. 25. *Quibus vrina tantùm cruenta, his venæ laborant.* Hipp. de nat. hum.

4. Aph. tex. 80. *Sanguinis mictus aut grumorum cum stillicidio vrinæ, arguit dolorem circa pectinem & vesicam.*

De Arenulis.

Si arenulæ in vrina apparentes fuerint:
- Albæ cum grauedine & dolore circa vesicam, & fæmur, à vesica proueniunt.
- Rubeæ cum grauedine & dolore circa quintum dorsi spondilem, versus anum à renibus emittuntur.

Nota, quod cum apparuerint primo, & non fuerint antea perceptæ, significent lapidem generandum.

Si post hoc non appareant, & paulo post iterum apparere incipiant, resolutionem lapidis firmati denotant.

Arenosa vrina & sedimentum diu apparens, præsagit calculum renum vel iam iam adesse, vel mox futurum.

Testimonia ex Galeno.

Gal. de renũ dignot. & medicat. *Quibus arenulæ in matula subsident, iis lapidem in renibus esse planè ostendunt.*

De sig. vrin. cap 1. Hipp. l. 6. Epid. Gal. in Epid. lib. 6. com. 1. tex. 6. *Arenulæ rubræ grauant in renibus dolorem, quando cibo replentur patientes, tum in principio pituitam vomunt, & cum abundat dolor, tunc æruginosa vomunt, & cruentum mingunt, aderitq; stupor in fœmore: Quiescere hic non confert, sed exercitari, non repleri, vrinam mouentibus purgare, iuuenes Helleboro purgare, attenuare & emollire.*

4. Aphor. 79. Arenæ rubræ tres sunt species, cum arenularum taliũ:
- Aliæ sunt exactè rufæ, quæ renum affectus denotant.
- Aliæ sunt rufæ, qualis Sandaracha.
- Aliæ erui & orobei coloris, vnde Oroboides dictæ.

(atque duæ hæ denotant iocineris effectus.)

Quibus arenosa subest materia & alba, iis vesica calculescit.

De pilosis contentis & carunculis.

Pilosæ superfluitates in corpore vel fundo vrinæ apparentes:
- Sine febre significant calorem accidentalem in renibus, qui renes consumit & resoluit, & acquirunt hanc figuram ex renum figura.
- Cum febre, signum est quod hæ superfluitates pilosæ lõgæ à membris simplicibus decidant, quæ à calore febrili resoluuntur vel incipiunt resolui: similiter denotat primam speciem febris hecticæ.

Resolutiones pilosæ cum pinguedine significant consumptionem renum: si inter digitos apparent fricatæ carnulentæ.

Si longi sunt pili, significant oppilationem, si simul grossiores quam pili, hæcque oppilatio est vel dextri lateris, & tunc adest motus ad luxuriam, aut somnolentia dextri pedis, & quandoque amborum; oppilatione enim nerui obstruuntur, & spirituum motus impediuntur.

Nota, quod semper significant indigestionem.

Gilbertus ait, pilos non prouenire nisi à membris neruosis; venosis & arteriosis, à prauis, grossis & viscosis humoribus illarum partium causatis.

Nota, quod pili siue renum siue aliarum partium semper causentur à calore innaturali.

Et si contenta talia inter digitos fricata euanescant, sine apparitione substantiæ, aliqua

quasi

quasi cornea: tunc quidem est argumentum, quod procedant ex humoribus nimio calore assatis.

Testimonia Galenica & Hippocratica.

Quibus in vrina crassa existente minutæ carunculæ tanquam pili pariter adueniunt, iis à renibus excernitur, in signif. Vrin. cap. 1. Et arguet aut renum aut articulorum morbum. Nat. Hum. Text. 26. & 4. Aphor. 76. *Nat. Hum. Text. 26.*

Paruæ carunculæ sunt renum substantiæ indicia: Galenus *ibid.* loquitur de pilis mictis incredibilis longitudinis, dimidium scilicet cubitus. *4. Aph. 76.*

De Furfuribus in Vrina & Crinoidibus.

Contenta Furfuribus similia
- Si absque febre
  - Si dolebit infirmus circa vesicam, & femur & partes vesicæ, significant scabiem in vesica & viis vrinariis.
  - Si absque dolore in dictis partibus, significant sanguinem & humores adultos in venis, & vniuersalem scabiem.
- Si cum febre & habitudine extenuata, significant principium hecticæ, vel febrem ex salso phlegmate.

Polentæ crassioris species peior oleacea, & squammosa ac foliosa, quam polenta, ac illa denique peior est Furfuracea. *In Prognost. Hipp. com. 2.*

Crinoides à Crineo, quod est tertia pars granæ, est enim similis furfuri, sed eo maior in omni dimensione, sunt etiam similes partibus albis frumenti, quæ non bene moluntur, & habent grossitiem sensibilem.

Huiusmodi contenta significant *In atra bile cap. 8.*
- Calorem accidentalem in profunditate membrorum consimilium insertum; qui earum substantias resoluit.
- Et propter hoc significant tertiam hecticæ speciem, præsertim si membra exteriora arida fuerint.

Sedimen confracti hordei frustulis simile in Vrinis malum. In atra bile. *Gal. signif. vrin.*

Crassiores Vrinæ in hypostasi species malæ: his peiores sunt foliosæ, quibus improbiores sunt furfuraceæ. *1. Cris. c. 12.*

Malum est Vrinæ sedimentum, farinæ hordeaceæ simile:

Quia arguit
- Grandem colliquationem, siue carnium recentarum consumptionem inæqualem.
- Caliditatem æstuosam, quæ sanguinem adurit, vel assationem crassioris sanguinis.

Crinoides, id est, crassioris vrinæ similes, significant febrem in profundo vasorum, & maiorem latitudinem & ampliorem latitudinem. *Progn. Hipp. in Æsciip. quæst.*

Mala Vrinæ signa, in quibus furfura. *Plin. lib. 28. cap. 6.*

Si in Vrina sedimentum referat speciem polentæ crassioris, malum est, Galenus.

Quibus Vrina aliquando pura, & aliquando ei innatant veluti furfures, his scabiosa est vesica. *Hipp. Nat. humana.*

Quibus crassa furfura simul in Vrina exeunt, iis vesica scabie laborat. *4. Aphor. 77*

Fursura aliquando generantur in venis dupliciter *Aph. 77.*
- Vel cum earum tunicæ patiuntur scabiem, ac vesicæ: vnde tam venæ quam vesica affecta scabie, furfureos cortices vna cum Vrina emittit.
- Vel cum à calore igneo nimis adustus sit sanguis & torrefactus, & præsertim fæces sanguinis ex calore nimio tales fiunt citius ob crassitiem.

De Squamis seu Contentis foliosis.

Squamæ sunt subtiliores furfuribus, & magis rotundæ, & albæ, similes squamis piscium (vt *libro superiori* est dictum.)

Contenta talia significant
- Scabiem in vesica & renibus.
- Adustionem & Phlegma salsum in venis & in hepate.
- Hecticam febrem.

Sciendum est, quod prædicti morbi distinguantur per grauedinem & dolorem prædictarum partium, nimirum vesicæ, renum & hepatis : fit etiam coniectura in habitu exteriori, qui si sit siccus, & in superficie aliquantulum pinguedinis natauerit secundum demonstrabit talis vrina febris hecticæ speciem.

Atra. Bil. cap. 8. &c. 1. Crif. c. 12. ibid. In 4. Aph. 81.

Foliosum sedimen est Orobeo peius, vt squamosum polentæ.

Contenta quę folia repręsentant, differunt à furfureis, quia furfurea foliosis sunt crassiora & minora : at foliosa sunt latitudinis & tenuitatis maioris.

Folia in sedimentis vrinarum & ipsis vrinis sunt à superficialibus vasorum partibus quæ vasa sunt, omnino resoluta & contabuerunt.

Squamosa contenta significant vesicæ vlcerationem, & tunc accidit cum sanguine aut pure, aut simul, & grauis est odor.

De Atomis seu Ramentis.

Sunt ista contenta quædam resolutiones albæ, minutæ, similes atomis in radiis solaribus apparentibus.

Atomi
- Generaliter significant motum humorum adiuncturas, & eorum ad nodos inclinationem, qui humores cum sunt frigidi, & percutientes nodos, & membra, resoluuntur illi nodi ab illis humoribus in partes minutas, quæ tum postea cum vrinis miscentur.
- Specialiter significant ex
  - Morbis
    - Arthriticum.
    - Dolorem in dorso & cruribus.
  - Partibus affectis, si magis tendant aut inueniantur in
    - Fundo, Podagram & dolorem in pedibus:
    - Regione tertia versus fundum, dolorem illarum partium.
    - Regione suprema, dolorem circa collum, & superiores partes.

Si talia Contenta accidunt Vrinæ mulieris tunc significant vel
- Podagram secundum institutiones præcedentes : si menstrua sint præterita pro ætate.
- Conceptionem, si menstrua non veniant secundum vsum, & tunc Atomi residebunt in fundo, vt bombyx carminata, & erit vrina deorsum spissior. Et nota, quod si Atomi in fundo sint rubicundi, tanquam in bombyce cruda, significant masculum, quia fortem designant calorem.

Differunt Atomi ab arenulis quatenus arenulæ in fundo resident, hi vero per totam Vrinæ substantiam dispergūntur.

Atomosæ resolutiones nigræ arguunt dolorem sub hypochondrio dextro vel sinistro.

De Spermate.

Resolutiones spermaticæ apparenter diuulsæ per corpus Vrinæ, habentes figuram longam & rotundam, & quæ sunt albæ & factæ de nouo, significant
- Coitum factum.
- Amissionem Spermatis in somno.
- Emissioné spermatis inuoluntariam sicut in Gonorrhea aut paralysi virgæ aut testiculorum, aut imbecillitate retentiuæ facultatis.

De Contentis in Vrina Cineritiis.

Resolutiones in Vrinis similes cineribus important
- Ficus.
- Condilomata.
- Hæmorrhoides.
- Vitium splenis.
- Retentionem menstruorum.
- Abundantiam melancholiæ.
- Morbos melancholicos.
- Superfluitates decidentes à melancholia.

Diffe-

Differunt istiusmodi resolutiones ab arenulis, quia sunt magis latæ & tenues, quam arenæ.

Cineritiæ resolutiones lucidæ & claræ arguunt dolorem stomachi.

Cineritiæ resolutiones vergentes ad flauedinem & nigredinem, si in Vrina fœminæ, significant retentionem menstruorum: si in Vrina viri, oppilationem splenis & hepatis, vnde dolor, sed debent habere adhærentiam manifestam. Cinereæ resolutiones nigræ cum resolutionibus cinereis albis in muliere, significant fluxum menstruorum, & in viro Hæmorrhoides.

De Nube, Nebula, ac Hypostasi.

In *cap. 3. Membri Secundi libri huius subiecti quarti* declarauimus, quod eadem substantia quę facit hypostasin, vario insignatur nomine, ratione regionis seu loci in vrina qua inuenitur, videlicet dicitur νεφέλη, seu nubecula, quando inueniatur in regione suprema, & ἐναιώρημα, & quasi nubes, seu meteoron nubilosum in media: in infima vero ὑπόστασις, seu subsidentia: atque ob istam rationem hypostasim generalem volunt nonnulli habere significationem, atque in se comprehendere totum illud, quod in substantia Vrinæ apparere solet; sed à Galeno maximè proprie subsidentia dictitatur, & pro omni eo, quod cadit in fundum matulæ, accipi solet; vti loco antea citato luculentius indicatur.

Nubecula ergo apparens in regione suprema flatum leuiorem & magis agilem, & viuaciorem, quæ materiam condensatam eleuat, notat.

Enaiorema grossum & inconcoctum flatum qui ob materiæ spissitudinem vel grossitiem, altius eam eleuare non potest.

Hypostasis arguit flatum esse debilem, & à materiæ descendentis grauitate superatum.

Quanto poterit flatus eleuare hypostasim, eo inconcoctior redditur Vrina: de sign. vrinæ cap. 4. Nam si faciat — — —

- Nubeculam, significat inconcoctionem & flatum esse magis crassum, seu potius viuaciorem, ideo tametsi sit leuis, albus & ęqualis, tamen peior est tali sublimento, quod est tali sedimento melius.
- Enaiorema seu innatans significat inconcoctum esse adhuc & grossum flatum, seu potius viuacem, sed non in tali virtute, ac in superiori: ob istam rationem hypostasis fundum petere nequit, gratia flatus, (vt Galenus vult) densitatis; at ego dico, hoc ratione obstinaciæ & viuacitatis animæ illius nubis prouenire; nam quod crassum est facillime descendit.
- Sedimen significat non nisi exiguum flatus dominium, h. e. imbecillitatem ipsius, vnde sinit materiam hypostasis fundum petere, & huiusmodi album, leue & æquale, coctionem perfectam significat.

Ex istis facillime colligi potest sermonis mei præcedentis vigor, videlicet quod vt in macrocosmo nubes, vel in aeris regione summa, vel media, vel infima, ac quod grossum est, in terra & aqua residet, iuxta dominium venti superantis, qui si sit Septentrionalis, eo concoctioni est magis inimicus: Si Occidentalis minus; si vero Meridionalis, concoctio superatur & medium naturale excedere videtur: Orientalis deniq; nisi sit Æquinoctialis, adurit: Hinc sedimenti substãtia, quo altius eleuatur, eo à frigidiore, & magis inconcocto vento gubernatur; Nubecula à Saturnino, & Septentrionali; Nubes seu Enaiorema à Lunari & Occidentali; Hypostasis circa infimam regionem versans, à Meridionali, & pro materia nimium vel allata, vel iuxta naturalem Subsolani & Fauonii mixtionem conflata, matulæ fundum est inquirendum: Hinc vt sunt sedimenta alba & candida, ita sunt alia, quæ sunt vel magis vel minus vsque ad rubedinem intensam, viriditate, liuiditate, ac tandem nigredine tincta; iuxta omnium medicorum peritorum sententiam.

Atque hoc idem de nebulis & nubibus est dicendum, sed nos hoc in membro non nisi more vulgari incedere intendimus; quare ad rem:

Nebularum aliæ sunt:
- Sursum meantes cum bonis coloribus, & sunt bonæ.
- Deorsum cum malis coloribus labantes, & sunt malæ.

Gal. *de signif. vrin. cap.* I.

Gal. signif. Vrin. cap. I.

De Dinam. cap. 312. Vrinæ cum nebulis ſciſſis morbi longitudinem important.

Olericæ nebulæ ſignificant tranſitum in ægritudinem acutam.

Ibid. Vrina arenam habens & raſuram in nebulis, quaſi ſanguinem, Syntaxin renum: id eſt, colliquationem oſtendit.

Ibid. Atra bile cap. 9. Nebulæ ſi albæ laudabiles, ſi nigræ prauæ.

San. Tuen. lib. 4. cap. 7. Si nebulæ, quæ non fuerunt prius, in tenuibus apparent vrinis & aquoſis, concoctionem incipere oſtendunt.

Lib. Spurio. de Vrin. cap. 18.

Duplex nebula
- Bona & concocta
  - In principio excretionis fit in ſuprema ſuperficie.
  - Deinde paulo poſt fit innatans.
  - Poſtremum fundum petit, & fit ſubſidentia.
- Mala & cruda
  - In initio erat ſubſidentia.
  - Deinde fit innatans.
  - Poſtremum nebula.

Progn. Hipp. cap. 5. Nebula candida bona, indicat enim concoctionem.

Ibid. Nubecula nigra viſcoſa mala eſt, importat enim vehementem in corporis profundo frigiditatem; & tunc nigreſcit congeſtis globulis, diciturque mortifera, aut propter caloris exuberantiam, ſignificat enim ſanguinem crematum eſſe.

In Spur. lib. cap. 7. Nebula nigra, leuis, malum.

Tuend. San. lib. 2. cap. 4. Nigra nebula, præſertim ſi vrina etiam ſit turbida, lethale.

Nebula, vel nubes rubra, crocea, aut Sandaracha, cum multa ſpuma, hepatis calefactionem denotat; & tunc vrina eſt magis rubra & craſſa in ſubſtantia, & pinguior, vt brodii ſuperficies, nam pinguem in ſuperficie colligit telam araneæ, & vbicunque ſe nubes ita demonſtrat in rubedine, denotat morbum fortem & acutum.

Nebulæ quo obſcuriores, eo magis ſpiritualia & pectus denotant, ex nimia caliditate affectum.

Si nubes appareat obſcura & pallida, vt plumbum, denotat primam diſpoſitionem ad hecticam, à calore nimio, atque etiam ſpiritualia affici.

Cum nebulæ ſunt azureæ & tenues, tunc arguunt ſpiritualia pati.

Nebula circa ſuperficiem Vrinæ, vel infra, ſignificat dominium caliditatis reſoluentis humorem infitmi, & aeream naturam: aut abundantiam phlegmatis ſalſi, quod acuitate ſua humidum agitat & reſoluit abſque conſumptione, & pruritum, & in ſpiritualibus abundantem caliditatem.

Nubes cum granis, verſus circulum, oſtendit ſiccitatem pectoris.

De Hypoſtaſi, ſiue ſedimento, aut ſubſidentia in Vrina.

Dicit Placentinus materiam Hypoſtaſis, vt & illam nebulæ eſſe ſuperfluitatem tertiæ digeſtionis: quæ ſeparatur ab humoribus & conuertitur in humiditates membrorum: alii dicunt ſedimentum eſſe pituitoſum & melancholicum excrementum:

Sedimentum inuenitur vel
- Nullum omnino, vbi parciter viuitur & tenuiter.
- Copioſum, vbi largiter viuitur, vt in pueris.
- Exiguum, vbi mediocriter viuitur.

In Prognoſt. de Vrin. Quanto magis ſubſidet vrinæ contentum deorſum, eo melius.

4. Aph. 69.

Sedimentum in Vrina apparens
- In initio apparens morbi eſt nec bonum, nec laudabile.
- In declinatione laudabile.

Reuſnerus. Quo magis accedit coctio, eo indies plus augeri ſedimentum, at vbi deeſt ſedimentum, ibi caloris concoquentis penuria demonſtratur: importat enim ingens frigus.

Willichius. Reuſnerus. Si diu ſani mingunt ſine ſedimento, morbos futuros ex cruditate notat; eruntque morbi tales chronici.

Subſi-

Ex spur. lib. vrin. cap. 18. De signif. vrin. cap. 5.

Subsidentia alba duplex est
- Mala & cruda nempe, si
  - Renum & hepatis affectib. fiat, statim ad fundum facit subsidentiam, & tunc non cohærens sibi manet nec leue, & diuiditur in patuas veluti arenulas.
  - Pus fiat vel purulentia materia
- Bona & cocta & tunc
  - Primo apparet nubecula.
  - Deinde sublime vel innatans.
  - Postremum apparens subsidentia.

Si Hypostasis alba, leuis & æqualis appareat in vrina, signum est serenitatis & morbi breuitatis. Æquale diuulsum malum est, multitudinem enim crassi spiritus indicat in profundo, qui à natura attenuari non potest. *Prog. Hipp. cap. de vrin.*

Sedimentum rubicundum à sanguine seroso fit, quod cruditatem significat, sed non mortem. *Atra bilis cap. 7. Gal.*

Sedimentum cruentum significat vasorum apertionem, ruptionem, erosionem, imbecillitatem dilatationem aut aliquod huiusmodi. *Lib. spur. de vrinis.*

Sedimenti atri causa
- Si præcesserit liuidum sedimentum, erit congelatio, mortificatio & extinctio à frigore.
- Si præcesserit viride vel pallidum cum virore, erit adustio à caliditate.

Hypostasis est vel
- Naturalis in qua requiritur vt natura habeat hæc omnia signa, quæ sunt perfectæ in venis & membris omnibus digestionis argumenta, & vt ipsa victoriam habeat, super naturam morbi & consequenter in morbis apparens arguat futuram salutem suntque talis hypostasis conditiones hæ, videlicet
  - Vt resideat in fundo propter grauitatē membrorum, à quibus deriuatur, & tunc significat, quod natura impediatur ab infirmitate in suis actionibus, quæ dat vnicuique quod suum est.
  - Vt eius substantia habeat continuitatem partium, in quo statu significat vniformem actionem naturæ in humoribus, à quibus separata fuit.
  - Vt habeat figuram pineatam seu pyream; & tū significat nobilem & perfectam actionem naturæ in digestione, cuius est superfluitas, eo quod vnicuique parti dedit in composito propriam positionem, videlicet partibus in ipsa hypostasi terreis & grossis atque grauibus, inferiorem locum, aereis & igneis eiusdem locū superiorem: & sic hypostasis in parte superiori acquiriuit acuitatem, & in inferiori grossitiem: Hinc ergo talis hypostasis est pineata.
  - Vt sit albi coloris, nam isto respectu arguitur natura in tertia digestione assimilasse membra per viam digestionis eorum nutritiuorum, quæ sunt alba; & ex hoc superfluitas illius nutrimenti albedinem acquirit in sua mutatione.
  - Vt continuetur eius apparitio in tempore vsque ad finem: est enim talis signum, quod vrina in suis actionibus non impediatur, quin continue, postquam incepit, faciat, quod suum est.
- Innaturalis, quæ peccat in vna vel pluribus differentiis: nam Hypostasis aliquando
  - Peccat colore, vt si nigra sit, & tunc arguit defectum naturæ, & caloris extinctionem & mortem.
  - Peccat in tempore apparitionis & continuationis: est enim hoc signum, quod natura interpellatur in actionib. suis; & per consequens denotat debilitatem naturæ, & impedimentum in membris, & malitiam materiæ, ad resistendum operibus naturæ.
  - Peccat in continuatione substantiæ & formę, & quod non residet in fundo; nam talis importat debilitatem naturæ, vnde fit, vt non possit dissoluere fumos & ventositates seu vapores, qui dissoluunt continuationem substantię & eleuant ipsam hypostasim à loco, in quo residere debet, per naturam: atque hoc significat malitiam materiæ, quam natura perfecte vincere non potest; vnde longam denotat infirmitatem & male terminabilem.

De signif. vrin. cap. 5. Nota quod inæqualitas hypostasis distinguat cruditatem à vera concoctione.

Colligimus denique omnia indicia à colore hypostasis ex his paucis, si enim Hypostasis sit

- Rubea post albam est melior, significat enim dominium sanguinis & malam eius digestionem gratia Plethoræ, est tamen salubris sine alio signo : at si accidat in morbo significat longum morbum ex materia sanguinea cruda.
- Citrina est bona & mala, nam ostendit acutos, crudos & non coctos cholericos humores, arguitque calorem fortem, si in rubedinem & glaucedinem mutetur.
- Subrubea peior est, quam rubea, & fit de sanguine aquoso, vnde ex cruditate humorum morbus longus expectatur.
- Rufa & glauca sunt propinquiores concoctioni, quam rubra.
- Rubra si permanet talis cum febre longo tempore, significat apostema in hepate, si temperata & micta in principio morbi, dissoluetur morbus in die 7.
- Viridis arguit tumorem & incensionem humorum, & humiditatis sanguineæ consumptionem.
- Liuida & plumbea significat congelationem & mortificationem.
- Nigra est omnium pessima.

Quomodo Crisis ex istiusmodi vrinarum contentis cognosci soleat.

4. Aph. 71. ibid. Quibus vrinis in acutis Septima indicatur, hæ nubeculam habent rubram antea non visam, cum aliis signis, quæ vel attinent ad somnum, vigilias, respirationem, decubitum vel surrectionem.

4. Aph. 71. Quibus quarta die alba apparet nubecula, multo plus conducit ad indicium septimi: Et quo meliora adsunt signa, eo fortiora erunt iudicia.

ibid. Quibus apparet sedimen album, leue & æquale die quarto, plus quam alba nebecula conducit ad indicium.

ibid. Quibus rubra nubecula non antea visa in Septimo apparuerit die, hic in 14. indicabitur.

Quibus talis apparuerit in vndecimo die, hic in die 17. vel ad summum 20. iudicabitur.

Capvt IX.

Quomodo ex vrinæ inspectione, an mulier sit prægnans, nec ne intelligatur.

1. Vrina prægnantis primo & secundo mense spissa & turbida videtur, & in eius fundo & per corpus vrinæ sunt resolutiones in forma bombicis : at vero tertio, quarto & quinto mense fit vrina magis clara & serena, & cum minoribus contentis, & quantitate minori, quia frequentius mingit propter matricis super regionem vesicæ grauitatem, seu ponderositatem.

Vrina

Vrina mulieris cum radiis claris, cuius pars plurima sit perturbata & vergit ad rubedinem & colorem tanneum, est imprægnationis argumentum, quæ perturbatio si sursum ascendat, significat marem, si deorsum, fœminam: atque hoc intelligendum post vitam embryonis. 2.

Cum vrina est vt aurum optimum cum circulo aqueo, & spissa sine febre, adeo vt faciem in ea intueri possis, significat mulierem grauidam esse factam. 3.

Atomosæ resolutiones, vbi menstrua non adsunt, in fundo instar bombycis carminatæ residentes, est conceptionis signum. 4.

Vrinæ prægnantum si sint claræ & super earum superficie sit nebula, & quandoque trahunt ad colorem cicerum, aut aquæ, in qua concoquuntur pedes animalium, & in ipsa est color irinus, & supra summitatem ipsarum est nebula, & in medio videtur sicut sericum carminatum, in his etiam sunt quæ descendunt & ascendunt velut grana: Cumque irinus color aderit, manifestius arguetur imprægnationis initium: & cum loco illius fuerit rubedo, est finis imprægnationis: idque magis proprie si turbantur, cum mouentur: Verum enim vero hæc signa non sunt semper constantia, quoniam talia etiam apparere solent, aliquando in non grauidis: Hæc vltima est Auicennæ sententia. 5 *Auicenna.*

Atque ita habetis vulgarem iudicandi rationem, magis experientia quam radicali inquisitione fundatam: Quæ autem sit radicalis nostra per vrinas iudicandi methodus, hisce paucis *Membro subsequenti* expressis, colligatis & recte intelligatis velim.



LIBER



LIBER QVINTVS

MEMBRVM TERTIVM.

In quo Authoris in vrinarum iudicio methodus explicatur, per quam ipse non modo de morbis, verum etiam de eorum radicibus supercœlestibus, cœlestib. & elementaribus per vrinæ inspectionem, solet coniecturam suam facere.

Præludium istius membri contenta paucis comprehendens.



N historia nostra de Pulsu, assenerauimus, quod in Pulsuum directo iudicio necesse foret, hominis sani pulsus dispositionem tam in tempore motus atque quietis, quam in quantitate intelligere, vt perfectius tum postea de statu eius præternaturali acquiri queat indicium: nam perfecte considerato medio, facilius de gradibus extremorum iudicare possumus, quæ quidem extrema per relationem ad mediocrium graduum habitum, ad amussim per speculum nostrum demonstratum optime ibidem *expressimus.*

Haud aliter in nostra vrinaria praxi res sese habebit, nam, si modo sit possibile, vrinam imprimis hominis, siue sit viri, siue mulieris, sani nosse desideramus, vt ita complexione ipsius naturali bene perspecta & percepta, facilius de eius ad vnum vel aliud extremum inclinatione iudicare possimus, verbi gratia, si inuenero ex vrinæ sanæ contemplatione, vrinam esse magis tenuem quam spissam, & coloris citrinioris, tunc iudicio complexionem illam naturalem esse cholericam phlegmaticam, videlicet in qua cholera prædominatur, sed & abundat phlegma. Si igitur vir iste vel mulier illa, tum postea ægrotare incipiat, video ego, an vrina sit intensior longe, quam in dispositione naturali apparebat, videlicet aut fulua, aut crocea, &c. tunc enim dicam spiritum siue sanguinem illius nimium accendi, & ad æstiualem speculi nostri experimentalis polum inclinare: Verum si & regione in suo colore fuerit remissior, tunc, aio, ipsam à mediocri & æqualitatis statu polum instrumenti seu speculi borealem & frigidum appropinquare, & morbum fieri à causa frigida.

Porro etiam si vergat ad polum æstiualem, & crassior fiat naturali, tunc dico morbum fore à sanguine corrupto, seu plaga Meridionali; sed si sit tenuior naturali & intensior, tunc affirmo esse à choleræ accensione, & à citrina in flauam aut rubram conuersione, hoc est, à plaga seu vento Orientali. Ex altera parte si in hemisphærio frigido inueniatur in substantia tenuiori & subtiliori, & colore remissiori, quam erat in statu naturali, siue æqualitatis, dico tum quidem, morbum inclinari ad melancholiam per nimiam extinctionem aut suppressionem choleræ: verum si spissior & crassior inueniatur quã par est, aio phlegma dominium habere super choleram, & complexionem mutari a cholerica phlegmatica in phlegmaticam cholericam, in qua tamen choleræ virtus præternaturali phlegmatis insultu, mirum in modum obtunditur, atque opprimitur, vnde morbi contingunt patienti huic complexioni magis familiares. Atque hoc idem de omnibus cæteris complexionibus est iudicandum, vbi ante morbi accessum illa naturalis per vrinæ inspectionem apprehenditur.

Proce-

Procedimus ergo sic: siue vrina ante ægritudinem sit cognita, siue non, vt primum vrinam inspicimus, complexionem præternaturalem ex ea & per eam exposcamus; præternaturalem dico, quoniam præsupponendum est homines temperie naturali præditos, minime fore conquestos, aut pro salutis restitutione, nisi amitteretur, auxilium medici imploraturos: complexione igitur ægri, cum per substantiam vrinæ tum per colorem cognita, vt infra *declarabitur: tunc optime mecum perpendo, signa tali complexioni communiter accidentia, quæ etiam* in seqq. *exprimemus: deinde in contentorum, præcipue nubecularum inquisitione versabimur, & regionem vrinæ, in qua ipsa primum congregabitur, & immediate post ipsius apparitionem suspendetur: nam in illa corporis regione comprehendetur & regnabit præcipue fomentum seu causa mali: vt per regulam* 4.*capitis,* Membri præcedentis *apparet, quæ est talis.*

Regula.

Contenta plerunque denotant loca affecta, quare eorum situs & positio est inprimis obseruanda.

Tunc vrinæ allatori siue nuncio, siue ipsi ægroto recito audacter, si qua complexionis talis præternaturalis, & habito ad locum affectum respectu, colligo mecum serio, qui morbi sint complexionis taliter à naturali statu mutatæ comites, & præcipue ex eorum morborum quis magis familiariter, & à proprietate illam regionem maxime frequentare soleat, vt exempli gratia, Pleuritis, Tussis, Peripneumonia, Asthma, difficultas spirandi, Phthisis. Pulmones seu vitalem aut mediam hominis regionem; flatus Hypochondriacus, melancholia, tumor, durities, inflatio, &c. Splenem in summitate regionis infimæ: vlcus, calculus, arenulæ, inflammatio, flatulentia; Renes; inflammatio, debilitas, nimia refrigeratio, obstructio, &c. Iecur; fluxus omnium generum, colica, iliaca passio, apostemata, &c. Intestina; At si nubecula contigua sit circulo, tunc de gutturis, faucium, oris collive morbis suspicandum erit atque etiam capitis. Quartam vero, regionem istam sublimiorem euidentius ostendit corona, & grana ampullæ & spuma in ea apparentes: Nec quidem de morbis istis locis appropriatis, sine ratione & consideratione scientifica iudicare debemus, videlicet ita vt cum promittit vrinæ constitutio morbos frigidos, aut humores tales, de calidis præsagium nostrum faciamus: nam vrinarum dispositiones tales portendunt morbos, quales ipsi sunt.

Hæc est breuis methodi meæ in vrinarum iudiciis & praxi, recitatio; hic meus in Ouromantia mea sensus, quem in capitibus seqq. stylo (propitiante numine diuino) latiori explicare aggrediar.

CAPVT I.

Hic Author suum in vrinarum sanorum inspectione ordinem siue modum, & quomodo medicus naturalis sani complexionis statum per illum inueniat, tam more Astrologico, quam Physiologico, describit.

OPeræprecium est, vt priusquam in subiectum hoc nostrum me immergam, vos certiores faciam, quod plurimæ regulæ, admodum necessariæ sint ante omnia considerandæ, quas hic ordine expriman.

Regula 1.

Alia est causa substantiæ vrinæ, alia caloris, alia sediminis siue hypostasis generaliter sumptæ; nam ex quatuor qualitatibus corpori humano adhærentibus frigitidas & ca-

liditas recensentur pro caloris in vrinis causis, humiditas & siccitas pro substantiæ efficientibus: Hypostasim autem ex spirituum heterogeniorum in vrina conclusorum concursu dicimus, qui vrinæ spissitudine sanguinisque subtilem in vrina occulte delitescentem, mucorem, in nubis formam contrahunt.

Regula 2.

Vrina ergo si apparebit alba & tenuis, denotabit melancholiam seu dispositionem Saturninam, seu Mercurialem in signis terreis, & consequenter proprietatem Septentrionalem: Habebit enim suam tenuitatem à sicco saturnino, vel Boreali, & suam remissionem in tinctura à frigido, quod sulphur naturæ figit & deprimit, at si extingui videatur sulphur, aut nimium aduri, erit tinctura nigra.

Regula 3.

Verum vrina more non claro sed obscuriori, rubra & spissa, arguet sanguinis dominium seu dispositionem ♃ vel ♀ in signis cereis vel Meridionalibus: habebit enim suam spissitudinem ab humido; suam vero intensionem, à calido; quoniam calidum sua præsentia & dominio euocat sulphur in sale, frigore olim fixato & depresso, vnde radii radiis coniuncti tincturam in vrinis multiplicant; porro etiam siccum resolutione à calore facta, conuertetur in humidum, vt in niuis vel glaciei, vel pruinæ liquefactione demonstratur.

Regula 4.

Si autem vrina fuerit more claro & lucido, rubea & tenuis, designabit choleræ dominium in sanguine, & consequenter vel Martis vel Solis pro maiori vel minori intensione vrinæ in signis ignis; & consequenter fortitudinis proprietatis Orientalis: Nam siccum attenuat vrinam, absorbendo humiditatis effectus, atque etiam calidum subtiliando, quod erat coagulatum, & calidum etiam tincturam reddit ditiorem atque intensiorem.

Regula 5.

Denique cum vrina fuerit alba, lactea & spissa, ostendet phlegmatis in corpore dominium, & per consequens vel ☾ vel ♀ in signis aqueis dominium, vnde & ventorum Occidentalium proprietatis insultus: nam humiditas aquea inspissat substantiam, frigiditas vero impedit sulphur illudque in salis centro retinet, adeo vt radios suos plene & visibiliter adhuc emittere nequeat.

His igitur in prima serie loco fundamentorum positis: ad naturalium complexionum tincturas, tam parciores quam vberiores, & ditiores describendas accedamus.

Visa alicuius sani vrina, idque sæpius, si ipsam inuenero remissam, albam atque tenuem, sine vllo de morbo infestante conquestu, & quod sit ipsi talis vrina constans, tunc colligo ipsum esse natum sub signo terreo; hoc est, signum terreum aut horoscopum eius integrum, aut fere totum occupauit: concludoque, quod si sit eius vrina valde tenuis, & instar aquæ rupis, tunc aut ♄ aut ☿ maximam habuisse in hora natiuitatis, in dicto signo terreo proprietatem, & per consequens, quoniam signum illud in Ascendente prædominans sit Triplicitatis Septentrionalis & ♄ per se; atque ☿ ratione illius signi & propria sua inclinatione sint domini plagæ Septentrionalis, ideo concludo complexionem istam esse proprietatis mere Septentrionalis, videlicet terreæ frigidæ & siccæ, & consequenter dicimus, ipsam esse absolute melancholicam, quare agnoscimus eam ventorum Septentrionalium flatibus fore maxime obnoxiam, & quod talibus tempestatibus validius in eum præualebit humor melancholicus.

At si vrinam sani percepero esse constanter albam, & serosam seu lacteam cum spissitudine, nullo morbo manifeste affligenre, tunc colligo ipsum esse natum signo aliquo Triplicitatis Aqueæ Angulum orientis siue horoscopum occupante, atque possidente, aut taliter, aut quasi totum, & si fuerit valde remissa instar aquæ cum manifesta

spissitu-

ſpiſſitudine aut craſſitie, tunc credendum & cogitandum erit, quod ☾ aut ♀ habuerint in eodem inſtanti magnum in dicto ſigno dominium.

At quoniam Triplicitas aquea eſt Occidentalis, & tam ☾ quam Venus ratione ſuæ frigiditatis & humiditatis ſunt in iſta mundi quarta potentiores, ideo coniecturam ex vrina facio complexionem iſtam eſſe de natura Occidentis, hoc eſt, aquea, ſeu phlegmatica, videlicet frigida & humida: vnde ſequitur, quod afflatibus occidentalibus & morbis atque intemperiei in illa quarta regnantibus ſit maxime ſubiecta, quoniam ſimile impreſſionem facillimam facit in ſuum ſimile: quare flantibus illis ventis maxime in tali complexione exultabit phlegma.

Verum ſi vrinam ſani videro eſſe intenſam, vt puta fuluam aut ſubfuluam, vel ruffam & ſpiſſam, ſine alicuius morbi manifeſti apparitione, tunc coniecturam faciam, natiuitatem ipſius fuiſſe in illa hora, qua aliquod aereæ Triplicitatis ſignum occupauerit aut totaliter, aut fere integrum angulum Orientis, ſiue horoſcopum; at ſi valde ſit ſpiſſa & intenſa, vtpote vt aurum purum, tunc credendum, quod ♃ ſit loci illius vitæ ſignificator, ſi non ita intenſa ſed ſubruſa, idem de Venere poſſumus iudicare.

At quoniam Triplicitas aerea eſt meridionalis, atque etiam ♃ principale ſuum in meridie dominium tenet, ideo concludimus complexionem fore de natura & proprietate Meridionalium ventorum, videlicet calidam atque humidam, nimirum ſanguineam. Quare talis complexio diu flantibus eiuſmodi ventis, facilius infirmitatibus illi plagæ correſpondentibus obnoxia redditur, quoniam ſimile in ſuum ſimile facilime & naturali quaſi inclinatione dominium habebit.

Denique ſi vrinam ſani obſeruo eſſe conſtanter fuluam atque intenſe auream, cum tenuitate & claritate, ſine aliqua manifeſta indiſpoſitione præternaturali, tunc, dicam ipſum ſanum natum fuiſſe, dum aliquod Triplicitatis ſignum in horoſcopo dominium habuit, illumque aut totaliter aut ſecundum maximam partem occupauit; Verum ſi vrina ſit ſubaurea atque aurea tantummodo, cum limpida tenuitate, tunc dicemus, quod Sol poteſtatem in horoſcopo inſignem poſſideat: at ſi ſit intenſe aurea fulua, aut rubra ac crocea: tunc Martem ibidem maximam habere poteſtatem, pronunciabo. At quoniam Triplicitas ignea eſt orientalis, & in illa plaga mundi mediantibus ventis, ſuam exerceat proprietatem igneam, atque etiam quoniam tam Sol quam ipſe Mars potenter in illa quarta regnant, ideo concludam, illam complexionem fore igneam, calidam & ſiccam, & conſequenter cholericam diuerſorum graduum: atque ob iſtam cauſam complexio talis erit ob ipſius in proprietate cum ipſis conuenientiam, vnde ſequetur, quod complexiones tales à ventis talibus facilime excitabuntur & inflammabuntur, cum ſimile in ſuum ſimile naturali inclinatione impreſſiones ſuas faciat, non aliter quam terrebintina flammam citius concipere videmus ratione propinquitatis ſuæ naturæ ad ignem, quam aliqua alia res igni magis in natura aliena & remota.

Hic ergo videtis complexiones naturales cum ſuis radicibus cœleſtibus exacte ſatis deſcriptas, per demonſtrationem à poſteriori, ſed quoniam viſum eſt mihi, myſterium huius rei multo profundius ſpeculandum atque perquirendum eſſe, ideo à fonte totius ſapientiæ, quaſi principio à priori complexionis tam ſanæ & ſalubris quam inſalubris incipiam, atque ad vltimos eius effectus, videlicet humores morbidos, & vrinas, quaſi ad terminum demonſtrationis à poſteriori deſcendam, quo intueri, idque oculis apertis, queatis, quomodo Deus per organa diuerſa, tam ſanitatem mortalib. tribuat, quam illam aut morbis perturbet, aut morte penitus priuet, & aboleat, vt tandem cum Apoſtolo, *Deum* tam in cœlis, quam in terra *operari omnia in omnibus*, confiteri ſitis coacti.

Caput II.

In quo Author per vrinam, quasi effectum vlteriorem, seu initium demonstrationis à posteriori, non modo effectus morbosos, sed etiam mediantibus quibusdam causarum organicarum nexibus, quasi proportionatis scalæ Iacobeæ gradibus, radicale & primarium principium eorum agens sedulo perquirit: Hic vero à priori demonstrare incipit in prima serie descendendo ad posteriorem, vt tum postea à posteriori quis ad prius maiori cum confidentia ascendere queat.

1.Cor.12. Dan. 4. CVm (iuxta sæpius & nunquam satis illud Apostoli axioma) *Deus sit solus, qui operatur omnia in omnibus*, mediantibus suis organis, minime est quidem dubitandum, quin Deus operetur & faciat in mundo, tam in cœli virtutibus, quam in habitatoribus terræ, hoc est, tam in spiritibus seu partibus dignioribus & sublimioribus, quam indignioribus & magis fœculentis: non est igitur mirum si dicamus ipsum tam in principio & à priori, egisse in spiritibus angelicis, quam in fine & termino demonstrationis à posterioti, etiam
Psal.135.6. in terra & fœcibus aqueis cuiuscunque generis. Nonne scriptum est alibi: *Deus quicquid vult*, facit in cœlis, in terra, per maria & omnes abyssos: & aliter, quod sit in cœlo in inferno, & extremis maris, & in tenebris; quare præsentialiter operetur tam ad bonum quam ad malum, mediantibus suis organis.

Atque organon primi ordinis est illud angelicum, nam per emissionem Angeli sui ter maximi Sapientiæ, post verbi prolationem omnia sunt, erant & erunt facta, nam teste Dauide: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*, & consequenter Angelorum, stellarum, ventorum, meteororum, humorum sanguinis, ac denique vrinæ. Nam omnes virtutes angelicæ sint emanationes ab ista catholica emanatione, quæ iuxta varietatem voluntatis sui fontis varieformiter operatur, & ob istam causam organa ista primæ seriei proptieratis diuersæ effecit, vt quodlibet in officio diuinitatis mandata præstaret, perficeretque: si Angeli in proprietate sua frigida & sicca atque terrea, aliter à septentrione afflatus suos specificos emittunt, quam illi in proprietate calida & humida, qui more omnino opposito agunt, & spirant à quarta meridionali: Atque etiam Angeli calidi & sicci Orientales, quam frigidi & humidi Occidentales. Hinc ergo videmus, quod pro ventorum dominantium spiratione, elementum catholicum quotidie de forma in formam & de proprietate in proprietatem mutetur, videlicet afflatu Septentrionis in dispositionem terream, Occidentis aqueam, Meridiei aereã, & Orientis igneã; vnde quatuor falso ab Ethnicis Philosophis finguntur fuisse ab origine elementa, cum reuera non sit nisi vnicum multipliciter ab Angelis Dei informatum, quo varietas foret & existeret in hoc mundo, & tamen non est spiritus iste, qui est omnium illarum proprietatum contrariarum radix, non nisi vnicus & simplex in se, tametsi propter effectus varios, qui ab eo procedunt, dicatur aliquando multiplex, videlicet quatenus ipse non nisi fons vnicus existens, transfundit multiplicem & diuersam naturam in potestatibus siue
Psal.104.4. ministris angelicis, *Quos Deus* (teste Psalmista) *fecit ventos & ignes vrentes*; hinc Salomon: *Sapientia est spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus seu simplex, &c.* & Propheta. *veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos, vt reuiuiscant*: non dixit, venite spiritus, sed in singulari numero, veni, & tamen quatenus est Angelorum princeps, & imago maiestatis Dei, omnium ventorum naturas habebat in se, & per consequens, dicti angeli ab eo & in eo sunt & existunt, vt omnis numerus in vnitate.

Quibus euidens est, quod omnes Angeli specifici, sint quasi istius magni angeli digiti, aut vt digiti moueri nequeunt, nisi ad nutum & velle internum motoris siue animæ, ita nec angeli quicquã possunt, nisi quod imperat diuinitas in ipsis & mouens, consequẽter ipsi sunt organa ordinata ad placiti diuini exequutionem in forma ventorum: Quod
Psal.103.20 etiam expressis his verbis asseuerare videtur Psaltes: *Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, exercitus siue ministri eius facientes placitum*: Hinc ipse alibi:
Psal.6.8 18. *Dei currũ duæ sunt myriades, multa millia angelorum, Dominus cum illis est, Dominus Synai, in San-*
2.Reg 22 S. *ctuario habitans*: Ob istam causam, cum de cœlo tonare voluit, descendebat Iehoua, & *ascendit super Cherubin, & volauit super alas venti, & posuit tenebras in circuitu suo latibulum, &c.*

Quod

Quod autem elementum catholicum, quod est commune agens, non sit nisi vnum, nobis declarauit sermo D. Petri: *cæli erant prius, & terra de aqua & per aquam consistens in verbo Dei.* 2. Pet. 3. 5.

His igitur bene perceptis, sic pergemus ad propositum, & à fonte diuino vrinarum proprietatum ortum quasi à priori ad posterius procedendo, deducemus, atque in loco priori ab vrinarum Septentrionalium siue melancholicarum radice & origine incipiemus.

Iuxta Cabalistarum doctrinam, à fonte diuinitatis Ensoph, siue infinitudinis fiunt omnium proprietatum diuinarum per tubas seu canales sephiroticos, quos numerationes appellant diuinos influxus, siue sint in dispositione Saturnina, Iouiali, Martiali, Solari, Venerea, Mercuriali vel Lunari; qui omnes influxus iterum in ista inferiora, à stellaribus orbibus impluuntur, & in formam quadratam rediguntur, & à quatuor ventis in Elementum catholicum varieformiter disponuntur. Sed quoniam influxus diuini requirunt organa ipsis propria, in quibus, quasi curriculis vehantur, ideo iuxta sacri textus sensum, septem sunt Archangeli magni, qui semper astant coram facie Dei, quorum est influxus ab æterna sapientia in quacunq; proprietate emissos, iuxta suum locum & officium recipere, vt eos tum postea angelis inferioris ordinis sibi subditis, secundum influentiæ & angeli infundentis naturam communicent & transfundant, vt mandata diuina tam in inferioribus more ventoso non aliter exequantur, quam à diuina maiestate in superioribus essent ordinata: Hinc Raphael: *Ego sum angelus vnus ex septem, qui astamus ante Iehouam.* Et Gabriel: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum.* Et Michael: *Ecce Michael vnus de principibus, &c.* De istis septem Angelis Apocalypsis plura pluribus in locis. Hos autem Angelos in Magia naturali & Cabala peritiores planetarum fecerunt præsides, & talibus insigniuerunt nominibus: Zaphkiel, Zadkiel, Chamiel seu Samael, Michael, Anael, Raphael & Gabriel. *Tob. 12. Luc 1. 19. Dan. 10.*

Deus influxus suos mittens per portam Binah, siue Prudentiam in ordinem Thronorum ab Angelo Zaphkiele recipiuntur, & ab ipso per Capricornum in orbem Saturni conducuntur, quibus Angeli Satutnini reficiuntur, & durante tempore istiusmodi influxus dominatur Saturnus, seu potius spiritus Saturnini in regno æthereo, idque præcipue existente ipso in domo sua propria Capricorni, quippe per quod signum, quasi per foramen descendunt potenter istiusmodi influxus, atque ita animatur Saturnus, atque spiritus illius regni, tempore receptionis influxuum talium: Hinc ergo est, quod Capricornum, cum sit præcipuum signum in Triplicitate terrea, sibi circa polum seu locum Boreæ sedem vendicare videtur.

Similiter vt ♀ versatur circa occidentem gratia suæ frigiditatis & humiditatis, si in terrea sua domo existat, videlicet Tauro, siccum & spissum phlegma procreabit, quoniam per illud signum transeunt influxus illi, quod Anael ducit à Iehoua Zabaoth: mediante porta Sephirotica Netzreth, nam à tali influxu congelantur & fixantur aquæ, si per Taurum infunduntur; ob istam rationem Taurus partem siue alam Septentrionis occidentalem, à qua spirat Circius, occupare videtur: arguens siccam aquæ fixationem, & quasi dies Sabbathi aut requietis: hac ideo de causa, si ♄ inueniatur in ♉ influxus etiam tales congelantes recipit, & animatur ab iis, efficitque influxuum illorum effectus magis rebelles, quoniam vis viribus vnita reddetur fortior: Ex altera parte, si influxus descendant per ♏ in orbem ☿ ducente Raphaele, erunt gelidi & contractiui, sed non erit illa contractio atque frigiditas & siccitas à natura humida Occidentali, vt in ♉ sed à sicca Orientali; vti in carbone, extincto igne, apparet: Hinc ergo ex signis Triplicitatis terreæ ♍ videtur Aquilonis sedem occupare; vnde fit, quod si ♄ in eo fuerit, influxus à Sadai immissos, in rigore & siccitate suæ naturæ augebit.

Denique vt influxus Binah præses sit magnum Iehouæ nomen à proprietate Elohim: nam quatenus æternus spiritus impluit talis proprietatis influxus, à porta Binah, dicitur Elohim: de quo nomine hæc Cabalistæ: Dicitur Deus in hac proprietate Elohim, quia per ipsum veniunt seueræ punitiones: & angeli ei inseruientes dicuntur, *Bene Elohim*: id est, *filii Elohim*, quasi influentiæ & spermata proprietatis Elohim. Elohim autem terrorem significat & pauorem, hinc locus Aquilonaris ei assignatur. Hæc illi. Vnde liquet, quod Angeli Septentrionales sint seueritatis nuncii: quatenus omnimodo sunt in proprietate oppositi, vt pote frigidi & sicci, conditioni vitæ humanæ, quæ in calido & humido consistit. *Archang. com. in Cabal.*

Quibus bene consideratis videmus, Elohim emittere seueros voluntatis suæ effectus in organon Angelicum, & Angelicus in organon stellare, fixum Capricorni & erraticum Saturni, & organon stellare in ventum Septentrionalem, hoc est, spiritus illius fortitudinis excitando, & in medio rotarum solus actor est, virtus Elohim, seu Iehoua in proprietate sua Septentrionali contractiua & stiptica: cui per consequens attribuitur ventorum flatus,

elementi mutatio, & meteororum mutatio, eorum in vtroque mundo effectus: nam ait

Psal. 147. Textus: *Flante Deo concrescit gelu,& coarctantur aquæ: coram frigore eius quis consistat?* non dicit, coram frigore aut angeli, aut venti, aut elementi, sed coram frigore eius. Et pro meteoris *Deus emittit niues sicut lanam, & pruinas quasi cineres dispergit, &c.* non dicit, aut Angelos, aut

Iosua. 10. 11. ventos, aut nubes hoc fecisse, sed solum Deum. Sic alibi: *Grandinis lapides magnos emittit Iehoua è cælis, quibus interfecit eos*: & alibi: *Glacies edit Deus flatu suo.* Porro in meteoris Septentrionalibus Microcosmi hæc: *Percussit Iehoua Mariam lepra, & facit est eius caro, vt nix*: & alibi. *Percutiam te frigore, & persequetur te donec pereas: Et percutiet te amentia & cæcitate, id est, Scotomia & stupore cordis: Et dabit tibi Iehoua cor trepidum, & hebetationem oculorum, & mærorem animi, pauebisq; noctu & interdiu, & præ pauore cordis tui, quo pauebis, & præ visu oculorum tuorum, &c.* Et Propheta fassus est non se percussisse Assyrios, sed Deum per ipsum: *Percute* (inquit) *quæso, gentem istam Scotomate, qui percussit eos Scotomate*, h.e. Iehoua percussit eos.

Iob. 27. 9. Num. 13. Deut. 28. 2. Reg. 6.

Quibus liquet, quod inprimis Elohim voluntatis suæ contractiuæ radios per portam Binah emittat, quos quasi vehiculum interim recipit Archangelus ille ex septem illis, qui astant coram facie Iehouæ, qui est de proprietate Elohim, qui est organum siue rota maxime interna, in cuius centro est verbum seu nomen Iehouæ, hæc rotam induit rotam æthercam, estque stella Capricorni, cuius tota vis in stellam Saturni infunditur: Deinde spiritus Saturnini, ab interno sui præsidis actu induunt naturam ventosam proprietatis borealis, quasi rotam tertiam, venti induunt substantiam elementi catholici, elementum in niuosas, seu grandinosas, vel nebulas grandinosas contrahitur. Atque ista meteora, siue ventosa, siue corporalia, talia in Microcosmo producere solent; quod etiam & Ethnici medici, sola experientia docti, confiteri sunt coacti.

In Aph. 1. lib. 3. In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis aut siccitatis ventorum, aut horum defectus.

3. Aph. 6. Si tempestas Aquilonia fuerit, tusses, alui duritiem, difficultatem vrinæ, horrores, costarum dolores & pectoris, quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

Si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos expectate.

3. Aph. 17. Ergo annus magna ex parte Aquilonaris, morbos Aquilonares efficiet; at ventus Aquilo frigidus & siccus, teste eo. Ergo tales erunt morbi, videlicet omnes illi, qui procedunt à melancholia.

Sic iuxta Galeni & Hippocratis canones:

- Apoplexia quandoque fit ab atra bile.
- Apoplexia, Cæcitas oculorum fiunt tum propter melancholicum humorem, tum propter pituitosum.
- Linguæ stupor, & stupor elanguens aliam corporis partem, quæ resoluta est: tale vocat Hippocrates melancholicum.
- (In 6. Aph. 56.) Cancer, Elephas, Lepra à melancholia: quartana tam ab humore melancholico, quam pituita lenta.
- (In 7. Aphor. 40) Atræ bilis succus, qui in Autumno abundare solet, & consequenter in multo ventorum Septentrionalium dominio, est frigidus & siccus, ac tales procreat morbos.
- (Ibid.) Gangrena, quæ est solidorum mortificatio, à Septentrionali frigore post calorem contingit.
- (Ibid.) Melancholia ex atra bile, humore frigido & turbido; vnde melancholici tenebriones ac lucifugæ; & sic in multis aliis.

Introd. cap. 17.


At quales sunt morbi, seu morbosa meteora à ventis prolata, tales etiam cum in colore tum in substantia apparebunt vrinę, nam quod facit tale, est magis tale, vnde vel nigræ vel liuidæ, vel albæ, crystallinæ, aut instar aquæ rupis erunt; videlicet nigræ, quando sulphur naturæ in sale est penitus ad instar carbonis, extinctum, & ipsius salis substantia in nigredinem alterata, cum vrina limpida, permixta illam reddit pro gradu mortificiatonis sulphuris vel

vel nigram, vel liuidam, vel plus magisve ad liuedinem tendentem reddet: at si sulphur adhuc à frigore minime violatum existat, in centro salis contractum, vrinam relinquet crystallinam, tenuem, limpidam, & claram vt aqua rupis, quoniam siccitas contrahit & ligat humiditatem sanguinis, ita vt cum vrinis egredi nequeat, & frigiditas tollat omnem tincturā. Hinc ergo vrinæ in morbis Septentrionalibus apparent tales, quales ab authoribus recensentur apparere. Quorum omnium solus actor atque operator est Deus mediantibus organis diuersis, quorum vnum alterum in dignitate non aliter excellere dignoscitur, quam anima corpus, vel potius quam anima siue lux spiritui siue cælum, & spiritus siue cælum corpus siue terram: Sic cæli intellectualis siue Empyrei vehiculum est illud vitale seu æthereum, & illius vitalis siue ætherei, cælum naturale siue elementare, alterum centrum siue principium internum agens est spiritus incorruptibilis omnia permeans entia.

Sed vt ista omnia quasi in speculo ornatiori, siue in catena aurea annulis proportionatis optime compacta, cuius extremitas vnica Iouis cathedræ est annexa, altera vero in vrinarum videtur desinere speciebus, magis succincte & tamen perspicue depingamus, Scalam istam subsequentem cum diligentia composuimus, in qua (vt videtis) complexio borealis à priori siue per proprietatem vnius naturæ diuinæ triplicem, siue per Triplicitatem proprietatis contractiuæ seu Septentrionalis vnius spiritus æterni, demonstratur descendendo vsque ad vrinas, siue à posteriori per vrinæ conditionem tam in colore quam substantia, sursum vsque ad primi agentis, siue speciem istius complexionis influentis actum, directe indicatur.

Sequitur Tabula, siue Scala complexionem Septentrionalem in Demonstratione à priori, hoc est, per manifestos illos gradus, qui inter diuinum actum & ipsarum Vrinarum apparitionem existunt, ostendens.

Proprie-


Proprietatis Borealis, siue Terreæ vnius essentiæ diuinæ Triplicitas sub nomine
Iehoua Sabaoth.
Elohim.
Elohim. Sabaoth.
Effundit ex porta Sephirotica
Netz-reth.
Binah.
Hod.
Influxus ad Archangelos
Anaelē
Zadkie lem.
Raphae lem.
Qui cum iis affluenter inebriare videntur spiritus in Zodiaco
Tauri-nos ♉.
♑. Capri-corni-cos.
♍. Virgi-neos.
Atque hi suis affluentiis animant & viuificant spiritus Ætheris
Vene-reos ♀
♄. Satur-ninos.
☿. Mercu-riales.
Qui suis seminariis mouent & exagitant in regione Elementari, ventos Septentrionis, videl.
Circiū.
Boreā.
Aquilo-nem.
Quorum actu primum in elemento Macrocosmi sublunari, & tum in illo Microcosmi sanguineo creati sunt humores & meteora cū naturalia tū præternaturalia & morbosa, cuiusmodi sunt, ex
Vento-sis
Vento-sis
Humo-ralibus
Corpo-ralibus.
Corpo-ralibus.
Flatus Hypo-chondriaci. Tympanites. Tristitia.
Mentis aliena-tio. Melancholicus spiritus.
Melancholia. Apoplexia. Conuulsio. Quartana.
Obstructio
Hepatis. Lienis.
Icteritia nigra. Morphea. Menstruorū re-tentio.
Cancer. Lepra. Calculus griseus Hæmorrhoides. Podagra nodosa.
Atq; horum (cum ex mera proprietate Septentrionali sunt orta) testes & nuncii existunt vrinæ:
Colore
Albæ. Niueæ. Crystal-linæ. Liuidæ. Nigræ.
Secundum ma-iorem intensio-nē, vel remissio-nem frigoris.
Substantia
Tenuis vel magis vel minus iuxta siccita-tis dominium.
Spissa per accidens, vi-delicet melancholici in sanguine, succi cū substantia vrinæ per-mistione.

Hic

Hic ergo habetis demonstrationem à priori complexionis Septentrionalis cum naturaliter tum præternaturaliter se habentis, & consequenter morborum humorum, ac deniq; vrinarum, quæ sunt eorum omnium testes, & quasi indices.

Possumus è regione conuertere propositionem, atque à ramis extremis prædictæ arboris vsq; ad radices more retrogrado ascendere, atq; illud idem demonstrare à posteriori, quod demonstrauimus in prædicta scala à priori: dicendo quod vrinæ albæ & tenues arguant complexionem melancholicam siue septentrionalem; tam naturalem quam præternaturalem, & per consequentiam est morborum melancholicorum siue meteororum morbosorum Septentrionalium nuncius & indicator: Morbi autem tales actum dominii ventorum Septentrionalium exprimunt, ventorũ Borealium actus, spirituum vel Saturninorum vel Venereorum vel Mercurialium contractiua ♉ ♑ vel ♏ quæ sunt Triplicitatis terreæ siue Septentrionalis signa: proprietate, animatorum, in cœlo dominium arguunt: & Mercurius sic affectus est præcipuus in ventis siccis atq; frigidis in vtroq; mundo actor & author: ♉ ♑ & ♍ ab Archangelis illam vim contractiuam recipiunt. Deniq; Archangeli illi tres, à tribus portis seu proprietatibus virtutis istius Triplicitatis Septentrionalis accipiunt: Influentiæ radix est æternus Sapientiæ spiritus vnicus atq; simplex, qui varieformiter operatur iuxta voluntatem suam, & pro actus sui & proprietatis varietate, vario insignitur nomine; nam qui essentia est vnicus in omnibus & per omnia Iehoua, ita quidem in proprietate Binah appellatur Elohim, quasi terror & pauor, vt Cabalistæ volunt, in illa Netzzeth seu triumphus Iehoua Sabbaoth; ac deniq; in Hod, seu redemptione Elohim Sabaoth. In omnibus tribus arguunt nomina ista fixitatem, & portendunt fixam Septenrtionis dispositionem, vnde Elohim à Cabalistis Septentrioni asscribitur, (vt dictum est.) Verum Elohim Sabaoth arguit fixitatem & quasi quietem, quare & dies Sabbathi est dies quietis, vt dies septimus est dies perfectionis & complementi totius, & per consequens quietis, vti in fixatione veri lapidis constat, & mundi fabricæ complemento, haud aliter proprietas Septentrionis fixat volatilem aërem in pruinas, mobilem nubem in niues & grandines, currentem aquam in glaciem: haud etiam aliter in corpore humano morbi melancholici sunt omnium fixissimi, & difficilioris extirpationis, mens & oculus in melancholicis est magis fixus: deniq; sulphur in sale sanguineo fixari videtur in centro, vnde vrinæ claræ & aqueæ, aut mortificatur & plane exanimatur frigore, vnde vrinæ liuidæ & nigræ.

In loco autem vltimo testimonia adducemus, quibus morbis prædictis melancholicis tales excerni vrinas comprobabo.

Pro vrina aquea, clara & tenui, hæc Hippocrates & Galenus.

Vrina exquisite aquosa neque iam coqui incipiens, velut turbulenta, neq; in futurum parans. *De Crisib. lib.* 1. *cap.* 12.

Vrina alba & tenuis, sicut aqua, est vltimæ imbecillitatis indicium. *ibid.*

Vrina alba & tenuis, & quæ turbulenta cruditatem arguit. *ibid.*

Vrina aquosa in pueris deterrima. *in prognost. com.* 233.

Alba tenuis & sine subsidentia, significat stomachi indigestionem, & tunc circa stomachum tensionem & dolorem sentiet: *Forestus.*

Crystallina importat duarum actionum læsionem, videlicet alteratricis & expultricis. *Gal.* 1. *de Cris. cap.* 12.

Niuea seu aquosa non ita praua, ac Crystallina, quia importat læsionem solummodo vnius functionis, nimirum alteratricis. *ibid.*

Vrina perspicua, alba, mala, cruditatẽ significat & longum morbũ. *Porrhet.* 1. *c.* 1. *text.* 4.

Vrina tenuis Crystallina multa significat, aut virium debilitatem, vt cum in senibus appareat sanis: vel in ægris, qui premuntur diuturnis morbis, & tunc importat debilitatem naturæ; vel arguit obturationem seu oppilationem, velut in phreneticis apparet, & in quartanæ principio, nam atra bilis crassitie sua vias obstruens, vrinam veluti percolatam reddit tenuem & albam, vel si in ardente febre talis appareat, phrenitidem denotat, vel præsentem vel mox futuram: ratio est, quia cum febris sit præcipua eiusdem febris causa, per quam tamen non tingitur vrina, cum sit serum sanguinis, manifestum est huiusmodi humorem reliquisse locum, atque iam gratia leuitatis materiæ sursum ad cerebrum vsque tendere. *In lib.* 3. *Epid.* 5. *& Libello spur. de vrinis.*

Vrina tenuis & alba cum interclusa febre Causo, mortem proximam fore prædicit. *Ascript. quæst.*

Sed ne cuiquam mirum videatur, me testimonia ista pro vrina tali in morbis æstuosis produxisse, quando hoc in loco agitur de morbis Septentrionalibus, sciat velim (vt supra) quod putredo & confluxus in tali meteoro, & consequenter eius existentia sit de mixtione

nubis Meridionalis igneæ, cum illa Septentrionali glaciali vel frigida, quarum luctatione generatur putredo, internum compositionis sulphur ita euocans, vt in fulgura vrentia erumpat, quemadmodum in nubis tonitrualis compositione videre licet, quæ à meridie sibi æstum sulphureum haurit, à Septentrione frigus & algorem, atq; nubis spissæ existentiam, nam horum ventorum concursu, vel Orientalis materiam igneam præbentis, & Occidentalis materiam humidam nubi tribuentis, nubes contrariæ fortitudinis gignitur, nam opposito ventorum flatu congregantur nubes, per aëris inuisibilis in nebulam vaporosam visibilem appositionem, at vento prædominanti datur, non spirationi: Hinc ergo tonitrua à Meridie quandoq; & nonnunquã à Septentrione: atq; etiam aliquando ab Occidentali, vel Orientali, iuxta venti flantis dominiũ. Haud aliter res se habet in meteoris eiusdem naturæ in microcosmo, qui seminaria sua talia ab illis macrocosmi acceperunt; nã si borealis natura luctans diu cũ ignea Austri superauerit, tunc ignis seu sulphur furiens in sanguine repellitur in suum angulum, idq; subito, at quoniam materia, in qua frigus boreale delitescit, est grauis, ignea vero austri natura leuis, ideo sulphurea flamma volans in altum cerebri meninges inuadit & delirium facit, seu phrenitidem, & frigus boreale occupat totum sanguinis residuum, non aliter quam in munimenti alicuius insigni ab inimico inuasione cernimus, quod factio fortior pugnans cum minori turba, cogat eam in angulum ad seipsam pro vita sua defendendam; vel quemadmodum felem, siue auem à cane lurdo seu grauiori animali, & magis terreo & aqueo coactum & persequutum, saltare vel volare in altum, siue arborem, vbi intelligit suum lurdum inimicum, siue aduersarium sequi non posse, haud aliter se res habet in febribus ardentibus ex fortitudine contraria conflatis. Sed ipse Galenus videtur, hoc idem expressis verbis agnoscere: *Vrina*, inquit, *alba & aquosa, in argumento & statu Causi, vel Synochi veniens, laborem corporis cum frigore & macie indicat futuram. De Dinam.* 308.

Quibus frigoris dominium post pugnam factam, per vrinæ talis apparitionem indicat; atq; hoc certum est, quod si sit vrina in hoc casu alba, & admodum tenuis, tunc Septentrionalis siue terreæ naturæ exsuperantiam arguit, quo frigoris insultu non minus periclitatur natura humana, iam per conflictum antecedentem debilis facta, quam si adesset in suo dominio sulphur fulgureum: nam vt adurendo hoc consumit & destruit humidum radicale, ita quidem illud mortificando extinguit sulphur naturæ; Hinc Galen. *Tenuis alba, cum intercluſa febre Causo, mortem proximam fore prædicit. Ascrip. quæst.*

Aph. 11. Denique quod seminaria meteororum & ventorum macrocosmi oppositorum tales febres putridas, nonne videntur Hippocrates & Galenus pluribus in locis asseuerare? Hyems sicca & aquilonea, ver pluuiosum & Australe, æstate facient febres acutas, lippitudines, dyssenterias, &c.

Ac si dixisset seminaria Septentrionalia in aere delitescentia post diuturnum talis venti in Hyeme flatum, & occurrentia in verno tempore, flatus diuturnos ventorum australium eorum mixtione fiunt seminaria secundæ compositionis, quæ ideo sunt putredinis occasio, quia contraria cum contrariis nunquam quiescunt, sed perpetuo more hostili & destructiuo agunt inter se, vt eorum aliquod super aliud habens dominium, illud superaret & destrueret; at si ignea Austri natura, à suo opposito superetur, (vt in causo, vbi albæ apparent vrinæ & limpidæ.) & quasi à munimenti corpore in ipsius turrem, aut salutis diuturnioris possessionis causa volare, atque se includere cogatur, tunc omnẽ munimenti residuum præter illã turris frigore Septentrionali & sicco erit transfusum: Exempli gratia; Memini ego me quondam, in Balsami cuiusdam ex oleo Terebintino, quamuis & vino albo confectione, vbi gratia nimii ignis flamma suscepisset liquorem, illam extinguendi gratia, aquæ superfudi frigidæ pauxillum, quo immediate facta, ignis flamma relinquens liquorem pro extincto, sursum in angiporti summitatem volabat, & quasi in tetra nube, per ipsius longitudinem ambulans è fenestra forte aperta exibat. Quo exemplo optime (vt mihi videtur,) indicatur, quomodo vincente in febre æstuosa frigiditate, & in liquore sanguineo, extincta seu potius expulsa flamma, in turris totius machinæ microcosmicæ summitatem tendit, illam suis flammis ferociter sæuientibus perturbat & accendit, quemadmodum in delirio seu phrenesi apparet.

3. *Aphor.* 12. *Si hyems Australis & pluuiosa, ver autem siccum & Aquilonium, facient lippitudines, dyssenterias & distillationes.*

3. *Aph.* 13. *Si æstas sicca fuerit & Aquilonea, Autumnus vero Australis, pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fient, tusses, raucedines, & quibusdam tabes.*


His euidens est, quod ex horum ventorum oppositorum seminariis, illa quæ sunt potentiora soleant aut suum in corpore humano aduersarium vincere, aut necesse est, vt in talis contentionis tempore extinguatur vita.

Tem-

Tempus æstiuum Aquilonium & siccum, qui naturam non habent humidam, iis lippitudines siccas, febres acutas & grauedines, ac nonnullis atras biles affert. 3. Aph. 13.

In quo sermone arguit, naturæ orientalis, cum septentrionali conflictum, ex quo sequitur, quod propter duplicis siccitatis testimonia, velocem inflammationē, ac tandem adustionem, non aliter quam tempore glaciei ignis fomentum citius deuorari, cernimus.

Denique Placentinus, Gordonius, Ægidius, Actuarius & alii confirmant:



Iam vero restat, vt de illis vrinis septentrionalibus verba faciam, quæ sunt liuidæ & nigræ. Ait Galenus, *Vrinæ nigræ ob serum bilis atræ vna cū excrementis aquosis emissum procreantur. Genuina vero bilis atræ existit generatio, nempe ex bile supra modum exusta, vel ex crasso sanguine: quare in febribus ardentib. & phreniticis iure tales meiuntur, quippe quæ affectiones frigidæ existunt. prorrh. text. 4. & in 1. Cris. cap. 12. Nigræ subsidentiæ, vel excedentem caliditatem atque igneam ostendunt. vel ex frigiditate vehementem extinctionem: sic & extrinsecus nostras corporis partes nigro affici colore videmus partim ex nimio calore, vt qui se soli exponit, partim ex vehementi frigore, & veluti mortifero, quemadmodum in senibus, aut quibuscunq; aliis supra modum refrigeratis. At ipsarum vrinarum totarum color niger, atque etiam eorum quæ ipsis supernatant, aut nebulæ quæ supra vehuntur, ad easdem causas refertur, calorem scilicet immoderatum, aut mortificationem ex refrigeratione vehementi: Hæc Gal. 1. Cris. cap. 12.*

Verum nos dicimus, quod nigredo in vrinis fiat, vel propter sulphuris naturæ extinctionem quæ fit ab extremo frigore, in quo statu præcedit vrina liuida, quoniam sulphuris seminatia cum sale sanguinis per minimum mixta, cum mortificari incipiunt liuescunt: quæ liuiditas seu cineritius color est medietas inter candorem & nigredinem: hinc candidus & efflorescens in sanguine sal ob suæ naturæ sulphuris mortificationem in primo gradu liuescere, & tum postea paulatim nigrescere incipit; vt si prima vice ℥ i. calcis cum ℥ ß. carbonis nigri permiscerem, deinde carbonem efficerem calci, tum postea ℥ ij. carbonis ad ℥ j. calcis apponerē, &c. Hinc ergo sal naturæ istiusmodi obscuritatis gradibus ab albedine ad nigredinē propter afflatus septentrionalis inclementiam mutatū est in causa alterationis vrinæ à crystallina in liuidam, & à liuida in nigram. Sic videmusq; alba nix quasi sal aeris si altiori frigore condensetur in grandinem seu glaciem liuescentem reducitur. Atque hinc est, quod vrinæ tales in extrema septentrionis seueritate accidere soleant. Ob istam igitur occasionem Galenus concedit colorem in vrina liuidum esse frigiditatis effectum 1. *Cris. cap.* 12.

Ad vrinam vero nigram, quæ ex nimia prouenit assatione mea profecto sententia est quod ardor febrilis superans frigoris humoris crudi insultus ipsum frigus non aliter in suos angulos pellit respirii gratia, videlicet ad centrum salis, à circumferentia quam caloris flamma superante frigore in altum suum propugnaculum fugere est coacta. Hinc ergo fit quod non modo sulphur naturæ centraliter destruitur, vnde nigrescit sal sanguinis; verum etiam per frigoris recessionem humidum in sale vnctuosum deuorari paulatim incipit, vnde nigrescit sal non aliter quam in ligno parum vsto cernimus; at frigus interea in centro deli-

tescit sulphuris præfocans tincturam: quod etiam in eo exacte declaratur, quoniam deuorato humore & euanescente flamma, natura septentrionalis in carbone vel cineribus fixe adhæret; atque hoc idem planius in eo declaratur, quoniam præcedit talem nigredinem color viridis, qui est ex flauedine seu rubedine ignea & nigredine melancholica seu septentrionali compositus: quare vbicunque præcedit viridis vrina illam nigram, argumentum est quod extremum frigus septentrionale in centro habitans, & extremus calor Meridionalis, seu Orientalis à circumferentia persequens mediocriter misceantur ad completam humidi radicalis consumptionem, quo facto effugit calor igneus ob pabuli humidi defectum, & in terrea illa & carbonea natura regnat frigus: nec tamen interea penitus est extinctum sulphur illud centrale, quippe cuius ardor in sale in cineribus seu carbone fixo delitescit: sed omnis eius volatilitas tollitur adeo vt radios suos quibus tingat emittere vlterius non possit. Hinc ergo est quod in cineribus delitescit sal rei combustæ fixum, quod ablata nigredine apparebat in propria sua substantia.

Verum accidit quandoque, quod talis humorum nigredo non sit in salis naturæ medulla, sed in humore melancholico naturæ odioso talis appareat, idq; cum beneficio & salute ægroti si cum vrina euacuetur, vnde concludit Galenus vrinam nigram in morbo lienis minime esse mortalem, sed potius liberationis signum. In Hipp. *de morb. epid com. 3. in* 20. Et *alibi, Vrinæ color licet esset niger nihil attulit periculi, quia retenti erant menses multum melancholici: vnde mulier merito morosa euasit, &c. Ibid* 84. & talis vrina in quartanis salutaris. At de alia specie vbi centrum salis natiui erat tactum hæc. *Habebat æger periculosum signum, vrinæ scilicet tenuitatem & nigritiem, vnde natura vix longo tempore morbum debellauit.* In 82. *lib.* 3. *com.* 3. *de morb. vulg.* Et *iterum, Vrinæ subnigræ in febre ardenti erant Metone, in qua nigra pendebant dispersa. Insomnis erat, delirabat. & vrinæ aderant tenues & subnigræ,* 24. *com.* 3 *lib.* 1. *de morb. epid.*

Denique concludit sic, Pessima est omnis vrina nigra, adeo vt neminem vnquam seruatum viderim ex iis qui talem vrinam minxerunt: minus vero exitiosa si id quod subsidet nigrum est, & adhuc minus si id quod solummodo in medio natat, ac multo minus si nebula. 1. *Cris. cap.* 12.

Viridis vero vrina, si fit in transitu ad nigram est quoddam nigri principium. *Ibid.*

Explicata autem hoc modo vrinarum septentrionalium, siue sint albæ, limpidæ & subtiles, siue tam subtiles quam crassæ nigræ ratione, ostendam tandem signa illa complexionis illius præternaturalis ex parte septentrionali, videlicet melancholicæ signa quam vrinæ tales indicare assolent, vt si quis tales inspiciat vrinas, tunc aut nuntio siue matulæ allatori siue ægroto, eius status signa recensere ad amussim queat.

Signa complexionis quam prædictæ vrinæ Septentrionales describunt.

Vrina per se tenuis, clara, limpida, & quandoq; spissa ac spumosa, ratione mixtionis Meridionalis, vel Occidentalis, sed plerumque tenuis & glauca ac spumosa, vel ob varium sulphuris naturę mortificationis gradum, aut illius propter pabuli humidi defectum expulsionem: hæc in complexione melancholica magis simplici designat indicia.

Videlicet
- Superfluitatem multam ab indigestione.
- Acrimoniam in ore ventriculi propter aciditatis copiam.
- Virtutis digestiuæ afflictionem, sed illius retentiuæ è regione fortificationem.
- Vigilias atque insomnolentiam, sed non in gradu tam intenso ac in cholera.
- Grauedinem ac dolorem aggrauantem ac distensionem in læua capitis parte, qui vesperi erit vehementior.
- Ventositatem magnam cum eructationibus acidis.
- Somnia timida & terribilia, videlicet mortuorum, damni amicorum, atque rerum tenebrosarum.
- Vomitum, rugitum ac tensionem præcordiorum.
- Difficultatem respirationis.
- Plenitudinem materiæ rheumaticæ ob digestionis defectum, idque si septentrionalis natura vel Meridionalem vel Occidentalem parumper respiciat.
- Ex morbis
  - Insipientiam.
  - Morphæam nigram.
  - Morbos lienis frigidos.
  - Tristitiam, solicitudinem.
  - Timorem.
  - Atque morbos superius in scala connumeratos.

Si te-

Si tenuis, liuida & ampullosa & quandoque spissa ex admixtione resoluti humoris melancholici, plenitudinem renum & lumborum ex melancholia.
Si tenuis, alba aut liuida, clara ac radiosa, lienis plenitudinem à melancholia.
Si tenuis & liuida; quandoque spissa ex admixtione melancholici succi & spumosa ex ventositate, & quandoque tenuis & glauca, plenitudinem hepatis ex melancholia.

Modus & methodus iudicii Authoris.

Cum ergo nuntius venit, aut coram patiente vrina conspicitur, & talis apparet, videlicet septentrionalis, sic procedo.

In primo loco quam citissime vrinam recenter factam accipio, priusquam fuerit corrupta, aut aëris contactu alterata.

Deinde obseruo, in qua vrinæ regione contentum maxime apparet, aut si nullum in ea inueniatur, considero etiam hoc.

Tum postea colligo signa tam naturaliter, quam præternaturaliter huic complexioni conuenientia iuxta antedicta præcepta.

Post hæc morbos seu meteora præternaturalia tali complexioni familiaria colligo; & quoniam contentum si aliquod in vrina discerni queat, quasi digito plerumque designat locum affectum, iuxta *reg.* 4. 2. *membri, huius libri*, ideo diligenter mecum pondero; quis ex dictis morbus magis naturali inclinatione affectet illam regionem, & quibus insigniri soleat signis & symptomatis; atque vt eius humor directius cognoscatur, naturam contenti in regione aliqua inuenti considero, cuius scilicet sit coloris, an læuis & æqualis, an bene compacta vel disiuncta in sua compositione, an diu in loco manens, vel cito suam mutans sedem: atque iuxta hæc de morbi duratione, peruersitate, qualitate & mutatione iudicare soleo.

Denique his ponderatis cum diligentia, describo signa vt antea, atque addo aut abstraho pro vrinæ alteratione in tenuitate vel spissitudine vel colore vel quantitate, atque etiam vt alia si quæ adsint contenta me doceant. Tunc morbum prout tibi magis probabile videbitur iuxta situm contenti describere liceat, & dices quod si aderit nubes in regione superiori quod erit strictio anhelitus, & pectoris angustia, si in media, passio hypochondriaca, & morbi splenitici, & quicunque alii à lienis & hepatis succo melancholico exurgentes, vt hepatis & lienis obstructio, tympanites, icteritia, morphæa, quartana. At si contenta circa vrinæ circulum magis frequentant, tunc eos recenseas morbos septentrionales qui circa cerebrum vt plurimum versantur atque neruos, quales sunt vertigo, scotomia, epilepsia, apoplexia, conuulsio, &c.

Denique si in inferiori regione appareant, de lumbis, renibus, matricis morbis, atque vesicæ iudicare debemus.

Verum si vrina sit per totum tenuis & crystallina siue niuea, omni aut sedimento aut nube, vel alio contento destituta, tunc de melancholia admodum sicca & frigida & consequenter cruda atque inconcocta est præsagiendum aut iudicandum, post signorum huic complexioni communium repetitionem vel nuntio vel ægroto.

Atque istam rationem generaliter obseruare soleo cum vrinis cæterarum complexionum, de quibus infra peculiaribus suis locis.

CAPUT III.

Hic Author describit scalam, seu tabulam demonstratiuam cum morborum, tum vrinarum Occidentalium à priori, ac tum postea ascendit per demonstrationem à posteriori ad priora, tandemque assignat complexionis Occidentalis, siue phlegmaticæ signa, ac denique de ipsis per vrinas istas suum facit iudicium.

PROPRIETAS OCCIDENTALIS, SIVE TERRÆ Vnius essentiæ diuinæ Triplicitas sub Nomine



Quorum actus primum in elemento macrocosmi sublunari seu aereo, & tum postea in illo microcosmi sanguineo creata sunt meteora tam naturalia, quam præternaturalia & morbosa, cuiusmodi sunt

A

Sputi

A

Sputi & pituitæ redundantia.
Vermes & eorum materia.
Apoplexia.
Epilepsia.
Colica.
Quartana / *Quotidiana* } *Ex materia mixta.*
Syncope.
Capitis dolor à causa frig.
Paralysis.
Hydrops.
Lienteria in quantitate pauca.
Nausea.
Spasmus, siue conuulsio.
Arthritis frigida & morbi iuncturarum.
Pituita viscida & cruda, si fuerit alba mucilaginea.
Hepatis dissolutio per lotium si album lacteum.
Lapis vesicæ alba, spissa.
Vlcus vesicæ si glauca & spissa cum contentis mucilagineis & arena alba.
Pectoris dolor si clara, alba vsque ad medietatem, & postea spissa & turbulenta.
Pleurisis in sinistro latere, si alba, spissa & turbata.
Denique omnes morbi à pituita.

} *Atque horum si ex proprietate mera Occidentali oriantur, (nam eorum nonnulli sunt per accidens tales) testes & nuntii existunt vrinæ.*

} *Colore albæ* { *Lacteæ.* / *Mucilagineæ.* / *Glaucæ.* / *Instar vnguis.* / *Charopeæ.* } *Pro maiori vel minori frigoris dominio.*

Substantia spissa instar { *Spermatis.* / *Mucilaginis.* / *Seri lactis.* / *Lactis.* } *Pro maiori vel minori humiditatis crassæ dominio.*

Hic igitur habetis morborum Occidentalium, (atq; vrinarum, quæ sunt ipsorum testes) à priori & à summa omniū radice extrahendorū atq; deriuandorum modum. Et si ipsorū radices per vltimos eorum effectus, hoc est, à posteriori demonstrare velimus, retrogredi debemus, ab vrinis quasi vltimis ramulis ascendendo vsq; ad radicem, dicendo quod vrinæ sint testes morborum atque humorum Occidentalium peccantium, quippe quæ ab eorum fonte sunt deriuatæ: morbi & humores sunt testes dominii ventorum Occidentalium vel Austri & Boreæ quorū concursu natura cōponitur Occidentalis, quatenus Occidens in medio inter hos duos est situs. Venti Occidentales sunt testes triplicitatis aqueę, & præcipue ac per consequens Lunæ, & tum postea Iouis ac Martis, nam nisi essent signa triplicitatis aqueæ variarum seu differentium proprietatum, non facerent triplicitatem sed vnitatem. Planetæ ergo isti sunt testes conditionum influxuum à tali triplicitate, & triplicitas ista Occidentalis iudicium fert de naturis seu conditionibus Archangelorum, quorum officium est influxus diuinos in eam impluere. Porro etiam Archangeli dicti testimonium dant proprietatis illorum influxuum, qui per Sephirotarum portas effunduntur: ac denique & in vltimo loco quælibet harum portarum siue numerationum designat illas tres diuinæ mentis vnicæ & simplicis proprietates quæ circa aquas & plagam Occidentalem versari assolent.

Nec

Nec mirum cuiquam videatur, me iuxta Cabaliſtarum normam, Deum triplici à proprietate nomine in opere hoc ſuo Occidentali dictitaſſe, cum triplices in natura aquea tam macro, quam microcoſmica effectus ineſſe cernimus, quas Aſtrologiæ peritiores obſeruarunt, à tribus ſtellis dictis tam fixis quam erraticis procedere: dicunt enim Iouem in ♓ cum ſit ſignificator morbi, efficere putridum phlegma cum ſuperflua aquoſitate ſalſa mixtum, vnde & quandoque morbos ex iis, vbi vero adeſt cruditas ante putredinis acceſſum, ibi vrina erit remiſſa; & ratione redundantiæ phlegmatis ſpiſſa: nam cum ♓ ſit domus nocturna Iouis, ideo admodum eſt humidum & ſpiſſum, vt eſt vaporoſa & nubiloſa noctis diſpoſitio: mox vero accenditur gradatim ſulphur Iouis in phlegmate occultatum & per gradus magis aut minus intenditur: nam res liquida ſecundum ſui ſulphuris manifeſtationem vel maiorem vel minorem in ſua quantitate vel magis vel minus dilatatur, vel in ſua qualitate magis aut minus intenditur. Sic fit ſyſtole & diaſtole in pulſu videlicet dilatatione mediante calore, vel contractione mediãte frigore ſulphuris in ſpiritu ſanguinis arterialis & præcipue in corde contenti. Similiter aiunt Martem in nocturna ſua domo cum ſit ſignificator morbi efficere putridum, corruptum, rebelle & ſalſum phlegma cum pauxillo rubeæ choleræ. Verum priuſquam talia ♂ & ♏ ſeminaria ſanguinem & phlegma accendant aut illuminent, dum cruditas habet dominiũ & frigiditas aquea, vrina eſt remiſſa & ſpiſſa ſatis ad modum aquæ marinæ. Eſtq; ita proprietas vento Africo propinquior in natura, quippe qui eſt magis ad Meridionalem putredinẽm ratione ſui ſitus inclinatus. Deniq; concludunt lunam in ♋ efficere phlegma vitreum & admodum frigidum; atque iſta eſt præſens præcipua humoris ſimpliciter pituitoſi, quoniam ipſa eſt in ſua complexione reuera phlegmatica, vt & eius domus ♋ cæteri vero duo ſunt magis mixti, & à ſimplici aquea natura aliquantulũ alienati, vt pote quorum vnus eſt Meridionaliter calidus, nimirum ♃ alter eſt orientaliter calidus & cum ſiccitate, videlicet ♂ quare vrinam reddit non niſi mediocriter ſpiſſam. At quatenus ♃ eſt Meridionaliter humidus atq; ♓ phlegma valde viſcidum & ſpiſſum quatenus eſt in natura venti Cori, ideo per talem proprietatem in ſtatu cruditatis & occultationis ſulphuris Iouialis, vrina erit glauca, mucilaginea, ſpermatis inſtar, &c.

Infinitum foret de morbis prædictis, & de eorum vrinis magis particulariter diſceptare; quare plura de ipſis non dicam; præterquam quod alii ſunt vrinarum talium authores ſeu fontes per ſe & ex naturali morbi phlegmatici conſtitutione, videlicet vbi pituita abundat, vermes adſunt, apoplexia, epilepſia, capitis dolor à pituita frigida; hydrops, paralyſis, ſpaſmus, arthritis, hepatis & lienis obſtructio à multitudine viſcidi phlegmatis. At vero vrinæ, quæ per accidens tales videntur, verbi gratia, vbi adeſt vel vlcus veſicæ, vel calculus, vel hepatis diſſolutio, &c. à morbis mere Occidentalibus ſunt excludendæ.

Signa complexionis, quam vrinæ prædictæ Occidentales indicant.

Vrina ſolito remiſſior, pallidior, ſpiſſior & ſpumoſa, & debet eſſe alba & non clara, complexionem phlegmaticã indicat, & cõſequenter ſigna & effectus eiuſdem demonſtrat.

Atq; ſigna talia ſunt:
- Facies pallidior quam pro conſuetudine.
- Cutis planior, albior & mollior quam anteà.
- Superfluitas pituitoſa è naribus.
- Corpus in motu tardius, ſtupidius, ſegnius atque grauius.
- Ad ſomnolentiam inclinatio.
- Sputum multum quod poſt vehementem motum apparet ſpumoſum.
- Sudor copioſus & ſanguis aqueus.
- Dolor in poſteriori capitis parte; & quandoq; aliarum partium eiuſdem.
- Eructationes & rugitus in ventre.
- Nauſea & ad vomitum aptitudo.
- Putrefactioni ſubiectio.
- Morbi iſtiuſmodi ———
  - Quartana.
  - Apoplexia.
  - Paralyſis.
  - Raucedo.
  - Ventoſitas pulmonum & pectoris.
  - Frigidus cordis affectus.
  - Defluxiones humidæ à frigore, vnde lumborum, brachiorum, genuum & pedum dolor, qui nocte magis viget.

Morbi

Morbi stupidi & somniferi cum madore.
Cum morbis antea recitatis.
Plenitudo in liene à phlegmate, si vrina sit spissa & non clara.
Plenitudo phlegmatica hepatis, si alba vel albe proxima & spissa.
Plenitudo renum à phlegmate si alba & pinguis, nisi sit mucilaginibus compacta.


De modo iudicandi.

Habita ergo vrina tali recenter (si modo sit possibile) facta, obseruo si aliquod apparens & prædominans cernatur in ea contentum, atque etiam denoto locum seu regionem in qua pendere videtur: tunc me refero ad signa in præcedenti distinctione descripta, nec non & morbos colligo qui non modo complexioni phlegmaticæ sunt familiares & communes, verum etiam considero in qua corporis regione maximè ex naturali eorum inclinatione frequentant, quemadmodum latiùs in *capite præcedenti* est dictum. His ergo consideratis cum diligentia, vt *capite præcedenti* declaratum est, in meo iudicio procedo.

Capvt IV.


In quo describitur scala, siue tabula demonstrationis cùm morborum Meridionalium, tum vrinarum ipsos sequentium, à priori descendendo deorsum, & à posteriori ascendendo sursum. Ac in fine assignantur complexionis Meridionalis, siue sanguineæ tam præternaturaliter, quàm naturaliter se habentis signa, quibus per vrinarum inspectionem reuelatis iudicium ex vrinis datur.

Proprietatis Meridionalis, siue aëreæ aut sanguineæ vnius essentiæ diuinæ Triplicitas sub nomine




† †


Atque hi influentiis suis animant atque viuificant spiritus ætheris:




Qui suis seminariis mouent & exagitant spiritus in aëre ventosos ex parte Meridiei, videlicet:



Quorum actu primùm in elemento macrocosmi sublunari, & tum postea in illo microcosmi sanguineo creata sunt meteora cùm naturalia tum præternaturalia & morbosa; cuiusmodi sunt, si ♂ cum ipsis coniungatur in aspectu



Atq; horum (cùm ex mera proprietate Meridionali fiunt) testes & nuntii existunt vrinæ



Atque hæc omnia sunt intelligenda vbi influentiæ istæ sunt factæ in ira & seueritate diuina: nam aliter quando naturales sunt, tunc earum in microcosmo effectus vltimi erunt vrina fulua, rufa, aurea cum spissitudine aliquantulum obscura.

Signa

Signa huius complexionis præternaturalis, quam dictæ vrinæ reddunt manifestam, sunt ista quæ sequuntur:

Vrina solito aliquantulum spissior & rubrior pinguisque per totum æqualiter cum substantia præter consuetudinem obscura.

Significat:
- Hepatis plenitudinem atque venarum extensionem.
- Calorem per totum corpus parum acrem, & præcipuè sub pulmonibus & renibus.
- Faciem rubicundam & subrubicundam.
- Oculorum albedinem rubram & sanguineam.
- Sudorem multum.
- Ad somnum pronitatem.
- Oris & sputi dulcedinem.
- Spontaneam lassitudinem.
- Capitis, oculorum, temporumque grauitatem.
- Oscitationes frequentes.
- Somnia phantastica de rebus sanguineis & rubris.
- Tarditatem & grossitiem intellectus.
- Linguæ rubedinem.
- Dolorem circa anteriorem capitis partem cum punctura in temporibus, & magis vexatur ab hora nona noctis, ad tertiam diei.
- Aptitudinem ad emanationem sanguinis è naribus, gingiuis, ano & vtero.
- Morbos, nempe:
  - Febrem synochum.
  - Pustulas rubras.
  - Morphæam nigram.
  - Punctionem in latere dextro.
  - Colicam passionem quandoque.
  - Morbos antea recitatos.

Iudicium super hæc:

Procedendum est vt in præcedentibus ad iudicium. Imprimis colligendo vrinas maturè, contentum magis euidens inquirendo, signa complexionis quam demonstrat vrina repetendo, & morbum iuxta locum seu regionem corporis quam designat contentum magis apparens vel ægroto, vel nuntio pronuntiando, ac in omnibus faciendo, quemadmodum antea est demonstratum.

Caput V.

Concludit Author in isto capitulo, cum scala siue tabula demonstrationis morborum Orientalium & vrinarum ipsos sequentium, à priori, descendens deorsum, & à posteriori ascendens sursum. Ac in fine assignantur complexionis cholericæ, tam præternaturaliter, quàm naturaliter sic habentis signa, quibus per vrinarum inspectionem reuelatis iudicium per vrinas dabitur.

Scala, siue tabula hæc Orientalis potest tam de naturali, quàm de præternaturali complexione intelligi, iuxta intentionem proprietatis diuinæ ad beneficentiam vel ad maleficentiam, seu maledictionem.

Proprietatis Orientalis, siue igneæ seu cholericæ vnius essentiæ diuinæ Triplicitas sub nomine

El. | Elohim Gibor. | Elgah.

Effundit ex porta Sephirotica.

Chesed. | Geburah. | Tiphereth.

Influxus differentes ad Archangelos.

Zadkielem siue Iophielem. | Samaelem. | Michaelem.

Qui affluenter cum iis inebriare solent spiritus in Zodiaco.

♐ Sagittarianos. | ♈ Arietinos. | ♌ Leoninos.

Atque hi influentiis suis animant atque viuificant spiritus ætheris.

♃. Iouiales. | ♂. Martiales. | ☉. Solares.

Qui suis seminariis mouent & exagitant ventosos in aëre spiritus ex parte Orientis, nimirum

Caciũ. | Subsolanum. | Eurum.

Quorum actu primùm in elemento macrocosmi sublunari, & tum postea in illo microcosmi sanguineo creata sunt meteora cùm naturalia tum præternaturalia & morbosa; cuiusmodi sunt

Iracundia. Peripneumonia. | Furor. | Mentis alienatio. | Phrenitis. | Herpes erodens. | Inflãmationes omnes biliosa. | Erysipelas. | Febris exquisita tertiana. | Febris Causos. | Ictericia flaua. | Choleræ redundantia.

Atq; horum (cùm ex mera proprietate Orientali fiunt) testes & nuntii existunt vrinæ

- Substantia
  - Tenuis.
  - Limpida.
  - Lucida.
  - Clara.
- Colore ex parte venti
  - Cacii
    - Synopea.
    - Cyanea.
    - Viridis.
    - Cærulea.
    - Nigra.
  - Subsolani
    - Subcitrina.
    - Citrina.
  - Euri
    - Rubea.
    - Rubicunda.

In omnibus tam in demonstratione à priori, quàm à posteriori faciendum est sicut ante est declaratum.

Hîc verò obiter notandum, quòd prædicti humores in qualibet eorum specie euidenter ab inuicem discrepant, ita quidem eorum quilibet in propria sua specie ab inuicem discrepare animaduertitur, & per consequens radicem cognoscitur habere variam. Verbi gratia: Choleræ citrinæ radix cœlestis est à Solis in ♌ acta vitellinæ à ♂ in ♈ & ♌ prassinæ à ♄ & ☿ in ♈ & ♌, rubeæ à ♂ in ♈ ♌ ♐, phlegmonosæ à ☉ vel ♂ in ♋ ♏ ♓. Vnde euidens est, quòd quædam choleræ species sint magis exquisitæ, videlicet citrina, vitellina & rubea, quatenus à signi ignei & planetæ talis influxuum vnione procedunt: quædam verò è regione sunt spuriæ, & ex variis naturis compactæ, videlicet prassina, quippe quæ conflatur ex vnione naturæ terreæ cum ignea: sic videmus in vrinarum obseruatione quòd viridis color intercedat inter flammeam ignis biliosi adustionem & tetream nigredinem: nam ex mixtione flaui & cærulei fit viriditas: atque phlegmonosa, ad cuius compositionem pariter concurrunt naturæ oppositæ, videlicet igneæ Solis & Martis naturæ, cum aquea ♋ ♏ & ♐ vnio. Quibus necessarium habemus considerare, quòd vix reperire possumus complexioné absolutam & simplicem, sed complexiones compositæ respectu latitudinis graduum sunt infinitæ. Nos verò completioris methodi causa eas in numerum inclusimus duodenarium omnes, quarum quatuor fecimus magis simplices, de quibus iam sumus loquuti, & reliquas octo ab ipsis compositas esse declarauimus, atq; in posterum eas cum suis signis ab ipsarum vrinis desumptis paucis explicabimus.

Sed ad iudicium super vrina istius complexionis cholericæ factum progrediamur.

Signa huius complexionis præternaturaliter se habentis, quam prædictæ vrinæ patefaciunt, sunt ista:

Vrinæ intensæ, & vt plurimum crocea, rubra, rubicunda, cum substantiæ tenuitate indicant intemperiem cholericam, quam signa ista subsequentia ostendunt:

Videlicet:
- Oculorum citrinitas & quandoque rubedo.
- Oris amaritudo.
- Linguæ acrimonia cum asperitate quandoque.
- Faciei pallor ad citrinitatem frequenter vergens.
- Ad vomitum procliuitas.
- Sitis & poculentorum frigidorum desiderium.
- Iracundia & impatientia.
- Vigiliæ somnique defectus.
- Somnia phantastica, & præcipuè de rebus igneis rixosis & contentiosis.
- Choleræ & æstus in fundo ventriculi perceptio, atque etiam in venis & præcipuè in dextra parte.
- Ventris astrictio, nam cholericis vt plurimum languescit expulsiua facultas: at si fluat aluus, erit valde biliosus & mordicans humor.
- Horripilatio instar puncturæ acuum, & præcipuè in dextra parte capitis, & sæpè dolor capitis in anteriori parte prope radices oculorum, hocque præsertim à tertia diei hora ad nonam.
- Morbi:
  - Febris ardens.
  - Tertiana exquisita.
  - Icteritia.
  - Tussis sicca.
  - Et reliqui morbi antea citati.
- Vrina tenuis & intensa significat choleræ abundantiam in liene & hepate.
- Vrina spumosa, tenuis & citrina arguit impletionem fellis à cholera.
- Vrina intensè tenuis cum spuma multa & citrina, & aliquando ex humorum dissipatione seu dissolutione pinguis & spissa, vt in icteritia, arguit renum plenitudinem.

Iudicium super hæc signa:

Conspecta & bene obseruata vrina procedendum erit ad iudicium more antea ad amussim designato.

Caput VI.

Hîc ratio excessus complexionis naturalis sanæ & simplicis, de suo statu mediocri versus aliquod duorum extremorum insalubrium, exprimitur.

IN *præcedentibus* rationem radicalem complexionis naturalis simplicioris ab integra signi vnius occupatione loci horoscopi deriuaui: nam si aliquod è triplicitate ignea cum in hora natiuitatis occupet, complexionem nati cholericam reddet, videlicet si ♈ in gradu leniori magis citrinam, si ♌ in profundiori qualis est cholera magis vitellina & ad flauum colorem vergens: si ♐ complexionem faciet magis siccam & ad choleram rubeam inclinantem, vnde & vrinas taliter differentes reddet natus in sua sanitate in tenuitate & intensione. At si aliquod triplicitatis aëreæ signum integrè possideat horoscopum siue angulum Orientis, tunc complexionem nati reddet sanguineam, videlicet si ♊ magis teneram & tenuem atque temperatam, si ♎ aliquantulum spissiorem, & in ♒ spississimam & magis fæcalem, vnde expectandę sunt vrinæ à nato in suo statu salutari taliter differentes, videlicet vel magis vel minus spissæ & coloratæ. Verùm si aliquod signum triplicitatis aqueæ horoscopum impleuerit in natiuitatis instante, complexionem nati phlegmaticam, si fuerit ♋ magis tenuem, & temperatam, si ♏ minus tenuem & temperatam, si ♓ spissam, & ad putredinem in sua natura procliuiorem; quare in nato sano vrinæ taliter colore & spissitudine differentes sunt expectandæ. Denique si aliquod triplicitatis terreæ signum occupauerit horoscopum in hora partus, tunc complexio simpliciter melancholica erit creata in nato, videlicet si ♉ magis temperata, si ♍ minus temperata & magis crassa, si ♑ in gradu adhuc frigidiori & sicciori. Quare sequitur, quòd vrinæ in nato sano taliter differentes, videlicet in substantiæ tenuitate & remissione, & coloris rubedine sunt expectandæ. Atque huc vsque de radicali complexionum simpliciter & naturaliter se habentium ratione, iuxta peritiorum Astrologorum mentem, obseruationes atque experientiam.

Iam verò videndum erit, quomodo excessus fiat in proprietate cuiuslibet harum naturalium, salutarium, atque simplicium complexionum, proprietate minimè alterata, sed aucta, hoc est, vel contractione vel dilatatione pro complexionis respectu vltra salutis vel naturæ limites distorta.

Cùm ergo signum triplicitatis igneæ dederit complexionis simpliciter cholericæ statum homini in sua natiuitate, in qua more salutari vitam suam degere solet, videndus est vrinæ istius complexionis habitus, eritque vtplurimum ipse tenuis, fuluus, citrinus & aureus: verùm si planeta pariter igneus existens in cœlo fortis vel significator, sed maligniter dispositus; verbi gratia, vel ☉ vel ♂ qui est infortunium maius; tunc secundùm eorum in dictis signis dominium erit cholerica illa complexio à citrina in vitellinā, vel à vitellina in rubeam; atque hoc modo vrina iuxta illos gradus deueniet intensior cum tenuitate quàm par est, atque ita inflammabitur regio illius hominis æstu seu calore vltra naturæ proportionē. Nonne igitur hinc sunt falsi Galenus & Hippocrates, quòd complexioni biliosæ admodum aduersus sit status anni æstiualis, quoniam eam intendit valde ignea sua conditione & citò febricitare facit? Nonne etiam fatentur stellam canicularem tales complexiones suo ortu & præsentia facillimè accendere? & tamen è regione phlegmaticis dicunt istam anni tempestatem calidam esse quàm gratissimam. Videtis ergo hîc quomodo cōplexio naturalis simpliciter cholerica, nec excedendo limites complexionis illius, sed in igne extremo permanēs à statu naturali in præternaturalem facillimè reduci potest per Solis aut Martis in ipsis præsentiam, si humor ille malignis eorum radiis reddatur obnoxius.

Concludimus per consequentiam, quòd venti Orientales hoc idem præstare solent in biliosis, eos quàm citissimè accendentes. Similiter cùm signum triplicitatis aëreæ dederit complexionis simpliciter sanguineæ statum homini in sua natiuitate, in qua more salutari vitam suam degere solet, conditio vrinæ istius complexionis naturalis erit vtplurimum colore fulua, rufa, aurea, citrinaque, substantia verò spissa: verùm planeta pariter significator aëreus existens in iisdem signis, maleque affectus se habens, morbos efficiet sanguineos à plethora, & à spisso & æstuoso sanguine: Verbi gratia ♃ existente in ♊ gignit multum sanguinis cum calore plurimo, facitq; ob eam causam apostemata, pleuritidem, peripneumoniam, fluxus sanguineos. Si in ♎ gignit spissiorem adhuc & calidiorem sanguinem, & consequenter prædictos morbos & squinantiam, &c. si in ♒ gignit sanguinem multum fæculentum & æstuosum, facientem apostemata, pleuritidem, peripneumoniam, suffocationem pulmonum & matricis, &c. Vnde reducitur temperies complexionis sanguineæ natiuæ in

statum

ſtatum profundiorẽ,& extra limites naturæ,& tunc vrina erit magis intenſa & ſpiſſa,quàm in naturali. Sic ♀ dominium habens in his ſignis,& exiſtens domina cœli,ſed infortunata, videlicet in ♊ ſanguinem reddet magis humidum & aqueum quàm in ſtatu ſuo connaturali,vnde ſequẽtur pleuritis,ſanguinis fluxus è naribus & menſtrua,peripneumonia,apoſtemata,&c. in ♎ mixtionem faciet ex ſpiſſo ſanguine & tenui aqua, tumores aqueos & apoſtemata,fluxum ſanguinis narium & menſium ſquinantiam,&c.in ♒ vermes in ventre,gonorrhæam & corruptum ſanguinem cum phlegmate, in quo caſu vrina erit magis remiſſa & ſpiſſa cum groſſis contentis. Concludimus igitur per conſequentiam, quòd ventorum Meridionalium flatus hoc idem præſtabunt, quippe qui ſunt influxuum triplicitatis aëreæ diſpenſatores.

At cùm ſignum triplicitatis aqueæ dederit complexionis ſimpliciter aqueæ ſtatum cuiquam in ſua natiuitate,in qua vitam more ſalutari degere ſolet,conditio vrinæ complexionis iſtius naturalis erit vtplurimum colore alba ſeu glauca aut charopea,& ſubſtantia ſpiſſa: Verùm ſi Planeta in cœlo dominans ſeu ſignificator fuerit naturę phlegmaticæ,& in aliquo iſtius triplicitatis ſigno,tunc quidem complexionem iſtam à ſuo ſtatu mediocri extendit ad limites præternaturales,non mutata proprietate aquea. Verbi gratia, ☾ exiſtens in ♋ conuertit phlegma naturæ in humorem crudum & vitreum valde frigidum,à quo procreantur frigidi capitis morbi,vt apoplexia,lethargia,paralyſis, epilepſia,&c. In ♏ phlegma naturale reddit putridum & ſalſedinoſum,in ♓ viſcidum,rebelle & vitreũ; vnde vrinæ ſequuntur magis frigidæ,ſpiſſæ,ac minus tinctæ: & per conſequens venti etiam Occidentales diu cum imbribus flantes in complexione naturali eandem efficient permutationem; vnde Galenus haud inconſultè:

In pluuioſis temporibus aëris ambientis humiditas pituitoſos aceruat humores, & haud paucas generat aquoſas humiditates. *In 3. Aph.7.*

Liquet ergo,quomodo complexio naturalis pituitoſa à ventis aut temperie elementi ſibi ſimillima facillimè præter naturæ leges ſeu limites alteretur: vnde Hippocrates & Galenus agnoſcunt,quod vt æſtas optimè cum cõplexionibus phlegmaticis conuenit,iisq; grata eſt,ita quidem illa hyemalis eſt ipſis inimiciſſima.

Denique cùm ſignum triplicitatis terreæ dederit complexionis ſimpliciter terreæ ſtatum homini in ſua natiuitate,in qua vitam more ſano ducere ſolet,tunc conditio vrinæ complexionis taliter naturalis erit,vtplurimum colore albeſcente,& ſubſtantia tenui. At ſi Planeta eiuſdem naturæ dominans in cœlo,& exiſtens figuræ ſignificator, videlicet melancholicus,cuiuſmodi eſt ♄ & ☿, tunc quidem efficit vt complexio iſta excedat ſuos limites, facitque hominem melancholicum,& ad intemperies frigidas & Septentrionales,ſiue terreas procliuem; Verbi gratia; ſi ♄ vel ☿ fuerint in ♉, augebit in complexione melancholiã, & morbos ad iſtum humorem attinentes non ſine aliqua pituita ſuperflua per accidens ei adhærente,videlicet,triſtitiam,deſperationem,anguſtiam animi,maniam,cancrum,podagram,paralyſim,conuulſionem,ſtuporem membrorum,tympanitim, tumorem ſplenis, & flatum melancholicum. In ♍ melancholiam adhuc intenſiorem & magis terream,hoc eſt, ſicciorem & frigidiorem,& per cõſequens indigeſtionem,obſtructiones,flatus hypochondriacos,ictericiam nigram,&c. At in ♑ intendit ♄ iſtum humorem ad gradum vſque 4. & conſequenter morbos excitat ex humore melancholico deſperatos, & frequenter incurabiles,ſpiritumque humanum præparat & facit aptum pro receptione ſpirituum lucifugorum & prauorum, vnde fit, vt homines talis complexionis citius poſſideantur à malis ſpiritibus & rabie,mania, inſania, apoplexia, epilepſia, & deſperatione afficiantur. Hoc idem præſtat ☿,ſi in dictis ſignis inueniatur dominans,ſed in mitiori gradu, & facit quartanam,ſciaticam, verrucas,&c. Sed quòd melancholici influxus aucti & fortificati malè afficiant & præter naturæ regulas ducant complexionem iſtam patet ex Galeni & Hippocratis ſententiis,qui concludunt,quòd melancholici peius ſe habeant, & cum maiori difficultate tolerent ſtatum anni autumnalem & hyemalem,quoniam eorum frigore in Septentrionis proprietate fortificant frigidæ & ſiccæ complexionis illius naturam,atque hoc modo calidum innatum & humidum radicale opprimunt magis. Concludimus etiam,idq; non ſine Hippocratis & Galeni conſenſu,quòd venti Aquilonares diu ſpirantes hoc idem præſtare in complexionis huius mutatione ab vno ſtatu in alium ſolent: nam aiunt, conſtitutiones quotidianas Aquilonias denſare, compacta reddere, aluos ſiccare,oculos mordere,conſtringere,& in vnam ſubſtantiam cogere:difficultates vrinæ,horrores & coſtarum dolores efficere. Quibus euidens eſt,quòd ventus ſua virtute augeat diſpoſitionem,quippe cuius quarta eſt talium influxuum promptuarium, *3. Aph.17. & ſuper Hipp.3. aph 5.*

CAPVT VII.

Quomodo complexiones naturales ſpuriæ, ſeu compoſitæ, fiant, & de vrinis atq; ſignis earum.

DE quatuor complexionum ſimplicium radice cœleſti, ſeu Zodiaca, *in capitibus præcedentibus* verba fecimus, dicentes earum quamlibet ortum ſuum ducere ab integra ſigni illius naturæ poſſeſſione & occupatione anguli in hora natiuitatis Orientalis ſiue horoſcopi, videlicet abſolutè cholericam triplicitatis igneæ, ſanguineam aëreæ, phlegmaticam aqueæ, melancholicam terreæ imperio.

Sciendũ eſt, quod

- Simplicem vocamus humorẽ ſiue complexionem, cùm illa dominatur ſuper humores cæteros in æquilibrio ſe habentes, & talis eſt complexio ſimpliciter
  - Cholerica.
  - Sanguinea.
  - Phlegmatica.
  - Melancholica.

  De quib⁹ *in prædictis* egimus.
- Compoſitam dicimus complexionẽ illam, in qua duæ naturæ ſiue humores excellunt cæteris duobus in æquilibrio manentibus, atq; iterũ illorum æqualitatis gradum ſuperantium vnus eſt altero eminentior & potentior, ſuntque iſtiuſmodi complexionis ſpecies octo, videlicet
  - Cholerica melancho. lica
  - Melancholica cholerica.
  - Melancholica ſanguinea.
  - Sanguinea melancholica.
  - Sanguinea phlegmatica.
  - Phlegmatica ſanguinea.
  - Phlegmatica cholerica.
  - Cholerica phlegmatica.

  De quib⁹ *in ſequentibus* parũ latiùs.

Radices Aſtrologicæ harum complexionum compoſitarum ſeu notharum ſunt huiuſmodi:

Si ſignum in Zodiaco quod poſſidet maiorem partẽ horoſcopi ſit igneum, & illud quod occupat reſiduum eiuſdem ſit terreum, tunc qui in tali cœleſtium ſtatu naſcitur, erit complexionis mixtæ ex melancholia & cholera, ſed habebit cholera dominium, quoniam fortius eſt ſignum igneum, vtpote maiorem domus primæ ſeu horoſcopi portionem occupans quàm illud terreum, vtpote quod minorem portionem dictæ domus occupat; quare vocamus talem complexionem cholericam melancholicam, quatenus in ea cholera euidens habebit dominium, ſed & melancholia ſigna ſuæ mixtionis manifeſtiſſima habebit.

Signa ergo quæ depingunt vrinæ iſtiuſmodi complexionis ſunt talia, & primùm cholericæ melancholicæ.

Vrinæ in iſtiuſmodi complexione mixta debent participare de natura vrinæ complexionis ſimpliciter cholericæ, & illius ſimpliciter melancholicæ, ſed quia cholera in iſta mixta complexione prædominatur, ideo eius vrina magis participat de complexione ſimpliciter cholerica quàm de illa melancholica. Eſt ergo (vt *ſuperius* explicatur) vrina complexionis ſimpliciter cholericæ ſiue Orientalis ſanæ, videlicet tenuis & aurea ſeu ad croceitatem vergens: at illa complexionis ſimpliciter melancholicæ per ſe aquea, alba, tenuis, limpida. Quare videmus, quòd ambo conueniant in tenuitate, at in colore maximè diſtant: at quoniam dominatur cholera in iſta complexione ſuper melancholiam, ergo magis præualebit eius intentio ſuper remiſſionẽ complexionis melancholicæ, ac ſi quis permiſceret ℥ij. aquæ limpidæ cum ℥ ß. vrinæ croceæ, fiet procul dubio citrina: quare erit talis vrina vel citrina vel ſubrufa, quæ tum poſtea mixtam iſtam complexionem ſic denotabit per ſua ſigna.

Vrina

Vrina talis denotabit complexionem cholericam melancholicam, & consequenter eius signa: nam ipsa
- Non adeo est calida vt merè cholerica.
- Faciem reddit atque cutem pallescentem, & ad sulphuris colorem, hoc est, parùm flauescentem.
- Contactu facit cutem asperam, duram & non nisi mediocriter pilosam, & non nimis calidam aut frigidam.
- Somnia dat de rebus igneis in tenebris vel locis profundis, cuiusmodi sunt putei & foramina profunda in terra, &c.
- Virtutem digestiuam fortem, at expulsiuam magis debilem seu potius difficilem.
- Conditionem non ad iracundiam, temeritatem aut furorem ita profundum ac in absolute cholericis.

Complexio melancholica cholerica.

Talis complexio fit vbi in natiuitatis hora signum terreum occupat maiorem portionem horoscopi, igneum vero minorem. At vero vbi Melancholia dominium habet super choleram, ibi necesse est vt vrina sit æque tenuis & subtilis ac cholerica melancholica, sed multo magis remissa, ac si vrinæ croceæ ℥ ij. cum ℥ ß. vrinæ Crystallinæ siue aqueæ permiscuerimus: non tunc erit aqua pallida vel subcitrina, signaque huic complexioni conuenientia annunciabit.

In tali autem complexione
- Corpus erit tenue ratione duplicis siccitatis.
- Cutis est aspera & dura, atque in contactu magis frigida & non nisi parum pilosa.
- Faciei color erit pallidus obumbratus cum quadam obscuritate.
- Conditio erit suspiciosa, verecunda, timida, obstinata, vexationibus apta, cogitabunda, obliuiosa.
- Digestio erit debilis, & appetitus defectus.
- Somnia aderunt de præcipitatione ab alto, & timida, & phantastica.

Complexio melancholica sanguinea.

Hæc complexio fit quando signum terreum possidet maiorem portionem domus seu horoscopi natiuitatis, & aereum minorem.

Vrinam complexionis simpliciter melancholicæ descriptam habetis pro tenui & alba seu niuea. Quod autem vrina complexionis sanguineæ sit colore rufa, atque substantia spissa, est antea declaratum: at in complexione melancholica sanguinea, melancholia supremum sibi dominium vindicat; quare vrina talis complexionis se habebit vt ℥ ß. aquæ limpidæ, & ℥ ij. vrinæ rufæ obscuræ, eritque ista mixtio mediocris in substantia, sed magis ad tenuitatem tendens, & colore pallida aut subcitrina, & aliquando intensior, & denotabit complexionem melancholicam sanguineam, & consequenter omnia eiusdem signa.

Cuiusmodi sunt
- Corpus mediocriter grossum & firmum.
- Color obscuro more rubens.
- Cutis nec dura nec aspera, sed temperata in calore & mollitie, nec nimis pilosa.
- Conditio cogitabunda, timida, melancholica.
- Qualitas huius est satis temperata & natura bona.
- Somnia sunt satis iucunda, & sæpicule veridica.
- Digestio est mediocriter fortis.

Complexio sanguinea melancholica.

Hæc complexio fit quando signum aëreum possidet maiorem partem horoscopi, terreum vero minorem.

Quare vrina se habebit vt admixtio aquæ claræ ℥ ij. cum vrinæ spissæ & croceæ ℥ ß. quare erit istius complexionis vrina fulua & mediocris substantiæ, sed aliquantulum ad spissitudinem tendens, quare & signa istius complexionis ostendet talis vrina.

Cuiusmodi sunt
- Corpus mediocris staturæ, & carnosum.
- Cutis mediocriter polita & satis calida in contactu, estque satis pilosa.
- Capilli sunt obscuri.
- Buccæ sunt rubicundæ, aliquantulum luteo colore obumbratæ.
- Conditio tendit multum ad simplicem sanguineam.
- Somnia de profundis fossis, puteis, &c.
- Digestio est mediocris.

Complexio sanguinea phlegmatica.

Ista complexio in sua radice cœlesti fit, cum signum triplicitatis aëreæ occupat maiorem horoscopi portionem, illud vero aqueæ minorem.

Qualis est vrina complexionis magis exquisite sanguineæ dictum est, videlicet aurea & spissa: iam vero colligendum est ex præcedentibus quod vrina complexionis mere phlegmaticæ sit in sua substantia spissa & scorsa in colore alba, glauca & aquea. At hac in cōplexione abundat & exuberat sanguis: ergo vrina in colore ac substantia se habet ac si vrinæ sanguineæ ℥ ß. permisceretur cum vrinæ phlegmaticæ ℥ ij vnde erit ipsa colore fulua & subcitrina aut citrina, & substantia spissa, designabitque talis vrina signa istiusmodi complexionis.

Qualia sunt
- Corpus satis crassum & procerum.
- Capilli sunt albi vt linum.
- Color est aliquantulum rubescens, sed non vt in complexione absolute sanguinea.
- Conditio tristior quam est mere sanguinea, & minus audax.
- Digestio est indifferens.
- Somnia volantium in aere, & de præcipitatione ab altis atque proceris locis in aquam, aut de conspectu aquarum ab alto.

Complexio phlegmatica sanguinea.

Fit ista complexio à cœlesti radice videlicet quando maior pars horoscopi natiuitatis possidetur à signo phlegmatico, minor vero à sanguineo, & tunc erit vrina ac si esset mixta ex ℥ ß. vrinæ albæ crassæ & ℥ ij. vel iii. vrinæ rufæ, & per consequentiam erit vrina talis subpallida aut subcitrina, quare designat signa complexionis talis, cuiusmodi sunt ista,

Videlicet
- Corpus statura mediocre, sed satis grossum.
- Cutis polita & mollis, atque in contactu ad frigiditatem tendens, pilisque destituta.
- Capilli fului & instar lini carminati atque plani.
- Color faciei inter albedinem & rubedinem.
- Conditio inter hilaritatem & tristitiam, inter auaritiam & liberalitatem, nec nimis audax nec timida.
- Facultas digestiua aliquantulum tarda & segnis.
- Somnia eorum sunt de rebus fabulosis.

Complexio phlegmatica cholerica.

Fit ista complexio quando signum triplicitatis aqueæ maiorem horoscopi portionem occupat, & illud igneæ minorem. Vrina talis complexionis se habet ac si vrinæ complexionis mere phlegmaticæ coniungeretur in proportione ℥ ß. cum ℥ ii. vel iii. vrinæ cholericæ, vnde vrina deueniet pallida vel subcitrina cum mediocri spissitudine, eritque talis vrina nuntius & testis signorum huic complexioni pertinentium.

Cuiusmodi sunt
- Corpus procerum, & non grossum aut pingue vt phlegmaticum.
- Cutis satis pilosa & contactu temperata.
- Capilli eburnei cum obscura flauedine.
- Conditio est magis agilis & audax quam illa mere phlegmatica; nec ad tantam somnolentiam sunt proni.
- Facies maculis vt plurimum flauis contaminata, & color est albus citrinitate quadam obscura obumbratus.
- Appetitus & indigestio sunt indifferentes.
- Somnia sunt de natatione & nauigatione in aquis & de pluuia & niuibus.

Chole-

Cholerica phlegmatica complexio.

Fit quando signum igneum occupat maximam horoscopi portionem, & illud aqueum minimam.

Vrina ergo eius erit quasi proportionata ex ℥ ß. vrinæ complexionis merè cholericæ, & ℥ ij. vel iij. illius phlegmaticæ, vnde mixtione facta erit vrina in substantia tendens magis ad tenuitatem, & in colore citrina & fulua seu aurea; vnde talis vrina designabit signa istius complexionis, cuiusmodi sunt ista:

Videlicet
- Corpus mediocris staturæ firmum & validum, nec nimis pingue nec macilentum, cum tibiis grandibus.
- Cutis in contactu moderata & satis pilosa.
- Capilli flauescentes.
- Conditio non plurimum à cholericis differt, & tamen non sunt ita ad iracundiam proni, nec ita audaces, aut prodigi aut dolosi.
- Digestio est perfecta.
- Somnia sunt de bello aut contentione, fulgure & aqua calida.

Hæ sunt 8. illæ complexiones naturales compositæ, quæ à simplicium mixtione fiunt siue oriuntur: quarũ vrinis bene cognitis & à sagaci artifice rite consideratis complexionem viri sani etiam absentis delineare haud erit difficile, quemadmodum ego frequenter nuntio siue vrinæ allatori feci, qui non pro ægroto & ad præcautionem aliquando venit ad me, naturalem sani constitutionem cognoscendi gratia.

Iam vero ad radices illas tam cœlestes quam elementares procedam, mediantibus quibus complexiones istæ tam simplices quam mixtæ corrumpi atque præternaturaliter pollui solent.

CAPVT VIII.

Quomodo complexiones prædictæ naturales, tam simpliciores quam à simplicibus compositæ, per radices tam cœlestes quam elementares in statum varieformem præternaturalem reduci soleant.

Planeta corrumpens est vel —
- Eiusdem existit naturæ & proprietatis cum signo natiuitatis, vt si signum sit triplicitatis igneæ à ♂ vel ☉ corrumpi potest: si aqueæ à ☾ vel ☿: si aëreæ à ♃ & ♀ si terreæ à ♄ & ☿ vti in prædictis abunde declaratum est: & si corrumpens planeta igneus vel aëreus sit in signis talibus, tunc magis quam par est intenditur vrina, si sit aqueus vel terreus, & in signis talibus, tum magis quam æquum erit remittetur vrina.
- In vna qualitate dissentit à signo horoscopi, vt si ♄ sit corruptor, & fuerit in igneo, ibi conueniunt ambo in siccitate, & in actiuis qualitatibus omnino differunt: sic ♃ in aqueo signo, & ☾ in aëreo, & similiter ♂ in aëreo vel terreo: nam in eo conueniet suo calore cum aëre, at dissentiet in sua siccitate ab illo, conueniet in siccitate, discordabit in caliditate & frigiditate.
- In vtrisque naturis discrepat à signo natiuitatis vt ♂ in signis aqueis & ♃ in terreis, & ♄ in aëreis.

De horum omnium mutationibus atque formis, videlicet de modo & ratione qua varieformiter corrumpere solent planetæ male dispositi influxus illos quos triplicitates infundere solent ad homines sub ipsis natos statuminandos, & quasi naturalibus seminibus suæ complexioni conuenientibus reficiendos, sufficienter per tabulas in *cap.* 1. 2. 3. 4. *&c. membri* 1. *lib. huius* 4. loquuti sumus: & tamen hoc in loco de ipsis aliquantulum liberius & ad propositum pertinentius disceptabo.

♄ significator & male affectus in aliquo triplicitatis igneæ signo facit istiusmodi seminum mixtione spiritum quem venti Orientales cum dominio & Septentrionales cum subiectione incorporant cum substantia elementi catholici in meteora complexione partim per superabundantiam igneam, & partim cum obedientia terrea, ac si ex nigredine terrea & rubedine seu fuluedine ignea quid componatur. Horum autem macrocosmicorum meteororum seminaria sibi similia procreare solent in microcosmo: vnde iuxta Astrologorum sententiam ♄ in ♈ gignit magis tenuem flauam bilem cum melancholia, ex qua morbi in ventriculo, obstructiones hepatis & lienis cum punctura, febres quotidianæ, icteritia flaua, &c. In ♌ spissiorem creat flauam choleram & melancholiam cum superflua pituita, sed cholera prædominabitur, gignitque talis mixtio siccas febres pestilentiales, in quibus quandoque frigus, & nonnunquam calor præualebit, admodum vrunt præcordia, & post paroxysmum fixantur ægri spiritus, ac si epileptico insultu essent percussi: in aliquibus hæmorrhoides cum angore sicco; similiter calculum, timiditatem, lippitudinem, febrem hecticam à nimia siccitate, morbillos, cachexiam calidam, morsum & tremorem cordis, menstruorum obstructionem, &c. In ♐ rubram choleram & melancholiam, non sine phlegmate superfluo, sed rubra cholera habebit dominium, paritque hos morbos, videlicet, Noli me tangere, pestem, carbunculum, lepram & difficilem faciei rubedinem quam vocant guttam rosaceam; podagram nodosam & siccam cum æstu, hæmorrhoides, cancros siccos cum inflammatione, tumorem pedum, &c. Sed ista omnia cum profunda & difficili vehementia.

Vrina quæ talem mixtionem præternaturalem sequitur est, si ♄ sit in
- ♈ Substantia tenuis, colore citrina, fuluaque.
- ♌ Substantia tenuis, rubea magis & subrubicunda cum liuiditate quadam obscura.
- ♐ Substantia tenuis, colore rubicunda obscure, & synopea, & cyanea.

♄ in signis aëreis videlicet ♊ distemperat sanguinem cum melancholia & phlegmate superfluo, vel viscidum phlegma dulce ex sanguinis & melancholiæ mixtione, dominabiturque sanguis, facitque morbos intestinorum, vt colicam passionem, tumorem tibiarum, vermes in ventriculo, torsiones ventris, dolorem humerorum & renum; vel in ♎ illum ipsum procreabit humorem, à quo vexatio & cura animæ, febres duorum paroxysmorum, pleuritides & dolores laterum, variolæ, pestis, apostemata sub diaphragmate, pulmonum suffocatio à frigido sanguine, sudores frigidi, hæmorrhoides, scabies, fluxus ventris: vel in ♒ gignit gonorrhæam, morbum gallicum, apostemata, cancrum, catarrhum & fluxus catarrhales, multum phlegma in ventriculo & stranguriam, apoplexiam, epilepsiam, dolorem capitis: nam (vt supra dictum est) procreatus est istiusmodi mixtione influxuum ♄ cum triplicitate ista spiritus quem in mundum elementarem illapsum venti Meridionales in dominio, & septentrionales in remissiori gradu incorporant cum substantia elementi catholici in speciem macrocosmi meteorologicam, cuius seminaria per spiritum microcosmicum perfusa generant prædicta meteora, quorum testes sunt vrinæ *infra* dictæ.

Vrina erit in morbis à ♄ in
- ♊ Substantia mediocriter spissa, colore pallida, subcitrina.
- ♎ Substantia mediocriter spissa, colore citrina & fulua, & quandoque intensior.
- ♒ Substantia mediocriter spissa, & colore fulua, crocea, turbida.

♄ in signis aqueis facit seminaria quæ ventus Occidentalis per dominium & septentrionalis cum subiectione miscent & incorporant in aëre & cum aëre seu elemento communi, quorum vnione parturiuntur meteora in mundo aquea, frigida & ad congelationem parata, quorum influentia meteora in spiritu humano paria procreantur videlicet tusses, catarrhi, obstructiones à phlegmate spisso, similiter morbos alios à phlegmate & melancholia in quibus nihilominus phlegma prædominatur, vt sunt lassitudo, dolores diu in membris continuantes ab ossibus quasi ascendentes. Et si iste humor accidat in cerebro per inspirationem, aut per suturas attractionem seminariorum dictorum macrocosmicorum in cerebrum, tunc aderit grauedo in capite, & dispositio somnolenta, & apoplexia, epilepsia atque paralysis. Horum testes sunt vrinæ subscriptæ.

Vri-

Vrina erit in morbis à ♄ in ♋ ♏ ♓
- Mediocriter spissa, & ad spissitudinem magis quam tenuitatem inclinata.
- Colore
  - Pallida.
  - Subpallida.
  - Alba cum liuiditate.
  - Glauca cum quadam obscuritate.

♄ in signis terreis facit seminaria quæ ventus Septentrionalis cum dominio & sola potentia incorporat cum elemento macrocosmico, & in meteora niualia & gelida conuertit, taliaque præter naturæ leges per inspirationem creat in spiritu microcosmico, cuiusmodi sunt, humor melancholicus, cancer, podagra, conuulsio, stupor, paralysis, lienis tumor & vlcera terrea, indigestio, hepatis & lienis oppilatio, icteritia nigra, & si influxus talis cadat ad renes, calculus, si in matricem, menstruorum retentio & flatus in matrice, mola matricis, si cadat in vesicam, calculus & stranguria, si in extremas partes, atrophia & podagra, atque etiam verrucæ, calli, tophi seu nodi. Porro in interioribus quartanam excitat. Ex meteoris ventosis tympanitim, flatum hypochondriacum, desperationem, suffocationem matricis, alui stypticitatem, cordis grauedinem, tristitiam, timorem, lienis suffocationem, maniam, & dæmoniorum possessionem.

Horum autem meteororum microcosmicorum testes sunt vrinæ tenues.

Et colore, si fuerit ♄ in
- ♉ Pallidæ cum quadam liuiditate.
- ♍ Admodum albæ cum liuida limpiditate, & quandoque plumbea atque nigrescente.
- ♑ Crystallinæ, liuidæ, plumbeæ seu nigricantes, vt antea.

De ♃.

♃ significator & in aliquo signo triplicitatis igneæ gignit tali mixtione seminaria, quæ in elementum sublunare, subterlabentia venti Orientales per dominium, & Meridionales cum remissione vndique per illud disseminant, & cum illo miscent atq; incorporant, ac tandem in speciem meteorologicam componunt vaporosam, nubilosam, fulgure nimio animatam; nam natura ignea dominiũ habet: quorum in aëre seu elemento communi dissipatione seu expansione, atq; aëris taliter infecti per inspirationẽ, aut nutrimenti in corpus microcosmicũ receptione, similia ꝓcreari solent in elemẽto sanguineo meteora, videlicet (iuxta veterũ Astrologorum assertiones) vel acrem flauam bilem sanguinis molem corrumpentem cum pustulis, pruritu, scabie, serpigine, febre quotidiana, acres circa cordis regionem morsus, sanguinis vomitionem, pleuritidem, apostemata, inflammationes, febres æstuosas, & sanguinis profluuia, &c. si fuerit in ♈. Et præter istos morbos inflammationem hepatis, icteritiam, facies fibulosas & rubras, morbum regium, apostemata capitis, squinantiam, si in ♌. Et rubram choleram cum spisso sanguine, & ex iis carbunculos, phrenitidem, ophthalmiã, causum, seu febrem ardentem, fluxus acres alui cum sanguine, vlcera putrida, menstruorum fluxum, tussim, peripneumoniam, pestem, seu febres pestilentiales, noli me tangere, & morbos antea citatos, si fuerit in ♐. Horum autem cum humorum tum morborum testes sunt vrinæ substantia mediocriter spissa.

Et colore, si fuerit in
- ♈ Citrina, rufa, crocea.
- ♌ Fulua, crocea, rubra, & rubicunda.
- ♐ Subrubicunda, rubicunda, sinopea, cyanea.

♃ in signis aëreis efficit tali mixtione seminaria quæ Auster cum solo imperio incorporat cum elemento communi, producitque meteora æstuosa cum madore, & talia

meteora sanguinem microcosmi inficere solent seminariis suis per aërem dispersis & in corpus vel inspiratione vel alimento introductis, abundantiam sanguinis calidi in eo parturientia, vnde talia insequuntur meteora, videlicet apostemata, pleuritis, peripneumonia, fluxus sanguinis, multus sanguis è naribus, sanguinis euomitio, menstrua mulierum, suffocatio matricis, febris synochus, hæmorrhoides, purpura, si fuerit in ♊ atque omnes eos cum apostemate aut squinantia, aut febre duplici tertiana, si in ♎. Deniq; sanguinem spissum & fœculentum, atque omnes morbos supradictos, sed rebelliores, vtpote qui gignuntur ex abundantia spissi sanguinis.

Horum ergo testes sunt vrinæ subscriptæ in substantia spissa.

Et colore, si fuerit in
- ♊ Subfulua, seu subluteæ & luteæ.
- ♎ Fuluæ, rubeæ, subrubicundæ.
- ♒ Rubeæ, subrubicundæ & sinopeæ.

♃ in signis aqueis procreat tali mixtione seminaria quæ venti Occidentales cum dominio & Australes cum subiectione miscent & incorporant cum elemento mundi sublunari, mediante qua incorporatione procreantur meteora mundi visibilia, quæ inspiratione & alimento procreant in aëre sanguineo microcosmi meteora talia, cuiusmodi sunt phlegma seu aqua, cum cholera vitellina, & aqua habebit dominium super sanguinem; quare ratione dominii huius fit tussis frigida, humida & viscosa cum impedimentis pulmonum & ventriculi, cum corrosione quadam circa cor, fastidium cibi, catarrhus, apostemata frigidæ pituitæ, oppilatio pulmonum, scabies, flatus multus, durities ventris, præcipue in infantibus, vermes, gonorrhæa, morbi vesicæ, cuiusmodi sunt stranguria, diabetes, hydrops dictus anasarca, epilepsia, morbus Gallicus, raucedo, si fuerit in ♋ si in ♏ gignit choleram vitellinam cum humore mixto ex sanguine & phlegmate, sed phlegma habebit dominium vt 2. ad 1. facietque febres frigidas & podagram atque articularem morbum & dolorem frigidum, tumorem, dolorem pudendorum, rheumata, tusses, &c. si in ♓ gignit aquam salsam & phlegma putridum mixtum cum sanguine, & phlegma habebit dominium, faciens morbos supradictos, sed in profundiori gradu corruptionis frigiditatisque putridæ in hepate, atque etiam febrem quotidianam: quorum testimonia sunt vrinæ in substantia, plus quam satis est spissæ, propter phlegmatis dominium.

Et colore, si fuerit in
- ♋ Pallidæ, luteæ.
- ♏ Luteæ & magis fuluæ.
- ♓ Luteæ & fuluæ cum obscuritate.

♃ in signis terreis procreat tali mixtione seminaria, quæ venti septentrionales in dominio, & Meridionales cum remissione incorporant cum elemento sublunari, atque hac ratione meteora frigida & sicca cum dominio producunt, quorum seminaria in spiritum humanum seu sanguinem introducta meteora illis macrocosmi simillima introducit: nam si inueniatur ♃ in ♉ generabit in microcosmo sanguinem melancholicum cum phlegmate grosso, & cholera æruginosa mixtum, ex quib. exurgunt oppilatio hepatis & lienis, alui durities siue constipatio, dolor viscerum & ossium: si in ♍ verrucas, tophos, fluxus, rigiditates, & dolores genuum & neruorum cum morbis prædictis: si in ♑ morbos gutturis, cuiusmodi sunt squinantia, anginæ, apostemata, molæ, verrucæ, membrorum debilitas cum multo flatu in corpore; colica cum corrosione siue punctura ventriculi, vomitio, hæmorrhoides, &c. quorum testimonia sunt vrinæ magis ad tenuitatem tendentes.

Et colore, si fuerit in
- ♉ Pallidæ & subcitrinæ.
- ♍ Subpallidæ & magis remissæ, sed parum tinctæ.
- ♑ Caropeæ, subpallidæ, pallidæ.

De ♂.

De ♂ autem ac de ☉ cum cæteris est dictum in præcedentibus, videlicet de ipsis in qua-

in qualibet triplicitate inuentis, de eorum ſeminariis à quolibet dictorum ventorum gubernatis; ac tum poſtea de meteoris morboſis à dictis ſeminariis deriuatis, & in vltimo loco de vrinis, quas quaſi effectus vltimos producunt, ſecundum tabulas & ſcalas quas in *cap.* 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. *membri* 1. *lib. huius* 4. atque *cap.* 2. 3. 4. & 5. *membri* 3. *lib.* 5. reperietis.

CAPVT IX.

In quo iudicium, ſiue praxis ſuper quatuor vrinarum cardinalium inſpectione, & in primo loco ſuper illa ſeptentrionali, ſecundum Authoris inſtitutionem exprimitur.

IAm denique ad pleniorem practicandi ſiue iudicandi per vrinas quatuor cardinales methodum me conuertam, atque in priori loco cum vrinæ proprietatis ſeptentrionalis ſignificatione exordiar.

Proprietas Septentrionalis eſt frigida, ſicca & melancholica: at frigiditas talis in ſupremo gradu tollere ſolet tincturam ſulphuris, vel repercutiendo illud ad centrum, vnde vrinæ remiſſio extrema, vel ſaltem illud in centro repercuſſum ſuperando & extinguendo, vnde facta eſt vrina nigra, cum talis reddatur propter mortificationis vigorem ſal ſanguinis naturale, in quo centraliter habitare ſolet vitæ ſulphur. Porro etiam gratia plagæ iſtius ſiccitatis ſubſtantia ſanguinis magis conſtringitur, & per conſequens vrina iſtius proprietatis eſt maxime in ſubſtantia ſua tenuis.

Quare vt primum percipio talem vrinam, colligo mecum (ſi patiens eſſet mihi antea notus) an ipſe in ſanitate ſua tales redderet vrinas nec ne, ſi ſic, tunc ſcio vrinam iſtam eſſe aliquantulum remiſſiorem & tenuiorem, & tunc concludo eius intemperiem à ♄ vel ☿ in ſignis terreis præſentia oriri, & per conſequens concludo complexionem eius naturaliter melancholicam eſſe adhuc, idque vltra naturæ metam factam. At quoniam ventus ſeptentrionalis eſt cæteris magis crudus, & inconcoctus, nam frigidum deprimit calidum, quod eſt inſtrumentnm actiuum coctionis, & ſiccum humidum paſſiuum, ideo concludo quod talis vrina præcipue & ſemper ſignificet melancholiæ dominium atque indigeſtionem. Atque hic eſt gradus iudicandi primus, vbi vrina eſt valde in colore remiſſa, atque in ſubſtantia ſua tenuis, quorum illud denotat caloris depreſſionem, hoc ſiccitatis prædominationem.

In ſecundo loco intuitu aliquantulum acutiori omnimodo perquiro an aliquod in vrina illa tenui & remiſſa appareat aut diſcerni queat contentum, videlicet aut nebula vaporoſa & vix comprehendenda, qua percepta video an totam vrinæ ſubſtantiam occupet, vel aliquam eius regionem; ſi totam, tunc dico corpus integrum flatu in proprietate ſeptentrionis ſubtili de natura melancholiæ hypochondriacæ poſſideri & per vices affligi: at ſi aliquam tantummodo regionem occupet, tunc dico ſimilem in corpore regionem flatu tali & morbis melancholicis, qui tales concomitari ſolent flatus, opprimi & occupari, idque iuxta veterum atque recentiorum experientiam atque praxim illam iudicare debemus, quæ *cap.* 8. *memb.* 2. *lib. huius* 5. vbi de nubis & nubeculæ atque hypoſtaſis ſignificationibus verba ſatis luculenta effecimus. At ſi nec nubecula, nec nubes, nec hypoſtaſis aliqua, aut ſedimentum, aut atoma & huiuſmodi alia contenta appareant, ſed vrina ſimplex videatur tenuis, remiſſa & candida inſtar vel cryſtalli vel aquæ rupis, tunc de morbis ſimpliciter melancholicis, & de humore melancholico, cuius eſt ſua ſpiſſitudine lienem facile obſtruere, ac denique de indigeſtione iudicium & præſagium facimus, iuxta canones & regulas in tali vrina expreſſas; eritq; hic ſecundus noſter in iudicatione gradus.

In tertia ſerie ſi contentum aliquod appareat, obſeruamus regionem, colorem, ſubſtantiam, & ſecundum iſta iudicamus de morbi proprietate, de eius humoris ſiue materiæ digeſtione vel indigeſtione, ac denique & præcipuo in corpore loco in quo & dominium & ortum ſuum habet. Præterea ſciendum eſt quod ſint nonnulli morbi qui naturali quadam inclinatione vnam corporis regionem magis affectant quam aliam, verbi gratia flatus crudi maxime affectant lienem & hypochondria pro ſua ſede: ſimiliter lien eſt naturalis quartanæ & reliquorũ morborum melancholicorum patria & ſedes: renes & veſica calculi, cerebrum catarrhi, coſtæ pleuritidis, guttur anginæ, pulmones tuſſis, phthiſis, &c.

His

His igitur in hunc modum ſerio conſideratis, tunc aut nuntium aut ipſum patientem audacter alloqui aggredior: & in primo loco quoniam diſcerno per vrinæ cum compoſitionem tum colorem melancholiam præternaturalem redundare in corpore ſeu ſanguine ægroti; primum repeto ſigna complexionis melancholicæ ſiue ſeptentrionalis, præter naturæ leges ſe habentis, quemadmodum *cap.2 membri.1.lib.5.huius* eas inuenietis; & dico, quod perſona iſta habeat ſuperfluitatem multam ab indigeſtione, acrimoniam in ore ventriculi propter aciditatis copiam, quod indigeſtio ei adſit & grauitas poſt cibum, quod plerunque ei adſit alui ſtipticitas propter fortitudinem retentiuæ facultatis; idque eſt præcipue dicendum ſi multa ſit vrina in quantitate. Porro pronuntiabo talem vigiliis & inſomnolentia eſſe oppreſſum: ſimiliter quod grauedinem & diſtenſionem communiter habeat in læua capitis parte, quæ circa veſperam erit vehementior: & quod ventoſitate magna & eructationibus ſit ſæpicule oppreſſus: quod habeat quandoque ſomnia timida & terribilia, videlicet mortuorum & rerum tenebroſarum & ſimilium: ſimiliter vomitum ac tenſionem præcordiorum, & difficultatem nonnunquam reſpirationis, & plenitudinem materiæ rheumaticę & catarrhoſæ ob digeſtionis defectum. Tum poſtea expr... morbos humori melancholico conuenientes, & præcipue inſiſto in eo morbo qui communiter ſolet occupare regionem illam quam contentum in vrina aliquod deſignat. Verum ſi vrina ſit commixta ex aliis humoribus, tunc de ſignis complexionis melancholicæ cholericæ, aut melancholicæ ſanguineæ agendum eſt vti *cap.7.eiuſdem membri* inuenietis explicatum.


Hoc eodem modo procedendum eſt, cum vrina Occidentali, Meridionali atque Orientali, ac in illa Septentrionali eſt dictum.

Huc referatur Cap. X. ſub ſigno † † †.



CAPVT


TOTVM hoc vrinæ mysteriu[m] sibus in suo proprio tractatu, per instrumentum dem demonstratiuum satis l



In quo demonstratio totius mysterii vrinarum in proprietate quatuor ventorum explicatur.

TOTVM hoc vrinæ mysterium potest etiam per Speculum nostrum experimentale haud aliter demonstrari, quam illud de pulsibus in suo proprio tractatu, per instrumentum dem demonstratiuum satis luculenter versus historiæ illius finem delineauimus.

FIGVRA ISTIVS DEMONSTRATIONIS EST TALIS.






EPILOGVS AD TRACTATVM ISTVM.



Ecorderis velim ô Christiane lector, quod quicunque dicitur populi & nationum princeps, siue sit rex, Alexander, vel Imperator aliquis Cæsareus, aut quicunque pro philosophorum principe, qualis inter ethnicos Plato aut Aristoteles sunt æstimati, aut quicunque medicorum princeps, siue sit Hippocrates, siue Galenus, est vulgariter dictus, vnum tamen verum, regalem, imperatorium, & summum agnosco ego solum modo dominum & principem, respectu cuius cæteri sunt quasi imagines vanæ, & pictæ plane tabellæ, vita & actione penitus destitutæ: nec ergo princeps populi, nec ille philosophorum quicunque sit, nec denique medicorum quispiam est aut adoratione venerandus, aut in re quapiam aliter à Christiano respiciendus, quam vt suam integram spem fideique anchoram habeat in Domino Dominorum fixam, qui solum modo omnia potest tam ad creaturæ salutem quam destructionem, omnia operatur in omnibus, idque solus & sine adiutorio: quare hic solus Deus adoratione & veneratione dignissimus, hic imperatorum & regum dominus, qui ipsos ducit, spiritumq; eorum gubernat, quomodo, quando, & vbi vult, ille vnicus doctrinæ atque sapientiæ fons, & consequenter scientiarum & prudentiæ Dominus & princeps supremus, hic medicorum medicus, balsamũ supercœleste salutis, & morborũ atq; mortis poculum lethæum: hic est ille qui cuncta potest, hic omnia, hic vnũ, hic supra omnia, hic in centro, atque circumferentia: hic bonum vnicum & totum in se bonum, tametsi cũ vulnerat pro malo à mundo cæco & ignaro habeatur: hic vnum per se & in se, in angelo & ab angeli centro mouetur, atque in angelica sua proprietate animat ventos, eosque agitat ad varieformiter informandum mundi elementum, atq; ad ipsius substantiam in humores & meteora proprietatibus ventosis in conditione respondentia reducendam: hic per organa istiusmodi meteorologica, vel sanitatem, vel morbos, & insalubritatem, vel seminaria mortalia, vel viuifica in elemento mundi sanguineo procreare solet pro placito suo, quorum effectus causæ primariæ vrinarum per demonstrationem à posteriori indicantur, atq; etiam effectuum actionis primariæ intermediorum cuiusmodi sunt stellæ, venti, meteora, humores, morbi proprietatem designant.

Ipsi ergo à summo & profundo corde sit veneratio, adoratio, cultus, laus, & gloria in sæcula sæculorum; ipse omni momento sit mente colendus & precibus atque meditatione mentali sine cessatione inuocandus, vt, cum sit pater noster benignus, ne nos inducat in tentationem, sed liberet nos à malo, quoniam ei soli est regnum, potentia & gloria in æternum. Benedicat ipse mihi, qui confido totaliter in eum, quippe qui est meæ vitæ lux, meæ mentis gloria, meæ animæ actus, mei corporis salus. Ei sit benedictio perpetua. Amen.



PORTIONIS TERTIÆ, PARTIS TERTIÆ, MEMBRVM SECVNDVM,

Siue Vltimum, Libello vnico conclusum.

Libellus iste membro huius partis (quæ circa excrementa versatur) vltimo conclusus signa explicat —— ——
- Egestionis per
  - Vomitum, de quibus *cap.* 1.
  - Secessum, & de hisce *cap.* 2.
- Sudoris, & de istis *cap.* 3.
- Sputi, de quibus pertractat *cap.* 4.

Capvt I.

De signis prognosticis, & demonstratiuis simul ab egestione per vomitum depromptis.



SI humor per vomitum euacuetur, qualis erit ille humor talem agnoscere debemus fore corpori & præcipue ventriculo noxium, & per consequens morbum qui temperiem corporis à dominio talis humoris sequi assolet. Quid autem Galenus & Hippocrates in vomitionis praxi animaduerterint, his paucis enucleabo.

Dicunt quod

- Vomitio vtilissima si pituita ac bile permista. Gal. *in prog. Hipp. c. 6. textu* 38.
- Vomitus biliosus syncerus caloris copiam, pituitosus indicat frigus. Galen. *in textum illum.*
- Sincerus humor crassior redditur, pituitosus propter humiditatem quasi concretus: biliosus propter exuberantiam caloris euaporatus atque assatus. Hæ duæ causæ contrariæ crassitudinis, calidum enim euaporat, frigidum astringit. *Ibid.*
- Vomitio porracea aut liuida aut nigra mala est, *Ibid. text.* 39.
- Vomitio bilis croceæ per naturam, porraceæ præter naturam. Gal. *Ibid.*
- Vomitio omnium simul colorum est exitiale admodum, *Ibid. text.* 40.
- Vomitio liuida si graue olet, ocyssimam indicat destructionem. *Ib. text.* 41. Ratio est quia talis euomitio arguit putredinem cum extinctione caloris, *Gal. in eodem.*
- Omnis subputris & fœtidus odor in omni vomitione malus. *Ib. text.* 4
- Stercorum vomitus in Iliacis seu volvulo lethalis, *lib. 3. sympt. caus. c.* 1
- Quibus totius capitis grauitates, tum autem cordis dolores & fastidia sunt, biliosa & pituitosa vomunt. *Epid. lib. 1. com.* 11 *text.* 56.
- In perturbationibus ventris & vomitionibus spontaneis si talia purgantur qualia purgari oportet cõfert & leuiter ferunt, sin minus contra, 1. *Aph.* 2.
- Vomitus superfluus attenuat corpus, 2. *Aph.* 28.
- Vomitus biliosi sequuntur rigores, 4. *Aph.* 58.
- Vomitus biliosi soluunt febrem tertianam, 4. *Aph.* 59.
- Vomitus spontaneus soluit longum profluuium alui, 6. *Aph.* 15.
- Vomitus ostendit ventriculum ieiuni pati, 5. *Aph.* 50.
- Vomitus singultum sedat, 2. *Aph.* 7.
- Vomitus à tuberculi intus ruptione fit, 8. *Aph.* 7.

Vomi-

Vomitus ab Ileo malum. 7. *Aph.* 10.
Vomentes sanguinem sine febre salutare, si cum febre malum est. 7. *Aph.* 37.
A vomitu sanguinis tabes & puris purgatio supra. 7. *Aph.* 75.

CAPVT II.

De signis prognosticis & demonstratiuis simul ab egestione per secessum deriuatis.

PAriter sunt signa tam prognostica quam demonstratiua quæ sequuntur egestionem per secessum, siue stercora & excrementa ab intestinis, quæ tam Hippocrates & Galenus quam medicorum Arabum principes in hunc modum describunt.

Egestio per secessum si fuerit —
- Pauca significat humoris paucitatem, retentionem, atque facultatis expulsiuæ debilitatem. 1. *Cris. c.* 11.
- Humida arguit oppilationem & virtutis digestiuæ & mesaraicarum debilitatem. 2. *prog.* 14. 1. *Cris. c.* 11.
- Opima & fœtida importat liquefactionem, atque humorum putridorum & viscidorum copiam. 1. *Cris. c.* 11. 2. *pr.* 22.
- Spumosa significat ebullitionem flatuum. 2. *prog.* 20. & 7. *Aph.* 30.
- Sicca significat laborem, resolutionem, multam vrinam igneum calorem, nutrientium siccitatem, multam moram in intestinis. *Auic.* 2. *primi c.* 13.
- Ignea bona est, & naturalis, 2. *prog.* 17. 2. *loc. affect.* 6. 3. *Cris.* 3.
- Satis ignea denotat abundantiam bilis, morbique resolutionem 1. *Cris.* 11. at minus ignea cruda est. *Ibid. Galen.*
- Alba significat oppilationem & cruditatem. 2. *prog.* 20.
- Nigra arguit adustionem, atram bilem & resolutionem virtutis. 1. *Cris.* 11. & 4. *Aph.* 21. & 2 *prog.* 22.
- Acris, pontica & bulliens indicat humorem atrabiliosum. 4. *Aph.* 21. 23. *lib. de atrabile cap.* 3.
- Viridis significat caloris innati extinctionem, bilem æruginosam, vermes, frigiditatem. 2. *prog.* 39.
- Frequens demonstrat bilis multitudinem, atque facultatis retentiuæ debilitatem. 1. *Cris.* 11.
- Tarda indicat virtutis digestiuæ debilitatem, intestinorum frigiditatem, flatum plurimum, atque instrumentorum angustiam. 2. *prog.* 24. & 3. *de causis sympt.*
- Sine tinctura arguit icteritiam. *Rhasis tract.* 4. *cap.* 8. Auic. 3. *prim. doct.* 5. *cap.* 1.
- Variegata & versicolor sponte profluens significat morbi longitudinem si adsit adhuc virium robur, aliter vero importat mortem.
- Similiter si inueniatur in complexione
  - Cholerica erit rubra & fragilis.
  - Cholerica melancholica flauescens & dura.
  - Melancholica cholerica lutea, pallida & aliquantulum mollis.
  - Melancholica simpliciter instar argillæ, sed fracta.
  - Melancholica sanguinea erit rubescens & fragilis.
  - Sanguinea melancholica rubescens & satis laxa.
  - Sanguinea rubra atque firma.
  - Sanguinea & phlegmatica rubea in vno loco & alba in alio.
  - Phlegmatica sanguinea rupta & fragilis.
  - Phlegmatica simpliciter tenuis & rupta seu fragilis.
  - Phlegmatica cholerica citrina & spissa.
  - Cholerica phlegmatica flaua & dura.

Capvt III.

In quo signa tam demonstratiua quam prognostica, quæ ex sudore eliciuntur, paucis exprimuntur.

Ad signa illa quæ à sudore eliciuntur quod spectat hæc accipito.

Homo qui febrem habuerit si sudauerit in die 3. vel 5. vel 7. vel 9. vel 13. vel 15. vel 20. omnia ista significant quod prolongari debeat ægritudo, & perueniet ad Crisim.

Qui habet febrem fortissimam & nimis acutam, considera in eo si sudauerit, & si sudor eius frigidus fuerit sciatis quod non morietur, sed prolongabitur ei infirmitas, & si vis cognoscere natiuitatem infirmitatis illius considera locum sudoris illius, & vide vnde exeat sudor, nam in eo loco primum nata est infirmitas.

Homo qui infirmus fuerit & habuerit somnum & sudauerit, quando de somno surrexerit, & sudor ille multus fuerit, omnia eueniunt propter ciborum multitudinem.

Qui sudauerit per multum temporis, & inuenietur sudor illius quandoque calidus, quandoq; frigidus, & suspirauerit frigide, sciatis quod diu prolongabitur febris.

Qui habet febrem & multum sudat, si febris non recesserit, scias quod prolongabitur febris, & inducet eum in aliam infirmitatem pessimam.

Febris quæ non recedit per sudorem vel per ventis effusionem, denotat sui prolongationem.

Concludimus denique paucis quod si sudores sunt

- Iudicatorij.
- Abundantes.
- Integre, febrem finiant.
- A toto corpore.
- Bonæ tolerantiæ.
- Calidi.

} Omnes boni. Hippoc. & Galen. *1. prog. 26. & 4. Aph. 36. & 3. de causis sympt. 2. & 4. lib. de sanit. tuenda 4. com. 3. in 1. porrh. 21.*

- Symptomatici.
- Ingrauescente morbo.
- Solo capite & fronte.
- Malæ tolerantiæ.
- Frigidi.

} Pessimi qui virtute consistente morbi longitudinem, debili autem citam mortem portendunt 4. *Aph. 37. & 1. prog. 26.*

Capvt IV.

De signis demonstratiuis & prognosticis simul, quæ è sputi obseruatione exurgunt.

Signa etiam prognostica & demonstratiua simul eliciuntur ex sputi obseruatione: nam si illud sit

- Multum significat rheumatismum, humiditatem stomachi, dominium caliditatis. *Auic. 6. tert. c. 25.*
- Difficile arguit virtutis debilitatem, instrumenti siccitatem, materiam admodum subtilem, valde crassam & viscosam. *com. 2. prog. 43. & 1. Aph. 12.*
- Spumosum denotat humorem admixtum aeri, *2. prog. 47.*
- Salsum indicat catarrhum corrosiuum, *Auic. 10. text. tract. 4. cap. 8.*
- Viride demonstrat congelationem & adustionem, *Auic. Ibid.* & bilem citrinam ac porraceam, *2. loc. aff. 8. & 6. Aph. 83.*
- Fœtidum importat humorum putredinem. *Auic. Ibid. & 2. prog. 45. 46. 48. & 2. loc. aff. 8.*
- Simplex vt saliua arguit morbi longitudinem. *Auic. Ib. cap. 9.*
- Tenue denotat humorem subtilem, citæ exiccationis & resolutionis. *1. Cris. 5.*

Album


- Album indicat humorem phlegmaticum, *Gal. Ib. & com. 3. in lib. 6. epid.* 4.
- Album læue & æquale denotat fortitudinem virtutis & perfectam concoctionem, *Hipp. de coac. prænot.* 513.
- Citrinum ostendit si sit clarum bilē vitellinam, 2 *loc. aff.* 8.
- Rubeum significat dominium sanguinis, *ibid*
- Nigrum splendens significat vehementem adustionem, *2. prog.* 48.
- Varium, difficile cum tussi indicat mortis propinquitatem, *Auic. in cant.* 456.
- Pulmonis repletio maxime cognoscitur ex sputo, *vt infra*.

Notandum est quod sputi significatio variatur pro loco à quo educitur. Egreditur autem illud vel à —

- Capite vel cerebro, & tunc per foramina palati cum excussione venit.
- Faucibus & gutture, emittitur cum quadam excussione & titillatione media inter tussim & screationem.
- Stomacho, sponte venit in modum saliuæ.
- Costis & diaphragmate, cum tussi educitur laboriose & parum est spumosum, & discernitur ex apostemate præcedente, aut à pleuresi & sputo sanioso.
- Thorace; discernitur à dolore & concussione præcedente in thorace.
- Pulmone cum tussi educitur, & pulmonū repletionis natura colligitur vel ex
  - Sputi
    - Substantia, videlicet si sit spissum, tenue, viscosum, rarum vel globosum.
    - Qualitate, nimirum si sit album, citrinum, viride, vel nigrum.
  - Impedimento operationis spiritualium membrorum: de quibus, *libro sequenti*.

Sputum erit in resolutione pulmonum à

- Phlegmate
  - Naturali, aquosum, album, insipidum, tenue & facilis eductionis.
  - Vitreo, globosum, subpallidum, insipidum, difficilis eiectionis, ita vt in ipso tractu videatur laniare & cohærere.
  - Salso, album, digestum & facilis eductionis.
  - Dulci, digestum, album, dulce in gustu, & facile in emissione.
  - Acido, tenue & indigestum, liuidum, & gustu acetosum.
- Cholera —
  - Citrina
    - Citrinum.
    - Spissum.
  - Vitellina globosum.
  - Rubra — Cum eductione facili.
    - Citrinum.
    - Viride.
    - Amarum.
    - Acre.
- Melancholia siue atra bili.
  - Colore — — —
    - Liuidum.
    - Nigrum.
  - Gustu acidum.
  - Quantitate paruum.
  - Eiectione difficile.



PORTIONIS TERTIÆ, PARS QVARTA.

Pars ista catoptri ægrotorum quarta versatur circa signa quæ ab inconstanti spiritus vitalis statu eliciuntur, videlicet vel ab —
- Actu respirationis, de quo libellus vnicus.
- Motu cordis & arteriarum, cuius mysterium comprehendit scientia de pulsibus in libros 5. distributa.

DE SIGNIS DEMONSTRATIVIS ET PROGNOSTICIS simul à respirationis actu deprompris, vnico libello comprehensis.

CAPVT I.

De signis tum dominii caloris, tum frigoris in spiritualibus, atque etiam vaporis ratione, seu fumi eliciuntur.



Galenus *in tractatu suo de difficultate respirationis*, de isto subiecto plurimum & luculenter disceptauit, in quo loco legimus: Imprimis quod à respirationis ratione deriuata quandoque procedunt vel ab ipsius in suo motu quantitate, & quandoque à tempore ipsius: verbi gratia vbi in respiratione efficitur magnus, velox & densus spiritus ibi ratione illius contingit difficultas in respiratione cum dolore propter solum ardorem & caloris in regione thoracis dominium: vti è regione respirationis difficultas quæ efficere solet spiritum magnum, tardum & rarum, est indicium infallibile dominii & superabundantiæ frigoris. Vnde Galenus, *Vbi caliditas abundat, ibi veloces, magnæ, densæ ac tardæ sunt respirationes, vbi rursus frigiditas, ibi tardas & paruas & raras inueniemus respirationes.* Porro etiam in respiratione, si multæ fumosæ superfluitates fuerint congregatæ, ibi respiratio erit maxima, velocissima & rarissima.

CAPVT II.

Quomodo contingat mutari respirationem per accidentia.

Galenus etiam *ibidem loci*, nos docet, quod tam ipsæ respirationis quam arteriarum pulsationis ordo communiter alterari soleat propter rationes varias: nam ait quod ex ætatibus omnes quæ in augmento sunt magnam, velocem, & densam respirationem facere soleant, quæ vero decrescunt raram & paruam & tardam. Atque ibidem rationem ostendit, videlicet quoniam illis caliditas maior est, his vero minor. Porro etiam quiescentibus adest respiratio parua, rara, tarda: at in motu & exercitio agentibus contra: similiter iis qui balneo calido vtuntur respiratio erit velocior, maior & densior; quibus vero balneum frigidum in vsu est res è contrario se habebit.

Sed vt ad illas in respiratione mutationes perueniamus quæ in morbis & à morbis contingunt, dicit ipse, In febribus omnibus, & maxime vbi circa aliquod respirationis organum, aut circa cor, multa aderit caloris copia, respiratio magna velox & densa redditur. At si calor naturæ in illis locis perfrigeratur, ibi contrario modo se habebit respiratio.

Infinitum foret de alterationibus illis omnibus hoc in loco scribere quæ à morborum & humorum naturalium præsentia contingunt: quare ea ad prædictos Galeni & alios aliorum authorum libellos referam.

CAPVT III.

In quo docetur, quod tum inæqualitas, & inordinatio, tum æqualitas & ordinatio, atque etiam cessatio, non aliter in respirationis facultate deprehendatur, quam in pulsuum ratione. Porro etiam in hoc respiratio simplex & composita tangitur.

DE hisce satis copiose disceptauit Galen. *lib.* 1. *c.* 16. de difficultate respirationis, vbi loci verbis quidem expressis arguit inspirationem esse, tam inæqualem, quam æqualem, haud aliter quam in motu suo pulsus. Similiter de ipsius ordinatione & inordinatione ibi abunde disputauit. Atque inæqualitatem, ait, aut à dolore contingere aut ex arteriarum & pulmonis affectibus, &c. Porro in *lib. eiusdem cap.* 24. nos docet, quod cessatio adsit in respiratione duplex, videlicet vnica ante inspirationem, altera vera ante expirationem & rationem istiusmodi cessationis *ibidem* exponit. Denique de respirationis compositæ & simplicis ordine & effectu vbertim discurrit *liber eiusdem* 2. Quare vos, ad eum referre velim, quoniam de aliena inuentione hoc in discursu verba proferre plurima, aut alieno vomere terram meam exarare non intendo, quoniam rei veritate aliter res sese habet in respirationis impedimentis quam ipse autumat. Sed de integro huiusce rei mysterio *in tractatu sequente* de pulsibus copiose egimus, plura de eo verba isto in discursu facere non intendimus; sed ad propositum hoc nostrum paucis accedemus.

CAPVT IV.

Hic signa prognostica, & demonstratiua, simul à respiratione deriuata recensentur.

Si respiratio sit:

- Difficilis &:
  - Cum tussi & raucedine arguet repletionem pulmonum à phlegmatis copia.
  - Cum sputo liuido & eiectione cum difficultate importat melancholiæ in spiritualibus dominium.
  - Cum anhelitu feruente & tussi sicca & siccitate, & siti & oris amaritudine indicat choleræ in thorace dominium & copiam.
  - Cum cordis morsu est signum prognosticum Crisis futuræ per vomitum.
  - Cum stertore aut tussi arguit oppilationem partium inspirationi seruientium *Auic.* 10. *tert. tract.* 1. *cap.* 28.
- Frequens ostendit euentationis necessitatem atque pulmonis exiccationem, 1. *de diff. respir. cap.* 2. *&* 4. *de diff. puls. cap.* 5.
- Frigida significat extinctionem caloris natiui, & complexionem cordis frigidam, atque etiam in acutis mortem, 3. *de diff resp. cap.* 8. & Auic. 2. *quart. tract.* 1. *cap.* 3. Et *alibi Vapor in cute calidus cum frigido anhelitu est futuræ mortis indicium. com.* 2 *in lib.* 6. *epid.* 30.
- Narium commotatiua indicat debilitatem & constrictionem suffocatiuam virtutis: similiter collectionem & effusionem saniei vel humoris, 4. *loc. aff. c.* 7.
- Calida prætendit fortitudinem caloris innati, *Ibid.*
- Dupla significat spasmum vel præteritum vel futurum 4. *Aph.* 68.

FINIS.

PVLSVS

Seu

NOVA ET ARCANA PVLSVVM HISTORIA, E SACRO FONTE RADICALITER EXTRACTA, NEC NON MEDICORVM ETHNICORVM DICTIS & authoritate comprobata.

HOC EST,

PORTIONIS TERTIÆ PARS TERTIA,

DE PVLSVVM SCIENTIA.

Authore ROBERTO FLVD

Armigero ; & in Medicina Doctore Oxoniensi.



CONTENTA.

Tractatum iſtum de Pulſu in libros diuiſimus quinque, quorum

- Primus, radicale Pulſuum myſterium aperit.
- Secundus, eſſentialem Pulſuum definitionem, tam more ſacro, quam Medicorum Ethnicorum teſtimoniis deſcribit.
- Tertius, multiformem Pulſuum differentiam methodo & progreſſu ethnico pertractat, vt tum poſtea illæ Authoris de Pulſibus differentiæ ratione ſanctâ collectæ, atque libro ſequenti expreſſæ luculentius innoteſcant.
- Quartus, Pulſus in ſuas ſpecies partim authoritate ſacra, partimque oculari demonſtratione diſtinguit.
- Quintus, morborum cum præſentium per pulſus demonſtrandi, tum futurorum præſagiendi atque prognoſticandi ſcientiam docet.

LIBER



LIBER PRIMVS, DE PVLSVS MYSTERIO.

CAPVT I.

Scientiæ de Pulsibus difficultas vnde. Profana & fere atheistica quorundam Medicorum Christianorum, in Galenum suum magistrum Ethnicum, eum ob profundam (vt aiunt) eius in Pulsuum mysterio cognitionem Deo coæquando, veneratio. Denique quod Medici istiusmodi Ethnici per effectus, & quasi de longe, triplicem cordis actum obseruauerint, illius vero causas radicales prorsus ignorauerint.



TOTA quidem Medicorum Christianorum turba, qui in scholis sunt enutriti atque instituti, arduam in certa pulsuum cognitione difficultatem esse asseuerauit, idque præcipue propter pulsum ordinatum & inordinatum, quippe ad cuius pulsus notitiam hæc quatuor necessario concurrere obseruabat, videlicet intellectum subtilem & eleuatum; sensum tangendi perfectissimum; longam experientiam & vsum in pulsuum praxi, ac denique in symphoniacis musices proportionibus peritiam. Ad quæ omnia Dei dona; quoniam est rarum cuique homini pertingere, ideo concluserunt scientiam istam de pulsibus admodum esse arduam atque difficilem, ita vt ne ab ipso Hippocrate complete discerni potuerit: nam dicit Galenus I. *de Crisi. Hippocrates non determinauit de pulsu, aut propter eius difficultatem, aut quia ignorauit.* At vero si nostri philosophi Christiani intuitu paulo accuratiori voluerint pulsuum mysteria introspicere, eorumque rationem oculis mentalibus radicaliter speculari, inuenient si quidem, quod si ratione seu demonstratione à priori facilius actuum ipsorum diuersitatem aperire atque enucleare quam à posteriori; tametsi nostrum erit hoc in Pulsuum historia tam demonstratione à posteriori quam à priori istud in motu pulsuum tam naturali quam præternaturali arcanum pro nostra possibilitate atque ingenii exilis captu explicare: atque in primo loco ostendam progressu à priori quod sit difficilius ipsis rei veritatem in multitudine & compositione inuenire, quam iis qui circa vnitatem atque numeros simpliciores ab vnitate immediate deriuatos versantur.

Hinc ergo tanta cuiuslibet scientiæ in se facilis orta est inter mortales tenebris immersos difficultas, videlicet quoniam fundamenta Ethnicorum vana imitantes caliginoso ipsorum luto tam firme adhærent, vt se ipsos ignorantiæ retibus captos redimere vix queant. Quid enim est magis oppositum luci quam tenebræ? quid veritati à sacris literis hauriendæ quam præstigiosa illa falsitas quam Christiani è fonte Ethnicorum spurio & quasi Stygio extrahere gestiunt; atque hac ratione de filiis lucis in illos tenebrarum inscienter, & quasi Ethnicorum toxico transformantur? Nonne nos docet Prophera quam impia & profana sit Ethnicorum doctrinæ imitatio, eo loco vbi nos admonet, quod *minime conueniat deserere fontem omnis sapientiæ, & in regionibus extraneis quærere artem & scientiam atque intellectum, vti faciebant Agareni, & qui erant in Theman; quippe qui viam veræ sapientiæ agnouerunt nunquam.* Sic etiam Medici nostri Christiani pro regis Achaziæ imitatoribus in hoc haberi possunt, qui Iehoua Deo deorum neglecto, Deum Hekronis falsum & stercoreum, an sanitatem in ea ægritudine recuperaret, consulere imperauit, vnde factum est vt ira Iehouæ in eum excitata, nullo Dei falsi auxilio præualente, exanimatus sit. Pariter isti nostri, *Baruch. 3.* *2. Reg. 1. 16.*

medici, ſcripturarum ſenſum negligentes, philoſophos & medicos Ethnicos ampleꝭctuntur & eorum doctrinis tam ſerio confidunt, vt veritate ex Bibliis ſacris extrahenda, repudiata, falſis Ariſtotelis & Galeni fundamentis auide inhiant, atque ſuos magiſtros pro diis quidem habent, vel ſaltem eos Deo cognitione coæquales eſſe impudentia inaudita aſſeuerare haud erubeſcunt.

Sed vt inſtantiam proferam in vno Doctore medico, cui nomen Bernardus Gordonius, vir quidem alias in doctrina Galenica inſignis, verum in hoc admodum ab omni vero Christiano condemnandus atque reprehendendus, vtpote qui in *tractatulo ſuo de pulſuum cognitione* his vtitur verbis. *Difficilis valde eſt pulſuum cognitio propter pulſum inordinatum vel ordinatum, quoniam ad pulſus huius notitiam oportet habere quatuor videlicet intellectum elatum, ſenſum tactus perfectiſſimum, longam experientiam, & proportionum muſicalium peritiam. Et quia illa ſunt valde difficilia, ideo Deus & Galenus habuerunt notitiam huius pulſus ordinati.* Hæc ille inconſulte ſatis. Porro etiam *& alibi* ſic ait in hominum Chriſtianorum dedecus. *In pulſibus forte ſunt duo quæ nullus homo potuit cognoſcere niſi ſolus Galenus, primum eſt conſtrictio pulſus, alterum eſt ordinatio pulſus. Cognoſcere autem per tactum quod ſit ita naturalis, ſicut in tonis diuerſis cum conſequenter cauſatur vna melodia: ita naturalis ex diuerſis percuſſionibus conuenientibus vnus ordo; hoc eſt, valde difficile, aut forte impoſſibile niſi ſoli Galeno, quia habuit tactum delicatiſſimum cum ingenio claro.* Hæc ille improuiſe ſatis.

De cognitione pulſuum.

De vrinis cap. 3.

In quorum primo videtur aſſeuerare Galenum eſſe in cognitione & ſcientia Deo coæqualem, quod quidem quam ſit profanum & ignoranter dictum neminem vera religione Chriſtiana imbutum latere exiſtimo. Nonne eſt ergo extremum hoc atheiſmi, imo vero inſigne Idololatriæ cuiuſdam indicium, hominem quempiam, & quod magis eſt infidelem & paganum tam bene in Pulſuum myſterio verſari ac ipſe Deus, affirmare, qui eſt radicalis in pulſibus actor & author, cuius ſecretorum cognitio homini ſapientia æterna minime ditato negatur? At talis erat Galenus, vtpote qui ipſum Moyſen, imo vero & Chriſtum, atque ēt omnipotentiam Dei in deriſione habebat; quemadmodum libro noſtro 3. de morborū differentiis ad amuſſim indicatur: & conſequenter circa veritatis myſteria verſari non potuit. Idq; haud mirum cum fundamentis philoſophiæ ſpuriis & fragilib. eſt innixus. Deniq; non eſt iſtud egregium erga literatos Europæ Chriſtianos dedecus & probrum, quod vera pulſuum cognitio nemini eorum, imo vero ne Chriſto quidem, aut vlli ex Chriſti diſcipulis (quippe qui erant homines) ſed ſoli Galeno ſit reuelata aut detecta? Anne putat Gordonius, neminem inter mortales aut intellectum adeo elatum, aut ſenſum tangendi adeo delicatum & perfectum, aut in pulſuum contactu tantam experientiam, & (quod præcipuum eſt) in harmoniæ tam naturalis quam artificialis proportionum cognitione tantam peritiam habuiſſe ac Galenus? Proh Deûm atque hominum fidem! quid aut vnde hoc niſi ab infidelium abyſſo deriuatum, vtpote qui vel credunt Deum plus ſapientiæ ſuæ diuinæ infidelibus atque Ethnicis conceſſiſſe, aut quod Ethnicus quiſpiam à naturæ fonte poſſit elicere, vt non modo hominibus omnibus vtcunq; Chriſtianitate ditatis excellere, verum etiam ipſi Deo ſoli ſapientiæ datori coæquari queat? Nonne eſt hic profanus erga maieſtatem diuinam error & quaſi Idololatria, hominem quempiam in ſcientia quapiam æqualem habere cum Deo, eumque vnicum cognitionis veræ fontem, & beatitudinis mundanæ in re medica radicem efficere.

Super Geneſ. col. 1385.

Pari etiam veneratione atque laude ſalutauit Marinus Merſennus monachus Ariſtotelem ratione ſuæ philoſophiæ, vtcunq; à veritatis baſi deficientis. *Ariſtoteles* (inquit) *id eſt, optimus finis, ea nobis tradidit quæ ad beatitudinem optimumq; finem ducunt: philoſophus enim, quorum princeps fuit, humanarum rerum contemptum, & cœleſtium appetitum, mentiſque illuſtrationem præſtat, quæ & ad beatitudinem prouehunt, &c.* Quid vlterius in hominis & quidem ethnici laudem dici poteſt? aut cur à ſacro fonte vlteriorem quæramus aut expiſcemur beatitudinem, aut mentis illuſtrationem perquiramus? cum illud totum ab ethnico (vt Merſennus inſulſe ſatis vult) acceperimus? At quam falſa & erronea ſit ipſius philoſophia, quam inſtabilia illius fundamenta, & illis ſacrarum literarum contraria, tam in *hiſtoria mea Meteorologica*, quam in *duobus voluminibus meis vltimis de ſanitatis & morborum ortu* tractantibus, ſed præcipue in *lib. 1. & 2.* de ſpeculo meo experimentali realiter explicatum reperietis. Et tamen iſte Merſennus librum contra Atheiſmum & Atheos ſcripſit, nec tamen in Atheiſmi luto ne hæreat ipſe (vtcunq; caute ſe geſſerit) abſtinere potuit. Marinus (dico) monachus, & per cōſequens habitu & religione Chriſtiana indutus, & tamen tā manifeſtus ſcripturarum hoſtis & aduerſarius, vt ethnicum ipſis in ſua doctrina oppoſitiſſimum optimum ad beatitudinem finem ſtatuat.

His igitur philoſophos ac medicos Chriſtianos admonere velim, vt non tantam adhibeant aut Ariſtoteli aut Galeno ſuo fidem, aut ipſum tanto cultu ac veneratione proſequantur,

quantur, vt eum solum & super omnes alios mortales in pulsuum cognitione statuant Deo proximum: atque hoc eo magis, quoniam à veræ pulsuum radicis apprehensione plurimùm distat atque elongatur; deinde vt non tam abiectos & stupidos æstiment Philosophorum & Medicorum Christianorum spiritus atque intellectus, ac in Philosophia sacra non ita ignaros, quin vt ipsum Galenum t... ...n mysteriorum pulsuum enucleatione, quàm vllo alio in medicina officio non modo coæquare, verùm etiam multis gradibus superare possint.

Nec tamen negare possumus, quin tam Philosophi quàm Medici vetustiores ad magnũ à posteriori & ab effectu naturæ lumen pertigerint, per quod mirabilem de virtutum humanarum ratione coniecturam fecerunt: verùm ad demonstrationem à priori, & ad actum vsque radicalem penetrare haud potuerunt. Ab effectu igitur virtutem humanam animalem in cerebro dominantem esse sensitiuam circa quinque sensus versantem; motiuam, quæ facit motum voluntarium per neruos & musculos, atque principem, quæ est sensus communis, Imaginatiua, Ratiocinatrix & memoratiua: deinde virtutem vitalem in corde, quæ per arterias motum efficit vitæ necessarium: ac denique naturalem in hepate regnantem perceperunt ac cognouerunt. Atque super ista obseruatione & experientia docti, actionem voluntariam esse illam animalem, hoc est, à virtute animali procedentem; atq; iterum illam cùm vitalem, tum naturalem à virtutibus cordis & hepatis ortas inuoluntarias, vtpotè ab illa cerebri dependentes, atque procedentes fecerunt, quasi à motus sede. Sed quoniam ista nostra intẽtio ad actionem illam vitalem spectat, quæ in corde agitatur, quid præcipuè de ipsis existimauerint isti Ethnici paucis dicemus, vt eò meliùs ex ipsorum dictis intentionem nostram super pulsus mysterium comprobemus. Ipsi (inquam) doctores ethnici magna contemplatione atque diuturnis suis speculationibus perceperunt, quòd actio vitalis consistat vel in cordis dilatatione sola, aiuntque quòd effectus istius actionis sint passiones bonæ, cuiusmodi sunt Lætitia, Spes, Confidentia, Amor, Misericordia, & Humanitas: vel in cordis contractione sola, cuius effectus sunt passiones malæ, cuiusmodi sunt Tristitia, Desperatio, Metus, Odium, Inuidia, Ira, Furor, Verecundia, &c. Vel in cordis contractione & dilatatione simul, cuius effectus est pulsus, quod est præcipuum tractatus huiusce subiectum. Huc vsque peruenit Galeni & Auicennæ obseruatio in actione cordis vitali. Verumenimuerò ad harum actionum fontem, atque ad verum pulsus in diastole & systole motus rationem, atque profundum illius constrictionis atq; dilatationis argumentum penetrare non potuerunt.

Gal. sympt. diff. c. 3. de puls. spec. 1. Auicen. 2. prim. doct. 3. sum. 2. c. 1. 2. 3. 4. Concil. diff. 82. Auicen. de med. cord. cap 7.

His igitur imprimis diligenter cognitis atque consideratis in profundum huius rei mysterium ab Ethnicis, imò verò & ipsis Christianis ante hunc diem (vt opinor) absconditum me immergam, quò pulsuum motus atque ipsius varietates faciliori methodo atque intellectu clariori percipere queatis. Principia ergo dilatationis atque constrictionis in primo loco aperiemus, vt meliùs ad principiatorum explicationem perueniamus.

CAPVT II.

Contractionis atque dilatationis radices, & quòd à duplici numinis diuini proprietate procedant.

IN *lib. 2. part. 1. sect. 1. huius*, vbi de Instrumenti, seu Speculi experimentalis explicatione agitur; atque etiam in *fine historiæ meæ Meteorologicæ*, vbi de rari & densi dispositionibus, mediante dicto speculo, abundè de radicali contractionis & dilatationis mysterii demonstratione à posteriori egimus. Verùm quoniam ad expressiorem istius in Pulsu actionis & passionis rationem confert illius rei cognitio, operæpretium existimo illius mei subiecti sensum paucis remetiri, quò ad meliorem & planiorem cordis in diastoles & systoles motu notitiam atque intellectum perueniatis. In primo ordine agnouimus Deum fuisse omnium cùm actiuorum tum passiuorum radicem seu monadem, quæ tametsi sit in sua essentia vnica & æterna, tamen ab origine manifestauit se esse proprietatis duplicis quoad capacitatem nostram omnimodo diuersæ, vtpote quarum vna contrahit se in se, iuxta illud Hermetis: *Monas generat monadem, & in seipsam reflectit ardorem.* Et textus sacer: *Tenebræ erant locus eius secretus.* In hac ergo sua proprietate, videlicet contractiua abscondit se in se, & consequenter mutat lucem in tenebras, trahit à circumferentia ad centrum, & subtilia, ac diaphana mutat in opaca & grossa, positionem mutat in priuationem, voluntatem in noluntatem alterat, motum in quietem conuertit, & respectu capacitatis nostræ ex re aliqua facit nihil, hoc est, actum reducit in potentiam, ita vt potentia diuina videatur esse omne illud quod tenebris & informitate erat velatum: sic tenebræ sunt dictæ fuisse super faciem abyssi ante


vllam creationem; hoc est, omnia erant inuisa, & in potentia diuina seu Deo latente, & in seipso quasi contracto, abstruso more recondita. In quo sensu à Cabalistis dicitur אין *Ein*, quasi nihil; nam tale fecerunt principium in se reconditum, respectu capacitatis nostræ exilis, cuius est ea putare non esse quæ non apparent, sed occultantur. In hac ergo sua proprietate contractiua dicitur etiam *Aleph tenebrosum* à Cabalistis, quoniam tenebris vndique est obuallatus: vnde Psaltes, *Fecit densam nubem tugurium suum.*

Hinc ergo est, quòd experientia docemur, quòd tenebræ fiunt à contractione; sic enim aër diaphanus & pellucidus contractione in nubem tenebrosam migrare solet, spiritus tenuis in substantiam densam, subiectum ob suam tenuitatem & leuitatem admodum mobile in corpus ob suam crassitiem & ponderositatem valde tardum, vel omnino fixum; quemadmodum aërem aut in aquam densam lentè mouentem, aut in niues, grandines, aut glaciē fixam transformari cernimus. Vnde certum est, quòd Deus suum actum, & consequenter seipsum à circumferentia ad centrum contrahens secum trahit spiritum suum potentialem, atque ita dilatatum condensat. At quia Deus in tali suo actu negatiuo seu priuatiuo in centro quiescit; ergo & materia spiritualis ita contracta quiescere & fixari videtur: at verò quia calor est actus Dei in mobili & agenti seu apparenti & dilatanti sua natura à centro ad circumferentiam, ita quidem necesse est, quòd frigiditas sit actus Dei latentis, in centro quiescentis, atque seipsum cum spiritu tenebroso in se contrahentis. Deus ergo in centro quiescens, & se contrahens parit tenebras; vnde sequitur, quòd tenebratum comes sit quies, quietis proles est frigiditas, cuius est naturaliter quiescere, nisi à lucis actu seu agonista, qui est calor, nimium excitetur. Hinc ergo videmus, quòd Deus latenti seu contractiua sua natura pariat tenebras, tenebrarum partus sit quies, quietis proles frigiditas, quæ est Dei latentis actus, & tenebrarum athleta, quæ propriè & per se non agit dilatando, sed quiescit, atque etiam quiescere facit: nam vt calor dilatando mouetur, & mouet à centro ad circumferentiam, atque ita non quiescit, quia in infinitum penetrare potest, ita quidem frigus agit contrahendo à circumferentia ad centrum, & tum postea vt in centro quiescat necesse est.

Hoc totum habemus tam experientia vulgari quàm literarum sacrarum testimonio confirmatum: nam Boreali actu frigido videmus quod aër clarus & subtilis reducatur in densas & nigras nubes, atque aqueus in nubibus diaphanus, & transparens humor in niues, grandines, atque gelu migret & mutetur. Vnde apparens est, quòd frigoris Borealis intentio & officium sit sua contractiua virtute subtilia reddere grossa, lucida & diaphana tenebrosa & opaca, dilatata constricta, ac mobilia & volatilia fixa, vel saltem velocia tarda, leuia ponderosa, & consequenter sursum naturaliter tendentia deorsum prona atque declinata: ac denique mobilia ad quietem affectata & procliuia. Porrò etiam, quòd sit solus Deus qui in proprietate sua contractiua à circumferentia ad centrum hæc omnia facit; testantur textus hi duo: *Deus fortis edit glaciem flatu suo, Flante Deo concrescit gelu*, Iob.27.9. ac iterum: *Deo emittente sermonem suum in terram quàm celerrimè excurrit verbum, qui niues emittit sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?* Psal.147.16. At verò quòd attractio & coarctatio ista seu motus contractiuus fiat per actum à circumferentia mobili ad centrum fixum frigidum ab effectu patet, & per obseruationem Speculi nostri experimentalis optimè demonstratur, quoniam subtilem & dilatatum spiritum locum amplum occupantem contrahit versus capitis matracii meditullium seu centrum, efficitque tali contractione vt locum possideat magis strictum & angustum.

Figuram istius instrumenti hic iterum expressimus, vt, loco ducis, pulsuum varietatis demonstrationem, seu ad diastoles & systoles alterationis rationem ocularitur exprimendam nobis semper adsit.

Ex his



Auſter.

Æſtas.

Ex his igitur ſyſtoles fundamentum, quippe quæ motus eſt in pulſu conſtrictiuus, & à manifeſto ad occultum, ſeu à circumferentia centrum verſus, radicaliter & in gradu ſuo primario expreſſum habetis, quippe quod eſt initium & radix cuiuslibet in hoc mundo virtutis ſeu actionis contractiuæ, & conſequenter iſtiuſmodi in pulſu. Ad gradum verò ſecundariũ capite proximo (propitiante Numine diuino) accedam.

Iam verò ad radicalem ipſius diaſtoles actus baſim & ſcaturiginem exprimẽdam me accingam. Orta eſt ergo iſta in pulſu actio. Dicimus ergo quòd altera monadis æternæ proprietas quæ priori eſt oppoſita, eſt dilatare virtutem ſuam abſconditam, in centro contractam, & quaſi quieſcentem, à centro ad circumferentiam: atque iſte diuinus actus appellatur emanatio eius lucida, ſapientia æterna, atque verbum Dei omnia operans, omnia diſtin-
guens, omnia animans, & conſequenter *omni re mobilior & agilior*, vt Salomonis vtar verbis. Sap.7.
Iſta ergo proprietas dilatat ſe à ſe, hoc eſt, à centro ad circumferentiam, vnde eius effectus
eſt *emanatio ſancta.* At hinc dicunt Scripturæ, *conuertit tenebras in lucem.* Et Dauid, *Splendore* Pſal.18.12.
præſentiæ diuinæ euanuerunt nubes, fonteſq; aquarum viſibiles ſunt facti, & fundamenta mundi reue- Geneſ.1.
lata ſunt. Hinc etiam Dauid: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Et Mercurius Triſmegiſtus: Pim.1.
Mens diuinæ potentiæ mutauit formam, & vniuerſa ſubitò reuelauit: omnia enim in lumen conuerſa ſunt ſuaue & iucundum, & vmbra quædam horrenda obliqua reuelatione ſubterlabebatur, &c. In iſta igitur proprietate ſeipſum olim occultum patefecit, & cõſequenter mutauit tenebras in lucem: pellit ſiue emittit à centro ad circumferentiam contractum dilatando, & groſſum ſubtiliando, priuationem mutat in poſitionem, & ex nihilo omnia facit; noluntatem ſuam conuertit in voluntatem, hoc eſt, negationem in affirmationem, quietem mutat in actiuitatem, hoc eſt, potentiam tenebroſam reducit in actum lucidum: ſic aquæ vnicum cœlorum & terræ ſubiectum, ex quo mediante iſta emanatione ſiue actu lucido è tenebris emergunt, atque
aquarum vniuerſalium ſpeciem induunt. Vnde Sapiens: *Manus tua omnipotens creauit mundũ* Sap.18.
ex materia inuiſa, & quaſi nihilo, ſiue re mortua, iuxta illud Iobi: *Reuelat fundamenta è tenebris, &* Iob.12.22.
educit in lucem vmbram lethalem. Vbi per fundamenta intelligit aquas; de quibus D. Petrus: 2.Pet.3.6.

Cœli

Cœli erant priùs & terra de aqua, & per aquam consistentia verbo Dei, &c. hoc est, actu siue emanationis diuinæ virtute. In ista ergo sua proprietate dicitur Deus *Deus patiens, Emanatio sancta, Aleph tenebrosum in Aleph lucidū conuersum, Splendor sanctus, vbiq; præsens, omnia implens, animans, & ex nihilo aliquid faciens.* Per istam ergo proprietatem res grossæ subtiles fiunt, opacæ & tenebrosæ rarefaciendo fiunt diaphanæ & lucidæ, & in spiritum limpidissimum & rarissimum attenuando atq; dilatando rediguntur: res naturaliter quiescens mobilis & actiuitate prædita redditur, ponderosa seu grauia leuia & subtilia, fixa verò volatilia, tarda & lentè mouentia velociora reducuntur. Sic caloris Solis æstu glaciem, grandinē & niuem in aquam actum postea aquam in aërem dilatando esse redactam cernimus: vnde manifestum est, quòd Deus emittendo splendorem suum à centro ad circumferētiam densam nubem antea contraria sua proprietate cōtractam dilatat, & in pluuias dispergit, vel in aërem ex quo fuit priùs resoluit. Deus ergo à centro emittens suum vitæ radium eius luce formali generat motum: at motus proles est caliditas quæ est præcipuus emanationis diuinæ agonista seu actus quo dissoluit proprietatis suæ frigidæ siue contractiuæ leges. Lucis ergo comes est motus, & actus ab vtroque est formalis ipsius caliditatis actus, quo dominante omnes frigiditatis effectus contractiuè per viam dilatationis resoluuntur. Atque ita videmus quòd vna proprietas diuina alterat atque mutat effectus alterius.

Hoc quidem totum habemus tam experientia communi quàm scripti sacri consensu staminatum: nam quis ignorare potest quòd calidum attenuat dilatando, clarificat & depurat rarefaciendo, terram in aquam, atq; aquam in aërem, atq; aërem in ignem, hoc est, grauia in leuia, opaca in pellucida dissoluendo, vt glaciei, grandinis & gelu resolutione apparet? Nonne etiam obseruamus, quòd æstuosus Meridiei afflatus Septentrionales dissoluat, rarefaciat atque dilatet effectus? & tamen est idem essentia spiritus, idem (dico) verbum,
Psal.147.16 quod hæc duo opposita operatur; nam ait textus: *Flante Deo concrescit gelu, qui niues emittit sicut lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, coram frigore eius quis consistit? Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluant aquæ*, &c.

Quo euidens, quòd idem essentia spiritus vtraq; proprietate ad inuicē opposita sit præditus, videlicet quòd vnica essentia diuina proprietatem vel Borealem & Occidentalē contractiuam & frigidam, vel Orientalem & Meridionalem induere queat, iuxta illud Ezechielis: *Veni spiritus à quatuor ventis*, &c. Vnicus dico, spiritus potest noluntate sua lucem abscondere, obtenebrare, condensare, fixare, congelare & immobile reddere contrahendo se, & per suiipsius contractionem constringendo spiritum Elementarem in nubem caliginosam: atq; iterum voluntate sua, hoc est emissione radios sui vultus lucem suam reuelare, tenebrosa illuminare, congelata dissoluere, fixa reddere volatilia, grossa per dilatationem spiritus Elementaris attenuare, hoc est nubem densam & opacam, diaphanam & subtilem reddere. Sed & hoc totum per speculi nostri experimentalis explicationē ad amussim habetis notatum: nam constrictiui frigoris Septentrionalis & Occidentalis dominio aërem in matracio contentum ideo contractiorem fieri discernimus, quia quo ipsum est validius, eo magis attrahitur aqua in altum. E contrà verò dominio caloris Meridionalis vel Orientalis eò magis dilatari notamus aërem inclusum quo magis a qua pellitur deorsum.

His igitur apertè docemur, quòd subiectum medium Elementare seu aqueum sit illud circa quod ambæ illæ proprietates diuinæ versantur: nam contractiuo proprietatis frigidæ actu illud mutatur in spissum, compactum & opacum: at viceversa calida illius dilatatiuæ virtute illud iterum attenuatur. Nonne etiam videmus hoc idem spiritui humido in matracio contento accidere? Talis etiam spiritus ille vitalis in arteriis comprehensus, qui vel calore ventorum seu cœli intensiori attenuatur magis, vel frigore eorum inspissatur magis.

At verò iam nunc colligere debemus de aquarum ortu & natura adhuc longe altiora, & videre an in primogenita earum natura magis de natura principii positiui seu lucidi, ān potiùs de illa priuatiui seu tenebrosi participent. Certum est ergo, si rem oculis mentalibus introspiciamus, quòd natura aquea sit quid inter molem tenebrarum atque fontem lucidū constitutum, hoc est inter potentiam diuinam atq; actum deiformem situm: nam si esset de natura molis tenebrarum, tunc quiesceret, coagularetur in duritiem & opacitate obuelaretur, & consequenter frigida & sicca ad instar grandinis vel glaciei existeret. E contrà si aquæ essent de natura fontis lucidi, tunc vltra mentis humanæ captum forent volatiles & mobiles, atque mirum in modum subtiles, & in proprietate sua calidæ, & siccæ. At verò videmus dispositionem aqueam à siccitate extremorum omnino variari, & consequenter esse mediū quiddam inter illas proprietates extremas: nam si non haberent in se caloris actum mouere ac fluere non possent, & si iterum non participarent de frigoris virtute, spissa & visibilia
Pim.1. atque tangibilia non forent: vnde à Mercurio Trismegisto dicuntur *natura humida*. Verum

enimuero

enimuerò certissimum est, quod earum materia seu substantia de chaos siue abysso tenebrarum maximè participat, tum propter ipsarum frigiditatem qua naturaliter imbuuntur, atque à tenebris quasi vtero materno accipiunt: atque hinc est quòd (contra Peripateticorum mentes) aqua tam subtilis quàm rara effugiat atque euitet caliditatis contactum, cùm è regione libenter se à frigore amplecti sinat, eique naturali quodam appetitu adhæreat, eiusq; perduret actum quousque gelida & immobilis, & consequenter non aqua fiat, qualis ante lucis seu spiritus lucidi apparitionem fuit, videlicet massa informis tenebris vndique succincta; at apparente spiritu Domini, cuius agonista est caliditas, resoluitur massa illa fixa & gelida in madores & vapores, atque humores madidos: nam in conflictu inter frigus & calidum subiecto huic intermedio à caloris actu negatur congelari, & consequenter mobile efficitur, atque ab illo frigoris dominio impeditur in substantiam purè formalem atq; igneam attenuari. Vnde aquæ illæ primordiales, ex quibus originaliter formati sunt cœli & terra, mediante verbo erant consistentiæ mediocris, & naturæ mobilis atque humidæ. Et quamuis extremitate actus calidi in naturam quasi igneam attenuatur, in qua nihil videtur esse aqueæ humiditatis, tamen semper est in rara illa proportione eiusdem naturæ in qua erat creata, tametsi ob ignis, seu caloris dominium discerni nequeat: nam si in ignem syncerè formalem verteretur, desineret esse materia aquea, atq; ita migraret in formam diuinam, quod est impossibile. Deniq; vbi exultat frigus ibi visibiles, imò verò & admodum grossæ fiunt vt aqua visibilis, vel in altiori gradu adhuc frigoris in terream conuertuntur substantiam.

Concludimus igitur, quòd in hoc discursu radicalem tam diastoles pulsuum naturæ, quæ in subiectum arteriis contentum dilatando consistit, quàm systoles motus in contractione versantis, conditionem & gradum percipere potestis. Nam vt certū est, quòd mundus maior ex forma lucida & materia tenebrosa quasi duobus contrariis conflatur, ita quidem necesse est vt actu vnius vel alterius extremi materia illa quandoque contrahatur, atque etiam quandoq; dilatetur, idq; magis vel minus pro ratione actus vel frigidi vel calidi prædominantis: illud verò quod resistit motui caloris, & in dilatatione patitur est materia aquea seu elementum vniuersale, quod eo fortiùs resistit quo potentius est in frigore & densitate: vnde & reagendo dicitur agere. Sic illa beata Sanctorum patria quæ à Theologis cœlum Empyreum dicitur, spiritu adeo lucis actioni obediente impletur vt tota credatur esse ignea, & consequenter valde mobilis, velox, tenuis. E contra regio seu cœlum illud sublunare spiritu adeo lucis actioni rebelli & illi frigoris obediente refertur, vt sit magis lentum & tardum in suo motu, atq; in sua consistentia grossum & palpabile, vtpote in quo non dominatur lux, vt in superiori cœlo. Atque ratio est quoniam contractiua spiritus diuini virtus in ista aquarū regione inferiori præualet, vt in superiori illa dilatatiua excellit. Denique necesse est, vt regio aquarum intermedia, quæ stellata seu æther dicitur, de istis duobus cœlis extremis participet, & per consequentiam quod ex proprietate tam dilatatiua quàm contractiua, hoc est ex actione caloris deorsum inuadentis, & frigidi sursum per viam resistentiæ renitentis, conflatur & perficitur eius motus, videlicet per participationem vtriusque extremi.

CAPVT III.

Progressio à radice motus diastoles & systoles ad gradum ipsius secundum, per comparationem actus vtriusque, videlicet tam contractiui, quàm dilatatiui in macrocosmo cum illis microcosmi.

PRædictis igitur de duorum cœlorum extremorum, atque illius medii naturis rite atque matura contemplatione ponderatis ad debitam sermonis antiquorum Medicorū antea relatorum considerationem atque interpretationem accedemus. Verba eorum sunt hæc: Actio vitalis consistit in cordis dilatatione tantùm, vel in eius contractione tantùm, vel in contractione & dilatatione simul. In cordis sola dilatatione istas passiones bonas quasi effectus felices produci, videlicet lætitiam, spem, confidentiam, amorem, misericordiam, humanitatem asserunt. Ac si istiusmodi cordis dilatatione aperta fuisset ad cœlum beatorum ianua, atque tenebræ vitales tali lucis diuinæ attenuatione fugatæ, vnde spiritus humanus quasi ad cœlum tertium videtur esse raptus, atque gaudio & lumine diuino seu mentali illuminatus. At verò in contrarium, vbi frigore priuationis oppugnatur cor ibi statim contrahitur ipsum, & contractione à lucis radiis occluditur: quare tenebrarum passionibus opprimitur, cuiusmodi sunt tristitia, desperatio, metus, odium, inuidentia, ira, furor, & verecundia: quæ omnes sunt passiones Septentrionales, vt prædictæ ex parte Orientis benigniter ab omnipotentis actu impressæ. Nonne igitur benigniter dicitur Deus agere in cœlo

ſupremo cum ſanctis:at verò in aëre dicitur princeps tenebrarum habere dominium, ſumma ope nitendo aduerſus vitam humanam,quæ conflatur ex natura inter illam extremè dilatantem atq; iſtam extremè contrahentem; nam à fonte lucido calorem haurit innatum,at ab illo tenebroſo humidum illud vitæ radicale:atq; ita iſta quidem natura in cœlo intermedio præparatur,permiſcetur, adaptatur, & à fonte ſolari, qui diametri mundani medium non aliter quàm chordæ muſicæ meditullium Diapaſon occupat deorſum ad animalia inferiora viuificanda impluitur. Hinc ergo cœlum & eius oculus ſolaris vitæ & ſalutis ſedes à peritioribus haud iniuria dicuntur.

Quibus colligimus,quòd vitæ noſtræ pabulum ex paſſiuo humido à materiæ ſcaturigine exurgente,&actiuo calido à luce diuina deſcendente componatur:atq; mirabile eſt quidem ligamentum & nexus per quem naturæ æterna iſta duo ab extremis fontibus exurgentia in æquali proportione copulauit;ita vt actus quidem calidus vltrà menſuram agat in humidũ radicale;atq; ita more lychni nimis grandis ſubitò lampadis abſorbeat oleum,nec paſſiuum humidum ſupra calidi proportionem emineat,ne nimio ſuo madore citiùs quàm par eſt extinguat ac præfocet calorem,ſed in ſuis actionibus & paſſionibus par quaſi pari referatur, calidumq; per viam in ſuis vaſis arterialibus dilatationis agat;& ſua actiuitate illum producat in corde & pulſu motum,quem Diaſtolem vocant: atq; tum poſtea vt humidum in frigore ipſi à ſua creatione innato gaudens,ſeipſum per quandam refrigerationis viã conſtringat & coarctet,& contrahendo ſe inſtrumentum ad vtramq; actionem obeundam obediẽs deprimat,quem motum ſyſtolem vocant Medici. Atq; hac ratione bene poſuerunt prædicti Doctores antiqui illam cordis actionem mediam inter duo extrema quæ in cordis dilatatione & contractione ſimul conſiſtit,quaſi ſubſtãtia cœli ætherei quæ eſt inter cœlum ſupremum igneum atq; hoc infimum groſſum & aqueum,quæ cœli medii ſubſtantia conſiſtit in æquali proportione inter materiam à deorſum ac ſurſum aſcendentem, & formam diuinam à ſurſum ad deorſum tendentem. Hæc eſt ratio,cur à Platonicis dicatur huius cœli centrum,in quo Solis tabernaculum eſt ſitum, ſphæra animæ ſeu æqualitatis, vtpote in qua calidum lucis,& frigidum tenebrarum ſoboles æqualiter in vno ſubiecto ſeu natura humida dominium habent,ita vt ambo hi actus æqualiter in ſuis proprietatibus contrahendo & dilatando agant & reagant in vnico ſubiecto,ſine vnius ſupra alium exultatione,videlicet agendo per dilatationem & reſiſtendo per contractionem: vtcunq; tamen operatur vita vel contrahendo vel dilatando ſciendum eſt,atq; diligenter conſiderandum, quòd non ſit niſi vnicus ſpiritus diuinus,qui duplici ſua proprietate ſolus operatur ad vitam,vt in ſequenti clariùs apparebit.

CAPVT IV.

Cur Deus cùm ſit eſſentia vnicus, in proprietate bina ſit in mundi creatione verſatus. Quòd vitæ compoſitio ex ſeptem proprietatibus cœli, & quatuor ventorum mediante & centraliter operante vno ſummo & ter maximo ſpiritu exiſtat.

EX illis ergò; quæ iam à nobis ſunt dicta,conſtat; quòd mundus hic vnicus ad exemplar conditoris eſſentia vnius,ſed proprietate ac voluntate multiplicis & diuerſi ex naturis contrariis confletur,& quaſi in lite & amicitia ſimul per proportionem conſtituatur: nam niſi hoc eſſet nulla foret in iſto mundo aut actio aut paſſio, & conſequenter nulla in eo exiſteret diuerſitas,ſed omnia vnum & idem. Hinc ergo eſt,quòd ex luce & tenebris ſimul,ex forma agente,& materia patiente,ſeu reſiſtentia reagente in varietate actuũ calidi,frigidi,& paſſiuorũ quæ illos actus concomitantur,videlicet humidi & ſicci,vnus eſſentia Deus, iuxta proprietatem ſuam binam,contractiuam ſcilicet & dilatatiuam ad imaginem ſui eſſentia vnici,ſed proprietate multiplicis mundum in principio crearit per verbum & ſpiritum ſuum æternum,quem ob iſtam rationem ſapiens dixit ſimplicem & multiplicem;ſimplicem,ait,in ſua natura,& multiplicem reſpectu multiformis actus & proprietatis quam in hoc mundo tam ſuperlunari exercet, vbi diuerſe per ſeptem ſua organa angelica agit, quæ in organis ſtellaribus quaſi ſecundariis verſantur, quàm in ſublunari, in quo mediantibus organis ſuis quatuor angelicis quaſi primariis, per illa ventoſa quaſi ſecundaria operatur. Hinc ergò vt vitæ compoſitio dicitur conflari ex ſeptem partibus, videlicet quatuor qui numerus vtpote binariæ radicis quadratus materiæ refertur, nam numerus binarius materiæ adſcribitur,quatenus in ſe imperfectus,quippe medio deſtitutus;& tertius qui numerus quoniã perfectiſſimus formam deſignat: qui duo numeri ſimul vniti conſtituunt ſeptem, iuxta cuius numeri partes ſeptem in cœlo aſſignantur planetæ proprietate varii: ita quidẽ ille quaternarius numerus à ternario informatus cõſtituit quatuor ventorũ naturas à cœlo deriuatas,& in vnum ſpiritum coagmentatas:atque iſte ſpiritus eſt ille vitæ ſpiritus,in

Sap. 7.

quo,

quo consistit humidum illud radicale, & calidum occultum diuinum, in quo cuncta viuunt, crescunt & multiplicantur. De quo diuino spiritu verbi dixit Euangelista vitã tam immortalium quàm mortalium fuisse: atque istam vitam vocauit lucem hominum: de quo spiritu etiam ista Propheta Ezekiel: *Quocunq; ibat spiritus, illuc euntè spiritu rotæ pariter euehebantur sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis; & vnumquodque animalium quatuor vbicunque erat impetus spiritus illuc gradiebatur*, &c. In quo Propheta sermone per quatuor animalia ignea quatuor mundi intelligentias ventorum præsides intendit; de quibus Angelus ad Zachariam. Isti sunt quatuor venti cœli, seu quatuor ventorum intelligentiæ, quæ egrediuntur & stant coram Domino totius terræ, &c. Et per rotas ipsos ventos arguit. Denique spiritum vitæ in medio earum intendit diuinam essentiam seu emanationem centraliter & essentialiter in Angelis & ventis mouentem. Quòd etiam iste spiritus vnicus, habeat in se proprietatem quatuor ventorum, & quòd vitæ afflatus sit spiritualis quidam effluxus de occultis quatuor ventorum proprietatibus emissus mediante isto spiritu supremo ventorum domino & rectore, nos expressis verbis sic docet Propheta: *Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla vel inspira interfectos istos vt reuiuiscant.*

Ioan. 1. *Ezech. 1.* *Ezech. 37. 9*

Quo quidem sermone innuere videtur, quòd spiritus iste (quem loco præcedenti vocat vitæ spiritum in quatuor rotis) est catholicus vitæ inspirator & vitæ spiritus dator, & quòd vitæ creaturarum spiritus sit ex quatuor spirituum cardinalium naturis more abstrusissimo conflatus: nam humidum radicale per se de spiraculo Septentrionali & Occidentali commune quid habet, vnde fit, vt naturali sua genitura sit de proprietate contractiua particeps, vnde & ad naturam quietis est procliue. Verùm quatenus illud de spiritu illo igneo, quẽ à spiraculo Orientali accepit, est particeps, eatenus in vaporem Meridionalem dilatatur; atque hac ratione ex parte Septentrionis contractiuam proprietatem sibi vendicat spiraculũ vitæ, & ad consistentiam madoris Occidentalis in sua contractione tendit: verùm ab Orientali iterum dilatatur in naturam madoris vaporosi & Meridionalis; atque ita more circuli mundani rotatur in suis vasculis arterialibus in diastole & systole, hoc est se dilatando ratione portionis Orientalis in spiritum Meridionalem, ac subitò more fluxus & refluxus maris se iterum contrahendo ratione portionis quam accepit de afflatu Septentrionali in consistentiam Occidentalẽ. Vnde vt videmus, quòd vnica chorda cũ suo pondere quasi actu catholico minutas horæ in horologio morione vnius circuli siue rotæ modo motu illius antrorsum, & immediatè postea retrorsum faciat, idq; partim agendo, partimq; resistendo: ita quidem catholico spiritus vnius actu mouetur in vitæ officio, idq; circulo quasi ventoso vitalis in suis vasculis spiritus.

Hoc exactè illam viri grauissimi Gulielmi Haruei, Medicinæ Doctoris peritissimi, arte Anatomica quàm clarissimi, necnon in profundis Philosophiæ mysteriis versatissimi, compatriota mihi charissimi, & collegæ fidelissimi, sententiam atq; opinionem confirmare videtur; qua, idq; consultè & prudenter satis mundum in *libello quodam suo, cui titulus est: Exercitatio Anatomica, De cordis sanguinisq; in animalibus motu*; instruit, insigniterq; cùm rationibus à Philosophiæ arca depromptis, tum multiformi demonstratione oculari declarat motum ipsius sanguinis esse circularem. Et quid ni (ô vos Cynici, quorum est faciliùs rem aliquam sine ratione negare, quàm probatam veris Philosophiæ & experientiæ telis redarguere atq; refellere,) quidni (inquam) cùm certum sit quòd vitæ spiritus respectu cœlestium spiritualẽ Zodiaci circuli impressionem in se retineat, vtpote in quo & per quem Luna periphericum suum quolibet mense iter perficiat, ad cuius motum proculdubio eius astra imperceptibilia sanguinis spiritui perfusa; spiritum etiam sanguinis, & consequenter ipsum sanguinem arterialem secum circulari suo motu rapit? Nonne etiam videmus ipsum spiritum mundanum; imò verò & ipsum mare in fluxu & refluxu Solis & Lunæ virtutibus obedire? Ait Salomon: *Sol lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Qualem etiam habet Luna in mari & aëre potestatem neminem in rebus marinis versatum latere potest. Nonne ergo homo microcosmus ob ipsius ad macrocosmũ relationem? Quidni igitur virtute Lunæ & Solis non taliter circumrotetur, sanguis vitæ qualiter tam aëra quàm æthera ab ipsis (centraliter mouente ipso qui dat motum & vitam omnibus) motu certo circulari moueri testatur experientia? Porrò in regione sublunari spiritum catholicum secundùm ventorum prædominantium flatum gradatim à natura in naturam à consistentia in consistentiã rotari, videlicet à natura Boreali in Occidentalẽ, ab Occidẽtali in Meridionalẽ, ac deniq; à Meridionali in Orientalẽ: nõ aliter quàm à grosso semper in subtilius gradibus quaternis reditur. Si ergò spiritus humanus ab illo mundano, si vitæ præsides ab illis cœlestibus dependeant, vti hi faciunt, necesse est vt illi etiam hoc idem ad motum & instãtiam eorũ agant: nam cùm quod facit tale sit magis tale, necesse habemus credere vt illud ꝙ facit tale reddat hoc ꝙ factum est tale in suo motu & proprietate tale quale ipse erat author. Sed ad propositũ.

Eccles. 1. 6.

Iob.28.25. Dicitur igitur, quòd vt ſpiritus iſte catholicus (qui ob iſtam rationem dicitur à D. Paulo *viuificare omnia*;) traditur à viro patiente aptare *pondus aëri in macrocoſmo, & appendere aquas in menſura, & facere pluuiæ ſtatuta, & viam fulgetro tonitruum*: ita quidem ipſe eſt, qui numero pondere & menſura aptare ſolet ſpiritum illum quo viuit microcoſmus, atque pro ſuo bono placito illius propagines perfectæ harmoniæ vinculis in vnione pacifica connectit & ligat, adeo vt materiæ reſiſtentia non poſſit ſuperare formæ actum, nec agere poteſt forma lucida, ſeu calidum innatum vltra proportionem recipientiæ ſiue paſſionis materiæ quæ eſt humidum radicale: atque in iſto ſtatu fit cordis & arteriarum motus ſiue percuſſio in diaſtole & ſyſtole æqualis in ſuo tempore, ſecundùm veræ harmoniæ leges proportionalis: nam cõtractiua ſeu conſtrictiua frigiditatis humidæ motus eiuſdem eſt in menſuræ & proportionis tempore cum illa dilatatiua caliditatis ſiccæ, nec ſuperat actus vnius reactionem alterius: atque ita pacem vel ad pondus vel ſaltem ad iuſtitiam adaptat ſpiritus iſte immortalis in vita humana; quippe in qua actio eſt moderata, tranquilla & æqualis. Atque hæc eſt iuſtitia diuina, cùm benignitate creaturæ vitam curare placuerit. De qua hæc vir patiens: *Cum vita benignitatem erga me exercuiſti, & viſitatio tua conſeruauit ſpiritum meum.* Atque de iſto vitæ pacificæ ſpiritu ſic ibidem. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. De
Iob.33. quo beato ſanitatis & vitæ ſtatu hæc Sapiens: *Creauit Deus omnia, vt eſſent, & ſanabiles fecit na-*
Sap.1.13. *tiones orbis terrarum: creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit il-*
Sap.2.23. *lum. Verùm inuidia diaboli mors introiuit in mundum*: nam vt iuſtitia propter ſuam æqualitatem eſt perpetua & immortalis: ſic quidem iniuſtitia eſt morborum, inæqualitatis atque mortis acquiſitio. Recedit ergo Deus à benignitatis ſuæ æqualitate in iracundia ſua, & æqualitatis vincula laxare ſolet. At ſi Deus ſit bonitas, iuſtitia & æqualitas in ſua ſimplici natura, ſequitur quòd ſi ipſe tollat faciem benignitatis ſuæ à creatura vt ægrotet, conturbetur, & ad quoddam inæqualitatis extremum tendat ſuus ſpiritus in mediocritate poſitus neceſ-
Pſal 90.14. ſe habemus credere. Vnde vt Dauid dixit: *Vitæ prælongatio benignitas Dei.* Et Iob: *Viſitatio tua*
Iob.10.12. *conſeruauit ſpiritum meum.* Sic etiam ab eodem patiente docemur, quòd *Dolores impertiatur*
Iob.33. *Deus ira ſua.* Et Moyſes in perſona Dei loquens: *Ego miſſurus ſum in cor tuum omnes plagas meas,*
Leuit.26.16 Deut.28. *& in ſeruos tuos. Faciet Iehoua vt adhæreat tibi peſtis donec conſumaris.* Quibus patet, quòd in Dei manu ſit æqualitatem in pulſu dare, quò feliciter viuat creatura; atque iterum motum pulſibus inæqualem reddere, vt vitam doloroſam, interruptam & inæqualem degat, quemadmodum in capite ſequenti luculentiùs.

CAPVT V.

Hic radicalis inter ſomni & vigiliæ actus, & motus ſyſtoles & diaſtoles pacis, æqualitatis, atq; belli, inæqualitatis, interruptionis, aut perturbationis ratio oſtenditur.

SI homo ad imaginem mundi, atque ex mundi compagibus ſit creatus, neceſſe eſt credere quòd ex duplici contrario tam in ſuo corpore ſeu terra quàm ſpiritu (ſiue ipſe officio animali, vel vitali, vel naturali fungatur) componatur: nam aliter paſſionibus & mutationi minimè foret ipſe obnoxius: at patitur vitæ ſuæ ſubiectum tam in actione animali quàm in vitali, atque etiam naturali ob contractiuam & dilatatiuam illam proprietatem, quæ eſt omni ſubiecto mundano tam ſpirituali quàm corporali communis, eique naturaliter quaſi à creatura adnata. Verbi gratia, ſe manifeſtat in ſpiritu animali contractiua frigiditatis tam Borealis, quàm Occidentalis actio in ſomno, vtpote qui definitur rectè à Galeno, eſſe dela-
Finit. med. c.4. tionem ſecundùm naturam à finibus ad principium. Vel ſic: *Somnus eſt remiſſio animæ ſecundùm naturam à finibus ad principium*, &c. Et quid aliud per iſtam definitionem intendere queat, quàm quòd ſomnus ſit contractio ſpirituum animalium, ſeu ſenſitiuorum à circumferentia (quæ & finis eſt) ad centrum, quod eſt principium, hoc eſt à termino mobili ad locum quietis reductio. Vnde & *alibi* cum ſic definit: *Somnus eſt quies ſeu vacatio ab animalibus actionibus*, &c. hoc eſt contractio ſpiritus ab extra vbi operari cogitur, ad extra quod eſt ſedes quietis. E regione verò vigiliam ſic: *Eſt extentio animæ à principio ad corporis partes omnes*, &c. hoc eſt dilatatio ſpirituum ad centrum contractorum ad circumferentiam ſeu fines. Quòd autem actio ſomnum prouocans ſit Septentrionalis vel potiùs Occidentalis frigida, illa verò vigiliam inducens Orientalis vel ad Meridiem quandoque inclinata, agnoſcere vi-
Gal 1.pror. com.2.19. Aph.4.67. detur ipſe per hæc verba: *Vigilantia eſt propter ſiccitatem & caliditatem primæ ſentientis partis, id eſt, cerebri, ſomnus verò ex contrariis.* Hinc alibi: *Somnus trahit magis ad intra.* Quibus liquet, quòd ipſorum Ethnicorum conſenſu eſt in facultate animali proprietas tam contrahens quàm dilatans, quarum illius effectus dicitur ſomnus, huius verò vigilia. Quòd etiam facultati vitali ſimilis adſit facultas ex pulſus motu declaratur, cuius effectus contractio-

tractionis dicitur systole, dilatationis verò diastole. Denique, quòd in hepate (quod est facultatis naturalis fons & origo) sit contractio in vigiliis, quia calor vndique expansus & ad partes exteriores per vigilias educitur, vnde fit vt refrigeretur magis. Vnde Galenus, *In toto tempore somni videmus animalem vim quiescere, naturalem vero vehementer operari:* hoc est, esse contrarium in actu ad illum animalium. Præterea quod sit in hepate virtus naturalis tam attractrix atque retentrix, hoc est, contractiua & septentrionalis, quam coctrix & expultrix, quæ in dilatando consistit, neminem medicorum latere scio.

Dicimus igitur, si istæ omnes proprietates tam contrahentes quam dilatantes sint in proportione æqualitatis; verbi gratia, si Vigiliæ non excedant suos limites, sed sint in mediocri statu; atque etiam somnus non sit nimis dominans atq; sanitatis limites excedens, sed in proportione & statu iustitiæ & æqualitatis se habeat, ad complexionem viri & rationem mensuræ vigiliarum, hoc est, vt actus proprietatis contractiuæ non superet in spiritibus animalibus actum illius dilatatiuæ: tunc quidem se habebunt in sede animali secundum naturales vitæ leges. Atque hoc idem de illis facultatis vitalis & naturalis est intelligendum. Sic ergo ex sphæra æqualitatis animæ in illas binas inæqualitatis progrediemur. Atq; in primis & ante omnia vt subiecto huic nostro insistamus de gemino illo ex sphæra vitæ æquali in limite inæqualitatis recessu verba, licet non nisi pauca & parca efficiam.

Creauit Deus hominem vt sanabilis esset, vnde in benigno suæ creationis officio formauit hominem ex limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. In hoc quidem statu temperamentum vitæ Adami fuit ad pondus, & caloris dilatatio erat in æquali distantia cum frigoris contractione in subiecto vitæ elementali seu spirituali medio, atque ita trutinis æqualitatis siue æquilibrio se habuit spiritus vitalis cum in subiecti mediocritate respectu suæ spissitudinis aqueæ & raritatis igneæ, tum in sua actione per dilatationem igneam, tum reactione per contractionem aqueam. Atque ita per actionem & resistentiam æqualem & mediocrem factum est vitæ temperamentum ad pondus; hoc est, in quo aër seu spiritus vitalis non sit rarior atque magis dilatatus ab igne naturæ seu Orientali, quam contractus à natura aquea Occidentis cum proprietate Boreali mixta. Nonne animaduertimus ob istã rationem illum anni statũ ideo esse sub temperatis zonis degentibus maxime in aëris temperatura & constitutione æqualem, in quo Sol per æquinoctia videlicet ♈. & ♎ transit? quoniam calor solaris ab æquinoctiali linea emissus temperat extremitatem frigoris quod emittunt poli quasi in via media. Hoc etiam in instrumenti nostri experimentalis obseruatione liquescit: nam cum aqua gradum colli matracii I. occupauerit, euidens est aëris mundani in caliditate & frigiditate temperiei signum: nam id est initium seu radix regni seu hemisphærii Borealis, atque dominii frigoris; ita quidem illud Meridionale, seu hemisphærij æstuosi ab eiusdem puncto deorsum descendendo principiũ seu incrementum ducit suum; vnde considerare fas est quod illa figura seu gradus I. sit argumentum quod aër seu spiritus inclusus in eo statu non est in sua consistentia nimis attenuatus siue dilatatus, quia calor non superat frigiditatem, nec nimis est incrassatus siue contractus, quia frigiditas non superat caliditatem, & consequenter aër est in quantitatis suæ ratione, videlicet in suæ substantiæ spissitudine & subtilitate mediocri, & per consequens in eius subiecto calor æqualiter agit in dilatando cum actu frigoris per resistentiam reagendo & renitendo. In tali ergo proportione se habet pulsus in exacta æqualitatis mensura, pondere & numero se habens, vnde vt diastoles & systoles motus taliter etiam in isto statu se habeat necesse habemus credere, videlicet vbi tale adest temperamentum ad pondus.

Iam vero considerare debemus, quod tametsi sit in inclinatione aquæ vltra figuram I. ad extrema in vno respectu videlicet in motu & quiete æqualitas etiam actionis calidæ ad resistentiam seu passionem humidi in spiritu, quemadmodum etiam in motus pulsuum respectu pulsus celer & creber æqualis potest esse in sua distensione ad ipsius contractionem, atq; etiam pulsus tardus & longus tamen respectu temporis ad illum mediocrem & ad pondus habitum dici potest inæqualis, vt *infra* latius suo loco dicetur. At verò illa inæqualitas in motu pulsuum discernitur in species plurimas diuisa est à Galeno, atque aliis ethnicis: de quibus omnibus suo loco latius discutremus. Dicimus ergo quod tam motum & distensionum quam quietum seu dilatationum cum æqualium tum inæqualium author & moderator sit ipse spiritus diuinus qui in sua beneuola erga creaturam proprietate beneuolo & temperato motu conducit vitæ spiritum, ipsum nec nimium dilatando; quoniam tunc erit nimis subtilis & tenuis in sua corpulentia seu substantia ad vitam in medio consistentem refocillandam, nec nimium contrahendo: nam ita in suo motu nimis redditur tardus & quasi fixus propter nimiam substantiæ suæ spissitudinem. At in maleuola sua dispositione auertit faciem à creatura: vnde sequitur quod in motu pulsuum conturbatio & inæqualitas acci-

Ps.104.29. dat, iuxta istud Prophetæ, *Deo dante creaturis recipiunt, abscondente faciem suam perturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, emittente spiritum tuum recreantur, &c.* Quo sermone denotat spiritus diuini præsentiam esse vitæ salutaris, & consequenter perfectæ pulsuum ordinationis tam in suo motu & quiete quam in quantitate & qualitate siue actionibus. At si ipse auertat suum actum beneuolum seu faciem suam, sequitur ægritudo seu perturbatio tam in naturali seu fælici & mediocri pulsuum actu quam præternaturali atque extremo vel inæ-
Iob.28.25. quali. Nam si vitæ spiritus ab inspiratione omnipotentis animetur & mouetur ad voluntatem motoris, necesse est credere quod aptat aërulli pondus secundũ voluntatem suam, atq; in eo, & ex eo appendit subtilia meteora tã aquea quam ignea; nõ aliter quam in aëre mundi maioris dicitur sapientia aptasse pondera aëri & appendisse nubes in mensura, & fecisse pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum. Atque varietas huiusmodi meteororum insensibilium ab actu diuino in spiritu seu aëre vitali procreata est præcipua tam intemperiei fri-
Esai.41.5. gidæ quam calidæ in pulsibus causa: nam vt est *solus Deus qui dat flatum creaturis*, vtpote cuius
Iob.33.4. *spiraculum* seu *afflatus viuificauit hominem*: imo quidem *spiritus ipsius emissione creata sunt omnia*,
Iudith.6.
1.Tim.6. & consequenter, *in eo viuimus, mouemur & sumus*: ita quidem citra dubitationis aleam certum
Act.17. est, quod ipse sit actor & motor in spiritus vitalis variatione tam salutari quam morbosa, & non aliquis alius ab ethnicis excogitatus, ipse est qui perturbat spiritum vitalem suo maleuolo afflatu, ipseque solus, qui propitiatus eius inquietudinem mitigat atque pacificat: iuxta illud textus superioris, Emittente spiritum suum recreantur: hoc est, spiritus perturbatus, & vexatione quasi mare fluctibus iactatus, iam ad pristinum & salutarem in motu & quiete statum reuertitur: nam eundem actum conuertere solet omnipotens tam ad salutem
Sap.16.22. quam ad infirmitatem: vnde vir sapiens. *Deus ignem facit ardere inter aquam & in niue, & glacie*, vt terræ iniustæ fætus corrumperet; hic vero è contrario, vt alerentur iusti etiam propriæ facultatis oblitus est: nam creatura tibi qui fecisti omnia inseruiens ad punitionem contra iniustos intenditur, & remittitur ad beneficentiam pro iis qui confidunt in te, &c. Est enim actus Dei in proprietate sua Orientali quæ elementum commune conuertit in igneam naturam, vt mediante eo quasi organo tam gratiose & ad vitæ beneficium operetur, quam seuere ad vitæ detrimentum, idque tam in spiritu vitali in macro quam microcosmo: nam vt caloris natiui actu præseruatur vita, ita quidem caloris illius in ardentiorem mutati æstu vehementi perturbatur, vexatur, ac miserabilis fit vita, vnde Iob quasi infelix istius rei testis in
Iob.6.4.& istam prorumpit lamentationem. *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit*
30.17. *spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me. Nocte os meum perforatur doloribus, & venæ seu pulsus non requieuerunt; eleuasti me ad ventum, & effecisti vt defluam substantia, &c.* Hic ergo vir patiens expressit luculenter actum in proprietate Dei Orientali in punitionem siue afflictionẽ voluntate diuina versatam, quã intendit Deus in spiritibus vitalib. & corde, non siue veloci pulsuum in motu & quiete actione, excitarentur, quo vitæ quietem oppugnent, & viscera accendant æstu, & substantia corporis ardore liquescat. Et Dauid ait,
Psal.32.4. *Interdiu & noctu grauis erat super me manus tua, conuertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstiuas; debilitatus & alteratus sum valde, rugio præ fremitu animi mei, cor meum palpitat, relinquit me virtus mea. Ira tua consumimur, & tuo æstu conturbamur:*
& 38.90. vbi per cordis & arteriarum seu pulsuum perturbationes à calore intenso factas, spiritus vitales, atque etiam naturales & animales inflammantur, & inflammatione nimium attenuantur, & attenuatione eorum facile caloris intensi actui obediunt; atque hinc oritur pulsuum velocitas & crebrositas & vehementia, vti suo loco planius exprimemus. E regione vero actu suo frigido in pulsuum tarditate & spirituum spissitudine versatur: Istum igitur actum sequuntur morbi illi frigidi
Psal. quos plaga Borealis atque etiam Occidentalis parturire solent. Vnde Psaltes, *Coram frigore*
Iob. *eius quis consistat?* Et alibi, *Flante Deo concrescit gelu atque coarctantur aquæ.* Et Moyses, *Percutiet te*
Deut.28. *Iehoua frigore, &c. amentia & stupore cordis.* Amentiam autem definit Galenus *ratiocinatricis facultatis veluti paralysim* Talis etiam erat paralysis Alcymi, de quo textus: *In tempore illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & dissolutus est paralysi.* De his vero pulsuum motum tardum vt plurimum sequentibus *infra suo loco* latius. Hoc caput concludens cum hac Biblii sa-
Iob.5. cri assertione, Deus qui est carnis & *spiritus dominus operatur omnia in omnibus* tam ad salutem
Deut.32. quam ad morbum, ipse per afflatum suum conuertit spiritum creaturæ iuxta placitum su-
4.Reg.5. um naturam tam rapidi & deuorantis seu perturbantis, quã suauis & benefici & placidi elementi: quare ipsius est solius vulnerare & mederi, ipsius percutere & sanare, occidere & viuere facere, & non est qui de manu sua possit eruere. At de istis nos *infra*, vbi de essentiali pulsus definitione disceptabimus luculentius.


CAPVT

CAPVT VI.

De illis organis, in quibus fit Pulsatio, atque de naturalibus ipsorum actionibus ad tale opus ordinatis.

AT iam, cum pulsus dictitatur quædam contractio & dilatatio tam cordis quam arteriarum quæ ex corde oriuntur; videamus iam quomodo ista organa seu vasa spiritus vitalis recipientia ad illorum motus recte gubernandos, atq; systolen à diastole distinguendam ordinantur, præparantur & disponuntur. Certum est quidem, quod vasa ista taliformiter à Deo componuntur vt apte & commode tam in altum à centro quasi ad circumferentiam distentione siue diastole eleuari, quam deorsum ad certum quasi quietis contractione siue systole possint moueri: nam tam cordis substantia quam arteriæ corpus ex duplici compactum tunica est ex tribus fibrarum speciebus conflatum, quarum rectæ si contrahantur, tunc reliquis fibrarum speciebus relaxatis cor dilatatur: atque ista quidem actio dicitur diastole, & in tempore istiusmodi motus cor aërem ex pulmonibus per arteriam venosam in sinistrum eius ventriculum, cum ad sui refrigerium, tum ad spirituum vitalium nutritionem attrahere solet. Atque etiam hac eadem actione cor sanguinem ex trunco cauæ venæ ascendentem per ventriculi sui valuulas extra apertas, intus vero clausas, & cuspidibus sagittarum simillimas: hocq; pulmonum substantiæ nutriendæ causa attrahit. At vero si dictarum fibrarum transuersæ contrahantur, tum rectæ iterum relaxantur, & cor quidem contrahitur & reprimitur, atque hæc actio vocatur systole, in tempore cuius motus fuliginosa aëris excrementa à sinistro cordis ventriculo partim per arteriam venosam expelluntur, & partim per magnam arteriam in partes alias, vt nonnulli volunt; tamen mea me fert sententia quod ex aëris per inspirationem introducti mole est purum, & de substantia cœlesti diuinitate haud minima prædita, & ab aëris superfluitate diuisum, id quidem in Aortam intrusum; & in ea reconditum puto, vtpote quod est verum pabuli vitalis subiectum diuinitatis scintillis exuberans, quarum accessu multiplicatur, & motu diastoles & systoles mouetur & agitur spiritus vitæ, non aliter ac lampadis flamma ad finem vsque mouens quandoque sursum, & deinde per aëris resistentiam parum per deorsum inclinans, iam fere propter liquoris defectum extincta additione olei viuificatur & augetur; quod autem est aëris superfluum & inutile foras per expirationem expellitur; In istius autem motus spatio sanguis ille à vena caua motu præcedente extractus & in dextro cordis ventriculo præparatus atque elaboratus per venam arteriosam apertis valuulis semilunaribus ad pulmones nutriendos introducitur. Deniq; fibræ obliquæ illã producunt quietẽ, quæ inter diastolen & systolẽ intercedit. Quib. sat liquido declaratur, quod ratione harum in vasibus istis fibrarum ea optime ad tale opus in dilatando, contrahendo atque quiescendo obeundum à primo illo in centro motore, ***qui operatur omnia in omnibus***, tam per organa sua spiritualia quam per corporalia præparantur, fabricantur & ordinantur.





LIBER SECVNDVS, DE PVLSVS DEFINITIONE.

Capvt I.

Quod Medici Ethnici in Pulsus definitione, seu naturæ ipsius declaratione multum inter se dissentiant. Et primum de magis superficialib. ipsius secundum ipsorum sententias hoc in capitulo agitur.



ADmodum graue videtur esse inter medicos vetustiores, in genuinæ Pulsus naturæ explicatione discrimen, quorum permultorum recitat Galenus nomina *lib. 4. de diff. puls.* Nam Heraclides Tarentinus sic. *Pulsus est motus arteriarum & cordis.* Alexander Philalethes. *Pulsus est cordis & arteriarum contractio atque dilatatio citra voluntatem.* Demosthenes Philalethes. *Pulsus est naturalis cordis & arteriarum distensio & contractio.* Bacchius. *Est distensio & distractio quæ simul fit in omnibus arteriis.* Hic ergo omittit cordis considerationem. Zeno. *Est partium arteriosarum mista ex contractione & dilatatione functio.* Chrysermus. *Est contractio & dilatatio arteriarum exurgente vndique tunica, & in seipsam rursus considente, ab animali facultate & vitali comitante perpetuo tam sanitatem quam morbum, ad sensum deprehendi potens, &c.* Hic quidem ad definitionem magis essentialem, quam præcedentes accedere videtur, tamen ipsum cordis in sua definitione respectum omisisse cernimus. Heraclides Erythræus. *Est distensio & contractio arteriarum atque cordis à vitali & animali facultate.* Hic etiam internum agens denotat Agathinus. *Et cordis & arteriarum motus.* Archigenes idem sentit cum Demosthene Philalethe. Magnus vult quod *non sit distensio & contractio, sed in molem eleuatio & concidentia sensibilis cordis eorumque quæ illi afficiuntur.* Athenæus. *Est motus per distensionem naturalem & inuoluntariam spiritus eius qui in arteriis est & in corde.* Asclepiades atque ipsius discipuli sic. *Est distensio & contractio cordis & arteriarum.* Moschion. *Est motus peculiaris cordis, arteriarum, venarum cerebri ambientisque hoc membranæ, quæ in vna inspiratione non semel sed identidem fiunt.* At vt mihi videtur membranæ non per se, sed ratione arteriolarum quæ ipsis, & præcipue piæ matri sunt insertæ mouentur. Erasistratus. *Est arteriæ dilatatio & contractio à facultate quæ illis adiuncta est proportione.* Vel sic. *Pulsus est dilatatio arteriæ quæ super impletione fit spiritus à corde emissi.* Vel sic. *Est dilatatio quæ facit vt tactum arteria feriat.* Auicenna sic. *Pulsus est motus receptaculorum spiritus ad regendum ipsum per aerem attractum secundum dilatationem & astrictionem, &c.* Hic Auicenna fallitur (vt mihi videtur) quia nec ad spirituum refrigerium, nec ad ipsos gubernandos fit pulsus, sed ad ipsum per aëris attractionem quasi cibo spirituali sustinendum, & nouo pabulo sibi simili reficiendum.

Quibus videre fas est, quod ipsorum nonnulli ab inuicem in eo discrepare videntur, in suis definitionibus, quod alii assignant & explicant solum effectum ad sensum apparentem, videlicet dilatationem & contractionem in arteria sola, in corde solo, alii in arteria & corde simul, alii in corde, arteriis, venis cerebri & meningibus eiusdem. Vnde fit, vt istæ sint potius descriptiones pulsus manifesti & ab effectu deductæ quam ab essentia rei. Alii vero magis profunde speculantes suas definitiones magis essentiales & internas fecerunt: nam addit Chrysermus, *Ab animali facultate & vitali, &c.* Animali, quatenus necesse est vt omnis inuoluntarius motus seu actio, qualis existimatur ab Ethnicis esse illa vitali, à motu voluntario consistere debet. Et Heraclides addit, *à Vitali & animali facultate,* quoniam facultas animalis existimatur esse principium motus. Hinc ergo Athenæus inuoluntariam vocat pulsum spiritus distensionem: sed vnde sit illa distensio non dicit. Quare quam magnum sit istorum ethnicorum medicorum discrimen in pulsus definitione, neminem latere potest.

Capvt

CAPVT II.

De duplici Pulsus describendi formula, & qualis sit Galeni in essentiali Pulsus definiendi methodo sententia.

INquit Galenus, vbi de pulsus definitione discurrit. *Definitio quæ totam rei essentiam est ob oculos positura nihil debet eorum quæ illi præcipua sunt & propria maximè, omittere*: sed quandoquidem controuersia de essentia est, necessario sua erit cuique definitio. Definitionis autem genera assignat *ibidem* duo: alterum quod plane rei notionem explicat, quam qui ponunt nomen habent: alterum est quod docet essentiam. Istarum ergo alia notionem explicat ad rei essentiam non aspirat; alia recedit à notione, & nonnihil accedit ad essentiam: alia vero tum de notione tum de essentia discurrit: deniq; alia docet totam essentiam rei. Prior descriptionis species debet ex seipsa habere fidem, res perspicuas explicans: altera, quæ est vera definitio, declarat quid res sit: nám quæ sit cuiusque definiti essentia hanc iuxta Aristotelis normam indicat. Deniq; definitio notionis propria vtplurimum accidentia exprimit, cuiusmodi est extensio & contractio corporis tam cordis quam arteriæ: quare sufficiebat nonnullis istiusmodi pulsus describendi formula. At definitio essentialis arguit rei essentiam, & consequenter genus & differentias, & vsum generationis, causam etiam efficientem ad materialẽ aut instrumentalem, vt genus, aut motum, aut actionem, aut effectum arteriarum, differentias, per contractionem & distensionem, quodque sit citra voluntatem, vsum, qui est innati caloris vel spiritus vitalis aut etiã animalis generandi, causam efficientem, quod sit vis quædam cor distendens & arterias, aut vitalis aut animalis aut vtraque, materialem & instrumentalem, confirmationem arteriarum ad actionem declarare appositam. *Diff. pulſ. l. 4. cap. 2.*

Iuxta istas igitur conditiones expectat Galenus definitionem pulsus essentialem: quare Erasistratus putat essentialem pulsus descriptionem in ista verborum serie comprehendi.

Pulsus est motus arteriarum per distensionem & contractionem, quem facultas efficit vitalis & animalis, ad implendas arterias spiritum continentes vitalem.

Asclepiades vero pulsum suo more essentialiter sic.

Pulsus est motus arteriarum per distensionem & contractionem quæ spiritu implentur cum extenuantur, cum considunt eorum tunicæ euacuantur.

Galenus vero suam definitionem essentialem in hunc modum contexit.

Pulsus est actio particularis præcipue cordis, deinde arteriarum, quæ distensione & contractione mouentur à facultate vitali, quo caloris natiui mediocritas retineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis, diff. pul. l. 4. cap. 2.

Ego vero ad maturam definitionum istarum tam essentialium examinationem, atq; seriam ipsarum inquisitionem descendam, quo melius ad essentialem pulsus, meo more fundamentis (vti spero) certioribus innitente, descriptionem transeam.

Ad illas igitur Erasistrati atq; Asclepiadis quod attinet, percipio quidem ipsas esse in hoc magis imperfectas quam illa Galeni, quatenus mentionem faciunt de arteriarum in diastole & systole motu, & minime de illo cordis: nam hoc quidem certum est quod vt cor est arteriarum basis & fundamentum atq; radix, ita quidem necesse habemus credere quod in motu & ad motum cordis dilatantur & contrahunrur arteriarum vascula; de quo quidem possumus in eo fieri certiores, quoniam subito ex serpente, vel alio aliquo animali viuo extracto corde, ipsum satis diu post eius extractionem contrahi atq; dilatari testatur experientia, dum tamẽ interea arteria à corde diuisa suum motum subito amittit: quod quidem est signũ euidens, quod radicalis motus arterialis virtus in corde sit sita, quemadmodum demonstratione oculari capite sequenti expressa luculentius explicabitur.

Deinde dicimus, quod Asclepiades male & incongrue posuit causam illam pulsus motum originaliter efficientem esse spiritus accessum seu præsentiam arteriæ eleuationem seu plenitudinem efficientem (vt ait) atq; iterum eius recessum seu absentiam ipsius depressionem causantem: nam si hoc esset verum, tunc arteria omni momento euacuaretur aut repleretur spiritibus: præterea videmus quod omni hora sanguine arteriali implentur, quem dicimus ex spirituum cælestium congerie in vehiculo aereo esse compactum: vnde liquet quod non sit impletio arteriæ & euacuatio in omni diastole & systole. Porro etiam si hoc esset vt intenditur ab ipso, illa impletio & euacuatio per inspirationem & expirationem aeris mediante trachea arteria, tunc sequeretur quod dilatatio & contractio pulsus obseruaret

eandem temporis menſuram cum inſpiratione & expiratione, quod eſt veritati incongruum, vt nos docet experientia. Porro etiam videmus quod retento ad tempus halitu pulſus nihilominus ſemper manet idem. At ſi intelligat quod recedit ab vna arteria in aliam, & iterum accedat; ſi hoc quidem eſſet tum inueniretur in vno corporis membro ſyſtole & in alio diaſtole in eodem temporis momento, quod quidem abſurdum eſt credere. Huius igitur motus radicem nos in definitionis noſtræ eſſentialis explicatione ſeu enucleatione lucide oſtendemus.

Denique concludunt primus & vltimus in ſuis definitionibus eſſentialibus quod cauſa pulſuum efficiens radicalis ſit facultas vitalis; atq; Eraſiſtratus ſimul addit (ni in iſta ſua abſoluta aſſertione erret) *& animalem*; tametſi Galenus de ſola facultate vitali mentionem faciat. Quibus ſuis allegationibus aſſeuerare videntur actionem ſeu proprietatem vitalem eſſe primam & centralem in cordis & arteriarum contractione & dilatatione; atque ita organum ſpirituale pro primo omnium in eo motore, qui vt eſt centrum & circumferentia cuiuſlibet rei, ita quidem à centro circumferentiam vſque mouet & operatur omnia in omnibus: hic ergo ſpirituali ſeu aereo vitæ tabernaculo inductus ipſum animat & viuificat, atque ſuo motu per ſpiritum vitalem eleuat, & mouet organa ſeu vaſa magis ſolida, videlicet cor & arterias: ſic quidem in macrocoſmo non eſt Angelus, ſed Deus per Angelum, nec ventus, ſed Angelus mouens à Deo per ventum, nec meteoron denſum, ſed Angelus mediante ſeu vehente vento per meteoron, qui iſta facit. Pariformiter non eſt ſpiritus ſeu aer in microcoſmo, ſed virtus Angelica ſeu diuina, ſpiritu induta, quæ agit ſe dilatando & contrahendo in corde & arteriis, ad cuius motum dictus ſpiritus imprimis viuificatur & agitatur in ſuis vaſculis, ad motum cuius tum poſtea eleuatur & deprimitur cor, atque arteriarum vaſa, vti *in ſequenti* latius.

CAPVT III.

Hic luculenta explicatur ratio, à textu ſacro prolata, quomodo Dei actus in ſpiritu corporis generali varieformiter operetur: ſimiliter probatur efficaciter, quod ſpiritus ille vitalis, atq; etiam animalis, ſit de ſpiritus mundi inferioris ſubſtantia, quoad ipſius exiſtentiam, at quoad eius eſſentiam de ſpiritu Dei. Hic etiam radicales diaſtoles & ſyſtoles cauſæ diligenti inquiſitione præeunte enucleantur, atque reuelantur.

VT rem demonſtratione à priori, & profundius recitemus, quo ad eſſentialem reuera ſpirituum nō modo vitalium ſed etiam animalium atq; rationalium actum ſeu principium magis internum, & quaſi à centro ad circumferentiam vſque operans pertingamus, operæ pretium fore exiſtimamus rei iſtius certitudinem in primo loco teſtimoniis ex totius veritatis fonte depromptis, atq; tum poſtea rationibus, quaſi philoſophiæ veræ telis, oculari demonſtratione explicare atque detegere. Sciendum eſt ergo, ante omnia, quod tres ſunt in rerum inferiorum exiſtentia gradus, tria, inquam, in rebus elementaribus regna, ſeu ordo triplex, videlicet anima, ſpiritus, & corpus: atq; iterum ſpiritus vel aqueus ſeu humoralis, vel aereus & ventoſus. Anima ergo viuificat ſpiritum tam ſenſibilem quam inſenſibilem, & tum mediante ſpiritu, quaſi re inter vtrumque extremum media, huc atq; illuc ducitur corpus: internus vero atq; centralis animæ actus eſt illa Sacroſancta emanatio quæ viuificat omnia: nam, teſte D. Joanne, *in verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum.* Hinc ergo Apoſtolus, *Deus viuificat omnia* At rationem quomodo ſic Iudith. *Miſiſti ſpiritum & creata ſunt omnia.* Quare abſurdi ſunt illi, qui volunt Deum vbique adeſſe virtualiter quaſi accidentaliter, & non præſentialiter ſeu eſſentialiter, quum vt ipſe in ſua eſſentia *eſt ſuper omnia*, ita quidem ipſe *per omnia & in omnibus*. Cui Apoſtoli propoſitioni etiam aſtipulari videtur Salomon in his. *Spiritus incorruptibilis ineſt omnibus.* Vnde ſequitur, quod cum fons vitæ ſit penes Deum (ipſe enim ſolus eſt *qui dat vitam & inſpirationem & omnia*) ſubtilis mundi, ſeu aquarum ſpiritus, ipſius præſentia, hoc eſt mediante ipſius emanatione in Angelicam factus ſit naturam, quam Poëtæ Deum *Pana* ſeu vniuerſalem naturam, Cabaliſtæ *magnum Angelum Metattron* (atque iſtum dixerunt vniuerſalitati præfectum, à quo quidem gubernari omnes virtutes ſingulares humanas, tam animales quam vitales & naturales putauerunt, quas etiam pariter angelos appellauerunt) Platonici *animam mundi*, & ſacræ ſcripturæ *Spiritum ſapientiæ*, ſeu *emanationem ſanctam* ſpiritu mundi ſubtili indutam dixerunt. Vnde textus, *Amictus lumine quaſi veſtimento.* Ob iſtam igitur rationem dicitur ſapientia omnium prior eſſe creata.

Ioan. 1. / 1. Tim. 6. / Iudith. 16. / Ephes. 4. 6. / Sap. 12. 1. / Pſal. 36. 9. / Act. 17. / Pſal. / Eccleſ. 1. 4.

Sic igitur ſpiritus Dei viuificus per vniuerſum mundi ſpiritum expanſus, & omnia implens

plens, atque per cuncta transiens, ea quidem sua præsentia (vtpote omni re mobilior) vita,
motu & actiuitate informat; atque hac ratione subtilis & dignior mundi spiritus, splendore
diuino ornatus, sic dictus est proprie spiritus vitalis, vtpote virtute cuius cæteri in mundo
indigniores & grossiores animantur atque viuificantur: ad quorum motus cætera corpora
tam mineralia quam vegetabilia atque animalia, imo vero & illa meteorologica, atq; etiam
aquarum moles huc atque illuc pro voluntate primi motoris qui à centro immobiliter & in
se permanens, emanationes seu actus suos essentiales emittit ad circumferentiam. A catholi-
co ergo isto vitæ mundanæ fonte riuuli vitæ ad omnia creaturarum genera effluunt, & præ-
cipue ad ipsum hominem cum additione. Hinc ergo à Mercurio Trismegisto dicitur homo
mundi filius, quatenus à spiritu ipsius diuinitate specificato influit assidue in ipsum vitæ riuu-
lus, tam ad humani generis multiplicationem, quam ipsius præseruationem, videlicet ipsa
emanatio sancta spiritum humanum implens spiraculi sui vitæ macrocosmum implentis por-
tionem inflauit in lutosum Adami corpus, iuxta istud Moysis, *Sufflauit Deus in nares eius fla* *Gen.* 2.7.
tum vitæ. Atque ex istiusmodi vitæ pabulo etiam conflatur vitæ spiritus omnium etiam alio- *Gen.* 7.22.
rum viuentium. Vnde alibi, *Quicquid erat in eius naribus halitus spirationis vitæ, mortuum est.* *Gen.* 6.17.
Atque iterum, *Interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est super terram.* At vero quod iste
vitæ spiritus sit in Deo, seu (vt Iohannes vult) in verbo, testatur hoc. *Non permanebit in homine* *Gen.* 6.3.
spiritus meus in æternum. Verum, quod omnis alia creatura præter hominem viuit per istum *Isai.* 42.5.
Dei spiritum sic Propheta. *Deus dat flatum hominibus & spiritum creaturis quæ calcant super ter-* *Iudith.* 16.
ram. Atque iterum vt suprà, *Misisti spiritum & creata sunt omnia.*

At relictis iam omnibus aliis creaturis, quibus Deus in pondere, numero & mensura
suæ voluntatis multiformi concessit suam vitæ gratiam siue spiritum ad ipsum hominem
(quem creator ob ipsius perfectionem cæteris quasi dominum præfecit) integram verbo-
rum meorum seriem dirigam. Si igitur *Spiritus sapientiæ sanctus impleat orbem*, vt Sapiens vult, *Sap.* 1.
si sit actus vitæ mundi, quippe *in verbo vita*, si ipse sit operator ille *qui aptat pondus aeri & ap-* *Ioan.* 1.
pendit aquas in mensura, &c. vt Iob ait, si *mediante eo creata sunt omnia & ornati sunt cæli*: si sit iste *Iob.*
illa virtus diuina quæ *viuificat omnia* (vt ait Apostolus) & consequenter implet spiritum *Iudith.* 16.
mundanum, eumque vitæ dono ditet, atq; exuberantem facit: si *Spiritus sit ille incorruptibilis,* *Iob.* 26.
qui inest cuilibet rei (vt Salomon dicit) si deniq; sit *verus ille panis de cælo descendens qui dat vitam* 1. *Tim.* 6.
mundo, vt ait Euangelista, *Sol*, inquam, ille catholicus *vitam & gloriam dans mundo* tam infe- *Sap.* 12.1.
riori quam superiori, vt Dauid dicit; tunc quidem extra hæsitationem vllam credere debe- *Ioan.* 6.
mus, quod ipse in hoc mundo mediante vehiculo istius mundi spirituali, vitæ suæ radios o- *Psal.* 84.12.
mnibus tam sub cælo quam in ipso cælo creaturis, atq; in primis animalibus, & super omnia
ipsi rationali copiose tam in suis creationibus & generationibus quam ad ipsas præseruan-
das & multiplicandas impluit liberaliter & affluenter, iuxta istud Syriaci. *Sapientiam suam* *Eccl.* 1.
effudit Deus super omnia opera sua, & supra omnem carnem secundum datum suũ: ac si cum D. Ioan-
ne dixisset (vt antea) *vitam dat mundo panis verus qui de cælo descendit.* Hinc Propheta, *Deus dat* *Isai.* 42.5.
flatum hominibus, & spiritum calcantibus terram. Et *alibi, Deus dat vitam omnibus, & inspiratio-* *Act.* 17.
nem & omnia: nam in primo ordine Deus sua emanatione animat Angelicũ mundi spiritum,
& ille sic animatus more influentiæ cælestis animat ventum seu spiritum sublunarem quem
aerem dicimus cum suo toto, atq; tunc aer cum istis omnibus per inspirationem ad cor du-
citur, quod reseruando sibi substantiam cæli præsentia diuina viuificatam grossius, inutilius,
atq; sublunare ipsius vehiculum siue tabernaculum, videlicet aerem, vtpote quid nimis hu-
midum & materiale per expirationem expellit foras. Vnde euidens est, quod in spiritu isto
cæli limpidissimo incorruptibilis etiam spiritus Dei creaturis omni momento descendat,
qui est verus vitæ panis de quo intendit Christus in sua oratione, *da nobis panem nostrum quo-*
tidianum &c. hoc est beneuole & cum benedictione ad salutem, & non maleuole & ad per-
turbationem. Quare vir patiens hæc. *Cum impius esset impleturus ventrem, in eum Deus æstuan-* *Iob.* 20. 23.
tem iram suam emittit, quam impluit in eum loco cibi, & Moyses. *Colito Iehouam, qui benedicet pani* *Exod.* 23.25.
tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio tui: vbi per panem intendit tam spiritua-
le, & inuisibile vitæ pabulum per aeris attractionem introductum ad cor: vnde dicit,
iram suam impluit in eum loco cibi: quam illud corporale, quod transit ad spirituum natura-
lium nutritionem.

Nec mirum cuiquam videatur, me dixisse panem de cælo, qui & verbum est, tam ad
benedictionem, quam ad maledictionem implui, cum testetur Moyses, quod idem Ange- *Exod.* 23.
lus qui missus est ante Israelitas in desertum ob eorum salutem & præseruationem, *in quo* *Sap.* 10.17.
(teste textu) *erat nomen Iehouæ* ipsis in seueritate sua ingentem induxit afflictionem & mor- *Ecclesi.* 3.
talitatem. At Angelus ille erat sapientiæ æternæ spiritus, vt testatur Salomon, & Syriacus,
mediante quo quandoque be[ne]ir, nonnunquam punit.

Concludimus igitur, quod centralis vitæ virtus in homine sit *Spiritus Dei incorruptibilis, qui emissus est ab ore Dei vt omnia viuificaret: sed delitiæ eius erant cum filiis hominum*, vt testatur Salomon: nam vt ipse animauit spiritum mundi; ita quidem ista mundi anima, est omnium animarum mundi creaturarum catholicus fons, vtpote à quo suæ vitæ originem hauriunt; atque iste cælorum thesaurus in hanc vel illam creaturam inspiratione introductus naturam induit speciei à qua est introductus, videlicet facit in Leone leoninam; cane caninam, serpente serpentinam, anguilla anguillarem, coruo coruinam, ac denique homine humanam, &c. vtcunque est cuilibet creaturæ vita qua suo more viuit, agit & mouetur. Ob istam ergo rationem Philosophi, cum dixerunt, *naturam quandam rebus omnibus insitam ex similibus similia procreantem*, quippe quæ generat cunctas res, auget alitque: atque ob istam rationem eam omnium in se nomina habere aiunt. At vero, quoniam Deus hominem formauit ad imaginem & similitudinem sui, in organo humano gradu longe altiori quam in cæteris appa-
Act.17.9. ret: nam præter hoc quod ait Apostolus, *In Deo viuimus, mouemur & sumus*: addit Iob ista.
Iob. 32. *Spiritus est in homine, sed inspiratio omnipotentis facit eum intelligere, &c.* quod quidem in gradu tam intenso erat cæteris animantibus negatum.

Nec quidem dicat aliquis, quod sit differentia inter spiritum Dei hominem viuifican-
Iob. 33. tem & intelligere facientem; cum in expressis hisce verbis ait textus alibi. *Spiritus Dei fecit me, spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Atque iste spiritus delitescit in aere, quem continua inspiratione & expiratione attrahimus per pulmones ad cor, atque per nares ad cerebrum.
Iob. 27. 3. Vnde Iob. *Donec superest spiritus in me, & spiritus Dei est in naribus meis, &c.* Ordinem autem
Pim. 10. descensum spiritus istius deiformis luculenter sic exprimit Hermes. *Anima rationalis in hunc vehitur modum: mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore, in quo per venas, arteriasque, sanguinemque diffusus animal vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet, atque circumfert.* Ac si dixisset, radius Dei in spiritu puro intellectuali spiritum animæ seu cæli loco vehiculi rapit, qui cum illis omnibus aere circumductus per inspirationem partim per nares ad cerebrum, partimque per pulmones ad cor, & ab inde in arteriam magnam quamlibet corporis partem vel membrum ramis suis perlustrantem, quæ præsentia istius actus seu virtutis diuinæ introductæ mouentur, animantur & viuificantur ad illa officia in corpore obeunda propter quæ membra illa fuerunt à Deo ordinata. In cerebro enim spiritus creat animales, quos ad intelligendum, ratiocinandum, reminiscendũ, motum per neruos in corpore exercendum, ad imaginandum, atque sentiendum adaptat: in corde & arteriis spiritus præparat & animat vitales, vt motu & actu eorum pabulum cæleste diuinitate plenum in aereo & sublunari suo curriculo omni momento per expirationem & inspirationem ad totius fabricæ vitam sustinendam atque continuandam introducatur. Et de isto hæc Nouum
In Epilogo. lumen Chymicum. *Creatus homo de terra ex aere viuit. est enim in aere occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, cuius spiritus inuisibilis congelatus est melior quam terra vniuersa.* In hepate facit atque operatur ad spirituum naturalium augmentum & conseruationem quo sanguinis & membrorum status continuatur & augetur post successiuam eorum diminutionem. Denique hic est diuinus ille spiritus à Deo è mundi cauitate in hominem assidue missus ad ipsius totum viuificandum, alendumque & ad intelligentiam ei
1.Cor.6.19. & 15. inducendam. Quare haud immerito dicitur corpus nostrum ab Apostolo *templum spiritus sancti qui in nobis est*, & *alibi*, quod *corpora nostra sunt membra Christi*: atque ita verbum more abstrusissimo incarnatum intelligatis.

His igitur in primo loco, à profunde speculantibus consideratis, apparens erit, quod
Sap.7.26. ignis iste sanctus (vtpote vapor virtutis Dei, & *emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera. & candor lucis æternæ & imago bonitatis eius*) sit ille ignis Zoroastri & Heracliti Ephesii inuisibilis, à quo cuncta genita esse credunt: hoc est spiritus Domini (qui est igneus ille amor) cum ferebatur super aquas edidit iisdem igneum quendam vigorem, cum nihil sine calore generari possit; & consequenter vniuersa mundi natura humida ab ipso viuificatur, & in catholicam mundi vitam seu animã conuertitur, mediante qua tum postea (spiritu illo diuino moderante, & integre afflatu suo operante) omnes creaturę ex mundi existẽtia seu elemento conflatæ imprimis creantur, & tum postea generantur, ac vitæ pabulo post generationem reficiuntur, atque ad earum præseruationem nutriuntur, idque per aeris inspirationem atque expirationem.

In primo ergo loco spiritus istius ignei in generatione humana actum paucis ostendã, & deinde ad illum in diastole & systole quæ ad vitam continuandam requiritur perueniemus. Vitæ panis de cęlo, vti dictum est, descẽdens in aereo suo vehiculo per inspirationẽ attrahitur ad cor, vbi est principalis illius thesauri sedes: & quemadmodũ quando magnus aliquis dominus è longe in curru seu quadriga sua ad domũ sibi destinatam atq; ordinatam venit à vehiculo illo suo descẽdẽdo & palatium sibi dedicatũ ingrediendo, relinquit atq; remittit curri-

curriculum suum: haud aliter nobilis iste deiformis postquam cor iniit, emittit protinus foras quadrigam suam aercam, vtpote de sua substantia sua minime existentem. A corde igitur fit separatio puri ab impuro, seu cœlestis spiritus diuinitate exuberantis à superfluitate aeris densi regionis sublunaris, mediantibus duabus valuulis mitralibus foris apertis, intus clausis: & quod quidem de vera virtute existit in vase Aortæ reconditur, & immittitur, mediantibus valuulis illis semilunaribus in arteriæ magnæ seu Aortæ orificio cordis thalamum respiciente dispositis: quæ valuulæ quo melius officium istud efficiant sunt intus opertæ, extra vero clausæ. Ista ergo vitæ virtus essentifica, iu qua est vis catholice, & consequenter operatur secundum locũ in quo est (nam à spiritu ab ore eius omnis virtus cœlorum, & eorum quæ ab iis fiunt) vndique per corporis membra mediantibus aortæ ramis dispergitur: ob quam causam in cerebro induit animalem virtutem, & sentire, mouere atque intelligere facit hominem, vnde anima dicitur animalis; in corde vitalem facultatem, & vitæ actum exercet, vnde anima vitalis in hepate naturalem vnde anima naturalis dictitatur. Denique operatur tam in homine, quam in mundo omnia in omnibus, iuxta Apostoli sensum, nam *in eo viuimus, mouemur & sumus: ipse est, qui viuificat omnia*, videlicet spiritus seu afflatus quem Deus vbertim hominibus infundit. Et quamuis omnes hi in corpore humano actus videntur esse diuersi, hoc quidem accidit ratione varietatis proprietatis diuinæ, tametsi spiritus sit semper idem & vnus: sic etiam videmus eundem ignem vulgarem varios iuxta passiui naturam cum quo iungitur, producere effectus haud mutata ignis illius substantia. Hinc vocat Sapiens eundem spiritum simplicem ratione suæ essentiæ, & tamen multiplicem ratione multiplicis suæ proprietatis. At vero spiritus iste notabiles hos tres in corpore humano actus per eminentiam super alios subordinatos, perficere solet, videlicet animales, vitales, & naturales, vt per istos hominis cœlum ad imaginem illius mundi in regiones tres varias distingueret, quo rectius mundus dicatur minor, videlicet in Intellectualem, quasi Empyream, vitalem, quasi æthereram, & naturalem, quasi aeream & sublunarem. *Act. 17.*

Vt ergo in generali mundi fabrica vniuersus ipsius spiritus aqueus, seu natura humida in has tres regiones verbo Dei lucido est diuisa, iuxta illud Psalmi, *Verbo Domini firmati sunt cœli, &c.* ita quidem ab eodem spiritu, seu verbo, ante vllius in spermatis massa membri apparitionem tres istæ regiones bullis seu ampullis distinctis post ipsius in matricem immissionem apparent, vt *infra* dicetur.

Actus ergo diuinus in spiritu animali vectus animaliter agit, & impressiones animales facit in corpore, iuxta voluntatem ipsius qui eum inspirauit, videlicet vel legerendo, sensando, mouendo, imaginando, ratiocinando atq; memorando: in vitali vitaliter, tã dilatando q̃ cõtrahẽdo: in naturali naturaliter, vel attrahendo, retinendo, alterando, & expellẽdo vel nutriẽdo p appositionẽ, vnionẽ & assimilationẽ, vel augẽdo in longũ, latũ & profundũ, vel deniq; generando p immutationẽ & formationem. Hinc ergo quidã animã humanam definiunt esse diuinam quandam substantiam à diuinis fontibus emanantem, ducentem secum numerum, non diuinum, quo opifex omnia disposuit, sed rationalem numerum quo cũ omnibus proportionẽ habens omnia intelligere possit. Cum ergo actor iste diuinus quasi diuinitatis radius omnes in corpore gignentis impressiones tam vitæ q̃ generationi necessarias præparasset, tunc quidẽ ad generationis actũ sic progreditur. Parauit ipse in paterni partus generatione vasa seminaria quatuor, quorũ duo ex arteriæ magnæ trunco exurgũt, & per illa vehitur spirituale illud semen inuisibile, ex quo tũ postea homo internus in fœtu propagatur. At istud semen fere inuisibile & spirituale vtpote ꝙ magnetica vasorũ istorũ virtute à cerebri cordisq, & hepatis spiritualibus est extractũ, & in ipsis contentũ, ita quidẽ necesse est, vt species spirituũ inuisibiles in ipsis contineantur, in quorũ medio seu meditullio, tamquã Rex atque Imperator regnat spiritus diuini radius, qui est internus & cẽtralis in fœtu seu partu agens & actor, ipsam corporeã fœtus substantiã p spiritus ventosi motũ ad imaginẽ illius spiritus efficiens & conformãs: vnde spiritus animalis portio tendit ad sui similis fabricam in massa spermatis, illa vitalis ad cordis, & ipsa naturalis ad hepatis. Hinc ergo est ꝙ filius vel filii sequi solet parentum non modo complexionem & animi vt plurimum mores, verum etiam ipsorũ corporum speciem: atque etiã morbi parentũ ob istam rationem solent hæreditate quasi filiis transferri, & præcipue animæ passiones, vnde & hæreditarii dicuntur, similiter vitæ mores, & naturales ad alimenta inclinatio. Vasa vero illa duo, quæ ex venæ cauæ trunco atque emulgente emergunt, & consequenter venosa dicuntur, illam subtilem membrorum visibilium ex alimento corporali præparatorum materiam seu substantiam, quasi extractum ex elementis solida constituentibus, seu purum molis ab homine externo diuisum, & vi quadam magnetica in coitus actu in ipsa attractum recipiunt; vnde fit, vt istiusmodi materiæ ex omnibus corporis membris in ista vasa recollecta coaceruatione

procreatur sperma visibile, in quo semen inuisibile continetur, non aliter quam anima seu homo internus & inuisibilis in corpore seu homine externo & visibili. Ex istius igitur spermatis visibilis substantia generatur & fabrefit corpus humanum mediante actu illo centrali in homine interno seu semine inuisibili delitescente. Atque hinc fit quod natus effigiem siue simulachrum parentum vt plurimum repræsentet; atque etiam quod ex parentibus gibbosis talis etiam proles parturiri cernitur. Hinc etiam est, quod parentes podagra, calculo vel phthisi laborantes, horum etiam morborum corporalium seminaria relinquunt suis successoribus.

Vnio autem spermatum in molem speciei producendæ aptam fit in plexu illo admirabili retiformi, quem Græci anastomosin dicunt, in quo vas venale arteriale, & arteriale venale subtilissima textura connectitur: atque ita quam subtilissimo spiritus centralis artificio fit exacta speciei in materia atque forma permixtio: qua completa iam tandem post massæ adeo mixtæ à serosa sua superfluitate purificationem & expurgationem in testibus, illiusque per vasa deferentia in recipientia seu prostatas glandulas transitum, tandem per membrum virile in matricem muliebrem eiaculatur: in quo ouo philosophico spiritus secretus intus centraliter agens assidue gradatim & paulatim agit ad fœtum ex dicta massa adeo infusa formandum.

Pro pleniori huius rei discursu, & quomodo post eius in vterum emissionem spuma quædam post sex primos dies ex ea oriatur, & tũ postea qua ratione vesiculæ seu ampullæ tres eminentes per tres dies sequentes in dicta spuma conflentur, in quarum quolibet spiritus diuersus est inclusus, & quod quilibet istorum ad suam propriam speciem generandam videlicet medius qui est vitalis ad cordis generationem, summus animalis scilicet ad cerebri fabricam, atque infimus seu naturalis ad hepatis complementum: ac denique quo ordine & qualibus distinctis temporibus reliqua omnia ad fœtus & nati perfectionem confluunt, optime à nobis *Sect.1.part.3.lib.3.cap.4.& 5. Anatomiæ meæ triplicis*, vbi de mystica spermatis anatomia tractatur, explicata atque reuelata inuenietis. Hic vero vos intelligere velim, quod sit solus iste incorruptibilis Dei spiritus primum per inspirationem in patrem introductus, & deinde speciei impressionem capiens, in seminali spiritu delitescens, qui centraliter agit in matrice ad fœtus conformationem.

Quod enim spiritus Dei viuus mediante vehiculo aereo in parentum cor & arterias nati est introductus, liquet ex his sequentibus: nam Iob fassus est *spiritum Dei esse in naribus & halitu suo. & alibi Spiraculum Omnipotentis viuificauit me.* Hinc ergo ait Sapiens: *spiritus redibit ad Deum qui dedit illum.* Et Deus dixit *sanguinem animæ sedem*: quare *qui sanguinem hominis effuderit, per hominem sanguis eius effundatur*, quoniam in imagine sua fecit hominem, &c. videlicet ratione præsentiæ spiritus diuini in anima, cuius vehiculum est sanguis seu aer in sanguinem factus: non enim erat in homine externo nec vita nec motus, nec anima, nec ratio priusquam Deus spiraculum suum immisisset in faciem Adæ. Quod etiam iste spiritus omnem vitalem, animalem atque naturalem vim suo actu diuerso infuderit, & radicaliter in principalia corporis membra impresserit, ex his constat. *Spiritus est in hominibus, sed inspiratio omnipotentis fecit eum intelligere*, atque ad imaginem cœli Empyrei macrocosmici fecit cœlum intellectuale microcosmicum, in quo est voluntas quasi primum mobile, ad cuius actum rapiuntur sphæræ tam vitales quam naturales; quare ipsarum actus dicuntur inuoluntarii, siue à radice animali coacti: non aliter quam omnes orbes cœlestes & sublunares ad motum primi mobilis ducuntur ab ortu in occasum.

Iob.27. *Iob.33.* *Eccl.4 5.* *Gen.9.5.* *Iob.32.*

Similiter ad imaginem cœli macrocosmici ætherei creauit & generatione adaptauit cœlum vitale cuius spiritum & stellas ducit & mouet duplici motu ad imitationem cœli stellati, videlicet per viam violentam seu raptim, primi nempe mobilis quæ est ab Oriente in Occidentem: & consequenter motus iste fit per dilatationẽ cum ratione caloris excitati à rapido illo motu, tum ratione dilatatiuæ proprietatis istius spiritus catholici quæ cardini Orientali ascribitur. Hinc ergo fit, quod virtus in materia mundana dilatatiua est contra naturam ipsius, quippe quæ appetit naturaliter quietem, vtpote quæ est tenebrarum & frigoris filia, cum è regione virtus ignea sit ex parte formæ, seu emanationis Dei lucidæ.

Hinc ergo accidit inuoluntarius iste in spiritu mundi æthereo motus dilatationis: hinc in spiritu arteriali ille distentionis qui producit motum dictum diastolem in pulsu. At vero vt in cœlo æthereo videmus spiritum ipsius in corpora mollia stellarum coagmentatum per resistentiam moueri, & aduersus motum illum dilatationis eniti, iuxta naturalem materiæ densæ conditionem (cuius est tum gratia suæ grauitatis, tum quia est densa & consequenter frigore conglomerata, resistere actioni caloris: nam ab Occidente

mouent

mouent versus Orientem, hoc est, contra voluntatem actus diuini, quippe ad proprietatem potentiæ seu voluntatis diuinæ inclinans) sic quidem spiritus iste cœlestis per inspirationem attractus, & in subtilem arteriarum sanguinem coagmentatus, resistentia sua agit in contrarium ad motum ignis inuisibilis inclusi. Istius rei demonstrationem latiorem immediate infra ostendemus.

Quod autem de cœlo descendat ista vitæ virtus concludimus in his. *Vitam dat mundo panis verus qui de cœlo descendit, &c.* Pariter etiam ad imaginem cœli sublunaris, seu aerei (quod vnicum elementum facimus) aptauit cœlum aereum siue sanguineum in homine: atque vt in aere macrocosmico nubes fieri, & ex pluuia inde promanante fontes & riuulos atque maria generari, idque virtute verbi: sic etiam hæc omnia se habere percipiuntur in regione hominis inferiori, centraliter & occulte operante spiritu Dei viuificante. Ioan. 6.

Denique vt terram esse seminum receptaculum cernimus, quæ mediante actu diuino in ipsis in propriam suam exugunt speciem visibilem: ita quidem extractum cœli atque elementi catholici in homine mediante, & occulte ac mirabiliter operante isto spiritu centrali ab informi spermatis in vtero iniecti massa, in propriæ suæ speciei visibilis fœtum transmutatur. Hoc etiam testatur textus sacer in his: *Ossa mea non occultantur à facie tua, etiamsi secrete sum factus & formatus infra in terra, oculi tui viderunt substantiam meam adhuc imperfectam, informem & non existentem, nam in libro tuo fuerunt omnia membra mea conscripta.* Et Iob optime: *Qui formauit hominis membra cum nullum ex iis extaret adhuc: nonne sicut lac fudisti me, & tanquam caseum coagulasti me? cute & carne induisti me, ossibusque & neruis compegisti me, cum vita benignitatem exarauisti erga me, & visitatio tua conseruat spiritum meum, &c.* Ac si dixisset, membra hominis formauit Deus ex spermate in quo nullum membrum visui apparebat: sperma quasi lac fudisti in vterum muliebrem, proprietate seu afflatu Meridionali, qui more lactis seu spermatis est calidus & humidus; tanquam caseum coagulasti me, hoc est, secundo & vltimo contractionis gradu qui proprietate spiritus septentrionalis coarctante & fixante perficitur: deinde actu, seu spiritu vitæ per afflatum proprietatis Orientalis viuificauit fœtum, & à propria & diuina sui spiraculi entitate intelligere fecit eum. Hic ergo fœtus, seu partus complementum à digito seu actu spiritus Dei ad exitum productum fœliciter videtis. Tunc pergit sic. *Et visitatio tua præseruat spiritum meum, &c.* Ac si dixisset, aerem perpetuum post suam natiuitate... attrahendo sibi magnetica quadam virtute addit spiritum spiritui, radiumque radio; vnde fit vitæ non solum successiua appositione continuatio & præseruatio, verum etiam auctio & multiplicatio. Ad istum ergo modum erat (secundum Salomonis sensum) *homo ex vtero matris figuratus caro, tempore decem mensium coagulatus cum sanguine ex semine viri. hic factus traxit communem aerem*, ad vitæ scilicet sustentationem. At in hisce omnibus actor est spiritus diuinus, seu verbum in nobis incarnatum, in quo erat vita & lux hominum. Atque hinc Apostolus: *Vnus Deus, & pater omnium, qui super omnes & per omnia.* Et alibi. *Vnus pater omnium ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* Iterū *Christus caput omnis viri*, vtpote *lapis ille angularis super quem ædificatus est homo*, de quo Propheta: *Attendite, seu respicite ad petram ex qua excisi estis.* Nam æterna illa sapientia est petra, seu lapis ille essentia vnicus, super cuius bases omnes homines sunt ædificati, ex quo respectu eorum essentiæ sunt excisi. Vnde ab Apostolo dicitur: *Christus vnum corpus habens multa membra:* hoc est, vna diuina essentia incarnata, multos homines, imo etc omnes essentialiter viuificans: non intelligit Christum hominem, sed illum diuinum quo plenissimus erat Christus homo, qui omnia implet, & ipsum hominem externum animat, & viuere & intelligere & loqui facit. Vnde ipse alibi. *Christus in me loquitur, in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.* Sic internus Christus dixit: *Veni a patre, redibo ad patrem.* Hinc etiam ait Iehoua: *Ponam tabernaculum meum in medio vestrum, & non abiiciet vos anima mea. Dabo sanctificationem in medio eorum in perpetuum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero iis Deus.* Et Apostolus. *Templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis.* Et Euangelista: *Regnum Dei est inter vos.* Et Apostolus ait: *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus.* Psal. 139. Iob. 10. 9. Sap. 7. 2. Eph. 4. 6. Isai 51. 2. Leuit. 1. 26. Luc. 17. Gal. 2.

Nec durum videatur hoc mundanis, quoniam etiam super hunc lapidem angularem, super hanc, dico, petram fundata & statuminata sunt omnia, verum eminenter, & super alia homo: vt *sapientia implet omnia*, ita necesse est vt ipsa insit cuilibet rei. Atque hoc idem est, quod Apostolus innuere videtur, vbi dicit quod *Christus sit omnia & in omnibus.* Hic ergo est cuilibet rei lapis angularis, super quē fundatur ipsa: super hanc n. basim ædificatur, suo loco exaltatur, & splendore admirabili adornatur Sol. Vnde Dauid: *Posuit tabernaculum suum in sole.* Sap. 1. & 12. Colos. 3.

Hoc

Psal. *Iob.*26.7. Hoc fundamento *suspendit Deus terram super nihilum*: nam iste est *lapis ille angularis, quem pro-*
*Iob.*34. *iecit Iehoua pro basi terræ*: lapide hoc angulari *aptat pondus aeri & appendit aquas in mensura*: &
consequenter super hunc extendit cœlos: denique ex ista petra excisæ sunt æternæ ho-
Ioan. 1. minum bases, quibus viuunt in æternum atque vniuntur cum Deo. At hic lapis igneus
est in tenebris, & *tenebræ non comprehenderunt illum*; est *lux hominum, sed homines magis dilexe-*
runt tenebras: per ipsum mundus est factus, & mundus eum non agnouit: istum tanquam *lapidem pro-*
*Psal.*118.22. *batũ angulare & pretiosum in fundamento fundatũ posuit Deus in fundamentis Sion* microcosmici:
*Matth.*21. 42. at *ipsum reprobauerunt ædificantes: vnde factus est lapis offensionis, & petra scandali: at omnes qui cre-*
*Rom.*9.33. *dit in eum non confunditur*. Hisce ergo liquet, quod hic sit basis illa vnica super quam funda-
tus est quilibet homo, quippe in quo, & per quem viuit, mouetur, augetur, multiplicatur
intelligit & ratione imbuitur: ac denique tam internus quam externus homo extruitur,
*Pim.*10. iuxta illud etiam Hermetis notatu dignissimum. *Mens diuina vehitur in ratione, ratio in ani-*
ma, anima in spiritu, spiritus in corpore, spiritus per venas arteriasque, sanguinemque diffusus animal
vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet, eamque circumfert, &c. Quo sermone arguit
lucem istam diuinam in medio omnium suorum vehiculorum in corpus humanum se
immergentem hominem internum cum intellectu & ratione, tum vita & spiritu, & con-
sequenter motu & actione atque existentia exornare, eius molem more lapidis angularis
suspensam tenere, eamque circumferre. Hinc Chaldæi ipsam animam humanam defini-
Ioan. 1. uerunt esse *lucem quandam diuinam ad imaginem verbi, causæ causarum, primi exemplaris creatam,*
substantia Dei sigilloque figuratam, cuius character est verbum æternum. At iste spiritus (vti di-
xi) est vnicus, infinita membra habens. Vnde certum est, quod respectu lapidis istius
angularis, omnes homines sunt vnus, quippe ex eadem petra excisi. *Attendite ad petram*
(ait textus) *ex qua excisi estis, videlicet ad Christum spiritualem, qui est lapis angularis super quem æ-*
Ioan. 1. *dificatus est omnis homo qui in hunc mundum venit*, iuxta istud D. Ioan. *Est lux vera quæ illuminat*
omnem hominem venientem in hunc mundum, & ista lux erat vita quæ erat in verbo, à quo facta sunt
omnia, & sine quo nihil. Hinc ergo Christus Iesus vocauit omnes homines suos fratres,
& hæreditatis sui patris capaces, vtpote qui cum ipso respectu istius lapidis angularis sunt
de eodem patre. Vnde propter vnionem & consonantiam istius spiritus dictitatur *cha-*
ritas & *spiritus amoris*, ob respectum cuius omnis homo debet amore erga suum fratrem
rapi atque flagrare, cum recte intelligat se ex eodem vitæ fonte cum fratribus suis proces-
sisse: quare concludit textus, quod quicunque odio persequitur fratrem, ipse non lucis,
sed tenebrarum est filius: nam si recte cognouisset lucem in se ipso regnantem vltra i-
psius leges quæ in Amore & vnione consistunt, ne gradum quidem excedere voluisset.
Atq; hæc quidem in primo loco mundanis explicare necessum fore putaui priusquã ad ar-
canã cordis seu spiritus vitalis in diastole & systole motus rationẽ penetremus, vtpote sine
cuius rei vera consideratione ad intentionis nostræ medullam, profundum veri subiecti
de pulsus motu arcanum me immergere conuenienter non potui: nec quidem de tam ar-
duo discursu absque manifesta obscuritate capacitati vulgari inimicissima tracta-
re fui ausus. Iam vero cognitis supercœlestis spiritus vitalis, partu, actu, loco siue sede &
vehiculo, varietate proprietatum, & quomodo ipse sit solus & vnicus, in primis in fœtus
procreatione, ac tum postea in geniti siue nati conseruatione actor & author; in secundo
loco de ipsius in motu vitali actus ratione & origine, & vnde hauriat suæ proprietatis
tam dilatatiuæ, quam contractiuæ initium aperte, tametsi succincte agam.
Nouum lumen, epilog. Innuit Philosophus in veris Dei atque naturæ mysteriis versatus, *Creatus homo de ter-*
Ioan. 6. *ra ex aere viuit*, est enim in aere occultus vitæ cibus. Et D. Ioan. de illo cibo secreto hæc. *Vi-*
Deut. 8.3. *tam dat mundo panis verus qui de cœlo descendit.* Et alibi, *Cibauit te Man, vt notum faceret tibi non*
*Psal.*78.24. *solo pane viuere hominem, sed omni verbo quod prodit ex ore Iehouæ.* Atque iterum, *Panis robustissi-*
*Ioan.*4. *mus*, id est, Angelorum frumentum *de cœlo, & manna ad comedendum*; de quo manna abscon-
dito hæc Christus, *Cibum ego habeo ad manducandum quem vos nescitis, &c.* est enim iste cibus
in aere occultissimus, sed virtute quam Deus dedit Moysi in formam densam atque visi-
bilem apparebat, vt etiam naturali Israelitarum esurientium facultati loco nutrimenti
solidi inseruiret: vnde & tali manna etiam è cœlo descendente, quod *Verbum* etiam di-
ctitatur, cibatus est Christus homo in deserto, vnde ait (iuxta textum Moysis præceden-
tem) *Non solo pane viuit homo, sed omni verbo prodeunte ab ore Dei.* De isto etiam cibo spirituali
Matth. 4. hæc Apostolus. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem spiritualem*
potum biberunt, bibebant autẽ de spirituali consequente eos petra: petra autẽ erat Christus: nã manna
est nihil aliud nisi cibus ille inuisibilis in aere contentus miraculose à Deo in speciem so-
lidam & visibilem redactus; vnde & verbum dicitur.

His igitur leuiter sic repetitis, sed serio consideratis, ordinauit Deus vnicus *pater à*

quo

quo omnia, & nos ab ipso, & per vnicum Iesum Christum, *per quem omnia & nos per ipsum*, hoc est, verbi incarnatione in nobis quasi templis seu membris suis, vt cibus occultus, seu panis è cœlo mysticus in inuisibili sua forma, & non in solida & manifesta, nobis per viã dilatationis in pulmones primum, & deinde in cordis regionem introducatur. Idque probamus in hunc modum; quoniam vt Spiritus sancti templum sumus nos, qui etiam ad vitæ necessaria in suo tempore agit & operatur: ita quidem spiritus iste vitæ in nobis afflatu Dei patris ad corpora nostra viuificanda inspiratus, secum habet proprietatem quatuor ventorum cœli, quippe quorum intelligentiæ quatuor Angelicæ ab ipso quasi omnium Angelorum capite suas sunt sortitę proprietates: vnde Apostolus, *Christum inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, qui est caput omnis principatus & potestatis*: erat enim sapientia primum omnium creata, à qua tum postea, & consequenter sub qua omnis virtus Angelica. Similiter quod iste spiritus sit vitæ inde patet, quia vita est in verbo. Denique quod iste spiritus sit ille cuius est officiũ inspirate vitã in mortua & argillacea palatia (vt cum Iobo loquar) atque etiam quod vires & virtutes, seu proprietates quatuor ventorum cœli secum in suo vitæ afflatu rapiat, ex istis luculenter explicatur. Ecce (ait Iehoua ossibus) ego intromittam in vos spiritum & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, quo liquet, quod Deus præparet & ædificet templum hominum priusquam immittat in ipsum vitæ spiritum: deinde volens istud simulachrum mortuum vita animare, ait. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos vt reuiuiscant, & regressus est in eos spiritus & reuixerunt*. Vnde etiam Iob *spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me*. Ex Prophetæ igitur dictis patet, quod vni spiritui qui est spiritus Dei atque spiraculum omnipotentis omnium ventorum proprietatibus prædito datum sit vitam homini & creaturis afflatu suo impertiri, & consequenter quod spiritus ille vitæ inspirator haberet tam contractiuam ventorum septentrionalium & occidentalium, quam dilatatiuam illorum Orientalium & Meridionalium proprietatem. Ex parte autem suæ naturæ simplicis (quippe in quo existit vis vitæ, & consequenter caloris ignei actus) necesse erat credere quod ipsius inspiratione seu afflatu subito spiritus inflatus esset dilatatus & sua dilatatione distenderet simulachri seu obiecti mortui cor, ad motum & actum cuius arteriæ etiam sunt dilatatæ: vnde certum est quod diastole sibi primum in pulsus arteriarum motu locum obtinuerit. Tum postea propter materiæ resistentiam, & frigoris illius contractionem, quam partim spiritus ille inspiratus æqualiter proprietatibus ventorum dispositus, & partim ratione naturæ vasorum terrenorum, fit vasorum illorum contractio siue constrictio: nam vbi est æqualitas inter naturam septentrionalem contrahentem ex vna parte, & illam Meridionalem dilatantem ex altera parte, siue Orientalis dilatantis, & Occidentalis contrahentis, ibi necesse est vt æqualis in spiritus vitalis proportione sit vis tam dilatans quam contrahens, tam calore agens quam frigore actioni illi resistens. Hinc ergo notatu dignum est quod vitæ mediocritas consistit in oppositis æquinoctii plagis, videlicet in puncto subsolani in Oriente & illo Fauonii in Occidente: in istis enim duobus locis peragrante Sole, fit medietas temperiei in zona temperata, quoniam nec præualet calor solaris spiramine suo ab æquinoctio, nec illud polorum spiraculum suo frigore, sed dilatans proprietas vnius conuertit contractiuam alterius in temperiem humidam & calidam, quæ est sana spiritus vitalis dispositio. Hinc ergo est, quod venti isti ab authoribus vt plurimũ pro ventis salubribus & vitæ conducentibus existimantur. Ventus Orientalis, ait Constantinus, est in diei principio salubribus, quia facit aerem subtilem, temperatum, & mediocriter siccum inter frigiditatem & humiditatem, & dicitur Subsolanus: de Fauonio Isidorus hęc. *Hic dissoluit & profligat hyemem, herbas & gramina & fructus profert, estque temperate frigidus & humidus.* Vnde sequitur quod vitæ actio & passio præcipue cõsistit in his ventorum oppositorum proprietatibus: nam Occidentalem flatum esse Orientalis fœminam, & passiuum, quippe frigidus & humidus, & Orientalem masculum, ad Occidentalem quippe calidus & siccus, esse constat. Horum autem mixtione fit illud vitæ pabulum, quod calidum innatum & humidum radicale vocant: quæ cum sunt ambo æqualia in proportione ad vitæ sanæ symmetriam, requisita, necesse habemus credere quod vt illud dilatatione agit in suum passiuum, ita quidem passiuum etiam per resistentiam factam à frigore Occidentali proportionaliter reagit se contrahendo & renitendo in contrarium: non aliter quam ante recensuimus quod motus æterni istius spiritus catholici dilatando per primum mobile vertens & rapiens planetarum sphæras ab Oriente in Occidentem, in causa est quod stellæ densæ sua resistentia mouentur & rotantur in contrarium videlicet ab occasu in ortum, quod quidem sequenti demonstratione sat liquido indicatur.

Heb. 1. 2. Eccl. 1.

Ezeck. 37. à 5. Iob. 3. 4.



In prima figura, si gutta aquæ ponatur supra quadram, & subito quadram violento motu versus Occidentem moueris, percipies guttam in contrarium moueri, videlicet ab occasu, quo tendit motus quadræ, versus ortum: atque hoc idem etiam lapidi super rotam posito contingit: nam si quis versat rotam ab ortu in occasum, inueniet lapidem superpositum in contrarium tendere: atque hoc idem si aquæ gutta super ipsum instilletur.

His igitur constat quomodo materiæ motus, vtpote frigiditatis proles, cuius est incrassare & quiescere facere, sit illi formæ naturali inclinationi oppositus. Porro etiam si constrictiua frigoris Borealis proprietas coniungatur cum illa calida & humida Meridiei, tunc nimium mollis & fœminina spiritus Australis natura temperabitur à frigida & sicca atque dura & masculina Borealis: atque ita in media via se habebit in complexione phlegmatica vitæ, & in tali casu ex vna parte aget dilatando calor Meridionalis, & pariter in pari proportione reaget per resistentiam Septentrionalis, atque ita in medio quasi sub plaga æquinoctiali faciet temperiem inter caliditatem admodum temperatam & humiditatem non nimis vaporosam.

Hæ autem omnes ventorum proprietates ab vno spiritu æterno & catholico comprehenduntur, vnde venti omnes dicuntur flatus Dei: & quamuis proprietas Australis sit
Iob.37.7. opposita illi septentrionali, tamen est idem essentia spiritus qui ista operatur. *Emittente sermonem*
Psal.147. *suum quam celerrime excurrrit verbum: emittens niues sicut lanam, pruinam quasi cineres dis-*
16. *pergens, deiiciens gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistit?* Hic ergo Deus per verbum seu spiritum suum coarctat aquas in gelu & aera in niues constringit & contrahit, &c. Tunc sequitur in textu: *Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, &c.* Quibus patet, quod idem spiritus per frigora sua contrahendo, & per latentem Dei proprietatem mobilia quiescere faciendo ex ipsius à septentrione afflatu; atque iterum à vento contrario per viam dilatationis contrarium operatur fixa & quiescentia volatilia & mobilia, gelidaque calida efficiendo. At vero ex horum ventorum, tam proprietate dilatante quam contrahente operatur in creaturarum vita, videlicet tam dilatando spiritum quam contrahendo eum: nam spiritus mundi cum suis proprietatibus ventosis, qui est verbi vehiculum, obediens est vitæ spiritui & mouetur in suo actu prout ipse vult, vnde Propheta: *Quocunque ibat spiritus illuc eunte spiritu rotæ pariter eleuabantur se-*
Ezech.1.20. *quentes eum. spiritus enim vitæ erat in rotis.* Hic per quatuor rotas quatuor ventos intendere videtur Propheta, & per quatuor animalia instar carbonum ignitorum, Intelligentias ventis præsidentes, quæ omnes spiritui vitæ in rotis cẽtraliter agenti erãt obedictes: quare secundũ voluntatẽ eius faciebant in cœlis & in terris. Hoc confirmat ẽt Zacharias, *Vidi quatuor quadrigas egredientes, in quadriga prima equi ruffi, in secunda equi nigri, in tertia equi albi, in*

quarta

quarta equi varii. Et Angelus dixit ei, isti sunt quatuor venti cœli qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis terræ, &c. Vbi per equos spiritus Angelicos, per quadrigas ventos, qui omnes obediunt spiritui omnipotentis. Ex quo liquet quod spiritus iste vitæ sanctus sit ventorũ actus centralis, & quod sit ipse qui posuit tabernaculum suum in sole: vnde & sol cœli cor & vitæ mundanæ fons dictitatur, vtpote cuius spiraculis omnes res crescere & multiplicari cernuntur mediantibus ventis quos excitat ipsius spiritus internus pro voluntate & voluntatis suæ proprietate ad placitum suum in his inferioribus peragendum. Atq; hinc erat quod etiam Philosophi & Poëtæ Ethnici externa potius obseruatione quam mentis oculis ducti dixerint quod venti sint Titanis, Astrææ & Auroræ infantes, quatenus à calore solis geniti qui aerem reddit subtilem & rarum. Hæc etiam est ratio quod Aristoteles dixerit ventos generari à calore Solis. At nihilominus dicuntur mandata Iunonis recipere, quia non flant nisi in aere qui dicitur Iuno. At reuera cum Dauide & Ieremia nos dicimus, quod sit iste æternæ sapientiæ spiritus, qui emittit ventos è thesauris suis, eosque animat ad placitum suum, tam in officio vitæ & generationis quam mortis & corruptionis obeundo per ipsos in bina sua proprietate agit & operatur. Verum enimuero, vt hoc cœleste in dilatatione & contractione mysterium clarius adhuc more Astrologico aperiam, dico profecto, quod spiritus iste sapientiæ æternus seu sol vitæ spiritualis posuerit tabernaculum suum in sole, à quo viuificos suos radios vndiq; in creaturarum vitam dilatando dispergit, ventos ex cœlorum seu aeris arca Dei thesauraria depromens: nam manifeste redditur quod ille *Angelus qui ab ortu Solis descendebat portans sigillum Dei viui*, caput esset illis quatuor intelligentiis, *quæ præsident quatuor cœli ventis*, vtpote qui ipsi imperanti obedientiam præbuerunt. Hunc ergo Angelum Cabalistæ volunt esse magnum illum & supremum Angelum quem *Metattron* vocant, vel vt alii volunt *Michaelem* draconis antiqui (vitæ humanæ hostis) victorem, quem faciunt solis præsidem & animarum defensorem; idque ab effectu credunt, quoniam euidentem vitæ actum quotannis à sole prouenire, atque inferioribus impluі animaduertunt. At vero quoniam omnis actus masculinus requirit passiuum idoneum in quod agat, ideo Lunam dixere Philosophi ipsius solis vxorem siue fœminam, vtpote quæ pariter imperium habet in humores ac sol in formas rerum. Hinc ergo fit quod vt sol suo actu Orientali elementum sublunare attenuat, aquamque in aerem dilatando conuertit inuisibilem dum diei est custos & princeps: ita quidem nocte Luna suo actu frigido Occidentali condensat in roris guttas visibiles contrahendo. Vnde manifestum est, quod tam Luna habeat in elementũ sublunare dominium suo frigore condensando & contrahendo, quam sol rarefaciendo & dilatando. Quare certum est quod venti calidi cuiusmodi sunt illi Orientales & Meridionales à solis actu seu caloris virtute gubernantur, & consequenter dilatando agunt: illi vero frigidi, cuiusmodi sunt Occidentales & Septentrionales, frigido Lunæ influxui subiiciuntur. Vt ergo videmus ex influentiis cœli calidum innatum à sole deriuari humidum vero radicale à Lunæ fonte, certum est quod naturali horum coitu istæ duæ proprietates essentiales in vnum vitæ subiectum stricto pacifici & deiformis spiritus ligamento connectuntur, quod non nisi eodem spiritus actu, qui eos in concordia ligauit, dissolui potest. Vnde Apostolus, Vnum est verbum Dei & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Hic ergo spiritus est medium coniungendi duo illa vitæ extrema in vnum vitæ subiectum, in qua operatione vtitur proprietatibus illis, quas ventis assignauit. Vnde dixit Ezechiel, vt antea: *Veni spiritus à quatuor ventis*; nam vt vitæ pabulum ex æqualitate humidæ naturæ Lunæ, & caliditate essentiali solis, quas à proprietatibus spiritus diuini in cœlo acceperunt, ita quidem venti Orientalis sunt proprietatis solaris dispensatores, & illi Occidentales Lunaris. Sed vt istæ proprietates sunt natura & loco oppositæ per variam Meridionalis venti naturam ideo eas apponit & miscet per minima, ac denique per constrictiuam venti septentrionalis proprietatem eas ad inuicem connectit & vnit. Atque ita videmus illud Prophetæ verificatum dicentis: *Veni spiritus à quatuor ventis & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant, &c.* Et cur dixisset veni à quatuor ventis, nisi quod quatuor ventorum proprietates ad vitæ spiraculi complementum & perfectionem concurrant. Hic ergo actus habetis spiritus æterni vitæ in diastole & systole rationem tam in cœlesti regione quam illa sublunari, & mediantibus *quibus iuxta voluntatem suam facit ad vitam* tam in cœli virtutibus quam in habitatoribus terræ: quippe cuius est per organa sua Angelica operari omnia in omnibus.

Zach. 6.

Apoc. 7. 1.

Dan. 4.

Hisce igitur manifestum est ꝙ duplici Dei proprietate, videlicet dilatante, quæ est illa Deo patenti familiaris, & contrahente, quæ Deo latenti & tenebrosæ potentiæ ascribitur, ducitur spiritus vitæ in æqualibus lancibus, quoniam cũ Deus ex binis contrariis conflauit mundum, videlicet luce & tenebris seu forma & materia, quarum illa agit, hęc patitur,

& consequenter resistit, necesse habemus credere quod cœlum pariter microcosmicum mediante quo viuit, centraliter mouente Deo, ex istis contrariis cõflatur vt semper tũ p verbũ Dei inuisibiliter mediante inspiratione, q̃ per panẽ successiua similis suo simili additione viuat & continuetur. Verumenimuero ad meliorem istius rei confirmationem demonstrationes quasdam experimentales quibus certiorem huic nostræ opinioni fidem adhibeatis in publicum, motus istius in diastole & systole rationem oculariter delineantes adducam: vos orans, vt si quis adhuc de duplici ista radicali in Deo proprietate dubitet, & ampliorẽ eius explicationem expectet, oculos suos imprimis ad emblema cum ipsius expositione *principio Medicinæ meæ catholicæ*, deinde ad *Procemium*, & denique ad *librum ipsius 1. part. 1. Sect. 1.* Vbi agitur de supercœlesti vitæ & sanitatis ortu, atque ẽt *ad lib. 2.* conuertat, eaq; quæ in ipsis de Dei primo latentis, & deinde patentis proprietate sunt dicta serio & cum diligentia speculetur, vt tum postea quid per ea interdum clarius intelligat.


CAPVT IV.

In quo demonstrationes quædam oculares, pulsus motum in actione & resistentia aperte indicantes explicantur.

QVod duo concurrant ad alicuius medii dilatationem & contractionem, videlicet actio formalis & resistentia materialis *in præcedentib.* expressimus: actio n. cũ sit à calore, qui est lucis agonista, quoniã semper agit subtiliando, & densum in partes minutas diuidẽdo, & cõsequenter necesse est vt actu suo dilatet, quoniã omnis res dissoluta ampliorẽ requirit locũ: vnde fit vt suo motu dilatet spirit⁹ inclusos, & dilatatione extẽdãtur vasa quibus spirit⁹ insunt. E regione vero quoniã omnis materia quaten⁹ est naturaliter à fonte tenebrarũ, naturaliter apta est & inclinata ad spissitudinẽ & quietẽ, quoniã à frigore, q̃ est tenebrarũ athleta contrahitur, & consequenter inspissatur, & quo magis est spissa, eo magis resistit & repellit caloris siue actionis insultus. Verbi gratia, si quis pulsat cãpanã, hæc actio trahẽdi chordã fit ab actu naturali pulsantis quo eleuatur cãpana: at campanæ spissitudo & grauitas est causa q̃ in cõtrariũ enitatur: vnde si vrgeatur ab vna parte vi hominis, tendit statim in oppositũ quasi reagendo vi ꝓpria. Haud aliter ẽt si tenuẽ quadrã ligneã, vel pannũ aliquẽ linteũ suspendamus in aere, ventus ipsum cõpellet à parte Boreali Meridionalẽ versus, & statim ipse suo ꝓprio pondere resistẽdo motu retrogrado aduersus plagã Borealẽ remeabit: Si ẽt aliquis chordã in alto suspensam manibus suis tenuerit, & vigore suo naturali se ꝓiciat ab ortu occidentẽ versus, ꝓpter sui corporis resistentiam viã contrariã enitetur. Pari si quidẽ respectu sanguis arterialis cũ spiritu tali ab actu valido interne eũ mouente agitatur, atq; cõtra naturæ suæ quietẽ eleuatur, ad maiorẽ vel minorẽ vasorũ extensionem, quæ fit ratione vehementiæ actus impellentis. E regione vero materia sic eleuata partim suæ molis pondere, partimque tunicæ neruosæ arteriæ & cordis extensæ compressione deorsum tendit. Sed præcipuæ & radicalis ratio contractionis, vt dixi, materiæ est frigoris in substantia elemenrari siue aerea frigiditas, cuius est naturaliter cõtrahendo agere: illius vero dilatationis ab actu calido distendenti. Sic quidẽ videmus q̃ vt ex vna parte ventus septentrionalis fixat & congelat cõmune mediũ in niues contrahendo, sic Meridionales relaxant & dilatant dissoluendo; atq; pariter aerem, quẽ occidentis afflatus in aquã contraxit, ille Orientalis in aerẽ Meridionalem dilatando dirigit. At reflante Borea aer ille ab Austro dilatatus iterum contrahitur: iterumque reflante Austro contractũ illud dilatatur. Sic ẽt res sese habet in actione & resistentia alternis vicibus factis inter ventos Orientales & Occidentales, quasi motu seu afflatu in diastole & systole facto in spiritu quasi vitali mundi sublunaris. Pariformiter in aere vitali microcosmico res sese habet in complexione sanguinea, ac si Oriens per minutam temporis primam spiraret, in quo spatio spiritum illum suo calore dilatat, atque statim cessante Orientali flatu, ille Occidentalis occuparet interuallum minutæ sequentis siue secundæ condensando & contrahendo: ac tum postea ille Orientalis virtute sua possideret minutam tertiam, & sic in cæteris. Aut si in complexione magis phlegmatica vel melancholica primam minutam occuparet Boreas, secundam Auster, tertiam Boreas, quartam Auster, quintam Boreas, & sic in cæteris, quorum vnius est spiritum contrahere, alterius vero dilatare: & sciendum est quod vbi Oriens est in suo actu viuacior, ibi quidem biliosior & æstuosior est spiritus, vbi validior Boreas ibi ad frigus & dispositionem melancholicam pronior. Artistæ ergo erit curiosi ista pulsus dilatationis & contractionis indicia diligenti obseruatione perpendere.

Sed vt possimus ista magis fideliter vobis reserare, ea per Speculi nostri experimentalis obseruationem omnia sic depingimus.

Ima-



Auſter.

Æſtas.

Imaginandum eſt, quod ad imitationem viri ſani aqua ſuo vertice tetigerit gradum medium in matracii collo 1. ſeu potius 2. inferioris: nam arguit in pulſu temperato aerem à calore ſpiritus agentis rarefactum eſſe & dilatatum in diaſtole, nam calor accedens matracij capiti dilatauit aerem incluſum à mediocritate 1. vſque ad 2. hemiſphærii calidi: at vero frigore proportionaliter irrepente loco caloris eleuat contractione aquam ad 2. ſuperiorem, ſeu hemiſphærii frigidi, arguetque in pulſu ſyſtolen: tunc dicimus quod ſi per vnam horæ minutam adeſſet calor capiti matracii, tunc deſcenderet aqua propter aeris dilatationem ad 2. inferiorem, eſſetque proportio diaſtoles in pulſu. At ſuperueniente frigore in ſpatio ſecundæ horæ minutæ, aqua iterum per aeris ſeu ſpiritus incluſi contractionem aſcendet ad 2. ſuperioris hemiſphærii, & referetur ad ſyſtolen: deinde minuta tertia dominabitur caloris actus & dilatabitur aer, & deſcendet aqua ad 2. inferiorem: tum poſtea frigoris præſentia poſſidens minutam quartam aqua iterum eleuabitur contractione ad 2. ſupremi hemiſphærii; atq; ſic in aliis ad temporum pulſus imitationem: quibus expreſſe declaratur motus cordis & arteriarum in diaſtole & ſyſtole myſterium, videlicet dilatando ſpiritum à calore, & contrahendo à frigore: quoniam neceſſe eſt quod vt aer habeat in ſe caliditatem & humiditatem, ſic quidem illa humiditas exiſtere non poſſit ſine frigiditatis aqueæ portione, & conſequenter vt agat & reagat mouente ſpiritu omnium interno, qui eſt vtriuſque proprietatis particeps. Atque iſta etiam eſt ratio cur maris fluxus & refluxus in vaſto terræ corpore quaſi inſpiratio & expiratio ipſius, videlicet actio Solis, & reſiſtentia proprietate Lunæ quę eſt humorum dominia. Porro etiam vt in omni generatione neceſſe eſt vt mas & fœmina concurrant, ita quidem humida Lunæ natura quæ eſt frigida eſt ad humidi vitæ radicalis productionem, atque calida Solis complexio ad calidi innati partum: ex his ambobus conflatur vitæ ſubiectum, & conſequenter eius pabulum, quia ſimile nutritur à ſibi ſimili. At quoniam vita exacta fit ab eorum vnione completa in ęquali proportione (ex qua vitæ diapaſon) ideo vt ex parte Solari fit actio in humidum temperato frigidum quod ipſi coniun-

 gitur


gitur per viam dilatationis, necesse est quod cum ambæ virtutes illæ viuant, & mobiles actu diuino reddantur, humidum illud patiendo & resistendo reagat se contrahendo, iuxta frigoris Lunaris in eo habitantis naturam, idque per afflatus ventosorum spirituum suis actionibus & passionibus conuenientium, centraliter operante & gubernante vitæ spiritu: nam
Ezech.1.20. teste Propheta, ***quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu rotæ pariter quatuor*** (id est quatuor venti) ***eleuabantur sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in rotis:*** hoc est per spiritum vitæ centraliter in ventis operantem venti vel excitantur vel retinentur. At cum Iehoua vitam alicui inani-
Ezech. 37. mato præbere voluerit, vocat spiritum suum à quatuor angulis terræ, dicens, ***Veni spiritus à quatuor ventis, & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant, &c.*** At cum spiritus iste vitæ esset in rotis siue ventis, necesse habemus credere quod ventorum proprietates tam contractiuæ, quam dilatatiuæ ipsi inessent, quippe qui venti ab ipso acceperunt suas proprietates.

Verum iam ostendam vobis experimentum de istiusmodi vitæ pabulo, quod pro possibilitate mea ex pane seu tritico extrahere tentaui: nam separatis ab inuicem quatuor elementis visibilibus, videlicet aqua seu phlegmate, aere seu sale volatili, & igni fœtēti à Chaos illius creaturæ, tandem materia quædam de natura cæli seu quinta participans apparebat limpida, pura, crystallina & candida, radiis aureis vndique disseminata: hic spiritus vndique frigoris præsentia in massam fixam est contracta & consolidata: at vt primum ipsa igni apponeretur, subito in calorem flammæ haud dissimilimum in sua liquefactione conuertebatur, omnem domus suæ vitreæ partem atomis & spiritibus ab ipso exilientibus; & in vasis cauitate saltantibus implens. At procul dubio in ista substantia residet maior vis vitæ, seu panis vitam dantis copia qui descendit de cælo in triticum pro nutrimento humano, quo saturatur vita in venoso genere existens; vt illo in aëreo vehiculo in cor per inspirationem attracto vitæ spiritus in arteriis inclusi. Quod etiam ex eo intelleximus, quoniam aqua pluuialis in qua aliqua istius elementi portio vasi adhærens abluebatur spatio triū septimanarum vermibus albissimis, gracilibus & oblongis implebatur; vnde viuificam istius spiritus virtutem apertis percepi oculis. Istius experimenti narrationem pleniorem *Sect.1. port.3 part.1.lib.2. de panis seu tritici anat* inuenietis.

Sed ad rem. Ex istis colligere fas est, quod spiritus iste vitalis, seu hoc vitæ pabulum in natura sua condensata etiam contactu minimi caloris dilatatur in infinita atoma, & tum postea frigoris aduentu se in massam immobilem crystallo radiis lucidis vitæ vndique disseminato simillimam contrahit.

Denique ad actus ipsius cordis in diastole & systole demonstrandum, & ad probandum quod contra naturam definitionum ante à quibusdam ethnicorum allegatarum, pulsus non sit arteriarum, sed ipsius cordis dilatatio & contractio, & quod ad cordis motum arteriæ tum postea mouentur, secundum cordis motus docemur, in eo quo ipsum cor subito ex serpente vel aliquo alio animali extractum se ipsum satis diu contrahere atque dilatare cernitur mediante viuifico & diuino illo actu qui centraliter, & morbo admodum abstruso in ipso mouet, cum tamen motus in arteriis immediate, vel saltem paulo post cordis extractionem esset. Sed actus istiusmodi in corde cum suo principio & tum postea ille arteriarum à cordis actione dependens optime sic depingitur.

Si quis



Si quis tanquam actor primus & solus apponat seu applicet os suum ad orificium sacci coriacei A. & insufflet per inspirationem in cauitatem sacci. A. B. K. tunc ad extensionem eius extendetur truncus B.C.& ad extensionem ipsius extendetur ramus eius D.E.& extensione eius intumescent illi ramuli ex eo dependentes. G. F. atque etiam H. I. deinde per expirationem iterum attracto & sacco illo spiritu prius inspirato, tunc deprimetur & contrahetur saccus, vt antea, & ad depressionem & contractionem ipsius trunci B. C. cum suis ramulis contrahetur & comprimetur vt antea: deinde respirante homine in saccum iterum intumescet, & ad eleuationem illius eleuabitur eius truncus cum suis ramis, & deinde per spiritus retractionem humiles reddentur per contractionem. Totum autem hoc accidit ab actore contractionis & dilatationis spiritus in sacco. Pariformiter etiam spiritus diuinus, in corde & in vtraque proprietate operans, spiritum quandoque contrahit in se & quandoque dilatat eum, idque in sacco cordis, ad cuius motum arteriæ tum postea in diastole & systole mouentur: nam idem spiritus in formatione fœtus fixauit in ampulla illa officinam suæ vitæ, videlicet cor, vt in ipsa follibus suis, seu afflatu suo geminæ proprietatis immitteret & insufflaret vim suam vitæ per arterias in vniuersum corpus. At iam ad definitionis meæ essentialis descriptionem.

Capvt V.

Hic definitio pulsus naturalis, seu cordis & vitæ actus essentialis multipliciter secundum textus sacri normam atque regulas explicatur.

At replicabit, scio, Galenistarum quispiam, si illa pulsus definitio essentialis à Galeno, ceterisve medicis antiquis tuo non arridet iudicio, aut minime videtur in sua causæ efficientis explicatione sufficiens, audiamus quid tu in magis radicali & clariori pulsus essentiæ enucleatione producere queas. Hinc ergo verbo, vel saltem paucis.

Act.17. Si *Deus viuificat omnia, & ſi in eo viuimus, mouemur & ſumus*, vt Apoſtolus habet, ſi *dat fla-*
Iſai.42.5. *tum hominibus* (nam inquit Moyſes *ſufflauit Deus in faciem Adæ flatum vitæ*) *& ſpiritum calcanti-*
Act.17. *bus terram*, vt Propheta vult, ſi *Deus dat omnibus vitam & inſpirationem & omnia*. Si *Deus ſuper o-*
Eph.4.6. *mnia eſt, per omnia & in omnibus nobis*, vt D. Paulus habet. Si *ſedes animarum ſit in ſanguine, &*
Gen.9.6. *ſpiritus vitæ ſit centrum animæ*, vt teſtatur Moyſes & Ezechiel. Si *vitæ fontes omnes ſint de Deo*, vt
Pſal.87.7. Pſaltes regius. Si *ſpiritus Dei viuificans ſit omni re nobilior*, vt Salomon ait; quid, obſecro, vlte-
Sap.7. riorem faceremus nos Chriſtiani quæſtionem, de actu motus in pulſu duplici, centrali atque
1.Cor.12. radicali, quippe ſolius eſt ſpiritus Dei ſancti operari omnia in omnibus, vt teſtatur Apoſto-
lus? Sic ergo pulſum eſſentialiter definimus.

Pulſus eſt cordis, & conſequenter arteriarum mediante corde dilatatio & contractio, ab increato vitæ ſpiritus in puriſſima & ſubtiliſſima cælorum ſubſtantia quaſi vehiculo ſeu curriculo equitante atque dominante, ad vitæ creaturam beneficium gubernatæ & ordinatæ.

In qua cauſam organicam, ſiue inſtrumentum actui obediens, videlicet cor & arterias circa quas verſatur motio expreſſimus: formam diximus in eo quod moueantur illa organa dilatatione & contractione, ſeu diaſtole & ſyſtole: efficientem fecimus ſpiritum Dei, quip-
Ioan.6. pe omnia viuificans, qui *vitæ panis* eſt dictus, *deſcendens de cælo, vitam dans mundo* (inquit Euan-
geliſta,) *panis verus qui deſcendit de cælo*: finem & vſũ in eo explicuimus, quod ſit centralis iſtiuſmodi vitæ actus ad vitæ actus ad vitæ humanæ, ſiue alterius animalis beneficium, videlicet ad ſpirituũ vitalium augmentationem, quo ſuſtineatur vita, atq; etiam ne ſpiritus in arteriis ſanguine incluſi ſocordia & quiete hebeſcant, & frigore mortificentur & congelentur: nam extrema frigiditas Borealis eſt vitæ inimiciſſima: vnde textus, *Coram frigore eius quis conſiſtat?* quoniam vita conſiſtit ex calido innato, quod frigus intenſum extinguit, & humido radicali quod ſiccum Boreale abſorbet.

Vel ſic. *Pulſus eſt cordis motus partim à dilatante, partimq; à contrahente ſpiritus diuini viuificantis proprietate, ad vitæ pabulum per inſpirationem, & eiuſdem vehiculi aerei quaſi ſuperflui & inutilis expulſionem effectus.*

Qua quidem definitione cor poſuimus pro cauſa ſolummodo inſtrumentali in qua mouet actus Dei centralis pulſum efficiens: nam ſciendum eſt quod contractione & dilatatione cordis (in quibus cauſa formalis exprimitur) neceſſe eſt, vt arteria magna, vtpote cuius orificium læuæ cordis auriculæ affigitur, etiam tali motu ad cordis actionem diſtendatur & contrahatur. Cauſa vero efficiens eſt ſpiritus diuinus in duplici ſua proprietate operans, de quo ſupra eſt dictum.

Vel ſic. *Pulſus eſt viuificans ſpiritus deiformis in corde & arteriis actus in contractione & dilatatione conſiſtens, ad vitam continuandam, ſpiritusque vitales per noui aeris panem vitæ occultum in ſe retinentis inſpirationem augendos productus atq; ordinatus.*

Hic cor & arteria eſt cauſa motus inſtrumentalis: formalis in diſpoſitione motus ſeu actus, quę in dilatatione & contractione conſiſtit: efficiens eſt ſpiritus Dei, de quo antea. Deniq; finis ſeu vtilitas iſtius motus eſt ad vitam continuandã, ſpirituſq; vitales per noui aeris,
panem cæli occultum in ſe quaſi vehiculo retinentis, inſpirationem augẽdos productus, &c.
Iob.10.12. In quo ſenſu dixit Iob. *Vitæ benignitatem exercuiſti erga me, & viſitatio tua conſeruauit ſpiritum*
Pſalm.104.a.29. *meum*: hoc eſt, das mihi aſſidue viſitatione tua cibum, mediante quo ſpiritus meus conſerua-
Pſal.87.7. tur. Hinc & rex Dauid. *Omnes creaturæ à Deo habent expectationem, & dat ipſis eſcam ſuo tempore. Deo* ergo *dante ipſæ colligunt, aperiente manum ſuam ſatiantur bono, abſcondente faciem ſuam conturbantur, recipiente ſpiritum ſuum expirant, emittente ſpiritum ſuum recreantur, &c.* Quo ſermone denotat, quod eſſentiale vitæ pabulum tam ſpirituale quam corporale à Deo in benignitate ſua creaturis impluitur, quaſi radii à ſuo fonte vitæ æterno emanantes, & ſucceſſiue in creaturas influentes. vnde alibi ipſe, vitæ meæ fontes de Deo. Deinde quod in iracundia ſua facies Dei viuifica ſeu radii vitæ abſcondantur à creatura; vnde ob panis ſui quotidiani
Iob.20.23. defectum ægrotat homo: quare textus, *Abſcondente faciem ſuam conturbantur*. Et Iob. *Cum im-*
Pſal.77.47. *pius eſſet impleturus ventrem ſuum in eum Deus æſtuantem iram ſuam emittit, quam impluit in eum*
Exod.23. *loco cibi eius*. Vnde Dauid, *Immiſit in eos iram indignationis ſuæ, iram & tribulationem per malos angelos*. Hinc etiam Moyſes. *Colito Iehouam qui benedicit pani tuo & aquæ tuæ, & amouebit quemuis morbum è medio ſui*. Quibus liquet, quod vt radii, benignitatis Dei loco bonorum angelorum ſeu legatorum vitę dant & ſucceſſiue infundunt vitæ actum in creaturas, ita quidem radii iracundiæ ſuæ loco malorum ſunt angelorum vitæ oppoſitorum, & pro benedictione
Deut.31.17. dant maledictionem & tribulationem. Quare alibi, *Deus malos relinquit, & abſcondit faciem*
Pſal.90.14. *ſuam ab iis vt obueniant iis mala multa & anguſtiæ*. At vero (ait textus) *emittente Deo ſpiritum*
Sap.16.a.13. *ſuum vitæ recreantur*, hoc eſt curantur. Vnde Pſaltes, *Vitæ prolongatio benignitas Dei, mortis acquiſitio ira & ſeueritas*. Hinc ergo dicitur, quod Deus vulnerat & medetur, & quod vitæ & mortis poteſtatem habet, & quod deducit ad portas inferni & reducit.

Vel

Vel sic. *Pulsus naturalis est visitationis spiraculi diuini actus in proprietate contractiua & dilatante cordis & arteriarum consistens, mediante quo vitæ humanæ spiritus conseruatur & multiplicatur.*

Vitæ benignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua conseruauit spiritum meum. Iob. 10.

Vel sic. *Pulsus est beneuolæ spiritus diuini emissionis in corde per systolen & diastolen actus seu motus, mediante quo creaturæ vitam iuxta expectationem quam habent in Deo, panem suum spiritualem colligunt, recreantur & satiantur.*

Hoc probatur per locum *superius* à Dauide allegatum. *Omnes creaturæ à Deo habent expectationem, &c.* Psal. 104.

Atque ab illo Euangelistæ. *Vitam dat mundo panis verus qui de cœlo descendit.* Ioan. 6.

Vel sic. *Pulsus est contractiuus & distensiuus spiraculi omnipotentis actus, mediante quo vitalis creaturæ spiritus recreatur & satiatur bono.*

Hoc quidem ex loco à Iobo citato probatur. *Spiritus Dei fecit me. & spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Et Moyses. *Sufflauit Deus in nares eius flatum vitæ, & factus est in animam viuentem.* Iob. 33. Gen 2. 7.

Vel sic. *Pulsus est viuifici Dei spiritus mediante vehiculo aereo per nares ad cor & arterias penetrantis & à Deo inspirati actus, quo ipsæ ad vitæ nutritionem in systole & diastole pulsant & mouentur.*

Probatur hoc ex *præcedentibus*. Et Iob dixit, *Spiritus Dei est in naribus meis.* Iob. 27.

Vel sic. *Pulsus est actus Christi* (vitæ fontis) *in cordis mei systole & diastole consistens, quo Christus in me viuens efficit vt ego in Christo viuam, panemque vitæ esuriens à cœlo descendentem omni momento inspirem.*

Viuo (ait Apostolus) *non ego, viuit vero in me Christus.* Hinc *alibi, Corpora nostra sunt membra Christi & corpus nostrum dicitur templum Spiritus sancti.* Gal. 2. 1. Cor. 6.

Vel sic. *Pulsus est actio seu motus cordis & arteriarum in diastole & systole à Christo vitæ fonte agitatus atque excitatus, mediante quo panis verus à cœlo descendens ad spirituum vitalium refectionem attrahitur.*


Confirmatur ista ex præcedentibus.


Vel denique Sic. *Pulsus est contrahens atque dilatans in corde Iehouæ afflatus siue spiraculum, quo viuimus, mouemur, intelligimus, ac denique sumus.*

Spirauit in faciem Adæ spiraculum vitæ ait Moyses. *Deus viuificat omnia*, ait Apostolus. *Spiraculum omnipotentis viuificauit me*, ait Iob. *In Deo viuimus, mouemur & sumus*, vt in Actibus inuenimus. *Inspiratio omnipotentis facit hominem intelligere*. ait Iob. & sic in cæteris. Gen. 2. Iob. 33. 1. Tim. Iob. 32.

In his igitur omnibus essentialiter explicuimus pulsus essentiam, quippe in qua imprimis veram vitæ virtutem & non imaginariam, quæ est centralis & essentialis in corde mouens pulsum: deinde instrumentum seu organum actui ipsius obediens: ac denique vsum & necessitatem propter quam fit talis in corde motus, videlicet non vt philosophi & Galenistæ volunt, propter euentationem & superfluitatum euacuationem seu expulsionem: sed ad panis vitæ à cœlo descendentis omni momento cum suo vehiculo aëreo per inspirationem attractionem, & ad superfluitatis vehiculi nimis humidi & densi per expirationem emissionem.

Nunc ad pulsuum differentiam descendemus.





LIBER TERTIVS,

DE PVLSVVM DIFFERENTIIS, TAM IN genere, quam in ſpecie.

CAPVT I.

In quo primum de arteriæ corpore, compoſitione, figura & motu, atque quiete agitur, & tum poſtea decem pulſuum genera, ſecundum medicorum veterum obſeruationem pertractantur.



Rteriam magnam, quæ cum ſuis ramis poſt cordis vaſa eſt præcipuum pulſus organon ſiue inſtrumentum, Ariſtoteles venam minorem, Hippocrates venam palpitantem vel micantem, modo venam Aortam, modo ſimpliciter Aortam vocauit. Arabes neruos pulſatiles. Hinc ergo iſtum locum Iobi varie interpretantur. *Nocte os meum perforatur doloribus; pulſus mei non requieuerunt*, ait Hieronymus. At Pagninus iuxta Arabum ſenſum. *Nerui mei non recumbunt.* (*Iob. 30.*)

Vt autem arteria conſideratur pro parte organica, ita quidem eſt inſtrumentum corporis noſtri commune, figura cauum, oblongum & teres, compoſitione ex duabus tunicis, fibris intertextis conflatum, quarum exterior eſt illa venæ ſimillima, eiuſdem ſubſtantiæ ſcilicet, & ex iiſdem vel ſimilibus fibris compacta: interior eſt quintupla exteriori denſior & craſſior ex fibris tranſuerſis contexta, quo melius retineat ſubtiles vitæ ſpiritus, imo vero ex aliis fibris texitur eius corpus quo facilius contrahi queat, videlicet rectis & obliquis: ortum autem ſuum habet à ſiniſtro cordis ventriculo.

Quatenus igitur arteria eſt corpus, ita quidem neceſſe eſt vt trina dimenſione ſit prædita, videlicet longitudine, latitudine & profunditate; quatenus ex tunicis fibris ornatis conflata eatenus vt tam dilatando quam contrahendo ſe iuxta illas trinas dimenſiones moueatur, neceſſe habemus credere: atque vere motus diſtenſiuus eſt illi contractiuo contrarius, ita vt quando vnus deſinit alius ſuum actum inchoat, facillimus erat quod inter quemlibet motum quies intercedat, quam Galenus vocauit interuallum: non aliter quam in annuo Solis motu directo ſeu eleuato à Meridie ad ſeptentrionem dicitur ſtare & quaſi quieſcere in tropico Cancri; poſt ſuam vero à ſolſtitio æſtiuali regreſſionem quaſi depreſſionem in tropico Capricorni quaſi fine contractionis ſeu humiliationis ſuæ iterum ſtare, & quoad nos quieſcere dicitur.

At vero quoniam motum cordis & arteriarum in contractione, ſeu ſyſtole & dilatatione ſeu diaſtole motus eſt admodum varius & diuerſus, ideo ipſum in decem diuiſerunt & concluſerunt medici antiqui genera, quæ ſic in iſtam diſtinctionem incluſimus.

Genera pulſuum ſunt 10. Cum alii fiant vel —


1. Ex quantitate diaſtoles ſeu dilatationis.
2. Ex qualitate percuſſionis venæ in digitos.
3. Ex tempore motionis.
4. Ex corpore inſtrumenti ſiue arteriæ.
5. Ex eo quod continetur in arteriis, videlicet ex euacuatione aut repletione.
6. Ex caliditate vel frigiditate tactus.
7. Ex tempore quietis.
8. Ex æqualitate vel inæqualitate ſiue diuerſitate pulſus.
9. Ex ordinatione vel inordinatione in diuerſitate ſui.
10. Ex pondere.

CAPVT

Caput II.

De speciebus tam simplicibus, quam compositis pulsuum, quæ fiunt in quantitate distentionis, seu diastoles.

IN isto primo genere considerantur dimensiones istæ tres, siue diametri, videlicet longitudo, latitudo & profunditas; quibus mensuratur quodlibet corpus, & consequenter illud arteriæ fistulosum: Verbi gratia:



Experientia vulgaris docet, ipsam arteriam tangenti in omnem dimensionem distenti: nam in longitudine eius pulsus seu motus dilatationis & contractionis, hoc est, diastoles & systoles, qui fit in ea; si fuerit moderatus, tunc quidem in mediocritate inter duo extrema existit, & extra motus naturæ limites minime excedit; nam in eo nec nimis distenditur arteriæ truncus, nec nimis in vlla trium dimensionum deprimitur: at vero si fit in tali motu ab ista mediocritate recessus, hoc est, si medium illud excellat, vel medio illo sit inferior; tunc quidem pulsus excellens longus, & ille mediocri inferior dictitatur Breuis, curtus, seu mutilatus. Porro etiam respiciendo corporis concaui latitudinem, in ea duos inueniemus per contactum nostrum pulsus immoderatos inuicem natura oppositos, vtpote quorum vnum medium vel moderatum excedit, vnde Latus dicitur, huic vero contrarius Angustus.

Denique in dimensione profunditatis arteriæ pulsus vnus est moderatus; alius ipsum excellit Altitudine, & dictitatur Altus, Elatus, Eminens, alius illo mediocri est humilior, & appellatur Humilis, Profundus, Occultus, Submersus: Concludimus ergo quod si animal statum suum naturalem retineat arteria in eo admodum moderate & mediocriter se distendat: at vero vbi illud cum amiserit æqualitatis statum, necesse est vt vel deficiat vel excellat statum illum salutis in qualibet dictarum dimensionum. Quo bene obseruato, facillimum erit medico discernere atque distinguere pulsum naturalem ab illo qui à naturæ lege vel tantillum recedit: nam si pulsus qui naturalis non est sit latitudine maior, tunc nimis latus, si longitudine tunc nimis longus, si denique profunditate, Profundior æquo merito nuncupatur.

At vero quoniam variæ in distentionis quantitate tam secundum simplicium dimensionum quam compositarum respectum pulsuum differentiæ seu species inueniuntur, ipsas omnes suo ordine in istam distinctionem lucide expressi.

Quantitas systoles diuiditur in multas species, ratione earum simplicitatis, vel compositionis diuersæ: nam ipsarum aliæ sunt

- Simplices, eæq; num. 9. nam cuilibet dimensioni attribuuntur 3. est enim pulsus consideratus secundum
  - Longitudinem, vel
    - Longus.
    - Breuis, seu curtus.
    - Mediocris, seu moderatus.
  - Latitudinem, vel
    - Latus.
    - Strictus, seu angustus.
    - Moderatus, seu mediocris.
  - Profunditatem, vel
    - Profundus, occultus & humilis.
    - Altus, apertus, elatus & eminens.
    - Medius, seu mediocris & moderatus.
- Compositæ, numero 27. quarũ tres sunt nominatæ; nam pulsus ille qui est—
  - Longitudine, latitudine & profunditate auctus dicitur Magnus.
  - Tribus dimensionibus imminutus, & vocatur Paruus.
  - Mediocriter se habens inter illos extremos, seu immoderatos, & dicitur Temperatus.
  - Pro cæteris 24. quæ innominatæ sunt vide Galenum *lib. 1. de diff. puls. cap. 4.*

Sed ne in arte medica tyrones per pulsum longum illum intelligant, qui alibi respectu ipsius temporis, tardus, & per breuem illum, qui celer & velox est, ipsos imprimis scire velim quod longitas & breuitas considerantur in pulsu hoc modo: si enim pulsat à principio ad terminum extremum dicitur longus pulsus. Probatur ergo sic. Si 4. digitis pulsum simul tangentibus obuiet, talem cum Galeno dicimus longum, quippe qui in maiori longitudine se distendit: at si tribus tantum obuiet, illum tum vocamus mediocrem siue moderatum; si denique duobus solummodo, breuem.

Taliter etiam de tribus illis cum latitudinis tum profunditatis speciebus est iudicandum. Verum enim vero Galenus loco illo vbi hæc dicit, quantitatem nullius dimensionis exacte posse dignosci, idque ratione multiformitatis corporum densitate & subtilitate differentium quæ vestiunt seu tegunt arterias multis in locis, vti Gal. *lib. 3. de puls. dignosc. cap. 2.* latius.

Pulsus magnus est ille qui conflatur ex longo, lato & alto simul. Pulsus paruus ex breui longitudinis, angusto latitudinis, & humili profunditatis simul componitur. Ille vero mediocriter se habens inter duo extrema, ex moderato in dimensione longitudinis, & moderato latitudinis, & moderato profunditatis.

CAPVT III.

Hic species generis pulsuum secundi, quod in qualitate percussionis venæ sub digitis consistit, recensentur.

SVnt etiam generis pulsuum secundi, quod in robore virtutis seu vigore pulsuum, hoc est, in percussione arteriæ in digitos consistit, species seu differentiæ tres.

Huius speciei est pulsus
- Prior, Validus, vehemens, seu fortis.
- Secundus, Imbecillus, languidus & debilis.
- Tertius Mediocris seu æqualis.

Pulsus validus, vehemens & fortis est ille qui in diastole resistit valide tactui, seu vehementer impellit eum. Imbecillus, debilis & languidus, & consequenter valido & vehementi contrarius, quippe qui in diastole contactui minime resistit.

Denique æqualis est ille qui medius seu mediocris est inter illos extremos.

Istos ad meliorem lectoris intellectum in hunc modum demonstramus.

Sit

Sit A.B.linea recta quæ pulsus arteriæ æqualitatem arguit, quippe qui non est adeo spirituum virtute tensus atque eleuatus, vt cum vehementia feriat digitos, quemadmodum linea obscura C.D. indicatur; nec adeo debilis & languidus vt in suis viribus decidat infra statum seu positionem mediocrem, vt designatur per lineam A.B. hoc est nec nimis altè & intensè feriens, nec nimis debiliter pulsans, aut directus inferiùs, quàm est linea E. F.



Denique dicimus, quòd vt se habent apud Musicos B.molle, & B. quadratum ad notam naturalem, ita quidem E.F. quam ad B.molle referimus, & C.D. ad B. ♮ seu quadratum ad A.B.lineam naturalem.

Caput IV.

De speciebus generis pulsuum tertii, quod consistit ex tempore motionis.

Species generis quod consistit in tempore motus est triplex, vt sub qua pulsus
- Velox & celer.
- Tardus.
- Æqualis siue mediocris.

Velox est ille qui complet motum suum in breui tempore, hoc est cum modico tempore pulsus distenditur.

Tardus verò est veloci contrarius, vtpote qui fit cùm longo tempore arteria distenditur.

Æqualis verò vel mediocris se habet, dum pulsus in medio inter prædictos duos extremos se habet.

Exempli gratia, in Musica ♩ denotat statum temporis æqualem, quippe in cuius vocali temporis prolatione, nec nimis tardus est motus seu tempus, nec nimis velox, sed mediocris. At verò si pulsus moueri percipiatur in tempore musicali ♩ videlicet spatio semibreuis, quod valet duo minima seu ♩ ♩ tunc haud iniuria dictiratur iste motus tardus, quatenus excedit statum vnius ♩. Econtra si pulsus in tempore musicali nigra seu crocheta dicto suam edat diastolen seu dilatationis spatium, tunc quidem quia medio ♩ est in proportione dupla celerior, appellatur velox.

Caput V.

De speciebus generis quarti, quod circa corpus, seu essentiam instrumenti, siue arteriæ versatur: atque etiam illius quinti in arteriæ euacuatione, vel repletione consistentis.

Species generis, quod consistit ex essentia instrumenti, sunt
- Mollis.
- Durus.
- Æqualis seu mediocris.

Mollities & durities sunt tunicæ arteriæ qualitates, quæ in contactu differentiam haud minimam pariunt, quarum mollities est cùm arteria apparet contactu lenior & carni similior, atque ista indicat obedientiam instrumenti. E contra verò durities est quando tunica arteriæ quasi siccior & rigidior ad instar corii apparet tangenti, arguitque instrumenti inobedientiam seu resistentiam. Ad genus autem quintum quod attinet:

Species eius, quæ sunt ex eo quòd continetur in arteria sunt tres, sub eo enim continetur pulsus
- Plenus.
- Vacuus.
- Medius inter vtrumque.

Pulsus plenus sentitur ac si in arteriæ cauitate esset humor implens: vacuus verò est pleno contrarius; mediocris & æqualis est qui moderatè se habet inter vtrumque.

Galenus *lib.1. cap.5. de Pulsuum differentiis* confundere videtur hæc duo genera, dicitq; durum & plenum idem esse, vacuum etiam & mollem.

Capvt VI.

In quo differentiæ, seu species generis sexti, quod versatur circa qualitates tactus, atq; illius septimi, quod sumitur ex tempore quietis, explicantur.

Species generis sexti considerat pulsum in qualitatibus primis, unde { Calidus. Frigidus. Temperatus.

Cùm scilicet pulsus tactui apparet vel manifestè calidus, vel frigidus, vel neuter, hoc est moderatus inter frigiditatem & caliditatem.

Species quæ sumuntur ex tempore quietis sunt tres, videlicet { Frequens, creber, spissus. Rarus, resolutus, lapsus. Mediocris.

Frequens pulsus est quando paruo interposito interuallo, rarus verò cùm interposito lõgo interuallo arteria distenditur.

Capvt VII.

Hoc caput versatur circa species illas generis octaui, quod pulsuum æqualitatem & inæqualitatem, siue diuersitatem spectat.

Sciendum est, quòd æqualitas & inæqualitas omnibus prædictis pulsuum speciebus accidere solent.

Sunt ergo pulsus vel { Absolutè æquales atque inæquales. Comparatè æquales atque inæquales.


Æqualitas in pulsu absolutè dicta est quæ nec magnitudine nec celeritate, nec vehementia aut aliqua alia ratione ad inæqualitatis accedit leges; hoc est, quando pulsus æqualiter in hisce omnibus se habet.

At si pulsus par magnitudine sit, tunc magnitudine dicitur æqualis, si par celeritate, similiter celeritate æqualis dicitur, idque comparatione ad inæqualitatem habita.

Pari ratione omnino impares, inæquales absolutè, hoc est in pluribus: at si in vno, respectiuè impares dicuntur.

Patet ergo quòd tam paritas quàm imparitas fit in duabus speciebus aut tribus, aut pluribus, vel omnibus quandoque simul.

Est igitur æqualitas in genere pulsus tam in magnitudine quàm celeritate siue vehementia, ac remissione & crebritate paritas. E regione verò inæqualitas est paritatis corruptela.



Inæqua-

Inæqualitas simplex accidit in vnius pulsus
- Singulis partibus, dictus
  - Caprizans, cùm interpellatus & impeditur manifestè motus.
  - Dicrotus cùm reciprocatur motus.
- Impari motus
  - Celeritate videlicet
    - Cùm initio celerior, in exitu tardior.
    - Cùm tardior in initio, & postmodum fit celerior.
  - Vehementia, remissione, paruitate, magnitudine.

Differentiæ motus interrupti sunt quatuor; nam
- Aut primus & tertius digitus motum sentiunt, & non secundus & quartus.
- Aut primus & tertius & quartus & non secundus.
- Aut primus, secundus, quartus & non tertius.
- Aut primus & quartus, secundus & tertius minimè.

Intercurrens ex sola inæqualitate est crebritatis.

Intermittens ex inæqualitate constat raritatis atque paruitatis.

Deficientes ex pulsuum paruitatibus constant, vt intermittentes ex raritatibus.

Reciproci deficientes dicuntur, vbi duorum spatiorum vel trium vel plurium etiam pulsuum motu arteria omnino moueri non apparens agitari iterum incipit.

De soricino pulsu *in cap. huius* 8. *fine*.

Ad inæqualitatis quæ in pluribus speciebus accidit species, quod attinet
- Pro pulsu vibrato & dicroto vide ampliùs Galen. *lib.* 2. *de causis puls. cap.* 6.
- Pro caprizante vide *Ibid. cap.* 1.
- Pro bis feriente siue bis pulsante vide Gal. *de puls. ad tyrones, cap.* 7.
- Pro illo Innitente vide Galen. *in synopsi de puls. class.* 4. *cap.* 24.
- Pro circumnuente vide *Ibid. &* 4. *de caus. puls. class.* 4.
- Pro pulsu intercurrente vide 2. *de præsag. ex pul. c.* 4. *&* 4 *&* 1. *de diff. pul. cap.* 11.
- Denique de intermittente & deficiente & intercepto mentionē facit Gal. 1. *de diff. puls. cap.* 10.
- De soricino *lib.* 1. *de diff. puls. cap.* 11.
- De mutilo decurtato. *Ibid.*
- De deficiente decurtato. *Ibid. &* 2. *de præs. ex pul. c.* 10. *& lib.* 1. *de diff. cap.* 10.
- De decurtato reciproco, Galen. *Ibid. &* 2. *de puls. caus. c.* 2. *&* 1. *de diff. puls. c.* 11.

Inæqualitas composita dicitur quatenus altera potest cum altera, & vna cum vna, & cum pluribus vna, & cum multis multæ permisceri.

Sunt plures in composita pulsuum inæqualitate gradus, quorum vnus excellit alium in ordine distensionis; nam pulsus
- Vndosus excellit cæteros in magnitudine.
- Vermiculans est in sua distensione minor quàm vndosus, & maior quàm formicans.
- Formicans est adhuc in sua distensione minor quàm vermiculans, & consequenter admodum languidus & creber.
- Hecticus est tremulus, & non variat suum motum.

Horum quidem vndosus est ille inæqualitatis pulsus, in quo non videtur pulsus in æqualitate distendi, sed primò prima eius pars, deinde secunda, mox tertia, ab hac quarta distenditur, idque non subito & rapaciter, sed successiuè cum eleuatione vndosa, altera vnda semper priorem excipiente. Hinc ergo sibi nomen illud acquisiuit, videlicet ob ipsius ad vndas similitudinem.

Similiter dicitur pulsus vermiculans, quoniam in suo motu vermis gressui assimilatur: nam istud animal in forma vndatum moueri animaduertitur, sed non tanta magnitudine ac fortitudine, ac vnda.

Porrò etiam formicans à similitudine motus illius animalculi, videlicet formicæ dictitatur, est autem cæteris debilior.

Denique hecticus seu tremulus, ideo dictus quippe qui in febribus hecticis prouenire solet, est admodum languidus, & minimè varians, sed in suo motu constans.

Pro pulsu conuulsiuo & vibrato, & quòd ille sit instar chordæ instrumenti musicę extensæ, contractæ, hic verò fortiter vibratæ, nos docet Galen. *lib.* 1. *de diff. puls. cap.* 15.

CAPVT

Capvt VIII.

Verſatur hoc circa generis noni ſpecies, quæ in ordine, & eiuſdem perturbatione conſiſtunt.

GEnus quod ſumitur ex ordinatione & inordinatione, duas habet ſpecies, cùm vnus pulſus dicatur ordinatus, alius inordinatus.

Pulſus ordinatus eſt, qui habet certum ordinem ſuper quem tranſit, idque ſecundùm vnam diuerſitatem vel plures, tunc redit à capite ſicut eſſet vnus circulus. Verbi gratia, ſecundùm vnam diuerſitatem & plures, ſicut cùm pulſus eſt magnus ſortis, & ſic in ſuis diaſtolibus ſemper redit ad caput, &c.

Multis modis accidit, quòd ordine quodam, certo ictuum numero, pulſibusque paribus vnus intercurrat impar: nam iuxta Galenum
- Tribus paribus pulſibus quartus impar conſequitur, idque conſequenter ſemper.
- Quatuor quintus, & ſæpe comitatur quinque paribus impar ſextus; & etiam ſex paribus ſeptimus impar, vnde neceſſe eſt, vt hic pulſuum ordo perdat æqualitatem, quamobrē pulſus inæqualis ſit.

Inordinatus pulſus fit per contrarium, videlicet cùm non habet ordinem aliquem ſecundùm quem tranſeat aut quo gubernetur. Atque hæc pulſus ſpecies poteſt comprehendi & locari ſub illa inæqualitatis: nam vbicunque eſt inordinatio ibi inæqualitas reperitur, ſed non è conuerſo, quoniam inæqualitas fit multoties, propter intenſionem in vna diaſtole reſpectu aliarum quæ eam præceſſerunt factam, in quibus forſan aderat æqualitas.

Capvt IX.

De ſpeciebus generis decimi, quæ verſantur in pulſuum pondere.

GEnus quod ex pondere ſumitur, eſt per proportionem & cōparationem quatuor temporum, quæ ſunt duobus motibus & duabus quietibus, ſecundùm quod ſenſus comprehendere poteſt vel diſcernere. At ſi ſenſus comprehendere nequeat, tunc conſideratur per comparationem quantitatiuam proportionum temporum diaſtoles ad tempus quod eſt inter duas diaſtoles, & ad vltimum temporis in quo eſt motus ad tempus in quo eſt quies: fit autem per compoſitionem temporis motus & temporis quietis.

Iuxta conſiderationem iſtius generis inuenimus quòd alius pulſus ſit
- Boni ponderis, qui ſeruat operationem proportionis qualitatum proportionum quatuor temporum, quæ in duobus motibus & totidem quietibus numerantur, & talis pulſus denotat virtutis conſtantiam, ſecundùm neceſſitatem; & talis eſt pulſus ſenis ſani in iuuene, & pulſus iuuenis ſani in puero, & in ſimilibus.
- Mali ponderis, atque huius tres ſunt ſpecies
  - Vna eſt illius cuius pondus eſt mutatum iuxta ætatem illius cuius eſt pulſus, vt cùm iuuenis habet pondus pulſus pueri.
  - Secunda eſt ſeparati pōderis, ſicut cùm puer habet pondus ſenis.
  - Tertia, in qua eſt multa egreſſio, ſicut ille cuius pondus ponderi pulſus hominis non aſſimilatur, & talis pulſus magnam immutationem arguit.

Atque hoc eſt illud genus pulſus, in quo proportiones Muſicæ conſiderantur, proportiones temporum motus & quietis, & per hoc fit vox bona, è contrario in contrarium.

Sub

Sub hoc genere pulsus ponderis comprehenduntur species pulsus compositi vel continui, quæ habent nomina propria, de quibus antea, quarum vna dicitur pulsus Gaselleus, qui est diuersus & inæqualis, facit enim vnam percussionem, vnde intersecatur & quiescit vel fit velox: alia est pulsus vndosus, cum quo in principio est mollities cum paruitate & eleuatione partium ad superiora, & habet latitudinem, & assimilatur vndis aquarum, quarum aliæ alias sequuntur, vt dictum est: alia, vermiculosus, qui tametsi in sua motus forma vndis refertur, tamen in eo differt, quòd est magis paruus cum multa spissitudine, & eius spissitudo æstimatur velocitas: alia, formiculans, de qua antea: alia serrea, quæ vndosæ assimilatur in forma mouendi, sed est durior manifestè, & cum duritie partes ipsius in duritie diuersæ: dicitur autem serreus pulsus, velox, spissus, durus, cuius partes in magnitudine diastoles diuersæ existunt: alia soricina, ad similitudinem caudæ soricis, quæ ordinatur in diuersitate suarum partium ex diminutione ad augmentum, vel è contrario.

Infinita quidem sunt quæ Galenus, & cæteri Ethnici produxere ad pulsuum varietatem multiformem explicandam, quorum pars maior potiùs in contemplatione considerantur, quàm vt ad aliquam in praxi vtilitatem inferri queant, vt nos luculentiùs *libro hoc consequenti*, vbi de veris pulsuum differentiis, simul atque ipsorum causis, non more Galenico, aut alicuius aliorum Ethnicorum, sed testimoniis & authoritate sancta innitentes verba satis plana facimus.



LIBER QVARTVS,

IN QVO TVM VERÆ PVLSVVM CAVSÆ imprimis,& tum postea differentiæ, quæ ex iisdem causis insurgunt, non more Galenico, sed secundùm testimonii sacri ritus, vbertim enucleantur, atque discutiuntur.

CAPVT I.

In hoc insignis Galeni, in multiplicium differentiarum pulsuum expressione scrupulositas, & tædiosa curiositas redarguitur, quippe quarum licet nonnullæ mente comprehendi, tamen praxi vix, ac ne vix quidem adhiberi possunt.



SI intuitu paulò curiosiori differentias illas pulsuum à Galeno recitatas, atque enumeratas considerare velimus, ipsas sanè tam innumeras, & in scrutatione atque cognitione tam difficiles inueniemus, vt etiam mathematico in mensuris geometricis benè versato, aut ipsi musico in proportionibus tam temporalibus quàm metricis perito non leue erit, immo verò ex laboribus Herculeis haud minimum, nodum ipsarum Gordonium soluere, aut saltem post eius solutionem nonnullas pulsationũ earum species ad praxim vel vsum Medicum reducere: nam vbi ait ipse, quòd cùm percepisset cõstructionem pulsus vel systolen, tunc immediatè sunt ipsi apertæ pulsuum portæ, certè salua eius pace, vt mihi videtur, satis ouanter & iactanter dictum est hoc ab eo: nam cùm systole sit remotio à tactu, & tactus non apprehendat nisi tangendo, non autem est res comprehensibilis per sensum tactus sed per extenuationem, difficillimum erit ei de systole per contactum indicare.

Præterea quàm sit difficile differentias illas pulsuum 27. in trinis simul dimensionibus per praxim explicare aut inuenire vestris relinquo iudiciis ad determinandum: nam tametsi cum profunda obseruatione possimus comprehendere quòd pulsus magnus sit de dimensione longa, & de dimensione lata atq; profunda; vt è contra ille breuis ex dimensione breui & angusta & humili compositus: vnde certum est, quòd pulsus medius componatur ex moderatè longa, & mediocriter lata, & mediocriter profunda. Tamen existimamus esse rem difficillimam non modo eas, sed multo magis 24. illas species, quæ intercedunt istas, videlicet pulsus

2.	Longus.	Latus.	Moderatus.
3.	Longus.	Latus.	Humilis.
4.	Longus.	Moderatus.	Altus.
5.	Longus.	Moderatus.	Moderatus.
6.	Longus.	Moderatus.	Humilis.
7.	Longus.	Angustus.	Altus.
8.	Longus.	Angustus.	Moderatus.
9.	Longus.	Angustus.	Humilis.

& sic in cæteris, vt in Galeni *lib. 1. cap. 4. de diff. puls.* videre licet.

Quos quidem pulsus, quàm sit impossibile, pro tactu comprehendere, & distinctas suas partes

partes sensu diuidere atq; distinguere, vtcunq; mente istas proportiones capere possimus, vestris qui in pulsuum praxi estis quotidie versati, commēdo iudiciis: nam simili ratione dicere possumus quòd in trium elementorum ad vnius corporis compositionem commixtione tam æquali quàm inæquali, talis est proportio multiformis:

	Aqua.		Aër.		Ignis.	in æquilibrio.
æquales	Aqua.		Aër.	at	Ignis.	minùs.
æquales	Aqua.		Aër.	at	Ignis.	minima portio.
plus	Aquæ.	minus	Aëris.	plùs	Ignis.	
plus	Aquæ.	minus	Aëris	&	Ignis.	
plus	Aquæ.	minus	Aëris.		Ignis minimum.	

& sic in cæteris mutando vicissim elementa.

Et quamuis facillimum sit hæc contemplatione capere, tamen hæc in compositione elementa sensu distinguere impossibile foret. Pariformiter quòd sit non ita facile per contractum has compositas inæqualitatis species intelligere, neminem scientem latere existimo, videlicet illas quas tabulis binis explicare videtur; quarum prior est hæc:

1. Celer, Tardus.	2. Celer, Celer.	3. Celer, Moderatus.
4. Tardus, Tardus.	5. Tardus, Celer.	6. Tardus, Moderatus.
7. Moderatus, Tardus.	8. Moderatus, Celer.	9. Moderatus, Moderatus.

Deinde Tabula secunda de tribus.

1. Celer, Celer, Tardus.
2. Celer, Celer, Celer.
3. Celer, Celer, Moderatus.

& sic in cæteris.

Verùm fateor hoc magis esse facile & perceptibile, quàm præcedens, licet sit admodum tædiosum & laboriosum inuentu. Denique haud vitæ spatio sufficeret omnia à Galeno *in tractatibus suis de Pulsibus* præscripta, imprimis colligere atque ea praxi adhibere. Sed tamen Galeno (qui circa lectiones & expositiones librorum Hippocratis ex pulpito seu cathedrâ discipulos suos docendi gratia est alloquutus) conueniebat ea doctrinam suam elucidandi causa quæ ad speculationem magis quàm praxin attinent plurimorum verborum serie explicare atque prædicare. At ego quidem maiorem adhibebo fidem ad primi Hippocratis Aphorismi sensum, quàm ad tales Galeni suasiones, qui nos docet, quòd, *vita sit breuis, ars verò longa.* Quid igitur vitam suam breuem tot libris superfluis de infinitis pulsuum differentiis legendis contereret Medicus, cùm medicina sit ars longissima ac profundissima: doctrina verò pulsuum minimum ipsius membrum; præsertim cùm via certiori & magis curta ad ipsorum cognitionem attingere queamus?

Ego igitur non more Galeni cum pulsuum differentiis tractatum hunc meum incipiam; quasi à posteriori progrediendo ad prius, siue ab effectu ad causam: sed à priori potius siue à radice ad posterius quasi à prima & radicali pulsuum causa ad eorum effectus seu pulsuum species progrediar: atque ita libello huic nostro vnico cùm pulsuum causas, tum ipsorum differentias includemus.

CAPVT II.

Gemina Dei proprietas radicalis hic recensetur, frigidus tenebrarum actus, atque calidus ille lucis, cum ipsorum in contrahendo & dilatando facultatibus ad amussim enucleantur. Denique quod amborum vnione fit pulsus compositio.

TAmetsi *libro istius* 1. *cap.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 3. plenius de isto subiecto egimus, tamen hic subiecti illorum medullam paucis hoc in loco remetiri haud inutile fore existimamus. In illis locis primum recitauimus proprietates fuisse binas vnius essentiæ, quarum vna est alteri opposita: nam vt vna est Dei latentis seu tenebris occultati proprietas, ita quidem ipsius natura est contrahere à circumferentia ad centrum, & consequenter inspissare, obtenebrare, & ad quietem à motu seu actu promouere: atque hinc est quod quies sit tenebrarum filia, vtpote quæ in centro quiescit, & quod frigoris, quod est quietis soboles & tenebrarum agonista, sit res subtiles contractione reddere grossas, limpidas & diaphanas, opacas & tenebrosas leues ponderosas, & mobiles fixas, vti in niuis, grandinis, pruinæ atque glaciei procreatione patet, quæ à frigore Boreali oriuntur.

E contra vero Dei patentis, seu è tenebris quasi lux ineffabilis emergentis seu emanantis est in ista sua proprietate dilatare, atque à centro circumferentiam vsque actum suum emittere, & consequenter res in centro contractas in circumferentia dilatare, tenebrosa transparentia & pellucida reddere, densa rarefacere, fixum & immobile efficere mobile & volatile. Atque hinc est quod motus sit lucis filius, vtpote quæ in circumferentia versatur & agitatur, & quod caloris (qui est motus comes seu actus & lucis athleta) res grossas dilatatione reddere subtiles opacas efficere limpidas & diaphanas, ponderosas efficere leues, & fixas mobiles, vti in niuis, grandinis, pruinæque in aquas, & iterum aquarum in vapores reductione videre licet.

Tum postea demonstrauimus *ibidem*, quod Deus in duplici ista sua proprietate operetur in hoc modo mediantibus ventis suis Angelicis, videlicet in duriori & sicciori, hoc est, in extremo contractionis suæ gradu mediante vento septentrionali, & in molliori & humidiori ipsius gradu per ventum Meridionalem. Similiter in extremo atque duriori & sicciori dilatationis gradu per ventum Orientalem, & in molliori & mitiori per illum Occidentalem. At hoc pro re certa, & tam testimonio sancto quam oculari experientia confirmatum esse declaraui, quod istæ duæ proprietates sint in vniuersi mundi fabricę mole, atque in qualibet eiusdem particula vnicæ & solæ actus Dei radicalis, mediantibus suis ministris Angelicis in densatione & rarefactione, hoc est, in contractione & dilatatione.

Hoc autem totum in *lib. huius* 1. *cap.* 2. affluentius inuenietis.

Deinde sequitur, quod ex istis radicibus deriuetur pulsus humani mysterium, quippe qui cum in dilatatione & contractione cōsistit, necesse est illas suas proprietates ab illis primariis acceperit: nam vt vita creatur ex humido cœli & actu Dei calido, ita quidem necesse habemus considerare quod humiditas quatenus à fonte materiali procedit, habet in se actum frigiditatis, quatenus media est inter extreme frigidum & extreme calidum: vnde liquet quod humiditas naturali sua inclinatione propter frigiditatem in ea delitescentem contractiuæ sit conditionis, vt calidum innatum est in sua natura dilatantis facultatis, ex horum ideo vnione, videlicet naturæ Dei latentis & ipsius patentis, fit vitæ compositio, quæ vt erat facta in iustitia Dei misereścentis & ad creaturam gratiosi, ita in æquilibrio erat, hoc est, in æqualitate in humido materiali & calido formali, quæ ambo vt exactiorem Dei latentis & contrahentis proprietatem in se haberent, iussit Iehoua spiritum hunc suum vitæ vt à quatuor ventis veniret, vt vim dilatationis & contractionis ventis Angelicis per spiritum assignatis inspiraret in mortuos vt reuiuiscant. Hinc ergo certum est, quod virtus istius diastoles & systoles proueniat à fonte illo spirituali vitæ qui omni quatuor ventorum proprietate est præditus, & consequenter iuxta ventorū proprietates quæ animant & viuificant spiritum mundi sublunarem, animatur ēt quilibet homo, qui post spiritū à conceptione ei inspiratum per communis aëris thesaurum, arcanis ventorum seminariis opulentissimum nutritur & sustentatur omni temporis momento; vti magis complete ex *cap.* 3. *lib huius* 2. videre atque intelligere fas est. Iam vero ad propositum hoc nostrum peruenimus.

CAPUT III.

Quomodo æterna sapientia aerem, qui est vitæ pabulum, pondere, numero & mensura disposuerit, & vnde oritur pulsus æqualitas.


EX *supradictis* sat liquido explicatur geminarum proprietatum diuinarum potentia in hoc mundo in primis, & tum postea mediante quadruplici spiritu mundi sublunaris in creatura vitæ beneficio ditata: similiter quod spiritus æternæ sapientiæ ab essentia diuina emanans, iuxta oppositos binarum dictarum proprietatum actus spiritus vtriusq; mundi tam ad vitæ beneficium quam ad morborum & mortis productionem gubernet, vtpote quibus res omnes mutatione obnoxias tam generatione quam corruptione, tam vitę sanę felicitate quam morbidæ afflictione atq; acerbitate mulctat. Hinc ait Sapiens, *sed vno spiritu, seu afflatu virtutis tuæ persequentus occidi & dispergi possunt, sed omnia in numero, mensura & pondere disposuisti: multum enim valere tibi soli supererat semper, & virtuti brachii tui quis resistet. Sed misereris omnium quia omnia potes, dissimulas peccata hominum propter pænitentiam: diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim oderis aliquid quod constituisti. Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses, & quod à te vocatum non esset conseruaretur. Parcis autem omnibus quoniam tua sunt Domine qui amas animas, &c.* Sap.11.A.21. In quo sermonis filo totum vitæ tam illius mundi catholicæ, quam hominum atq; omnium aliarum creaturarum statum in mensura, numero & pondere à Deo esse constitutum apparet, per quas proportiones certum est quod Deus in æqualitatis statu, hoc est æquilibrio, seu trutinis iustitiæ æquis formauerit vitam cuiusque rei præcipue hominis: nam cum hominem prius vt existeret & morte non exterminaretur creauerit (iuxta hoc Sapientis, *Creauit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*) ita quidem iustitiæ suæ æqualitate vitam eius ex partibus æquis in mensura, numero & pondere conflauit & afflatu suo temperauit, videlicet ex æquali portione spiritus mundi humidi, qui in humidum vitæ radicale est factus, & lucis æternæ à throno suo seu sapientiæ æternæ descendentis, quæ calidi innati (vt dicunt) locum supplet. Horum siue ad pondus, siue ad iustitiam vnio fit vitæ spiritus; at si vna istarum vitæ partium sit alia exuberantior & potentior, sane perturbationem & inæqualitatem pariet, & consequenter discordiam & bellum in œconomia vitæ pacifica: nam vt iustitia est causa æqualitatis animæ, & per consequens vitæ sanæ columna, ita quidem iniustitia est animæ vitalis inæqualitatis origo, quæ à medietate (in qua est æqualitas) versus duo extrema recedens animam à vitæ sanæ temperamento, siue sit ad pondus, siue ad iustitiam, errare cogit: atque ad mortis quandoque ianuam conducere solet. Hinc Salomon, *Creauit Deus vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum; iustitia enim perpetua est & immortalis; iniustitia autem est mortis acquisitio &c.* Sap.1.14. & per consequentiam morborum. Vnde textu *supra* allegato dicitur, quod *spiritus Dei ventilet & iustitia persequatur iniustos, &c.* Sap.11.21. Nam iuste agit Deus in iniustitiæ punitione per abstractionem radii sui beneuoli ab æqualitate temperamenti hominis iniusti par pari referendo, idque vel per occultationem & contractionem sui radii beneuole dilatati in se, hoc est, à circumferentia ad centrum; vnde sequitur in vita inæqualitas propter calidi diminutionem & frigidi dominium: vel per manifestationem sui in ira sua per nimiam vultus sui ignei dilatationem, qua ignis dicitur consumens, vnde prædominatur excessiue super mediam frigoris in humido temperiem; vnde necesse est vt humidum vitæ paulatim ab ignea natura dilatetur, & quamuis talis recessu sit respectu vitæ iniustitia, tamen in Deo est pro summa iustitia habendo, quippe mediante qua quam iustissime morbo afficitur vel morte plectitur iniustus. Deinde per textum superiorem videmus, quam tarde reducitur Deus ob misericordiam suam ad nodum illum æqualitatis in vita humana dissoluendum, quoniam homines creauit vt sanabiles manerent: vnde in eo sequitur, *Parcis omnibus quoniam tua sunt Domine qui amas animas, &c.* Sed cum harmoniacas animæ vitalis leges violare desiderat tunc aut abscondit lucis suæ vultum, vt dæmones tenebrarum potestatem habeant in vitam illam suo frigore lethali eam perturbando, aut emissione vultus sui ignei & iracundi dominium & virtutem addat spiritibus ignitis vulnerandi & affligendi. Confirmatur hoc isto scripti sacri testimonio, *Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, vt obueniant ipsis multa mala & angustiæ.* Quibus effectus Dei latentis, Deut.,7.17 & se in se contrahentis arguit. Iterum hoc *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me.* Iob.6.4. Hic ergo patentis Dei in iracundia sua effectus à nimia actus sui calidi dilatatione orti patesiunt

 medi-

mediante qua fit à mediocritate vitali receſſus, videlicet à vitæ æquinoctiali ſeu æqualitate in humido & calido, in exceſſum vel Borealem aut Occidentalem, in quo dominatur Dei latentis agoniſta, videlicet frigiditas opprimens caloris natiui virtutem, vel Orientalem aut Meridionalem, in quo extremo prævalet nimium caloris inſultus ſupra frigoris temperati in humido radicali proportionem. Vt ergo dictum eſt quod Dei ſpiritus omnia numero, menſura & proportione; & conſequenter ipſum vitæ ſubiectum diſpoſuit, ita certum eſt quod idem ſpiritus vitæ à quatuor ventis venit, atque virtutes ſeu proprietates ſeu actus eorum omnes in menſura, numero & proportione ita cum ſpiritu mundano adaptauit, vt poſtquam eos cum vehiculo in mortuos inſpiraſſet in æqualitate actuum quatuor ventorum moles illa ſpiritualis concreſceret in corde & arteriis, & in vitæ ſpiritum eſt facta.

Hinc ergo contractiuâ & dilatatiua ſpiritus vitalis virtus: hinc tam æqualitatis in pulſu quam inæqualitatis initium, vt infra latius.

Hic vero hæc omnia oculariter demonſtrauimus.



In hac demonſtratione videtis quatuor ventos in quatuor mundi angulis diſpoſitos in eodem machinæ centro I. conuenire, & proprietatibus atque ponderibus & menſuris ſuis quas dant communi elemento, ſiue ſpiritui ſublunari, æqualiter animante & ſpirante eo qui dat flatum, motum & omnia in vnum conuenire: vbi nec maior eſt afflatus Borealis portio quam illa Auſtralis, nec pondere aut menſura maior & vaſtior eſt ſpiritus ille in ſua mole quem in hoc centrum I. contrario afflatu emittunt Subſolanus & Fauonius, cum ſuis vitæ ſeminariis proportione debita intermixtis implendo. Hinc contrahunt æqualiter proprietas Borealis ſua ſiccitate, & Occidentalis ſua humiditate; quoniam in menſura & pondere

dere cum illis contrahentibus dilatant Orientalis & Meridionalis. At quoniam dilatatio fieri nequit atque contractio eodem tempore, ideo vicissim agunt & patiuntur spatiis siue interuallis diuersis.

Ex debita ergo istius instrumenti consideratione, totum pulsuum mysterium rite speculari atque contemplari possumus: quod quidem vt melius capere atque intelligere queatis scire vos conuenit, quod vt frigus Boreale dominium habet in hemisphærio contractionis, ita quidem à meditullio seu centro gradus habet 7. vel plures in quibus designat virtutis suæ attractiuæ proportiones secundum maiorem vel minorem ipsius intensionem seu remissionem, iuxta cuius gradus aër inclusus gradatim in densiorem atque magis compactam migrare solet naturam propter contractiuam afflatus Angelici vel Septentrionalis vel Occidentalis conditionem, sed vehementius attrahit & contrahit atque coarctat frigus Septentrionale, quippe quod aquas in glaciem, aërem in niues & grandines atque pruinas constringit, quam Occidentale, cuius est solius aërem in aquas coagulare, vt & Meridionalis in nubilosum vaporem. E regione vero calor Orientalis atque Australis suas habent in hemisphærio dilatationis stationes seu gradus multiplices, circa quos versantur variæ ipsorum mensuræ seu proportiones in intensione vel remissione. Quod quidem in eo redditur euidentius, quoniam videmus quod secundum mensuram intensionis frigoris aqua exaltatur ad 2. vel ad 3. vel 4. vel 5. vel 6. vel 7. &c. hemisphærii frigidi Borealis siue contractionis: nam quo grandius est frigus eo quidem altius eleuatur aqua super meditullium æqualitatis I. vel A. Similiter secundum proportionem intensionis vel remissionis caloris aqua vel magis vel minus in hemisphærio dilatationis, videlicet à centro I. vel A. æqualitatis ad 2. vel 3. vel 4. vel 5. vel 6. vel 7. &c. Probatur sic quoniam quo magis dominatur frigus Boreale in capite B. eo altius supra centrum A. vel I. eleuatur aqua: ex aduerso quo magis dominatur calor in capite matracii B. eo profundius subter centrum A. vel I. versus matracii orificium deprimitur aqua: quo euidens est aërem capite matracii B. inclusum frigoris borealis præsentia contrahi, & in locum angustiorem contractione atque condensatione reduci, quoniam aquam vehit in altum, ni facta corporis aërei contractione vacuum relinqueretur. At caloris præsentia contrarium accidit, quoniam aër frigoris præsentia contractus & condensatus dilatatur & in tantum deprimit aquam in quantum dilatat aërem: si ergo aqua descenderit infra centrum æqualitatis I. tunc est argumentum quod dominium incipiat habere supra proportionem frigoris: at verò si aqua adhuc superemineat I. vel A. & vel 2. vel 3. &c. tetigerit, signum est quod frigus adhuc dominium habeat super calorem per tot gradus per quot sublimata est aqua. Quod autem frigus contrahens non modo istum aërem inclusum, sed etiam exclusum sit actus Dei à septentrione emissus testatur textus sacer his, ***Deus emittit niues sicut lanam. & pruinam sicut cineres dispergit, deijcit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?*** Et ***alibi. Flante Deo concrescit gelu, vel glacies, Deus fortis edit flatu suo.*** Porro etiam, quod calor tam Australis quam Orientalis sit actus Dei in proprietate opposita testatur consequentia textus prædicti Psalmistæ regii. ***Emittit verbum & liquefacit ista*** (id est niues, pruinas & gelu) ***simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ.*** Quibus arguit flatũ Dei seu spiritum eius mediante organo Angelico Septentrionis, emissum, per suam proprietatem frigidam contrahit & coarctat, & illum seu spiritum eius essentia eundem per proprietatem suam æstuosam dilatat: vnde sciendum est, quod verba Apostoli sunt vera ***Deum omnia in omnibus operari*** asseuerantia.

Psal. 147. a. 16.
Iob. 27.
Ps. 147. 17.

CAPVT IV.

Quod pulsus sit tam naturalis, quam præternaturalis, & primum de pulsuum differentiis agitur.

IAM vero nunc viam nostram propriam (quamuis inauditam) calcando, quid de pulsuum differentiis reuera sit censendum tam literarum sacrarum documentis quam demonstratione cum philosophica tum musica, idque ocularìter ostendemus. Sed in loco priori operæ fore pretium existimamus ipsos in sua genera species atque indiuidua in generalem istam distinctionem delineare, vt tum postea meliori methodo ad ipsorum descriptiones, ac denique causarum eorum radicalium enucleationem perueniamus.

Æter-

Æternus vitæ spiritus agit in pulsum per systolen vel diastolen, vel

- Naturaliter moderate & per binarum Dei proprietatum in æqualitate & vnitate vitali concordiam, completurque talis vitæ actus vel ad
  - Pondus.
  - Iustitiam.
- Præternaturaliter immoderate, & per binarum Dei proprietatum ab æqualitatis vnione & mediocritate versus duo extrema, seu inæqualitates binas recessum, videlicet aut per nimiam —
  - Dilatationem tantum, siue Meridionalem siue Orientalem, atque tali actu generatur pulsus —
    - Quantitate
      - Longus
      - Latus
      - Altus
      - Et ex his omnibus magnus.
    - Tempore
      - Motus, Celer, siue Velox.
      - Quietis, Creber, siue frequens.
    - Substantia, Mollis.
    - Robore virtutis, vehemens, siue fortis.
    - Capacitate, plenus.
  - Contractionem tantum siue Borealem siue Occidentalem, atque in isto actu creatur pulsus —
    - Quantitate
      - Breuis
      - Strictus
      - Profundus
      - Et ex istis Paruus.
    - Tempore
      - Motus, Tardus.
      - Quietis, Rarus, siue resolutus, siue lapsus.
    - Substantia, Durus.
    - Robore virtutis, Imbecillus, languidus, debilis.
    - Capacitate vacuus.
  - Contractionem & dilatationem simul, Et talis pulsus absolute inæqualis se habet aut
    - Ordine motus; idque pulsuū
      - Vnius pulsus, cuiusmodi sunt
        - Vibratus.
        - Bis pulsans.
        - Caprizans.
      - Plurium; atq; istius generis alius est —
        - Continuus, vt Soricinus.
        - Interruptus & perturbatus
          - Intermittens.
          - Deficiens.
          - Reciprocus decurtatus.
          - Intercurrens.
    - Forma seu figura mouendi à quo nomina sua sortitur, vnde dicitur vel
      - Vndosus.
      - Vermiculans.
      - Formicans.
      - Hecticus; siue tremulus.
      - Serratus.

CAPVT V.

In quo primum membrum & quasi radix prædictæ distinctionis nostræ authoritate sancta comprobatur.


DIximus, quod æternus vitæ spiritus agat in pulsu per systolen & diastolen, &c. Atq; probabimus hoc cum testimonio sancto tum oculati demonstratione: nam ait textus, *Non perma-*

permanebit spiritus meus in homine in æternum, &c. Nec quidem satis admirari possum, quod recentiores Biblii Hebraici translatores, videlicet Tremellius, & alii istam Hieronymi versionem tanta confidentia improbantes, textum illum in hunc modum male sane interpretentur dicentes: *Non disceptabit spiritus meus propter istos homines in seculum, &c.* At si ipsis horrendum, seu potius à veritate longe abesse videretur quod spiritus Dei permaneat in homine, & quod sit vitæ ipsius author, vnde fit vt tenebras potius istis suis iniquis interpretationibus confirmauerint in hoc mundo quam vt veritatem ex iis emergere, & in mundo elucescere efficiant. At si cōsiderassent, quod locus locum, seu textus textum aperit, & si Bibliorum harmoniam, siue concordantiam recte obseruassent, in talem errorem incidissent nunquam: cum enim *vita esset in verbo, & illa vita sit lux hominum, & lux illa fuerit in tenebris, & tenebræ illam non comprehenderint*, opus est vt illarum tenebrarum velum iam tandem deponamus siue exuamus, vt lucem illam vitæ omni momento in nobis operantem agnoscamus, cū sine ipsa pro Dei filiis & hæredibus regni cælestis haberi haud possimus. Porro si iuxta illud Prophetæ, *omnes homines ex eadem petra angulari excisi sint*, quid dubitem de Christi spiritualis (qui est vitæ fons) in nobis existētia? Nonne ait Apostolus *Membra vestra sunt membra Christi*. Et *alibi, Vos estis templum Spiritus sancti?* Sed quid pluribus opus est, cum ipsum Moysen in *eodem libro* illam Hieronymi interpretationem habemus confirmantem, dicentem, *Sufflauit Deus in nares Adami flatum seu spiritum vitæ & factus est in animam viuentem?* Quid hoc planius? Vnde alibi, *Interficiam omnem carnem in qua est spiritus vitæ, &c.* Quo euidens est quod afflatus Dei viuificans non sit solummodo in vita humana actor, sed etiam in omni alio animali. Quare Propheta hæc *Deus dat flatum populo & spiritum calcantibus super terram.* Et Iudith, *Misisti spiritum tuum & sunt creata.* Et Apostolus, *Deus dat omnibus vitam, & inspirationem & omnia.* Et Paulus. *Deus viuificat omnia.* Et Iob. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Deniq; *in Deo viuimus, mouemur, & sumus.* Quibus manifestū redditur, quod spiritus Dei sit in nobis, & quod in eo & per eum viuit & mouetur homo, & consequenter spiritus eius vitalis cum suis organis in motu suo dirigitur atq; gubernatur motu contrario secundum dispositionem spiritus illius vitæ in proprietatibus suis, quarum alia agendo, videlicet formalis, alia patiendo & resistendo materialis scilicet operatur. Agit ergo Deus in patenti sua natura voluntarie, hoc est emittendo radii sui lucidi actum, qui dilatando mouetur & reagit, in latenti sua natura inuoluntarie, hoc est nolente & resistente materia vehiculi vitæ seu spiritus ætherei & aerei simul mixtorum, in quibus mouetur actor vitæ, quippe quæ materia est vitę deditissima. Quod autem vniuersus mundus ex motibus oppositis sit agitatus, videlicet à motu rapto primi mobilis, quod voluntati refertur, ab ortu scilicet in occasum, & naturali corporum cælestium inclinatione, quorum est contra motum primi mobilis reniti, videlicet ab occasu in ortum: atq; etiam quod in afflatu Dei Septentrionali aliter operetur in aere ipse videlicet contrahendo, coarctando, obtenebrando, inspissando, indurando atq; fixando, &c. Sic afflatu ipsius Meridionali proprietate ei opposita agit in mundo hoc sublunari, videlicet dilatando, laxando, diaphanum reddendo, rarefaciendo, fixum volatile, & durum resolutione molle efficiendo. In vna proprietate sic. *Flante Deo concrescit gelu, emittuntur niues sicut lana, & pruinæ quasi cineres dispergunt ur, coram frigore eius quis consistit? Emittens verbum suum liquefacit ista simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, &c.* Quibus liquet, quod per proprietatis suæ septentrionalis actū, qui est frigidus, coagulando contrahat spiritum mundi, & consequenter illum qui est vitę vehiculum, à circumferentia centrum versus, & in proprietate huic opposita, videlicet Meridionali, cuius agonista est caliditas iterum rarefaciendo dilatat. Atq; ista est radicalis in pulsuum contractione & dilatatione causa. Ob istam igitur rationem Propheta dixit, *Veni spiritus à quatuor ventis & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant.* Quo facto subito viuebant & mouebantur eorum corda & arteriæ in systole per proprietatem Septentrionalem, & in diastole per illam Meridionalem: ac tandem æqualis vitæ in mensura, numero & pondere, in adaptione ventorum vitæ, videlicet Orientalis & Occidentalis æquali & temperato consistebat; cui vitæ proportioni quoniam æqualis erat, atque in iustitia ad illam venti Septentrionalis & meridionalis, ideo in systole & diastole proportione harmoniaca & pacifica seu absolute æquali mouebatur pulsus.

Ioan. 13. Isai. 51. 2. 1. Cor. 6. Gen. 2. 7. Gen. 6. 17. Isai. 42. 5. Iudith. 16. Act. 17. 1. Tim. 6. Iob. 33. Act. 17. Psal. Ezech. 37.

Iam vero ad ocularem huius rei demonstrationem per machinam meam experimentalem designatam (in qua cum systoles tum diastoles in pulsu rationem oculis, vt aiunt apertis considerare queatis) perueniam.

Speculum ergo hoc nostrum serio speculemini suadeo.



In hoc ſpeculo apparens eſt, quod ſi ſpiritus Dei Angelicus ſpiret à ſeptentrione refrigeratur vas A. ſeu caput matracii, & per ipſius refrigerationem aer in eo incluſus contrahitur, & ſua contractione eleuat aquam in altum. Verbi gratia, frigore Boreali dominante aſcendet aqua per contractiuam frigoris proprietatem à gradu extenſionis diaſtoles 2. ſeu D. ad gradum ſimilem contractionis 2. ſeu E. Deinde ſuperueniente calore Meridionali in æquali proportione ad frigus illud ſpiritum prius contrahens, iterũ dilatabitur aer ſeu ſpiritus ille in æquali proportione, ſeu iiſdem ſolũmodo gradibus deſcendet aqua propter aeris dilatationem ad gradum 2. ſeu D. à quo frigus aerem contrahendo ipſam eleuauit prius. Iterum ſuperueniente frigore contrahetur proportionaliter aer & eo contracto eleuabitur iterum aqua ad 2. E. ſed ſubito increſcente calore per dilatationem aeris proportionalem iterum deſcendit ad 2. C. Ac hoc modo videtis, quod ſi omni momento ſeu minuto temporis

ſeu

seu horæ continuaretur talis successiua mutatio aeris à frigida in calidam, & à calida in frigidam dispositionem, necesse sit quod motus spiritus in diastole & systole hoc est in dilatatione & contractione fiat: at in dilatatione seu diastole eleuatur & intumescit pulsus ob eam rationem, quoniam aer seu spiritus dilatatus ampliorem requirit locum quam contractus: vnde fit, quod in omni aeris seu spiritus dilatatione intumescit vena; quemadmodum in demonstratione nostra super magni pulsus atq; vehementis descriptionem luculentius explicabitur. Concludimus igitur, quod aquæ in vase eleuatio siue aeris ibi contenti contractio est systole, eius vero depressio, seu spiritus inclusi dilatatio est diastole. Non aliter quidem actus caloris natiui accessione locum dare cogitur sanguis arterialis spiritui dilatato, & tum postea cessante eo frigus humiditati inclusum eleuat sanguinem per contractionem spiritus dilatati.

His ergo ita explicatis, quod æternus vitæ spiritus agat in pulsu per systolen & diastolen, cum testimonio sancto, tum oculari demonstratione explicatum habetis, & consequenter radix distinctionis prædictæ argumentis satis validis confirmata est. Iam ad primum pulsuum genus catholicum, videlicet ad naturalem & absolute æqualem sermonis mei filum conuertam.

Caput VI.

In quo pulsus naturalis compositio, & necessarius ad vitæ salutiferæ beneficium actus cum authoritate sancta, tum duplici oculari demonstratione indicantur.

ILle Dominus æternus qui est *animarum amator* (vt cum Salomone loquar) *& qui fecit omnia vt essent, & hominem creauit inexterminabilem*, quippe *quem ad imaginem sui ipsius formauit*, qui est ipsa iustitia, pax, & concordiæ, vnitatis atq; æqualitatis fons, & consequenter ad extrema, nisi fuerit prouocatus propter hominum iniustitiam recedere nequit. Ille (inquam) ob istam rationem vitæ legem & *mensura* æqualitatis, *numero* æqualitatis *& pondere* æqualitatis, hoc est æquilibrio iustitiæ instituit atq; ordinauit, vt hac ratione ipsa in vnitate symphoniaca disposita, ad nullum oppositorum extremorum atq; inter se discordantium à sua moderata temperie & constitutione appropinquaret, atq; ita per iniustitiam suam, hoc est transgressione sua contra legem iustitiæ aberraret à vitæ centro versus extrema mortis. Et quamuis vtriusq; extremi portio adsit ad compositionem medii, tamen legibus seu trutinis iustitiæ ita librantur vt vnum non excedat aliud aut mensura magnitudinis aut numero proportionis aut pondere substantiæ, vtpote in qua mixtione æqualibus amplexibus vnitur essentialis lucis diuinæ forma cum spirituali naturæ humidæ substantia, quorum tum postea ligamentum est amor ille vitæ igneus qui est elementorum vinculum. Hæc est ergo illa vitæ proportio harmonica & pacifica quam Dauid vocat *benignitatem Iehouæ*, hoc est ad nullum extremorum inæqualium respicientem, quam dicit esse *vitæ prolongationem*. Hæc est illa Dei visitatio, *qua conseruatur spiritus humanus* (vt ait Iob) *& qua vitæ benignitatem exercet Deus erga homines*. Hæc est iustitia illa, quæ est perpetua & immortalis, qua *sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, à qua si per iniustitiam hominum fiat versus aliquod extremorum excessus, succedit statim iniustitia in temperie, atque violatio proportionis *mensuræ, numeri & ponderis*, qua acquiritur *morbus, quem consequitur mors*, quæ est discors pacifici vitæ ligamenti corruptrix atque violatrix.

[Marginal references: Sap. 1.14. 2. — Sap. 11. 21. — Psal. 90.14. — Iob. 10. 12. — Sap. 1.14. — Sap. 1.14.]

At quoniam Iehoua rerum omnium dominus est, tam in vitæ perpetuæ constitutione, quam in iniustitiæ punitione seu correctione iustus, vobis reuelabo ego organa illa Angelica, quibus vtitur in vitarum tam regularium & proportionalium quam irregularium & à iustitiæ legibus versus extrema recedentium ministerio, quorum aliis quæ sunt bona, seu angeli boni, vitarum salutem commendat, aliis qui sunt quoad nos mali, vitas irregulatorum perturbat, & à statu mediocritatis seu æqualitatis in extremorum inæqualitatẽ atque intemperiem deducit. Illi ergo sunt ministri eius, ad suam exercendam vitæ benignitatem erga eos qui ei placent, hi vero ad iram & seueritatem eius in impios effundendam sunt ordinati. Hoc ergo in loco de Angelicis vitæ sanæ custodibus, & tum postea de stellis ad vitæ præseruationem propriis, & de ventis & plagis mundi ad vitæ mediocritatem adaptatis. Denique in vltimo loco demonstrationes cum physicas, tum musicas vitæ mediocris statum confirmantes, quo in vitæ æqualitatis mysterio melius informemini, producam.

In pluribus operum meorum præcedentium locis declaraui, quod iuxta Cabaliſtarum ſenſum ex decem illis nominibus Dei à proprietate aſſignatis duo obſeruantur eſſe inſignia quæ ad Dei clementiam & benignitatem ſpectant, totidemque duplicem ipſius in ira & ſeueritate ſua exprimunt proprietatem extremam: de duabus proprietatibus ſuis quibus clementiam atque benignitatem ſuam exercet coram hominibus, atq; de nominibus & Sephirotis iis adſcriptis hoc in capite paucis: de illis vero ad vindictam pronis in *capite ſequenti* ſtylo vberiori diſcurram. Ex nominibus Deo ob clementiæ ſuæ proprietatem aſſignatis. In primo loco *El* apud Hebræorum peritiores vſu venit & reputatur, vtpote quod ad vitæ atq; etiam facultatis naturalis præſeruationem & generationem ſpectat. Eſt enim *El* ſecundum omnes miſericordiæ nomen: atque ob iſtam rationem Sephirota ſeu porta lucida per quam effundit ſuos effluxus appellatur *Cheſed* Hebraicè, quod clementiam ſignificat, vt pote per quam influxus gratia, vita & benignitate pleni deſcendunt ad ordinem Angelorum dominationum, atque ibi commendantur præſidi ſtellæ Iouialis, quæ ob iſtam rationem dicitur ſydus fauſtum, & fortunium maius, quippe vitæ & naturæ creaturarum beneficū. Sub iſto igitur ſunt & præcipue comprehenduntur Angeli illi humidi radicalis cuſtodes, & ob iſtam rationem influxus Iouis cognoſcuntur eſſe ſalubres & vitæ benefici.

Secundum clementiæ nomen Sephiroticum eſt *Eloah*: atque in iſta ſua proprietate effundit dotes gratiæ atque vitæ per portam lucidiſſimam *Tiphereth*, quæ ſignificat gratiam, pulchritudinem & ornamentum, vſque ad ordinem Angelorum virtutum: atque ibi *Michael* eos accipit influxus vitæ, & in regnum ſuum ſolare conducit, à quo tum poſtea eos impluendo beneuolo & ſuaui vento Orientali, Subſolano videlicet, eos in elementum ſublunare ſeu ſpiritum aereum diſpergit. Atque hæc eſt illa ſancta *æternæ ſapientiæ emanatio, quæ poſuit tabernaculum ſuum in Sole*, de qua hæc Pſaltes. *Sol vitam & gloriam dans*, cuius influxus ſupercæleſtis: quoniam Michael eſt cuſtos & receptor atque diſtributor, ideo ipſe creditur à Cabaliſtis eſſe animarum cuſtos & propugnator aduerſus draconem antiquum pro defenſione vitarum, imo vero præponitur ipſe quaſi præſes digniſſimus Solis cæleſtis, quippe à cuius orbe vitam inferioribus creditur effundere, de quo Daniel hæc *Mi-*
Dan. 10. *chael princeps magnus qui aſtat pro filiis populi tui.* Et Apoc. *Et factum eſt prælium magnum in cælo*
Apoc. 12. 7. *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone & draco pugnabat cum Angelis eius, & ſuperatus,*
atque debellatus eſt draco vitæ hoſtis. Hinc ergo quod 7. reliqui fatorum domini ei ſubiiciuntur: nam iſte fuit ille Angelus magnus, *cuius oculi erant inſtar flammæ ignis; & zona eius aurea & facies eius micabat inſtar Solis, & tenebat in manu ſua 7. ſtellas ſeu planetas &c.* Inde intelligens, quod qui præſes eſt ſolis eſt dominus ſuper alios planetas & angelicos eorum præfectos: imo vero & quatuor ventorum cæli, atque intelligentiarum, quæ ipſis præſunt eſt imperator, & quaſi dux. Vnde in eodem capite. *Et quaſi vox, vt murmura multarum aquarum* Por-
Apoc. 1. ro alibi inuenitur. *Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, qui tenebant quatuor*
ventos terræ, ne ipſi flarent in terram vel in mare. Et vidi alium Angelum aſcendentem ab Oriente qui
Apoc. 7. *habuit ſigillum Dei viuentis, & clamauit alta voce ad Angelos quatuor quibus datum eſt nocere terræ atque mari, dicendo, Ne noceatis terræ, aut mari, aut arboribus, quouſq; ſeruos Dei in frontibus eorum obſignauerim, &c.*

Quibus liquet, quod iſte magnus atque imperans Angelus eſſet Michael, quoniam illi aſſignatur imprimis cuſtodia ſolis cæleſtis; atque tum poſtea quia ipſi iuxta ſapientum Hebræorū doctrinam adſcribitur ſuperintendetia & cura principalis plagę Orientalis, imo vero & cæteræ cæli plagæ ei ſunt ſubditæ: atque hinc eſt quod à philoſophis Soli datur eſſe naturalis vitæ ſedem, & dicitur à Platonicis *via* ſeu circulus *per quem tranſit ſphæra æqualitatis, & ſphæra animæ*, vtpote in qua credunt mundi animam præcipue mouere. Hinc etiam eſt, quod Subſolanus dicitur vitæ fotor & auctor. Atque vt humidi Iouis influxus atque etiam illi Veneris conducunt ad humidi radicalis ſuſtentationem & incrementum; ita quidem influxus Solis beneuoli ſunt calidi innati pabulum & fomentum; vel ſi vultis ad ſanguineorum vitæ productionem in moderata proportione beneuole coeunt Iupiter maſculus cum Venere fœmina; at vbi conflatur complexio calidior & cum maiori phlegmate, fit coitus Solis cum Luna. Vtcunque vero res ſe habet Luna eſt potens in humido radicali domina, ſed temperatur eius humiditas aquea cum illa aerea vel Iouis vel Veneris, & Sol eſt dominus caloris natiui, ſed mitigatur & melioratur æſtuoſa eius natura per ipſius cum influxibus aut Iouialibus aut Veneris coniunctionem, atque ita fit temperies æqualis, moderata & mediocris in pabuli vitalis mixtura, ita vt iuxta præſidentium vitæ iuſtitiam fiat vitæ compoſitio, quippe in qua ipſe, qui eſt iuſtus facit omnia vt eſſent & non
Sap. 2. vt interirent; quæ fecit: nam *Deus* (teſte Salomone) *non fecit mortem, ſed inuidia diaboli eſt*
Sap. 1. *mors introducta in orbem terrarum: eſt enim iniuſtitia mortis acquiſitio, atque iniuſtitiæ princeps eſt diabolus.*

Verum-

Verumenimuero Deus curam habet super iustos, ne vitæ eorum à mediocritate in inæqualitaté ab æqualitate malitia serpentis antiqui discederét, aut à suo statu mediocri versus extrema, vel nimia spiritus vitalis inflammatione atq; dilatatione vel cõgelatione, refrigeratione atq; contractione improuide aberrarent. Atq; ob istam rationẽ Angelos vitæ amicos ordinauit, vt vitas hominum curarent, ne à climate benigno salutis & temperata vitæ zona in illam morbosam aut torridam, aut illam gelidam, & frigore polari rigentem inclinarent. At ob istam rationem facit magnum Angelum Michaelem animarum defensorem ascendere ab Oriente, atq; prohibere ne aliquis maleuolorum dæmonum malum in terram vel mare inferret, quo vsque sigillo Dei viui obsignaret in frontibus iustos: Atq; iste Angelus infinitos bonos sub se Angelos habet, qui parati sunt pro salute hominum contra draconem cum quatuor suis antesignanis pugnare: nam dictus est *Michael cum suis Angelis præliari cum dracone*. Porro etiam ex plaga Orienti opposita, videlicet ex Occidente bonus Angelus *Raphael* quasi medicina Dei, & ad salutem semper ratione sui nominis inclinans suos bonos nuntios vitæ, in æquali & pacifica proportione humido radicali oneratos in viuentium beneficium emittit, vt possint harmonia æqualitatis tam in mensura & numero, quam pondere in campo aereo congratulari illis vitæ nuntiis calido solis innato plenis, quos emisit Michael ex plaga Orientali: atque ita ex beneuolorum vtriusque sectæ dæmonum mixtione vitæ subiectum conflatur iuxta iustitiæ leges, vtpote in cuius passiuo subiecto, hoc est humido radicali ex parte Occidentis seu Fauonii est mediocritas in humiditate inter duo extrema, videlicet ventum Australem & illum Borealem: ac etiam non minus incalescit iste humor, quoniam calor vnius extremi, videlicet Meridionalis contemperatur ab extremi oppositi frigore. At quoniam frigus Septentrionis excellit calorem Meridiei, ideo magis pollet spiritus iste Occidentalis frigore, vnde fit vt contractiuam retineat in se proprietatem. E regione in parte vitæ subiecti actiua, hoc est calido innato ex parte Orientis seu Subsolani est moderata in siccitate temperies, quippe in medio inter extremam siccitatem & caliditatem dispositus. Hinc ergo est, quod vt humidi Occidentalis est contrahere ratione frigiditatis suæ eminentis, vnde fit vt aerem meridianum contrahat in aquam; ita quidem virtutis Orientalis est dilatare subtiliando propter suam eminentem caliditatem & siccitatem, sed tamen non nisi moderate & naturaliter, quoniam eius calor & siccitas sunt in gradu mediocri ad instar naturæ solaris. At quoniam mensura, numerus & pondus humidi radicalis Occidentalis est æquale cum illo calidi innati Orientalis, atque æqualiter per minima mixtum, ideo contingit quod motus in systole seu contractione Occidentali, & diastole seu dilatatio Orientalis sint æquales. At si ab ista æqualitate lineæ æquinoctialis versus polos fuerit accessus, tunc quidem per excessum Borealem tardior, languidior, profundior, per illum Meridionalem velocior, vehementior, altior, crebrior, &c. Quod autem ad istam in vitæ symphonia proportionem præseruandam sint Angeli à Deo ob salutem hominum ordinati, ex istis paginæ sacræ locis accipimus.


Horum princeps est Christus spiritualis quem Cabalistæ intelligunt per Angelum *Metattron*; quem *præfectum vitæ vniuersitati faciunt*, & *principem aureum* vocant & *animam mundi*: hunc alii pro Michaele accipiunt, quippe qui est animarum defensor, Scripturæ æternam sapientiam, in cuius manu dextra sunt vita seu longitudo dierum, & *Iesum* seu Saluatorem cum animi tum corporis: hunc alii volunt esse *magnum illum Angelum* quem misit Iehoua pro salute Israelitarum, dum essent diuino mandato obedientes coram ipsis in desertum. Sub isto ergo Angelo summo sunt omnes alii Angeli, non aliter quam radii solis à sole dependent: de quibus textus diuinus hæc. *Ne timeto à timore nocturno, à sagitta volante in die, à peste seu caligine in nocte peruadente, à lue vastante in meridie, seu à dæmonio meridiano: plaga* *Psal.91.* *enim non appropinquabit ad tentorium tuum: nam Angelis suis præcipiet de te, & præseruabit te in omnibus viis tuis.* Et iterum: *Angeli in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidẽ pedẽ tuũ.* Ac iterum: *Angelus qui me vindicat ab omni malo, benedicat pueris istis.* Angelus Raphael mittitur à *Gen.48.* Domino vt Tobiam de cæcitate sua curaret, atque vt filium eius à malo præseruaret. Angelus Domini descendebat de Azariam, & socios suos pro vitæ eorum aduersus flammæ nocumenta præseruatione. Infinita de Angelorum istiusmodi tutelarium cura & virtute in vitarum humanarum præseruatione habent Scripturæ, quæ hoc in loco recitare tædiosum foret.

Hic vero intelligendum est, quod vt spiritus istiusmodi bonos vitæ administratores diximus, necesse est vt in sua compositione admodum sint iusti & æquales, & à lege lucida, mediante qua vniti sunt cum Deo qui est æqualitatis centrum, & à tali vnione non recedentes versus extremorum inæqualitatem.

Hinc dicuntur hi boni, iusti, puri, viuifici & pietate pleni, qualis est Deus in sua proprietate benigna, in qua nec nimis contrahitur nec nimis dilatatur, sed harmonia exacta in Diapason, vel saltem Diapente, chordis seu cõsonantiis vitæ deditissimis, quippe perfectis, resonat in corde animalium. Tales erant Angeli omnes ante lapsum, videlicet pace & concordia in Deo resonantes, & tales manent illi qui in innocentia sua steterunt ad hunc diem post portionis reliquæ defectum. Talis erat hominis vita, quæ de natura Angelica erat ante Adami lapsum, & tales sunt sanctorum & iustorum vitæ, quippe quorum spirituum vitalium vnio à piis & bonis vitæ custodibus in æqualitate præseruatur: nam sciendum est, quod Angeli à suo statu æqualitatis ideo sunt lapsi, quoniam lucidæ Dei legis limites sunt trangressi, atque ita tendentes ad extremum tenebrarum in inæqualitatis abyssum sunt submersi, & ab vnione diuina sic recedentes fiunt ex Angelis puris & mundis impuri & immundi, ex bonis mali, ex iustis iniusti, ex amabilibus virtuti vitali ei aduersissimi, ac denique vitarum quæ in æqualitate & mediocritate sunt positæ & consistunt. Hinc ergo non est mirum si inæquales sunt æqualitati contrarii: nam aut plus habent frigiditatis quam caloris, & aquei dicuntur spiritus; aut profundiori adhuc frigore atque tenebris immerguntur, adeo vt ipsis in odio sit vitæ æternæ splendor, & terrei atq; lucifugi nuncupantur, aut nimia sua ambitione cum Icaro Solis æterni thronum affectantes atque inhiantes ignea Dei ira accenduntur & inflammantur nimium, ita vt ardore suo destruant humidum vitæ pabulum, atque ignei dicuntur, vel in media inter naturam æqualitatis & extreme aqueam, & aerei nuncupantur. Sed de istis spiritibus in inæqualitate positis *capite de Pulsu insalubri* latius.

Concludimus igitur, quod motus spiritus vitalis radicalis sit exacte æqualis, prout Deus in prima creatione inspirauit in Adamum vas argillaceum spiraculum vitæ quod erat iustitiæ ipsius in omni respectu æquale, & trutinis Astrææ partibus ponderatum, propterea quod est spiraculum ipsius iustitiæ fontis atque radicis, qui est summe iustus, at spiraculum Dei minime in essentia eius est diuidendum: quare etiam & vitæ radix in se est iusta, æqua & mediocris, vtpote centrum tenens cuiuslibet rei, & tamen æqualiter se ad circumferentiam efferens à centro. Si quidem vt æterna sapientia (quæ est vitæ fons) emanat à patre per consonantiam symphoniacam perfectissimam, centrumque seu cor cœli occupauit: posuit enim tabernaculum suum in sole, qui suum in meditullio cœlorum, & in centro numeri septenarii sibi vendicat situm, atque ibi mouet in centro seu medio vnisono, constituens ex vnitate duas perfectas consonantias æquales. Sic quidem eadem prima emanatio quasi filius à patre procedens, in eisdem proportionibus influit in cor hominis, atque ibi vitæ in eo officio fungitur, ipsum per diapason materialem, & spissam siue grauem ex vno latere, hoc est contrahendo mouens, & ex altera parte per diapason seu perfectissimam consonantiam spiritualem & subtilem illud agitando. Sed vt hoc musicali experimento clarius detegamus, imprimis scire debemus, quod diapason sit omnium consonantiarum perfectissima, cui succedit diapente, & quamuis sit ipsa consonantia perfecta, est tamen talis in perfectione minori: est etiam & tertia consonantia dicta diatessaton, quæ est concors & grata, sed respectu aliarum duarum imperfecta dicitur. Diapason inuenitur in Monochordo, si chorda eius aperte percutiatur, dicitur sonus ille vnisonus, & refertur ad ipsum qui est vnum explicite & omnia complicite, vtpote Alpha & Omega. At quod monas ista emisit monadem, idque emanatione omnium perfectissima, testantur Scripturæ: at vero quatenus Deus est harmoniæ, concordiæ & vnionis fons, ideo aliter esse non potest quin vt exactam vitæ perfectæ emanationem, qua omnia voluit creare vt immortalia essent in perfectissima proportione & æqualissima harmoniæ consonantia; nam qui est in se perfectissimus in benignitate sua perfectissime agit: at perfectissima consonantia inter duo extrema, videlicet Alpha & Omega, medium ad amussim sibi vendicat, & tamen respicit ad duo extrema, videlicet tam ad Alpha quam Omega. Sequitur ergo, quod quatenus est medium seu centrum diametri, eatenus participat de vtroque extremo, sed æqualibus lanceis. Exempli gratia.

Hic



Hic chorda est A.C. quæ percussa facit vnisonum omnia, seu omnes tam consonantias quam dissonantias continens: haud aliter se habebat aquosa mundi materia, videlicet vniformis priusquam vlla separatio esset facta: a. emittente tum postea opifice verbum suum diuisio facta est aquarum in cœlos. *Verbo Domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnes virtutes eorum*, ait Psaltes. Quod autem sedes emanationis illius, seu verbi, vel spiritus ab ore Archetypi esset in medio cœlorum, sic probatur. Pone digitum tuum super chordam Monochordi, idque directe in medio ipsius, videlicet in B. & vtraq; medietas chordæ sonabit in proportione perfectissimæ consonantiæ, videlicet in diapason ad eius totum A.C. Hinc ergo certum & infallibile est quod emanatio ista diuina quæ est vnicum vitæ ornamentum & gloria emissa ab Alpha in Omega, posuerit tabernaculum & sedem suam in centro, vbi per vtramque semidiametrum quasi per spiritum pulsat vitæ diapason cum illo vnisono ex vtraque parte: at vero vt omnia sunt ex grosso & subtili in hoc mundo conflata, videlicet ex corpore & spiritu; ita quidem harum semidiametrorum diapason sonantium vna est corporalis, & ad grauiorem systematis musicalis proportionem refertur: nam vt videmus, quod spiritus, quo magis à terra sursum tendit eo est subtilior & clarior, sic aqua est terra subtilior, aer aqua, ignis aere, spiritus æthereus igne, &c. ita quidem si diapason spiritualis videlicet B. C. iterum in medio diuidatur efficiet altam diapason ad illam A. B.

Demonstratio hæc per figuram præcedentem patet.


In qua A.B. sonabit diapason ad vnisonum A.C. & B. D. sonabit diapason ad A.B. vnde liquet quod vt A.B. sonat diapason ad vniuersam mundi materiam A.C. ideo esse emanatio A.B. quasi anima animans vniuersum spiritum mundanum seu naturam mundi humidam, quæ cum sit emanatione sancta animata, quasi igne seu calore diuino, mundi anima dicitatur, à qua secundum easdem perfectionis proportiones tum postea inspirante illa emanatione sancta quæ posuit tabernaculum suum in B. consonantiam perfectissimam viuificatur homo quasi microcosmus: nam vt maior mundus conflatur & animatur ex duobus catholicis consonantiis diapason correspondentibus vnisono catholico, seu vniuersæ aquarum creaturarum moli videlicet ex A.B. & B.C. quæ portioni Monochordi respondent in consonantia diapason ad integrum A. C: ita quidem in iisdem proportionibus vita microcosmi D. per diapason in minori quantitate correspondet ad vnisonum B.C. ita vt vita humana in disdiapason sonat monadi radicali non aliter quam B.D. ad A.C.

His ergo demonstratum est aperte, quomodo vita exacte & ad pondus sana consistat in illa musica qualitatis proportione quæ constituit diapason, quæ vt est perfectissima consonantia, ita quidem aliter se habere non potest quam vt medium occupet inter duo extrema; sic posuit tabernaculum suum in sole mundum viuificans, sic posuit tabernaculum suum in corde humano, vniuersam eius fabricam æquali numero

4. Esdr. 16. mero, mensura & pondere mouens atque disponens: vnde Esdras: *Cor hominis fictor Deus posuit in medio corporis, immisit ei spiritum, vitam & intellectum:* hoc est; Deus monas ad mundum harmoniæ perfectissimæ legibus conflandum emisit filium seu emanationem per diapason, & posuit tabernaculum suum in sole, qui iterum per similem numero & mensura proportionem effecit hominem ponens & inspirans per suam emanationem afflatum vitæ in ipsius etiam meditullio videlicet corde: atque ita dixit Iehoua Moysi: *Ponam tabernaculum meum in medio vestrûm.* Et Apostolus: *Vos estis templum Spiritus sancti.* Leuit. c. 26.

Vt ergo videtis, quod totum monochordum ad mundi creationem per medium in duas diapason fuit diuisum, quare vna respondet ad materiam alia ad formam, nón aliter quam à F. vt ad G. sol, re, vt, facit vnam diapason, & à G. sol, re, vt, ad gg. sol, rè, vt, aliam: ita quidem illa materialis quatenus ex grauibus consistit à sursum ad deorsum, seu à cœlo ad terram vsque more rei grauis quasi contrahendo à circumferentia ad centrum tendit. At vero diapason illa ex acutis conflata contrarium facit non sursum quasi dilatando atq; penetrando sua acuitate quasi à centro circumferentiam petit: at vero ambo mouent & tendunt suis motibus seu tonis ad vnicam completam harmoniam. Non aliter etiam videmus quod spiritus cum actu vitæ in corde motionibus diuersis in systole & diastole constituit vnicam perfectam & completam vitæ harmoniam, se habens in proportione dupla videlicet vt 2. ad 1. ex qua diapason. Accidit tamen raro vt mortalium aliquis vita in tono seu consonantia tam perfecta & absolute æquali fruatur, nisi sit in pauco vitæ suæ spatio, & ista dicitur temperamentum ad pondus aut æqualitatis vitæ absolutæ, in quo statu procul dubio Adamus ante suum lapsum viuebat, quoniam sanabilis & immortalis erat creatus, videlicet vt semper esset.

Quod tamen hominis vita sit temperata, moderata, atque æqualis ad iustitiam, hoc quidem omnibus sanis accidit vita sana præditis: estque hæc vitæ æqualis harmonia in proportione sesquialtera constituta, videlicet se habens vt 2. ad 3. Atque ex ista proportione constat consonantia minus perfecta quæ dicitur Diapente: nam vt emanatio omnis tria considerat, videlicet fontem à quo, & spiritum per quem fit emanatio illa, & actus in vel circa medium, ita tametsi diapente nô sibi exacte vendicat medium chordę eas nihilominus partem tertiam occupare solet harmoniæ, tam cum exacte consonantia diapason mundi in sole à cuius scaturigine successiue vitæ pabulum haurit, quam cum toto monochordo quod vnisoni loco se habet: vnde factum est quod non dissonat, sed bene conuenit in sua proportione cum materia mundi & forma solari, tametsi harmoniam tam absolutam facit cû cæteris vtpote consonantia minus perfecta: Atque iste vitæ gradus dicitur æqualitas non simpliciter atque absolute, sed ad iustitiam: in hoc statu sic partiamur monochordum.




Nonnunquam euenit, quod sit quidam vitæ gradus in quo vt eius æqualitas non sit tam exacta, quam cum est ad iustitiam, tamen ideo sana dicitur, tametsi quodammodo eius temperamentum sit intemperatum, quatenus non excedit limites sanitatis, nam coincidit iste gradus cum temperata ad iustitiam: ac de isto gradu loquitur Galenus *lib. 1. de temp. cap. 1. & 3. aph. 2. & lib. de diff. febrium.* Atque iste vitæ gradus per illam musices proportionem quæ sesquitertia nuncupatur, & se habet vt 3. ad 4. atque ex ista proportione conflatur consonantia illa imperfecta dicta diatessaron, quæ inuenitur in monochordo diuidendo chordam ipsius in quatuor partes.

Sed



Sed hoc totum & meliori vulgaribus intellectu per speculum nostrum experimentale sic comprobamus.

Videmus quidem, quod quando aer est dilatatus, aut contractus, tanta vtriusque extremi mediocritate, vt non recedat in sua temperie à gradu mediocri 1. tunc quidem dicimus illam temperiem esse in proportione exactè æquali, facereque pulsus motum diastolem per dilatationem actu caloris ab 1. ad 2. D. atque iterum motum diastoles per contractionem à 2. D. ad 2. E. vnde videtis quod centrum tam diastoles quam systoles est 1. quod in eo comprobatur, quoniam quandoque quiescit aqua, & à motu est libera manebit super 1. Atque hac ratione apertis oculis videtis rationem & proportionem æqualitatis ad pondus, quam in consonantia diapason consistere dixi: nam vt in monochordi figura prima A. se habet ad C. ita se habet 2. D. ad 2. E. & sicut diapason æqualitatis inuenitur in B. medio, sic quidem pondus istius æqualitatis consistit in 1. æquinoctii. Hic iterum figuram instrumenti expressimus.



At vitæ æqualitas ad iustitiam non est tam absoluta ac est illa ad pondus, aut enim magis parumper vergit ad hemisphærium hyemale seu Boream, & tunc 2. E. erit medietas motus in systole & diastole, & tunc eius contractio erit à 1. ad 3. F. eius vero dilatatio ad 1. medium autem erit 2. E. siue 2. Septentrionalis aut hyemalis: atque hæc est æqualis vitæ phlegmaticæ seu sanguineæ albæ proportio, vt illa ad pondus est sanguineæ exactæ æqualis. Ex latere vero extremi oppositi 1. erit quies contractionis, seu systoles pulsus complexionis sanguineæ ad iustitiā siue sanguineæ nigræ, eius vero diastoles quies erit in 3. G. siue Meridionalis: medium seu centrum vtriusque erit 2. D. siue Meridionalis vel æstiualis. Atq; istius proportio se habet vt 2. ad 3. respectu centri motus, & sonat ad exactam vitæ æqualitatem, vt consonantia diapente ad illam diapason, in spiritu humano, qui chordæ Monochordi quam exactissime referri potest.

Denique illa vitæ æqualitas est minus absoluta seu imperfecta, est proportio graduum seu spatii q́ inter 2. & 4. cuiusq; extremi est positū: nam eius systolis quies erit in 4. H. seu semidiametri hyemalis vel Borealis, eius vero diastoles quies erit in 2. E. eiusdem diametri, centrum tam vnius q̃ alterius erit 3. atq; istā vitæ harmoniā imperfectā, vtpote quæ tametsi nec est magis nec minus perfecta, & tamen non tantū ad extrema ab æqualitate vergens vt excedat limites sanitatis, ad imperfectā musices consonantiā cōparamus, vtpote cuius est ꝓportio in chorda monochordi semitertia vt 3. ad 4. nā 3. est cētrū dimensionis tā systoles q̃ diastoles Borealis, efficiens vitā in qua prædominetur phlegma, aut melancholia qui humores sunt frigidi & Boreales. Ex aduerso in semidiametro æstiuali seu Australi 3. G. est centrum motus tam diastoles quā systoles pulsationis in complexione biliosa, quæ prædictæ proportione respondet, videlicet sesquitertiæ; cuius diastoles quies est in 2. D. & systoles in 4. I.

His ergo æqualitatis proportionibus fruitur vita sana, & si extra istas fit excessus, transit vitæ harmonia in discordantiam seu inæqualitatem, videlicet ratione nimii recessus à centro æqualitatis, hoc est, ab Æquinoctio versus inæqualitatis tam brumalis quam æstiualis extrema, de quibus *in sequentibus*, magis affluenter discurremus.

CAPVT VII.

De pulsu præternaturali, vel in nimia dilatatione, vel in nimia contractione consistente.

VT prædictæ pulsuum salubrium differentiæ, in æqualitatis salutiferæ limitibus comprehensæ secundum naturæ vitalis leges se habent, & concordiis Dei misericentis symphoniacis seu musices conditionis triplicis dignitate diuersis cōsistunt, hoc est aut ab æquatoris seu æquinoctii vitalis mediocritate, vel nullo modo vel non multum versus poli vel hyemalis seu septentrionalis, vel æstiualis seu Meridionalis, id est à centro æqualitatis seu mediocritatis recedit, vnde pulsus tales vocamus naturales; ita quidem more omnino contrario, vel saltem diuerso se res habet in eorum pulsuum differentiis quia mediocritate seu æquatore vitæ versus duos extremos seu polos, videlicet vel gelidum vel æstuosum salutis latitudinem corrumpendo recedunt; nam in talibus contra vitæ leges erroribus deuenit vitæ spiritus (qui temperatissimus esse debet) vel nimium æstuosus & igneus, atque ita patitur humidum vitæ radicale, & rapaciter deuorari videtur, secundum ignis magnitudinem, vel saltem nimium gelidus, & congelationi obnoxius, vnde fit vt calidum vitæ innatum opprimatur, & ob frigoris nimii dominium fere præfocetur. Ob istam ergo rationem tales pulsus dicuntur præternaturales, quoniam à moderato vitæ sanæ regno recedentes hostiles quasi limites ingrediuntur, in quibus hostium crudelium patiuntur insultus. Iam vero ad regnorum inæqualium descriptionem procedo, quorum inuasionibus tam grauiter & lethaliter afficitur vita humana.

Certissimum est quidem, quod Deus in conditione sua beneuola sit semper simplex & affabilis, ac benignitate sua in mediocritate quasi in centro sui ipsius operans & per benignam hanc suam proprietatem non aliter in mediocritate inter duas suas proprietates oppositas operatur quā æquator mundi inter duos polos situs temperatus est, & in vita æquali vtriusque extremi portione consistens: ita quidem Deus mixtione tutinis æqualitatis facta spirat ab Orientis puncto medio, videlicet mediante spiritu Subsolani calidum vitæ innatum, & pariter à puncto opposito videlicet mediante Fauonio humidum radicale, quorum vnione per minima fit vitæ sanæ spiritus. Atque vt antea diximus, hæc est ratio, quod hi venti vt plurimum pro salutaribus temperatis & vitæ amicissimis

simis habentur. Hinc ergo est, quod sol per istam regionem æqualitatis, videlicet per punctum ♈ & ♎ transiens facit tempus seu statum anni verr ale & autumnale, in quibus non modo dies & noctes sunt æquales, sed ipsius veris temperies vitæ quam simillima. Vbi vero Auster vel Boreas, vel venti eorum collaterales spirant, ibi quidem ista æqualis aeris temperies à Subsolano & Fauonio facta inuasionibus hostilibus illorum commaculatur, quippe quorum si septentrionalis dominatur, tunc æqualitas frigore opprimitur, & præfocati quasi videbuntur viuifica vitæ seu Subsolani & Fauonii seminaria: è contra si Meridionalis afflatus dominium habuerit, tunc iusto æstuosiora, molliora, fluxiora, & corruptioni obnoxiora videbuntur practica vitæ seminaria, & in flammam cito gratia corruptionis vertibilia; quod quidem omne habet à proprietatibus illis contrariis, videlicet contractiua vel dilatante, quas Deus assignauit Angelis illis primariis quibus ventorum horum dominium assignatur. Hinc dicit Tedacus Leui *in lib. de* 10. *Numerationibus*, quod *Angelus Michael, qui est de parte clementiæ ac miserationum constituitur Mammona, id est præfectus super ventum Orientalem:* at dicit *quod ventus Occidentalis regatur ab Angelo Raphaele, qui similiter est ex parte clementiæ.*

Quibus innuere videtur quod isti duo ventorum Orientalium & Occidentalium præfecti sint vitæ & sanitati creaturarum deditissimi. Tunc sic pergit: *Gabriel in virtute iudicii & seueritatis præfectus est venti Borealis, Noriel vel Vriel præsidet Austro qui est itidem ex parte seueritatis.* Quibus liquet, quod Deus per proprietatem suam frigidam borealē & contractiuam mouet organum suum Angelicum Gabrielem ad seueritatem suā exercendam in spiritu mundano; vnde dixit Psaltes coram frigore eius quis consistit? quoniā destruit hic flatus congelatione vitam humanam, & consequenter mediocrem aeris in afflatu æquali Orientali & Occidentali temperiem, ipsum à sua temperata & sanguinea dispositione in niues, pruinas & gelu coarctans. *Flante Deo*, ait Iob *concrescit gelu.* Similiter per proprietatem suam æstuantem & nimium dilatantem mouet igneum suum Angelum Vriel ad seueritatem suam effundendam in campo aereo tam mundano, quam humano; vnde Abakuk *Deus ab Austro venit, operuit cœlos gloria eius ante faciem eius ibit mors, anteiuit ipsum pestis & lues vastans in Meridie, &c.* Hoc est morbi æstuosi, putridi atque pestiferi: nam istiusmodi afflatu vitæ temperies dissoluitur, attenuatur nimis, & per apertionem atque dilatationem pabuli vitalis relaxantur spiritus, & corruptionem Meridionalem in ipsorum compositionem furtim irrepere sinunt vel saltem coguntur. Hinc ergo pulsuum æqualium in inæqualitatis statum ingrediendi atque cōmutandi occasio: hinc concordiæ atq; vitæ humanæ in discordiam migrandi ratio; videlicet quoniā Deus in seueritate sua flans ab Austro vel Borea corrumpit illam vnionem quam benignitate sua benignorum ventorum afflatibus composuit ad vitæ pabulum & refectionem. *Abakuk.* 3.3

Sed & heus vos ô Galenistæ atq; Hippocratici! Nonne videtur vestri præceptores hoc idem in suis scriptis asseuerare, tametsi rationem illius ipsorum assertionis reddere haud potuerunt. Ostendatis si possitis rationem, vbi accusant vel ventum Orientalem vel Occidentalem pro eorum intemperie. Certe nusquam, quod scio, culpant hos ventos cardinales: at affirmant ipsos esse morborū authores. At vero de cæteris duobus ad seueritatem creatoris vt plurimum inseruientibus haud aliter iudicant: nam de ipsis atq; imprimis de Aquilonari simplici hæc.

Quotidianæ constitutiones Aquoloniæ densant, aluos exiccant & oculos mordent, pectoris dolores augent, horrores producunt, vrinæ difficultates pariunt, & costarum dolores. *Aph.* 3.17. *Aph.* 5.3. *Aph* 3.17.

Quotidianæ Austrinæ constitutiones dissoluunt corpora, humectant, auditum hebetant, capita aggrauant, vertigines faciunt oculis & corporibus difficilem motum præstent, & pigros faciunt, aluos reddunt humidas, caliginem oculorum pariunt. *Aph.* 3.5. *Aph.* 3.6. *Gal. in Aph.* 3.

Quando huiusmodi tempestas præualuerit talia in morbos expectare oportet. *Aph.* 3.17.

In temporibus magnæ mutationes vel caloris vel frigoris, vel alicuius alterius, vt humiditatis, siccitatis ventorum, aut horum defectus. *Aph.* 3.5. *Aph.* 3.12.

Aquilo est in temperie sua frigidus & siccus, Auster calidus & humidus, atque admodum æstuosus, & putredinis parens.

Vento nullo flante, & Austro flante fiunt genitalium putredines.

At concursu etiam seminariorum horum ventorum quamplurimos morbos ex humorum contrariorum mixtione conflatos procreari fatentur in his. *Aph.* 3.11.

Si hyems fuerit sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe, æstate facient febres acutas lippitudines & dyssenterias. Si hyems Australis & pluuiosa & clemens, ver siccum & Aquilonium fuerit, mulieres grauidæ ex quacunque occasione abortientur, cæteris vero mortalibus dyssenteriæ & lippitudines siccæ fient, senibus autem distillationes quæ cito interiment. *Aph.* 3.12. *Aph.* 3.13. *Aph.* 3.14.

Si æstas fuerit sicca & Aquilonia, autumnus vero Australis & pluuiosus, dolores capitis ad hyemem fient & tusses raucedines atque grauedines, quibusdam & tabes.

Autumnus Aquilonius & siccus iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus confert: reliquis vero erunt lippitudines sicca & febres acuta & grauedines, nonnullis vero & atra biles.

Infinitum quidem foret morbos hoc in loco recensere, quos isti duo venti vel per se ad partes vel mutuo in varia proportione producunt, videlicet pestes, apoplexias, lethargias, febres putridas & extreme ardentes, sed quoniam vberrime de istis *lib. 2. de morborum differentiis* egimus, vos ad illum librum referam.

Porro etiam ibi clarius percipietis, quos humores producunt isti venti, non multum, sed paucis de iis hoc in loco discurram.

Gal. in 3 Aph. 7. *Morbi pluuiosis temporibus magna ex parte fiunt febres longa, nam aeris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores & non paucas generat aquosas humiditates: siccitas vero pauciores efficit humores, sed qualitate biliosiores, & ob istam rationem febres sunt rariores quam pluuiosis temporibus, sed acutiores.*

At certũ est tẽporũ mutationes in cõditionẽ pluuiosam vel nõ pluuiosam cõsistere in ventorũ afflatibus: nã vt Meridionales venti ꝓducũt pluuias, sic Aquilonares tẽpora sicca.

Aph. 3. 16. *Morbi in pluuiarũ magnitudine sunt magna ex parte febres longa, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexia & angina: in siccitatibus tabitudines lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrina, difficultates intestinorum.*

Gal. in Aph. 12. l. 3. Galenus super hunc sic. Quoniam figura & pituitosi humores ex multitudine pluuiarum longa concoctione indigent, &c.

Quando hyems est Australis pluuiosa & clemens, ver autem siccum & Aquilonium, tunc pituita salsa generatur, qua mordicans & abradens intestina facit dysenteriam.

In Aph. 3. 13 *Pituita qua à forti frigore fit acida euadit, qua vero à caliditate replente caput salsa, qua à pauca fit frigiditate vel dulcis est vel insipida.*

His igitur tanq̃ fundamentis collocatis videl. ꝙ ũ ipsi morbi tum humores, qui sunt morborum bases, ex ventorum tã simplicium q̃ mixtorũ proprietatibus proueniant. Quis obsecro, nostrorũ Galenicorũ vel Hippocraticorũ iuste negare potest, imo vero non obstinaciter nobiscũ asseuerare ꝙ pulsus tã naturales q̃ præternaturales non ꝓcedant à ventis, præternaturales dico, vtpote qui sequuntur morborum conditionem: nã ait Galenus: pleuriticorũ pulsus est crebet nec admodũ magnus, empyematicorũ nonnunq̃ inæqualis & inordinatus est, sed omnibus magis hecticus. At cũ pus erumpit est languidior, latior, tardior, rariorq;: marcescentiũ languidus, celer, mireq; creber: phthisicorum paruus, languidus, mollis, celer & hecticus. Atq; hi sunt morbi de putrido Meridiei afflatu participantes. Lethargicorũ est tardus, rarus, inæqualis, vtpote intermittens potius vel intercurrens: phreneticorũ paruus, moderatus in vigore, durus, neruosus, mire celer; conuulsorũ cõtactus vehemẽs magnus: paralyticorũ paruus, imbecillus, tardus: anginosorũ magnus & vndosus, & sic in cæteris. Si ergo ostendat morbi conditionẽ tũ quidẽ certũ est ꝙ exagitetur pulsuũ horũ præternaturaliũ actus à ventorũ seminariis, à proprietatibus Dei Angelicis in aerẽ cõmunẽ inspiratis, & deinde vel per nutrimentũ in ventriculũ attractis, sed præcipue ab aere circũambiente p asperã arteriã, vel p nares in cerebrũ, vel p poros in solida inspiratis, sed præcipue p pulmones in cor introductis, quæ alterant spiritus vitalis statũ secundũ aut simplicium aut cõpositorum ventorũ dominantiũ naturas, siue magis in cõtractione, siue in dilatatione magis sint fortes & agiles, nã si horũ ventorũ, vel eorum seminariorũ præsentia in aere mundano multiformia generentur meteora vel densa opaca & aquea seu terrea, vt nubes, nix pluuia, grando, gelu, quæ ex parte cõtractionis Borealis sunt, vnde eorũ meteororũ alia magis tarda sunt in suo motu, vt nubes, grando, pluuia vel subtilia inuisibilia, & cõsequenter admodũ mobilia, vehemẽtia & volatilia, aut ignea & vrentia, vt ventus, fulgura, cometæ, vapores tenues, quæ ex parte ventorũ dilatantium existunt: nõ est quidẽ mirũ si spiritus humidus alteret suũ statũ naturalẽ, tam in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, motu, quantitate, & cæt. illius generis, cũ occulte in se habeat dictorũ ventorũ seminaria quæ talia meteora cũ visibilia, tum inuisibilia, tũ incorporeũ, in spiritu procreantur, quæ nos morbos appellamus; non aliter alterantes statum spiritus vitalis in homine quam meteora illam aeris in mundo.

Verũ hoc quidẽ ex apertissimo & manifestissimo Galeni sensu cõprobabimus. Ipse fatetur cũ suo Hippocrate ꝙ ventorũ afflatus vel in frigore, vel in colore magnos ꝓducãt in aere mutationes, & secundũ naturã illarũ mutationũ magnos ẽt morbos ꝓcreari dignoscantur. Quare certũ est, ꝙ frigiditatis fons sit in septentrione tã iuxta Galenum q̃ paginæ sacræ testimonia, vt & caliditatis à Meridie & Oriente. At agnoscit Galenus *lib. de præsag. ex pulsib. c. 1.* calorẽ sibi peculiares ex sua parte vendicare pulsus, vtpote ex cuius intẽperie, & consequenter ex nimia dilatatione ꝓcedunt pulsus magnus, celer vehemens & creber: ac si dixisset, intemperies venti Meridionalis dilatantis tales ꝓducunt in quãtitate & motus qualitate pulsus. At è regione cap. eiusdẽ 2. denotat illas pulsuũ differentias, quę intẽperiei frigidæ

frigidæ ſeu ſeptentrionali &occidentali ſubiciuntur: nā ibidē ait ꝙ intemperiei frigidæ pulſus ſunt paruus, tardus, rarus inæqualis vibratus, bis feriens, &c. Porro *in c. eius 2. & 4.* de morbis & pulſib. eos cōcomitātib. agit, qui ex inæquali vtriuſq; naturæ cōmixtione fit.

Concludimus ergo imprimis, quod vt æqualitas naturalis pulſus eſt ſecundum vitæ naturam, ita inæqualitas eiuſdem eſt præter naturæ leges, & conſequenter talis pulſus recte dictitatur pulſus naturalis. Deinde quod pulſus naturalis fiat ex mixtionis duorum ventorum ſalutarium actione, in qua conſiſtit vitæ æqualitas. Deniq; quod ille inæqualis conflatur vel ex nimia dilatatione Orientali vel Meridionali, vel cōtractione Septentrionali & Occidentali, hoc eſt ex inæquali ventorum extremorum ad ſeueritatem inclinantium commixtione. Non ergo inepte diximus quod *Æternus vitæ ſpiritus agat in pulſu per ſyſtolen & diaſtolen*, vel naturaliter, videlicet æquali proprietatum Dei extremarum in vnum quaſi concordiæ ſonum menſura, numero & pondere conſonantem; vel preternaturaliter per receſſum temperiei vitæ à mediocritate ad aliquod extremorum, videlicet Meridionale ſiue dilatans, vel ſeptentrionale & contrahens. Iam vero ad pulſuum dilatationis ſiue Meridionalis & Orientalis differentias in primo loco me conferam.

CAPVT VIII.

De quantitatis, temporis, ſubſtantiæ, roboris, &c. pulſus, cum Meridionalis ſimul & Orientalis, tum Septentrionalis, & Occidentalis ratione, & quomodo eiuſdem ſpecies oculariter demonſtrari queant.

DIcit Galenus, *cordis calor variat*. eſt enim duorum generum, aut ſcilicet à putridis genitus humoribus, cuius acris qualitas eſt formoſa, aut cum humiditatis defectu: ita quidem nos efficimus præternaturalem pulſum à nimio dilatationis ſiue accenſionis actu aut Meridionalem, cui origo eſt ab aere putrido ſeu corrupto, quippe quem ab afflatu Meridionali prouenire teſtantur non modo Galenus atq; Hippocrates, verum etiam ipſum ſcriptum ſacroſanctum: nam quoniam neceſſe eſt vt ad omnem putrefactionem ſeu corruptionem humidum cum calore concurrat, & quoniam hic ventus eſt ſolummodo calidus & humidus, liquido conſtat quod hic ventus ſit putredinis fons & origo afflatus ipſius contagionis & infectionis initium. Hinc dixit Propheta, *Deus ab Auſtro venit, operuit cælos gloria eius, anteiuit ipſum peſtis & lues vaſtans in Meridie.* Quo arguitur, quod Deus flans in ſeueritate ſua Meridionali parit putredines contagioſas, vtpote dæmonii Meridiani ſeminaria putridi vndiq; per aerem diſperſa: vnde iſtum locum interpretatus eſt Hieronymus, *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Et Dauid, *Ne timeto à Lue vaſtante in Meridie*, vel vt Hieronymus habet, *ab occurſu & dæmonio Meridiano*. Eſt ergo mediāte Angelo Meridiano, quod Deus ſeueriter putrefactione agit contra habitatores terræ. Atq; iſta putredinis ſeminaria vocat Iob ſagittas omnipotentis, quibus inficit Deus quandoque aerem, vt tum poſtea per aerem ita corruptum ſpiritus etiam vitæ hominum inquinari poſſint. Hinc eſt quod Iehoua legis ſuæ fractorem huiuſmodi verbis minatus eſt *Percutiam te aere corrupto ac rubigine &c.* Et *alibi* ſic Salomon, *Si aer corruptus fuerit in terra vel aliis in domo iſta.* Qualis ergo erit natura huius venti, talis et natura pulſus qui ſeminariis eiuſdem agitatur. At ventus iſte eſt admodum æſtuoſus, quare pulſum contactu calidū, eſt mollis quare & pulſum mollem, eſt diſſolutus, quare & pulſum laxum facit. Similiter propter magnum ipſius calorem pulſus celer eſt & admodū creber: at ſi robur virtutis ſimul adſit pulſum facit magnum & vehementem. Vtcunque ſit, quatenus eſt ventus putrefactionem parturiens, facillimum erit credere quod omnium corum pulſuum eſt author qui ſequuntur morbos à putredine ortos, idq; iuxta gradus in quibus calor ſeminariorum putridorum ſuperat cruditatē materiæ humidæ attractæ, non aliter quam pomum & fructum in ſua maturatione à forma in formam, & à gradu in gradum variari cernimus. Sic in empyematicis pulſus eſt inæqualis & inordinatus, vt teſtatur Galenus, at cum pus eſt prope maturum, æqualior eſt, verum cum erumpit pus, languidior, latior, tardior, rariorq;. Pariter marceſcentium pulſus eſt hecticus & creber: pleuriticorum creber & celer & non adeo magnus, non nimis vehemens, nec languidus nimis, quoniam vt plurimum in pleuriticis robuſtior eſt virtus: at vero in phthiſicis paruus, languidus, mollis ſiue atq; modice celer & hecticus, & ſic in cæt. morbis Meridionalibus. Verum enimuero, quo magis accedit natura Meridiei ad Orientalem conditionem, eo quidem quantitate longior, latior & altior erit pulſus, præcipue vbi vires nimium non deficiuntur, quoniam quo fortior eſt calor modo ſi humidum naturæ reſpondeat, eo magis extenditur humiditas, & conſequenter viuacius in longum, latum & altum eleuatur ſeu diſtenditur pulſus: quare à quatuor digitis facillime tractatur, quemadmodum mediocris à tribus tantum, vt & paruus non niſi à duobus, quæ quidem degradatio accidit ob maiorem vel minorem calorem & virtutis incrementum vel decrementum. Hinc ait Galenus, *Magnus pulſus qui ex trina illa dimenſione conſtat, non requirit tantum calorem excellentem, ſed & facultatem validam* Atque hoc idem de pulſu lato & alto eſt dicendum.

Præſag. ex pulſ l. 3. c. 2.

Pſalm. 91.

Deut. 28.

1. Reg. 8.

De pulſ. ad tyron. c. 14.

Altus.

Longus.

Latus.

De præſ. l. 3. cap. 2.


Magnus.

Horum pulſuum quantitatem ſic demonſtramus.

Fiat ex re aliqua fibroſa quæ facile diſtendi atq; contrahi poſſit, vt potc ex veſicæ ſubſtantia vel chartę pergamenæ madcfactę canalis ſeu tubus ad inſtar colli matracii vittei, ſirq; A. B. cuius extremitas A. affigatur arcte ad vaſculum vitreum C. D. videlicer orificio ipſius C. porro ligetur aliud tubi orificiũ B. filo, ita vt aer ex nulla parte aut ingredi aut egredi poſſit: tunc dicimus quod cum aer denſus rarefactus ampliotem rcquirat locum quam cum eſſet in ſpiſſa ſua natura, ſi vas vitreum igne calefiat neceſſe habemus credere quod aer in vaſe ſeu phiala rarefactus ampliorem requirens locum impleat, atque in latum, longum & altum extendat laxum illum tubum: at ſupetueniente iterum frigore vt iterum contrahatur neceſſe eſt, quoniam aer frigore condenſatus contrahit eandem ſui corporis portionem caloris dilatatione antea diſperſam. Hoc quidem euidenter in ſpeculo meo experimentali indicatur, quia eadem eſt ratio depreſſionis & cxaltationis aquæ in collo vitri.

Figura eſt talis.

Longus.
Latus.
Altus.
Magnus.



Deinde refrigerato vaſe C. D. iterum contrahetur vt antea tubus, & ex longo, lato & alto, & conſequenter cx magno qui ex trina dimenſione conſtat, fit vel mediocris, ſi mediocris & moderata adſit frigiditas, vel brcuis, ſtrictus, & profundus, atque conſequenter paruus vbi aderit frigus immoderatum.

Temporis autem celeritatis atque velocitatis in motu pulſus tam Meridionalis quam Orientalis ratio eſt huiuſmodi, videlicet quoniam calor vltra æqualitatis menſuram cordis temperiei accedens, & per ſeminaria ventorum æſtuantium ad ſpiritus pertingens vitæ, eos quidem

quidem accendit subtiliando; at aer subtiliatus est magis obediens actui caloris, tum gratia tenuitatis suarum partium, vnde fit vt non tantum valeat caloris actui resistere ac solebat in mole densiori, tum propter dominium caloris qui in eo fortius & citius agit quo intensior, nihil enim igne mobilius: quare sequitur quod aer etiam ob suam tenuitatem reagat velociter & celeriter, vtpote qui in sua consistentia proportionaliter adaptatus est ad caloris agentis mensuram, quare vt pariter agat & reagat per diastolem & systolen necesse habemus credere. Hoc autem ex speculi experimentalis intuitu facile comprehendi potest: nam certũ est quod aer hemisphærii hyemalis à 2. E numerando vsq; ad 7. sit eo difficilior, & consequenter tardior in motu quam ille qui extẽditur extra 2. hemisphærii æstiualis ad 7. vsq; tum quia spissior est & grauior in sua consistentia, & difficilioris per consequens motus, tum quia caloris in eo hemisphærio actus est obtusus, atq; à frigoris præsentia in sua actione impeditus: nam tametsi non sit difficile vni homini currere seu moueri velociter cum paruo onere, tamen quando magnum pondus siue onus ei imponitur non potest tantũ properare, nec tanta velocitate moueri propter ponderis grauitatem resistentem: atq; hinc fit quod in morbis frigidis pulsus sit tardus seu lentus, videl. propter dominium frigiditatis in spiritibus atque humoribus. Cõcludimus igitur quod vt aer in matracio inclusus quo magis à calore dispergitur & deorsum per suam subtiliationem detrudit aquam, eo acutior & tenuior redditur, & consequenter eo citius à calore vehi & moueri potest: haud aliter res cum spiritu in tubo arteriali se habet, tũ quia fortior redditur calor agens, quare & velocior eius actus, tum quia magis obediens factus est ad recipiendas actionum illarum impressiones. At vbi frigus dominium in spiritum habet, ibi spiritus condensatur, & per condensationem rebellior fit actui caloris. *Velox. Celer.* *Tardus. Lentus.*

Ad motum crebrum quod spectat eadem quidem via fit qua motus celer & velox, præterquam quod aer seu spiritus est magis fumosus, vnde magis Meridiem spectat, vt ille Orientem: sunt vero ambo hi pulsus euidentis caloris indicia. Ex aduerso vero pulsus rarus accidit vbi spiritus ille fumosus occupat dispositionem Occidentalem, vt tardus Septentrionalem: horum autem ambo, videlicet cum tardus, tum rarus, arguunt spirituum vitalium contractionem.

Pulsus denique mollis non ab arteriæ mollitie solummodo, vt Galeni est opinio, vt vice versa nec à duritie, sed à qualitate venti in spiritibus prædominantis, verbi gratia, ab omnibus æstimatur Boreas pro vento duro, quia constringit & indurat, vt è regione ventus Australis ea emollit (tanta est eius natura mollitiei) quæ Boreas indurauit, nam quæ Boreas indurauit videlicet niues, grandines, gelu, &c. hæc Auster fluere facit per ventum, vt testatur Dauid. Dicimus ergo quod dominio venti Australis molliores & laxiores redduntur res, iuxta Galeni sententiam: cur igitur non reddatur arteriæ corpus laxius dominante eo afflatu, cum teste eo, ventis Australibus corpora laxentur? Nonne è contrario agnoscit ipse quod flante Aquilone, constringuntur corpora & aluus, &c. Quod si ita sit, cur non fiat pulsus durior, cũ gratia cõstrictionis fibrarum arteriarum à frigore, tum ob euidentem spirituum condensationem? imo vero quandoq; in morbis qui ex ignea vel Meridiei vel Orientis vi cum illa Septentrionali terrea, vel illa Occidentali aquea sunt mixti, contingit talis pulsus durus, videlicet vbi frigoris vis excellit subito igneam virtutem, atq; ita naturam igneam altum petere & locum sibi dare compellit: quemadmodum ego experientia doctus vidi, nam in Balsami ex oleo, terebinthina & gummi confectione, cum ignis esset aliquantulum calidior quam par erat, suscepit mixtio liquefacta flammam, quam vt extinguerem inieci aquam frigidã: hoc facto subito euolabat flamma in altũ, & more ignis volatilis & fulguris in obscura nube migrabat per tectum domus atque per fenestram exibat, manente interea liquore extincto. Hoc accidere videmus in extreme febricitantibus, in quibus cum vrinam subito ab intensissima in remissam mutatam sine pulsuum in melius mutatione cernimus, tũ ægrum phreniti di proximum esse prognosticamus, in quo statu ob frigoris insultus pulsum videmus esse quandoque durum. Hoc fatetur Galenus in his. *Phreniticorum paruus pulsus, durus & neruosus, mire est celer & creber, habet præterea nonnihil vndosi, &c.* vnde mixtionem, & contentionem inter duo opposita arguit. At si sola durities consisteret in arteriæ compositione, tunc cur non semper maneret talis pulsus durus; at si sic, tunc cur diceret Galenus quod in hoc morbo taliter pulsus se haberet? nam illa ratione pulsus in quocunq; eiusdem patientis morbo durus inueniretur. Ex quibus, vt mihi videtur, Galenus sibi in sua pulsus duri & mollis ratione non constat: nam per præcedentem demonstrationem indicatur quod quo magis extenditur tubus eo durior euadit, atq; etiam quod quo magis induratur aut contrahitur aer, eo tangibilior & contactu euidentior euadit. At iam ad illum accedemus pulsum, quem Galenus putat prouenire à robore virtutis; & certe in eius explicatione verbis haud paucis vti licebit, quippe in qua magnum patefiet quam clarissime mysterium. *De puls. ad tyr. c. 14.*

Pulsum

Pulsum vehementem & fortem ait denotare virtutis robur, debilem vero & languidum eiusdem virtutis debilitatem. At nihilominus hoc certum est quod in spiritibus calore tum Meridionali in Orientali accẽsis talis sæpius pulsus reuelari soleat. Vnde igitur hic calor quem præternaturalem & aduentitium vocant? Anne ab illo dante robur & virtutem vitæ variam & diuersam? quoniam Galenus facit differentiam inter vnum actum & alterum, & consequenter duos distinctos facere videtur calores, vnum ad vitam corroborandam, aliũ ad illã destruendã: & tamen nihilominus in alio loco agnoscit quod febris naturalis sit nihil aliud quam caloris natiui in ardentiorẽ mutatio: & quidem bene dixit si quid dixerit intellexisset recte. At ego ostendam quid scripturæ hac in re expresserint. Certe ignis vitæ atq; etiam omnes aliæ luces à mundi anima sunt ortæ, & ab ipsa nutriuntur, & per consequentiam in Dei (cuius solius est operari omnia in omnibus) manu sunt iuxta voluntatem suam vel intendere in punitionem, vel remittere in beneficentiam: nam, vt superius dixi, Deus qui in seipso est iustitia & æquitas potest intendere se iuxta binas suas proprietates à centro quietis ad circumferentiam vehementiæ, motus & perturbationis. Si ergo ipse qui est rector vitæ humanæ & flammæ ipsius actus vult cum ira accenditur vltra æqualitatis metam se extendere, efficit quidem vt eadem vitæ flamma quæ est vitæ author à benigna illa sua dispositione in
Sap. 16. seueritatis proprietatem euadat, atq; ita fit causa morbi & mortis. Hinc dicit textus, *Ignem mitefacit Deus, ne comburat*, modo Deus facit ignem ardere inter aquam, vt terræ iniustę fœtus corrumpat: nam creatura tibi qui fecisti omnia inseruiens ad punitionem seu tormentum contra iniustos intenditur & exardescit & remittitur ad beneficẽtiam pro iis qui confidunt, &c. Quo videre possumus, quod eadem vitę flamma quatenus à Deo (qui est eius actus) irascente, qui tunc dicitur ignis consumens, intenditur in tormentum, & tum postea pœnitentia ægroti remittitur in statum æqualitatis suæ; nam idẽ vitæ pabulum spirituale potest contaminari seminariis seueritatis, atq; iterum in bonitatem & beneficentiam conuerti diuino
Iob. 20. 23. regimine. *Cum impius* (inquit Iob) *esset impleturus ventrem eius in eum Deus æstuantem iram emit-*
Exod. 23. 25. *tit, quam impluit in eum loco cibi eius.* Quare Moyses ait: *Colito Iehouam qui benedicet pani tuo & amouebit quemuis morbum è medio tui, &c.* Vnde liquet, quod idem vitæ pabulum per maledictionem conuerti in malum, & per benedictionem iterum in bonitatẽ reduci possit. Nonne optime in eo de hac re instruimur, quod bonus ille Angelus quem Iehoua misit ante Israelitas in desertum vt ipsos à malo custodiret quandoq; ipsis inobedientibus malus & mortalis redderetur, ita vt morbis quam plurimis ipsos afficeret, imo vero aspectu ipsius igneo quasi fulgure ex ipsis nonnunquam permultos exanimaret. *Nolite*, (inquit Iehoua) *exacerbare eum quoniam non feret defectiones vestras, quia nomen meum est in eo:* ac si dixisset, nolite exacerbare istam vitæ flammam quam ego vobis concessi in beneficentiam vt viuatis & à morte præseruemini, non enim feret defectionem vestram quia nomen meum est in ea, videlicet verbi character, vt in ante dicta animæ definitione explicatur: est enim vita spiraculum Dei, quoniam eadem vita ignis quæ remittitur, & in æqualitatis medio retinetur pro creaturæ bono, potest ad ipsius destructionem intendi, quippe cuius actus essentialis est nihil aliud quã Dei vel beneuolentis atq; miserescentis, vel maleuolentis atq; irascentis radius. In vna proprietate sua conuertit faciem benignitatis suæ ad creaturam, in alia abscondit eam vt multa ei ad-
Psa. 104. 29. ueniant mala. Vnde Dauid, *Deo emittente spiritum suum creaturis recreantur, abscondente faciem suam ab iis conturbantur & ægrotant, recipiente spiritum eorum expirant.* Hinc Sapiens, *Tu vitæ &*
Sap. 16. 13. *mortis potestatem habes Domine, deducis ad portas inferi & reducis.* Ex his igitur concludimus, quod non sit robur virtutis qui facit vehementiam & fortitudinem pulsus, sed intensio nimia ignis vitæ, hoc est excessus ipsius ab æqualitate illa in qua erat creata, nam tunc necesse est vt humidum radicale citius consumatur & in consumptione sua nimium subtilietur, & subtiliatione sua laboret & fortiter agat contra flammam illud deuorantem: non aliter quã in lam-
Vehemens. Fortis. pade videmus sufficientem olei quantitatem diu duraturã modo si flamma seu lychnus non sit nimis grandis: at si flamma fuerit admodũ grandis, tunc quidem cito absorbebitur oleũ; at in tempore violentæ istiusmodi actionis & passionis necesse est quod sit maior vis & vehementia in flamma quam si esset minor. Hinc ergo fit (quoniam nullum violentum perpe-
Languidus. tuum) quod pulsus tales per tres in breui tempore solet transire terminos, videl. à vehementi & forti ad mediocrem quando magna humidi portio est consumpta, & à mediocri ad languidum, nã pulsus languidus arguit vel paucitatem humidi radicalis, vbi præualet calor præternaturalis, vel paucitatem caloris innati, vbi dominatur nimium frigiditas.

Deniq; plenitudo vel vacuitas accidere potest vasis pluribus modis, videlicet, vel vbi turget sanguis vel diminuitur, vel vbi adest nimius calor spiritus in corde & vasis arterialibus nimium dilatans aut frigus ipsa in minorem molem contrahens. Atq; hoc per experimentum ad pulsus longitudinem, latitudinem & profundiratem exprimendam delineatum optime explicatur. Iam vero:

CAPVT

CAPVT IX.

De proportione, seu mensura pulsus præternaturalis, qui generatur tam ex dilatatione cum Meridionali tum Orientali, quam contractione Septentrionali & Occidentali, & primum de æquali & inæquali.

VIdemus, quod ex proportionibus tam metricis & harmoniacis quam Arithmeticis quædam sunt æqualitatis, cum duo numeri æquales simul comparantur, atque iterum nonnullæ inæqualitatis vbi duo numeri inæquales simul conferuntur, illæque vel maioris inæqualitatis cum maior numerus minori comparatur vt 5. ad 3. 15. ad 12. vel minoris cum minor numerus maiori refertur vt 2. ad 8. & 3. ad 5. Iterumque inæqualitas tam maior quam minor est vel simplex vel composita, &c. Pariformiter res se habet in motibus pulsuum præternaturalium: Porro etiam est quædam proportio veræ æqualitatis inuenienda inter pulsum naturalem ad pondus & illum ad iustitiam, est etiam proportio inæqualitatis varia.

Et quamuis hoc in loco mentionem facimus de æqualitate præternaturali, tamen certum est quod ista æqualitas non sit consideranda nisi quatenus ad inæqualitatem manifestam comparatur; nam illa etiam æqualitas habet in se inæqualitatem si cum æqualitate vel pondere vel iustitia conferatur, quatenus aut pulsus excedit æqualitatem seu mediocritatem, vel magnitudine, cum videlicet aut longior, aut latior, aut profundior, aut maior, aut minor sit iusto: aut motu, cum est crebrior, aut celerior, aut vehementior, aut debilior iusto. At vero quatenus potest vnicus talis pulsus habere tam magnitudinem quam motum proportionalē, eatenus tam ęqualis, q̄ inęqualis dici pōt. Vnde Galenus. *Si calor solus increuerit, & in naturali statu maneat facultas, cū mutatio est parua, magnitudo tantum pulsuū augetur, cū maior, etiam celeritas, cum insignis, iam tum etiam crebritas.* Verum in vnoquoque genere pulsuum est excessus defectusque, nam si ad magnitudinem declinent plus quam ad celeritatem & crebritatem, non ita copiosum puta esse calorem cordis: quod si magnitudinem superauerit celeritas, maior erit si caliditas; crebritas, adhuc maior. Si maximus pulsus, celerrimus & creberrimus, summum incrementum significat caloris: in quo sensu pro pulsu in omnibus tribus æquali haberi potest, sed non secundum, verum præter naturam. At si fuerit creberrimus & celerrimus, non autem maximus, hic æqualis in duobus, & impar in tertio. Verum vbi ingens est crebritas, nec simul celeritatis & magnitudinis par incrementum, calor quidem arguitur copiosus. Denique cum pulsus pariter & maximus & celerrimus & creberrimus vehemensque est, non modo calorem in corde amplum esse & virtutis firmitatem indicat: & hic etiam paritas videtur manifestissima, sed haud naturalis.

Quid ergo intereſt inter paritatem naturalem & illam non naturalem paucis isto in loco declarabimus. Sciendum est, quod æqualem absolute vel simpliciter appellamus eam mixtionem quæ ex æqualibus oppositorum partibus per minima mixtis perficitur: atq; ita mixtio est ideo naturalis appellanda quoniam naturalem producit effectum, videlicet eam, quæ mensura, numero & pondere debet esse inter materiam aliquam atque ipsius formam specificam: nam tali vera & naturali mixtione forma est & operatur in toto & in qualibet parte, non aliter quam anima in corpore humano, seu spiritus vitæ deiformis in sanguine atteriali & per eum in toto corpore æqualiter operatur. Talis ergo est perfecta illa per minima cōmixtio, quæ fit inter humidum illud radicale seu cœleste atque hoc calidum innatū siue supercœleste, adeo vt non modo ad inuicē in ęquilibrio sint, hoc est, in absoluta ęqualitatis proportione, verum etiam æqualiter & vicissim inter se agant & patiantur: hoc est vnum agit dum aliud eius actioni resistendo & renitendo reagere, seu potius motu contractiuo in contrarium tendere videtur: nec tamen in ista actione & passione regularibus discedunt quousque additione, vel excessu alicuius horum duorum æqualitas illa in inæqualitatem conuertatur, hoc est à naturali sua dispositione in præternaturalem.

Similiter æqualitatem quandoq; esse in præternaturali pulsu, non absolute, sed respectu habito ad pulsum disparem & multiformiter inæqualem: at ista æqualitas vt plurimum est in excessu sine medio, vt magnus pulsus & paruus pulsus sine respectu ad mediocritatem habito. Verum enim vero in æqualitate istiusmodi respectiua adest ingens inæqualitas respectu æqualitatis absolutę; nā vt huius in vita mixtio fit per minima & exacte secundum leges naturæ; ita quidem ista mixtio haud est per minima sed in proportione inæquali. Verbi gratia, vbi adest magnus pulsus cum celeritate, ibi calidi æstuosi proportio excedit illam humidi vitæ, vt cum aër in statu suo mediocri qualis debet esse vitæ spiritualis [illegible] contentia

ſeu iuſta ſpiſſitudine in colli matracij gradu centrali ſeu ęquinoctiali I. nam in iſta aëris conſiſtentia nec nimium attenuatur calore poli æſtiualis, nec nimium condenſatur frigore poli hyemalis, ſed indifferens eſt. At ſi ſuperat calor tunc vltra mediocritatis ſeu æqualitatis ſtatum dilatatur vſque ad 2. D. vel 3. G. vel ad 4. I. Si ſolum modo ad 2. D. tunc magnus adeſt pulſus in gradu primo: ſi ad 3. G. maior erit cum aliqua celeritate: at ſi ad 4. I. parumper adhuc maior & aliquantulum celerior: at ſi vltra gradum 4. in quo terminatur diateſſaron repellatur aqua, hoc eſt, dilatatur aër, denotat grandiorem calorem & pulſum illum magnum in quo fit exceſſus vel tranſitus vltra ſanitatis metas, aderitq; euidens celeritas cũ aliquantulo crebritatis: atque ita quo profundius ſe extendit aër dilatatus, eo maiorem arguit caloris in vita affluentiam, & conſequenter inſigniorem tam magnitudinis & vehementiæ quam celeritatis & crebritatis gradum.

Haud aliter res ſe ſe habebit in ſpiritu vitali, qui in ſua conſiſtentia propter caloris exuberantiam alteratur à ſuo ſtatu mediocri in exceſſum. In tali ergo mixtione eſt humidi magis calidi minus, propter eius ſubtilitatem. E regione vero in hemiſphærio hyemali res ſe habet in ſtatu contrario, nam quò magis fit tranſitus à I. ad 2. E. 3. F. 4. H. &c. eo magis quam par eſt inſpiſſatur aër, & ſuperat humidi proportio illam calidi, idque eo magis & in gradu altiori quo magis ſurſum à 2. E. ad 7. M. aſcendit aqua vel contrahitur aër: nam quo magis contrahitur aër eo fortior eſt eius humiditas & debilior caliditas, vnde fit, vt propter paucitatem caloris tarda ſit actio, & propter ſpiſſitudinem aër lentior ſit reſiſtentia, quoniam quo denſior eſt ſpiritus eo propinquior quietis diſpoſitioni: ob defectum ergo caloris fit debilitas & languiditas in pulſu ob ſpiſſitudinem aëris quieti appropinquantis fit pulſus eo tardior quo aër eſt ſpiſſior, nam quo ſpiſſior eſt aër eo frigidior, & quo frigidior eo in calore remiſſior: hinc ergo pulſus debilis ſeu languidus, paruus, tardus, frigidus, rarus, vt in hemiſphærio ſeu diametro oppoſita, videlicet æſtiuali iuxta eaſdem proportiones pulſus vehemens, magnus velox, mollis, calidus & frequens, videlicet propter aëris tenuitatem & caloris amplitudinem. In his igitur conſtat, quibus gradibus ipſa præternaturalis inæqualitas nòn perturbata ſe extendat à meta naturali; quæ quidem inæqualitas reſpectu illius quæ eſt inordinata in ſua pulſatione dici pôteſt æqualitas, quoniam in ictibus acceſſus æquali tempore pulſare ſoleat tam in ſyſtole quam in diaſtole. At vero ex oppoſito reſpectu abſolutæ æqualitatis quæ eſt in æquatore ſeu 1. vel in 2. etiam vtriuſq; hemiſphærii eſt inæqualis, quoniam magis participat vitæ mixtio de vno extremo quam de alio, videlicet aut plus aëris inſpiſſati atque conſequenter minus caloris in hemiſphærio hyemali, & plus caloris & minus aëris humidi in hemiſpherio æſtiuali. Haud aliter pro certo eſt ſtatuendum, quod ſe habeat pulſus vel in calore vel in frigore excellens.

Concludimus igitur, quod in extremis iſtis pulſibus non eſt æqualitas in mixtione. At vero in mixtione partium vitæ in pulſu abſolute inæquali longe aliter ſe res habet, nam mixtio tametſi eſſet in æquali portione, quod in æquali pulſu haud accidit, tamen quia mixtio illa non fit per minima, ſed in vno loco magis caloris in alio minus, in vna parte pulſus plus aëris denſi in alia plus ſubtilis, & conſequenter ex inæqualibus calidi & frigidi portionibus, ideo accidit quod ſecundum varietatem iſtiuſmodi mixtionum inæqualium varii inæquales oriantur pulſus, de quib. hic gradatim atq; ordine ſuo tractabimus: ſed imprimis ſpeculi noſtri effigiem in eadem forma qua antea eſt expreſſa hic iterum depingam, vt per eiuſdem ſpeculationem ea quæ à nobis ſunt antea dicta clarius; idque ad oculi intuitum conſiderare poſſitis.

Con-



Concludimus ergo etiam ex consensu Galeni, quod *crebritas*, quæ est & consistit ex breuibus interuallis *fiat ob copiam caloris fumosi*, & consequenter Meridionalis, imo verò & magnus & celer, quos etiam Galenus *à copioso calore fieri* agnoscit, aitq; *ad istos pulsus tria esse necessaria*, videlicet *caloris copiam facultatis robur & tunicarum arteriarum mollities.* At nos dicimus, quod necesse sit, quod caloris proportio, spiritusque inclusi in raritate & densitate conditio, tam ad istos pulsus quam ad eos qui à frigoris oriuntur insultu, procedat. Iterum ait *pulsum paruum, tardum & rarum sequi defectum natiui caloris:* atqui nos dicimus, eos sequi defectum tum caloris natiui tum caloris præternaturalis, hoc est, caloris naturalis in ardentio-

rem conuersi: nam vbi ob nimiam caloris excedentis copiam humidum radicale consumitur (vnde fit pulsuum languor in morbis æstuosis, vt è contrario in morbis frigidis languor in pulsu accidit ob defectum caloris) ibi necesse est vt flamma fere extinguatur, more lampadis in qua totum oleum est ferme consumptum, ita vt flamma videatur laborare pro vita. In prædictis ergo pulsibus, videlicet paruo, tardo, raro, languido, natura videtur esse refrigerata: vnde fit vt à frigoris insultu prouenire soleant. Galenus *alibi* quatuor alterationis pulsuum coniugationes in lucem profert, quarum prior est, quod vbi imbecillis est calor igneus ibi pulsus erit paruus, tardus cum crebritate magna. At hic agit contra seipsum: nam ait *alibi crebrum pulsum ab ingenti calore procedere.* Crebritatem in his pulsibus reperiri posse credimus, ob fumorum viscidorum copiam, quemadmodum quando candela in extrema pinguedinis consumptione scintillare & velociter laborare videtur.

Secunda (ait) *ex imbecillitate & frigiditate constat, tunc etiam ait pulsum esse imbecillum, paruum & tardum, vti in priori, sed non æque ac illa deuenire ad extremam crebritatem.*

Tertia est, *quando calor increscit & facultas, quam vehementissimi pulsus & maximi comitantur, sed non perinde celerrimi, creberrimi vero perinde non sunt aperti.* Hæc ille; quibus patet quod pulsus celer fiat à calore Orientali magis, vt creber à Meridionali.

Quarta *si sit robur facultatis & caloris defectus, ibi pulsus sunt magnitudine moderata, sed tardiores & valde rari, maxime vbi propellit refrigeratio.* Hæc Galenus.

Iam vero de inæqualitate absoluta verba faciam: ac primum de iis qui peccant in ordine motus in vno solo pulsu, diciturque inæqualitas in vno pulsu, nam quandoque inuenimus quod vtriusque distensionis magnitudo sit optima, & contra pessima sit paruitas; similiter vehementia optima & remissio pessima; arguitque talis inopiam naturæ, humorem onerantem & oppilationem vbi fit compressio & restrictio.

CAPVT X.

De pulsuum inæqualium causis internis in genere.

CErte euidens apparebit iis qui Galenum de causis pulsuum legerint, & subiectum illorum librorum bene ponderauerint, miram esse in Galeni doctrina inconstantiam, imo vero & hæsitationem in rationum causarum pulsuum patefactione, quandoq; caliditatem pulsus huius, ac tum postea frigiditatem facit illius authorem, nonnunquam humorum multitudinem & obstructionem, &c. ac si humores in arteriis possint coaceruari ac in venis, aut obstructiones in iis fieri ac in mesaraicis: deinde facultatem naturalem, & quandoq; vel caloris naturalis defectum vel exuberantiam, deinde obedientiam vel inobedientiam instrumenti iterum multis in locis quasi hæsitando dubitatiue: vnde sæpe ait pulsum forsan tali modo fieri, vt *cap. 10. lib. 1. de caus. puls.* & pluribus aliis: cum reuera totum mysterium generationis & mutationis pulsuum consistat in spiritus vitæ alteratione à suo statu naturali in statum præternaturalem per transgressionem ad aliquod extremorum. At cum duo sint venti clementiæ & miserationis, videlicet Subsolanus & Fauonius seu Zephyrus, vtpote quorum illi præsidet, eumque gubernat Michael qui est author vitæ, & alteri præfectus est Raphael qui sanitati præest; ita quidem duo ordinantur venti seueritatis & inclementiæ, videlicet Boreas & Auster, quorum huic præest Vriel seu igneus Angelus, illi Gabriel rigidus & durus Angelus: quare vnus lædit calore nimio, alter eximio frigore. Horum ergo ventorum est lædere & impedire actiones vitæ seu naturales illas actiones quas Subsolanus & Fauonius suo coitu mutuo & proportionali produxerunt. Hinc ergo agnouit Galenus cum Hippocrate, ventos hos esse morborum atque accidentium seu meteororum præternaturalium productores, & consequenter eorum seminaria esse præternaturalium pulsuum motuum occasiones, quibus durantibus illis meteoris morbosis in spiritu humano cum iniustitia & inæqualitate mouentur atque operantur in suis vasculis. Quod enim aër à vento Australi corrumpatur & pestilens fiat, similiter item quod ipse à flatu Dei Septentrionali vitæ reddatur infestissimus (nam ait Psaltes *Corā frigore eius quis consistat?*) clarissime testatur Scriptura veridica. Restat ergo vt hoc in loco recitemus horum ventorum inclementium actus siue seminariorum tam in simplici eorum consideratione quam quatenus simul miscentur, parumper discurrere.

Vt in beneuola spiritus diuini proprietate omnes ventorum formæ Angelicæ concurrunt in æquali proportione ad spirituū vitalium compositionē, quarum illæ ventorū intermediorum humidū radicale & calidum ei proportionatū contribuunt illorum vero oppositorum alius miscet & assimilat, videlicet Australis suo halitu subtili & glutinanti, alius constringit & vnit, Borealis nempe: ita quidem euidens est quod si Auster super hos præualeat,

laxat

laxat quidem illud vitæ vinculum, quod strictè ligauit Boreas, & commiscendo sua seminaria cum illis vitæ ipsam vitalem compositionem perturbat, ad putredinem aptum reddit, aut saltem præter naturæ æqualitatis leges vrget: & si in æstuosa sua dispositione ad Eurum inclinat ipsum vitæ spiritum vehementer incendit, efficitque secundùm suos gradus pulsum (qui est vitæ status indicium) vel vehementiorem vel celeriorem, quo sicciora sunt afflatus seminaria, vel crebriorem si sint humidiora; porrò etiam longiorem, maiorem atque latiorem & mollem propter vaporosi aëris dilatationem, qualitate deniq; calidam; nam Australia seminaria in vitæ palatium mediante aëre inspirato introducta accendunt spiritus æstu, & si fuerint magis sicca & Orientalia consumunt non modo vitæ spiritus, verùm etiã ipsum corpus: sunt enim istiusmodi seminaria seu astra inuisibilia instar atomorum seu sagittarum ab ira Dei erga homines emissarum, de quibus hæc Iob: *Sagittæ Omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.* Quare alibi ait: *Eleuasti me ad ventum, imponis me ei* (hoc est spiritum meum Meridionali tua proprietate efficis vaporosum, fumosum & æstuosum) *efficis vt defluam substantia* (hoc est afflatu tuo æstuoso consumis me, & tabidum mè facis) *nocte perforatur os meum doloribus & nerui mei non recumbunt:* Hoc est pulsus mei non requieuerunt, sed admodum vehementer & velociter mouent, atque ratione magnitudinis eorum facillimè tanguntur & percipiuntur. De putridis hisce sagittis seu seminariis inuisibiliter à Deo irascente ab Austro in spiritũ humanum eiaculatis intendit Psaltes in his: *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine peruadente à lue vastante in Meridie, ab occursu dæmonii Meridiani,* &c.

Calidus. Vehemens. Celer. Creber. Longus. Latus. Magnus. Mollis.

Iob. 6. 4. *Iob.* 30. 17. *Psal.* 91.

At ne quis obiiceret, quod si hoc esset omnes homines simul eundem aërem Australem inspirantes eodem modo ægrotarent, obseruent velim textus consequentiam, in qua rationem docet, cur non timeat homo iustus vim atque impulsum naturalem harum sagittarum, videlicet *Angelis suis præcipiet de te vt conseruent te in omnibus viis tuis, nec sinet plagam appropinquare tentorium tuũ.* Sic etiam Apocalyps. *Et Angelus ascendens ab ortu Solis habens signum Dei viui, dixit quatuor Angelis quatuor ventis præsidentibus, quibus datũ est nocere: Nolite nocere terræ quousque signemus seruos Dei in frontibus eorum.* Sed ad rem. In præcedentibus patet, quòd febres putridæ, lues & pestes sint seminaria dæmonii Meridiani, quæ spiritui vitali per inspirationem vt sagittæ affixa incendio inflammant. Vnde Dauid: *Ossa mea vt focus exardescunt, percussum tanquam herba exarescit cor meum, quia obliuiscor communem meum cibum edere,* &c.

Apoc. 7. *Psal.* 102. 9.

E regione si afflatus Dei Boreales dominium in vitæ compositionem habent tũc quidẽ virtute eius contractiua frigida condensat vitæ spiritus vltra rationem medii, eos congelat vel refrigerat, calidoq; vitæ se opponit; quare huius extremi accessu & dominio pulsus redditur quantitate breuis, strictus, profundus, motu tardus, tempore quietis rarus, robore languidus, & debilis, consistentia durus, qualitate frigidus, capacitate vacuus, idq; ratione defectus aut potius suppressionis caloris vitæ mediocris: nam vt in vento superiori humidum radicale Occidentale patiebatur, ira quidem in isto opprimitur calidum innatum Orientale, seu ex parte Orientis. De his sic Scripturæ: *Coram frigore Dei quis consistat?* ait Dauid. At frigus venit à penetralibus Septentrionis, teste Iobo. Ergo *flante Deo emittitur frigus, & coarctantur aquæ*, teste eodem, & condensantur humores. Est ergo frigus Septentrionale vnum ex præcipuis flagellis Dei, quo percutit ægritudine & morte. *Percutiet te* (inquit Moyses) *Iehoua egestate & frigore, donec pereas*; hoc est, congelabit tuos spiritus, &c. Videris ergo ex his, quomodo ex ventorum horum simplicium naturis simplices oriantur atque procreentur pulsus. Iam verò ostendemus, quomodo pulsus compositi ex variis istorum ventorum oppositorum concursibus & coitibus deriuentur.

Breuis. Strictus. Profundus. Tardus. Rarus. Languidus. Durus. Frigidus.

Psal. Iob. Deut. 28.

Si afflatus Borealis seminaria fuerint fortiora, sed non tempestuosa, Australis verò in mutuo coitu debiliora, pulsu quidem breuem & tardum mediocriter facient: si duo isti flatus sint proportionales spiritum gignunt qui pulsum mediocriter tardum & magnum producent. At si valde præualeat flatus Australis super Borealem, pulsum magnum, celerem, crebrumque atque vehementem ciet spiritus ex tali coitu compactus. Verùm vbi plurimùm dominatur Borealis spiritus, pulsus est admodum paruus, profundus, rarusque. Verùm vbi hi duo venti cum violentia & more tempestuoso contendunt inter se in aëre aperto perturbant temperatum & pacificum aëris statum, gignuntque suo coitu partus præternaturales contrariæ fortitudinis qui monstruosos & irregulares producunt non modo in aëre, verum etiam in spiritu humano in quem penetrauerunt portentosa istiusmodi seminaria, effectus. Verbi gratia: In aëre vbi venti calidi dominium habent, ex oppositis ventis generatur meteoron dictum, Capræ saltantes; de exhalatione (vt aiunt Peripatetici) diuisa in partes duas: sic seminaria calida duo ratione materiæ varietatis disiuncta illa in vno pulsu perturbationem & bis pulsationem facere potest,

Breuis. Paruus. Tardus.

non visibiliter, vt meteoron cœleste, sed more spirituali; quoniam vt sunt astra tam inuisibilia quàm visibilia, vtpote à quibus visibilia sunt orta; ita quidem meteora sunt spiritualia in sanguine vitali ab occultis ventorum seminariis genita: sic pulsus velox & impar ex seminariis Orientalibus impariter in spiritibus expansis, non aliter quàm coruscationes in inæqualem cœli materiam. Chasma etiam visibilis est hiatus seu vorago in cœlo à repentino lumine exhalationis magnæ (vt aiunt) incensæ sub nubibus apparens. In conflictu inter nubeculosum seu vaporosum humorem Septentrionalem, seu potiùs Occidentalem, & igneã coruscationem Orientis vel Meridiei fit reluctatio in arteria, in quarum æquali actione & resistentia fit ille pulsus in quo cauitas subitò & quasi foramen inuenitur. Prester est turbo incensus instar igneæ rotæ à Meridiano flatu sæpius procedens. Taliter fit phrenitis vertiginosa cum insigni inflammatione: hinc ergo eius pulsus est mirè magnus, celer, creber & vehemens. Draco volans exhalatione magna inæquali inter duas nubes; fumat autem draco propter aliam nubem frigidam; solet enim calidum & ardens oppositum frigido excitare fumum, vt in ligno viridi foco applicato apparet.

Hinc ergo pulsus magnus & longus inæqualis quandoque interruptus, & nonnunquam intermittens ad diuisionem quam facit igneus spiritus, seu seminaria Meridionalia in materia: imò verò hîc oritur pulsus vndosus videlicet à fumo assurgente ex materia putrescente: nam fumus exurgens à materia arguit ignem accensum in ea. Hæc ergo est ratio, cur Galen. 3. *de crisib. cap.* 11. pulsum vehementer vndosum vnum ex euidentibus signis prognosticis futuræ crisis per sudorem faciat, videlicet quoniam fumus eo tempore emissus à spiritu iam ad putrefactionem maturam appropinquante, sudores promittit breuiter futuros. Denique cum tonitru adest fulgur, nubes, aquæ: quare euidens est, quòd ista meteori ex ventis oppositis mixtio suis seminariis inuisibiliter in aëre dispersis, & per inspirationem introductis magnas in spiritu variationes, inæqualitates, conturbationes, interruptiones, intermissiones, & infinitas alias mutationes inferre possunt. Quid etiam faciant Cometæ ad pestifera seminaria in aëre procreanda testantur abundè non modo Astrologi, sed etiam Philosophię naturalis peritiores; atque etiam stellæ cadentes & parahelii, & ignis fatuus, & omnia alia suos post ipsorum in aëre dissolutionem habent effectus ipsis à Deo destinatos, nam Deus nihil frustrà fecit. Nonne etiam appellauit Galenus vnam febrium speciem Typhoeides, atque etiam delirium lethargicum Typhomaniam ab eorum similitudine ad meteoron illud dictum Typhon ἀπὸ τοῦ τύφειν, id est, incendere, cuius ortum finxere Aristotelici esse ab exhalatione vnctuositatis haud omnino experte, quæ in nube conclusa per foramen egreditur, & pars eius egressa à terra resiliens, & ratione caloris reascendens parti alteri descendenti circulariter inuoluitur. Hoc ipsorum figmentum.

E regione meteora Septentrionalia mediantibus suis seminariis suas in pulsibus etiam inæqualitates producunt varieformes secundùm naturas meteororum tam simplices quàm mixtas quas producit: nam sciendum est, quòd quodlibet meteoron est compositum & aëre seu elemento vnico variorum ventorum seminariis animatum. Quare pro meliori huius rei intellectu sciendum est quòd Galenus, vbi solummodo mentionem fecerit de ventis Aquilonaribus & Australibus in morborum productione, per Aquilonem comprehendebat totum illud hemisphærium, quod inter polum Arcticum & Æquatorem iacet: vnde euidens est, quòd non modo Boream, verùm etiam Aquilonem & Cæcium ex eius parte Orientali; & Circium atq; Corum ex parte eius Occidentali omnes pro ventis Aquilonaribus intelligebat: vt è diuerso totũ illud hemisphærium quod se extendit à polo Antarctico ad Æquinoctialem circulum pro Australibus, & consequenter non modo ventum Australem directè à polo Meridionali flantem, verùm etiam Euro-Austrum, & Eurum ex eius latere Orientali, & Austro-Africum & Africum pro ventis Australibus intelligere videtur: quoniam ipse in multis locis super libros Hippocratis, & ipse Hippocrates agnoscunt locum Æquinoctialis esse temperatissimum, præsertim illis qui zonam temperatam habent, quando Sol est in Ariete & Libra. Porrò etiam salutares faciunt ventum Orientalem & Zephyrum seu directè Occidentalem: quare de istis ventis Æquinoctialibus nihil mali loquuti sunt vnquam, aut pro morborum genitoribus ipsos reputarunt. Cùm igitur de coitu ventorum inclementium inæquali sum loquutus, quorum spermata in matricem elementarem iniecta tot varia in ea iuxta seminum conditionem diuersam producunt, intelligo principaliter de polaribus oppositis, videlicet ex concursu Boreæ & Austri; ex quibus multitudo meteororum fit specie aut magis aut minus differentium secundùm proportiones excellentiæ vnius venti super alium. Exempli gratia, si Boreas sit admodum fortis, tunc appositio aëris seu elementi catholici à compositione ventorum oppositorum facta erit nubes aut niualis aut grandinosa: at si parum & ferè nihil resistat Auster, tunc gelu & pruinæ fiunt cum serenitate. In quo tempore hyemali mortales morbis hyemalibus

&

& Septentrionalibus à Galeno ac Hippocrate, atque plenius à nobis recitatis vexantur, & consequenter pulsus secundùm effectus illorum ventorum, hoc est spermatibus seu astris inuisibilibus Saturnini fontis, hoc est à dæmoniis sphæræ Saturni subditis ab Angelo cui datum est, iuxta Apocalypsim, nocere terræ ex parte Septentrionis in apertum aërem emissis, qui, vt in Exodo habemus, *portas eorum quorum ostii postes sanguine sunt illiti*, hoc est, corda electorum qui iuxta Apocalypsim signati sunt à magno Angelo in frontibus sigillo Dei viui, transeunt & ingredi nequeunt. Atque hoc idem de omnibus cæteris ventorum compositionibus est dicendum.

At si Auster ferè æquiualeat Boreæ, tunc nubes pluuiales cum aliqua grandine aut niue mixta cum pluuia: verùm vbi validus est Auster, & potenter superat Boream, ibi nubes congregantur æstuosæ cum fumoso atque vaporoso aëre tali haud raro fulgure & tonitru grauidæ; vnde aërem seu elementum reddit corruptum, aut saltem ad corruptionem seu putredinem pronum, quippe in cuius vtero seminaria *dæmonii Meridiani*, de quo mentionem facit Dauid, & Propheta Abakuk, comprehenduntur maligna. At vbi Auster solum habet dominium, & Saturnini afflatus eis Iouis minimè resistunt, tunc effectus Australes sunt eò mitiores.

Deinde Circius & Euro-Auster simul in campo aëreo coitum facientes varios iuxta prædictas proportiones effectus à prædictorum ventorum coitibus diuersos parturiunt: nam si Circius sit fortior parit effectus frigidiores cum gyris & turbinosis accidentibus vti in Scotomia & vertigine, &c. At si Euro-Auster fuerit potentior, tunc quidem vt in macrocosmo producit fulgura, tonitrua, & huiusmodi alios effectus cum præstere, seu igne volante, & in gyros rotante: ita quidem febres, deliria, phrenitidem & typhomaniam, seu lethargiam phreniticam, & alios morbos, non sine variis pulsuum mutationibus inducere solet. At hîc obseruare fas est quòd vbi præualet Circius, ibi propter secretam Euro-Austri admixtionem viscidum & crassum generatur phlegma, quod est vas aptum & manifestum seminariorum cùm calidorum Euro-Austri tum frigidorum dominantium Circii. Hinc oritur Apoplexia, in qua febris se manifestat: hinc lethargia: at vbi potentior adest Circius, paralysis, stupor, catoche, epilepsia, &c. E regione vbi Euro-Auster præualet humor est biliosus, sed tenuior; quoniam calor dominans & humidus dissoluit gelidam & glacialem Circii dispositionem; vnde vasa humoralia ad spermata ex istiusmodi coitu facta continenda magis apta fiunt humor bilialis, qui ob Euro-Austri in eo dominium in flauedinem tendit.

Tum postea Aquilo coitus suos cum Austro-Africo facit: atque vt isti duo sunt venti robustissimi, ita quidem meteora producunt in macrocosmo robusta, & consequenter per sua spermata inspiratione ad cor per aërem attracta pulsus magnos, altos, elatos, vehementer vndosos & turbidos producunt. Si Aquilo fuerit fortior cum frigiditate, vt in Epilepsia, suffocatione matricis, vertigine & dæmoniacis possessionibus. Si Austro-Africus cum tumoribus hydropicis, flatuosis, apostematibus salsis, atque defluxionibus, vnde & pulsus, atque vrinæ tales subsequuntur.

Si Corus coeat cum Euro, & Corus fuerit fortior in cœlo, tunc quidem epilepsiam & omnes morbos à pituita lenta, non sine aliqua bilis flauæ portione: quare & apoplexiæ & lethargiæ, quæ de febre participant, producuntur, & consequenter pituitam viscidam, sed non adeò congelatam ac illa Circii, habet pro receptaculo sui spermatis. Hinc ergo est, quòd iste ventus in sua dominatione pulsus sibi proprios habet. At si Eurus dominium habuerit, tunc quidem suo calore igneo mutat humorem elementi in flauedinem, eùmque liquefacit magis, & morbos febriles, regium, & alias infirmitates fulminantes procreat, non aliter quàm in cœli elemento catholico talia meteora proferre cognoscitur. Hinc ergo & pulsus iuxta caliditatem, velocitatem, fortitudinem, acrimoniam & proprietatem habet.

Denique vbi in cœlo coitus est factus inter Cæcium, qui est ventus siccissimus & calidissimus, atque Africum, vbi Cæcius est fortior ibi grossæ & continuæ nubes congregantur in cœlo non facilè dissolubiles gratia siccitatis venti, vnde & infirmitates tales facit in corpore, videlicet vapores fuliginosos & tetros cum æstu corpora & animos infestantes, vti in calidis & æstuosis hypochondriacis: similiter morbos à cholera rubea & æruginosa productos; nam talis humor est seminariorum prauorum huius venti in suo dominio receptaculum. E regione vbi Africus prædominatur, apostemata ex salsa pituita & corrodenti bili rubra fiunt & acres distillationes, &c. Quod cùm ita se habuerit, necesse est credere, quòd & horum ventorum seminaria seu astra inuisibilia alterationes in pulsibus secundùm suam naturam faciant.

Et quamuis more ficto, iuxta Galeni normam, aut argumentis sola probabilitate fundatus, &c.

tis,& ex nulla certitudine constantibus (non aliter,quàm Aristoteles falsas & imaginarias suas meteororum bases proiecit) vnde dicit ipse in suis pulsuum causis vbique forsan hæc est causa,forsan illa,&c.quamuis,inquam,aggredi nolo ad amussim horum ventorum seminaria ita proportionalia,vt hæc huius vel illa illius venti in tali vel tali proportione sint pulsus vel intermittentis,vel interrupti,vel innuentis, vel vndosi,vel conuulsiui,vel formicantis,vel vermiculantis,vel ordinationem conturbantis causæ efficientes: tamen hoc in eo certum est ab iis procedere, quoniam ventorum seminaria esse morborum causas testantur Galenus & Hippocrates,testatur experientia,testatur ratio;at radicales morborum causæ sunt pulsuum à statu suo æquali in inæqualem mutationis authores: ergo ventorum seminaria sunt causæ pulsuum mutationis à statu naturali in non naturalem. Præterea ait Galenus,quòd calor facit pulsum altum,magnū,celerem,crebrum,vehementem,& quidni venti calidi cùm sint caloris atque ignis fontes. Similiter ait,quòd frigus sit pulsus breuis, tardi,rari,languidi,difficilis atq; profundi occasio,quidni ergo venti frigidi,vtpote qui sunt frigiditatis fontes? Porrò ait,quòd pulsuum inæqualitas procedat ab oppressione,oppilatione & humorum copia in instrumentis:at vnde (quæso) orti sunt isti humores tam subito? aut quis credere possit si profundè & radicitus speculetur dignitatem cordis & vasorum arterialium,quòd tanta humorum malignorū copia in cor & arterias tam subitò ingredi queant? aut à quo fonte oritur ista tanta humorum crudorum multitudo? Si dicat à venis quæram ego per quos transitus;si respondeat per quandam anastomasin,vel per orificia arteriarum,&c. certè sunt istæ imaginationes reuera vanæ & figmenta,nec credam ego quòd res sublunaris possit suas sordes in æthera seu cœlum stellatum effundere,cùm Lucifer cum suis immundis è cœlis fuerit ab initio expulsus,nunquam reuersurus,haud quaquam habet sanguis venalis tantum commercium cum arteriali vt possit vllo respectu secundùm integram suam naturam cum eo permisceri. At si quis peteret,vnde ergo sanguis arterialis? certè credo ego,& ausus sum illud probare,quòd ab illa hora in qua respirauit fœtus sanguis ille cœlestis arteriarum à cibo,seu pane occultè à cœlo descendente quem secum ducit aër assiduè per inspirationem,simul cum purissima vehiculi aërei portione augeatur atque successiuè multiplicetur,& si quid est de cœlesti natura in cibis grossis ad ventriculum directis,de illo fortasse vi quadā magnetica attrahere potest,verùm de grosso,crudo & nociuo haud quaquam. Sed quid opus est fidem Galeno hac in re adhibeamus,cùm ex eius ore accipiamus naturam humanam alterari ab aëre circumambiente,& quòd magnæ temporum in caliditate & frigiditate ventorū mutationes magnos procreare solent morbos? at si magnos morbos,raros quidem pulsus,propter aëris peccantis & in præternaturalem dispositionē versati mixtionem cum spiritu animalis. Nonne fatetur quòd pestis afflatu Australi hac ratione proueniat? Quid igitur ad pulsum inæqualem faciendum negotii habemus aut humorum crudorum aut putridorum,nescimus vnde prouenientium,copiæ,aut compressionis,aut oppilationis,nescimus à quibus,quum sufficiat quòd magnę mutationes,hoc est inæqualitates status temporum à ventis procreatæ pulsus omnium generum inæqualitatis procreare possint? Nonne fatetur ipse quòd Autumnus sit ideo morborum grauissimorum cōcomitator, quoniam est admodum inæqualis & mutabilis in suæ temperiei statu,videlicet quandoque frigidus,mox in eodem die calidus,iam humidus valdè & mox siccus. Hanc ergo ait esse rationem,quòd plurium morborum sit productor,idq; differentium secundùm statū in quo alteratur:at tot ipsius alterationes proueniunt à multiformium ventorum elementum commune alterantium dominiis,qui suis afflatibus alterantes aërem per eum inspiratione intro. ductum alterant suis seminariis occultis spiritum diuersè à medioeri & sano in extremam & insalubrem constitutionem. Nonne videmus, quòd in eodem tempore Autumnali varia producantur in aëre meteora secundùm venti prædominantis naturam? Quid ni etiam in spiritu humano,qui ex aëre macrocosmo cùm sit,de illi⁹ introducti natura participat? Quare dicimus,quòd pulsus inæqualitas non fiat rationibus imaginariis à Galeno fictis,sed à variis & inuisibilibus ventorum seminariis præternaturalibus per inspirationem introductis, qui non aliter multiformiter (iuxta voluntatem radicalis actoris vel miserescētis vel sæuientis) operantur in aëre microcosmico,vel cum nimiū dilatando vel contrahendo,aut irregulariter illum dilatando & contrahendo in eodem motu vel diuersis,quæ in aëre & ex eadem aëris constitutione faciunt dilatando fulgura,cometas,capras saltantes, dracones volantes, chasmata,ventos,nubes,pluuias,niues,grādines,gelu,pruinas,atq; etiam mixtiones omnimodo oppositas & sibi ipsis resistentes,vt in tonitru in turbinibus & typhonibus,& in præternaturalibus nubium oppositarum collisionibus & cōcursibus videre licet,in quibus Angeli seu dæmones vnius proprietatis diuinæ contendunt,& enituntur aduersus illos contrariæ proprietatis & fortitudinis,videlicet Boreas aduersus Austrum,Aquilo contra Austro-Africum,Circius inuadit Euro-Austrum,& Corus Euro opponitur,Cæciusq; Africo non aliter


aliter quàm aër terræ, aut ignis aquæ, quod idem est. Vnde Propheta Daniel: *Vidi quatuor ventos pugnantes in mari magno*, &c. Daniel.

Atque ita veras pulsuum inæqualium causas organicas, mediantibus quibus Deus operatur in iracundia sua, expressas habetis, videlicet seminaria quatuor Angelorum quatuor ventis præsidentium, vtpote quibus datum est in iracundiæ diuinæ statu nocere terræ & morbos infligere creaturis eiusdem: nam Eurum & Cæcium facimus malignos Orientis ventos, vt Corum & Africum Occidentis. Verum enimuerò hi omnes spiritus à Deo beneuolente ita disponuntur & æqualitatis iugo subiiciuntur, vt non morborum & mortis, verùm è contrà vitæ & sanitatis sint authores. Et tunc Iehoua dixit, & tum postea mandato ipsius Propheta: *Veni à quatuor ventis spiritus, & insuffla interfectos istos vt reuiuiscant; & venit spiritus, & inspirauit eos, & reuixerunt*. Ezekiel. Iam verò istas pulsuum cùm æqualium tum inæqualium differentias per instrumentum meum experimentale sic demonstro:

Caput XI.

In quo maior pulsuum numerus per instrumentum seu machinam meam experimentalem demonstratur.


In primo ergo loco priusquam ad istud opus accedimus, melioris demonstrationis causâ instrumentum hoc in loco exprimemus.



In ipso igitur organo habetis duo hemisphæria, videlicet A.A. hyemale, & B.B. æstiuale; quæ gradus hemisphærii hyemalis signabimus cum A.A. vt gradus 2. A.A. vel gradus B.B. &c. Sic ergo propositionem nostram de pulsibus exordior.

Systolen in hoc organo absentiam caloris & frigoris præsentiam facimus, vnde quò fortior erit frigiditas, eò profundior & rarior erit pulsus, hoc est, in tubo altiùs euehetur spiritus, & consequenter sanguis arterialis in suis instrumentis venalibus altiùs exurget à circumferentia, id est, partibus seu membris exterioribus, seu ramis arterialibus ad centrum seu arteriam magnam & cor: nam ecce ita res sese habet in vase: aqua enim ascendit 4. per contractionem frigoris, præterea sanguis arterialis compressione instrumentorum cogitur, dilatat se in instrumentis; verbi gratia: Si in intestino pars clauditur, pars verò aperta est, vt in A.

Aperitur intestinũ A. vt possit sanguinem D. continere: at si pars intestini A. comprimatur, sanguis in D. compressione subitò implebit & dilatabit integrum intestinum æqualiter sic.



Si iterum comprimantur extremitates A. B. & A. C. tunc stabit sanguis contractus sicut prius in A. & vtrumque intestini extremum erit vacuum & contractum, vt antea in prædicta demonstratione patet, & in machina experimentali euidenter indicatur.

Diastolen verò è contrario frigoris absentiam, & caloris præsentiam, hoc est aëris inclusi dilatationem facimus, vnde fit, vt quantò potentior est calor, eo magis dilatetur ipse, & secundùm ipsius dilatationem magis deorsum pellat aquam, quod est euidens signum dilatationis aëris, vtpote de qua re sine aqua visibili iudicare nescimus, quatenus aër est inuisibilis; vnde fit, quòd si aqua descendat ab hemisphærio A.A. vel ascendat ab hemisphærio B. ad 1. qui est locus Æquatoris, in quo vitæ spiritus in æquilibrio ponderatur. Dicimus ergo quòd ascensus aquæ à gradu 1. Æquatoris versus polum hyemalem siue hemisphærii Hyemalis seu Borealis fit dominio frigoris contrahentis: nam quò magis ascendit aqua à gradu 1. eò magis secundùm gradus ascensus aquæ superat frigus caliditatem, & consequenter magis contrahitur aër à frigore Boreali. Vnde istud hemisphærium appellamus hemisphærium systoles. E contrà verò quanto magis superat calor gradatim proportionem frigoris in statu 1. eo magis dilatatur aër inclusus, & aqua magis deorsum à gradu 1. versus polum hemisphærii æstiualis B.B. Quare si omni temporis momento, videlicet omni minuta horæ fieret accessus caloris & recessus, hoc est frigoris accessus, ac iterum accessus frigoris cum recessu siue absentia caloris, tunc secundum veram diastoles & systoles rationem omni minutæ spatio ascenderet, & descenderet aqua.

His igitur ita se habentibus progredimur in hunc modum: In temperato & æquali ætatis puerilis pulsu, vbi nec peccat pulsus in quantitate, nec tempore motus aut quietis, nec robore virtutis, &c. fit quies diastoles in 2. hemisphærii B. medietas seu centrum in 1. puncto æquationis; & quies systoles est 2. hemisphærii AA. Vnde fit, quòd pulsus pueri sani mensuratur à 2. AA. ad 2. B.B. per medium æqualitatis 1.

In æquali ætatis iuuenilis pulsu fit motus contractiuus systoles à 3. A A. ad 3. B.B. per medium 1. ergo hi pulsus ratione eorum spirituum situs in qualitate & quantitate sunt mediocres inter magnum & paruum, longum & curtum, strictum & latum, tardum & velocem, crebrum & rarum. At verò in senibus distat pulsus parumper à temperie æqualitatis, vnde fit quòd

fit,quòd eorum diaſtoles quies propter frigoris in ipſis dominium eſt in 2.B.B.& eorum ſyſtoles quies eſt in 3. medium verò inter 1. & 2. AA. quo liquet quod calor non adeo potens eſt ac frigus:atque iſte eſt pulſus ſtatus in viridi ſenectute; at vbi magis ſeneſcit homo,atque ad decrepitam ſenectutem eſt prouectus,tunc motus in ſyſtole & diaſtole erit à 1.ad 3. A A. nam ibi eſt diaſtole in 1.hoc eſt in loco vbi calor eſt æqualis: at quies in ſyſtole erit in 3. vnde liquet,quòd per 2. gradus præualet frigus in decrepita ſenectute. His ergo liquet,quòd in iuuentute pulſus eſt æqualis in magnitudine & quantitate, nec nimis velox nec tardus motu,nec in quiete nimis celer aut rarus, ſed moderatus. At in viridi ſenectute pulſus eſt tardior & debilior quàm in iuuentute, quia plus adeſt in ſyſtole frigoris quàm caloris in diaſtole: verum enimuerò in decrepita ſenectute adhuc tardior eſt & magis lãguidus,quoniam frigus ideo in eá excellit,quia diaſtole eſt in 1.vbi adeſt non niſi mediocris calor,ſyſtole in 3. vbi vehementius contrahit frigus.

Iam verò ad pulſuum ſecundùm quantitatem dimenſionem veniamus. Mediocritas in longitudine, latitudine, profunditate; ſimiliter æqualitas inter magnitudinem & paruitatem inuenitur in menſuris pulſuum prædictorum æqualium. At verò dicimus,quòd ſi diaſtoles quies fuerit in 3.BB. ſyſtoles in 1. tunc magnum illum pulſum vocamus,quippe in quo dominatur caliditas. At è regione ſi diaſtoles terminus fuerit in 1. ſyſtoles verò quies in 3. AA.in iſto pulſu dominium habet frigus. At ſi diaſtole fuerit in 4.BB. ſyſtole verò in 2.BB. adhuc maior erit pulſus: verùm ſi diaſtole finiuerit in 2.AA. & ſyſtole in 4. minor erit pulſus,gratia eminentiæ caloris. Denique ſi ſyſtole fuerit in 1.diaſtoles quies in 5. tunc quidem erit pulſus iſte longus & altus,plenus,creber,vehemens & celer propter caloris eminentiam & nimiam ſpiritus dilatationem. E regione ſi diaſtoles quies fuerit in 1. eius ſyſtoles in 5. erit pulſus breuis,profundus,vacuus,rarus,debilis,tardus;gratia frigoris vaſa minimè æqualiter diſtendentis.

Sed quoniam motus tempora debent proportionibus muſices commenſurari,proportiones eorum inæqualium ſic deſcribemus;incipiemusque cum 7.AA.vel hemiſphærii hyemalis,vbi extrema facta eſt contractio ſeu ſyſtole,qui pulſus motus rarus eſt inter mortales, videlicet in ſpatio continuari à ſua diaſtole. At ſyſtolen per dimidium breuis ſeu ſpatium continuari cum pari diaſtole inueni ſæpius, idque vtplurimum in ſenibus paralyticis, videlicet continuationem temporis, vel ſemibreuis vnius in contractione & alterius in dilatatione,eritque tunc quies in ſyſtole in gradu *6*. AA. & eius diaſtoles finis in gradu 4. AA. ſicque ſtabunt. ſyſt. *6*.—5.—4. diaſt.ita vt contrario fit in ſpatio & iterum dilatatio in ſimili ſpatio eſtq; pulſus maximè tardus,rarus cum euidẽti duritie propter ſenſibilem ſpirituum condenſationem. Ratio autem tarditatis iſtius motus eſt,quia ſpiritus à forti frigore condenſatus per contractionem maius requirit ſpatium ad ſuam dilatationem:præterea calor dilatans eſt in ſuo pondere ſeu proportione debilior,ita vt ſubitò denſos ſpiritus ſubtiliare nequeat, vel ſaltem non ità diuturnius vt poſſit continuare dilatationem aëris ſeu ſpiritus vſque ad æquatorem 1. ſed vt primùm dilatauit aërem ſubtiliando à *6*.ad 4. ſubitò ſuperauerit frigus ei correſpondens,& aquam iterum contrahit à 4.ad *6*. Atque hoc idem intelligendum eſt de inferioribus pulſibus huius hemiſphærii ad 1. vſque pertingentibus. Tum poſtea interuallum inter 4.& 2.iſtius hemiſphærii A.A.menſuratur tam in ſua ſyſtole quàm diaſtole per vnicam minimã cum dimidia ſic expreſſa vel, quod valet tres partes ſeu portiones vnius ſemibreuis, nam valet vel vel vel, quæ omnia non important niſi ſeu ſemibreuem; ſtabit ergo huius pulſus proportio ſic ſyſt. 4.—3.—2. diaſt.eſtque pulſus tardus,ſed non admodum. Tunc progreditur ad pulſum æqualem abſolutè,qui nec eſt nimis tardè vt ille *6*—5—4. nec ſenſibiliter tardus licet in minori ſpatio quàm vt 4.—3.—2. ſed in medio inter iſtos reſpectu tẽporis,& pulſus velocioris; quare eius proportionem ſeu terminum ipſius ſyſtoles & diaſtoles per metiti ſumus. Sic ſyſt.2. AA.—1.—2. BB. nam in tali ſtatu & tempore pulſat cor,pulſantq; arteriæ vbi vita vel ad pondus vel in tali ferè vbi in iuſtitia

temperiei se habet, nam centr- istius motus tam in systole quàm in diastole est exactè in sua temperie calida & frigida æquale; nec quidem validior est frigiditas in sua contractiua virtute in systoles puncto 2. A&t; quàm caliditas in sua dilatatiua virtute in diastoles puncto 2.BB. vnde negat caliditatis hemisphærii BB. propinquitas ad 1. centrum vt motus istius pulsus sit sensim tardus, negatque itidem frigiditatis hemisphærii AA. propinquitas ad 1. centrum seu locum æqualitatis vt motus istius pulsus sit sensim celer & velox, vnde fit, vt æqualiter se habeat inter istos duos extremos motus, videlicet nec nimis tardus nec nimis velox, sed moderatus qualis est seu minima in sui soni continuatione.

At è regione iam ex hemisphærii hyemalis seu frigidi limitibus in illos æstiualis BB. seu calidos incedimus, ad cuius portionum exemplar & imitationem gradatim à centro 1. versus polum æstiualem seu Meridionalem distantium, motus pulsuum æstuantium differentias exprimemus.

Distantia ergo à diastole æqualitatis 2.BB. ad 4.BB. se habebit in sesquitertia proportione ad 2.AA.1—2.—B.B. videlicet vt ad . vnde tam systole 2.BB. quàm diastole 4: BB. mensurabuntur non aliter per seu nigram cum quadrante quàm 2.A.—1.—2.B: per : quæ quartam plus valet quàm : & consequenter motus systoles & diastoles 2: B.—3.—4.B. erit celerior & velocior quàm 2.A.1.—2.—B. per vnam . vnde tam systole quàm diastole pulsus illius perficietur maiori spatio per quadrantem quàm vel systole vel diastole huius. Sic ergo ipsorum proportiones comparamus.

Syst.2.A.—1—2.B.& syst. 2. B.—3.— 4.B:
vel

Ratio, quòd pulsus talis est velocior cæteris superioribus est, quia aër iam præter æqualitatem rarefieri incipiens à calore in isto hemisphærio B. dominante (vtpote qui est mobilitatis & actiuitatis fons atque origo) huius actui obediens redditur, & immediatè post frigoris contrahentis actus cessationem subitò dilatat aërem iam ad attenuationem aptum; atque ob istam rationem frigori spatium non concedit, vt aërem illum condenset in gradu altiori. Hinc ergo tam velox redditur pulsus gradatim in isto hemisphærio B: non aliter quàm ratione contraria tam tardus efficiebatur in hemisphærio A. ei contrario. Progredimur ergo ad secundum celeritatis gradum cuius systoles est in 4. diastoles in 6. & erit eius proportio ad 2.B.—3.—4 B. vt sesquialtera, videlicet . vel vel :

Sic syst.4—5—6.B. diastole.

Vel possumus planiori modo sic pergere: in 7. nimis rigido & gelido est temperies pro vllo pulsuum tardorum genere, quippe qui gradus est vltra vitæ mensuram, quare mensuratur vitæ spatium inter 6.A: & 4.A. cum quæ figura continet duas semibreues.

Syst.6—5—4.diast. deinde metitur spatium: Syst.4—3—2.diast. per ita vt talis pulsus tam diastole quàm systole habebit longitudinem temporis integri seu semibreuis.

Tunc sequitur interuallum æqualitatis atque eius tum systole tum diastole mensuram sibi vnius minimæ vendicabit, vt syst.2.A.—1—B. diast: Tunc in hemisphærium calidum seu æstiuale descendendo spatium B.2—3—4.B: quod correspondet in suo motu tam systole quàm diastole ad semiminimam quæ in dupla proportione se habebit ad . Denique interualli 4—5—6. tam in sua systole quàm diastole tempus seu motus ad fusam seu se habebit; in quo statu pulsus erit celerrimus atque crebetrimus, vti est pulsus summè hecticus. Atque hunc modum expressimus in instrumento seu organo sequenti.

Huc vsque ergo egimus de pulsibus extremis qui comparatione facta cum æqualibus aut pondere aut iustitia sunt inæquales dicendi; verbigratia pulsus Borealis syst. 6. A—5—4. diast. gratia suæ frigiditatis Borealis, qui est pulsus terreæ melancholiæ, & admodum tardus differt motu temporis à moderate tardo, & motu temporis quietis valde ratus à pulsu tem-

perato

perato inter rarum & crebrum. Sic etiam pulsus Occidentalis syst. 4. A--3--2. diast. qui est pulsus aqueus, tardus est in gradu intensiori, ergo differt à pulsu mediocriter se habente inter tardum & velocem. Similiter pulsus Meridionalis syst. 2. B--3--4. B. diast. est celerior seu velocior quam pulsus moderatus, quatenus inclinat magis in sua temperie versus caloris metam, vnde calidus est & vaporosus. At pulsus Orientalis, videlicet syst. 4. B--5--6. diast. differt ab illo Meridionali, multo magis à temperato æquatoris; vtpote in quo abundat caliditas ignea: quare ipse est admodum velox & creber.


Iam vero de absolute inæqualibus paucis. Pulsus dispar est quando diastole est tardior & systole breuior, vel è contra, vt si pulsus diastoles sit spatii semiminimæ, systoles vero interuallum fusa metiatur, verbi gratia vbi diastoles æquiparatur ad 2--3--4. B. systoles vero ad 4. B--5--9. Ratio est quia calor in diastole superat proportionem frigoris, vnde impeditur parumper, & consequenter longius requirit dilatationis & superationis frigoris spatium quam vbi calor inuenit minus frigoris, atque aërem ob suam subtilitatem magis obedientem. Hoc idẽ accidit, vbi diastole est magis tarda, systole vero minus; videlicet vt vbi systole est 6. A--5--4: diastole 4. A--3--2. vel vbi diastole est 4. A--3--2. systole vero vt 2. A-1-2. B. & sic in cæteris.

Capvt XII.

In quo luculentiori adhuc demonstratione systema, tam quantitatis, quam temporum pulsus vniuersale exprimitur.

SEd quoniam prædicta pulsuum demonstratio videtur esse magis particularis, & ad pulsuum distantias apprehendendas solum modo ordinata, in mentem meam venit organum demonstratiuum huius rei magis catholicum inuenire, per quod non modo notabiles temporum motus & quietis in pulsibus gradus; verum etiam proportionum in eis quantitatiuarum scala optime consideretur. Effigiem autem ipsius ad imaginem meæ machinæ experimentalis sic expressi.

VNIVERSALE PVLSVVM SYSTEMA.



In

In quo organo ex vna parte temporum pulsuum in motu & quiete scalam, ex altera proportionum quantitatis ipsorum systema videre licet.

Vt autem in hemisphærio hyemali interuallum seu spatium inter 6. & 4. videlicet 6—5—4. est proximius polo Boreali, ideo necesse habemus credere quod gratia magni frigoris dominii in eo loco, videlicet quando aqua per aëris contractionem ad 6. eleuatur, pulsus est admodum in suo motu tardus, nec non in sua quiete rarus, & se habet ad pulsus æqualis tempus vt ad arguitque naturam seu morbum ex vitrea pituita (quæ est intensissima) conflatum. Ex opposito quantitas etiam seu proportio calidi innati in isto pulsu arguitur esse valde aut exigua aut à frigore plurimum oppressa, vnde ob istam causam hic pulsus est valde languidus seu debilis: similiter ob illius caloris paucitatem in proportione dimensionis trinæ est breuis, strictus & profundus, quoniam pulsus longus, latus & altus requirit caloris copiam quæ hoc in loco deest; vnde maxime contrahitur spiritus in arteria dominante frigore in ipsa, & consequenter ipsa arteria breuior, angustior & occultior ad contactum sentitur. Hinc ergo est quod cum pulsus tam magnus quā paruus fiat ex compositione trinæ dimensionis, hic pulsus debet esse admodum paruus & non magnus, quoniam ad pulsus valde magni compositionem requiritur dimensio valde longa, lata & alta, & consequenter caloris exuberantia atq; intensio, quæ hoc in spatio seu pulsu omnino abest, & consequenter, loco pulsus valde magni pulsum valde paruum habemus. Hinc ergo arteriam A. cui ista quantitas respondet fecimus maxime breuem, strictam, & paruam, ob contractiuū frigoris hyemalis dominium quo ex omni parte constringitur spiritus arteriæ inclusus, & consequenter ob spiritus contractionem contrahitur etiam arteria A. in minimam quantitatem, vti in systemate videre licet. Procedemus iam ad secundum hemisphærii hyemalis gradum, videlicet 4—3—2. & imprimis examinabimus statum ipsius temporalem: & quoniam inuenimus quod ad æquatorem seu punctum æqualitatis I. prope accedit, & consequenter à Borealis poli inclementia per gradum vnum vel alterum recedit, ideo necesse est vt caloris natiui portio in eo sit longe grandior quam in præcedente, & tamen ad æqualitatis gradum distat, quoniam de humiditate & frigiditate Occidentali magis abundat. Hinc ergo iste gradus pulsus in tempore sui motus & quietis se habet ad illum 6—5—4. vt ad & ad illum æqualitatis, videlicet 2—1—2. vt ad vnde sequitur quod motus eius sit magis tardus, & quies, quam ille 2—1—2. idque in dupla proportione vt ad & minus tardus in motu, & minus rarus in quiete, quā 6—5—4. idq; in dupla proportione vt ad.

Ex opposito in proportione sua quantitatiua illud cœleste, quod appellamus calidum innatum non adeo à frigoris inclementia opprimitur ac in gradu 6—5—4. quare tametsi pulsum satis languidum seu debilem reddit, quatenus in eo frigus Occidentale abundat, tamen quoniam ad æqualitatis metam propius accedit, non ita est languidus & debilis vt 6—5—4. nec ita validus in mediocritate vt est pulsus 2—1—2. quare est magis debilis quam par est, & minus debilis quam primus gradus. Hinc ergo est, quod ob caloris in eo incrementum, non est in trina sua dimensione adeo breuis, strictus & profundus ac erat pulsus 6—5—4. verum enim vero nec est ipse satis longus, latus & altus vt ad iustam æqualitatis sphæram pertingat: quare ipsum nimis adhuc breuem, strictum & occultum propter frigoris in spiritu vitali dominium demonstrauimus, & adhuc satis paruum. Hinc est quod ob caloris exigui accessum quo augetur capacitas arteriæ propter maiorem spirituum dilatationem arteriam B. magis in longitudine, latitudine & altitudine extensam fecimus: nam arteria B. est amplior in sua distensione quam A.

Accedimus iam ad pulsum æqualitatis; vtpote cuius centrum ab æquatore intersecatur; & consequenter ad ipsius compositionem concurrit æqualis frigoris hemisphærii hyemalis & caloris hemisphærii æstiualis portio; vnde fit quod eius tempus in motu tam systoles quam diastoles sit nec tardus nec celer; sed mediocriter inter istos duos dispositus similiter ipsius quies nec rara nec spissa seu crebra; sed æqualiter se habens inter hos duos vt inter & : similiter ex parte proportionum quantitatis quoniam calor natiuus exultat in ista æqualitatis regione, atq; nec nimis in ea accenditur propter æqualem ipsius cum frigore vnionem, ideo pulsus est mediocris in fortitudine, hoc est nec vehemens nec debilis, sed in media inter hæc duo dispositione, videlicet æqualiter fortis & ad pondus, vel saltem ad iustitiam debilis, & consequenter in longitudine, latitudine & altitudine, nec non & magnitudine æqualis. Hinc ergo secundum statum istum mediocrem arteriam (in extensione medio-

mediocri inter nimis magnam & nimis breuem expressimus in scala quantitatiua.

Iam vero progredimur ad pulsuum gradus æstuosos qui in hemisphærio æstiuali reperiuntur; estq; eorum prior videlicet 2--3--4. non ita intensus & vehemens in suis temporib. & quantitatis dimensionib. ac est 4--5--6. quoniam de frigore Occidentali adhuc participat; vnde fit quod in suo tempore motus est magis celer seu velox quã par est, quoniam dominari incipit caliditas hemisphærii hyemalis super eum, nec non in tempore quietis crebrior & spissior quam par est existit: nam ad pulsum mediocrem se habet vt ⁵⁄₄ ad ⁴⁄₃. Porro ex altero latere in sua quantitate pabulũ caloris natiui augetur & intenditur; hoc est, accenditur calor naturæ plus quã par est, vnde efficit vt pulsus iste fiat per gradum fortior & vehementior quam æquum est. Atq; hic obiter notandum quod fortitudo & vehementia pulsus duo requirit ad talem suam existentiam, videlicet augmentationem caloris, atq; etiam proportionem sufficientem humidi radicalis, qui actu caloris intensi potest rarefactione viuaciter eleuare in diastole & deprimere in systole pulsum vnde dicatur fortis & vehemens: nam si humor flammæ multitudine paulatim deuoretur, tum paulatim languidior fit pulsus, & debilior propter humidi radicalis defectum, ad cuius viuacẽ subtiliationem fortiter mouetur; non n. est solus calor qui facit pulsum vehementem, sed ipse subtiliando humidum naturæ facit ipsum dilatare se & dilatando se violenter dilatat & arteriam: vnde si decrescat humor necesse est etiam vt vehementia mitigetur: nam magna flamma citius deuorat oleum lampadis quam minima, & in deuorando furit & sæuire videtur: at quod oleum est fere absorptum, tunc quidem languidior paulatim redditur flammæ actus, & pro vita luctatur quasi flamma in vltima olei consumptione: quare haud est mirum si etiam in principiis & vigoribus morborum ardentium adsit vehementia pulsus: at in fine circa tempus euidentis consumptionis humidi radicalis, paulatim decrescit vehementia, superuenitq; languor & debilitas. Ob istam ẽt rationem fit pulsus longior, latior, altior, & consequenter maior quam par est dũ adest humidũ radicale in suo vigore: at paulatim violentia caloris rapacis decrescente eo decrescit pulsus magnitudo, atq; ita quidem in paruum & debilem euadit, idq; binem ob rationem, imprimis quoniam debilitatur & sensim cõsumitur humor vitæ, deinde quoniam consumpto eo necesse est vt calor decrescat ob pabuli sui humidi defectum; vnde sequitur quod vt calor sensim hac ratione decrescit, ita frigora lente irrepant: vnde fit quod in morbis æstuosis post pulsus vehementes & magnos imbecilli atq; debiles languidiq; superueniant, vbi vadit salus ęgroti in deterius. Pulsum vehementem & magnum in primo gradu per arteriæ D. extensionem, quæ excedit mediocritatẽ in magnitudine, expressi. Verum vbi humidum radicale constat & permanens est, & calidum validum persistit, qualiter accidit ipsis qui in sanitate sua sunt robusti & complexionis bonæ, ibi quidem fortis atque magnus, longusq; persistit pulsus etiã in sanis, verbi, gratia. Si a 2. per 1. centrum ad 2. fit motus, arguit naturam mediocriter fortem, facitque pulsum æqualiter magnum cum perseueratione, at si pulsus adhuc erit fortior & maior, tunc systoles quies erit in 3. hemisphærii hyemalis, & diastoles quies erit in 3. hemisphærii æstiualis centrum erit in 1. quæ est æqualitas vitæ, & consequenter talis pulsus est naturaliter fortis & magnus, quoniam multam sui motus vigore facit viam & mediocri spatio videlicet à 3. ad 3. E regione vero vbi pulsus naturalis est magis in calore debilis & sua quantitate paruus, ibi paucam facit in suo motu viam à quo, ad quem; videlicet à summitate spatii 1. ad eius imitatem; atque talis solet esse pulsus puerilis.

Deniq; ad gradum vltimum procedimus in hemisphærio æstiuali & dicimus quod ob insignem spatii 4--5--6. calorem, vbi 4. est quies systoles, 6. quies diastoles, & 5. centrũ motus vtriusque, tam motus quam quies se habet ad 2--3--4. Ex altero latere, ob quantitatem augmentationis calidi nimis accensi pulsus redditur admodum vehemens dum humidi radicalis portio durat in suo vigore: at quo vehementior iste calor (quoniam nullum violentum perpetuum) eo citius deuorabitur humor, idque præcipue quoniam à sede æqualitatis recessit istorum pulsuum centrum, & consequenter sunt præternaturales. Huius pulsus magnitudinem per arteriam E admodum extensam expressi, quoniam vehemens calor vehementer rarefacit humorem spirituum, & humor rarefactus copiose extendit arteriam.

De inæqualitate quantitatis antea sumus loquuti; & quidem infinita alia de pulsuum inæqualitate per comparationem ad instrumentum hoc in loco recensere possumus, sed non est nobis nunc otium, quoniam alia nos euocant. Quare quæ iam dicta sunt lectorem in campum de pulsuum speculatione ampliorem introducere queunt. Nunc autem ad praxim, & morborum cognoscendorum per pulsus rationem libro isto sequenti paucis ostendam.

LIBER

LIBER QVINTVS,

De Morborum per pulsuum obseruationem cognitione, seu scientia.

CAPVT I.

Quot locis pulsus sunt conuenientius tangendi, & de diuersis tam veterum, quam recentiorum medicorum in pulsuum electione sententiis.

HErophilus philosophus quidem famigerabilis, & in medicina peritissimus, necnon verorum Astrologiæ mysteriorum gnarus, natione Rhodensis, firme contra omnes sustinere est aggressus pulsum patientis non in brachio sed in temporibus esse tangendum, quippe in quo loco pulsum nullo tempore deesse asseuerabat, è contrario vero eum quandoque occultatum & difficulter inuentum audacter affirmauit: vnde factum est propter eminentem illum honorem quem Rhodii ei dum inter homines esset superstes prębuerunt (tanta erat eius post mortem authoritas) vt ipsi eius rudimenta perpetuo sequentes, tangerent solummodo pulsum in temporibus & non in brachiis. Simili plane ratione Asclepiades, vir in philosophia & medicina cæteris sui temporis longe præcellens, qui postquam medicina in vniuersa Europa per 80. ferme annos dormiuisset atque silentio esset posita erat suscitatus, hic, inquam, in insula Mytilena natus pulsum non in brachiis, verum in temporibus aut in naso præcipue esse inueniendum asseruit. At quoniam ista virorum tanta doctrina præditorum non aberrauit à ratione, ideo diu post ipsos medici tam Romani, quam Asiatici hanc doctrinam sunt cum diligentia sequuti.

Verum enimuero Theophrastus Paracelsus, inter medicos modernos, vir vbique per Europam celeberrimus & clarissimus nos monet, vt pulsus plurimorum corporis membrorum tangamus atque vt eos simul conferamus. Imprimis ergo nos iubet tractans pulsus membrorum exteriorum, vt manuum, pedum, secundo colli, tertio laterum seu costarum, quarto illos sub mammis inuentos, ac tum postea illos temporum, dicitque quod si omnes hi pulsus ad inuicem conueniant tunc bonum illud omen significat, sin minus contrarium est iudicandum. Ipse ergo ordinem debilitatis pulsuum quando appropinquat mors sic describit; inquit enim

Quando tendit ad mortem patiens, tunc pulsus
- Temporum omnium est fortissimus.
- Colli in fortitudine illi temporum proximus.
- Laterum est fortis satis, sed non sine manifesta debilitate.
- Brachiorum est debilior.
- Pedum debilissimus, & tunc succedit mors.

Hæc ille, vti ex manuscripto secreto ad quendam ipsius discipulum attinente accepi.

Attamen nihilominus medici hodierni, qui & Galeni sunt imitatores, pulsus solummodo brachii circa receptam manus seu raschetam tangere solent, eiusque vsum super omnes alios collaudare nituntur propter rationes varias ab ipsis allegatas, quarum vna est, quoniã locus iste est magis habilis & paratus ad tangendum, alia quoniam est magis decens & honestus quam si pulsus interiores quærerentur & absque scandalo, tertia quoniam in pulsus brachii contactu non cogitur patiens detegere partes suas secretiores; nam in tali actione etiam verecundia mutari aut variari possunt pulsus: porro etiam in stragulorum & pannorum dispositione aet quandoque frigidus damnum patienti afferre potest. Verum vt mihi videtur, nulla harum excusationum est satis valida & potens, qua deleretur illa Hero-

phili aut Aſclepiadis ſententia, quæ eſt quod temporum pulſus ſunt magis veridici & inuentu certiores.

Denique vbi omnes hi pulſus in quodam nobili hydrope, in primis thoracis ſeu pectoris concauitate laborante, ac tum poſtea ventris & tibiarum, ob pericardii aqua impletionem (vt opinor) eſſent occultati & minime percipiendi, ipſum iugularem non modo digitis verum etiam oculis pulſantem adinueni. Eo igitur mortuo, atque partium deciſione facta totam cordis capſulam, atq; etiam integram pectoris cauitatẽ aqua ſcaturientem obſeruaui, ob quam cauſam pulſum fuiſſe occultatum in omnibus membris externis percepi.

Capvt II.

Quod ſcientia de pulſibus magis in praxi, quam ſpeculatione diſcernitur: & quot in praxi pulſuum ſint conſideranda.

EX præſtantiſſimorum cum philoſophorum, tum medicorum conſenſu inuenimus, quod exquiſita pulſuum ſcientia non ex antiquorum medicorum ſcriptis, hoc eſt per theoriam, ſed per vſum & praxim principaliter ſit extrahenda atque haurienda; haud aliter quam muſicam ſpeculatione ſolummodo conceptam niſi in praxim producatur nullius eſſe momenti experientia teſtatur. Quare vt ad pulſuum praxim calami mei argutiam conuertam me, ſuadet, monetque huius de pulſibus hiſtoriæ complete perficiendæ neceſſitas.

Ad praxim autem quod ſpectat ſciendum eſt, quod in recto pulſuum contactu quinq; ſunt requiſita, quorum
- Tria ex parte ſunt patientis cuius pulſus tractatur.
- Duo ex parte medici cuius eſt tractare ſeu palpare pulſum.

Ex parte patientis qui tangitur

- Primo requiritur quod in meliori ſua temperie & præſtantiori vitæ compoſitione tangatur, atque recte cognoſcatur pulſus ipſius ſtatus, quo melius intelligat paties quam procul elongatur eius pulſus in quacunq; infirmitate, ſiue ſit illa deuiatio ad extremitatem hyemalem vel æſtiualem facta.
- Secundo, quod pulſus debeat tangi quando animus ſit à paſſionibus liber, & cum ab omni re complexionem alterante præterquam à ſolo morbo ſit liber.
- Tertio, quod ſi iuxta medicorum hodiernorum conſuetudinem brachii pulſum tangere velimus, fiat talis contactus manu exiſtente lateraliter & non ſuper volam neq; reſupine poſita: non, inquam, debet manus locari ſuper volam, vtpote quæ manus poſitio addit in augmentum latitudinis, & minuit ex eleuatione & longitudine: neque debet reſupinari aut poni ſuper dorſum, quod addit reſupinatio in eleuationem & longitudinem, & diminuit ex latitudine.

Ex parte medici in pulſuum praxi duo hæc obſeruantur

- Primum quod medicus ſit in complexione ſua ſatis temperatus & bene compoſitus, & ab animi accidentibus ſeu paſſionibus immunis, ita à vera pulſuum diſtinctione & ab eorum ſecretiori obſeruatione diſtrahi vt præſtantior iudicii pars eum hac ratione latere poſſit, atque taliter eum decipi atq; ſæpenumero falli non eſt mirum.
- Secundum vt tangat pulſum in brachio ſiniſtro propter maiorem in ſuo de pulſu iudicio directionem: quare vt eleuet manum infirmi ſiniſtram ſuadeo, idque cum ſua ſiniſtra, & figuret manum ægroti ſuper latus ſine digitorum ipſius extenſione aut conſtrictione, ſed fiat ipſius manus poſitio in mediocritate inter plenam extenſionem & completam plicaturam: & tunc conuenit quod Medicus cum 4. ſuæ manus dextræ digitis exten-

extensis, ponendo 4. dictos digitos ordinate super loci prædicti arteriam tangat pulsum, & consideret omnes eius varietates ex parte systoles & diastoles, & ex parte quietis inter illas: hoc enim modo non erit perito & consulto medico difficile pulsuum longitudinem latitudinem, & profunditatem, magnitudinem & paruitatem atque cæteras varietates pulsibus conuenientes, idque cum facilitate haud exigua inuestigare.

CAPVT III.

Breuis præsagiorum cuiuslibet pulsus speciei ex Galeno & Auicenna collectio.

IAm vero declarabo paucis, quid Galenus, quidque Auicenna de pulsuum particularium significatione existimauerint, vt eo melius meam tum postea methodum exprimendo quid ego de ipsorum præsagitione sentiam, exprimam.

Magnus pulsus significat euentationes, è contra vero paruus. Gal. 1. *de caus. puls. cap.* 5. & 4. *cap.* 1. *de præsag.* Auicen. 2. *prim.* 6.

Vehemens pulsus significat virium robur, è contra languidus 1. *præs. pul. cap.* 7. 4. *de caus. pul. cap.* 1.

Celer & creber significat instrumenti mollitiem, è contra tardus & rarus 2. *de præs. ca.* 1. & 5. 1. *de caus. pul. cap.* 4. & *lib.* 4. *cap.* 21.

Longus arguit siccitatem & eliquationem, è contra breuis 1. *præs. cap.* 3.

Latus abundantem humiditatem, è contra angustus, *Ibid.*

Altus denotat robur & obedientiam instrumenti, è contra humilis *Ibid.*

Durus indicat duritiem instrumenti, è contra mollis. *Ibid. cap.* 4. & 7. 1. *de caus. puls. cap.* 9.

Plenus humorum copiam, è contra vacuus *Ibid.*

Calidus importat cordis & instrumenti caliditatem 1. *de caus. pul. cap.* 9.

Frigidus cordis & instrumenti frigiditatem *Ibid.*

Humidus cordis & instrumenti humiditatem, *Ibid.*

Siccus cordis & instrumenti siccitatem, *Ibid.*

Inæqualis cordis exprimit intemperiem, *de præs. l.* 2. *c.* 4.

Inæqualis æqualiter virtutis resolutionem, *l.* 1. *de diff. pul. cap.* 11.

Inæqualis inæqualiter virtutis aggrauationem, *Ibid.*

Vibratus & dicrotus virium robur, & auctam necessitatem, atque instrumenti duritiem, 2. *de caus. pul. c.* 6.

Caprizans virtutis lapsum cum refocillatione. Auic. 2. *prim. doct.* 3. *cap.* 6.

Bis feriens arteriæ duritiem, virium robur & auctum vsum, 2. *de caus. pul. cap.* 6.

Innuens notat imbecillitatem virium & instrumenti duritiem, 2. *de caus. pul. cap.* 10.

Circumnuens arguit instrumenti inobedientiam, & debiles vires 2. *de caus. puls. cap.* 10.

Intercurrens cordis & instrumentorum aggrauationem, 2. *præs. cap.* 5.

Soricinus debilitatem virtutis à quiete ad laborem & è contra. 2. Auic. *pr. doct.* 3. *cap.* 6.

Mutilus decurtatus imbecillitatem virtutis Auic. 2. *pr. doct.* 3. *cap.* 6.

Deficiens decurtatus imbecillitatem virtutis semper deficiendo, 2. *de caus. puls. cap.* 3.

Decurtatus reciprocus denotat imbecillitatem virtutis cum quiete redeundo, *Ibid.*

Vndosus casum virtutis, instrumenti duritiem, *Ibid. c.* 8. Auic. *Ib.*

Vermiculans maiorem casum virtutis, Gal. *Ib.* Auic. *Ib.*

Formicans maximum casum virtutis. Gal. & Auic. *Ibid.*

Hecticus, tremulus, virium robur, auctum vsum, instrumenti duritiem, 2. *de caus. pul. cap.* 6. Auic. *Ib.*

Soricinus diuersitatem humorum in venis existentium, duritiem venarum, apostemata in membris neruosis 2. *de caus. pul. c.* 12.

Galeni ergo atque Auicennæ in pulſuum præſagitione ſeu prognoſtico per pulſus, iſto modo præpoſitis ad methodum & ordinem atque mentem meam de eodem ſubiecto explicandam ſic progredior.

Caput IV.

Quod pulſus ſint, ratione diuerſitatis diſpoſitionis ſuæ, atque morborum in quibus contingunt, vel Orientales, vel Occidentales, vel Septentrionales, vel Meridionales, & quod iuxta iſtas ſuas conditiones de morbis per eos præſagire debeamus.

CVm certum ſit, atque à Galeno pro conceſſo habeatur, quod ventorum afflatus ſoleant morboſa meteora per occulta ſua ſpermata in aerem diſſeminare, quæ tum poſtea nos inſpiramus, niſi à Deo miſereſcente mediante bono hominis genio auertantur, dubitare quidem haud debemus quin pulſuum mutationes variæ, actuumque eorum præternaturalium diſpoſitiones à 4. ventorum proprietatibus deſcendant; quemadmodum à nobis abunde explicatum atque declaratum inuenietis. Quod cum ita ſe habeat, facillimum erit pulſus naturam per morbum cuius eſt pulſus, atque itidem morbi naturam per ipſius pulſum inueſtigare. Pulſus igitur iuxta morborum naturas (ſpirituales ſeu ventoſas) quorum ſunt pulſus, ita diſtinguimus.

Pulſus reſpectu ſuæ naturæ ſunt vel magis
- Simplices ex peculiari nempe venti proprietate creati, & ſunt vel
  - Frigidi, eique vel
    - Septentrionales.
    - Occidentales.
  - Calidi, & ſunt
    - Meridionales.
    - Orientales
- Mixti, ex afflatu plurium ventorum vel oppoſite, vel tranſuerſim ſpirantium producti.

Et quamuis hoc certum eſt, quod nullum agens aut patiens in ſe poſſit ex vnica re conflari aut componi, ita quidem impoſſibile eſt vt aliquod meteoron ſiue ſit ſalubre ſiue inſalubre, & conſequenter nullus pulſus qui ex meteoris conflatus ex vnico abſolute vento conflari queat: vnum enim neque pati neque agere poteſt, quoniam actio requirit ſubiectum in quod agat, & paſſiuum itidem agens cuius actus patiatur. Quare dicimus morbos ſeu meteora morboſa atque ipſorum pulſus magis ſimplices & non abſolute ſimplices, quoniam maxime de hoc vel illo vento in maiori ſuo dominio participant, vt cometa de igni Orientali, & cauſos febris, & phrenitis: quamuis ſit certum quod pluribus conſtare debet omnis compoſitio, videlicet elemento & eſſentia venti: ſic cometa vel fulgur eſt aer proprietate ſeu ſeminariis Orientalibus accenſus: ſic pro meteori Orientalis conſiſtentia magis ſimpli-
In aph. 6. 50 ci dicit & fatetur Galenus, quod *bilioſus humor ſemper cum ſeroſa ſuperfluitate ſit.* At vero tum meteoron, tum pulſum vocamus magis mixtum, quando euidentes ventorum oppoſitorum effectus apparent in eorum compoſitione: ſic ad tonitrua & fulgura producenda requiruntur aqua & ignis, & in febribus intermittentibus identidem quæ cum frigore incipiunt & cum æſtu extremo finiunt non ſine ſudore copioſo; non aliter quam in tonitru primum nubes aquoſas in molem congregari, deinde fulgura æſtuoſa ex ipſis erumpentia, aerem vndique inflammare; ac denique nubes in madores ſeu ſudores pluuiales diſſolui videmus. Atque hæc eſt ratio quod vt multiformis eſt febris intermittentis ſtatus, ita quidem variatur pulſus in ea ſecundum diſpoſitionem humoris per vices in ipſa dominantis, vt infrà perſpiciemus.

De ſimpliciori pulſus calidi & frigidi ortu Galenus ita. *Frigida intemperies paruam,*
De præſ. ex pulſ. l. 4. 1. *tardam, raramque reſpirationem creat, non aliter atque pulſus. At defluxiones frigidæ pulſus pariter*
Ibid. 6. l. 3. cap. 2. *mutant.* Et alibi, *Intemperantiæ frigidæ efficiunt contrarios pulſus ei calidæ,* videlicet paruos, tardos, raroſque, calidæ vero magnos, veloces & crebros.

1. *De*

I. *De Pulsibus morborum Septentrionalium.*

Pulsus frigidi Septentrionales sequuntur meteora morbosa ab afflatibus Septentrionalibus orta, cuiusmodi sunt

- Flatus hypochondriacus.
- Tristitia, Melancholia.
- Apoplexia, Epilepsia.
- Congelatio, Paralysis.
- Conuulsio, seu spasmus. Catoche.
- Catalepsis, Lethargus.
- Elephantiasis, Febris quartana.
- Syncope, Cordis tremor.

Tristitia quatenus refrigerat & calorem intro concitat, ideo pulsum affert paruum, languidum, tardum & rarum. *De caus. pul. l. 4. c. 3.*

Certum est autem quod, vt (teste Galeno) Apoplexia fit, tam propter melancholiam, quam propter pituitam, ita quidem pulsum habeat varium necesse est, videlicet tam ad proprietatem Borealem inclinantem quam ad Occidentalem: ad Borealem dico, quia vt frigus eius est admodum durum, inclemens & siccissimum (vnde Dauid, coram frigore eius quis consistit?) ita quidem pulsum requirit magis lentum, tardum, durum, atque debilem: magis tardum, quia frigus Boreale fixat, & quiescere facit: magis durum, quia spiritus constrictione indurat: magis debilem, quia calori vitali nihil frigore Boreali magis contrarium, aut infestum. Quod denique à frigore Boreali creatur Apoplexia quandoque sic Galenus. Apoplexiæ in hyeme fiunt propter intensam frigiditatem: quare in tali casu pulsus mensurari debet spatio syst. 6. A.—5.—4. diast. *In Aph. 6. 56.* *In Aph. 3. 23.*

præsertim si non adsit ei dispositio febrilis complicata. Porro alibi ait, quod *Apoplexia fit ab humore pituitoso, frigido & crasso*. Vnde & alibi. *Apoplexiæ fiunt temporibus pluuiosis*, hoc est, à nimia humiditate Occidentali, & tunc vt natura seu humor Occidentalis, videlicet venti Cori est magis in frigore temperatus, & non adeo crassus & viscidus vt Circius, Boreas vel Aquilo, ita necesse est quod pulsus eorum morborum, qui ex eius proueniunt afflatu sint magis in tarditate & languiditate temperati, & ad interuallum syst. 4. A.—3.—2. diast. in suo motu comparabiles. Hoc etiam idem in reliquis pulsibus est considerandum. *Loc aff. l. 4. cap. 2.*

Est ergo pulsus Apoplexiæ idem cum illo Epilepsiæ, non enim differt hæc ab illa, præterquam quod hæc cum periodis est, illa sine periodis; præterea Apoplexia, Epilepsia, Paralysis solent ex eadem specie materia grossa, frigida, & phlegmatica componi.

In Epilepsia ergo pulsus est inæqualis, quatenus frigus septentrionale prænalet nimium in elementi aquei condensatione, vnde inæqualitas in systole accedente proportione esse solet, cum tensione quandoque est propter conuulsiuam ipsius violentiam, tardus vero, paruus & languidus, quia deprimitur & quasi præfocatur calor à frigore Boreali. Hic ergo notandum quod quo magis viscida & congelata est materia eius, atque etiam cæterorum membrorum frigidorum, eo tardior & languidior est pulsus, quoniam cũ frigiditas sit motui & actiuitati contraria, & frigiditatis extremitas sit in polo Arctico, eo morbum magis Borealem arguit.

Stuporis seu paralysis pulsus est tardus, paruus, imbecillus, & nonnullis rarus, aliis vero crebrior, ob salsedinem quandam inæqualiter cum pituita gelida mixtam, vnde fit quod talis pulsus in nonnullis obseruatur esse inordinate intermittens, ratione inæqualitatis seminariorum diuersorum ventorum cum in ventriculis cerebri tum in corde mixtorum.

In congelatione omnium tardior & in paruitate indifferens est pulsus propter rationes antea allegatas, vt in catoche dicitur.

In conuulsis seu spasmaticis arteria videtur contrahi ac vndique coarctari, similiter videtur magis durus contumax, vehemens & magnus quam reuera est: nam istud fit violentia morbi, est enim *causa morbi*, vt testatur Galenus in Hipp. cum humor melancholicus tum pituitosus, vel vt alibi ait, à *crassis, frigidis lentis & pituitosis humoribus neruos implentibus*: vnde sequitur, quod pulsus in Septentrionali eius statu sint tardi, non ita parui in se & languidi, sed ratione commotionis violenti, videntur contrarii. *Aph. 6. 56.*

Catochorum, hoc est stupore correptorum in omnibus similes sunt pulsus illis lethargi, præterquam quod lethargici sunt vt plurimum inæquales: at Catochici æquales quoniam non sensibiliter ex contrariis, sed potius ex vapore congelato & mere Boreali constant: tametsi Galenus dicit, Catalepsim & Catochen, Apoplexiam, Epilepsiam & Soporem ex crasso viscido, & frigido humore prouenire.

Int.c.14. Lethargia etiam nominatur inter illos morbos longos qui à pituita & melancholia fiunt: quare teste Galeno, eius pulsus est tardus, rarus, paruus, strictus, inæqualis, languidus *Gal.ad tyr.* mollis, in vno pulsu, nam in vno ictu quandoq; interpellatur & vndosus est & dicrotus.

Int.24. Elephas est morbus melancholicus à pituita crassa & mucosa & a ra bile originem suam *De symp. caus.l.3.c.1.* ducens, atque à melancholia, vt alibi, vnde teste Galeno, pulsus tali morbo affecti est tardus, paruus, languidus & creber; creber, inquam, quoniam cum salsedinis Meridionalis portione permiscetur, vnde fit vt aliquid suæ tarditatis diminuatur.

Febris quartana quatenus de euidente frigiditate & caliditate quasi per vices patefacit in suo accessu, ita necesse est quod pulsibus fruatur distinctis & variis. Si autem sit magis septentrionalis, vt ea à sanguine adusto, pulsum habebit pleniorem & magis vndosum: si autem cholera seu ventus vel Orientalis vel Meridionalis in ea præualeat, tunc velocior & maior est in suo motu; si à phlegmate, magis tardus & paruus: nam vt ad febrium intermittentium existentiam varii concurrunt venti; ita quidem iuxta venti prædominantis naturam erit pulsus cum quantitas trina, tum motus in velocitate vel tarditate.

Syncopes etiam pulsus quatenus mutatur in paruitatem & tarditatem, atque etiam quia accidit cum extremorum frigiditate & ex cordis contractione quæ à frigore fit, sub isto pulsuum genere etiam numeratur.

Porro etiam cordis tremor quippe qui est morbus meticulosus, stupidus & phlegmaticus, Borealis dicitur, vnde etiam ei adest pulsus inordinatus & paruus, ob subitaneam caloris fugam.

Dicimus ergo, quod iuxta Galeni doctrinam, quatenus frigiditas supra allegata producit pulsum tardum, rarum, paruum & debilem, sequitur quod morbi tam præsentes quam futuri qui ex seminariis septentrionalibus procreantur facillime ideo per pulsus similes dignosci atque detegi possunt, quia interna morborum illorum seminaria pulsus illos fecerunt tales quales sunt, atque proinde pulsus extrinsecus meteora patefaciunt sui generis morbosa in corpore occulte delitescentia, tam quæ nondum completa sunt, sed in suo ortu & incremento adhuc manent, quam quæ ad completum morbi habitum pertigerunt. Atque hoc idem de pulsibus cæteris est iudicandum.

In vltimo loco sciendum est, quod tarditas & raritas pulsuum cum septentrionalium tum Occidentalium est ob diminutionem caloris cuius est velociter mouere, & præsentiam frigoris præcellentis cuius est tardum & ad fixationis gradatim complementum humores deducere constrictiua sua proprietate. Hinc etiam est, quod pulsus fit paruus & languidus, quoniam magnus requirit calorem, qui subtiliando spiritus nimium potest arteriam distendere secundum omnes suas dimensiones, econtra vero res se habet in frigoris dominio.

Concludimus, ꝙ vbicunq; pulsus septentrionales sentimus, ibi vel præsenter vel in futurum expectanda sunt meteora morbosa ex parte septentrionis, ꝙ in genere arguant istiusmodi pulsus vel caloris natiui suffocationem & fere extinctionem, vel saltem quod calor à frigore dominante in antris suis intimis incarceratus retineatur.

De Pulsibus morborum Occidentalium.

Pulsus frigidi Occidentales sequuntur meteora morbosa à proprietate Occidentis orta atque deriuata, cuiusmodi sunt

- Epilepsia, Apoplexia.
- Paralysis, Hydrops.
- Conuulsio, Sopor.
- Caroche, Catalepsis.
- Scotomia, Febris quotidiana.

Si quisquam in Philosophiæ mysteriis bene versatus obseruauerit ventorum situs atque distantias, percipiet quidē in ipsis quod integer elementorum ordo in iis obseruatur: nam vt terra est fixa & omni alio elemento immobilior, ita est spiritus septentrionalis frigidi proprietas; vnde fit quod aerem admodum mobilem in niues, pruinas & grandines conuertat suo spiramine, aquam etiam in sua regione satis mobilem, fixat & coarctat in glaciem. At vero secundus elementorum gradus, videlicet aqua, consistit in afflatu Occidentali, quoniam Occidens est directe inter septentrionem & Meridiem situs, vnde vt ex vno extremo accipit de frigore, ita quidem ex altero de calore participat; quare gratia caloris quem occulte in se retinet aqua (quippe quæ nihil aliud est quam aer condensatus) moueri solet, sed magis lente quam aer, & aer iterum quam ignis. Hæc est ergo ratio quod humores, & consequenter meteora Occidentalia siue sint salubria siue insalubria sint magis mobilia & non ita lenta & compacta quam illa septentrionalia.

His

His igitur consideratis pro certo statuere debemus quod prædicta omnia meteora & humores à flatu Occidentali producta aliter se habent tam in eorũ compositione, quippe quæ est magis fluida & attenuata & non ita compacta, quam in eorum motu, & consequenter ipsorum pulsus non sunt ita tardi, parui, rari, atque languidi ac illi septentrionales, quoniam in his abundat aliquid caloris: nam aliter venti Occidentales non possent solidos ventorum Borealium, imo vero omnium septentrionalium liquefacere effectus nisi aliquid caloris eis adesset: at quo magis calor adest elemento tam macro quam microcosmico, eo mobilius, velocius & maius atque vehementius est in sua virtute.

Hi omnes ergo pulsus quatenus sunt frigidi respectiue & non absolute se habent in suæ systoles & diastoles spatio siue interuallo, vt syst.4.A.—3.—2.diasto. quod Occidenti attribuitur ad syst.6.A.—5—4.diast. quod septentrioni adscribitur: nam vt hæc eadem meteora simul atque eorum pulsus ventis septentrionalibus assignantur, ita quidẽ ex melancholia seu humore fecali vel adusto & incrassato generantur; verum quatenus à plaga exurgunt Occidentali eatenus à pituita seu phlegmate tenuiori & non ita frigido, viscido & congelato creantur, vt Galenus vult. Ego vero hæc omnia occultis ventorum seminariis attribuo, quæ vt primum iuxta naturalem suam proprietatem sunt per meatus in cor & reliqua corporis membra introducta spiritui seu aeri humano aptant pondera, & eum inspissant vel attenuant iuxta spirituum seu astrorum inuisibilium à ventis inspiratorum naturas: nam vt in macrocosmo videmus quod afflatus septentrionales emittunt spirituum seu seminariorum multitudinem, quorum est ex natura aerem in niues, grandines, pruinas & gelu condensare & fixare, ita quidem tales spiritus humanum mutant aerem, & pulsus secundum normas suas pulsare faciunt. Et hoc idem de cæteris ventis est intelligendum.

Denique febris quotidiana in principio habet pulsum paruum & occultum, quoniam in principio accidit cum immodica frigiditate extremitatum. In statu, quia calor non est intensus, habet pulsum lentum & occultum atque diuersum.

Ascites, qui est vna hydropis species habet pulsum paruum, crebrum, subdurum. *Ad Syr.c.4.* Tympanites longiorem, non imbecillum, celeriorem, crebriorem quia ventis calidis admiscetur. Anasarca habet vndosum, latum & mollem.

Concludimus ergo, quod pulsus hi Occidentales qui sunt nec nimis tardi nec nimis parui indicant morbos occidentales vel præsentes, vel futuros.

Iam vero ad pulsus ventis calidis appropriatos venimus.

De Pulsibus morborum Orientalium.

Pulsus calidi Orientales sequuntur meteora morbosa quæ ex plaga Orientis sunt emissa, cuiusmodi sunt	Ira, Furor, Phrenitis. Caulos, seu Febris ardens. Icteritia, seu morbus regius. Ephemera. Febris tertiana.

Iam vero venimus ad morbos Orientales cũ pulsibus ipsis maxime propriis, & cõsequẽter eos vel præsentes vel proxime futuros indicantib⁹. Secundũ est igitur quod isti morbi seu meteora morbosa extremitatẽ hemisphærii æstiualis occupant, in qua instrumẽti portione aer est adeo subtilis & calor cõsequenter ira intens⁹ vt nõ sit mirũ si vitæ spiritus in systole velociter, crebriter, & cũ adest sufficienter humor radicalis, vehementer & cũ magnitudine moueatur. Sed quoniã est alius in spiritibus calor præternaturalis qui est magis siccus, alius cum humiditate, & consequenter putrid⁹ (nã ait Galen. *cordis calor varians pulsum aut à putridis est genitus humoribus*, atq; huius acris qualitas est fumosa aut cũ humiditatis defectu remotus est à natura) ideo pulsus calidos in siccos & igneos seu Orientales vel humidos & putredinẽ concomitantes, cuiusmodi sunt Meridionales faciunt, calidi vero & sicci morbos Orientales vel præsentes designant, vel proxime futuros præsagiunt. *De Præs. Pul.l.3.c.2.*

Interuallũ a. inter diastolen & systolen pulsuũ Oriẽtaliũ se habet vt syst.4.B-5.-6.diast. At spatiũ cũ systoles tũ diastoles pulsuũ Meridionaliũ vt syst.2.B.-3.-4.diast. Quibus euidens est quod hi sunt magis in sua velocitate, vehementia, crebritate & magnitudine moderati, illi vero magis in se intensi atque immediati.

Iræ ergo atque furoris, quæ sunt subitaneæ passiones animi à cholera seu spiritu Orientali, pulsus est valde celer, vehemens, altus, magnus & creber. *De caus. l. 4.c.1.*

Phreneticorũ pulsus est magnus, neruosus, mire celer & creber, ob nimiã caliditatem.

Causi seu febris ardentis non ita magnus ob humiditatis radicalis à nimio calore absumptionem, sed motu velocissimus.

Ictertico-

Ictericorum, si abit febris, pulsus est paruus, quia bilis non accenditur, creber, languidus, nec admodum celer: nam bilis cum nimia serosa humiditate permiscetur, vnde fit vt accendi non possit.

Ephemeræ, vtpote quæ à leui naturæ commotione non plurimum distat à Subsolani natura, vnde fit, quod à motu pulsus naturalis non multum abest.

Tertianæ febris pulsus in ipsius principio est occultus, postea velox & semper æqualis: sed quoniam spuria tertiana se habet vt fulgur æstuosum in nube aquatica, ideo pulsus eius est varius, secundum dominiū seminariorū venti vel frigidorū vel calidorum.

Quod autem morbi sint à bile flaua, nos docet Galenus *Introd. med. cap.* 14.

Concludimus deniq; quod pulsus Orientales tam indicant meteora morbosa præsentia quam prognosticant futura quæ à proprietate Orientali dependent: nam semper hæc sit regula constans, quod quo velocior, crebrior, & vehementior est pulsus, eo morbos naturæ Orientali in suis proprietatibus propinquiores significat.

De Pulsibus morborum Meridionalium.

Pulsus calidi Meridionales indicant meteora morbosa à seminariis Meridionalibus orta, cuiusmodi sunt:
- Phthisis.
- Empyema.
- Synanche, seu Angina.
- Pleuritis.
- Peripneumonia.
- Febris putrida à sanguine.
- Pestilentia,
- Variolæ.
- Febris hectica.

Quod putredo seu aer putridus sit vt plurimum à ventis Meridionalibus sæpius in præcedentibus expressimus. De isto Galenus hæc. Vbi aer quem spirando attrahimus infestus putredine est, & putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulsus fiunt, videlicet nec parui, quia frigidæ est arteriæ reddere, nec magni, quos calidæ est, sed inter vtrosque medios. Verum si vnam apposueris manum pectori seu cordi aliam arteriæ, principium quidem motuum percipies vnum fieri, sed diffidebunt magnitudine, celeritate & vehementia. Porro ibi ostendit rationem inæqualitatis pulsus propter cordis à putrido aere inflammationem, & materiæ in arteria frigiditatem, quorum contentione seu conflictus varius atque inæqualis procreatur pulsus. Sed reuera hoc totum contingit propter ventorum oppositorum seminariorum in aere humano inter se collaudationem; vnde etiam fit quod pulsus inæquales tam interrupti & intermittentes atque inordinati, quam bis ferientes, caprisantes & vndosi accidant: nam vbi seminaria venti calidi cum illis frigidi concurrunt, non aliter opposite agunt in spiritu vitæ quam nubes pluuiosæ & fulgura in ipsis comprehensa violentiam tempestuosam ratione contrarietatis efficiunt. *De Præs. ex pul. l. 3. c. 2.*

Hic vero de pulsibus morborum à putridis & acribus fumis atque humoribus ortorum differere nostrum erit.

Phthisis quæ à putrido & fumoso atque acri aere nutritur, & consequenter more Meridionali & putredinoso inflammat pulmones & ipsum cor, pulsum sibi vendicat cōditione talem, videlicet imprimis paruum quoniam plenus est hic morbus humore aqueo in putredinem conuerso, nam fatetur Galenus pituitam posse putrefactione in bilem mutari: nam vt inter Occidentem aqueum & Orientem igneum intercedit Meridies putredinis fons, ita inter pituitam & bilem se habet putredo: at putredo sine calida humiditate existere nequit: quare occulta frigiditas quæ concomitatur humiditatem efficit vt pulsus Meridionalis se habeat inter valde paruum pulsum & magnum: deinde est languidus, quoniam humidum radicale in putridā conuersum conditionem viscidum redditur & fortiter se manifestare nequit. Denique est modice celer & hecticus, quia impeditur eius caliditas per putrefactionem acquisita nimium spiritus subtiliare, cum gratia putrefactionis eos viscidos & purulentos reddat, vel saltem putridis fumis ipsos contaminet, vel gratia multitudinis humoris catarrhosi descendentis in pulmones, qui spirituum attenuationem, celeritatem pulsus magnam impedit: nam in magna celeritate requiritur obedientia spiritus, quæ fieri non potest sine ipsius rarefactione, quæ rarefactio non absque magno calore igneo & sicco perfici potest: vnde fit quod calor putridus Meridionalis sit leuior celeritatis & vehementiæ gradus, & cōsequenter eius pulsus se habet in hemisphærio æstuali B B. vt syst. 2. B.—3.—4. B. quod motus tempus seu spatium gratia humiditatis aeris Meridionalis non potest esse tam velox aut vehemens vt spatium syst. 4 B.—5.—6. vtpote quæ proportio ingreditur in sphæra ignis seu plagā Orientis. Sed ad rem. *In Aph. 7.*

Empyema habet pulsum suppurationis,& consequenter Meridionalem nonnunquam inæqualem, videlicet cum ex seminariis ventorũ oppositorum videlicet septentrionis & Meridiei fit;nã putredo sine horũ concursu fieri non potest,nã nisi esset perpetua contentio inter ista duo seminaria in mixtione,conuerteretur humor in sanguinem, essetque secundum & non præter naturam :quandoque ergo est talis pulsus inordinatus, sed omnibus est hecticus.At quando pus appropinquat ad maturitatem, tunc quoniam frigidum in humore crudo concoctione conuertitur in calidum & ex heterogeneis iam homogeneum fieri incipit,tunc æqualior fit pulsus,nam frigus septentrionale superatur à proprietate Meridionali & inæqualitas ac renitentia tollitur. Denique cum pus erumpit,pulsus redditur languidior,latior,tardior & rarior, quoniam compressio per eruptionem tollitur,& frigidior redditur locus per materiæ purulentæ euacuationem.

Synanches pulsus est satis magnus ratione febrilis caloris qui eum concomitatur, vndosus ob spirituum fluctuositatem:at si fere suffocantur, tunc pulsum paruum & rarum habent ob inspirationis defectum:at vbi iam animam agunt,pulsum habent crebrum & inæqualem ob spiritum inflammationem gratia defectus aeris contemperantis.Est autem hic morbus,teste Galeno,ex illis qui sequuntur flatum Australem.

Pleuritidis pulsus est quandoq; serrinus,nõ vt nonnulli volunt,quia morbus in membro panniculoso est positus,sed quia defluxionis seminaria sunt varieformia videlicet partim ex grandinosa & dura Boreali dispositione & partim ex molli Meridiei natura, ex quorum actione & resistentia fit apostema pleuriticum. Est etiam pulsus eius celer,creber & ob inflammationem loci & febris præsentiam : at non admodum vehemens nec magnus: estque ex numero suppuratorum.

Peripneumonia habens pulsum magnum & vndosum, languidum,mollem,præpollet inæqualitate,& in vno pulsu,& in vno ictu interpellatur,& vndosus est & dicrotus: & cum vehementior est febris quæ eum comitari solet, tunc erit pulsus abunde creber. Atque hoc totum habet à diuersitate seminariorum materiæ in pulmonibus collectæ, & ob inflammationem grandem quæ est in loco affecto.

Febris putrida sanguinea pulsum habet plenum, vndosum,sed diuersum,gratia oppositionis seminariorum in venis arteriosis inter se reluctantium.

Denique Pestilentiam & pulsus eius atque etiam illos variolarum à flatu Austrino vt plurimum dominante cum seminariis Aquilonaribus in remissiori gradu prouenire testantur Galenus & Hippocrates in *libris morborum Epidemicorum*, quorum pulsus quales sint, *ibidem loci* reperietis.

Porro notandum serio quod signa pestilentiæ figuræ sunt cum appatet cometa crinitus,vel candela rotunda,similiter quando tempus est admodum inæquale,videlicet cum modo est calor modo frigus,siue in eodem siue multis diebus, ac simul aer spissus & caliginosus est.Quibus etiam admonemur quod putredo pestifera atque etiam omnis alia proueniat à variis diuersorum & contrariorum ventorum seminariis, quorum alia sunt frigida,alia calida,de quibus intendit Hippocrates vbi ait , in magnis temporum mutationibus magni expectandi sunt morbi.At ibidem narrat Galenus,quod mutationes in frigore & caliditate fiunt à ventis.

Ad Febrium vero hecticarum pulsum quod attinet ille quidem in secunda eius specie in qua apparet siccitas notabilis est velox,& se habet sicut videmus in calce viua quando aqua super ipsam proiicitur.In tertia eius specie est pulsus debilis & vacuus propter humidi radicalis absumptionem,vnde & durus est ad instar chordæ extensæ. Porro marcescentium pulsum agnoscit Galenus esse celerem & mire crebrum.

Concludimus ergo quod per pulsus Meridionales morbi Meridionales tam occulti quam manifesti,hoc est tam futuri quam præsentes deteguntur.

Infinitum foret hoc in loco de infinitis pulsuum significationibus,qui secundum infinitas in pondere ventorum variorum mixtiones contingunt verba facere. Sed proculdubio quot in rerum natura sunt mixtiones, tot etiam in pulsibus reperiuntur variationes.

Flud. de Pulsibus. MM CAPVT

Caput V.

De rebus quæ non naturaliter ita alterant pulsus, vt Medicus inde decipi, & in errorem induci queat.

Nec satis est, quod vrina meretrix, verum etiam quod ipse pulsus nonnunquam fallax.

1. Mutatur pulsus varieformiter, videlicet vel secundum
   - Sexum, vel masculinum vel fœmininum.
   - Corporis habitum.
   - Ætates.
   - Somnum & Vigiliam.
   - Temperamenta, seu complexiones.
   - Exercitationes corporis.
   - Passiones animi.
   - Anni tempora.
   - Regionis temperiem.
   - Ventorum dominantium proprietatem.
   - Cibi & potus
     - Quantitatem.
     - Qualitatem.

2. Variatur secundum sexum vel
   - Masculinum: nam viri pulsus est illo muliebri longe maior, vehementior & paulo tardior, satisque rarus, ob caliditatis & siccitatis in ipso dominium.
   - Fœmininum: nam mulieres vtpote frigidiores & humidiores viris pulsum requirunt magis paruum, non ita vehementem, & adhuc tardiorem ac rariorem quam est ille virorum.

3. Mutatur iuxta corporis habitum, nam
   - Graciles maiorem, celeriorem, crebriorem, & aliquantulum vehementiorem habent pulsum quam habitu pleniores.
   - Pingues & habitu pleniores, vtpote frigiditate maiori præditi, pulsu gaudent magis tardo, paruo & raro.

4. Alteratur etiam pulsus multipliciter secundum ætatem, habet enim ætas
   - Puerilis pulsum magis celerem, leuem & mediocriter magnum, fortem & spissum, propter humiditatis atque caliditatis copiam.
   - Iuuenilis valde magnum satis velocem, & ad raritatem parumper inclinantem. In principio ergo istius ætatis hi pulsus sunt magis mediocres, in medio & fine fortiores, ob caloris naturalis incrementum.
   - Senilis tardum, atque in prouectiori senectute paruum, rarum, tardiorem, ob frigoris copiam & quamuis pulsus talis naturaliter ob eius siccitatem ad duritiem tendit, tamen per accidens, hoc est assiduam pituitæ superfluę successionem mollior redditur.

5. Variatur iterum pulsus ratione somni & vigiliæ: habet enim
   - Somnus pulsum vigiliis contrarium: nam somnus per contractiuam proprietatem trahit caloré à circumferentia ad cétrum. Est ergo pulsus in somno
     - Si stomachus cibis & poculentis repleatur, in principio paruus, debilis, spissus & occultus: in augmento tardus, rarus in hora digestionis magnus, fortis, apertus.
     - Vbi stomachi est inanitio, & nihil habet ad digerendum, quia declinat complexio ad frigiditatem, tardus, paruus, rarus, profundus.
   - Vigilia pulsum somno oppositum: nam vigilia calorem à centro ad circumferentiam ducit, vnde caloris actiuitaté auget. Est ergo pulsus in vigilia magnus, velox, fortis. At expergescentium pulsus est magnus, vehemens, celer, creberq; cum quadam vibratione.

6. Mu-

6. Mutatur etiã secundum temperamentum seu complexionem: nam	Calida & æstuosa complexio pulsum facit similem. Frigida frigidum. Humida, humidum. Sicca siccum.
7. Alteratur itidem iuxta exercitationem corporis: nam	Moderata pulsus facit vehementes, magnos, crebros veloces. Immoderata paruos, languidos, celeres, crebros.
8. Variatur quandoque ratione temperiei regionis	Temperata pulsum facit magnum, & sanguineę complexioni proximum. Calida dissoluendo spissum & velocem. Frigida tardiorem & minorem.
9. Mutatur etiam quandoque ratione temporis anni: est enim pulsus	Æstate velox & spissus ratione dominii caliditatis, cum quadam virtutis humidæ debilitate. Hyeme rarior, tardior & debilior. Autumno magnitudine, vehementia, tarditateque inæqualis. Vere magis mediocris.
10. Transformatur etiam pulsus natura propter anni passionem: facit enim	Ira pulsum magnum, vehementem, celerem, crebrum. Lætitia, magnum, rarum. Tristitia paruum, languidum, tardum, refrigetat enim, & calorem intro concitat Metus vehementem, celerem, vibratum & inæqualem ob nimiam rerum horrendarum apprehensionem.
11. Porro etiam variatur pulsus ratione Balneorum, quæ si sunt	Calida & { Moderata, magnum, crebrum, celerem, vehementem faciunt. / Immoderata paruum, languidum, celerem & crebrum creant. } Frigida gignunt pulsus paruos, languidos, tardos, raros. At si sint adeo rigida, vt torporem inducant, patuos, languidos, nec non magis tardos & raros.

Denique omnes in pulsibus variationes veniunt ab excitatione illorum seminariorum ventorum quæ ad vitæ spirituum compositionem in debita proportione concurrebant: nam vt antea diximus, à spiritu qui veniebat à quatuor ventis ad animandum hominem inflata sunt ad vitæ existentiam seminaria, vnde si aliqua ratione, videlicet vel interna vel externa à præsentia sui similis intendantur huius vel illius venti seminaria, tunc præualent ipsa super cætera; verbi gratia ira vel vino intenduntur illa Orientalia vel Meridiei, & fere febrem excitant, & consequenter pulsum velocem, vehementem & crebrum, ac iterum cessante ira vel vini effectu reuertuntur seminaria ita accensa in suæ æqualitatis gradum. Haud aliter in seminaria vitæ Occidentalia balnea frigida, vel hyemalis frigoris & tristitiæ præsentia dominantur, pulsumque tardiorem & rariorem faciunt.

CAPVT VI.

In quo obseruationes quædam ad præsagitionem & indicationem ex pulsibus admodum necessariæ explicantur.

PLurima à diligenti pulsuum obseruatore notatu digna in assidua pulsuum praxi veniunt, quorum nonnulla in hoc capite ad communem vtilitatem exprimere me suadet humanitas, monetque erga Medicinæ tyrones charitas.

1. Signum optimum pulsus septentrionalis est, quod si super eum aqua frigida effundatur vel distilletur, tunc pro temporis seu spatii pauxillo cessabit pulsus. Ratio est quoniam vt frigus facit talem pulsum tardum & paruum, ita quidem plus frigoris addito facile locum dabit calor debilis frigori accedenti, atque istum pulsum vocant m neralem.

2. Melior pulsus in quolibet morbo est, quando ipse sentiatur in cute calidior. Est etiam talis pulsus vbi nullus adhuc apparet morbus, nihilominus morbi mox futuri signum siue indicium euidentissimum.

3. Quando pulsus calorem contractui euidentem dederit, an sanguinis ardor ipsi corresponderit tali experientia quam apertissime percipies.

Madefiat panni serici siue byssini porriuncula in aqua rosacea & superponatur pulsui. Si ergo morbus fuerit calidus, tunc pannus iste ita madefactus citius super pulsum deficcabitur quam in alio aliquo loco : quare æquum erit pannos duos æqualiter madefactos, vnum videlicet super vnum locum pulsu denudatum, & alium super alium applicare.

4. Si compresseris pulsum profunde cum duobus tuis digitis, si pulsus recedat & à tactu occultetur, euidens morbi futuri est argumentum.

5. Si color venarum pulsum efficientium sit bonus & recens & ceruleus, tunc quidem arguet pulsum sanum & salubrem. At si male colorentur est indicium malum.

6. Quando applicaueris quatuor tuos digitos super pulsum, ipsumque cum iis fortiter compresseris, & tamen nihilominus eum saltare & mouere perceperis, pulsum significabit sanum.

7. Cum in pulsus contactu videatur ac si essent in pulsu arenulæ & noduli, quando talis pulsus in acutis morbis videtur reddi mollior, tunc est signum atque argumentum resolutionis spirituum, in quo casu vel diminutio per phlebotomiam vel arte iotomiam fieri debet, & quando pulsus iterum ad suam magnitudinem & duritiem pristinam redierit, tunc iterum sanescere incipiet.

8. Si pulsus fuerit durus, & secundum longitudinem suam tangatur in vno loco cum duritie, & in alio loco cum mollitie, signum est morbi Chronici ex venti duri seu Aquilonaris, & mollis seu Australis seminariis procreati.

9. Si pulsus contactum det durum, nodosum, seu arenulosum, arguit morbum de natura septentrionali, aut viri quandoque sani, si sit in complexione melancholicus. Has pulsuum arenulosorum, nodosorum, & durorum species tartareas vocat Paracelsus, quas nos aptius Boreales dicimus, vtpote quarum est indurare, constringere, in grandines, pruinas, glacies cremori tartari simillimas reducere.

10. Si brachii cubitum in aquam imposueris frigidam, & tamen nihilominus tangatur digitis in sua fortitudine, signum est salutis & fortitudinis naturæ, idque præcipue si color pulsus minime alteretur. At si pulsus perdatur & color simul, est argumentum mortis.

11. Quando post cubitum fortiter ligatur pulsus, & tum postea in duabus partibus tangitur, atque in ambabus earum eiusdem generis pulsum facit, signum est salutis.

12. Notandum est quod omnes in corpore pulsus debent in suis pulsationibus conuenire, hoc est simul pulsare; quod ni faciant, est euidens mortis indicium.

13. Cum pulsus tremit & salta, idque ad oculum visibiliter in viro sano bonum arguit præsagium, at vero in ægrotis est signum fallax & inconstans.

14. Cum pulsus ad mortem tendit vehemens & fortis est in temporibus, at in collo debilior, & adhuc debilior in lateribus, atque in manibus seu brachiis multo etiam debilior & languidior quam in lateribus: denique in pedibus admodum languidus & impotens, vnde mors immediate postea sequitur: nam homo vt plurimum moritur primum

mum in partibus inferioribus, vtpote à vitæ fonte remotioribus, & consequenter frigiditati obnoxioribus.

15. In Apoplexia percussis quo validior & vehementior est pulsus in suis ictibus, eo est infirmitas periculosior, & notandum est quod in Apoplexia & aliis illiusmodi morbis pulsus colli est maxime obseruandus, ob ipsius ad locum principaliter affectum propinquitatem. Iste ergo pulsus si fuerit plenus, rotundus & quasi nodosus, & quod nodi videantur pulsare, tunc istud est apertum mortis immediate sequentis præsagium.

16. In phrenitidie, epilepsia, aut mania quando pulsus immediate post paroxysmi recessum seu finem adhuc pulsat, est bonum & salutare signum, verum si separatur, tunc malum est signum.

17. In phrenitide si arteriæ in collo euidenter pulsent, & patiens somno sit procliuis atq; deditus, arguit illum morbum esse curabilem.

18. In morbis fluxibilibus seu dissolutiuis, vtpote dysenteria, diarrhea & aliis ventris fluoribus, si pulsus sit in vnico pulsationis genere constans & immutabilis, & non appareat nisi vnicum mortis signum, nihil restabit amplius faciendum, quoniam pulsus arguit patientem non illa vice moriturum.

19. In morbis qui ad matricem attinent pulsus præcipue in lateribus sunt animaduertendi, quoniam tales morbi à nullo alio pulsu sunt discernendi. Pulsus ergo hi si sunt vel calidi vel frigidi euidenter arguunt mulierem gerere partum seu grauidam permanere.

20. Pulsus caloris (vt antea declaratum est) est ex abundantia æstus vel Orientalis vel Meridionalis. At ille frigiditatis est tardus & sine manifesto caliditatis sensu.

21. Denique notatu haud indignum existimamus, quod morbus caducus seu comitialis pulsum habeat vehementem sibi comitem.

Atque ita finem, propitiante numine diuino, posuimus huic de pulsibus tractatui. Ei ergo qui dat motum pulsibus tam in seuera atque inclementi eius dispositione, quam in benignitate & ad vitæ beneficium, sit gloria, laus & honor in æternum, Amen.

Completum est istud opus 1629. Octob. 19.

F I N I S.





HVIC VOLVMINI EPILOGVS.



IN isto volumine (lectores beneuoli) integram munimenti salutis violandi & propugnaculi ipsius quassandi atque labefactandi rationem ad amussim tam radicaliter & essentialiter, quam organice, cum metaphysice & supernaturaliter tum physice & naturaliter depictam atq; descriptam habetis: miserum, inquam fabricæ humanæ statum, eiusq; ob occultationem faciei diuinæ perturbationem luculenter expressam inuenietis, iuxta illud Psalmi-
Psal. 104. 29. stæ regij, Abscondente faciem suam Deo à creaturis perturbantur; & secundum illud
Mosaicum, Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, vt obueniant iis ma-
Deut. 31. 17. la multa, & angustiæ, &c. hoc est, vt vindices & vltores diuini, siue in forma occulta & Angelica seu ventosa, siue in manifesta & meteorologica, potentiam & dominium habeant in creaturam à Deo propter peccata derelictam.

Iam vero restat vt in alio volumine viam qua palatium seu munimentum illud humanum ita violatum & perturbatum ad pristinum suæ pulchritudinis & salutis statum restituatur & restauretur ostendamus. Quod quidem ideo Apollinis oraculi reuelatione & doctrina fieri atq; doceri finximus; quoniam vt Apollo pro Iouis filio ab ethnicis æstimatur, ita quidem ipse qui est vera mundi lux, mortalium vita & Saluator (cuius solius est sanare omnia, & per consequens medicorum haud immerito existimatur princeps) est Verbum & Sapientia æterna ab ore patris orta, seu Filius primogenitus Altissimi, qui est lignum vitæ, balsamum salutis, & essentialis ille Sol, vitam & gratiam mortalibus attribuens; seu Sol ille spiritualis qui tabernaculum suum in Sole
Psal. 84. 2. corporeo posuit, in quo Sole spirituali est creaturarum vita & esse: nam teste D. Ioanne
Ioan. 1. in Verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum, quæ omnem hominem venientem in istum mundum in saluationis semita illuminat.

Deniq; per Æsculapium intelligimus spiritum cuiuslibet medici fortunati, quippe qui videtur Apollinis dotibus, influentiis seu proprietatibus (qui pro Deo solari existimatur) inebriari: vnde fit vt medicamentosis solis influentiis inspiretur ipsius spiritus, quippe cuius tota inclinatio in arte medica & in ægrorum curatione versatur: quod donum siue proprietatem ab Apolline seu æterna sapientia Iehouæ filio accipit.

Totum ergo voluminis sequentis mysterium more dialogico inter Apollinem siue filium lucis æternæ (cuius proprietas omnimodo in curatione & saluatione atq; peccati excussione versatur, quod est morborum & mortis radix) & spiritum humanum ad istud munus obeundum regeneratum, instructum, moderatum, & manu quasi introductum: vnde medicus omnis genuinus sub nomine Æsculapij haud immerito aut improprie intelligitur, quemadmodum in historia restaurationis sequenti explicabitur.

Sed vt integræ meæ in volumine sequenti intentionis scopum exactius intelligas, necnon discursus illius titulum seu frontispicium, atq; etiam quodlibet ipsius membrum percipias melius, interiorem ipsius medullam enucleaui, atque totius subiecti ideam in tabula ista subsequenti pro exigua ingenii mei capacitate, seu argutia conclusi. Vale.



m.

amus
pola-
tium

Errores in suis

- Decoctionum
- Syruporum
- Conseruorum
- Electuariorum
- Oleorum

Confectionibus, in *Libro unico.*






foldout/map
not digitized

53


0
OREGON
RULE
CO.
1
U.S.A.
2
3
4
5


OREGON RULE CO.
1
U.S.A.
2
3
4
5